
6
5 0
14



VETERA ANALECTA.

VETERA ANALECTA,

SIVE

COLLECTIO VETERUM ALIQUOT OPERUM & Opuſculorum omnis generis, Carminum, Epiſtolarum, Diplomatum, Epitaphiorum, &c.

CUM ITINERE GERMANICO, Adnotationibus & aliquot diſquiſitionibus R. P. D. JOANNIS MABILLON, Preſbyteri ac Monachi Ord. Sancti Benedicti è Congregatione S. Mauri.

NOVA EDITIO,

Cui acceſſere MABILONII Vita & aliquot Opuſcula, ſcilicet Diſſertatio de PANE EUCHARISTICO, AZYMO ac FERMENTATO, ad Eminentiſſ. Cardinalem BONA. Subjungitur Opuſculum ELDEFONSI Hiſpanienſis Epiſcopi de eodem argumento.

ET

EUSEBII Romani ad THEOPHILUM Gallum Epiſtola, DE CULTU SANCTORUM IGNOTORUM.





PARISIIS,
Apud MONTALANT, ad Ripam P P. Auguſtinianorum, propè Pontem S. Michaëlis.

M. DCC. XXIII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

VITA
JOANNIS MABILLONII
PRESBYTERI ET MONACHI ORDINIS S. BENEDICTI; Congregationis Sancti Mauri.



Amplissimo Viro

D. DUCI DE PERTH.

Majoris Britanniæ Regis JACOBI SECUNDI *Moderatori, ejusdemque primo Cubiculario.*

TAmetsi defunctorum Monachorum acta publicam in lucem proferre, à Congregationis nostræ moribus longe alienum sit, Vir Clarissime; votis tamen precibusque tuis adductus, quæ patris ac magistri mei Mabillonii vitam simol & obitum spectant, brevi ac compendiario stylo lubens referenda suscipio: arbitrorque fore neminem, qui perpensis egregiis, iisque quaquaversus disseminatis Mabillonii in rem litterariam atque ecclesiasticam meritis, virtutum ac doctrinæ splendore, hunc, quem ipsi deferri cupis honorem, sit vel miuimum improbaturus: honorem, inquam, tanto magis demortuo debitum, quanto viventi semper iogratum fuisse testatus ipse non semel est. Enimvero ob singularem, quæ in eo potissimom eminuit, animi modestiam, cæteris sodalibus liberalius haberi detrectavit; ac sæpe etiam ipsis longe inferiorem se gessit; talisque uc haberetur vehemeoter studoit.

Si quid igitur, Vir Amplissime, quominus voluntati tuæ morem geram, me teneat; id unum erit, quod tantæ suscipiendæ provinciæ viribus me longe imparem sentiam profitearque; at timorem simul & pudorem tollere ipse videris: quandoquidem præclara, quæ vel ipse vidi, vel ab aliis accepi Mabillonii gesta simplici nec fucato stylo me tibi narrare jubes. Nec certe diffitebor, cum ab incunte mea ætate sub tanti viri magisterio eruditus, sexque supra viginti aonos rerum ab eo gestarum testis fuerim oculatus, quin etiam moltos ejus æquales, à quibus non pauca accepi, familiariter noverim; me si non cæteris ingenio parem, at in præsenti negotio fide digniorem videri.

Cæterum in hoc compendio, uti jam inter nos convenit, ea potissimum memorabo, quæ ad virtutes, eximiamque Mabillonii pietatem pertinent: si quid vero aut de iis, quæ in lucem emisit, operibus, aut quæ Christianissimi Regis, Præpositorumque jussu suscepit itineribus, obiter attingam; id certe ad illustrandas atque adstruendas ejus virtutes, texeodamque narrationis seriem à me dictum velim.

I. Mabillonii ortus.

Ad sui suorumque decus, nec non Benedictinæ atque Ecclesiasticæ Reipublicæ ornamentum in Campaniæ finibus ortus est Joannes Mabillonius die xxiii. Novembr. MDCXXXII. ortuque suo Vicum Sancti Petri de Monte Remensis Diœcesis, duabus circiter gallicis leucis à Mussi ponte supra Mosam, Belvallensem Abbatiam inter & nominatissimum Cartosianorum Mootis-Dei Cœnobium, positum, mirum in modum illustravit. Ibi sacro fonte ablutum, quam in eo haoserat vitæ innocentiam, ad mortem usque illibatam custodisse cum ex morum integritate, tum ea assidua gratissimaque baptismalis sanctitatis memoria, ac ne illam pueri violarent, sed continuo in Deum adfectu studiose foverent, singulari propemodum sollicitudine, tum denique ex piis quas ea de re passim adhibere solebat adhortatioaibus, haud temere conjici potest.

Mabillonii Parentes

Fuere Mabillonio parentes Stephanus Mabillonius, & Joanua Guerin, ambo honesto luco prognati, atque hoc uno maxime insignes; quod insignem adeo filium in lucem ediderint, omnibusque studiose curaverint imbui Christianæ vitæ documentis: ea quibus eorum in primis memor erat, quæ ab optima sed præmatura sibi morte erepta matre adolescens acceperat. Vixerat Mabillonii Avus sexdecim supra centum annos; Pater vero quem anno ætatis centesimo non sine stupore vidisse me testor exquisito judicio, roboreque florentem, aonos vixit centum circiter octo. Ex multis porro quos iste susceperat liberis, superites illi remansit Mabillonius noster, cum altero fratre, qui morum ejus suavitatem, vitæque innocentiam mirum in modum referebat; quique ut pie admodum vixerat, pie similiter quinquagenario proximus e vita migravit.

II. Remos studiorum causa mittitur.

Sub parentum oculis primis litterarum elementis, duce potissimum ac Magistro avunculo, cujusdam vicinæ Ecclesiæ Parocho, primum instituitur Mabillonius: subinde provectior factus, cum eum uterque parens litterarum peritum ac ingenuis artibus periode ac virtutibus expolitum vehementer cuperet, Remos litterarium cursum peracturus mittitur: ubi non pecunia modo, quam pater ad id paraverat, sustentatus est, sed opibus etiam Clarissimi Abbatis Boucher Remensis Ecclesiæ Præpositi, simul & Regis ab eleemosynis, qui illum ad studia pergentem & domo & sumpto, & quod plus est, animo liberaliter excepit. In hac eloquentiæ palæstra mox præclari ingenii specimen dedit, brevique cæteris sodalibus longe antecelluit. Jam tum in Mabillonio elucebat singularis illa (quam postmodum tantopere suspexere omnes) mentis sublimitas sagacitasque ingenii, qua magistrorum captabat amorem, simul & existimationem sodalium, nullam istis (ea erat ejus modestia, animique moderatio) invidiam conciliaos; illos vero, quorum ipse non-

nullos novi, ob magnos ad studia progressus incredibili lætitia afficiens, adeout ab iis velut virtutis ac doctrinæ assequendæ exemplar cæteris ad imitandum proponi solerer; unde hæc ei, rara cæteris, felicitas contigit, ut ab omnibus ex æquo probaretur & amaretur: neque enim aut existimationi officiebat livor, quem eximiis ingenii dotibus superabat; aut amori odium, cujus causas propensissima de omnibus bene merendi voluntate procul amandabat. Necdum humaniorum deposuerat litterarum tirocinia, cum primam publice dixit orationem; quam subinde non sine auditorum applausu excepere aliæ non paucæ: in primis verò oratio illa gratulatoria, qua, ut fertur, & ab ipsomet, ni fallor, accepi, Dominum de Nemours post initam Remensis Ecclesiæ Metropolis possessionem, Academiæ gymnasium perlustrantem prosecutus est: quo in commisso sibi præ aliis munere obeundo, Archipræsulem modo laudatum, omnesque auditores in sui admirationem convertit.

III. In Seminarium Remense suscipitur, arisque devovetur.

Iis animi dotibus, quibus omnium ad se studia animosque rapiebat, ornatus adolescens Mabillonius, de gravissimorum virorum consilio aris devovetur; hujusque rei gratia à Georgio de Aubusson per tonsuram clericali militiæ adscribitur VII. Jan. ann. MDCLI. in Ecclesia Sanctimonialium Benedictinarum Parthenonis S. Petri. Anno proxime sequente, ineunte Julio, Magistri artium laurea insignitus, Theologiæ dat operam in Academia Remensi; subindeque cum Sancti Patricii, cum Sandionysiani Cœnobii magistros audit. Haud ita pridem locum obtinuerat in Remensis Ecclesiæ Seminario, quod è Concilio Tridentino redux Cardinalis Lotharingius, illos instar sancti Caroli Mediolanensis, efformandis ad pietatem ac disciplinam ecclesiasticam Clericorum animis, institui, extruique curaverat. Horum munus est in Ecclesia Metropolitana chori ministerio per vices interesse; ex iisque deinde non pauci ad varia Diœceseos obeunda munia deputantur. Id porro officii eo libentius obibat Mabillonius, quo divinis inde officiis sæpius adesse cogebatur; indeque vitabat continua lasciviencis juventutis discrimina. Diebus à schola feriatis, eos unos frequentare solebat studiorum socios, quos noverat optimis vitæ moribus institutos; cum iisqua lectitandis libris, qui vel ad pietatem vel ad studia juvare magis poterant, libenter animum relaxabat. Suo muneri juxtà ac Ecclesiæ ministerio intentus, ejusdem discendis ritibus, rebusque in ea decantari solitis sic animum adjecerat, ut ea penè omnia extremis etiam vitæ temporibus memoria teneret, id à me nuper ann. MDCCIII. non sine stupore observatum in Assumptæ Deiparæ festo; cujus prolixo licet ac solemni prorsus officio mecum adesse voluit; cujusque ne verbum quidem aut ceremoniam ullam prætermisit. Porrò suspiciens quanta cum dignitate, splendore simul & religione cuncta ibi sacra peragerentur, incredibili pietatis sensu Deo Optimo Maximo gratulabatur, quod etiamnum perinde ac Superioribus sæculis foret hæc conspicua Metropolis, * cæterarum Galliæ Ecclesiarum norma & exemplar, sive ministerii majestate, sive ministrorum modestia prope singularis.

* Ivo Carnotens. epist. 48.

IV. Mabillonii pietas.

Nec officiebat iis, quoin Remensem Metropolim tenebatur, amor ac sollicitudo, cæterarum urbis Ecclesiarum frequentationi, & earum maximè, quæ in excelso Remensis civitatis vertice sitæ sunt, quasque Flodoardus ob locorum celebritatem Basilicarum regionem nuncupare solebat. Quæcumque ibi aut sicæu aut veneratione digna sunt, plane noverat; nec unquam ea loca sine pio quodam mentis adfectu aut brevi oratione pertransibat. Ea in primis erant, sepulchra Martyrum; Ecclesia S. Timothei, ubi ingens adservatur reliquiarum copia; subterranea S. Mauri cella, in quam, ut fertur, prisci Christiani convenire solebant; Sancti Nicasii tumulus; lucus Martyrum Sancti Arnulphi; aliaque id genus monumenta variis in urbis regionibus, in miraculorum S. Remigii memoriam collocata. Clarissimum hunc Remensis Ecclesiæ Antistitem præcipuo pietatis cultu venerabatur Mabillonius; opem patrociniumque quotidianis precibus implorabat, nec perperam sane: ejus enim tumulum frequentanti primum Deo inspirante menti occurrit ineundæ vitæ religiosæ consilium, & quidem Remense Archicœnobium, in quo sacra Antistitis hujus ossa religiose adservantur, adeunti ita placuit quæ ibidem ducebatur religiosæ vitæ ratio, ut tunc eamdem amplecti, spretisque mundi illecebris Congregationi nostræ nomen dare constituerit: ad id potissimum consilii adductus fervore ac singulari prope Tyronum modestia, silentio, solitudine, morum integritate, præsertim vero tenero quodam, quem in ipsis mirabatur, quove, ut ipse testatus non semel est, summopere movebatur, nascentis pietatis adfectu. Ne in hoc porro tanti momenti negotio temere quicquam moliatur Mabillonius, prius probare se, atque etiam explorandæ vocationis causa, ab iis quibus jam mentem aperuerat suam, probari voluit, nec diuturna probatio fuit. Siquidem Remensis Archimonasterii Prior Mabillonii consilii conscius, ejusque cum enixis precibus, tum ardenti quo flagrabat ineundæ vitæ monasticæ studio, tum demum assidua nunc Ecclesiæ, nunc Cœnobii frequentatione permotus, illum brevi admissum voluit. Quis tum fuerit Mabillonii fervor, vel ex eo, quem quinquagenta post annis ostendit, abunde colligi potest; mihi enimverò Remis cum eo moranti, atque ex murorum horti monasterii, quos una circuibamus, aspectu commotum advertenti, ingenue aperuit, incredibili se voluptate captum, quod ibidem accepta à Deo beneficia mente recoleret, sibique videretur, ut aiebat, Remense Archimonasterium tunc primum adire, vitæ religiosæ consilium initurus.

Consilium init vitæ religiosæ amplectendæ.

Mabillonii fervor.

V. Habitum monasticum suscipit.

In hoc Remensi Archicœnobio inter vitæ monasticæ Candidatos seu Postulantes, ut vocant, adscitus, die Sancti Joannis Baptistæ Decollationi sacro (quem ideo quotannis tanti beneficii memor pia devotione celebrabat) monasticum habitum suscepit V. Sept. proximè sequentis à P. Mummulo Gaufrido, qui tum magni Prioris munus obtinebat non sine eximiæ apud cives omnes virtutis ac sanctitatis laude, ab eo potissimum die, quo celebrato ad sancti Remigii tumulum Missæ Sacrificio, filia Marchionis de Rothelin Remensis urbis Præfecti, qua diu laborabat paralysi, mirabiliter sanata memoratur. Quæcumque in tyronibus illustria, pietatis ardor, rerum humanarum contemptus, & odium sui, quia sunt ipsi cum multis aliis communia, tacitus prætermitto. Evoluto probationis anno professionem emisit coram P. Vincentio Marsolio, qui non ita pridem Remensis Archicœnobii Prior renunciatus fuerat; cujusque venerandam prope memoriam, ac præclara in Congregationem nostram merita nulla apud nos delebit oblivio. Hujus viri virtutes, præsertim vero singulare regularis disciplinæ studium tanti fecit Mabillonius, ut ea scriptis suis posteritati commendare duxerit operæ pretium. Is generali Congregationis nostræ præpositura diu ac summa cum laude perfunctus, mortalem vitam immortali commutavit in Monasterio sancti Germani à Pratis die V. Septemb. ann. MDCLXXXI.

Professionem emittit.

VI. Mabillonii in pietate progressus.

Sub tanti, tamque religiosi Viri disciplina eruditus Mabillonius tantum in virtute profecit, ut omnium in se converteret Sodalium oculos; moveret Præpositorum admirationem. Percepta sic diligenter scientia pietatis, idoneus visus est, qui aliis eam traderet; quare majorum judicio post emissam professionem in Remensi Archicœnobio per annos aliquot detinetur, quo suo Tirones exemplo ad pietatem animaret, vitæque Monasticæ perfectionis assecutionem; immo quod ipsi juniori licet creditum est, eos ad omnia monasticorum exercitiorum officia effingeret, efformaret ad disciplinam.

In morbum incidit.

Verum cum ejus, qui in dies augebatur, mentis ardori haud responderent fluxæ tenuesque corporis vires, gravissimo capitis dolore assidue divexatus sic debilitatur sensimque frangitur, ut qui aliis recte studendi methodum traditurus erat, nullum ipse studii genus, ne divini quidem recitationem officii ferre posset. Id acerbe prorsus ferentes Majores nostri, nullum non adhibent remedii genus, quo tantæ spei juvenem saluti restituant. Verum cum nec monasteriorum nec purioris cœli mutatione fieret inde melior corporis valetudo, id tandem excogitatur remedii, ut campestre aliquod monasterium adeat; ubi ab omni prorsus sive negotiorum, sive studiorum sollicitudine expeditus ad unam recuperandam salutem animum intendat. Eapropter ad Monasterium B. Mariæ de Novigento sub monte de Coucy Diœcesis Laudunensis, hanc inter, & Suessionensem urbem positum mittitur Mabillonius.

VII. In monasterio B. Mariæ de Novigento commoratur.

Quam id acerbo animo remedii genus tulerit Mabillonius, facile quis intelligat, cum ex iis, quas initio abunde fudit, lachrymis; tum ex nobili, à quo discedebat, Remensi Archicœnobio; in cujus augustissima Basilica nihil ad officiorum splendorem juxta ac majestatem desiderari videbatur: tum ex sodalium, qua privari cogebatur, gratissima sibi consuetudine, ut desertum usque pene omnibus vitæ solitariæ oblectamentis destitutum adiret Cœnobium; cujus Ecclesia solo pene æquata, inculta juxta ac incommoda ædificia ruinis minisque pendentibus horrida, grassantium hæreticorum furorem, luctuosumque fatum Cardinalis Odeti Castillionei horrendum in modum præferebant. Eo advenienti Mabillonio sex aut septem occurrunt multa jam ætate provecti Monachi, ac proinde juvenili genio parum accommodati. Ea mutatione non parum mœstus, pristinæque memor felicitatis, ingratam sui vicem aliquod tempus amare deflevit, paulatim tamen huic campestri vitæ assuefacto non parum arridere cœpit remota ab omni hominum frequentia Monasterii solitudo; eamque præter expectationem suavissimam reddidere Sodalium ibi degentium sincera in eum commiseratio, intimusque, quem ipsi certatim testabantur, amicitiæ sensus. Ibi favente internusque consolante, qui pater est misericordiarum & Deus totius consolationis, sic vilissima quæque Monasterii munia lætus obiit, ut multis post annis, quæ ibidem expertus fuerat cœlestis gratiæ dona, non sine quodam suavitatis sensu in mentem revocaret, amaretque interdum animi gratia ab amicis vocari, *Joannes de Nogent.*

Minores Ordines cum sacris suscipit.

In hoc Cœnobio quatuor una die minoribus ordinibus simul & Subdiaconatu, subinde vero anno proxime sequente Diaconatu in urbe Suessionensi initiatur Mabillonius à claræ mem. Carolo de Bourlon ejusdem urbis Episcopo. Interim Mabillonium acerbe adeo discruciant dolores capitis, totiusque corporis incommoda, ut ad scientias licet omnes natos, vix alicujus studio animum intendere valeat, elucebat tamen in eo ingenium ad præclara quæque comparatum; ac in primis innatu quodam studio in rem antiquariam adeo incitatum, nullum ut intra ac extra Monasterium non moveret lapidem; nulla non

Analect.

monasterii, vicinorumque locorum rudera, aliave, si qua detegendi spes affulgeret; antiqua monumenta sollicitus indagaret, hujus rei studio totius fere Ecclesiæ pavimentum effodisse narratur, spe potissimum ductus reperiundi tumuli clarissimi Abbatis Guiberti, quem ibidem sepultum audierat.

VIII. Corbeiam veterem mittitur.

Ubi porro Mabillonium sacræ illustrandæ antiquitati natum, maximeque propensum advertunt Præpositi nostri, Cœnobium, quo suo facile indulgere genio queat, cogitant, tali nec immerito fore ut id, quo tantopere oblectari videbatur, studii genus, recuperandæ valetudini plurimum sane conduceret. Eo consilio Corbeiam veterem insigne agri Ambianensis Cœnobium ann. MDCLVIII. mittitur. Ibi ferendæ regulari observantiæ viribus longe impari Mabillonio, janitoris, totiusque Monasterii rerum dispensatoris officium traditur, ut vel utriusque muneris sollicitudine, motibusque pene continuis sanaretur, vel saltem remitteretur, quo laborabat, dolor capitis. Nec mirere lector, si ad summa natus Mabillonius, vilibus adeo Cœnobii curis deputatus sit: ipse enim vilioribus mirifice tenebatur; eorumque frequentem copiam sibi quotidie postulabat, siquidem exorsus ab humilitate & despicientia sui, hoc indagabat unum, quo maxime se abjiceret, aliisque contemnendum præberet. Ea porro erat de reficienda ejus salute majorum cura anxiaque sollicitudo, ut ne ad excipiendas quidem Philosophiæ aut Theologiæ lectiones vellent sub eo scholas frequentari; ne forte morbus ingravesceret, studiorum contentione, cæterum commissa sibi prædicta Monasterii munia eo libentius amplectebatur, quod pauperes, ad quos propenso animo ferebatur, reficiendi, ac familiariter alloquendi occasionem suppeditarent. Et vero is erat ejus in pauperes amor ac commiseratio, ut quamvis Magnatibus, apud quos plurimum valebat, quemquam commendare ut plurimum refugeret! iis tamen juvandis suam apud eos autoritatem ultro impendere non dubitaret, Christi memor dicentis: *Quæ uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

IX. Ad Sacerdotium promovetur.

Anno MDCLX. die XXVII. Martii in pervigilio Paschatis à Francisco Faure Ambianensis Urbis Antistite ad sublimem Sacerdotii gradum promotus. Non inde tamen animo elatior, sed obeundis potius humilitatis caritatisque officiis longe ferventior visus est, ac religiosæ studiosior pietatis. Etenim vel lectitandis libris tam sublimi ministerio congruis, vel exercendis religiosis operibus se totum dabat, unde plenior Deo, inde humilior; inde ad obedientiam, cæterasque vitæ monasticæ virtutes paratior, inde demum caritas ejus vivacior novos sumpsit ignes ad amandum supremum Numen, cujus Sacerdos initiatus fuerat. Neque vero retardabat illa rerum externarum sollicitudo studiorum cursum, aut Theologicarum, quibus interdum intererat, concertationum frequentiam. In his porro sic eminebat Mabillonii ingenium, ut quæcumque inter disputandum proferret, non tam à discipulo, cujus nomen amabat, quam à Magistro prolata viderentur. In primis autem libenti animo frequens perlustrabat Corbeiensis Cœnobii Bibliothecam, antiquis, quæ ibi adhuc adservantur, quibusque olim claruit, monumentis, manuque exaratis codicibus insignem. Iis evolvendis etsi ob afflictas vires haud diuturnam operam dabat: inde tamen vel minimam eruditionis partem cum colligeret, mirum in modum lætabatur. In singulis, quæ perlustrabat, sive nostræ sive aliarum Congregationum monasteriis, prima ei cura præcipuumque studium erat, de illorum historia, viris illustribus, sanctis locorum simul & Ecclesiarum patronis ac tutelaribus, eorumdemque reliquiis erudiri, & certe præclaris Corbeiensium Monacho-

a ij

rum gestis mirum in modum permotus, singula illorum acta, ac ea maxime, quæ illos posteris tantopere commendaverant, ediscere voluit, præ cæteris vero impensius historiæ studuit Adalhardi, qui spretis rerum mortalium blandimentis; ac ipsam quoque Carlomanni, cujus germanus erat, aulam regiam pertæsus, in Corbeiensi Cœnobio libertatem abdicavit.

X
Saluti restituitur.

Hujus quam Sanctus Gerardus Corbeiensis undecimo sæculo Monachus adornaverat, vitæ lectione, in spem recuperandæ salutis adducitur Mabillonius. Ubi enim eam percurrenti compertum est Gerardum modo laudatum ob negotiorum peritiam, rerum temporalium curis ab Abbate deputatum, iisdem (quæ tum pessimo loco erant) redintegrandis nimio studio ac labore fractum, perperamque adhibitis remediis, una Sancti Adalhardi intercessione pristinæ saluti mirabiliter restitutum fuisse; statim ejusdem opem implorandam sibi proposuit, ejusque patrocinio omnia se consecuturum speravit, nec vana sane fuit spes, licet enim neque illico neque miraculo, (non enim id sibi pollicebatur) sanitatem sit assecutus: exinde tamen paullatim levari ac remitti, quibus dudum conflictabatur, dolores capitis; studiis denique paullo expeditior fieri. Tanti, dum vixit, beneficii haud immemor Mabillonius, Adalhardum præcipua pietate coluit; utque se accepti beneficii memorem præberet, Gerardi (qui præter vitam, antiphonas & responsoria in ejus honorem concinnaverat) exemplo ductus, hymnos, ipse quoque condidit, qui etiam nunc in Adalhardi festo, in Ecclesia Corbeiensi decantari solent. Quantum præclaris hisce in Adalhardum laudibus hymnisque glorietur vetus Corbeia, vel ex duorum auctorum, quibus præstantiorem habuit neminem, vitæ doctrinæque meritis facile quisque conjiciat. Hymnis modo laudatis alios subinde in laudem Augustissimæ Sanctissimæque Reginæ Bathildis (cujus munificentia ac pietate conditum legitur Corbeiense Cœnobium) suadentibus Præpositis superaddidit, una cum multis huic Monasterio propriis officiis; quæ vel de novo edidit, vel instauravit. Hæc omnia in unum collecta typis edita sunt, interque primos Mabillonii partus, quos postmodum excepere longe uberiores jure ac merito recenseri possunt.

Hymnos in honorem S. Adalhardi condit.

XI.
Rerum temporalium curis præficitur.

Obtinebat tum temporis Mabillonius depositarii, seu dispensatoris officium in Corbeiensi Cœnobio; cum de Præpositi judicio ob afflictam valetudinem, qua studiis impar omnino putabatur, ac probatam vitæ integritatem, Cellerarii munus, rerum scilicet totius monasterii temporalium sollicitudo ei committitur. Quod sane munus ob ingentes vastissimasque Cœnobii ditiones longe licet honorificum, quanto cæteris acceptius, tanto illi molestius accidit. Terrebat namque in eo munere ingens ac multiplex negotiorum moles; frequentiorque cum sæcularibus, usque clarissimis, à quibus plurimi æstimari jam cœperat, regionis hujus hominibus consuetudo; de quorum mundano pulvere non sordescere religiosa corda difficillimum, vitam præterea solitariam, etiam non sine valetudinis discrimine, severioris disciplinæ observantiam frequenti gratissimoque hominum consortio longe anteponebat: mallebatque (si quæ saluti recuperandæ necessaria forent) quæ sibi ante commissa fuerant janitoris ac dispensatoris officia: per ea quippe pauperum, quos impense diligebat, frequentiam, consuetudinemque sibi curabat. Muneris hujus impatiens nullum non movet lapidem, quo ab eo absolvatur: qua in re semel tantum in vita Præpositorum suorum voluntati repugnasse, atque apud illos expostulasse observatum fuit. Insonuit sane atque Præpositis non parum accepta religiosa hujusmodi expostulatio. *Felix*, inquit Doctor Mellifluus, *felix domus, in qua Martha de Maria conqueritur, nec ad tumultuosam rerum temporalium curam adspiratur? sed tranquilla Mariæ contemplatio, turbis Marthæque sollicitudinis longe anteponitur.*

Bern. Serm. 3. de Assumpt. B. Mariæ.

XII.
Ad Sandionysianum Cœnobium mittitur.

A rerum tandem temporalium curis vel intra sex menses non sine ingenti animi gaudio absolutus, reliquam vitam dilectæ solitudini consecrat; fati sui futurique apud litteratos omnes nominis plane nescius, haud ita post in regalem Sancti Dionysii Abbatiam prope Parisios missus, ne extra monasterium pernoctare cogatur, septem supra decem horarum iter una die pedibus conficit sarcina onustus: quam laudabilem subinde consuetudinem, ex quo primum Parisiis versari cœpit, constanter tenuisse varia docent, quæ suscepit, itinera in Belgium, Campaniam, Burgondiam, nec non quamplurima, quæ aut negotiorum aut studiorum causa perlustravit, Congregationis nostræ Monasteria. Subinde autem Cœnobia peragrans, quo commodius iter ageret, vectura, aut equo, si quis interdum quo pergebat reducendus erat, utebatur; summopere curans, ut, quam adhibebat, vectura simplicitatem præferret, ac professionis monasticæ paupertatem.

XIII.
Mabillonii curæ.

In Sandionysianum Cœnobium advenienti Mabillonio circa mensem Julium ann. MDCLXIII. ibi per annum Cimeliarchæ munus committitur: quo in munere obeundo non parum otii impenditur ac laboris, ob ingentem videlicet omnis hominum generis frequentiam, qui veneranda Regum nostrorum monumenta visundi studio adducti, eo assidue confluunt. Ad id muneris sacras licet Præpositorum rogatu conciones superadderet ac Catecheses, quæ per totum anni curriculum in Ecclesia Sandionysiana ad populum haberi solent; haud tamen à solitis Theologiæ concertationibus aberat: immo sæpenumero scholas frequentabat, id vero permirum omnibus videbatur, cum, etsi non alia quam Remensis Academiæ suscepisset Theologica documenta, atque ob infirmam valetudinem seriis jam dudum studiis nuncium remisisset, Sanctorum tamen Ecclesiæ Patrum, lectissimorumque auctorum perfecte adeo nosse opera, sensus intelligere, sententias aperire, deque rebus Theologiæ difficilioribus alte adeo juxta ac erudite disserere. Sic porro varia illa munia, quin etiam divina, atque in hoc Cœnobio maxime prolixa officia implebat Mabillonius, ut strenuam aliis studiis operam navaret. Siquidem tunc D. Bernardi opera cum manuscriptis codicibus conferre, atque ad eorumdem fidem expurgare cœpit: eoque labore de sodali, qui novam ejusdem Bernardi operum adornabat editionem, bene se mereri putabat, cum non ita post, eo vita functo, proprii laboris fructum ipse degustavit, ut mox videbitur.

XIV.
Parisios venit, sociusque datur D. Lucæ De Achery.

Tantis, quæ in dies magis ac magis elucebant, animi dotibus exornatus, speque non vulgaris progressus commendatus, studiis, ad quæ ferebatur, de Præpositorum judicio devovetur. Præerat tunc temporis Sangermanenti Bibliothecæ, pluribus usque egregiis operibus celebris D. Lucas De Achery: jamque nonnulla probati omnibus Spicilegii volumina vulgaverat, cum ob afflictas vires ac provectam ætatem, optimæ spei juvenem, qui laboranti opem ferat, ac ipso quoque deficiente, cœpta jam opera persequi valeat, postulanti, mox sine mora communi Præpositorum suffragio traditur Mabillonius: qui statim è Sandionysiano Cœnobio ad Sangermanense vocatus circa mensem Julium ann. MDCLXIV. reliquo edendo Spicilegio non parum subsidii contulit, inchoatam tamen in Bernardi libros operam non intermisit: immo in scrutandis ac excutiendis manu-

Novam Bernardi editionem adornat.

exaratis codicibus, eam diligentiam ac sollicitudinem adhibuit, ut defuncto D. Claudio Chantelou (qui selectiores Bernardi Sermones uno volumine comprehensos publici juris fecerat; novamque parabat reliquorum operum editionem) iisdem continuandis præfici meruerit. Hæc ubi absolvit, non prius in lucem emitti voluit, quam edito prospectu ann. MDCLXVI. de ratione, operisque consilio monitos fecerit litteratos omnes: ut si quid in Bibliothecarum forulis ineditum occurreret, significarent: si quid in privatis commentariis haberent singulare, liberaliter conferrent in publicum: si quid denique ab eo in hoc opere parum consulte institutum, humaniter renunciarent. Ita siquidem comparatus erat Mabillonius, ut Sapientum judicio nec ægre nec sine grati animi significatione deferret. His peractis, duas simul Bernardi operum editiones publicam in lucem emisit: unam scilicet duobus in folio tomis comprehensam: alteram vero novem in octavo voluminibus. Utramque ubi incredibili plausu, nec minori animi voluptate percurrit eruditissimus Joannes Bona, tunc temporis reformatorum Italiæ Fuliensium Generalis Abbas, adeo probavit, ut auctorem eximiis laudibus prosecutus, litterisque plane humanissimis ad continuanda hujusmodi studia toti Ecclesiæ profutura vehementer hortatus, Alexandrum VII. Pontificem maximum de operis præstantia atque utilitate monitum illico voluerit. Ex eo tempore Romæ celebrari, indeque per totum litterarum orbem disseminari cæpit Mabillonii nomen, & re quidem vera in adornanda Bernardi editione, præclarum adeo cum accurati ingenii, exquisitique criterii, tum eximiæ doctrinæ ac sagacitatis specimen dedit, ut viros inter ævi sui doctissimos brevi recensitum iri dubitaverit nemo. Distributis pene omnibus prioris Bernardi editionis exemplaribus, amicorum rogatu, alteram edendam suscepit: editamque ann. MDCLXXXX. ac multis usque novis illustratam animadversionibus, quin etiam nonnullis quibus emendatior, locupletiorque fieret, ineditis operibus auctam, Sanctæ memoriæ Alexandro VIII. Pontifici maximo nuncupavit. Tertiam insuper Bernardi editionem prioribus longe castigatiorem cogitabat Mabillonius, cum cœlo maturus nobis ereptus est, cæterum ex hujus operis fama, atque omnium prope litteratorum, exterorumque plausu non parum permoti Superiores nostræ Congregationis, alias Sanctorum utriusque Ecclesiæ Patrum pro viribus promovere constituunt: & quidem eo successu, quem non modo eruditi quique, sed & Ecclesiæ Præsules non semel gratulati sunt: quemque ipse litteratum ac litteratorum fautor beneficentissimus Clemens XI. Pontifex maximus, decessorum suorum exemplo, laudibus litterisque apostolicis, nedum patrocinio prosequi non est dedignatus.

XV. Acta Sanctorum Ordinis edit.

A primis institutæ nostræ Congregationis temporibus integram omnibusque numeris absolutam totius Benedictinæ Reipublicæ historiam meditabantur Majores nostri: operosum sane nec exigui ad Ordinem immo & Ecclesiam momenti consilium, unde quoniam non unius anni res erat; tantæque molis opus accuratam postulabat rerum monasticarum notitiã: idcirco per diversas Congregationis nostræ provincias deputati identidem monachi, qui diligentissime Bibliothecas excuterent; vetusta monasteriorum atque ecclesiarum legendaria sedulo evolverent, exscriberentque: summo denique cum delectu vetera monumenta colligerent. Fasciculis magna ex parte congestis promptisque fere omnibus concinnandæ huic historiæ opportunis documentis, tantæ molis operi, suadente in primis Præfecto nostro Generali D. Bernardo Audeberto, manum admovit Mabillonius. Ab actis porro SS. Ordinis inchoandum suasit cum amor sacræ antiquitatis simul & veritatis, tum maxime ut Benedictini Ordinis alumni Majorum suorum exempla in promptu habeans, & novella Congregationis nostræ Soboles ad eorum normam studeat mores componere suos: tum etiam ut autographa huic Collectioni inserta, elaborandæ, quam Præpositi meditabantur, generali historiæ inserviant. De ratione operisque consilio per encyclicam epistolam suo simul & Patris Acherii nomine inscriptam, præmonitis litteratis omnibus, mox huic operi diligentem adeo curam adjecit, ut sequenti ann. 1668. primum volumen publici juris fecerit. Sub hoc titulo: *Acta SS. Ord. S. Bened. in sæculorũ classes distributa.*

XVI. In aliorum opera suos labores confert.

Nec officiebat opus illud quamvis immensum, quominus cæteris Sodalium operibus manum præberet adjutricem; Acherii præsertim Spicilegio, cujus ab suo in Sangermanense Cœnobium adventu septem jam volumina typis subjecta fuerant, ac Sancti quoque Petri Cellensis operibus ann. 1671. evulgatis, quorum editionis ceu autor jure haberi potest: quippe præfationes, nec non epistolam nuncupatoriam elaboravit; totiusque edendi operis curam habuit, uno verbo perinde sodalium curabat opera, ac si ipse nulli proprio operi fuisset intentus: sic suis animum intendebat, ceu nullam aliquis manum admovisset. Multa præterea, prout se dabat occasio, minoris licet momenti illum elucubrasse abunde docet oratio cunctis tantopere probata, nec semel ann. 1666. edita, quam in defunctæ Augustissimæ Galliarum Reginæ Annæ Austriacæ laudem adornavit. Sic tempora, sic momenta omnia moderabatur, nihil ut vacuum in vitæ decursu remaneret, vitæque vix indulgeret necessitatibus. Surgebat de more hora post mediam noctem secunda; & ad prandium usque studium protrahebat, nullo nisi Missæ ac solitæ orationis interjecto spatio. Reliquum diei totum studio quoque impendebat, nullaque adhibita animi relaxatione, ad multam usque noctem producebat. Id autem non vulgari laude dignum in Mabillonio videbatur, quod totum licet in se susciperet studii ac laboris onus, in partem tamen adeptæ ex utroque gloriæ socios secum vocare non gravaretur.

Mabillonii modestia.

Hujus, qua postmodum tantopere commendatus est, modestiæ eximia cum eruditione conjunctæ specimen videre est in prioris Actorum Ordinis tomi præfatione: quam sic modeste inchoatam voluit. *Acta, inquit, SS. Ordinis S. Benedicti unum in corpus redigenda, tandem Deo duce aggredior: non quidem autor, sed adjutor operis: non primarius Architectus, sed minister succedaneus.* Quid plura? in singulis Actorum eorumdem tomis, Acherii nomen suo præponi voluit. Et quidem ea erat in Acherium

Mabillonii in Acherium observantia.

Mabillonii observantia, is affectus, ea existimatio, nihil ut eo inconsulto adgredi auderet; nulla non ipsi præstaret humanitatis atque urbanitatis officia, eo usque ut eum non semel in die officiose inviseret; ægrotanti opem ferret assiduam; statis atque ipsi opportunis horis sacrum coram eo faceret; describeret epistolas; mira ingenuitate jussis obtemperaret; nihil denique reliquum faceret, quo se tam venerabili viro, magistro simul & amico ad mortem usque, gratum ac memorem exhiberet.

XVII. Acta Sanctorum prosequitur.

Primo Actorum Ordinis tomo, non mediocri eruditorum omnium gratulatione excepto, continuandis reliquis animum appulit Mabillonius: ex quibus jam novem prodiere tomi, qui SS. Monachorum gesta ab Ordinis exordio, nempe à sæculo sexto ad undecimum comprehendunt; quosque ad operis complementum decimus brevi excipiet. In hac porro Actorum collectione, quamplurima, eaque scitu dignissima reperiuntur opera, ex quibus nonnulla ha-

ctenus inedita, alia vero ad antiquorum exemplarium aut MSS. fidem diligentissime expurgata sunt. Cæterum quamvis, ut jam ab initio aperui, de Mabillonii elucubrationibus sigillatim disserere non sit animus: viros tamen eruditos hic monendos duxerim, multa in Actis SS. Ordinis contineri, quæ haud satis pro merito æstimari possunt, ecclesiasticæ juxta ac profanæ historiæ monumenta. Talia in primis sunt Acta & Vita autographa Sancti Wilfridi Eboracensis Archiepiscopi octavo sæculo adornata: ubi Dagoberti Austrasiorum Regis luculenter enucleatur historia, horrendus interitus, quive fuerint nefandi adeo sceleris conscii optimates. Ritus præterea exponuntur peculiares in ordinandis apud Gallos Episcopis observari soliti: Acta insuper Conciliorum eruditis hactenus incognita: plura denique perutilia atque observatu dignissima. Nec certe ad illustrandam Secundæ Regnum nostrorum Stirpis historiam minoris momenti duxerim Vitam Walæ Carlomanni Imperatoris germani; qui rejectis aulæ illecebris pompisque regalibus, fratri Adhalardo Corbeiensis Cœnobii Abbati suffici promeruit, qui enim vitam hanc concinnavit, Paschasius Radbertus multa, quæ litteratos hactenus latuerant, de Ludovici Pii depositione in lucem profert: atque ut testis oculatus quæcumque in capiendo Gregorio IV. Summo Pontifice gesta sunt, accurate commemorat.

Monumentum porro istud ob ementita nomina, quæ in ejus vita describenda, auctor prudenter tum usurpare coactus est (non enim tam execrandi facinoris consceios magnates palam nominare est ausus) obscurum adhuc ac prorsus implicatum luculenter adeo aperuit dilucidavitque Mabillonius, vix ut huic illustrandæ historiæ quidquam reperiri nunc queat præclarius, aut opportunius: nihilo minoris æstimanda videtur hæc Actorum Ordinis nostri Collectio ob eruditissimas, notisque passim & observationibus illustratas, quæ in cujusque voluminis fronte leguntur, præfationes; ibi namque præcipua cujusque sæculi historiæ momenta scite juxta ac concinne inserta, atque accurate collecta: ibi cum religionis tum ecclesiasticæ ac monasticæ disciplinæ passim elucidatæ difficultates legentibus non sine magna Scriptoris admiratione, ac laude occurrunt.

Præfatio primi sæculi Benedictini.

Et quidem in prima prioris sæculi Benedictini præfatione, exposito propositi sui ordine, nonnulla expendit, quæ, cum diligentiorem tractationem exigerent, in quosdam articulos apposite distribuit, in quorum primò strictim agit de monasticæ vitæ origine ac progressu in Regionibus occidentalibus, in Italia videlicet, Gallia, Gothia, Hibernia, Illirico, & Hispania: quæ solæ ex Europa nationes Monachismum ante S. Benedictum suscepisse videntur: dein de regulis illic observatis, deque variis in Italia, Africa, Galliisque consistentis Monachis: ea quibus celeberrimi sane fuere, apud Insulam Barbaram Lugdunenses, apud Lerinum Lerinenses, apud Massiliam Massilienses, duce ac institutore Joanne Cassiano, qui sæculo quinto in civitate Massiliensi inclytum Asceterium ædificavit: ac quinque millia monachorum rexisse memoratur: Condatescenses in locis Jurensibus, Autissiodorenses à Beato Germano instituti, Divionenses Sancti Benigni, Ternodorenses apud Burgundiones, Menatenses apud Arvernos, Miciacenses Aureliæ, Grinniacenses Viennæ apud Delphinas, Agaunenses Octoduri. 2. Inquirit de tempore obitus Sancti Benedicti, de quo non una semper fuit omnium sententia; de regulæ suæ promulgatione & propagatione sæculo sexto feliciter facta; ubi mentem suam de vulgata ipsius ad Sanctum Remigium Remorum Episcopum Epistola aperit. 3. De Sancta Scholastica disserit, quam Virginum Benedictinarum ducem, magistram, & antesignanam libere pronunciat, deque Benedictinæ Regulæ usu etiam ad Virgines Deo Sacras transmisso, atque in Gallias à Sanctimonialibus per Donatum Vesontionensem Episcopum circa annum DCXX recepto. 4. De Sancti Placidi missione in Siciliam, ac de ejusdem Martyrii tempore disserit. 5. Exponit Sancti Mauri legationem in Galliam à recentiori quodam autore ut temere, ita infeliciter impugnatam. 6. Regulæ progressum in Hispania. 7. Gregorii Magni studium in Sancti Benedicti institutum: ubi Benedictinam ipsius professionem contra Cardinalem Cæsarem Baronium adserit. 8. De Augustino Monacho, aliisque Gregorii discipulis in Britanniam missis disputat, quibus omnibus observationes quasdam de rebus cum Ecclesiasticis, tum Monasticis notatu dignis subjicit; in aliud sæculum remittens fusiorem Germaniæ Benedictinæ tractationem.

Præfatio secundi sæcul. Benedictini.

In secunda posterioris autemque plane sæculi Benedictini præfatione, ut præstituto à se ordini ac dispositioni insistat, quædam argumenta sibi tractanda assumit, quæ subsequentibus Sanctorum Ordinis Actis non parum lucis afferre videntur, quorum primum est de Sancti Columbani Regula & Institutis: an à Sancti Benedicti Regula diversa sint, an cum illa aliquando consenserint. 2. De Monastici status antiquitate in Belgio, ejusdemque per Amandum propagatione. 3. De Sanctimonialium & Canonicarum Virginum origine itidem in Belgio. 4. Observationes varias ecclesiasticas & monasticas complectitur. 5. Denique observationes historicas & chronologicas: quæ omnia antequam latius explicet, nonnulla prius diluit, quæ adversus consilii ac propositi sui rationem sæculo primo stabilitam opponuntur.

Præfatio tertii sæculi Benedictini.

In hac præfatione duas in partes distributa, quemadmodum sæculum æræ Benedictinæ tertium, Christianæ octavum, alternantium rerum varietate, factisque memorandis insigne fuerit, potissimum ostendit. Europa siquidem, cujus fere limitibus historia nostra continetur, pene tota motibus quassata solitis, novos dominos, novamque formam subiit. Fuit in primis Hispaniæ luctuosum fatum, quæ Witizæ & Roderici pravorum regum contaminata flagitiis, proditore Juliano duce, in Maurorum potestatem venit; tumque Visigothorum imperium, quod trecentis & amplius annis steterat, ab immani ac feroci gente extinctum est. Sardinia insula idem fere infortunium experta; uti & Sicilia misere à Saracenis devastata. Paullo felicior extitit Italia, non tamen à magnis conversionibus immunis; nimirum Imperii portio, quæ per Exarchas Ravennates administrata diu fuerat, Imperatoribus Græcis erepta, Romanis Pontificibus cessit: & Longobardorum regnum annis ducentis validum, Francorum demum armis succubuit. Nec etiam Gallia ipsa mutationum expers: quidquid enim à Pyrenæis jugis ad Rhodanum usque maritimi soli est, id à Mauris occupatum; sævitumque persæpe ab illis igne & ferro in finitimas regiones: quin abjecto Childerico Merovingici generis postremo Francorum Rege, ad Majores domus devolutum est regium nomen, quod eis solum deerat; nam regia potestate jamdudum gerebant omnia. Pippinus alterius familiæ caput rebus fortiter gestis & populi studio Solium conscendit: illudque postea Carolus ejus filius re & cognomine Magnus Imperatoria dignitate extulit, Germaniæ provinciis plerisque subactis.

In tanto rerum turbine quam afflicta publica res fuerit docent nos, inquit Mabillonius, qualiacumque monumenta, maxime historica, quæ veluti quibusdam pannosæ imperitiæ centonibus à se divulsis constant: ex hoc autorum sordidorum numero ex-

cupiendos monet Mabillonius viros pro illa ætate summos, Bedam Venerabilem, Paullum Warnefridum, Ambrosium Autepertum, Albinum seu Alcuinum Flaccum, aliosque non paucos. Carolo imperante debitus Musis honos restitui cœpit, redutque avita celebritas, paullo post Normannorum tempestate rursus infeliciter violata.

Postquam Mabillonius Christianæ, ac Monasticæ Reipublicæ faciem sic exposuit indicavitque, cura imprimis Summorum Pontificum Gregorii junioris, Gregorii item tertii, & Zachariæ restauratum per Petronacem fuisse Casinense Cœnobium Longobardorum furore dudum solo æquatum; fusius subinde explicat; tum schisma Scotorum occasione Paschatis & Tonsuræ exortum, ac per Benedictinos sublatum; tum Germanorum ad fidem accessionem; tum Ecclesias cathedrales, & litterarum Academias in Germania institutas, cultumque Germanici soli per nostros. Iis succedunt observationes nonnullæ ecclesiasticæ, monasticæ simul & historicæ, de decreto videlicet celebrandæ Missæ, quotidianæ in Ticinensi Synodo edito: de Pane Sacrificii, qui non erat panis cibarius & usitatus, sed formulæ quædam instar oblatarum, quibus modo in Sacris utimur, ex quibus aliæ ad Sacrum, aliæ ad communem usum adhibebantur: de Eulogiis, deque pecuniarum pro Missis eleemosyna, quo tempore & qua ratione introducta: de Pane azymo, ac prædiorum donatione pro materia Sacrificii: de Communione laicorum sub utraque specie, atque Eucharistia manu accepta: de Altaribus mobilibus, editis, & cavis: de Sacerdotum, Monachorum & Sanctimonialium confessionibus, deque illa potissimum, quæ Confirmationi, peregrinationi, vitæ monasticæ ineundæ, militumque initiationi, ac pugnis præmitti olim solebat: de pœnitentia publica, ac Societatibus pro Suffragiis de Reliquiis super altare exponi solitis: de Romano Ritu; deque organis in Ecclesiam Gallicanam primum invectis: de Abbatibus diaconis, ac sæcularibus, de interdicto denique fœminis ingressu in Monachorum Ecclesias.

Pars altera Præfationis secundi sæculi Benedictini.

In altera præfationis parte, subjectis quibusdam quoque observationibus de Childerici regni tempore, deque Dagoberti filiis, de Chilperico, nec non Theoderici regni initio, ac Dagoberti Secundi restitutione, aliisque rebus historicis, monachos illos vindicat, Ordinique Benedictino adserit, qui sexto septimoque sæculo floruere, contra eruditissimum Carolum Cointium Oratorii Presbyterum, Francorumque Annalium parentem, qui eos pene omnes ipsi detractos volebat.

Præfatio in sæculi quartum Benedictinum.

Præfationem hanc in sæculum Ordinis nostri quartum, Ecclesiæ vero nonum nonparum commendant quam plurima eaque egregia ecclesiasticæ historiæ capita: in ea namque post descriptum haud ineleganter Europæ simul & Ecclesiæ statum; Galliarum sub Carolo cognomento Magno, sed animi rerumque gestarum præstantia sane maximo, amplitudinem & majestatem; erecta ab eo regali plane munificentia, & auritate Templa, Episcopatus, & Monasteria; restauratam denique opera Benedicti Anianæ Abbatis collapsam regularis disciplinæ observantiam: mox de gravibus, quæ ea tempestate Ecclesiam perturbarunt, controversiis mirum in modum edisserit, & primo quidem de hæresi Feliciana, seu adoptivorum, quæ Felicem Urgelitanæ sedis Episcopum auctorem habuit, quæve Narbonæ primum, tum Francofurti ad Mœnum biennio post, subinde in Synodo Urgelitana, cui Benedictus Anianensis Abbas à Carlomanno legatus interfuit, ac demum in Synodo Aquisgranensi, ubi ab Alcuino confutata est, damnata legitur. 2. Agit de Symboli additamento, nempe *Filioque*, à Gallis primum facto; cujus occasione exorta quæstio est de processione Spiritus Sancti, ac ventilata, modo in Synodo Gentiliacensi, modo in Collatione Romæ sub Leone Pontifice habita, cui Adalhardus veteris Corbeiæ Archimandrita jussu Carlomanni interfuit. 3. De Sacrarum imaginum cultu, de quo gravis ac diuturna orientales inter & occidentales Ecclesias contentio intercessit: cujus rei argumentum, ut fuse, ita erudite ac luculenter prorsus illustrat Mabillonius.

Hanc de imaginum cultu concertationem excipit altera de prima regularis disciplinæ in Ordine nostro remissione, deque ejusdem restauratione per Benedictum Anianensem: quam restaurationem, haud primariam (ut quibusdam visum est) regulæ Benedictinæ propagationem in omnia Galliarum Cœnobia, invicte demonstrat: contenditque regulam Sancti Benedicti ante sæculum octavum ubique Galliarum fuisse receptam: quod ut facilius exequatur; & quibuslibet adversariorum objectionibus effugiisque aditum præcludat; multis, iisque validis argumentis probat neque Benedictum Anianensem, aut Ludovicum Augustum, neque Carolum Magnum, aut Pippinum Regem, Carlomannumque ejus fratrem generalis Benedictinæ regulæ propagationis auctores, sed ejusdem potius observantiæ restauratores fuisse. Id argumenti aliud haud contemnendum sequitur de Benedictinis Scholis sæculo nono celebrioribus: ex quibus aliæ Parisienses, quarum initia majoribus nostris nonnulli accepta referunt: aliæ Palatinæ in palatio Caroli Magni, quæ à clarissimo Alcuino nostro aut institutæ aut excultæ memorantur; in quibus pueri nobiles ac monasteriales litteras docebantur. Inter Palatinarum scholarum rectores, non sine laude nominatur Alcuinus proxime laudatus, moderatorum omnium doctrina perinde ac pietate facile princeps: quem subinde excepere viri clarissimi Scottus, Amalarius Diaconus, Thomas, ad quem hoc nomine Walafridus Strabus carmen edidit, Remigius Cœnobii Sancti Germani apud Autisiodorum monachus, Joannes denique Scottus, qui in Palatio quoque Caroli Calvi scholas instituit, discipulumque inter alios habuit Uribaldum postea Episcopum Antisiodorensem. Præcipua subinde Cœnobia studiis litterarum sæculo nono insigniora cum Trithemio nostro enumerat, Fuldense, Sangallense, Augiense, Hersfeldense, Hirsaugiense, Sancti Albani Moguntinense, Corbeiense, Prumiense, Mediolanense, Sandionysianum, Parisiense, S. Maximini Trevirense, Stabulense, & Weissenburgense, Remense, Antisiodorense, Turonense; quibus adjunguntur Anianense, Floriacense, Sangermanense, Ferrariense, Gorziense, Insulæ barbaræ, Sancti Michaelis Virodunense, Fontanellense, Sithiense; apud Italos denique Cassinense, Ticinense, & alia bene multa, quibus viri omnigena eruditione perinde ac pietate conspicui diversis temporibus floruere, variasque docuere scientias.

Pars altera præfationis quarti sæculi Benedictini.

Alteram præfationis hujus partem haud minoris pretii momentique faciunt, illustratæ in ea Eucharisticæ sæculi noni controversiæ ex libro Paschasii Radberti de Eucharistia exortæ, Gotescalci fortuna, & turbæ ab eo excitatæ, modus præterea, quo Christus Dominus e Virgine processit, librique ea de re ultro citroque conscripti. Funestum denique Græcorum dissidium, eorumque, auctore Photio, in Latinos objecta, quæ nulli non comperta atque explorata arbitror. His succedit tractatio de conversione Septentrionalium populorum ad fidem facta per nostros, maxime per Anscharium ejusque Socios: veterum subinde Martyrologiorum Scriptores Benedictinos memorat, qui Monachorum ac Virginum Sanctitate illustrium nomina fastosque posteris com-

mendarunt : quos inter claruere in primis Venerabilis Beda, Vandelbertus Prumiensis Cœnobii Monachus, qui metricum Martyrologium Bedæ olim perperam adscriptum concinnavit ; Rabanus ex Fuldensi Monacho & Abbate Moguntinus Episcopus ; Usuardus, Notkerus Santigallensis monachus ; quibus adjungendus occurrit Nevelo Corbeiensis Monachus, qui sub finem sæculi undecimi Adonis Martyrologium sive ab se, sive ab alio contractum aliquot Sanctorum nominibus auxit, quale habetur in Bibliotheca Corbeiensi. Mitto compendii causa, quæ de more à Mabillonio subjiciuntur, observationes Ecclesiasticas, monasticas, & historicas ; in iis enim pluribus auctorum testimoniis assertam, cultusque Summis Pontificibus datam legas probandorum, ac repellendorum Scriptorum omnium specialem auctoritatem : ibi diversam Summorum Pontificum & Episcoporum Mitrarum formam, quarum usus non omnibus, nec singulis communis fuisse traditur : ibi balneum ante communionem reverentiæ causa olim adhiberi solitum, ac Baptismum per superinfusionem collatum : ibi Abbatum in rebus sacris potestatem : ibi denique monasticum habitum ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliisque viris sæcularibus in extremis versantibus susceptum discas.

Præfatio in sæculum quintum Benedictinum Ecclesiæ vero decimum.

In hac præfatione, qualis fuerit sæculo Ordinis nostri quinto, Ecclesiæ autem decimo, omnium pene Ecclesiarum horrenda facies, luculenter justà ac eleganter describit Mabillonius. Cave tamen lector, quidpiam inserentis ac omnia prospicientis Dei Sapientia indignum suspiceris ; credasque in illis funestis tempestatibus Ecclesiam suam, quæ nullis adversitatum fluctibus mergi unquam potest, ita eum deseruisse, ut boni aliqui malis permixti non fuerint. Quippe non eadem nec eodem loco stant vitia ; sed mobilia, & inter se se distantia tumultuantur : se propellunt invicem, atque oppugnant, & quidem in sæculo decimo grassabantur crudelitas, ambitio, luxuria, ignorantia : sed quemadmodum tot fluvii, atque imbres, tanta medicatorum vis fontium, maris saporem non modo non corrumpunt, sed ne remittunt quidem ; ita nec scelerum labes, nec adversarum impetus rerum, Ecclesiæ statum ullo modo labefactant. Fuere quidem in hoc sæculo tyranni, raptores, incesti, sacrilegi, proditores, rudes denique & imperiti homines ; sed viri quoque non defuere, qui incorruptam Christi cum bonis moribus doctrinam posteritati transmisere. Porrò ut res Ecclesiastica, ita Monastica iis temporibus pessimo loco erat : in deteriusque abiisset, nisi labenti ac penitùs decidenti manum supposuisset adjutricem, subindeque restauratam longè lateque per Gallias propagasset haud satis umquam laudandus Odo Congregationis Cluniacensis institutor, totiusque Benedictinæ Reipublicæ splendidissimum sydus, decus, & ornamentum. Præfationem hanc de more claudit Mabillonius nonnullis cum ecclesiasticis, tum monasticis atque historicis observationibus.

In his porrò, perinde ac in cæteris operibus, mirum in modum elucet ingenuus ille candor animi studiumque veritatis, quo heterodoxorum, non tantum catholicorum, quos interdum impugnare coactus est, sibi demeruit animos ; ac reverentiam conciliavit. Inter Catholicos memorare in primis juvat clarissimos Socios Bollandianos, ac nominatissimum Carolum Cointium ; qui cum tam amabili, tamque singulari eruditione instructo adversario se concertasse, sæpe sibi gratulati sunt ; ob id maximè quod nihil ipsi aut caritate priùs, aut candidiùs veritate fuisse non uno in loco nec semel experti essent.

XVIII. Enituit in primis Mabillonii moderatio in eos, quos in adornandis Sanctorum Ordinis actis expertus est adversarios. Ii enimvero nimio Benedictinæ gloriæ studio abrepti, zeloque ducti haud satis provido, eum apud majores nostros ut proditæ religionis, ac violati Sanctorum nostrorum Canonis reum vocarunt : propterea quod sanctos monachos quamplures in extraneorum classem rejecisset ; typisque minoribus edi curasset eorum acta, quos in domesticorum ac sodalium numero Scriptores nostri hactenùs habuerant : ex adverso nonnulli alterius partis homines causabantur, quòd historiam nostram actis Sanctorum subdititiorum onerasset. Verum quodcumque utrobique videbatur incommodi tantum abest, ut instituti methodum ac rationem convellerit, aut attigerit ; quin potiùs illustrando consilio suo plurimum id conferre luculenter demonstravit. *Nihil*, inquit, *convenientius aut accommodatiùs videtur potuisse inveniri ad utriusque partis conciliationem, quam si Sanctos dubios, & extraneos, quos tamen nonnulli e nostris omninò proprios, extraneos nonnulli omninò existimarunt, retineremus quidem, sed minoribus characteribus designaremus. Sic enim utrorumque votis fit satis, dum & illi habent acta, quæ legant ; hi verò distinctos habent quos eliminent, si velint.* Nec melius sanè alumni Benedictini, qui Patris ac Ordinis legitima decora propugnare debet, vel historici sinceri & veritatis amantis partes explere poterat. Movit illum nihilominùs adversariorum querela, eo sanè molestius, quod nihil hac in re susceperat, aut scripserat inconsultis majoribus : Ordinemque sibi longè charissimum tanto præ cæteris pluris æstimabat, quanto præ illis melius noverat, quæ illum verè ac legitimè commendarent. Scriptis interim consilium suum propugnare coactus, censorum objectiones ut validis, ita eruditis responsionibus confutavit, strenueque, ut par erat, causam ipse vindicavit suam : subinde vero explicatis argumentis à Martyrologio Benedictino, atque virorum illustrium Scriptore Trithemio petitis, quin etiam rejectis amicorum in ea contentione consiliis, eos minimè audiendos ostendit, qui in hac Sanctorum Ordinis collectione non tam accurati criterii, quo vera à falsis discernuntur, quam pietatis, cujus causa suscepta fuerat, habendam esse rationem ; nec tam disceptanda, quam referenda Ordinis decora ; uno verbo si quid rejiciendum, id certe domesticos dedecere contendebant.

Adversa moderate sustinet.

XIX. Ejus veritatis studium.

Hoc specioso rationum obtentu permotis non parum Præpositis, ne vel minimum quidem motus Mabillonius est : nec flecti unquam potuit animus veri tenax, ut quidquam scriberet à veritate & sinceritate præcipuis historici dotibus alienum. *Ut æquitatis amor*, aiebat ille in Apologia MS. *prima judicis dos est, sic & rerum ante actarum sincera & accurata investigatio historici munus esse debet. Judex persona publica est ad suum cuique tribuendum constituta ; ejus judicio stant omnes in rebus, de quibus fert sententiam : maximi proinde criminis reum se facit, si pro virili sua parte jus suum unicuique non reddat. Idem historici munus est, qui & ipse persona publica est, cujus fidei committitur examen rerum ab antiquis gestarum. Cum enim omnibus non liceat eas per se investigare ; sententiam ejus sequuntur plerique : quos proinde fallit, nisi æquam ferre conetur ; nec satis est tamen, verum ut amet, & investiget, nisi ei insit animi candor, quo ingenuè & apertè dicat quod verum esse novit. Mentiri si Christianis omnibus, multo magis religiosam vitam professis nulla unquam ratione licet ; longeque minus, cum mendacium multis exitiale est, ac perniciosum. Fieri vero non potest, quin historici mendacia vertant in perniciem multorum, qui verbis ejus fidem*

admittentes

adhibentes decipiuntur, dum errorem pro veritate amplectuntur: non levis proinde ejus culpa fuerit, qui tot alios secum in errorem trahit. Debet ergo, si candidus sit, procul ab omni studio partium certa ut certa, falsa ut falsa, dubia ut dubia tradere; neque dissimulare, quæ utrique parti favere aut adversari possunt, non debet à veritate sejungi pietas; neque hæc, si vera ac sincera sit, veritati umquam adversatur. Iniquè igitur agerem, si falsa ut vera, dubia ut certa proponerem Ordinis decora: siquidem id repugnat veritati; cujus patres Monachi, utpote Christo, qui veritas est, sectatores, sequi debent: tum religiosæ sinceritati, quam à nobis potissimum requirunt viri seculares: tum humilitati ac modestiæ; quæ viros maximè decet religiosos, neque enim, nisi fovendæ vanitati conferre potest, aliena virtutis, aut mutuati splendoris ostentatio; tum denique quia id Ordini nocet quamplurimum; pessimamque de illo ingerit adversariis opinionem, nihil enim æque de historici fide detrahit, ac si vera pro falsis, aut saltem incerta pro certis nimio partium studio asseruntur, ubi quippe vel semel veritati defuisse quis convincitur, inde certa quæque rejiciendi, aut saltem de illis suspicandi adversariis ansam præbet. Fracta, *inquit Augustinus*, vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt.

Aug. lib. de mend. c. 10.

In alio quoque loco non minus valide illorum refellit opinionem, qui vindicandæ Ordinis gloriæ studio ducti cuncta sibi licere arbitrantur. *Persuasum*, aiebat ille, *semper habui Christianam pietatem ac religiosam modestiam non minus violare Monachos, dum falsa aut vana Ordini suo adscribunt, quam privatum quemlibet, dum indebita sibi arrogat, neque enim valet, quæ adducitur adserendæ Ordinis gloriæ ratio: hac quippe non tam Ordinis communiter faves, quam privatæ cujusque cupiditati, à qua me, pluribus licet obnoxium vitiis, magnopere semper abhorruisse profiteor.* Hæc de veritate, cui, dum vixit, sanctè jugiterque adhæsit, sentiebat Mabillonius. Quantum porro esset, quo flagrabat, veritatis studium, vel in extremo vitæ discrimine testatum fecit; cum me aliquantulum turbatum advertens ob aliquem videlicet, qui in nonnulla operum suorum loca irrepserat, errorem, mox sine mora emendatum voluit, neque enim vel minimum vacillandum putabat vir veri amantissimus, cum quidpiam aut sincere referendum, aut ingenue castigandum occurrebat, tantumque aberat, ut arguentes se male exciperet, ut potius ceu de accepto beneficio gratum se illis ac memorem exhiberet, quia in re quos noverat peritiores ac doctiores amicos non solum invitasse, sed etiam coegisse satis superque docent nonnulla, quæ in ultimo Annalium volumine de illorum consilio in appendice emendata leguntur.

XX. Mabillonii partes tuentur Præpositi.

Cæterum quamvis ista concertatio non parum ipsi molestiæ, atque ob documenta, quæ in sui vindicias proferre coactus est, laboris attulerit plurimum: utrumque tamen non leviter temperarunt, quos patronos causæque suæ strenuos defensores expertus est, non sodales modo doctrina ac pietate magis conspicui, sed ipsi quoque Præpositi Generales; quorum gratia ac patrocinio nec ad vindictam, nec ad sui jactantiam uti umquam voluit; vicisse, ac propositum suum vindicasse contentus: quodque mirandum sane est, ejus rogatu publici juris facta, quæ adversus ipsum concinnata fuerat, dissertatione, nulla exinde sociis in censores amicitiæ & existimationis argumenta non dedit. Mabillonii porro consilium, ejusque vindicias postmodum probavere Litterati quique; in primis vero doctissimus juxta ac Religiosissimus Cardinalis Bona. Is enim auditis non sine quadam animi molestia delatis in Mabillonium querelis, id in ejus gratiam operisque laudem testatum omnibus voluit; se nempe diligenter perlectis Sanctorum actis, nihil nisi sapienter excogitatum, solerter dispositum, appositeque distributum in notis sive historicis, sive chronologicis, ac dogmaticis observasse, Mabilloniumque non vulgari laude dignum judicavit, quod proprios ac germanos Ordinis Sanctos à dubiis & adscriptitiis scite adeo distinxisset. Præclarum hoc tanti viri suffragium, seu potius magni momenti testimonium, litteris quoque suis confirmare dignatus, qui Christianam hodie Rempublicam sapientissime moderatur Clemens XI. Pontifex Maximus, litterarum patronus, ac litteratorum, si quis alius, longe peritissimus æstimator .... *Ubi*, inquit, *aliunde nobis non innotesceret, quam vigeat, benedicente Domino, in Congregatione Sancti Mauri pietatis cultus, & sacræ eruditionis studium; satis perspectum fieret ex opere per nonnullos ejusdem Congregationis monachos singulari sane diligentia elucubrato, nuperque typis & quidem affabre excuso .... Constat enim vel ipso intuitu, quam ingenti cura acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quæ in eo recensentur, fuerint ex antiquis monumentis conquisita; quam etiam piè ac diserte fuerint explicata; ac propterea quantam in Domino laudem ejusdem operis auctores sibi conciliaverint. Cum itaque Pontificiam benevolentiam peculiariter demeruisse, ii merito confidere possint, qui ornamenta præfato Ordini de Ecclesia tam praeclare merito quærunt, & vera virtutis exempla Christianæ perfectionis sectatoribus proponunt; gratum illud nobis vehementer accidisse tibi persuadere, ac ea omnia tibi polliceri poterit, quæ ad ejusdem Congregationis, atque ipsius commodum pertinere intelliges.* Hactenus prælaudatus Pontifex.

Acta SS. Ordinis plurimum laudat Cardinalis Bona.

Eadem Acta, Summo Pontifici Clem. XI. probantur. Litteræ in forma Brevis Clement. XI. Præfecto Generali directæ vi. Junii ann. 1701.

XXI. Dissertationē edit de pane azymo & fermentato.

Cum Mabillonii præfationem in primam partem tomi tertii actorum (in qua inter cætera dissenerat de materia Sacrificii Eucharistici; probaveratque contra Sirmundum, perpetuum fuisse solius azymi panis in Ecclesia latina usum; nec à tempore Photii adhiberi cœptum) legisset Eminentissimus Cardinalis Bona; suamque de panis azymi & fermentati usu, quem promiscuum, & indifferentem fuisse ante Photii schisma contendebat, sententiam oblique saltem impugnatam vidisset: scripta ad Mabillonium epistola, non gravatus est promere quid sentiret de argumentis ab eo propositis; quibus etiam responsiones suas cum eximia dignatione reposuit, subindeque submisso Eldephonsi Hispaniensis Episcopi opusculo, quod eatenus ignorarat Mabillonius, auctoritatem in eo suam interposuit, quo totum azymi argumentum novis commentatus explanaret; accuratius & enucleatius pertractaret; residuosque scrupulos excuteret. Votis libenter annuit; moxque adornatam atque anno MDCLXXIV. publici juris factam de pane Eucharistico disquisitionem laudato Cardinali nuncupavit. In ea resumpto toto argumento, difficultates longe uberius expendit; sententiam suam novis rationibus & auctoritatibus communivit; rem demum ut erudite sic luculenter more suo tractavit: ostenditque in primis, ut non ita pridem annotavit vir doctrina perinde ac pietate conspicuus, quantum foret veri sincerique amans Mabillonius, atque ab assentandi magnatum animis longe alienus. Qua de re Mabillonio, cujus probe noverat morum animique candorem, gratulatus non semel est candidissimus ipse Cardinalis: (neque enim erat ex eo genere hominum, quibus id unum sapit quod sentiunt) atque inde profecto nata mutua eaque religiosissima utriusque consuetudo; inde reciproca cujusque operum communicatio; inde demum jucundissimum

atque ad mortem usque assiduum, quod indagandæ aut illustrandæ veritatis studio simul inierant, litterarum commercium.

XXII. Quanta litteratorum in eum existimatio.

Nonnullis post evulgatam de pane Eucharistico dissertationem interjectis annis, Norisius Augustinianæ Familiæ alumnus, præstantis ingenii vir, ac præclari in tota Republica litteraria nominis, quique non ita post ab Innocent. XII. Pontifice Maximo Sacra Purpura insigniri meruit, suum ann. MDCLXXXI. sub *Augustini Fosses* nomine elucubratum opus Mabillonio nuncupatum voluit. Pari quoque honore eum non ita post dignatus est spectatæ apud omnes doctrinæ & pietatis Thomasius Clericorum Regularium Sodalium Presbyter, incredibili bonorum omnium plausu ac gratulatione renunciatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, nec minori omnium mœrore, totiusque Reipublicæ cum Ecclesiasticæ, tum Litterariæ jactura nupertime nobis ereptus, cum suum ipsi de Theologicis veterum Patrum Institutionibus indiculum Romæ ann. MDCCI. editum inscripsit. Quid memorem Eminentissimum totiusque Benedictinæ Familiæ decus & ornamentum Josephum Aguirreum, qui illum & versibus exornare, suamque Hispaniæ, & Americæ Conciliorum collectionem ad eum in Gallias transmittere, atque illi hoc pacto gratificari non est dedignatus? Quid virum inter Germaniæ litteratos eruditissimum, qui suum Argentinæ ann. MDCXCVI. impressum opus eidem Mabillonio dedicavit? Cæteros, eosque sane non exiguos taceo, quos variis in locis à Germanis, Hispanis, Italis, & Gallis accepit, sed pro innata sibi modestia hominum notitiæ subducere studuit delatos sibi honores. Nulli enimvero ignotum arbitror, apud inclytæ mem. Alexandrum VIII. Pontificem Maximum, de Sodalitio S. Mauri præclare meritum, fuisse Mabillonium in magno pretio: sed pauci norunt, voluisse Pontificem de rebus ab eo litterariis assidue per epistulas erudiri; atque ut ejus modestiæ, qua id certe muneris refugisset, aliqua ratione consuleret, præcipuum curæ suæ administrum, qui suas hac in re vices ageret, delegisse. Idipsum insuper cum Ferdinando de Furstemberg Padebornensi simul & Monasteriensi Antistite epistolarum commercium habuisse, opera Patris Oversham alumni Benedictini, nulli quoque adhuc compertum putaverim. Eum doctissimus ille princeps, ac eruditi quique suis interdum operibus non solum litteris cohonestabant. Cæterum ab ignotis, longeque ab eo positis litteras accipere, adeo ipsi novum non erat, ut pene esset quotidianum: à Principibus, Episcopis, Abbatibus veniebat undequaque litteræ; illum Galli, illum Itali, Germani, Scoti, Angli, Batavi, Helvetii, Hungari, quinetiam clarissimi Hispaniarum Præsules litteris dignabantur suis: ex iis Indiarum Patriarcha ut sibi res mitteret litterarias, non semel precibus invitavit: *Litteras mitte*, rogabat Hispanus Episcopus, doctrina conspicuus, *mitte ut oblectet; idque mihi, quæso, ob grassantia bella. Gallia libris destituto solatia tribue.* Tacitus insuper mittu assiduam, quam multis ante obitum annis necessitudinem inierat cum eruditis Parisiensibus, aliisque omnium pene Europæ gentium præstantissimis viris; quorum per epistolas de rebus cum eo litterariis agere, non mediocris oblectatio erat. Hos ipse consulebat viros doctissimos; & ab iis vicissim ea fiducia consulebatur, ut, quidquid in re potissimum antiquaria probatum ipsi fuisset, mox publica luce dignum existimarent: & quidem ea erat apud omnes Mabillonii fama, ut quotquot in aliqua disciplina nomen comparaverant aut comparare sibi cupiebant, ad eum undequaque confluerent. Ex iis Herovallius, Bigotius, Cangius, Faurus, Baluzius, Herbelotius, Renodotius, aliique cum superioris, tum ævi quoque nostri spectatissimi viri: quin etiam Præsules clarissimi in Sangermanense Cœnobium crebro conveniebant, de propriis, ac etiam alienis recens editis operibus simul cum eo sermonem habituri.

Varia opera Mabillonio nuncupata.

Principum & eruditorum litteris dignatur.

XXIII. Analecta publici juris facit.

Cum adornandis Sanctorum nostrorum actis animum intenderet, eoque consilio Galliarum Belgique Bibliothecas diligentissime perlustraret Mabillonius; multa eaque ad rem litterariam, nedum monasticam peropportuna, forulos excutienti occurrerunt veterum Scriptorum monumenta: ex quibus ea, quæ rerum antiquarum illustrationi profutura visa sunt, accurate selecta, subindeque quatuor in octavo tomis miro delectu collecta sub Veterum Analectorum titulo in lucem emisit: quo quidem nomine non antiquorum modo operum fragmenta, quæ decessorum curam ac diligentiam fugerant, sed plurima quoque haud exigui pretii monumenta, quæ ad sacra religionis mysteria spectant, intelligenda veniunt. Talia in primis sunt nonnulla Patrum, veterumque auctorum opera, instrumenta publica, opuscula Theologica, fragmenta Conciliorum, Chronica, fundationes Ecclesiarum ac Monasteriorum, epistolæ Imperatorum, Regum, Summorum Pontificum, & Episcoporum, inscriptiones, acta, nascentis Gallicani imperii formulæ, & alia id genus religioni & historiæ perutilia documenta, quibus pretium ac lucem afferunt collectoris notæ, & observationes, nonnullæ præterea disquisitiones in aliqua historiæ capita obscura ante, nec satis accurate discussa, cujusmodi sunt, nonnulla Venerabilis Bedæ simul & Flori commentaria, fidei confessio Alcuino adscripta, iterati peccatorum lapsus, celebris Berengarii pœnitentia, quæque in Monasteriis fieri solebant puerorum oblationes. Accedunt insuper aliæ dissertationes, ex quibus nonnullæ sejunctim editæ sunt, qualis ea est, quæ Hadriano Valesio inscripta legitur de Gregorii Magni monachatu, quam duæ aliæ excipiunt Domino Abbati Galesio nuncupatæ: in quarum altera de Dagoberti primi, & Clodovæi Secundi Galliæ Regum epochis, in altera vero de Sancti Desiderii Cadurcensis Episcopi obitu edisserit. Primus autem horum Analectorum tomus ann. MDCLXXV. in lucem prodiit; huncque subinde excepere reliqui, quibus plura alia in scriniis Mabillonii reperta ejusmodi monumenta, addi suo tempore poterunt.

XXIV. Celebratæ opus de re diplomatica.

Præ cæteris porro, iisque præclaris operibus, Mabillonii nomen toto litterario orbe commendavit, illustravitque sane plurimum celebris nullique non probata elucubratio de re Diplomatica. Siquidem subiit eruditorum animos stupor, quod ad artem ac præcepta tam scite feliciterque redigere potuerit, nullis ad eam diem regulis, ac legibus subjectum argumentum. Rei diplomaticæ notitia intimis Archiviorum recessibus catenus conclusa tenebatur, nec è tenebris emergere valebat, nullo manum porrigente: vetus etsi ac vulgaris foret ejus professio, utpote quam omnes sectantur homines forenses, & historici, docti pariter & indocti; jacebat tamen illa inculta, sine regulis, sine legibus, præter eas quas pro suo quisque captu ac ingenio confingebat. Hinc nata confusio ingens, falsa plerumque judicia de veris instrumentis, inanes passim conjecturæ de falsis, Sanctorum diplomatum reverentia vix ulla, nulla pene autoritas, nisi apud æquiores & magis eruditos, qui animum à morosis pseudocriticorum præjudiciis repurgatum habebant. Hanc indigne ferens Mabillonius rei litterariæ plagam tentavit remedium, & quidem opportunum: opem ferre constituit, Archivis præsertim Gallicanis, quibus maxime clades hæc imminebat. In hunc campum aleæ plenum descendit, ut desertam illam ac propemo-

Rei diplomaticæ dignitas, & utilitas.

dum neglectam rei litterariæ partem pro modulo illustraret, rei diplomaticæ ad ferret lucem aliquam, suam restitueret Sacris Summorum Pontificum reverentiam, ac præcipue Regum nostrorum diplomatibus auctoritatem postliminio vindicaret. Hoc igitur in opere veterum Francorum Regum eruuntur, illustrantur, vindicantur diplomata, elucent pia illorum gesta, exprimuntur imagines, itinera, stationes, sigilla, annuli, formulæ, subscriptiones, ac subscriptionum testes, anni denique principatus studiose explicantur, probatur non Pontificiorum modo ac Regiorum diplomatum, sed Monasticorum quoque cum diplomate privilegiorum antiquitas, indicantur varia Scripturarum veterum genera, diversi generis atramenta, variæ denique ad scribendum olim adhibitæ materiæ, quæ omnia quantum ad illustrandam Regum nostrorum historiam conferant, nemo non intelligit: propterea quasdam regulas legesque proposuit non pro suo arbitrio confictas, sed ex variis diplomatum formulis erutas pro temporum varietate, ut in veris distinguendis à falsis, deinceps juventur studiosi; quod ut clarius intelligant, veterum exposuit cujusque sæculi Scripturarum in æs incisa specimina; quibus accedit veterum multorum diplomatum selecta collectio, ac quod scitu dignum est, egregium de antiquis Regum nostrorum palatiis commentarium. In hoc demum opere unde curiositati simul & eruditioni fiat satis, unde optima quæque discantur, abunde reperiri profitentur periti quique Antiquarii. Idipsum uno ore testati sunt litterati omnes, ac ii potissimum, qui concinnandis Parisiensibus ephemeridibus præficiuntur; siquidem breviter memoratis cujusdam in hoc opus adversarii objectionibus, una cum Mabillonii responsis, sic in laudem effantur diplomatici operis. *In eo*, inquiunt, *difficilioribus ac morosioribus criticorum animis mirum in modum facit satis Mabillonius; omnibus respondet, argumenta omnia dilucidat, leviora quæque solvit, obscuriora illustrat; ejusque responsa non vanis conjecturis, aut ratiociniis vagis, sed factis potissimum historicis innituntur, validisque confirmantur ex rei visceribus deductis argumentis.* Sub hæc explicatis quæ in posteriori laudati operis parte continentur, illa subjiciunt. *De his omnibus miro ordine nec minori perspicuitate edisserit, ea eruditis passim observationibus illustrat, sepultam scribendi artem suscitat, restituit obliteratas litteras, revocat antiquos apices, vera audacter asserit, dubia dubie proponit, ubique demum lucet autoris sinceritas, ejusque studium veritatis.*

Huic tam præclaro edendo operi non parum contulit assiduum quod elaborandæ Ordinis historiæ studium impendit Mabillonius. Cum enim hujus causa rimandis forulis, Archiviis scrutandis, revolvendisque chartis ac diplomatibus totus assidue versaretur; tantam ex earum rerum usu ac studio prope singulari, potissimum vero ex innata animi sagacitate, peritiam assecutus est, ut omnium in se moverit litteratorum admirationem, nedum universalem ubique applausum.

XXV. Prima rei diplomaticæ editio.

Ann. 1681. publici juris facta est prima eximii hujus operis editio; jamque sub vitæ finem alteram prælo maturam, multisque locupletam diplomatum ac rerum accessionibus paraverat, præter ejusdem operis supplementum ann. 1704. evulgatum, de quo nobis mox occurret sermo. Hæc autem propria ac propemodum singularis diplomatici operis laus est;

Ab omnibus laudatur, ab uno solum impugnatur.

quod cum unicum adversarium post sex & viginti ab editione annos invenerit, nullus præterea extitit, qui debitas ei laudes, aut existimationem denegaverit. Et quidem si quis adversarii objectiones mature

Analect.

ac diligenter expendere non gravetur, eas in eo omnes satis superque enodatas, ac solutas fuisse non diffitebitur. Quare Mabillonius, ut erat pacis amantissimus, objecta in rem diplomaticam argumenta, peritorum permittere judicio, quam controversias quæ illum ab utilioribus studiis revocassent, inire, longe satius duxit. Unus hac in re audiendus præ aliis videtur doctissimus Daniel Papebrochius, qui tam egregio, numerisque omnibus absoluto operi occasionem præbuisse non semel sibi gratulatus, suam ea de re ad Mabillonium epistolam publici juris fieri voluit. *Initio quidem lectionis*, fateor, inquit, *paturbar humanum aliquid; sed mox ita me rapuit ex utilissimo solidissimeque tractato argumento proveniens oblectatio, & gratus emicantis veritatis fulgor, cum admiratione tot rerum hactenus ignotarum, ut continere me non potuerim, quin repertis boni participem statim facerem socium meum Patrem Baertium. Tu porro; quoties res tulerit, audacter testare quam totus in tuam sententiam iverim; meque ut facis perge diligere, qui quod doctus non sim, doceri saltem cupio.* Hactenus vir modestia perinde ac eruditione insignis. Ab hoc iterum opere impugnando haud

Iterum impugnatur opus de re diplomatica.

censorem deterruit tanti viri testimonium, atque adeo elogium. Verum Mabillonius, unum ipsi oppositum voluit ejusdem operis supplementum, novæ quam parabat rei diplomaticæ editioni adjungendum, ratus, nec quidem immerito, quaslibet in eo difficultates, quæ lectorem etiam hac in re apprime versatum remorari possent, abunde satis explanatum iri. Supplementum illud non ita post excepere eruditæ admodum vindiciæ, quas in gratiam Mabillonii ejusque diplomatici operis defensionem adornavit, ac SS. D. N. Clem. XI. nuncupavit clarus inter litteratos Justus Abbas Fontaninus, tunc in Archigymnasio Romano publicus eloquentiæ professor, nunc vero ob præclara in Ecclesiam ac Sedem Apostolicam merita, inter laudati Pontificis Cubicularios ab honore adlectus. Ad hoc egregium opus non multo post accesserunt epistolæ duæ in idem argumentum: altera est *Domini Lazzarini ex nobilibus de Murro ad amicum Parisiensem pro vindiciis antiquorum diplomatum Justi Fontanini Forojuliensis, Romæ MDCCVI.* altera est *M. Ant. Gatti ad V. C. Jacobum Bernardum, Amstelodami MDCCVII.* Item *Defensio* D. Lazzarini, & alia jam nota. Variis hinc, atque hinc ea de re concertationibus pacis, ac Christianæ potissimum studio caritatis haud ingerere se voluit Mabillonius, neque enim quidquam, inquiebat, nisi odia, iramque non ingrata convicia ut plurimum generare solent hujusmodi contentiones.

XXVI. Ejus à rerum cupiditate alienus animus.

Ceterum, diplomatici operis (quod omnium eruditorum judicio inter præclarissima ævi nostri opera jure reponitur; quodque auctoris nomen, ingeniique sagacitatem æternitati commendabit) præstantiam ac dignitatem confestim præ aliis novit Clarissimus (cui nuncupatum fuerat) D. Johannes Baptista Colbert generalis ærarii moderator, summusque Regiorum ædificiorum Præfectus; qui non ita pridem tractandis gravissimis pro Rege negotiis Mabillonii operam adhibuerat. Is, ut erat ad Regni decus promovendis bonis artibus & disciplinis, ac præmiis in viros eruditos distribuendis præpositus, seu potius natus, Mabillonium dudum sibi & virtute & eruditione notissimum inter beneficiarios Regis de-

Inter beneficiarios Regis deferri recusat Mabillonius.

scribi voluit: quo non semel, nec sine incredibili laudati Regii ministri stupore recusato, id unum dumtaxat ab eo beneficii efflagitavit, ut Congregationem nostram, quæ nullis hactenus in rebus ipsi defuerat, nec Deo juvante sibi imposterum defuturam sperabat, Patrocinio dignari suo pergeret. Eum vero Chri-

Paupertatis singulare specimen.

sti paupertate affatim locuples, victum ac vestitum divitias Christianorum cum Apostolo existimans, quæstu illiberali, liberalem artium dignitatem lædere noluit litterarum cultor; subque Christo paupere divitias erubuit religionis amator, parvo dives, parvi ducebat perituras opes; cariusque emi putabat, dum paupertatis dispendio comparantur. Et quidem nec sibi, suisve unquam commodis studuit Mabillonius: quinimmo sibi aliunde oblata non semel renuit, nihil tam monacho dignum putans, quam se suaque omnia uni rerum omnium dispensatori Deo committere. Id certe non ita pridem testatum voluit, cum acceptam ab amico clarissimo epistolam, quæ in suæ erga nostrum utrumque benevolentiæ argumentum nonnulla offerebat, levando religiosæ paupertatis oneri opportuna; legendam mihi præbuit; quidve ea de re sentirem inquirens, subjunxit, Tu quidem quæ volueris elige: moxque me in suam recusandi muneris sententiam abeuntem amplexus, quantum ipsi pergratum fecerim vel ex ipso amplexu abunde significavit. Absit tamen, reposuit vir cæteris indulgentissimus, ut hac in re molestus tibi esse velim: rebus ipse tuis consule: verum professionem cogita tuam, ac memorare Deum te Optimum Maximum habere patrem, in quo spem tuam ac fiduciam plane totam collocare debeas.

XXVII. Ejus paupertatis studium.

Eo paupertatis studio, non solum quidquid abjectum ac vile, sed etiam quidquid asperum & incommodum ultro consectabatur, idque tam in se pati, quam ab aliis propulsare conabatur. Oblata etiam in angustiis non nisi ægre sustinebat vitæ commoda. Quid, inquiebat cum Augustino, de me diceretur, si pauper cum sim atque ex parentibus pauperibus oriundus, ea in monasterio quærerem, quæ vix in sæculo ambire licuisset? Vulgaria omnia quærebat ac detrita, in suppellectile cubiculi: in libris, in vestibus ea deposcebat: in his sibi placebat, longe ab illis discrepans qui hoc in religiosis etiam familiis curant, ut bene semper nec sine magno interdum sumptu habitent. Pari paupertatis studio incensus, vitium horrebat proprietatis, anxiamque tyronum in petenda facultate scribendi, loquendi, quidpiam penes se retinendi, aut rem quampiam quamvis paucam donandi, diligentiam superabat: unde cum aliquando in familiari colloquio de stricta, ad quam monachi tenentur, rerum omnium abdicatione incidisset sermo; illum non semel in hujusmodi labem, qua utinam non tam multa Cœnobia inficerentur, graviter invehentem, atque ut solebat toto mentis ardore hæc egregia Paulini Episcopi, Nolanæ civitatis excidium amare deflentis, verba referentem non semel audivi: *Domine ne excrucier propter aurum & argentum, ubi enim sint omnia mea, tu scis.*

XXVIII. Ejus charitas erga pauperes.

Et quidem in Deo uno thesaurum collocaverat suum Mabillonius, hinc non à sæcularibus modo, sed à suis quoque Præpositis abnuebat oblata sibi munera: si quid vero interdum egenti erogabatur, id mox totum non tantum Superiori suo consignatum cupiebat, sed nec inde prius accipiebat, quam in ejusdem rei partem egenos vocasset, quibus sublevandis totam, qua apud Magnates, maxime vero apud nonnullos Congregationis Præpositos pollebat, authoritatem, ultro impendebat. Haud absimili modestia, & humilitate suis perinde ac pauperum necessitatibus consuluisse, docent varia ab eo suscepta itinera: iis enimvero suscipiendis pauca sibi erogari curabat, quo inde ad reliquum iter conficiendum, ceu pauper, pauperumque more per Monasteria emendicandi captaret occasionem.

Enituit tandem in Mabillonio paupertatis amor, præsertim in Consanguineos; ex quibus non divites, non potentes, aut aliquo munere conspicuos (altum enim atque apud eum perpetuum de istis silentium) sed abjectissimos quosque nosse, & excipere; quin etiam pro viribus ac innata caritate ipsis opem ferre gestiebat: non quo illos fortunæ bonis locupletiores redderet, aut gradu altiores, sed ut in ea potius, in qua nati erant, humili conditione facilius libentiusque continerent. Longior equidem essem, si cuncta, quæ passim dedit religiosæ Paupertatis specimina referre vellem: immo dabit veniam lector, si laudabilem hanc, atque in Mabillonio principalem virtutem fusius prosecutus sim. Ita enim comparatus erat Mabillonius, ut ex rebus etiam minimis (si tamen minima sunt, ac vocari debent, quæ assequendæ religiosæ perfectioni non parum conferunt) ad salutem, virtutesque gradum sibi faceret.

XXIX. In Burgundiã se confert.

Ann. 1682. in Burgundiam iter instituit Mabillonius; ibique prælaudatus Dominus Colbertus discutiendis nonnullis ad Regum nostrorum Stirpem spectantibus Instrumentis, ejus opera studioque usus, quæ foret in re antiquaria Mabillonii peritia, incorrupta fides, ac singularis plane sagacitas, ex felici commissi muneris successu abunde intellexit. Exinde vero tanti eum æstimavit, ut in publicum sui in illum studii atque existimationis argumentum, suadentibus quoque plurimis viris undequaque conspicuis, iter ab eo Germanicum, quo totius imperii Germanici Bibliothecas, Archiva scrutaretur ac Forulos, suscipi voluerit, jussu Ludovici Magni, Regisque ejus sumptibus: quam sane provinciam eo libentius suscepit, quod Regi gratam, suæque, quam tunc parabat, Ordinis Historiæ peropportunam fore intelligebat.

Germaniam peragrare jubetur.

Germanorum ex futuro Mabillonii adventu lætitia.

Quanta porro, & quam effusa fuerit ex evulgato per Germaniam futuro Mabillonii adventu, Litteratorum omnium ac præsertim Monachorum Germanorum lætitia, vel ex plurimis ad eum scriptis litteris, potissimum vero ex iis, quæ subjiciuntor, gratulantis cujusdam Sueviensis Amici verbis facile quisque conjiciat. *Olim*, inquit, *ubique expectatissimus advenisses; nunc aliter, non propter te, sed propter tempora. Si tempestas aliquando deferveat, ingredere in gaudium, in brachia sodalium tuorum. Omnibus solatium erit vel conspexisse tantum virum.*

Iter Germanicum suscipit.

Anno igitur 1683. exeunte mens. Jul. Germanicum iter init Mabillonius, adscito secum perpetuo juxta ac fidelissimo itinerum socio, quin etiam studiorum coadjutore D. Michaele Germano; atque intra quinque mensium curriculum, Burgundiæ Comitatum, Alsatiam, Sueviam, Bavariam, Tirolum, Helvetiam, Monachium, & Salisburgum peragravit; Austriamque totam excurrisset, nisi Turcæ, qui tum ejusdem provinciæ caput Viennam obsidione tenebant, viam ei omnem præclusissent.

XXX. Mabillonii apud Germanos fama, & exceptio in Cœnobiis.

Ea vero erat apud nostros Germaniæ Monachos Benedictini decoris summopere studiosos, Mabillonii expectatio, ea fama; ut vel prætereuntem excepisse honori ducerent quam maximo; vidisse lætitiæ singulari; audivisse præcipuæ felicitati. Quid Sanctimoniales memorem, quæ ut illum ad monasteria sua allicerent, quo ejus animi modestiam suspicerent, audirentque verba facientem, linguæ se Gallicæ peritas data opera simulabant? Quid Ordinis nostri Monachos, qui honoris gratia se ipsi itineris comites adjungebant; eumque ceu per triumphum ducentes, atque honoribus certatim ac laudibus persequentes, de Monasterio in Monasterium deducebant? Quid spectatissimos Germaniæ Archimandritas, ex quibus non pauci principatum, amplissimosque imperii honores obtinent; qui quo familiarius cum eo agerent, sui prope oblivisci, nec digni-

Delati Mabillonio honores.

tatis splendorem, nisi ut illum honorificentius exciperent, adhibere videbantur? Quid clarissimum Kemptensis Cœnobii Abbatem, nec non Sacri Imperii Principem, Domusque Imperatoriæ Præfectum? Quid beatæ MARIÆ Eremitarum Archimandritam, aliosque non paucos Germaniæ Principes? Quid demum insignem Salisburgensem Academiam, quæ ipsi advenienti miro plausu, quin etiam oratione publica gratulari dignata est, ipso præsente Salisburgensi Archiepiscopo, in cujus Villam singulari prope humanitate deductus est, ibidemque lautissime exceptus.

Mabillonio ubique patet facilis additus Archivua, & Bibliothecas.

Præ his omnibus amplissimis licet honoribus, arridebat Mabillonio longe magis qui ad omnea Bibliothecas, Archivua, & publica Monumenta facilis dabatur ingressus, omnisque fere ætatis Manuscriptorum Codicum copia. Nihil ipsi non apertum, atque libentissime creditum; tanta erat apud Germanos eruditionis ejus opinio, integritatis nomen, fama probitatis. Rapiebat in primis Germaniæ Monachos ingenuus qui in fronte Mabillonii elucebat animi candor, in sermone religiosa sinceritaa, in rebus litterarum explicandis modestia prope singularis. Ipse vero ex tanto Monachorum studio, non solum opportuna sibi documenta colligendi, sed etiam se ipsis moresque suos probandi occasionem arripiens, alios ad exactam disciplinæ regularis observantiam, suæque Professionis invitabat amorem; alios vero, quos aptiores noverat, ad congrua litterarum ac scientiarum studia pro viribus animabat. Inde Patrem Cœlestinum Sfondratum, qui non ita post Sangallensis Cœnobii Archimandrita renunciatus est, ac subinde Sacra Purpura insignitus sub Innocentio XII. obiit agnoscere, atque cum eo familiaris amicitiæ fœdus inire cœpit.

Autographū Chronici Hirsaugiensis reperit, & edendum suadet.

In hoc porro celeberrimo amplissimoque Sancti Galli Cœnobio, perlecto quem Trithemius adornaverat Chronici Hirsaogiensis Autographo, ac tanquam de reperto thesauro mire lætus, cujus esset hoc opus pretii ac momenti Sangallensibus aperuit; ejusdemque editionem impense suasit, ac persuasit, unde præclari illius Operis, quod in ipso subinde Cœnobio excusum est, publicam editionem Mabillonii curæ ac diligentiæ acceptam referri debere, nemo est qui eat inficias. Id ipsi Sangallenses Monachi in Præfatione laudati Operis testatum omnibus voluere, subjectis hisce verbis: *Chronicum*, inquiunt, *surgit nunc redivivum; animante ejus editionem Clarissimo P. Joanne Mabillonio, quem tutelares nostros invisentem in Sancto Gallo vidimus, nec sine sensu suavitatis recordamur.*

XXXI. Mabillonii lætitia ex conspectu Amicorum.

Inter varia, eaque maxima Germanici itineris oblectamenta illud sane Mabillonio jocondissimum fuit, eos conspexisse Viros eruditos, uno sibi ac diuturno litterarum commercio notos, una doctrinæ fama amicitiæque fœdere sibi conjunctos. Hermannum Skenk Sangallensis Bibliothecæ Præfectum; Patrem Metzerom, Salisburgensis quam Ordinis nostri Monachi obtinent Academiæ Vicecancellariom; Albertum Outtembergensis Cœnobii Præpositum; in primis vero doctissimos de Mourry, de la Pierre, ac Beatæ Mariæ Abbates: in quorum ultimo non semel se suspexisse narrabat dignam viro religioso sinceritatem ac modestiam cum amplissima quam obtinebat imperii dignitate, cumque insigni quam edita opera commendant eruditione conjunctam. Quam effusa porro fuerit ex mutuo conspectu Mabillonii ac Patris Geisserii lætitia, haud facile dictu est, ambo ot amore, ita ingenio pares erant, prædicavi satis. Nemo in colligendis Documentis ad Ordinis Historiam, Sanctorumque Acta adornanda necessariis Geisserio diligentior, ac Benedictinæ gloriæ studiosior extitit: unde cum ejusdem illustrandæ atque amplificandæ peritiorem Mabillonio nosset neminem; nullam promovendis ejus studiis ac levandis laboribus operam non impendit. Et certe cum esset is Benedictinæ Suevicensis Congregationis Apocrisiarius; ac proinde facilis ad omnes Monasteriorum Bibliothecas ei pateret aditus; eximiis monumentis Mabillonium locupletavit. Is subinde obiit Abbas sancti Georgii de Villingen, virtutis splendore tota Germania clarus, deque nostra Congregatione perinde, ac toto Ordine præclare meritus.

XXXII. Monumenta in Germania collecta.

Cæterum tam facilis Bibliothecarum simul & Archivorum aditu opportune admodū usus Mabillonius, multa & quidem exquisita ex itinere Germanico monumenta retulit; quorum pars edita legitur in quarto Analectorum Tomo, in cujus fronte exhibetur Germanici itineris haud contemnenda descriptio; quam egregiæ dein excipiunt Antiquarum Inscriptionum collectiones; selecta ex variis exaratis manu codicibus haud exigui pretii monumenta, una cum diversarum, in quas distributa olim Roma fuerat, regionum descriptionibus. Calcem operis occupant in MSS. Germaniæ codices animadversiones; in quibus disertis paucisque verbis quisque addiscat, quæ longo & operoso aliorum minoris pretii documentorum studio vix percipere queat. Iis sane optimis Germaniæ documentis usus potissimum est Mabillonius ad multa sua opera, maxime vero ad adornandos Ordinis Annales.

Vetustum Ritus Gallicani Lectionarium in Cœnobio Luxoviensi reperit.

Inter egregia, quæ Burgundiæ Comitatum peragranti Mabillonio occurrere Monumenta, reponendum jure videtur longe vetus illud ab annis centum circiter supra mille exaratum Gallicani ritus Lectionarium in Cœnobio Luxoviensi repertum, ac præclaris Merovingiacis litteris conscriptum; quod evulgandæ Gallicanæ Liturgiæ occasionem præbuit. Hujus calcem Operis præter multa scitu digna ad Franciam seu Gallicanam liturgiam spectantia, aliaque id genus Monumenta, claudit erudita disquisitio in Officium divinum Gallicanis in Ecclesiis olim recitari solitum, ac propterea *Cursus Gallicanus* appellatum.

XXXIII. Mabillonius jussu Regis ad iter Italicum se accingit.

Ex Germania in Gallias redux Mabillonius, mutatum quidem ex clarissimi Patroni sui D. Colberti decessu ministerium reperit; non tamen erga se mutatos, qui eidem subrogati fuerant, ministrorum animos, aut imminutam quam ante sibi conciliaverat existimationem. Enimvero illustrissimus Remorum Archiepiscopus-Dux Carolus Mauritius Tellerius, cui tunc tota apud Regem litterariæ rei cura commissa erat, quique eximias plane noverat Mabillonii dotes, ut suam, quam multis nec dubiis argumentis demonstraverat, in eum existimationem testatam omnibus faceret, de eo in Italiam mittendo in animum induxit; simul ut conquisitis Regia Bibliotheca Libris ac Manuscriptis fieret longe locupletior; simul ut aliquid Ecclesiæ, reique litterariæ inde accederet. Placuit non parum Regi Christianissimo ejus itineris consilium; suisque non sumptibus modo, sed auspiciis susceptum voluit. Tanti Regis voluntati, consilioque Archipræsulis obtemperandum duxit Mabillonius; quamvis ab ea suscipienda provincia non una illum ratio deterrere videretur; in primis vero Maris pericula, labores itineris, provecta ætas, affectæ denique vires. Jam iter Italicum meditabatur, cum morbo correptus, illud in aliud tempus differre cogitur, firmatis subinde viribus, me sibi adjuncto comite, in Normanniam iter instituit: quo in itinere ejus in observandis, quæ è re sua fore putabat, cum publicis tum privatis Monumentis diligentiam & sagacitatem, nec minorem in perlustrandis, perinde ac in monasterio fuisset, debi-

Mense Maio 1684 Normāniam petit.

b iij

tis pietatis officiis sollicitudinem non semel demiratus sum.

In Italiam proficiscitur.

Insequente anno pristinæ omnino saluti restitutus ad iter Italicum se accingit; Parisiisque una cum D. Michaele Germain, individuo comite Kal. April. ann. 1685. profectus, Lugdunum versus iter instituit; transcendit Alpes; tandemque Augusta Taurinorum, Mediolano, Verona, Patavio, Venetiis, Ravenna, aliisque finitimis Italiæ urbibus feliciter, omniumque gratulatione peragratis, Romam pervenit die 5. Junii hora 5. matutina; siquidem nocte tota incesserat, destinatos sibi tum ab Eminentissimo Cardinali Estræo, qui adventantem in sua Rheda extra urbem excipi, indeque ad Hospitium usque deduci jusserat, tum à Procuratore nostro Generali dudum sibi amicissimo D. Claudio Stephanotio, qui Litteratos omnes præmonuerat, honores devitaturus, quos alibi sibi paratos, pari cura ac diligentia declinaverat: non enim amabat, immo quantum poterat, cæteris honorificentius, aut liberalius haberi fugiebat.

XXXIV. Delati in Italia Mabillonio honores.

Lubet hoc loco si non omnes, saltem nonnullos referre à multis Italiæ civitatibus Mabillonio nostro delatos honores. Equidem Italica Gens, quæ præ cæteris peregrinantium animos elegantia morumque comitate rapit, quæque, ut pulchræ quidam ait, *sua-pte natura procul odoratur hominum præstantiam, & Sapientibus atque eruditis mirifice defert*, accedentem Mabillonium nullis non affecit honoribus; nullis non laudibus exornavit, officiisque sibi demeruit. In primis vero Serenissimus Etruriæ Dux, qui tum Senis morabatur, comperto ex litteris Magliabeci ejus Florentiam adventu, statim non Laurentianam modo ac Palatinam Mediceorum, sed etiam Florentinas omnes Bibliothecas ad ejus usum ac nutum reserari, quin etiam ad ea describenda, quibus opus haberet, Amanuensem suppeditari jussit. Rem exsecutus est celebris Antonius Magliabecus ex longo litterarum commercio ei jamdudum amicissimus; quo duce quidquid librorum in Bibliothecis Florentinis proposito suo magis congruebat didicit. Is enim ea præditus est sagacitate, nihil ut ipsum lateat; ea memoria pollet, ut libros omnes habeat in numerato; ipse Museum, ut ita dicam, inambulans, & viva quædam Bibliotheca.

Florentiæ à Sereniss. Magnæ Etruriæ Duce honorificentissime excipitur.

Haud ita multo post Florentiam redux Serenissimus Etruriæ Dux Mabillonium ad se, subindeque ad Filios Ferdinandum & Gastonem Principes (in quibus præclara illa Mediceorum indoles, innata videlicet in litteras ac litteratos omnes propensio elucet) introduci voluit, ea facilitate, ac benignitate, ut velis demissis privatim alloqui dignatus sit; multa de Rege honorificentissime dicens, deque ejus studio in Catholicam fidem: Florentia tandem abeuntem dignis regia plane munificentia muneribus Mabillonium prosecutus, lecticam honoris causa Bononiam usque ei subministrari præcepit, exinde vero litteris eum suis non semel dignatus est: atque in quadam epistola ad Oratorem suum in Galliæ Regia constitutum paucis ab hinc annis missa, hæc legebantur subjecta verba: *O te felicem, atque me longe feliciorem, cui tantum Virum alloqui, non solum videre conceditur.* Quantum vero eumdem vita functum defleverit, verbis plane honorificis, acerboque animi dolore palam fecit.

Neapoli.

Pari benevolentia & honore Mabillonium excepit Regni Neapolitani Prorex excellentissimus Marchio de Carpi: siquidem præter quam quod ad se illum sæpe intromitti jussit; ad omnes etiam Solemnes Ceremonias, seu *Regias*, ut vocant, *Capellas* peramanter invitavit; utque omnem exsculationi viam præcluderet, Rhedam ipsi suam submitti curavit, quantus porro esset Proregis laudati in Mabillonium amor, palam aliquando factum est, cum illum prætereuntem morari, ac pulcherrimo serto, quod ipse in festo Natalis Regis Catholici acceperat, munifica manu donare voluit.

XXXV. A Casinatibus honorifice excipitur.

Proregis Neapolitani exemplo, seu potius proprio ipsorum studio ducti Casinates nostri, ubi Casino vicinum audiunt Mabillonium, statim nonnullos è suis legant, qui tam religioso ac plane dignissimo Benedicti Patris filio obviam exeant; eique adventanti communem Casinensium Sodalium lætitiam, plaususque significent. Haud absimili amoris lætitiæque significatione exceptum voluere clarissimi Sanctæ Floræ Aretinæ, S. Proculi, Sanctique Joannis Cœnobiorum Abbates; qui ei obviam progressi ad Monasterium usque deduxere. Neque prætereunda silentio videtur nata ibi Gallos Fulienses inter & nostros Florentiæ Monachos amica contentio, quis eorum tam insignem Hospitem ad se deduceret: pugnabat pro Fuliensibus Gallis charitas Patriæ, gratique in civem suum animi debita significatio: movebat ac prope pro Monachis nostris triumphabat, insitus Ordinis amor. Utriusque humanitati ut faciat satis Mabillonius, apud utrumque alternatim mansurum se pollicetur. Verum cum Patrum Fuliensium Cœnobium extra urbem situm sit; non sine amica eorumdem expostulatione ad Monachos nostros primum divertit; ibique ob loci, potissimum vero Bibliothecarum vicinitatem diutius mansit.

Amica Fulienses Gall. inter & Florentinos Monachos concertatio.

Patavii.

Patavium secundo accedentem Mabillonium apud se diversari, atque ne alio divertat, Rhedam qua deducatur, in occursum ejus ad Ripam Fluminis submitti jubet Eminentissimus Cardinalis Barbadicus; cujus modestiam, studium in litteras, zelum indefessum, moresque incorruptos nemo non novit: subinde vero audito ejus Patavium reditu, visitationis suæ in Montibus Euganeis cursum interrumpere non est gravatus, quo Mabillonium conveniret, videret, & alloqueretur. Ravennam ubi attigit, cum illum apud se excipere non posset Illustrissimus ac Reverendissimum Archiepiscopus Fabius Guinisius, præclara Guinisiorum apud Lucenses gente oriundus, Vino Florentino, aliisque Edulis donatum voluit: idemque pro sua in eum humanitate, ostendere atque indigitare voluit quæ supersunt vetera Ecclesiæ Ravennensis authentica instrumenta; ex quibus nonnulla quæ in Cortice exarata sunt, atque apud Rubeum edita emendavit. Insigne porro est Ravennæ Archivium ob antiqua monumenta, ac ea maxime quæ in Cortice scripta sunt eo charactere, qui, cum esset lectu difficillimus, *scriptura incognita* dictitari solebat; multisque etiamnum foret, nisi in sua de re diplomatica elucubratione ejusdem legendi methodum ac regulas tradidisset Mabillonius. Quid Bononiam accedenti non detulisset Eminentissimus Cardinalis Legatus Pignatellus, haud ita post sub Innocentii Duodecimi nomine summo totius Ecclesiæ Regimini præfectus; quid, inquam, non detulisset, si de illius, uti jusserat, adventu fuisset certior factus; ac nisi Mabillonius pro sua modestia paratos sibi honores præcavisset? Ejus modestiæ artes, diligentiamque prævertit Eminentissimus Cardinalis Spinola Lucensis Reipublicæ Episcopus; eique perinde ac cæteri Italiæ Episcopi nulla non præbuit benevolentiæ & humanitatis argumenta.

Ravennæ.

Bononiæ.

XXXVI. A Litteratis præsertim viris colitur.

Uno verbo ab omnibus ubique celebratur, præsertim ab eruditis Italiæ viris; qui ut illum honestius exciperent, & antiqua scituque digna urbium monumenta, cimeliarchia, & gazophylacia in promptu haberent; mutuis sibi litteris vicinum ejus adventum significabant; propriis eum quisque operibus donabat; nullaque prætermissa lætitiæ ac plausus

significatione, tanti nominis virum vel ubiter conspexisse, aut apud se aliquandiu retinuisse singuli & universi lætabantur. Quantis demum per Italiam honoribus affectus fuerit, eleganter prorsus duxit Illustrissimus D. Justus Fontaninus per eam, qua me de illius obitu dignatus est epistolam. *Jam*, inquit, *per totam urbem non sine gravi Litteratorum mærore Mabillonii decessus fama percrebuit; nosque de eo certiores reddidimus amicos per Italiam constitutos; ubi multi ex illis adhuc supersunt, qui viginti & tribus ab hinc annis eum propius venerati fuerunt; cum urbes effusa ad eum adirent, primique subsellii Homines ad visenda quaque insigniora Cimeliarchia, Gazophylacia, & Bibliothecas, eum honoris causa certatim comitantes deducerent; quod ille in itinere Italico pro sua modestia parce admodum indicavit.*

Gratus erga litteratos Italiæ Mabillonii animus.

Verum quanto in recipiendis qui ultro per Italiam deferebantur honoribus parcior Mabillonius, tanto certe in Amicis memorandis, quique benefecissent liberalior fuit. Hos inter, quorum beneficia animique dotes cum laude memorat, principem locum obtinent Mediolani Illustrissimus Comes Mezabarba Vir in litteris humanioribus, & numismatum scientia apprime versatus; & cum eo eruditus Pater Moneglia, Florentiæ Magliabecus, clarissimusque Norisius, ex Monacho Augustiniano in Sacrum subinde Purpuratorum Patrum Senatum cooptatus; Meritissimus quoque nec vulgaris inter Litteratos nominis Pater Capassius, tum sacræ Theologiæ in Academia Pisana Professor, quem non semel perlustrandis Florentiæ monumentis ducem ac comitem habuisse gloriatur; Vicentiæ, Dominus Gunzata; Neapoli, celebris Valleta, qui domi suæ Bibliothecam probatissimis autoribus instructam omnium admiratione plausuque comparavit; Genetius, Nicodemus, aliique Neapolitanæ urbis præstantissimi viri; Patavii, Pater Minorelli Dominicanæ Familiæ insignis alumnus, quem doctrina politioribusque litteris ornatum in primis suspexit; Lucæ, Beverinus Poeta simul & Orator cultissimus, quocum de recipiendo apud se Mabillonio amice certasse legitur Dominus Bonamicus; Parmæ, celeberrimus Pater Bacchinus Casinensis Congregationis Monachus, multisque jam editis Operibus insignis; cui adjungendus est D. Erasmus à Cajeta de nostro perinde ac suo Casinensi Sodalitio præclare meritus, una cum P. Seraphino Jansy Casinensi quoque haud vulgaris doctrinæ ac modestiæ Monacho, à quo non pauca locupletandis Ordinis Annalibus subsidia interdum accepit; Aronæ, Reverendi admodum Patrem Societatis Jesu, qui insigne librorum de Imitatione Christi sub nomine Joannis Gersen Abbatis Vercellensis antiqua manu exaratum exemplar Mabillonio in Gallias deportandum, non tantum inspiciendum mira humanitate concesserunt; ut quæ jam de eximii hujus Operis Autore in lucem protulerat, ejusdem manuscripti codicis autoritate strenue vindicaret. Codicem hunc benigne adeo sibi creditum lubenti animo accepit Mabillonius; subindeque à Viris in re diplomatica apprime versatis diligentissime excussum, atque illorum testimonio comprobatum, non sine maxima grati animi significatione ad mox laudatos Patres transmitti curavit. Quem apud omnes prope Italiæ, præsertim Parmensis Cœnobii Monachos locum obtinuerit Mabillonius, abunde testantur nuncupatæ nomini ejus Conclusiones; condita in ejus laudem carmina; palam in ejus honorem pronuntiatæ passim gratulatoriæ orationes; quæ omnia laudum genera modestiæ plane gravia cum nec artibus, nec precibus effugere posset, ab hujusmodi cœtibus omnino abstinere constituit, laudis impatiens.

XXXVII. Romæ.

Quid Domina Gentium, Princepsque Provinciarum Roma præ aliis Italiæ Civitatibus Mabillonio non detulit? quid non præstitit ejus ergo? Ibi in primis Eminentissimi Cardinalis Estræi, Excellentissimique Ducis ejus Fratris pro Rege legatione fungentis expertus non semel est humanitatem, patrocinium, benevolentiam, autoritatem, officia, studium denique singulare; ibi à Sanctæ mem. Innocentio XI. Pontifice Maximo nulla non accepit benignitatis & existimationis argumenta, si ejus adeundi honorem excipias, quo Mabillonium ob afflictam valetudinem Pontifex dignari non potuit; ibi denique Ottoboniana, Barberina, Chigiana, Alteriana, Altempsiana, Casanatensis, Pamphiliana, Augustiniana, aliæque Romanæ Bibliothecæ, una cum Monasteriorum & Ecclesiarum Archivis, Gazophylaciis, Cimeliis, aliisque id genus monumentis in ejus usus liberaliter reseratæ; in primis vero omnium longe locupletissima, ac nobilissima Vaticana, ex qua quamplurima, eaque exquisita prorsus documenta eruit: huc etiam non sine laude memoranda accedit multis iisque optimæ notæ exaratis manu codicibus instructa Bibliotheca Augustissimæ Suecorum Reginæ, quæ post aliquantam, quo illum dignata est, colloquii moram, discedentem pro suo in litteratos studio benigne dimittens, favorem suum, una cum omnibus Bibliothecæ suæ tam editis, quam manu exaratis codicibus in studiorum suorum subsidium perhumaniter obtulit.

Bibliothecam Patrum Oratorii Romani frequens adit.

Uberi sane fructu, nec minori animi voluptate Eminentissimi Cardinalis Baronii Bibliothecam, Patresque, penes quos ea est, Oratorii Romani frequens adibat, cum ob vetustos nec exigui pretii qui ibidem accuratissime adservantur manu exaratos codices; tum maxime ob clarissimum Patrem Leandrum Coloredum laudati Sodalitii Alumnum paullo post S. R. E. Cardinalem renuntiatum, quocum continuo prope litterarum commercio amicitiæ fœdus arctissimum, quod ad obitum usque perduravit, iniit. Frequens illi quoque colloquium ac familiaris consuetudo cum Illustrissimo juxta ac eruditissimo Angelo de Nuce Rossanensi Archiepiscopo, qui Casinensis Cœnobii Archimandrites non ita pridem fuerat, ejusdemque Chronicon doctis annotationibus illustratum ediderat. Taceo Thomasium eximia pietate perinde ac Sacris operibus nemini non notum, clarissimosque Slusium, Fabretum, Blanchinum, Ciampinum, aliosque dum Romæ versatus est amicissimos viros.

In ejus gratiam Eminentissimus Cardinalis Carpineus Summi Pontificis Vicarius, *Senexque*, ut verbis utar Augustini, *famosus, annosus, nullique non probatus*, erutum coram eo voluit ex veteri cœmeterio cujusdam Martyris corpus; cui adjuncta reperta est Ampulla vitrea simul & instrumentum ferreum cruciando, ut creditum est, Martyri adhibitum. Honoris denique causa Consultor Sacræ Congregationis Indicis creatus; atque in eam invitante Eminentissimo Cardinali Casanata vocatus, de quibusdam Isaaci Vossii operibus, potissimum de causa diluvii (quod in suo de Sacra Chronologia mundique ætate opere haud universale fuisse contendit, quamvis totum in eo genus humanum periisse non diffiteatur) sententiam dicturus, præsentibus cum Sacri Palatii Magistro novem S. R. E. Cardinalibus, tam erudite juxta ac luculenter disseruit, ut in suam omnes sententiam atque in sui admirationem facile converterit.

Creatur Consultor Sacræ Congreg. Indicis.

XXXVIII. In honoribus humilis.

Tantis licet ubique affectus honoribus, haud inde tamen mente elatior, immo cæteris longe humilior factus: cunctis undequaque plaudentibus, non

sibi ipse plaudebat; sed potius magis ac magis sibi vilescere, hominumque frequentiam devitare studebat. Quamobrem non parum ipsi arridebant, quæ Italiam peragranti occurrebant, remota ab omni mortalium consortio loca; in quibus, uti è Cavensi Cœnobio redux mihi per epistolam aperuit, reliquam vitam peragere in deliciis habuisset. Movit illum in primis Vallumbrosana solitudo ac specus

Mabillonii pietas in perlustrandis Sacris Italiæ locis.

potissimum illa, ad quam Sanctus Joannes Gualbertus procul ab hominum frequentia oraturus se se interdum recipere solebat. De Classensi porro, Farfensi, Vulturnensi, Cryptaferrata, Bobiensi, Nonantulensi, aliisque Sanctitatem spirantibus Cœnobiis, partim licet dirutis, partim omnino desolatis non sine quadam veneratione, mentisque suavitate disserebat; illorumque locorum simplicitatem superbis Regum Principumque Palatiis longe anteponebat. Hinc incredibili animi voluptate gratissimam illam, quam tum apud Camaldulenses Eremitas, tum apud Sublacenses nostros mansionem fecerat, in mentem revocabat. Porro autem quam alte Specum Sublacensem in animo præ cæteris defixam haberet, testatur breve hoc, sed elegans prorsus ejusdem in Annalibus concinnatum encomium. *In hoc*, inquit, *Sacro Specu Benedictus Ordinem suum, obstetricante gratia, parturiit: hic Cunabula Gentis nostræ; hæc Petra, unde excisi sumus.* Nec minori suavitatis sensu sane animo recolebat, Cellam aliquandiu se occupasse in Cœnobio Casinensi, quod veluti totius princeps Ordinis instituit Sanctissimus Patriarcha Benedictus; quodque ingens Monachorum insignium multitudo præclaris virtutum ac doctrinæ meritis mirum in modum illustravit. Quare ob Loci reverentiam Sacrum illum Montem, quamvis ascensu maxime arduum, pedibus conscendere voluit. Tacitus prætereo insignem toto Christiano orbe Lauretanam Ecclesiam, aliaque celeberrima quæ pietatis causa perlustravit Italiæ loca; Papiam ubi Augustini, Vercellas ubi Eusebii; ejusdem urbis Episcopi, Mediolanum ubi Ambrosii & Caroli clarissimorum Ecclesiæ Mediolanensis Antistitum Corpora summa religione adservantur, nec minore reverentia coluntur. Præ cæteris passim gloriabatur se Sacra adiisse Apostolorum Principum Limina; tanta ac tanta antiquitate venerandas Basilicas cryptasque introspexisse, veterum perlustrasse Christianorum catacumbas, teste Hieronymo primis

Lib. 12. in Ezech. cap. 4.

Ecclesiæ sæculis adeo celebres; terram denique tetigisse tot Sanctorum purpuratam cruore Martyrum. De duobus dolebat plurimum, & primo quidem quod Neapolim contendens, ac juxta Nolam transiens, Sancti Felicis Ecclesiam, Paulini cura ac pietate constructam non adiisset; nec ob temporis injurias Montem Alvernum petiisset, Sancti Francisci stigmatibus celeberrimum.

XXXIX. Mentis ejus collectio.

Cæterum ita sibi etiam dum peregrinaretur vacabat Mabillonius, nullum ut unquam intermitteret religionis ac pietatis officium; quodque mirari subit, inde sui colligendi captabat argumentum, unde cæteri ut plurimum diverti ac mente distrahi solent; quippe peregrinando supremam, quæ omnium meta est, mortis Peregrinationem jugiter mente recolebat. Hunc animi sensum alte illi infixerant subjecta quæ iter agens de more legebat Augustini verba: *Peregrinationes*, inquit, *quas quietas & faciles habere nequeas, per totam cogitare vitam, non est hominis, de illa una ultima, quæ mors vocatur,*

Epist. 10.

cogitantis, de qua vel sola intelligis esse cogitandum. Quæ quidem Doctoris verba ita Mabillonio placuere, ut iisdem Italici itineris, quod in Gallias redux in lucem edidit, descriptionem conclusam voluerit, equidem ea iis erat Mabillonius, *quibus*, ut ait laudatus Augustinus, *id à Deo Optimo Maximo gratia concessum est, ut inter casus rerum varios, eosque ut plurimum injucundos, tranquillo ac quieto animo consistant.* Nec mirum, quippe cum nullum iter susciperet Mabillonius, nisi aut Superiorum jussu, aut Ecclesiæ simul & Ordinis emolumento: tantumque abesset ut ei ob id mente excideret mortis memoria; ut potius familiarior ipsi fieret, crebriusque de illa sermonem haberet.

Mabillonii accuratа in itinere observantia.

In itinere constitutus eamdem prorsus, ac in Monasterio tenebat vitæ rationem: statis horis orationi, divinisque vacabat officiis: Sacrum quotidie etiam post confectum sex aut septem horarum iter mira pietate faciebat: piis quoque lectionibus, maxime Sacris Paginis, *quas* cum Augustino *castas dicitabat animæ delicias*, certis temporibus operam dabat: ideoque Novi Testamenti, Regulæ Sanctæ, & Imitationis Christi aureos plane Libros, quos fere memoriter tenebat, secum jugiter deferre, frequensque legere solebat. Nihil sibi longo licet itinere fatigato præter Regulam sibi indulgebat: immo per Italiam, ac Germaniam, cum ob inculta, omnibusque rebus pene destituta diversoria, tum maxime ob ciborum quadragesimalium penuriam parcius, longeque quam in Monasteriis austerius tractari gaudebat. In urbes aut monasteria adventanti princeps ei cura non tam de recreandis viribus, quam scrutandis quæ è re sua erant urbium ac monasteriorum monumentis; adeo ut nisi iter agendo quiescere à labore non videretur. Vecturarum incommoda, injuriasque temporum non æquo tantum animo ferebat; verum etiam si quid in itinere occurrebat commodi, sociis ultro deferre, si quid asperi aut molesti, sibi uni eligere studebat. Eum pedibus crebro ire solitum, jam supra memoravi: subinde tamen factus ætate provectior, fractusque studiorum laboribus, sellæ sibi à Superioribus concessæ usum ideo admisit; quod persolvendis decentius divinis officiis, lectioni, orationi, aliisque obeundis pietatis operibus opportunior ipsi videretur.

XL. Mabillonii zelus.

Porro autem eum publicis, quod raro contingebat, vecturis uti cogebatur; ea sane modestia, iis verbis, eo se habitu gerebat, ut omnium in se converteret oculos, reverentiam concitaret, suoque exemplo, ac verbis etiam solutiores in officio facile contineret. Nullum nisi præmissa oratione iter instituebat: nihil qua sermonibus, qua exemplis, qua referendis historiis non moliebatur, quo itineris socios ad orationem adduceret, invitaretque ad officia pietatis.

Ejus in recitando officio pietas, probandisque ubique moribus cura.

Ubi in monasterium aliquod pervenerat, juxta Regulæ præscriptum, viciniorem Ecclesiam, Christum adoraturus adibat, id ipsum quoque in diversoriis præstare solitus, ab itineris sociis tacitus secedebat, divina eo, quo par erat, pietatis cultu recitaturus officia. Cœna facta, cum ob nocturni silentii reverentiam, tum ne sodalibus gravis forte fieret, in cellam se recipiebat. A Matutina, communique fratrum oratione nunquam aberat; curabatque in primis, ne vel minimum sui causa relaxaretur aut perturbaretur regularis monasterii disciplina. Si interdum extra monasterium vel invitus diversari cogebatur, se tunc moresque suos omnibus probare, pueros, si qui in diversorio forent, bonis erudire moribus, ac doctrinæ Christianæ documentis, fidei docere mysteria, Dei timorem pariter & amorem fundere, immo quo facilius documenta susciperent, quibusdam munusculis prosequi, parentes quoque ac domesticos informare, congrua demum cuique consilia dare diligentissime studebat; ea sane modestia & humanitate, ut cunctos raperet in sui amorem, animosque ad quæcumque vellet nullo labore converteret.

XLI. Exercitiorum piorum observantissimus Mabillonius.

Nec mirum sane videri debet, si cum ita comparatus esset animo Mabillonius, tam multis iisque variis peregrinationibus damni nihil unquam passa sit, immo incrementum ceperit eximia ejus pietas; nihil de morum integritate, regularisque observantia disciplinæ remiserit; sique de via redux solita monasterii exercitia, ceu numquam intermissa, facile adeo resumpserit; cum ex assidua studiorum contentione, qua aliorum ut plurimum fervor remittitur, ipse magis magisque ad pietatem accendi videretur. Porro ut pietati non officiebat quæ in Mabillonii vultu elucebat hilaritas, ita nec hilaritati eximia pietas, hæc nulli gravis, omnibus opportuna, ac cujuslibet prompta obsequio videbatur.

Mabillonii pia exercitia, ejusque mores

Summo mane expergefactus mox pronus in terram Deum venerabundus adorabat: studia subinde sua, opera, animum, se, suaque omnia Supremo rerum omnium conditori Deo supplex vovebat. Fratres ad nocturnas vigilias præire gestiebat: ab iis vero liber, mox ut è lectu surrexerat, Ecclesiam adibat; ibique ante altare divini amoris prostratus, fusisque de more precibus, inde Capellam B. Mariæ, Altaria, Sacrarium mira animi pietate perlustrabat, ut enim iis pietatis officiis religiosam putabat foveri simplicitatem, accendique fervorem animi; ita illarum rerum neglectu utrumque paulatim deficere, penèque tandem extingui dictitabat. Debitis idcirco officiis jugiter seduloque intentus, quo semel exarsit, fervor in novitium studiumque disciplinæ ad mortem usque integrum custodivit; nec nisi in melius, dum vixit, mores commutavit suos. Ecclesia cum exiret, quem in oratione conceperat divini amoris ignem, ubique spirabat; iisque intuentium animis accendebat. Divinæ interdum, quam adoraverat, Majestatis splendoribus illustratus vix à lacrymis suspiriisque præ devotione temperare poterat. Acri licet ingenio, nemo tamen illum aut ira commotum, moribusque difficilem, aut verbis asperum expertus est. Neminem unquam læsit etiam læsus, hominum mitissimus: neminem actu vel gestu derisit, despexit neminem vir humillimus. Eos unos impatienter ferebat, quos advertebat vel à pietate vel à disciplina devios, ac eos maxime, quibus, ut ipse aiebat; totius Congregationis spes una nititur, juniores monachos, quos noverat regularis disciplinæ, minus quam par esset, studiosos. Sic oderat divini Numinis obtrectatores, ut, si quos extra Monasterium temere dejerantes interdum audiebat, opportune importune arguere & increpare, verbisque in eos gravissimis invehi non vereretur. Neque enim se præsente divinum violari Numen æquo animo patiebatur. Hinc eos in quodam operum suorum loco cum Augustino amare deflet, qui gravia dumtaxat peccata horrentes, levia quæque, quamvis sæpe mortifera, vitare negligunt. Væ, inquiebat, nobis, si prava peccandi, aut peccati videndi consuetudine obdurati, nec nostris movemur delictis, nec aliorum peccata pro modulo compescere satagimus.

XLII. Ex Italia in Gallias remeat, Italiæ opibus onustus.

Peragratis intra menses quindecim celebrioribus Italiæ urbibus, simulque perlustratis insignioribus urbium principum Bibliothecis, Museorum rimatis angulis, effossisque latentibus veterum thesauris, comparatis denique ad tria circiter millia editis, aut scriptis codicibus, Regiam Bibliothecam ditavit auxitque plurimum in Gallias redux. Ex oblidis situ ac pulvere membranis, ex corrosis marmorum inscriptionibus, ex incisis in ære, sed tempore exesis monumentis, ex putredine fœdissime corruptis, multigena exoritur litterarum seges; varia ac præclara promitur librorum supellex; Actorum, Annalium, Analectorum, aliorumque librorum mira exurgit moles. Tam solerti obstetricante manu, prætérita e tro sæcula renascuntur: rugisque depositis tota juvenescit antiquitas. Hinc quanta apud omnes Mabillonii existimatio! quantum nominis pondus! quanta eruditionis auctoritas!

Museum edit Italicum

Medium circa annum 1686. ex Italia in Gallias reversus, iudm sub Musei Titulo, iter Italicum in lucem profert in duas partes distributum. Priorem obtinet, Itineris Italici, eorumque, quæ ad rem litterariam spectant, non ingrata, descriptio; quam, suadentibus amicis, fusiorem aliquanto fecit. Posteriorem nonnulla occupant doctissimis passim animadversionibus illustrata monumenta: qualia sunt antiqua Sacri sub Urbano II. Belli Historia, Apologia Manassis Remensis Antistitis, Friderici Imperatoris Romam adventus, solemnis exceptio, ejusdemque cum Paulo II. Pontifice Maximo congressus, Mediolanensium Antistitum catalogus, una cum nonnullis super ritum Ambrosianum epistolis, præclaris ab eo annotationibus illustratis. Præ cæteris Sacramentarium Gallicanum Sæculo VII. scriptum, sc in Bobiensi Cœnobio ingenti lætitia repertum, ex cujus Romano canone manifeste infertur, Gallos Romano canone usos ante Carlomanni ævum, in quo penitus rejecto Gallicano Sacramentario, Romanū postea solum adoptarunt. Sacramentarium excipiunt liber pœnitentialis, Symbolum Apostolorum in singulos singulorum articulos distributum, Sacrorum denique librorum catalogus, quos inter recensetur liber Sacramentorum; quo nomine, ut erudite notat Mabillonius, veteres eum librum designabant, qui collectiones & ad Missas præfationes continebat.

Secundum Musei volumen evulgat.

Anno insequenti alterum Musei tomum publici juris fecit in duas quoque partes divisum: in quarum altera videre est commentarium in Ordinem Romanum, in quo de antiquis Ecclesiæ ritibus disserit, potissimum vero de Liturgia, quam ut erudite ita luculenter explicat: in altera quinque supra decem Romanorum Ordinum collectiones; quibus accedunt multa eaque exquisita id genus monumenta ex variis manu exaratis codicibus perquam diligenter excerpta. Non deerant alia bene multa, ex quibus Museum suum locupletare potuisset: verum cum ob suscepta majoris momenti opera, tum ob grassantia, reique litterariæ non parum exitiosa bella, iis edendis abstinuit, aliisque opportuniori tempore evulganda reliquit.

XLIII. Tractatum edit de studiis monasticis.

Haud ita multo post suum ex Italia reditum, hortantibus Præpositis, virisque undequaque gravissimis, ad totius Reipublicæ monasticæ commodum tractatum elucubrat de studiis monasticis: in quibus, præscripta studiorum methodo, quæ subinde Monachis, virisque Ecclesiasticis congruant, ad illorum mentem explicat, qui eximii hujus operis edendi autores ei fuerant. Opus illud tres in partes distributum voluit: in quarum prima, studia litterarum non solum statui monastico non repugnantia, aut Monachis interdicta, sed etiam tuendæ disciplinæ adeo necessaria ostendit, ut sine iis vix stare queat. Idque invicte probat tum ex Sancti Benedicti Regula, tum exemplo Benedictinorum qui Ordinem doctrina illustrarunt, tum denique locupletissimis Monasteriorum Bibliothecis, ac perpetua totius Ordinis traditione.

In secunda parte expendit ea omnia studiorum genera, quæ Monachos solitarios decent; contenditque omnia illis permitti posse, quæ viris Ecclesiasticis liceant. Subinde explicatis, quæ cuique conveniant, studiis, eorumdem præscribit methodum, traditque subsidia. In tertia parte scopum docet, quem sibi in studiis proponere quisque debeat: veritatis scilicet notitiam, cum caritate ac monasti-

corum officiorum observantia conjunctam. Hanc partem excipit scitu digna atque ordine sæculorum digesta series difficultatum, quæ in lectione Conciliorum, Patrum, & Historiæ Ecclesiasticæ occurrere possunt: accedit catalogus selectorum librorum, quibus monastica juxta ac ecclesiastica Bibliotheca instrui potest.

Tractatus de Studiis Monasticis miro plausu excipitur.

Quo porro Litteratorum, omniumque pene religiosorum Ordinum plausu id uni Mabillonio adumbratum, cæteris vero, numeris omnibus absolutum opus exceptum fuerit, satis superque testantur præclaræ, quæ in fronte operis leguntur Doctorum Sorbonicorum approbationes, variæque variis in regionibus concinnatæ editiones, ac multifariæ Italico ac Latino sermone conscriptæ versiones. Ea ijs Italicam ann. MDCCI. sub Scholæ Mabillonianæ titulo omnium primus adornavit Pater Ceppius Augustinianæ Familiæ alumnus; Latinas vero in urbe Keptensi apud Suevos ann. MDCCII. P. Udalricus Ordinis Sancti Benedicti, ac Bavaricæ SS. Angelorum Custodum Congregationis Monachus; Venetiis quoque P. Josephus Porta Casinensis Sodalitii Monachus, atque in Collegio Anselmo Benedictino Romæ olim Sacræ Theologiæ Professor; in Helvetia tandem hujus partem operis Latine reddidit meritissimus P. Hermannus Skenk Sangallensis Bibliothecæ Præfectus,

Variæ hujus Tractatus versiones.

XLIV. Opus de Studiis Monasticis impugnat Abbas M. de Trappa.

Eximium illud de Studiis Monasticis opus, omnium licet silentio, ne dicam elogio exceptum inique tulit, unusque impugnavit cl. Abbas M. de Trappa ex Strictiori Observantia Cisterciensis, vir ut pietate sic editis operibus ubique celebris: inde namque turbari monasteria, sanctiorem disciplinam una cum pietate enervari, Monachorum intumescere animus, suam demum quam non ita pridem publici juris fecerat de studiis vitæque Monasticæ officiis sententiam labefactari: idque consilii habuisse Mabillonium immerito sibi in animum induxerat; quod quam foret à mente Mabillonii, ac proposito longe alienum, facile intelligere potuisset idem Abbas vel ex suis addictissimis, ac familiaribus amicis, qui operis hujus consilium longe ante Mabillonio injecerant, ac proinde longe ante meditatum noverant, quam in lucem prodiisset illud de vitæ monasticæ officiis opus. Non tamen negaverim, quod hoc ante Mabillonii tractatum evulgato, quid in eo de studiis monasticis sentiret prælaudatus Abbas, prudens examinatum voluit Mabillonius, factoque examine ab ejus sententia discrepavit. In hac porro de studiis controversia plurimum sane hallucinatus est Abbas de Trappa, mentemque Mabillonii non est assecutus, dum illum Monachos omnes profanarum litterarum, peregrinarum linguarum, mathematicarum disciplinarum, numismatum, inscriptionum notitia indiscriminatum ornatos voluisse contendit, sicque loquentem inducit. *Opera*, inquit, *pretium est, Monachos omnes Sacræ Theologiæ, ac scientiæ Ecclesiasticæ arcana scrutari, rebus historiæ reconditioribus, sacris Conciliorum canonibus sedulo studere, Patrum intelligere auctorumque sententias, illorum denique opera percurrere.* Hæc in sua ad Mabillonium responsione ipsi affinxisse non diffitetur laudatus Abbas de Trappa; quamvis secus sentire se abunde satis contestatus esset Mabillonius per eam, quam operi præfixit, junioribusque Congregationis nostræ alumnis inscripsit epistolam. *Neque enim*, inquit, *à recensendis iis, quæ Monachos, ac viros quoque Ecclesiasticos decent, studiis scientiisque abstinere potui; quamvis nullatenus du item, quin id consilii eos in primis moveat, quo singulis indiscriminatim. Monachis æque propositum autumabunt. Verum mihi longe alia mens: persuasum quippe mihi est, ut pauci reperiuntur altioribus studiis pares Monachi, ita pauciores occurrere, qui ad ea capessenda à Deo destinentur. Fuit igitur opera pretium varias in præsenti tractatu pro variorum captu in medium proferre scientias, quo quisque suam, ingeniique viribus magis accommodatam eligeret; eidemque operam daret. Cæterum*, inquit, *Superiorum officium est subjectos sibi Monachos ad ea potissimum capessenda studia invitare, quæ cum illorum ingeniis sunt magis congrua, tum etiam Ecclesiæ, aut quam profitentur vitæ Monasticæ magis opportuna. Quod si sigillatim de scientiis differens, multiplices super ipsarum qualibet libros perlegendos proponam; non est quod inde velim, ad eorum omnium lectionem quoslibet indiscriminatim cogere sed variis dumtaxat indulgere singulorum ingeniis, qui ex multigenis, quos propono, libris, eos de Præpositorum, vel alterius prudentis doctique viri consilio, sibi eligere poterunt, qui sibi utiliores, captuique accommodatiores videbuntur. Hæc interim sufficiant pro mei manifestatione consilii, præsentisque operis proposito.*

XLV. Studiorum usus.

Neque id unquam, Fratres, cogitavi, ut Cœnobia nostra transformarem in Academica Scientiarum omnium Lycea. Enimvero cum Apostolus non de alia sane quam de Christi & quidem Crucifixi scientia gloriari se dixerit, haud alia pariter sic oportet gloriatio nostra, metaque studiorum nostrorum. Hæc igitur à nobis sic exercenda sunt, quatenus in nobis ipsis, quin etiam & in aliis reformemus quantum possumus novum illum hominem, cujus exemplar in semetipso expressit Salvator noster: & si qua fuerit scientia quæ ad hunc scopum non recta collineet, ea certe in nobis plus detrimenti pariet quam emolumenti. Una Christi caritas studia nostra recte dirigere valet, illumque animi tumorem reprimere, quo spectabilium scientiarum professores ut plurimum laborant, ubi per ipsas cæteris eminere contendunt, vanaque gloriola cupiditate incensi, ab hominibus sciri volunt.

In hunc, pergit Mabillonius, *scopulum non impingetis, Fratres charissimi, si cum Doctore Mellifluo, vosmetipsos frequenter sic alloquamini:* Malo humilitatem, ...ille, quæ inflat, quam absque illa, quæ ædificat, invenire: *si singulæ cogitationes vestræ, si omnes studiorum conatus ad clariorem Dei divinarumque perfectionum notitiam, & mundanæ gloriæ contemptum collineent. Ut enim ex Apostolo quæ sine caritate est scientia inflat, ita quæ caritate animatur, assequendæ humilitati, aliisque virtutibus plurimum confert. Si igitur, quas studio ac labore comparatis, divinarum humanarumque rerum notitia, hunc in vobis fructum non referant, studiis omnium penitus remittere, quam mortifero scientiarum veneno inficiant, quem incautis plerumque pariunt, superbiæ tumore inflari, longe satius est.* Hanc de studiis Monasticis Mabillonii sententiam propriis, quantum potui reddere verbis visum est operæ pretium; idque fusiori stylo, ne breviori forsan elevaretur; unde facile cuique pateat Mabillonii scopus, quamque religiosum fuerit ejus circa studia, rationeique studiorum consilium, dum viri porro docti, Christiani ac vere religiosi imaginem adumbravit, propriam in tale cogitantem expressisse nemo non videt.

XLVI. Sui vindicias parat Mabillonius.

Ea jam dictis conjicere quoque licet, quam alienum à Mabillonii mente consilioque fuerit, eam labefactare disciplinam, quam Religiosissimus Abbas de Trappa ad multorum salutem opportune adeo instituerat. Neque vero id umquam contendit Mabillonius, ut neglectis vitæ Monasticæ officiis, totum studiis animum intenderent Monachi: siquidem utraque simul conjungi quodam quasi fœdere verbis ipse docebat, & exemplis: nec umquam studiorum causa

quemquam Congregationis Monachum, Superiorum licet jussu magni momenti operibus intentum, à labore manuum immunem volebat. Id ipse pro viribus exemplo comprobavit suo. Nam ut cætera taceam, quibus ipse de more vacabat, Monasterii exercitia, probationis domum interdum adibat ubi ab omni studiorum curis expeditus, sibique uni intentus, tum labori manuum, tum etiam abjectioribus Tyronum muniis, eo fervore, animique lætitia se exercebat, ut Sodalibus omnibus admirationi, Tyronibus foret exemplo.

Suam de studiis Monasticis sententiam vindicat.

Hæc cum de studiis Monasticis sentiret Mabillonius, quid mirum si suam ea de re sententiam à prælaudato Abbate uti periculosam haberi, ac labefactandæ Monasticæ pietati idoneam prædicari molesto animo tulit, eamque sibi juxta ac toti Monastico Ordini illatam injuriam (salva tamen debita tam religioso Abbati reverentia) vindicandam suscepit? Illum ad hujusmodi vindicias invitantibus non Præpositis modo, sed Gallicanæ quoque Ecclesiæ, Regnique viris celeberrimis: adeo Monachorum studia plurimum Reipublicæ interesse persuasum omnibus erat. Et vero quantum inde splendoris ac rei litterariæ commodi accederet, plane noverat Illustrissimus Franciæ Cancellarius D. de Boucherat, cum suadentibus licet nuper laudati Abbatis familiaribus, Mabillonii responsionem non modo non impedivit, sed etiam ad se accersitum, ad eam quam posset citissime adornandam enixe hortatus est. Operæ pretium est, inquit, immo Reipublicæ interest, id operis refellendum te suscipere, quod nuper in tuum de studiis Monasticis tractatum publicæ luci tradidit Abbas de Trappa; compertum quippe mihi est, cujus momenti sit hæc responsio: eam ubi præfeceris, illico apud me deferri cura: eam ipsemet discutiam, gratisque ejusdem edendæ privilegium concedi præcipiam. Novi animi tui moderationem, tuamque in Abbatem de Trappa observantiam, quare te ad utramque hortari supervacaneum putaverim.

XLVII. Animadversiones Mabillonii in Abbatem de Trappa.

Id operis ea celeritate ac diligentia absolvit, ut tribus post evulgatam Abbatis Trappensis responsionem mensibus, prælo maturum redderit. Opus porro illud Inscriptum voluit: *Animadversiones in Responsionem Abbatis de Trappa ad Tractatum de Studiis Monasticis*, ratus videlicet eo *Animadversionis* titulo suam se in laudatum Abbatem observantiam luculentius patefacturum: quæ quidem non impedivit, quominus ut strenue, ita erudite suam de studiis sententiam propugnaret, Abbatis refelleret objectiones, responsa dilueret, ac criminationes, plurima sibi ab eo male impacta ostenderet, dissimulatum ac deformatum quæstionis statum restitueret; an scilicet studia litterarum, ea maxime, quæ viros Ecclesiasticos decent, Monachis liceant? Majora tamen aut minora pro cujusque captu & Superiorum judicio: non autem ut falso expostulat Abbas, utrum disciplinæ omnes, de quibus disseruerat Mabillonius, Monachis necessariæ sint; longe minus, an Monachi omnes indiscriminatim majoribus altioribusque studiis vacare debeant? Id enim numquam Mabillonio in mentem venerat. Quæ omnia styli moderatione animique modestia scripsit, qua major ab austerioribus desiderari non potuit. Fuit hæc non modo celebriorum, quorum verbis usum sum, doctorum, sed aliorum quoque omnium vox, unaque sententia.

Mabillonii modestiæ specimen egregium.

Lubet hoc loco quidpiam Lectori forte non ingratum referre circa Doctorum approbationes, & egregia illorum in prædictum Mabillonii opus encomia, scilicet cum ejusmodi de studiis Monasticis argumentum non exigui momenti videretur; celebrioribus Parisiensis facultatis Doctoribus examinandum traditur, idque in se muneris libentissime suscipientes, mature ac diligenter expensum opus, tantis subinde laudibus exornarunt, ut earum pro innata sibi modestia impatiens Mabillonius, ad eas in lucem edendas nulla ratione adduci posset: unde non semel, perperam tamen tentata atque omnino desperata vel minimæ laudis particulæ mutatione, nonnulla ex approbatione partim moderatur, partim ipse resecat, quæ modestiæ graviora videbantur: quod ubi ex inopinato audit qui approbationem dederat per epistolam, quæ in alio alioquin acrior, asperiorque videatur, graviter de ipso queritur, quod nempe præter officium, præterque morem castigare suos examinatores ausus fuerit: affirmans se, quæcumque dixerit, vindicaturum, neque passurum quidpiam vel minimum sua in approbatione, cujus verba omnia ponderaverat, immutari, quo dicto, Typographum adit, resecata restitui jubet, prohibetque vel particulam laudis detrahi. Duplex eodem ferme tempore hujus in Abbatem operis prodiit editio; ex cujus lectione Abbatem & Mabillonium in eamdem prope abire sententiam facile quivis intelligat.

XLVIII Mabillonius Abbatē Trappensem adit.

Eo res processerat, cum Serenissima quædam Princeps fœmina, quæ eximiam utriusque pietatem prope venerabatur, nihil apud Mabillonium non molitur, quo ad invisendum Abbatem adducat; rata nimirum vel hoc mutuo congressu posse conciliari utriusque animos, facileque dirimi controversiam. Paruit fœminæ concilio pacis perinde ac caritatis studiosus Mabillonius; seque ad Cœnobium Trappense contulit anno MDCXCIII. Ut vero primum alter alteri occurrit, se se invicem flexis genibus complexi sunt; nec divelli ante potuerunt, quam plurima incredibilis humilitatis argumenta ultro citroque dedissent. Hæc qui serio reputare voluerit, facile intelliget non sine magno Superum consilio factum esse, ut viri integerrimi honestissima pugna congrederentur, ne sanctissimo pacis ineundæ exemplo careremus.

XLIX. Mabillonium laudat Abbas Marsolier.

Cæterum cum inita inter utrumque disceptatio undequaque percrebuerit; non abs re fortasse videbitur ea hic referre, quæ in prælaudati Abbatis vita eleganter prorsus adornata memorat celebris ejus encomiastes Abbas Marsolier. *Ex iis*, inquit, *qui opus de vita monastica Officent impugnarunt, claruit, principemque locum obtinuit clarus ipse Mabillonius. Is enimvero cum Abbatis sententiam non omnino approbaret, immo in multis ab eo discreparet; tractatum edidit non verborum asperitate, non scommatibus, non felle, jocisque ut plurimum fieri solet, respersum; sed mira eruditione nec minori modestia, insolenti animi moderatione, singulari prope morum elegantia & humanitate ubique conditum; & sane ea caritate, qua tantopere in Evangelio commendatur, virosque decet maxime religiosos. Amat vindicari veritas, vultque qui totus caritas est, Deus, ut fide mentibus, sic cordibus caritate dominari.* Huic Mabillonii operi aliud subinde Abbas de Trappa sub sequenti titulo opposuit: *Responsio ad Tractatum de Studiis Monasticis*: quam responsionem anno proxime sequenti excepere Mabillonii animadversiones, seu considerationes. Res eo stetit, nec ulterius processit. Exinde vero nulla sibi vicissim non dedere sinceræ benevolentiæ ac existimationis argumenta duo illi præstantissimi viri, vel potius duo magna Monastici Ordinis luminaria, regularisque columina disciplinæ. Dignum sane, quod Christiani omnes æmulentur, ac ii maxime qui dignitate præfulgent, cæterisque prælucere debent, pacis & caritatis exemplum.

Fuit is celeberrimæ controversiæ exitus, quam etsi

L.
Quid de Studiis Monasticis senserint Summi Pontifices.

hoc loco nec refricare, nec curiosius scrutari sit animus; observatum tamen velim, Summos Ecclesiæ Pontifices, suis non semel litteris approbasse Congregationis nostræ studia, ac ea maxime, quæ Sanctorum Ecclesiæ Patrum recensendis & illustrandis operibus assidue impenduntur. Id suis sæpe litteris Apostolicis testatum omnibus voluit, qui doctrinæ, omniumque virtutum splendore toti Ecclesiæ prælucet Clemens XI. Pontifex Maximus, potissimum vero nuperis quibus novæ, eique nuncupatæ Gregorii Magni editionis occasione, Præpositum nostrum Generalem dignatus est; quasque hic omnium oculis subjicere juvat.

Breve Apostolicum in gratiam studiorum Congregationis S. Mauri Præfecto Generali directum.

Dilecte Filio Salutem.

Diutius præterire silentio non possumus quantopere nobis acceptum, probatumque sit studium, quod Congregatio tua SS. Ecclesiæ Patrum operibus recensendis, iisque nitidiori quam antea cultu, publicum in lucem proferendis impendit. Quod quidem studium & professione virtuteque maxime dignum duximus; & non vobis dumtaxat gloriosum, verum etiam rei Christianæ ac Orthodoxæ in primis Religioni saluberrimum fore confidimus. Quamobrem te, monachosque tuos in Domino hortamur, ut in egregio hoc instituto strenue, diligenterque pergatis; pro certo habentes, quidquid in honorem commodumque vestrum à Pontificia benignitate poterit proficisci, id nullo vobis unquam tempore defuturum. Interea vero mitti ad te jussimus sacra quædam munuscula, ut potissimum eruditis viris, arbitratu tuo, distribuenda, qui in ejusmodi editionibus adornandis incumbunt, ut ipsis argumento sint paternæ qua eos complectimur, Caritatis. Tibi autem dilecte Fili, præcipuum nostræ benevolentiæ pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ xix. April. 1706.

Idipsum quoque gloriosæ mem. Alexander VIII. & Innocentius XII. testatum antea fecerant; nec semel Monastica studia toti non solum Ecclesiæ, verum etiam Instituto nostro saluberrima declaraverant. Quamobrem prælaudatus Innocentius inito nonnullas in Italia Benedictini Ordinis Congregationes reformandi consilio, inter varias, atque hujusmodi reformationi firmandæ opportunas, quas condi jussit, regulas, id in primis, ut patet & Decreto Maii 12, ann. 1695. statutum voluit, ut Monasterium unum efformandis ad pietatem & doctrinam junioribus professis designaretur. Vindicandis porro Monasticis studiis opportunissima videtur Cardinalis Josephi Aguirrei directa Mabillonio Epistola, quam primus publici juris fecit Josephus à Porta Theologus Casinensis tertio versionis latinæ, Venetiis editæ ann. 1704.

Epistola Cardinalis Josephi Aguirrei.

Admodum Reverende Pater.

Nihil mihi gratius accidit, quam ubi litteras tuas accipio, aut libros lego, præsertim hunc novissimum de ratione studiorum Monachalium adversus piissimum illum Abbatem de Trappa. Nondum mihi fuit tempus totum illum percurrendi; sed adhuc restat major ipsius pars evolvenda: cum autem scriptus sit lingua Gallica mihi peregrina, in qua hactenus exiguos progressus feci, solum dicere possum cum veteri illo Philosopho. Quæ intellexi bona sunt, credo & quæ non intellexi. *Idem mihi passim accidit in libris Gallicis etiam prædicti Abbatis, quos ingenti numero apud me habeo, & interdum lego, aut coram me legere facio. Certe in hac parte sive defensione studiorum Monastici Ordinis, rationes tuæ, probationes & documenta ex tota fere antiquitate Christiana desumpta, videntur plane rem extra controversiam ponere. Si nulla utilitas, nullum meritum, nihil denique laudabile est in studiis & exercitiis litterariis Monachorum; væ majoribus nostris, qui tot sæculis à tempore Patriarchæ Benedicti in iis laborarunt; væ tibi, tuique similibus in Congregatione Sancti Mauri; væ & mihi aliisque meorum Fratrum in Hispania, & alibi fere. Profecto miserabiliores sumus aliis hominibus, si tota nocte laborantes nihil cepimus: atqui loquendo de iis qui pietatem in primis colunt, ac subinde litteraria studia debito modo ac tempore in eum scopum dirigunt, immane paradoxon & minime tolerandum erit, si ab illo scriptore aut quoquam alio damnentur. Melius certe ac rationabilius invehi potuisset adversus quoslibet præsertim Monachos, præpostero fine, modo, ac via studentes, aut plus sapere appetentes, quam oportet sapere: nimirum ex his capitibus peccatur frequentissime ab iis etiam, qui Monasticam vitam professi plus justo atque incongruo modo exercitationibus litterariis se dedunt, non tamen Dei obsequium, utilitatem publicam & privatam laborantes, quam ob curiositatem, ambitionem, aut illiberalem quæstum; quin & sæpe non solum in Scholis publicis, sed etiam privatis Monasteriorum magna temporis pars insumitur, jactura irreparabili, in quæstionibus prorsus inutilibus, similibus aranearum telis, in quibus nihil est præter scholasticam quamdam subtilitatem. Id mihi etiam contigisse primore sæculi, qui etiam in Religiosos viros & claustra Monastica irrepsit, fateor non absque cordis mei mærore: multa dictavi, scripsi, & typis mandavi parum utilia, quamvis plurima alia ejusdem generis resecaverim. Quæcumque de cætero edere contigerit, absque ea labe sane prodibunt: quin etiam ante jam edita, si recudenda erunt, ab ejusmodi quisquiliis libera erunt, quantum mihi licuerit. Neque enim omnia illa, quæ primo aspectu salsa videntur, resecari penitus debent, cum multa eorum deserviant ad exercitationem congruam ingeniorum; & viam aperiant, mentemque exacuant ad graviores alias quæstiones penitus intelligendas & explanandas. Laudandus itaque esset Scriptor ille, si dumtaxat adversus hoc studendi ac scribendi cacoethes, præsertim in Monachos calamum strinxisset; atque ea in re me consentientem ac laudatorem inveniret. Deservient tamen illius scripta & observationes circa eam rem, ut Monachi omnes Sancti Patris Benedicti memores instituti nostri potiores curas, majoremque temporis partem impendant in exercitiis spiritualibus & sacris in regula præscriptis: studiis vero litterarum dumtaxat quantum & quatenus conferunt aut conferre queunt ad pietatem, perfectionem Christianam, religiosam, monachalem, & tandem ad perfectam charitatem erga Deum & proximum. Sed quid ego immoror in iis explicandis, quæ uberrime a te insigni eruditione in hoc libro explanata sunt & erunt; quin & a Congregatione tua observantissima pariter & doctissima usu ipso ac vivido exemplo demonstrantur?*

Perge igitur, Vir eximie, & prosequere uti hactenus, simul cum aliis Sociis, quotquot incumbunt similibus studiis, & præcipue correctissimis editionibus operum Sanctorum Patrum; quales profecto sunt in primis novissimæ SS. Ambrosii & Augustini, quorum postremos Tomos accepi cum ingenti animi voluptate & non minori erga vos grati animi significatione. Ne prætermittas, quæso gratias meo nomine reddere quamprimum Reverendissimo Patri Generali, & salutem plurimam impertiri eruditissimis Michaeli Germano, Theodorico Ruinart, Bernardo de Montfaucon, aliisque similibus. Vale, & tuis ac tuorum Sacrificiis & precibus me nimium egentem Deo commenda. Romæ 22. Jan. 1692.

Cæterum quamvis in hac de studiis disceptatione plurimum ob adversarii famam claruerit Mabillonii moderatio; haud tamen absimilem in aliis ad-

LI.
Mabillonii moderatio

ac prudentia Christiana.

hibuisse docent isthæc digna quæ referantur, Rei diplomaticæ verba. *Jam vero*, inquit, *diligentiæ moderationem conjungere operæ pretium duxi, ratus ut in moralibus civilibusque rebus, sic in artibus omnem definitionem esse periculosam, præsertim in illis, quæ necdum penitus illustratæ sunt, disciplinis: propterea quod ex incautis assertionibus facile in errorem inducantur alii, quibus comperta & explorata non est earum rerum cognitio. Quapropter in affirmando, quod observaveram, tardus & circumspectius, in negando parcior & religiosior esse studui. Neque tantum hac in parte moderationem exercere visum est, sed etiam in modo ipso sive tractandi, sive refutandi, pacato ac tranquillo, qualis veritatis ac Christianæ Religionis cultores decet. Unde ne vera quidem objecturus sum, nisi causa id exigat: mihique ob oculos præcipue propositum fuit, ne quod mihi verbum in mentem veniret, quo quisquam offenderetur, satius quippe arbitratus sum fortia mollius dicere, quam vehementius; nam quæ fortia, dum dicuntur, videntur, male sana, cum læserint, merito reputantur. Sed hac in re opus est maxime prudentia Christiana, ut nec veritati obsit languens ac frigidus stylus, nec immoderatus caritati. Ab his legibus si quandoque me aberrasse contigerit, id mihi, quæso, benignus lector ignoscat; & præter animum ac votum accidisse persuasum habeat.*

Et certe moderationi potissimum studebat Mabillonius; nec umquam tuendæ suæ sententiæ causa cujuspiam animum offensum aut à se divulsum volebat. Id vero præsertim præcavere videbatur, cum certa, religiosa inter Sodalitia, aliqua contentione, Ordinis jura, privilegia, aut id genus alia scriptis vindicanda occurrebant. Tametsi enim omnes Christiano, quo par erat, prosequeretur adfectu; propensiori tamen studio eos complectebatur, qui divino cultui essent mancipati: unde ista Doctoris Mellisflui verba frequens usurpabat, *Unum Ordinem professione teneo, cæteros caritate.* Nihil umquam aut cæca mente, aut humano intuitu adgredi solitus, sed uno semper veritatis atque æquitatis amore ductus rem sibi nullam, nisi validis rationibus, gravique autoritate firmatam, agendam suscipiebat: ad susceptam vero strenue tuendam, feliciterque superandam non parum juvabant ejus in rerum usu præclarissimarum eximia sagacitas, in rebus discernendis acre limatumque judicium, demum in dilucidandis expedita ingenii facultas.

LII. Jura præcedentiæ contra Canonicos Regulares vindicat.

Argumento sunt gemina illa scripta, quæ adserendis contra Regulares Canonicos, Sodalium nostrorum Divionensium in Burgundiæ Comitiis, præcedentiæ juribus concinnavit: quæ quidem ejusmodi sunt, ut, peritorum judicio, non tam documenta, quam eruditæ dissertationes dici jure ac merito debeant, ob varia scilicet, quæ in eis passim illustrantur, historiæ capita. Ea tanti fecere Germaniæ Monachi, ut ad similia quoque jura vindicanda non semel ac feliciter usi, ad publicum commodum latine reddi, typisque subinde consignari curaverint. Quam in ejusmodi rebus apprime versatus foret Mabillonius, non ita pridem palam fecerat, cum eximios, aureosque plane libros de Imitatione Christi, decertantibus licet, atque acerrime reclamantibus Regularibus Canonicis, Ordini Benedictino, suoque legitimo auctori Joanni Gersen Vercellensis S. Stephani Cœnobii Abbati adseruit. Extat ea de re opusculum ann. MDCLXXVII. luci publicæ datum, in quo Mabillonius valide adeo, ac erudite asperiora refellit adversariorum scripta, ut omnem ipsis præclusisse defensioni viam in confesso sit apud omnes. Nemini porro non arridet quæ in hoc opusculo eminet Mabillonii moderatio, atque in ipso concertationis æstu, pacis ac religiosæ caritatis studium prope singulare. Utrumque abunde testantur in fronte operis posita, ac viro plane religioso dignissima verba: *Si mihi*, inquiebat vir caritatis studiosissimus, *aut lædenda vel minimum caritatis, aut, quam tuendam suscepi, causæ amittendæ optio daretur; librum de Imitatione Christi aureum licet atque Ordini nostro longe honorificum adversariis concedere, quam Christianam vel leviter caritatem violare multo præstabilius duxerim.* Et re quidem vera id ei in omni contentione potissimum curæ erat, ut numquam hujusmodi concertationibus discinderentur Religiosæ familiæ. Noverat siquidem vir moderatissimus, aversos vel semel animos perdifficile conciliari. Quamobrem ubi disceptatio ad certum terminum devenerat, à cœptis, jure licet ac ratione longe superior, desistebat: malebatque non suas modo, sed & adversariorum responsiones silentio premere, quam ulterius progredi non sine dispendio caritatis, quam unam & ipse sibi proponebat, & cæteris omnibus propositam esse volebat.

LIII. Ejus pacis studium.

Eo pacis & caritatis amore incensus nullam in familiari congressu diligentiam non adhibebat, ne quemquam verbis offenderet, aut disceptando vel leviter commoveret. Hinc pro viribus rixas & contentiones procul amandare sollicitus, hæc cum Apostolo gentium proferre solebat: *Si quis contentiosus sit inter vos, nos talem consuetudinem non habemus.* Et tum quidem rem tacitus audire, quam vanam, ac sæpe noxiam disputationem inire multo tutius satiusque ducebat. Hinc non sine adstantium admiratione viris inferioris ingenii, longeque inferioris doctrinæ ultro cedebat: illorum placita, si quando, ut solent indocti, magisterium arrogantius affectabant, ceu discipulus auscultare, ab iisque etiam erudiri non dedignabatur, immo, ceu revera quidpiam fuisset edoctus, ipsis, qua pollebat morum elegantia & humanitate, gratulabatur. Quam gloriæ suæ negligens, tam studiosus erat alienæ: neque audire neque dicere quidquam sustinebat, quo vel minima labes alicujus famæ aspergeretur. Eruditi nomen tota qua patet Republica Litteraria jure adeptus, de suæ tamen eruditionis fama haudquaquam gloriabatur; celabat ultro, adeo illam non ostentabat, scire, quam sciri longe cupidior. Siquidem exploratum habebat vir Religiosissimus, nihil scientiæ ac virtuti tam inimicum, quam scientiæ propriæque virtutis opinionem. Humilitate, inquiebat, humilitate opus est, quæ fundamentum est sapientiæ, & veræ gloriæ ac doctrinæ seges: quæ non quid actum sit, sed quid agendum, non quid adsit, sed quid desit, attendat: quæ demum non de quæsitu gloriatur, sed de quærendo sollicita est. Sic modeste sentiebat vir modestia insignis: eamque calcabat viam humilitatis. Hujus amore captus, si alicujus interdum Sodalis socius domum cum eo sæcularem adiret, illorum se mox oculis subducere studebat, quibus se vultu ignotum putabat, vultu inquam (cui enim Mabillonii nomen peregrinum esse poterat?) ibique ceu obscuri, nulliusque fuisset in orbe litterario nominis Monachus, ac Monachorum novissimus modeste admodum se gerere non semel, nec sine admiratione observatum est. Qui porro sic latitantem Mabillonium solummodo viderant, dolebantque tanti viri alloquendi præteriisse occasionem, ejus saltem modestiæ & humilitatis testes ac spectatores fuisse ibi gratulabantur.

Præstat hic alterum proferre eruditi viri humilitatis specimen, ad illorum videlicet documentum, qui imperitorum more supra modum intumescentes, res penitus ignorare, quam ab iis, quos doctrina

putant sua longe inferiores, addiscere malunt. Is itaque ubi primum me sibi socium adscivit, discendis Græcis litteris aliquandiu addictum voluit, eoque in studio perinde ac in cæteris non ipse solum per otium opem tulit, verum etiam, qui me græce erudiret, magistrum tradi curavit. Hic vero per mihi mirum accidit, cum; sive mecum ipse quoque Græcis litteris operam dare, seu mihi stimulos addere vellet, docentem magistrum ceu discipulus audire, eosdem, quibus utebar, libros legere, locutiones explanare, verba ac verborum radices scrutari non est dedignatus. Quantum porro arrideret ipsi hæc humilitatis exercitatio, vel ex ea, quæ tunc in eo elucebat, vultus mentisque hilaritate facile quisque intelligebat.

LIV. Ejus in adversarios humanitas.

Hic nonnulla alia caritatis simul & humilitatis exempla memoranda sese offerunt; & ea maxime, ex quibus qualem se in adversarios gesserit, plane edocemur. Ex iis unum, qui per annos aliquot asperrimis in eum scriptis invectus fuerat, qua officiis, qua obsequiis, qua demum urbanitate; animique modestia sibi ita demeruit, ut in se reversus temere in eum calamum strinxisse ultro professus sit. Ipse vero injuriæ immemor, memor clementiæ, nullum exinde officii studiique genus ei non detulit: quin etiam calamum acuentem amicum à scribendo deterruit. Quid alterum memorem, qui cum ab suis ad adversarii partes defecisset, ac beneficiorum prorsus immemorem non semel se ostendisset; ad se tamen non voluntate, sed necessitate confugientem incredibili caritate excepit; nullamque, quo illum ab infelici casu eriperet, gratiam & autoritatem non adhibuit; subinde vero ereptum, rursusque beneficii immemorem non solum non indigne tulit, sed pari quoque, quo antea, studio complexus est.

Haud absimili caritatis, atque humilitatis amore inflammatus ab iis veniam interdum rogabat, quorum animos vel hac animi demissione demulcere, ubique demereri se posse arbitrabatur: eo denique humilitatis (quam Christianorum omnium, maxime vero Religiosorum tesseram appellabat) studio tenebatur, ut ejusdem exercendæ occasionem prætermitteret nullam. Nonne, aiebat, æquum est, ut vel interdum vanitatem proteramus nostram, qui tam sæpe inaniter gloriamur, nosque immerentes licet supra modum extullimus? Expedit rebus quandoque nos conflictari adversis, ut vel ex iis infirmitatem experiamur nostram. Neque enim sumus alicujus apud Deum meriti, nisi ejus causa, & amore adversa quæque strenue sustineamus. Hunc demissi animi sensum cuidam, cujus pietatem probe noverat, mœrenti amico aliquando suggerebat, quem affictum sibi crimen ab se amoliri vix patiebatur. Is quippe, reponebat Mabillonius, apud Deum meriti decerpit plurimum, qui vindicandæ suæ apud homines famæ studiosius animum non intendit. Deinde addebat: Adversa quæque æquo demissoque animo ferre manifestum divinæ in nos benignitatis argumentum est, ac maximum sane quod in hac vita expectari queat laboris virtutisque præmium, in terris quidem parvi aut pæne nihili æstimatum, quippe non satis mortalium mentibus exploratum, sed in cœlo, ubi vera felicitas est, pro merito æstimandum. Hæc ut divina autoritate firmiora redderet, ac plane persuaderet, locum illum indigitabat Evangelii Sancti Marci, in quo inter multa, eaque varia, quæ omnia relinquentibus promittuntur etiam in hac vita præmiorum genera, persecutiones haud postremum locum obtinere dicebat.

Marci cap. 10.

LV. Quam humilis in adornandis operibus.

Hæc de humilitate, cujus exercitio mirum in modum oblectabatur, quamque veluti fundamentum posuisse videbatur, cui tanta vis eruditionis, tantæque animi dotes tuto insiderent, sentiebat Mabillonius, tumque potissimum dabat virtutis hujus specimina; cum opus aliquod publicæ luci consignandum parabat. Tunc enimvero eruditos, quin & alios doctrina licet inferiores viros consulere, eorumque parere consiliis non dedignabatur, maxime vero cum quidpiam aut vindicandum, aut impugnandum adgrediebatur: tum namque edenda diligentissime examinabat, diuque & accurate expendebat, ne quid aut veritati non consonum, aut contrarium caritati proferret. Tantum Præpositis deferebat suis Mabillonius, nihil ut iis unquam aut inconsultis, aut invitis emissum in lucem voluerit: immo vero ut ipsis interdum morem gereret, non pauca, suo licet judicio haud contemnenda, ultro suppresserit. Studia sua ut Præpositorum consiliis, atque ad Deum precibus dirigerentur, enixe humiliterque rogabat: nec ullum unquam in se opus, nisi jussus suscipiebat, adeo à Præpositorum ductu simul & imperio pendere unice cupiebat; præviamque ac ducem amabat obedientiam. Porro ita debitæ Præpositis suis obedientiæ dabat operam, ut longe majorem Ecclesiæ, atque ab ea constitutis judicibus daret. Eam Mabillonius in cunctis suis operibus, ac præsertim in nupero ante obitum evulgato Annalium tomo palam fecit his verbis: *Multa, inquit, mihi condonari, quæ quidem tolerabilia sunt, multa indulgeri opto, excepto si quid vel tantillum contra quempiam inofficiose, maxime si quid vel tantillum contra debitam Catholicæ Romanæ Ecclesiæ reverentiam vel doctrinam mihi nec cogitanti, & nolenti excidisset. Absit enim, ut ab hac regula veritatis, matre, inquam, Ecclesia unquam dissentiam; cujus judicio ac censuræ, quæcumque hactenus scripsi, vel post hac scripturus sum lubens volens & ex animo submitto; in cujus sinu & fide semper vixi, & constanter adjuvante Deo emori exopto.*

Mabillonii obedientia.

Mabillonii in Ecclesiam, Sedemque Apostolicam observantia.

Pietatis specimen.

Non prius quidquam operis solebat adgredi, quam Sanctissimo coram Sacramento, ejusdem rite adorandi, atque absolvendi gratiam postulasset. Subinde vero primum operis folium, ceu laboris studiique primitias Christo nuncupaturus, reverenter super altare deferebat. In cella nihil nisi præmissa, qua potissimum utebatur, oratione inchoabat: noverat siquidem vir religiosissimus, ab uno Deo bonorum omnium fonte cuncta profluere; vanasque, non tantum noxias sine ipso fore, quæ studiis comparantur, rerum omnium etiam præclarissimarum notitias. Ut debitæ virtutibus gloriæ se subduceret, eas humilitati tegendas committebat simul & servandas. Cæteris testibus nemo major, seipso judice, nemo minor. Quo sibi vilior, eo major erat ejus in Deum fiducia, deque acceptis ab eo beneficiis intensior grati animi sensus. Illud præ cæteris verebatur, ne vel minimam gloriæ, quæ uni Deo tota debetur, particulam retineret sibi: nihilque diligentius cavebat, quam ne oculis hominum quidquam objiceret, unde sanctitatis colligeret opinionem, aut aliquo in pretio esse videretur: unde laudatores haud secus, atque insidiatores fugiebat. Quo ipse afflatus erat spiritu humilitatis, eumdem cæteris afflare studebat. Gratulare, aiebat aliquando cuidam juniori, sibique dudum carissimo sodali, qui primum suum opus non sine quodam eruditorum applausu in lucem emiserat: gratulare Deo, qui, quo tibi animum adderet, studia tam benigne obsecundavit tua: at cave in primis, ne tibi, sed uni Deo totam probati omnibus operis gloriam tribuas. Et sane infelix, ac miserabilis plane foret conditio nostra, immo justa nobis inureretur ingrati animi nota, si, quibus à supremo donorum omnium largitore Deo ornati sumus animi dotibus, ad vanam gloriam, nostrique jactantiam uteremur. Cum enim omne donum op-

Fuga laudis.

Jacobi 1. cap. 7.

timum, & omne donum perfectum desursum sit; descendens à patre luminum; cœlo referenda esse noverat, quæ de cœlo essent; & cujuscumque generis, sive innata, sive labore parta, vel superioris supernaturalisque ordinis dona tantum pretii habere, quantam ex illis Ecclesia ædificationem acciperet.

LVI. Mabillonii modestiam & doctrinam commendant viri Principes.

Ea animi modestia cum singulari prope eruditione conjuncta, omnium in se convertebat oculos, omnium sibi demerebatur amorem, nedum existimationem. Vixit summis sapientissimisque Principibus carus; & quo plus cupiebat latere, & nesciri in solitudine, eo, Deo sic disponente, frequentius ab iis adiri, atque ad audiendam sapientiam ejus desiderari videbatur. Ecquem, amabo, fugiat, qua in eum humanitate usus sit Serenissimus clarissimæque mem. Burgundiæ Dux, cum ab Eminentissimo Cardinali Estræo invitatus, Sangermanense Cœnobium adiit, Natale primogeniti sui Britanniæ Principis, publicis in Ecclesia precibus, solemnique pompa celebraturus? Quo illum loco haberet Dux quoque Aurelianensis non obscure significavit, cum in prædictum Sangermanense Cœnobium exceptus, mox latitantem ac de more Magnatum oculos fugientem Mabillonium inquisivit: cui cum ipse, in medium prodiens, miror, inquit, Serenissime Princeps, quod mei meminisse digneris, nec enim is sum, qui tantum honoris merear. Cui tum Princeps: Absit, ut tanti, mihique dudum amicissimi viri memoria animo unquam excidat meo. Quo dicto, ut suam in eum existimationem palam ostenderet, præclara illius merita suis coram aulicis laudibus prosequi non est gravatus. Infinitus prope sim, si prosequar quantam apud Regni primarios, doctrina perinde ac dignitate conspicuos viros adeptus sit virtutis juxta, ac eruditionis famam, quantum apud omnes nominis pondus, quantam ubique laudem & autoritatem. Verum silentio premere non licet quanti illum multis in locis fecerit, qui totius Ecclesiæ clavum sapientissime tenet, Clem. XI. Id certe in primis testatus est, cum ad supremum honoris gloriæque fastigium ipse unus, gratulantibus ac plaudentibus cunctis, ingemiscens & in lacrymas pene ad morbum usque effusus, assumptus, multorumque Summorum Pontificum vestigiis insistens, aureus plane Bernardi commentarios *de consideratione*, Eugenio Tertio filio quondam suo inscriptos, quibus ipse in tractandis continuis, usque gravissimis totius Ecclesiæ negotiis uteretur, separatim ab eo nova luce, novaque forma donatos voluit. Quo porro plausu elegantiorem sibique nuncupatam opusculi hujus editionem exceperit dudum laudatus, nec unquam sine laude nominandus Pontifex, luculenter aperiunt directæ ad Præpositum nostrum Generalem D. Claudium Boitard, Pontificiæ litteræ, dignæ plane quæ hic omnium oculis subjiciantur.

Summi Pontificis in Mabillonium existimatio.

Litteræ Pontificiæ.

Dilecte Fili Salutem.

Ornamentum profecto singulare accessit gratulationis officio ob exaltationem nostram ad Apostolicum Solium filiali reverentia à te nobis exhibito, ex opusculo D. Bernardi De Consideratione, *quod elegantioribus typis nuper edi, ac nostro nomini inscriptum tuo ipsius & Congregationis, cui præficeris nomine, ad nos deferri curasti. Cum enim probe teneamus quam salutare supremis Ecclesiæ Rectoribus argumentum in eo proponatur; cupimus sane præclaro Prædecessorum nostrorum exemplo pari spe fructus, ea inde attingere munita, quæ auctor sanctitate æque ac doctrina celebris è Salvatoris fontibus hausta, in electam ejusdem vineam mellifluo derivavit eloquio. Gratum autem supra modum accidisse nobis hujusmodi studiosæ erga nos voluntatis specimen explicare reipsa proponimus: ac proinde paterna nostræ caritatis documenta nunquam deerunt tibi ac universæ Congregationi, iisque potissimum qui in recensendis Ecclesiæ Patrum operibus, pio ac laudabili instituto hactenus laborarunt, & adhuc indesinenter laborant: quibus omnibus & singulis Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum 8. Martii 1701.*

LVII. Epistola de cultu Sanctorum.

Quo Mabillonium loco haberet laudatus Pontifex, haud ita post luculenter testatus est. Enimvero ut erat Mabillonius religione & eruditione perinde conspicuus, immodicos quosdam honores inique ferens, qui in nonnullis Galliarum locis præter sapientissimas à Summis Pontificibus præscriptas regulas, quibusdam Sanctorum ignotorum, seu ut vocant baptizatorum reliquiis Roma advectis impendebantur, de hujusmodi cultu modeste disseruit, ut abusum illum evellere, medicamque ei manum admovere satagerent custodes religionis Præsules. Rogatus igitur sententiam aperire suam de duorum tumulorum inscriptionibus, quarum altera in agro Vesontionensi, altera apud Ambianos nuper reperta fuerat, de corporibus in iis inventis, essentne Christianorum, an paganorum? Et si quidem Christianorum, an Sanctorum dicenda essent, illisque cultus impendi posset, qualis corporibus Sanctorum Roma advectis haberi solet? An veri præterea Martyres habendi essent illi sive anonymi, sive obscuri nominis, quorum corpora cœmeteriis eruuntur? Quibus indiciis eorum Sanctitas, & Martyrium discerni possent? Quo denique cultus genere Sancti illi incogniti essent honorandi? Rogantis voto ut faceret satis, eosque revinceret hæreticos, qui Ecclesiam ea de re velut superstitiosi cultus ream traducunt, quasi Sanctos personatos fidelibus colendos exponat, epistolam sub nomine *Eusebii Romani ad Theophilum Gallum de cultu Sanctorum ignotorum* scripsit, ea sane styli moderatione, ea erga sacras reliquias reverentia, eoque demum quo fervebat religionis studio, ut eam una cum eruditis Catholicis quam plurimi Galliarum Præsules adprobatione exceperint; ex iisque nonnulli ad præscriptum ejus Sanctorum ignotorum cultum in sua ditione exactum voluerint; hinc non semel variis in regionibus, variisque linguis recusa legitur.

Nonnullis displicet hæc epistola.

Probatum pene omnibus, cordatis maxime viris Mabillonii Opusculum, mole quidem exiguum, sed argumenti præstantia conspicuum, nonnullis displicuit, quodam zelo deductis, aut alia, quam hic aperire parum interest, ratione impulsis, unde ægre ferentes severiores Mabillonii regulas, mox alii asperrimis in eum libellis invehuntur, quos vix quidem lectos rejecere eruditi quique; alii vero, ut invidiam auctori pararent, ejus lucubratiunculam ad Sacram Congregationem Indicis deferunt, libellumque in eum edunt, qui vix natus interiit, silentioque sepultus est.

Qui porro præ aliis Italiæ litteratis hac in re versatissimus erat, inclytæ mem. Raphael Fabrettus, Mabillonium dudum sibi amicissimum in sua Inscriptionum collectione non semel laudat; nonnullisque notatis, in quibus ab eo dissentiebat, operum ejus locis, argumentum de Sanctis incognitis omnino silet, nihilque hac in re Mabillonio opponit: unde eum cum Mabillonio in eamdem abiisse sententiam facile quisque intellexit. Et certe cultum illum Sanctorum ignotorum alicubi præter modum, præterque Summorum Pontificum mentem regulasque ab eis sapientissime constitutas longius quam par esset, processisse, ultro professi sunt, non solum è Gallis, sed è Romanis quoque peritissimi viri. Id luculenter admodum non ita post demonstravit Mabillonius in Commonitoria sua epistola ad D. Claudium Stephanotium Procuratorem nostrum Generalem in Curia

Romana: quam ubi legere Congregationi Indicis præpositi Cardinales, non tantum approbarunt, sed ex iis quoque viri gravissimi eam ab omni censuræ discrimine tutam palam nec semel contestati sunt.

LVIII. Iterum impugnatur hæc epistola.

Res hæc penitus composita putabatur, cum parvo interjecto tempore eam novis artibus acrius insequuntur, nullamque, ut in prædictam epistolam censuram obtineant, autoritatem non adhibent quidam homines; jamque res eo devenerat, ut ea quin à Sacra Indicis Congregatione notaretur vix dubium esset, cum Eminentissimorum quorumdam Cardinalium consilio franguntur adversariorum conatus. Illi namque pro suo in Ecclesiam Sedemque Romanã studio Summum Pontificem adeunt monituri, indecorum sane futurum, si Mabillonius de Ecclesia tantopere meritus nota afficeretur ob expensum æqui præter modum atque Ecclesiæ regulas Sanctis ignotis impendebatur, cultum; quem ejus decessor, & Sacra Rituum Congregatio cohibere decretis suis studiose adeo contenderant. Ea ratione permotus Summus Pontifex mox pro sua in Mabillonium (cujus epistolam commonitoriam adhuc Cardinalis legerat) singulari benignitate, Congregationi Indicis ulteriori causæ cognitione interdixit; ratos scilicet, Mabillonium pro sua in Sanctam Romanam Ecclesiam atque Apostolicam Sedem observantia, ultro ac sine mora obtemperaturum. Respondit expectationi Pontificis Vir, si quis alius, Sedi Apostolicæ addictissimus. Enimvero ubi perspectam habuit Pontificiam voluntatem, novam illico adornavit epistolæ editionem, lucique publicæ tradidit ann. MDCCV. Hanc porro novam editionem non temere, nec suomet arbitrio, sed ad ejus nutum, penes quem residet summa præcipiendi auctoritas, à se factam monet in primis Mabillonius; ne quis cum rixas serere voluisse existimaret, repetita hac editione, quæ potius eo tenderet, ut si quid obscurius, explanaret, emolliret, si quid durius, emendaret denique, si quid secus quam par esset in hac epistola scriptum nonnullis videretur.

Unum insuper aut alterum in hac nova editione monitum lectorem voluit Mabillonius: nimirum si qua in sacrorum delectu corporum errata aliquando contigerint, id nequaquam imputandum Eminentissimo Cardinali Vicario, vel Pontificii Sacrarii Præfecto Episcopo, quibus maxime hæc dispensatio competit; sed potius alicui ex secundariis eorum ministris, qui præscriptas sibi regulas non satis interdum accurate ac religiose observaverit; si tamen id unquam evenit.

Ad hæc si quid hac in editione duriuscule quibusdam scripsisse fortasse videbitur circa cultum hujusmodi Sanctorum, id quoque tantum intelligendum monet vel de profuso illo cultu, qui eis alicubi tribuitur contra Decreta Sacræ Rituum Congregationis à fel. record. Innocent. XII. approbata, quibus publica de illis Sanctis officia fieri prohibentur: vel de Sanctis illis corporibus, seu reliquiis, quæ certa non habent indicia martyrii sive sanctitatis. Neque vero in posterum obscurum esse poterit, quænam illa sint indicia, postquam Sacra Congregatio super reliquias instituta, declaravit, vitrea vascula sanguine tincta cum Palmis, habenda esse pro certissimis martyrii indiciis, cæterorum signorum examine in aliud tempus rejecto.

Plausu Summi Pontificis ac Eminentissimorum Cardinal. plausu excipitur Romæ nova epistolæ editio.

Placuit Romanis omnibus secunda hæc editio; placuit Eminentissimis Cardinalibus, ab usque (eam referente Illustrissimo juxta ac eruditione clarissimo Francisco Blanchino SS. D. N. ab honore cubiculario) non sine auctoris laude excepta est: Placuit denique Summo Pontifici, qui, ea lecta, laudavit auctorem; literasque per D. Guillelmum la Parre Procuratorem nostrum Generalem, suo nomine ad eum scribi voluit; quibus suam in eum existimationem patrociniumque testaretur. Gratulationem Summi Pontificis ubi primum accepit Eminentissimus Cardinalis Gualterius, tunc Apostolicus apud Regem Christianissimum Nuncius, per Secretarium suum Mabillonio statim significavit. Eum quoque litteris suis ea de re dignati sunt nonnulli alii Cardinales: in primis vero Eminentissimus Cardinalis Ottobonus, cujus verba præclariora sunt, quam ut silentio præteriri queant: *Ut in Sacra Indicis Congregatione comparuit..... Eminentissimorum Patrum unanimi consensu, plenisque suffragiis commendata & adprobata fuit.* Is extitit novæ hujus epistolæ editionis exitus: quam eodem anno Gallice convertit cl. Abbas le Roy Regiæ Inscriptionum Academiæ Socius; quamque variis in Regni, Belgiique urbibus multæ jam præcesserant cum latino, tum gallico sermone adornatæ editiones. Profuit hoc Opusculum non Catholicis modo, verum etiam & heterodoxis: ex istis siquidem qui candidiores erant, eo lecto, professi sunt, multa sæpe cum Romanæ Ecclesiæ, tum Apostolicæ Sedi temere adscribi vitioque verti, quæ vel privatorum hominum arbitrium, vel nimia pietas in cultum sacrum invexit; quæ tamen Ecclesiæ Romanæ imputanda non sunt.

Nova epistolæ editio.

In Mabillonio felicitatem ingenii, indulis facilitatem quisque mirabatur, candorem vero animi prædicabant in primis heterodoxi, non tantum Catholici. Inde nata apud utrosque probatæ fidei, ac ejus spectatæ integritatis fama.

LIX. Mabillonii zelus pro conversione hæreticorum.

Porro ut ab heterodoxis ob egregia virtutis doctrinæque merita plurimi æstimabatur, ita illos mira vicissim caritate ipse complectebatur, hinc frequentes super illorum cæcitatem gemitus: hinc ad promovendam illorum conversionem, assiduæ ad Deum precationes, nullaque non adhibita sollicitudo: hinc demum qua litteris, qua consiliis, qua congressu familiari nihil non moliebatur, quo illorum mentes excitaret ad veri saltem amandi, & investigandi cupiditatem. In primis autem objiciebat, quo miserandum in modum ab Ecclesia Catholica, ac proinde à via veritatis defecerant, infaustissimum schisma; non disceptandi quidem studio, sed eo mentis adfectu, eo salutis eorum desiderio, eaque benignitate, ut eum vel inviti diligerent suspicerentque docentem. Ex iis plerique illum ceu virum sanctum habebant, atque in via salutis positum esse haud inficiabantur, ut autem ipsos à tanti viri communione segregatus minus puderet, internam nescio quam jactabant, seu potius in Ecclesia fingebant, qua simul conjungimur, consensionem. Verum exprobranti Mabillonio, quod in re tanti momenti tam vanæ lubricæque opinioni temere adhærerent, lacrymabundi reponebant, plurimum se illos detestari qui priores tam funesto schismati viam aperuerant, nec tamen, quod mirari subit, ad illud rejiciendum adduci poterant.

LX. Spargitur in Mabillonium falsus rumor.

Haud ita multo post nostrum ex Alsatia reditum, occasione miseri cujusdam apostatæ Monachi non Benedictini quidem Ordinis, sed affinis cum Mabillonio nominis, rumor per Germaniam spargitur: Mabillonium à religione simul & fide catholica defecisse, atque apud hæreticos se se recepisse. Movit & quidem gravissime Mabillonium professioni suæ, fideique Catholicæ addictissimum, atque adeo strenuum Ecclesiæ defensorem tam atrox, maleque structa calumnia; moxque ne incautos deciperet fictus tam iniquæ defectionis rumor, illum per epistolas reprimere conatus, nullum ex Catholicis, qui calumniæ fidem habuerit, non sine ingenti animi gaudio accipit. Non sic apud Anglos, aliosque hæreticos non sic: siquidem & si de facti veritate omni-

nino dubit, inde tamen gloriandi & adversus afflictos Catholicos superbius se se efferendi occasionem arripiebant; quove lapsum turpiorem redderent, ac graviorem, Mabillonii merita supra modum extulirbant. Id ubi audivit Mabillonius postremis anni MDCXCVIII. diebus, Epistolam scripsit encyclicam; jamque amici ope plurima ejusdem exemplaria undequaque per Angliam disseminare parabat; cum vel ex sola quam apud Anglos adeptus erat probitatis fama, dilapso penitusque restincto, qui apud illos percrebuerat apostasiæ nuncio, eam supervacaneam duxit, silentioque involvit. Hanc porro epistolam inter Mabillonii scripta repertam, publicæ luci tradere juvat, tamquam eximium, posterisque dignum spectatæ ejus fidei, ac religionis monumentum.

LXI. Epistola Mabillonii Fratribus Anglis Catholicis inscripta.

Exigit caritatis, officiique ratio, ut horrendam prorsus, qua omnis mendacii Parens vestram simul & fidem meam labefactare conatus est, calumniam ex animis vestris abstergam. Id ingrati prorsus nuncii hesterna die accepi à duobus Anglo-Benedictinis, qui in Sangermanensi Cœnobio solito curiosius rogata mei pro re gravissimi momenti alloquendi facultate, ubi me accedentem viderunt, vel ob id tantum quod conspexissent me, lætos ad se reverti significarunt. Stupemi, reique mysterium penitus ignoranti tandem aperta ac nunciata sunt, quæ de mea à Religione simul & Fide Catholica defectione quaquaversum per Angliam, ac Germaniam jactabantur, quamque inde captabant heretici Catholicos insectandi occasionem. Id quam vestri meique causa cordi meo grave molestumque acciderit, neminem vestrum, Fratres Carissimi, non intelligere arbitror.

Tametsi porro non ambigam, quin meam apud vos fidem jam abunde satis testatam fecerint, purgaverintque prædicti Anglobenedictini, meque Ecclesiæ perinde ac vobis inviolabili caritatis fideique vinculo conjunctum, ac mori potius, quam aut à fide, aut a communione vestra divelli paratum, asseruerint: meam nihilominus ipse quoque fidem notam vobis facere, vestramque in me sollicitudinem, nec non expertam ex turpi adeo calumnia molestiam aliquatenus temperare opera pretium duxi. Et quidem si meipsum inspiciam, ne levissimam quidem tam horrendi facinoris suspicionem præbuisse mihi videor: si vitæ rationem attendam, nulla mihi umquam cum hæreticis consuetudo, nulla mihi cum illis de religione disceptatio fuit, illorum dumtaxat non semel deflevi miserrimam vicem; eosque ad Ecclesiam, à qua tam inique defecerunt, pro viribus revocare studui. Si itinera, nullum duobus ab hinc annis extra Gallias suscepi, nec umquam Hollandiam cogitavi: si edita opera, nullum quoque, quod sciam, nisi ad Ecclesiæ defensionem, aut quam profiteor vitæ monasticæ commodum, ac ea, qua par est, animi demissione in lucem protuli: si denique mentem scrutari meam velim, Deum testor & homines, me nusquam tam nefarium apostasiæ consilium cogitasse, quin potius indubitatè persuasum habuisse, Catholicam Romanam Ecclesiam centrum esse unitatis, veritatis firmamentum, cui fidelis quilibet morem gerere, atque immobiliter adhærere debeat; unam eam esse, quæ errori subesse nequeat, unam quæ salutem dare possit; necessariam quoque esse visibilem autoritatem, qua sive Fidelium dubia, sive controversiæ dirimantur, adeo ut ea deficiente nulla sit, aut esse queat fidei unitas, aut certa regula veritatis. Argumento nobis sunt variæ eæque propemodum innumeræ quæ oculis nostris subjiciuntur hæreticorum Sectæ, quæ vel ad Deismum vel Socinianismum seu potius ad impietatem recta collineant, ex quibus quam opportuna ac necessaria sit suprema illa visibilisque Ecclesiæ autori-

Auctor.

tas, explicandis ac definiendis quæ sæpe fideles inter agitantur fidei quæstionibus, luculenter colligitur. En, Fratres Dilectissimi, quæ mea ac, ut arbitror, fides vestra sit ac esse debeat; quamque, Deo juvante, ad extremum usque spiritum illibatam servaturum me plane confido. Hæc porro à me dicta sint, Fratres carissimi, ut quam iniqua falsaque sit structa in me calumnia probe intelligatis. Unum interim superest animi solatium, quod scilicet mihi nec uni, nec primo tam nefaria consilia afficta sunt. Ecquis enim nesciat Protomartyrem Ecclesiæ Stephanum maledictorum ac in legem, & Moysen contumeliarum fuisse aliquando insimulatum, magnifice licet simul; & honorifice de utroque palam disseruisset? Hunc ego Protomartyrem (cujus festivitatis sacro die falsus de me percrebuit apostasiæ rumor) cogitavi; hunc mihi imitandum proposui; ejusque vestigiis insistens tuendæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Fidei, novique fœderis auctori operam dabo. Reliquum est, ut quod ipse de suis, idipsum ego de meis adversariis sentiam; Deumque, cujus vindictam retribuere est, suppliciter obtester, ut eos fidei luce collustrare, atque ad Ecclesiæ gremium, à quo cum infelici nativitatis sorte, tum anticipatis opinionibus infeliciter recesserunt, revocare dignetur. Cæterum, Fratres carissimi, adjuro vos in nomine Christi Jesu, pro cujus amore simul & fide tanta ac tam acerba æquo animo toleratis, ut fortes stabilesque in ea fide permaneatis, quam hactenus illibatam custodistis; pro qua strenue decertastis, & omnia reliquistis, ita ut Angelo etiam de cœlo descendenti, & contraria docenti, Anathema cum Apostolo pronunciare non dubitetis. Gratia Christi Jesu sit cum omnibus vobis. Amen.

LXII. Mabillonii zelus in Religionem, & Missionarios Apostolicos.

Ex hujus lectione epistolæ facile quis intelligat, quo Mabillonius flagraret Religionis zelo, sive ad eorum confirmandam fidem, qui in ejusdem violandæ discrimine versabantur, sive ad illorum promovendam conversionem, qui ab Ecclesia segregati ejusdem communione privabantur. Eo religionis studio inflammatus, mirum est quanti faceret Missiones Apostolicas, quove lætitiæ sensu earumdem progressus audiret, & incrementa. Hinc rerum in iis gestarum legendis narrationibus mirum in modum oblectabatur; iisque ita afficiebatur, vix ut à lachrymis interdum temperare posset. Hinc etiam quam maximo poterat mentis ardore autorem & consummatorem fidei Jesum assiduis precibus interpellat, ut ad excolendam vineam suam, & colligendam amplissimam animarum messem, operarios mitteret vere Apostolicos. Ex iis nonnullos dudum sibi familiares, & amicos enixe rogabat, ut se quoque in Apostolicorum laborum, tantorumque præmiorum, ac meritorum partem vocare dignarentur. Morti jam proximus nihil sibi optatius significavit, quam ut ad unum ex viris illis Apostolicis scriberet, quocum ipsi fuerat vetus olim consuetudo; cujusque litteras, ceu reliquias venerabatur. Haud minoris apud eum pretii erant, qui causa tuendæ fidei, avitæque Religionis Romanæ, labores quosque sustinerent, vitæ pericula se committerent; qui Patriam, consanguineos, vitæ commoda, facultates, spes non dubias, omnia denique sua Christum secuti relinquerent: nihilque non moliebatur quo viris hujusmodi vel opem ipse ferret, vel suppetias aliunde procuraret. Ea propter singulari pene veneratione colebat, immortali memoria dignum, nec satis umquam pro fidei merito commendandum Jacobum Secundum Majoris Britanniæ Regem: assiduasque pro eo ac Serenissima Regina Sponsa, Dilectissimo optimæque spei Principe Filio, & subjectis omnibus, qui fortes in fide steterant, preces ad Deum effundebat. Qua porro benevolentia & ex-

Mabillonii erga Regem Angliæ Jacobum veneratio, ejusdem in Mabillonium benevolentia.

a

stimatione Mabillonium certatim prosequerentur isti nunquam sine laude nominandi Principes, palam faciebant, vel cum in Sangermanensem Ecclesiam pietatis causa ipsi ultro veniebant, vel cum ipse deferendi sui in Principes obsequii gratia, ad eosdem in Sangermanensem civitatem veniebat, raro licet, nec nisi ab iis, quibus non parere religio erat, semel & iterum invitatus, ut modestiæ indulgeret suæ vir laudis impatiens.

S. Germain en Laye.

LXIII. Propagandæ religionis cura ac sollicitudo.

Propagandæ religionis studio incensus nihil quo ejusdem fidem decusque promoveret non moliebatur. Eo spectabant sive familiares sermones, sive litteræ ad varios directæ, potissimum vero quæcumque in lucem dabat opera. In iis namque eximia elucebat cum caritate doctrina, pietasque cum pari eruditione conjuncta, adeo ut simul fœderatæ mutuis vicibus scientia pietatem, pietas scientiam adjuvaret. Et sane cuique Mabillonii opera legenti facile patet, eum non mentibus modo illustrandis, sed divini quoque amoris igne accendendis, animum intendisse. Idipsum in primis, quos noverat discendis litteris magis idoneos, edocebat, ac pro viribus sua eis conabatur: vanas, immo noxias omnino reputans qualcumque rerum etiam præclarissimarum notitias, quæ nec ad meliorem adipiscentium frugem, nec conferunt ad aliorum utilitatem. Non enim ad ostentationem, sed ædificationem Corporis Christi, donatas putabat animi dotes, aut partas labore scientias. Hæc vero cum omnibus, tum iis potissimum insinuabat, qui adolescentium præponuntur institutioni. Id enim muneris Ecclesiæ perinde ac Reipublicæ interesse dictitare solebat: eosque non parvi docebat, qui erudiendæ juventuti vires, animum, curasque libenter impendunt. Unde non sine ingenti animi lætitia, relictis interdum seriis etiam studiis, iis ultro aderat juvenum exercitationibus, annis ab hinc aliquot in multis Parisiensis Universitatis Gymnasiis institutis, in quibus non sine spectantium admiratione, audiuntur Juvenes, qui de rebus etiam gravioribus senili plane judicio edisserunt, enodantque mirum in modum propositas sibi difficultates. Tum vero mirifice capiebatur Mabillonius, eum eosdem de historia selectisque SS. PP. operibus disceptantes audiebat; ratus nimium fructus inde uberrimos collecturam aliquando Rempublicam. Quamobrem nullo non studio contendebat, quo similes in aliis Regni provinciis instituerentur exercitationes: adeo Reipublicæ bono (cui promovendo plurimum confert accurata Juvenum institutio) potissimum intentus erat.

Quantum Juvenum institutioni promovendæ intentus.

Sollicitudo Mabillonii de Parochis vicorum.

Post juvenum institutionem proxima ipsi de vicorum Parochis cura ac sollicitudo. Eos amore singulari & obsequio prosequebatur, quos existimabat pastorali officio accuratius intentos, deque animarum salute magis sollicitos. Qui urbes, inquiebat, incolunt, labores honoribus, ac aliis oblectamentis temperant, pensantque vitæ commodis: qui vero vicos pagosque occupant, pastoralis curæ sollicitudines sine levamine sustinent, pondusque portant diei & æstus, uni denique experiuntur animi corporisque molestias; cumque nulla vel saltem rara sit eis cum hominibus consuetudo, uni Deo ac ministerio suo vacare, assiduæque orationi (qua nihil sane ad Sanctitatem adipiscendam opportunius est) incumbere coguntur; indeque subjectorum sibi animos ac reverentiam conciliant, huc adde, quod urbanorum Parochorum labores atterere vermis quidam & domestica lares solet, inanis ea hominum plausu gloria, cujus illecebras & periculum nescit vicurum ac pagorum obscuritas.

LXIV. Orationem

Non ita in libris studiisque totus erat Mabillonius, quin & orationi, qua studia litterarum per se se arida satis & jejuna condiebat, sæpissime operam daret. Sic porro necessariam ducebat orandi exercitationem, eam ut omnibus, iisque potissimum suaderet, quos assequendæ religiosæ perfectionis noverat sincere cupidos; certus, teste Augustino, Deum etsi bona sua cunctis abunde largiri paratum, ea tamen rite petentibus copiosius impertiri: *Petite & accipietis.* Nec cessabat hortari nostros ac stimulare ad orandi sedulitatem, cœlestium scilicet donorum fontem, & virtutum nutriculam; utque divinæ patefaceret misericordiæ divitias, hanc adhibere solebat cujusdam Sancti Patris comparationem: Quo, inquiebat, lac abundantius ex sinu nutricis elicitur, eo mamillæ fluunt uberius: secus vero, ubi suctus intermittitur, mox exsiccantur, perperamque dein exsuguntur, atque agitantur. Sic nos quoque quo ferventius sæpiusque orationi incumbimus, eo in nos copiosius fluunt cælestium gratiarum carismata: intermissa vero, aut neglecta oratione, divinæ misericordiæ ope destituti, paullatim tepescimus; penitusque tandem exarescimus. Hæc fide simul & experientia edoctus, cæteros ipse edocebat. Adeo ipsi familiaris erat orandi consuetudo, ut ea tantum vivere videretur. Qua facilitate mentem ad Deum erigeret, omniaque in ipsum velut rerum omnium fontem refunderet, abunde qua verbis, qua scriptis, actisque testabatur. Quam attente ac familiariter cum Deo, tam libenter ac sæpe de Deo loquebatur. Solemne illi erat à cibo sumpto, quando mutuæ collocutionis facultas datur: pios miscere sermones: quos ut suaviores redderet ac opportuniores, nonnullis modo Sacrarum Paginarum, modo selectis Sanctorum Ecclesiæ Patrum sententiis apposite sciteque condire studebat. Ibi dilatabat spatia caritatis, aperiebat intimos animi sensus, languores fovebat, dabat cuique solatia, flammas addebat & animos, blande semper atque in omni patientia & doctrina.

assiduã commendat, suadetque.

August. in Psal. 105.

LXV. Adulationem horret.

In congressu sic urbanum se gerebat ac humilem, vix ut sine adstantium stupore pariter & amore audiri aut videri posset. Gratiam hanc & favorem conciliabat, non ambitus, non aulæ frequentatio, turpisque assentatio hominum: ab hujusmodi namque artibus, mundanæ gloriæ cupidis familiaribus tantopere abhorrebat, ut si vel amicis vel magnatibus gratulandi interdum munus committeretur, id ea sagacitate cum pari animi candore conjuncta præstaret, ut qua mente gratulantis partes ageret, facile quivis judicaret. Suæ hac in re ingenuitatis specimen præbuit egregium, cum viro sibi dudum amicissimo, atque aliquot ab hinc annis ad amplissimam regni dignitatem assumpto sic festive gratulatus est. *Gaudeo plane, Vir spectatissime, de amplissimo, quem nuper jure adeptus es, honoris gradu, sed Republica tantum, cui te maxime profuturum arbitror; tibi autem summopere doleo ob magna, nec satis veranda commissi tibi muneris discrimina.* Cui vix ille, mox in amplexum ruens: *Jam*, inquit, *dudum noveram, sed hodie potissimum experior, sinceriorem Mabillonio amicum me habere neminem.* Ubi demum obedientiæ vel officii ratio exigebat, sic debita magnatibus præstabat obsequia, ut nec adulatione veritatem, nec religiosam offenderet sui ostentatione modestiam, nec rei cujuslibet cupiditate conscientiam macularet. Ea ratione prodibat in publicum, ut animum vitæ solitariæ natum ubique ostenderet. Ejus in solitudinem studium paulo ante obitum expertus est, qui illum benevolentia simul & patrocinio dignabatur, Eminentissimus Cardinalis de Noailles, Parisiensis Archiepiscopus. Cum enim Pastor ille vigilantissimus, perlustratis vicinis Sandionysiani Cœnobii locis, rogatu Præpositorum

Solitudinis amor.

nostrorum, ac pro sua in nos benignitate in eo esset Monasterio hospitaturus; nullis non Superiorum precibus illuc invitatus Mabillonius est, ut accedentem laudatum Cardinalem Archiepiscopum una cum cæteris Sodalibus exciperet. Paruit Præpositorum imperio atque Eminentiss. Cardinalis voluntati Mabillonius; at delatis debitis tanto hospiti obsequiis, mora non diutius morari jussus, ad Sangermanense Cœnobium remeavit solitis exercitiis vacaturus.

Observantiæ monasticæ tenax.

Pari solitudinis amore, ad villas relaxandi interdum animi gratia, à viris licet undequaque conspicuis invitatus, ire renuebat; aut si quando invitantis humanitati atque auctoritati servandum putabat, id ea solum lege faciebat, ut solita nullatenus intermitteret vitæ monasticæ exercitia: quod rarissime quidem, nec nisi apud viros maxime religiosos sibi indulgebat. Quo demum teneretur studio solitudines, testatum in primis fecit, cum rogante præclaris in Ecclesiam meritis perinde ac operibus clarissimo Galliarum Præsule, immo suadente Præposito Generali, Sangermanensem civitatem, in qua tum Gallicani Cleri Comitia habebantur, adiit, suam de quodam haud exigui momenti opere sententiam dicturus, ea tamen lege, ut extra monasterium à loco Comitiorum iter unius horæ dissitum pernoctare minime cogeretur; quod tribus continuis hebdomadis religiose admodum observavit, exemplum hac in re secutus Sanctissimi Legislatoris Benedicti, qui, referente Gregorio Magno, non nisi omnipotentis Dei miraculo, ut extra cellam pernoctaret, adduci unquam potuit.

S. Germain en Laye.

LXVI. Mabillonii prudentia in dandis consiliis.

Porro ut erat Mabillonius in gratulationibus habendis ingenuæ mentis, ita in dandis consiliis singularis prudentiæ. Quo hæc in pretio haberentur testari posset vir inter Regni primarios potissimum insignis, qui ejus non semel consilio usus, dictitare solebat, expertum se in Mabillonio sagacissimorum virorum prudentiam, cum Sanctorum pietate fœderatam; seque pluries miratum quæ de rebus omnibus sine adulatione aut acceptione personarum responsa dabat luculentissima. Siquidem, ut jam dixi, ab omni rerum cupiditate liber, non quod hominibus, sed acceptum Deo, legibusque consentaneum esset attendebat. Neque verò is erat Mabillonius, qui hominibus placere quæreret, aut amaret in lucem prodire. Cum enim nullius se apud homines nominis crederet, ac autoritatis, nemini nisi rogatus aut consilia, aut responsa dare solebat: cumque id ab eo precibus obtinebatur, tunc sibi proposita luculenter adeo dilucidabat, ut quid tenendum aut rejiciendum, amplectendum vel fugiendum foret, ex ejus responsis facile quivis conjiceret.

Ejus consilia expetita.

Hic quæ pro re nata exhibendæ occurrerent, innumeras propemodum litteras, petendi consilii causa ad eum directas, brevitatis studio tacitus prætermitto. Quis verò nesciat non in Galliis modo, ubi à Supremo Senatu permissa non semel ejus judicio est magnorum negotiorum cognitio, quæ à veterum instrumentorum cognitione pendebat; sed apud alias quoque nationes, commissa gravissimarum causarum examina, diremptas demum ejus judicii auctoritate lites? Eam apud omnes adeptus erat integritatis ac sagacitatis opinionem.

LXVII. Laudis impatiens seipsum deprimit.

Tantis licet honoribus insignitus Mabillonius, haud inde tamen arrogantior, quin humilior potius longe videbatur. Unus doctrinæ suæ comparatique apud omnes nominis plane nescius, virtutes, scripta, eruditionem, præclara denique merita extollentibus, una sui dispicientia respondebat: utque majores inde laudes fugeret, laudis se ipse satis cupidum dictitabat. Paranti plura dicere, hæc reponebat: Equidem illas, quas mihi occinitis virtutes,

A alcá

nescio; at peccata mea novi; quis aut qualis sim, Supremus mortalium omnium Arbiter judicabit; ipse spes una, ac tota fiducia mea: rogate itaque ut talem me Deus efficiat, qualem me vos existimatis: eaque ratione sermonem alio sensim vertebat.

LXVIII. Variis licet morbis affectus, studia non intermittit.

Mabillonii vires paullatim frangebant, morbosque interdum generabant molestissimos, cum ejus ingenii vis acerrima, tum severioris observantia disciplinæ ardorque pietatis, tum pia in seipsum crudelitas, studiorum denique assidua contentio. Enimverò, ut suprà memoravi, acerbissimo capitis dolore laboranti aperta est, quæ deinde non sine discrimine obducta, temporum arteria: quo in statu integrum fere mensem ceu immotus permansit, gravissimo dein pectoris morbo ad vocis usque defectionem per annos licet aliquot exagitatus, haud solita tamen studia intermisit, ut abunde docent edita ejus per id temporis opera.

Interim quo laboranti levamen afferretur, nulla à Præpositis non excogitata, nulla non experta remedia sunt. Eam ob rem semel & iterum ad aquas Borbonias missus, quæ non tam recuperandæ saluti, quam exercendæ patientiæ, moribusque probandis contulerunt. Factus ætate provectior, pleuritide febribusque, interdum molestissimis non sine discrimine cruciabatur, hiberna potissimum tempestate ob asperrima, quibus inter studendum corripiebatur, frigora. Huic incommodo consultum voluere Præpositi, concessa ei extra dormitorium cella camino ad ignem instructa; qua interdiu duntaxat utens, noctu regularis observantiæ studio, ad solitam dormitorii cellam se se recipiebat. Sub vitæ exitum, vehementi adeo cordis agitatione vexabatur, ut animo interdum ac voce pene deficeret. Morbos porrò illos tametsi acerbissimos pro viribus celare, non tantum mira animi patientia ferre studebat. Cum verò conceptum animo dolorem continere non posset, haud inde tamen animo fractus; quin divinæ potius voluntati se totum committens, mœrentium ipse recreabat sodalium animos.

LXIX. Morti obeundæ paratus.

His animi corporisque molestiis à Deo se misericorditer probatum, atque ad mortis memoriam revocatum existimans futuræ desiderio vitæ præsentis fastidio tenebatur; aspernabatur terrena omnia. Cur mortem procrastinare desideramus, qui mori aliquando cogimur? *Si aliquando*, inquiebat cum Possidio, *quare non modo?* certus atque à Sanctissimo Legislatore Benedicto edoctus, quod Christianus quilibet præsertim verò Monachus *mortem præ oculis habere debeat*, hæc in familiari congressu verba Christi frequens usurpabat: *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Conemur igitur, Fratres, pro viribus, ne mors nos aut imparatos, aut, quod absit, à Deo aversos excipiat. Inde mortis, quia nihil ad recte vivendum opportunius est, frequens memoria, familiaris ipsi ut ita dicam consuetudo. Suos ea de re animi sensus in edito *de morte Christiana* opusculo, luculentius ipse aperuit, quam ut hoc loco fusiori sermone explicari debeant. In eo namque virorum illustrium mortes cum suæ tum aliorum excitandæ pietati accommodatas, in unum accurate collegerat: veritus autem ne multa, quæ circumferebantur opusculi hujus manu exarata exemplaria, se inconsulto, aut furtim luci publicæ traderentur, suadentibus viris pietate conspicuis ann. 1702, typis mandari curavit; editumque Serenissimæ Majoris Britanniæ Reginæ nuncupavit, ex cujus nuncupatoria Epistola de Regis Jacobi II. qui non ita pridem opinione Sanctitatis obierat, pretiosa morte disserendi argumentum arripuit.

Possid. in Vit. S. Aug.

Reg. S. Bened. cap 4.

Luc. 12. 40.

Opusculum de Morte Christiana.

LXX. Ejus in perfectione progressus.

Ex assidua mortis memoria, & pro seipso ne imparatus exciperetur, vigilantia, nimium in modum crescebat in dies Mabillonii pietas; cui fovendæ non parum conferebant Sacrarum litterarum ac Sanctorum Ecclesiæ Patrum studia: ex quibus nonnulla studiose selecta loca partim memoriter tenebat, partim ad suum, & aliorum quoque usum scite collegerat: in primis verò sub vitæ finem eas excerpserat, conscripseratque Sacrarum Paginarum sententias, quæ juvandis ad pietatem & patientiam ægris, mortique jam proximis, opportuniora videbantur. Præ cæteris porrò moverat illum locus ille Bernardi, in quo tres assignantur perfectionis gradus quorum prior is est, ut quis se tamquam advenam & peregrinum existimans à præsenti sæculo nequam immaculatum se custodiat, anhelet ad cœlestem patriam, ad eamque jugiter animum intendat. Secundus, ut sit mundo mortuus ac crucifixus ejusque *vita sit cum Christo abscondita in Deo*, adeo ut cum Apostolo dicere jure valeat, *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*, perinde ac si diceret, *Ad alia quidem mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo; si qua verò sunt Christi, hæc me viventem reperiunt & paratum: nam si non aliud possum; saltem sentio. Placent quæ ad ejus honorem fieri video, displicent, nec parum: quæ secus fiunt. Magnus equidem hic est perfectionis gradus, at longe major sublimiorque videtur, quo quis mundo crucifixus cum Apostolo non nisi in cruce, vel de cruce Domini gloriatur: cui omnia crux sunt, quæ mundus consectari solet, delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes: quæ verò mundus crucem reputat, illis affixus est, illis adhæret, illa toto complectitur mentis affectu.* Sublimem hunc perfectionis gradum pia atque continua sui discruciandi consuetudine assecutum se fuisse, vel in ultimo vitæ morbo abunde significavit Mabillonius.

Tres Perfectionis gradus.

LXXI. Vitæ pœnitentia.

Ne sensibus, verbis, aut actibus mentem vel leviter macularet suam, numquam non animo vigilabat. Si qua verò in re se offendisse (in multis enim offendimus omnes) arbitrabatur, culpam mox suam non solitis modo, sed asperioribus quoque religionis austeritatibus diluere satagebat. Publica, quæ in pervigiliis solemniorum anni festivitatum sodalibus nostris permitti interdum solent humilitatis ac pœnitentiæ opera haud dedignatus: immò quamvis ob affectam ac omnino venerandam ætatem ab iis foret prorsus immunis, tyronum tamen fervorem superare, nedum adæquare videbatur: edoctus scilicet pœnitentia & humilitate totam præsertim stare vitam monasticam, mira sagacitate, deprimendi, suique discruciandi vias omnes rimabatur.

Pœnitentiæ studium.

Eo ductus pœnitentiæ studio, quæcumque sive ob affectam valetudinem, ac exantlatos labores, sive ob egregia in Congregationem merita sibi à Præpositis offerebantur levamina corporis, pro viribus abnuebat; nec nisi jussus modicum vini multa aqua temperati matutinis horis sibi indulgebat. Diebus jejunio sacris, in refectione serotina nonnullos interdum fructus, aliis verò diebus, ovum unum (quo tamen ipso aliquando abstinebat) non sine aliquo sui pudore adhibebat; veritus ne hac exigua licet atque à Præpositis concessa indulgentia, sodales illi offenderentur, qui omnem disciplinæ rigorem æquo animo sustinebant; eaque animi molestia, suique ut jam dixi, pudore indulta sibi solatia condire studebat.

LXXII. Disciplinæ regularis quantum studiosus.

Tuendæ potissimum regularis disciplinæ perquam studiosus, ea haud æquo animo ferebat, quæ vel minimum eidem relaxandæ conferre poterant, unde quamvis in monasteriis à censoris partibus agendis plurimum abhorreret; si qua tamen aut à religiosa simplicitate, aut avita Patrum nostrorum disciplina abhorrentia cerneret, mox palam qua verbis, qua exemplis, qua suis denique ad Præpositos, ut gliscenti malo manum adhiberent medicam, salutaribus monitis, reprehendebat. Tutandis religiosis Congregationibus sic necessariam ducebat exactam regularis disciplinæ observantiam, ut vel levissimam ejusdem jacturam molestissime ferret. Siquidem noverat vir religiosissimus, levissimis relaxamentis, penitus nec semel olim corruisse monasticum Ordinem: futuramque timens creditæ sibi à majoribus disciplinæ jacturam, nullam non sollicitudinem adhibebat, quo illam tot laboribus institutam, tot promotam exemplis, tot curis conservatam, posteris ipse integram transmitteret. Et quidem, ut optime observatum voluit haud incelebris Scriptor, quibus gradibus, ac vitiis paulatim labi ac deficere cœperit disciplina regularis, quibusque posthac remediis instaurata sit, in Secundo Annalium tomo luculenter juxta ac eleganter exponit Mabillonius. *Id, inquit, universim asserere licet, solitudinis, & silentii studio, parsimonia & paupertatis amore, modestia in vestibus & ædificiis, obedientia & obsequendi alacritate, mutua in fratres & in cæteros caritate, officiorum divinorum jugi observantia, simplicitate denique & humilitate Christiana fundatum esse Benedictinum institutum: à quibus ubi discessum est, vitia in monasteria immigrarunt, quæ non possunt nisi primigeniis illis virtutibus & institutis emendari atque resecari: sed quanta cum difficultate id fiat, sive nimis experientia discimus. Unde terribile judicium eos manet, quorum culpa vel incuria ejusmodi morum prolapsiones in Monasterium invecta fuerint; quæ culpa non tantum ad rectores spectat, sed etiam ad privatos quosque Monachos, qui violandæ regularis disciplinæ pravo suo exemplo aliis auctores se fecerint.*

Bibl. de Autoribus Eccles.

Præf. Tom. 2. Annal.

LXXIII. Tractatum edit, quo Monachos ad observantiam, non solum ad vota adstrictos ostendit.

Ut porrò tam exitiali disciplinæ detrimento in posterum occurri posset, tractatum data opera edidit, quo Monachos ad regularis observantiam disciplinæ ex officio teneri demonstravit; eorumque refellit opinionem, qui vota dumtaxat sua servare contenti, cætera communis ac regularis vitæ officia pro arbitrio obire se aut negligere posse temere sibi in animum inducunt. Quod quam cum à Divinæ legis, tum Sanctorum Patrum sententiis, ac à nostri quoque Legislatoris Benedicti spiritu sit alienum nemo non videt, unde nihil ex iis negligendum putabat, quæ ad tuendam disciplinam, aut præcavendam morum prolapsionem juvare poterant. Quam vovebat, vitæ perfectionis percupidus, modo fugandis vitiis, modo sodalium, quos se autumabat longe religiosiores, æmulandis virtutibus mira sedulitate animum intendebat: cumque promovendis ad perfectionem animis non parum conferre putaret domestica exempla; quæcumque ævo suo viderat, aut ab aliis audierat, non sine quodam suavitatis sensu in familiari colloquio memorabat; traditasque à primis Congregationis nostræ Parentibus vitæ rationes, pia illorum gesta, studia disciplinæ, egregia demum virtutum specimina libentissime auscultabat. Hinc merito dolens, quod Majores nostri de Monachorum instituendis moribus, quam describendis illorum actis multo sollicitiores, quamplurima ad pietatem atque posterorum ædificationem utilia gesta silentio obvolvissent, ut ea in posterum accuratius collecta scriptis consignarentur autor fuit: primusque duorum, quorum eximias virtutes noverat impenseque colebat animi dotes, Præpositorum Generalium, Bernardi Audeberti, ac Vincentii Marsolii præclare gesta posteritati commendavit.

Bonorum exemplorum utilitas.

LXXIV. Regularum etiam minimarum observantia.

Instituti licet nostri regulas omnes summa servaret cura; impensius aliquanto studium conferebat in minimas, quippe neglectui propiores, non sua quidem natura, sed hominum vitio, quorum in minu-

tis vulgo rebus caligat acies, diligentia languescit. Perinde singulas custodiebat ac venerabatur ut sacras reliquias, quarum vel minimæ particulæ auro & argento exornantur. Nihil ipsi non magnum & altum, quamtumvis exiguum & abjectum, quo Divinæ fieret gratior Majestati; cui placendi ardebat incredibili desiderio. Ex tanto hoc Mabillonii in regulas etiam minutissimas studio facile quivis colligat, quo ipse mœrore afficiebatur, cum vel levissimam sua se incuria remittendæ disciplinæ præbuisse occasionem in animum sibi inducebat. Tum enimvero nulla non pœnitentia, ac pia in seipsum crudelitate hanc formidatæ magis, quam commissæ culpæ labem diluere, ac violatam forte disciplinam sarcire curabat. Hujus rei vel unum hic exemplum proferre juvat.

Caritas Mabillonii erga proximum.

Rogatus aliquando à quodam juvene (qui pietatis speciem præ se ferebat) ut se in viam salutis dirigere, paterne interdum monere, animi demum vellet levare anxietates, votis ultro annuit; eumque ea caritate complexus est, quæ proximi nescit suspicionem. Interim turpissime lapsus haud candidæ mentis juvenis, mira audacia Mabillonium convenit; moxque illius pedibus provolutus, crimen cui dudum assueverat, ingenue confitetur; ac nisi pro sua ipse sibi caritate laboranti opem ferat, medicamque manum adhibeat, gravius se iterum lapsurum asserit. Ea confessione permotus non parum Mabillonius, miseramque deflens prædicti juvenis vicem adeo non deserit, ut etiam, quo errantem ovem illam in viam salutis reducat revocetque quam citissime ad meliorem frugem, nullum non moveat lapidem, nullis eum, non suis modo, sed quos etiam Deo acceptiores novit, amicorum orationibus non adjuvet. Quid plura? Carcere deinde detentum sæpissime invisit; mœrentem qua officiis, qua consiliis, qua litteris consolatur; atque ubi ad meliorem frugem redactum putat, nihil quo minuantur aut brevientur constitutæ pœnæ apud Præpositos non molitur. Quantas ea de re passus sit animi molestias haud facile dixerim, hinc siquidem spe melioris, quam promittebat, frugis adductus, hinc timore, ne in deteriora rueret, perterritus, hinc demum justa Præpositorum severitate commotus, sibi nihil umquam aut gravius, aut molestius accidisse per litteras significavit. Verum, inquiebat, dum salvandi juvenis hujus spes affulgebit vel minima, curam illius numquam abjiciam, iteratis licet ejus prolapsionibus deceptus, animumque non semel expertus sui beneficiorum prorsus immemorem. Quoties, reponebat, à Deo rejici ipsi meruimus, nec ab eo tamen rejecti sumus? Eo caritatis ardore flagrans, quem e vitiis coercitum sperabat, juvenis lapsum lachrymabundus deflebat, nec, nisi desperata emendatione, penitus dimissum voluit. Interea ad se reversus Mabillonius, veritusque ne nimia in juvenem indulgentia disciplinæ leges violasset, aut sodalium offendisse animos, pœnitentia ductus, culpam hanc non privata modo, sed publica quoque satisfatione dilutam voluit; veniamque post gravissimum in quem exeunte ann. 1698. incidit morbum, scripto postulavit: adeo verum est, *Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum.*

LXXV. Mabillonius secessum meditatur.

Mabillonius, compositis, ut diximus, cum Abbate de Trappa studiorum concertationibus, studiis penitus nuncium remittere cogitabat, uni orationi, meditationi mortis, rerum contemplationi cœlestium, regularibus denique exercitiis operam daturus; cum talia meditanti, duo clarissimi Gallicanæ Ecclesiæ Præsules, qui ejus eximia atque toti Ecclesiæ utilia talenta probe noverant, eaque in terram fodi ægre ferebant, auctores fuere, ut adornandis Sancti Antistitis ac Martyris Cypriani operibus animum appelleret suum. Paruit Præsulum voluntati Mabillonius; jamque se ad hanc elaborandam editionem accingebat, cum eamdem à viro sibi amicissimo paratam, quin etiam impetrato privilegio, prima operis folia prælo consignata audivit, quare divina id factum providentia existimans, susceptum secedendi propositum magis ac magis rursus meditatur, paratque exequi. Movit & quidem graviter meum id consilii animum: siquidem verebar, non tam ne studiis vale omnino diceret, quam ne altiora paullatim repudiaret. Pro meo igitur modulo expositis futuris in Ordine nostro (cui illustrando tantopere hactenus insudaverat) consilii hujus incommodis, nullas non artes, nulla non argumenta adhibui, queis ad capessendum, quod dudum meditabatur, Annalium opus, integramque totius Ordinis historiam adornandam adducerem; cum ne diu meditatum operis hujus consilium vanum, eo demortuo, fieret, tum quod ob egregias ejus animi dotes, rerumque monasticarum intelligentiam, ac potissimum summam scribendi facilitatem, huic suscipiendæ provinciæ, parem tunc Congregatio nostra haberet neminem; tum denique quod id operis deberet sodalibus, amicis, toti demum Benedictinæ atque Ecclesiasticæ Reipublicæ. His rationibus, ac clarissimorum præsertim virorum Renodotii, & Baluzii precibus, suasionibusque adductus, arduum licet opus in se suscepit: tametsi laboris cessationem & quietem jam affectæ vires ætasque provectior suadere viderentur.

Novam Operum S. Cypriani edit. omnium suadentibus Episcopis suscipit, sed ab alio susceptam audiens deserit.

LXXVI. Annales Benedictinos adornandos suscipit.

Ad hoc tanti momenti, tantæque molis opus manum admovit Mabillonius 14. Julii ann. 1693. & quidem, favente Deo, quod initio ægre cum ob argumenti difficultatem, tum ob provectiorem ætatem adgressus erat, deinceps non sine quadam animi voluptate, & incredibili diligentia prosecutus est. Verum ne inchoatum opus vel suo, quem imminentem putabat, obitu imperfectum relinqueret, vel præmaturum emitteret in lucem publicam, non ante novem ab incepto labore annos de eo evulgando cogitare visum est; cum scilicet ultra dimidiam ejus partem confecisset, ne præpropera, nec satis limata prodiret editio.

Nonnulla Mabillonii opuscula.

Interea nunc Præpositorum, nunc amicorum rogatu nonnulla, minoris tamen momenti, vulgavit Opuscula, inter quæ memoranda in primis occurrit epistola encyclica de obitu Mariæ de Blemur Sanctimonialis Benedictinæ è Congregatione adorationi perpetuæ SS. Sacramenti addicta, egregiis quibus Ordinem simul & Ecclesiam illustravit operibus insignis. Ipsa enim est, quæ præter alios multos libros quibus pietatem perinde ac doctrinam suam polleris commendavit, annum Benedictinum adornavit patrio sermone conscriptum, duodecimque in 4°. tomis distinctum; subindeque aliorum Sanctorum in Ecclesia notiorum acta concinnavit. Huc quoque accedit nova, quam anno insequenti edidit, regulæ Benedictinæ versio, una cum Stephani Poncherii Parisiensis Antistitis Constitutionibus ad suæ ditionis Sanctimonialium usum accommodatis: altera denique epistola Blesensi Episcopo inscripta, qua videlicet celebris cujusdam censoris dissertationem in lachrymam, ut vocant, Vindocinensem ann. MDC LXXXXIX. evulgatam, valide refellit; fidemque Sodalium Vindocinensium, quos fraudis temere censor prædictus insimulaverat, strenue vindicat.

In omnibus idem elucet Mabillonii animus.

Tametsi autem ambæ illæ epistolæ pro argumenti diversitate diversum quoque autorem sapere videantur; in utraque tamen, ut egregie notatum voluit clarissimus Mabillonii encomiastes Dominus le Gros

de Boze perpetuus Regiæ Inscriptionum Academiæ Secretarius, eadem elucet indoles, idem Mabillonii animus, sincera videlicet & accurata pietas, omnis inimica temeritatis, unde immerito de hac utraque epistola longe aliter, quam par esset, judicasse nonnullos vanis conjecturis deceptos, prudenter colligit modo laudatus Encomiastes.

Bernardi libros de consideratione separatum edit.

His recensendus venit aureus plane Bernardi liber *De consideratione*, Summi atque ad totius Ecclesiæ decus & utilitatem regnantis hodie Pontificis Clem. XI. jussu elegantioribus typis separatim editus: quem mox eodem anno excepere duo postrema Actorum Benedictinorum undecimi sæculi volumina, duplici ac plane erudita, quæ cuique tomo præfixa est, præfatione locupletata: in quarum altera post exposita sæculi undecimi decora, assumptos è nostris ad supremum Petri Solium enumerat, Silvestrum II. Leonem IX. Victorem II. Stephanum IX. Gregorium VII. Victorem III. & Urbanum II. quorum sex postremi à medio sæculo undecimo ad finem usque, parum interrupta serie, supremam illam Sedem occuparunt; quibusque sæculo insequenti Paschalius, & Gelasius, ambo hujus nominis Secundi, successerunt, omnes fere ex una Congregatione Cluniacensi, quæ ut sæculi decimi præcipuum ornamentum fuit, ita etiam sæculo undecimo florere perseveravit suo Sanctorum Odilonis, & Hugonis præfectura. Quantum porro ornamenti attulerit unus Leo Papa Nonus, abunde testatur restituta per eum Ecclesiastica disciplina. *Ipse enim est*, inquit Ordericus, *qui Sanctorum scita Canonum restituere conatus est, quæ jam transactis temporibus nimis deciderant, & pene à notitia hominum defluxerant: ipse est qui Remis coacto Concilio de Castitate, justitiaque ministrorum Dei tractavit; & salubria decreta, quæ jam Antistites & Presbyteri nesciebant, renovavit.* Quæ ille imperfecta reliquerat, perfecit Greg. VII. majores corpore animos gerens, quos strenue adhibuit ad restituendum in Ecclesiæ ministris cœlibatum, simoniam extirpandam, abolendasque Investituras Ecclesiæ dignitatum; quas passim tum non sine pretio conferebant permulti Principes, uno fere ab ea labe plurimum immunibus Francicis Regibus, maxime tertiæ Stirpis; quorum primus & caput Hugo cognomento Capitius, seu Capito, vulgo Capetus, experimento edoctus, quantum detrimenti attulissent monasticæ Religioni sæculares illorum temporum Abbates, monasteriis omnibus liberam eligendorum regularium Abbatum facultatem restituit. Hujus exemplo plerique Galliarum Principes idem præstitere; in primis Normanni Duces, qui damna superiorum sui generis Principum violentia monasteriis illata abunde compensarunt, instauratis ubique vetustis, aliisque de novo extructis Cœnobiis, quæ liberaliter dotaverunt.

Ordericus lib. 1. pag. 372.

Ordinis propagatio.

Sub prædictis Pontificibus, ac Principibus mirum est, inquit Mabillonius, quantum ubique Ordo noster floruerit, quantum ramos suos etiam extra Europam protulerit, denique quot & quantos viros illustres isto sæculo Ecclesiæ suppeditaverit. Primas tenuere Romualdus Camaldulensium institutor, Abbo Floriacensis, Odilo & Hugo Cluniacenses, Willelmus Divionensis, Richardus Sancti Vitoni, Poppo Stabulensis, Joannes Vallumbrosanus, Gerardus Sylvæ majoris, Rotbertus Casæ Dei, Rotbertus item Molismensis, aliique Sanctissimi Abbates: quorum plerique non tam rectores peculiarium Monasteriorum, quam novarum Congregationum institutores extitere: quibus addere licet S. Brunonem Sacri Ordinis Cartusiensis, & Beatum Stephanum Grandimontensis autores, qui Sanctissimum Patrem Benedictum ducem ac patronum suum principio agnoverunt.

Ope Benedictinorum reflorent una cum monastica religione scientiarum studia.

Eisdem subinde autoribus non tantum refloruisse monasticam religionem, sed doctrinæ quoque ac scientiarum studia in Monasteriis, ac tota fere Ecclesia Latina denuo excitata docet; idque factum præsertim ostendit Mabillonius industria & ope Gerberti Aurillacensis Monachi, Abbonis Abbatis Floriacensis, Fulberti Carnutensis, & Notgeri seu Notkeri Leodiensis Episcoporum. In hac insuper præfatione, Ordinis nostri memorata in Orientem aliasque regiones propagatione, una cum reformatione Anglicanorum Monasteriorum, controversia, quæ sub finem sæculi X. exorta est, occasione professionis, quam Episcopi ab ordinandis Abbatibus exigebant, historiam mirum in modum illustrat, exhibetque quanta animorum contentione Episcopi Aurelianenses à Floriacensibus Abbatibus hanc subjectionis professionem olim exigere niterentur, quamque strenue restiterint Abbates præsertim Abbo, & Successor ejus Gauzelinus. His accedit haud contemnenda brevis dissertatio de Pontificalibus ornamentis (quæ ne Episcopis quidem omnibus, nedum Abbatibus ab initio communia fuere omnia) deque usu Mitræ non ante sæculum undecimum Abbatibus concesso; quam nonnullæ lectu dignæ observationes cum ecclesiasticæ, tum monasticæ excipiunt, de habitu scilicet monastico in extremis à viris etiam principibus assumi solito, de puerorum oblatione in monasteriis olim irrevocabili, de tribus novis Abbatum institutis, de corporalium usu in incendiis, de reliquiarum probatione per ignem, variisque aliis, quæ ab antiquis ad res dubias dirimendas usitatæ fuerunt, probationum generibus. Ex quibus duæ in primis undecimo sæculo frequentes erant, scilicet per ignitum ferrum pro Ecclesiasticis, & duellum pro sæcularibus viris. Probatione per ignitum ferrum Sancta Cunegundis Imperatrix usa est ad probandam pudicitiam suam, & Petrus Monachus ad simoniam reprimendam, ubi idque Igniti cognomen sortitus. Duellum more veterum Francorum, & Germanorum scuto & fuste fiebat, passim non sine cruoris effusione: quæ causa fuit, ut Ecclesiasticis maxime interdictum esset; tametsi non raro, teste Sirmundo, qui insignia refert ejus rei exempla, ab ipsis etiam adhibitum fuerit. Ad ejusmodi duella tamquam ad ludicrum spectaculum concursus fiebat; eisque aderant etiam Episcopi, quod de seipso testatur Homelinus Redonensis Episcopus in litteris à supra laudato Sirmundo allatis super controversia quadam, duelloque in prato Episcopi commissa juxta flumen Isolam: *præsentibus nobis*, inquit, *& Comite Conano, aliisque*.

Varia probationum genera per ignem & duellum.

Sirm. in Goffr. pag. 62.

In altera vero undecimi sæculi præfatione, in primis agit de Schismate Græcorum per Michaelem Cerularium in Romanam Ecclesiam excitato, deque objectis Græcorum in Latinos; dein de Berengario, ejusque hæresi; nec non de multiplici ejus condemnatione, resipiscentia simul & pœnitentia, variisque qui contra illum calamum strinxerunt autoribus. Sub hæc de gestis Gregorii Septimi, qui Ecclesiasticæ disciplinæ, jurisque Pontificii acerrimus defensor contra investituras, & simoniam, proque Clericorum cœlibatu strenue laboravit. Postremo variis recentibus Ordinibus, seu Congregationibus in Ecclesia Latina sæculo undecimo institutis, scilicet Camaldulensi, Vallumbrosana, Grandimontensi, & Cartusiensi, nonnulla de more observanda proponit, quæ in priori præfationis parte desiderantur, de mutatione scilicet nominum in Summis Pontificibus, de Chorepiscoporum abrogatione, de Missis quotidianis ac ferialibus, de Viatico sub utraque

speciei, de Communione sub unica, de habitu Monastico in extremis assumpto, de origine & instituto fratrum conversorum, & eorum qui donati & oblati vocantur, de monasteriorum servis, de utriusque demum sexus reclusis, quæ omnia nusquam uberius adeo enucleata reperias.

Opusculum de Morte Christiana in lucem emisit.

Epist. nuncupatoria novæ S. August. editioni præfixa.

Anno proxime sequenti, suadentibus multis pietate ac sapientia conspicuis viris, Opusculum *de Morte Christiana* superius memoratum, ac Reginæ Majestati Britannicæ nuncupatum in lucem emisit. Huc etiam memoranda spectat Epistola Christianissimo Regi Ludovico XIV. inscripta, novæ S. Augustini operum editioni præfixa, atque ob argumenti dignitatem, nitorem styli, sententiarum gravitatem, majestatem rerum, ac varia quæ in illa passim splendent eloquentiæ lumina, patrio etiam idiomate excusa. Inter varios quoque Mabillonii tractatus, locum haud infimum obtinet is, quem ann. MDCLXXXXVI. evulgavit, ad illorum refellendam opinionem, qui *Missæ* & *Communionis* voces in Capitibus XXXV. & XXXVIII. Regulæ Benedictinæ adhibitas, à vulgata Sacrificii & Eucharistiæ acceptione detorquebant; atque à constanti totius non solum Ordinis traditione, sed communi quoque Interpretum Regulæ sententiis discedebant, dum per vocem *Missæ* divinorum officiorum conclusionem, per *Communionem* vero *Sanctam* pauculum panis & vini, quod à Lectore mensæ sumitur ante lectionem, in signum Ecclesiasticæ unionis cum fratribus suis, quibuscum edere non potest; significari contendebant. Novam hanc explicationem tum ab antiquissimorum monachorum praxi, tum à communi totius Ordinis disciplina, tum ab Interpretum pene omnium opinione longe alienam confutat Mabillonius; cumque subinde docet in monasteriis obtinuisse morem, ut singulis dominicis ac festis diebus Monachi Missæ Sacrificio interessent, & ad Sacram Synaxim accederent, Fratres vero coquinæ, & refectorio deservientes, Lectoremque mensæ, quibus pauculum panis & vini, quod *Mixtum* Regula vocat, ante refectionem indulgebatur, *Mixti* hujus sumptionem iis diebus post *Missas* & *Communionem*, id est post Missæ Sacrificium, & Communionem Eucharisticam, quæ à jejunis percipienda erat, distulisse, tum vero Lectorem *Mixtum* sumpsisse propter *Communionem Sanctam*, ne ipsa lectione & contentione vocis, periculo sacras particulas exspuendi objiceretur. Id argumenti pro sua eruditione, ac eo quo tuendarum antiquarum traditionum studio tenebatur, non sine multorum gratulatione tractavit Mabillonius: in primis vero clarissimi Abbatis Trappensis, qui, eo perlecto, non in eamdem modo, uti per litteras Mabillonio significavit, abire sententiam, sed novorum quoque argumentorum accessione, quæ secundæ sui in Regulam Commentarii editioni subjunxit, eam tueri voluit. Non sic D. Claudius de Vert antiquæ observantiæ Cluniacensis Monachus, non sic: siquidem opus illud non dissertatione modo confutare, sed in operis autorem verbis inofficiosis, ac sodali parum dignis invehi non erubuit.

Tractatum hunc confutat D. Claudius de Vert Monachus Cluniacensis.

Epistola de primario instituto Romarici-montis.

Non minoris certe pretii videtur Mabillonii epistola ad amicum, de primario instituto Romarici-montis, vulgo *Remiremont*, quæ Ecclesia, insigne quondam Cœnobium Monialium Benedictinarum, nunc, collapsa regulari disciplina, mutata est in Collegium Canonicarum Sæcularium. Cum enim illius loci Abbatissa, Canonicarum suarum mores in melius reformare cuperet, hæ novæ ac severioris disciplinæ impatientes, nihil quo tale consilium frangerent sive autoritate, sive scriptis non egere, quove res ex voto felicius cederet, Ecclesiam suam nunquam monastico Ordini, & Regulæ S. Benedicti addictam fuisse contendebant. Contrarium ut aperte demonstraret Mabillonius, epistolam edidit ann. MDCLXXXVII. in qua ut erudite, sic, ut solebat, moderate probat Abbatiam Romarici-montensem in Sanctimonialium dumtaxat gratiam conditam, Regulæ Benedictinæ ab ipsis primordiis subjectam fuisse; nec illius loci monachas ab ea defecisse, donec anno circiter MD. rejecto cum monasticis vestibus nomine, in sæculares Canonicas, nullis constrictas votis, conversæ sunt.

Operum Mabillonii lux, & dignitas.

Porro ex hactenus recensitis operibus nonnulla licet anonyma in lucem prodierint, autorem tamen Mabillonium satis superque indigitant. Siquidem, ut pulchre annotavit sæpe memoratus encomiastes D. de Boze, ea erat Mabillonii fama, ea lux, operumque illius dignitas, ut quamvis ista nomen ejus haud præ se ferrent, ab eo tamen profecta vel ex ea quæ passim appareret animi pietate, ac sincero qui in eis ubique luceret veritatis amore, eruditi quique facile conjicerent. Idipsum quoque paucis hisce, ac Mabillonio nostro perhonorificis verbis testatum voluit, magni apud litteratos nominis autor. *Vix*, inquit, *satis pro meritis laudari potest Mabillonius: reconditam atque exquisitam ejus litteraturam eruditis omnibus produnt edita opera. In iis stylum mirere dilucidum, purum, nervosum, à fuco & ornamentis alienum, nobilem tamen, atque argumentis prorsus accommodatum; ejus denique oratio nunquam effluit, nec latius divagatur.*

Mabillonii stylus.

LXXVII Mabillonii in discernendis libris & operibus sagacitas.

Qua polleret in discernendis iis, quæ in lucem publicam emisit, veterum Patrum monumentis, sagacitate juxta ac limato judicio, abunde testantur analecta veterum Patrum, ac ea omnia quæ ex Italiæ Germaniæque Bibliothecis eruit selecta documenta, quæque ad calcem cujusque Annalium voluminis refert, Regum ac Pontificum diplomata, publica instrumenta, ac maxime chartæ illæ propemodum singulares, ex quibus vel illustrandæ historiæ, vel adornandis suis editionibus opportuniores præ multis aliis etiam sinceris scite adeo selegit, inseruitque in sexto Rei Diplomaticæ libro.

Mabillonii solertia.

Par ipsi dexteritas ac solertia dignoscendis iis, quæ ad cujusque perfectionem, atque operis utilitatem, aut resecanda aut addenda videbantur. Hujus rei vel unum exemplum offeram, ex quo quam utilia forent, quæ rogatus interdum dabat amicis consilia, quamque ut rerum sic operum esset peritus æstimator cuique patebit. Opus elucubraverat vir dudum sibi familiaris de vitæ solitariæ commodis, præclarioribus, quas non sine labore collegerat, Sanctorum Patrum sententiis distinctum, editumque deinde Mabillonio expendendum tradiderat. Legit opus eruditus censor; ac ne à cœptis autorem deterreret, probavit operis consilium, conatum laudavit; suamque ipsi subinde mentem ingenue aperiens, ostendit, vana prorsus ac supervacanea in praxi fore quæcumque in laudem dixerat solitudinis, nisi ejusdem ineundæ rationes præscriberet ad cujusque ingenii vires accommodatas. Neque enim existimabat vir prudentissimus omnibus indiscriminatim hominibus proponendam vitam solitariam: quippe non omnes ad eam vocatos aut à Deo destinatos probe noverat. His igitur, quæ sequuntur; verbis autori responsum voluit: *Percurri*, inquit, *nec parum legendo profeci tuum de vita solitaria Opusculum; at certe exoptassem, ut qua quisque methodo secum solitarius agere intusque secum versari debeat, luculenter exposuisses: quæ res etiam incipientibus & perfectis non parum operosa videtur. Ut enimvero in sui tantum ipsius contemplatione quis delectetur, probe seipsum cognoscat, mentem habeat optime moratam, in-*

Non omnes ad sui tantum contemplationem æternamque solitudinem destinatos ostendit.

terna demum solitudinis suavitate ac delectatione capiatur, necesse omnino est; non enim placent jejuna colloquia: Deum præterea, quocum versari queat, intra seipsum possideat oportet: quod certe nec omnibus, nec diu à Deo concessum facile crediderim: atque haud scio, utrum Deus justos omnes ad hanc internam dumtaxat sui contemplationem addictos velit; an forte longe acceptiores Deo sint, qui mente pura, animoque religiose collecto, publicis ministeriis occupantur. Ut ut se res habeat, juvat identidem illa etiam externa solitudo ad colligendos potissimum animos, rerumque externarum religiosius obeunda munia. Tum enim ab omni rerum temporalium curis expeditus animus, omnique aut studiorum mole deposita, impensius sibi ac liberius vacat. Cæterum meipsum vere putarem solitarium, si inter laborandum aut studendum. Deum in primis unice attenderem, sursum aliquando animum erigerem, mentem frequenti oratione pascerem, nec quicquam de mundi cupiditatibus cogitarem, ad eam igitur solitudinem interdum recurrat oportet quisquis est reficiendarum animi virium, ac fovendæ cupidus pietatis, ipsa namque, teste Guillelmo à Sancto Theodorico in sua ad Fratres de Monte Dei epistola, monachorum valetudinarium est. Plura alia compendii causa prætereo: siquidem ex jam dictis satis superque patet, quam opportunæ ac prudentes forent animadversiones, Mabillonique consilia.

Quantum conferat externa solitudo.

LXXVIII.
In Regiam inscriptionum Academiam cooptatur Mabillonius.

Ann. MDCCI. Regiæ Inscriptionum Academiæ titulo honoris, innuente, quæ summa laus est, Rege Christianissimo, adscribitur; litterasque ea de re ad illum scribere dignatur clarissimus Comes de Pontchartrain. Delatum honorem refugit vir modestissimus; nec nisi suadente undequaque conspicuo Abbate Bignonio, ac jubentibus Majoribus nostris invitus accepit; atque huic pro viribus respondere conatus meritorum haud immemor Mabillonius reconditam inscriptionum ac numismatum scientiam ornavit promovitque. Vix fuerat prædictæ Academiæ cooptatus, cum honoris causa, gratulandi scientiarum Academiæ de mutua, quæ inter utramque viget, atque in posterum vigere debet, animorum consensione, præ aliis deputatur: quo in munere obeundo totam quam concitaverat sui expectationem egregie sustinuit. Nec minori haud ita post Academicorum laude ac plausu excepta, atque in publico consessu perlecta est, quam in Regum nostrorum sepulcra adornaverat erudita disquisitio.

Academiæ in Mabillonium amor, & existimatio.

Quo demum loco Mabillonium haberet laudata modo Academia, quove illum amore dignaretur, testatum in primis fecit, cum gravi morbo correptum, per duos, eosque conspicuos Academicos, qui communem dolorem significarent, invisum suo nomine voluit; vel cum eidem demortuo, præsentibus cunctis Academicis parentavit: quin etiam in publicum suæ de illius virtute opinionis monumentum, in primo post obitum cœtu per eruditissimum virum Dominum Boxium perpetuum Academiæ Secretarium singulari plane elogio commendari eum jussit. Quam digne atq; ex omnium voto de Mabillonio dixerit præstantissimus Orator, facile quivis intellexit tum ex omnium Academicorum, aliorumque applausu, tum maxime ex præclaris celeberrimi Academiæ Præsidis Abbatis Bignonii laudibus. *Grande*, inquit, *parasti tibi elogium, dum tanti viri egregia merita tam eximie feliciterque prædicasti.* Percrebuit mox præclari rumor elogii, eamque in omnium movit eruditorum animis ejus legendi cupiditatem, ut studiosis, nec semel iteratis precibus adducta tandem Academia idipsum in diario Parisiensi jam jam licet inserendum, publici juris fieri curaverit, atque inde nata quæ tum vulgata est prædicti elogii editio, summa omnium gratulatione excepta.

Paratos prælo duos Annalium Ordinis tomos, præter multa, quæ ad alios continuandos collegerat, non prius in publicam lucem emissos voluit, quam nonnulla, quibus opus habebat, Archivorum monumenta consuluisset, hinc opportune natam SS. Benedicti Floriacensis, & Bernardi Claravallensis tumulos adeundi occasionem, eo libentius amplectitur, quo piæ dudum illius peregrinationis majore desiderio tenebatur; ut illorum patrocinio auspicioque Patrum seu potius Monastici Ordinis Luminarium susceptam Præpositorum rogatu ad Sodalium ædificationem, totiusque cum Benedictinæ, tum etiam Ecclesiasticæ Reipublicæ decus & commodum, vastissimam Annalium provinciam digne prosequi, atque ad finem usque perducere posset.

LXXIX
Sepulchra S. Benedicti, & Bernardi perlustrat.

Eapropter exeunte mense Sept. ann. MDCCI. me sibi adjuncto comite ad Cœnobium Floriacense contendit; ibique discussis nonnullis, quæ in ejus Cœnobii celeberrima olim Bibliotheca supererant, antiquis monumentis, obvia quoque Monasteria juxta archivum perlustravit; atque inde die ab instituto itinere octavo ad Claravallensem Abbatiam pervenit. Novam porro regionem aut diœcesim ineunti statim locorum aut Ecclesiarum tutelares ac patronos precibus invocare moris erat. Ad præcipui vero, quo tendebat, loci conspectum, majoris religionis causa ex equo desiliens, præscripta sibi à pueto pietatis officia flexis genibus de more persolvebat. Eum vero diem, quo Cœnobium versus Claravallense iter instituit, totum sane cantandis aut recitandis hymnis, & canticis consumpsit, lætus nimirum iis semel & iterum adeundis locis, quæ Bernardus suis ac discipulorum virtutibus & miraculis illustraverat. Cæterum quantum ad egressum Sylvæ Claravallensis, ejusque Sacri Cœnobii conspectum expertus fuerit pietatis sensum, vix exprimi potest. Siquidem equo de more desiliens orationem instituit; subindeque ea haud intermissa, cœptum iter ad januam usque Monasterii pedibus, nudo capite, via licet ardua ac sole plurimum æstuante, confecit.

Floriacense Cœnobium petit.

Pietas Mabillonii erga locorum, & Ecclesiarum patronos.

Qui tum aberat Claravallensis Abbas, audito vicino Mabillonii adventu, accedentem, ea qua par erat, humanitate ac observantia excipi, atque ad nutum ejus usumque cuncta reserari jubet. Paruere Monachi Abbatis voluntati; eo sane studiosius, quo noverant colebantque magis tanti hospitis nomen, doctrinam, egregia in Ordinem merita, virtutes, eximias demum animi dotes. Igitur incredibili omnium studio, parique lætitia & honore exceptus ibi per dies aliquot, non ad eruendos modo Archivii ac Bibliothecæ forulos, sed suos quoque probandos mores, obeundaque pietatis officia animum contulit. Iis vero, quæ ibidem præ cæteris Galliarum Cœnobiis supersunt, sanctitatis vestigiis mirifice captus, quæcumque Bernardi virtutibus ac miraculis conspicua loca venerabundus perlustrabat, scitu digna diligentissime observabat: super Bernardi tumulum Sacrum quotidie celebrabat; eodem, quo ille in itinere usus olim fuerat, calice, non sine quodam suavitatis sensu utebatur: & tum quidem eo in loco, quas enixe rogaverat, animi corporisque vires continuandis ad obitum usque Bernardi Annalibus necessarias obtinuisse, testantur ad id usque tempus perducti prædicti Annales; quorum jam quatuor prodiere volumina. Quintum, quod prælo maturum moriens reliquerat Mabillonius, publicam in lucem, præmissa ejus, ac socii Ruinarti vitæ Synopsi, nuperrime protulit D. Renatus Massuet continuandis annalibus, concordi majorum suffragio præpositus, jamque nova ac eruditis omnibus

Claravallense Monasterium adit.

pius item

plurimum probata Sancti Martyris atque Lugdunensis Episcopi Irenæi editione celebris.

LXXX. Primum Annalium tomum in lucem profert.

Ex hoc litterario cursu, seu pia potius peregrinatione reduci Mabillonio per annum fere integrum nulli fere studio ob gravissimum morbum, operam dare licuit. Verum refectis tantisper viribus, præloque maturis Annalibus, mox per epistolam encyclicam singulos monuit Cœnobiorum Præpositos, ut selecta ad eum documenta diligentissime transmitterent: duobusque post evulgatam epistolam mensibus, primum Annalium Ordinis volumen prælo subjectum, sequenti ann. MDCCIII. in lucem emisit.

Remos proficiscitur.

Haud ita post Remos negotiorum causa vocatus, me sibi socio adjuncto, se contulit, nec sine quadam animi voluptate dilectam sibi, ob informatos ibi mores, Remensem Ecclesiam, nec non S. Remigii cujus in templo vota nuncupaverat sua, tumulum rursus invisit. Hujusmodi porro peregrinationes à Præpositis licet imperatas, atque ut plurimum studiis suis peropportunas, non invitus modo suscipiebat, sed sibi quoque graviter exprobrare solebat frequentes è monasterio egressiones, quod vitæ nimirum solitariæ leges inde violari, animosque sodalium offendi arbitraretur.

Quàntopere à curiositate alienus.

Hinc nullum umquam iter aut explendæ curiositatis, aut, quod mirari subit, reparandæ salutis causa susceptum voluit, aut aliquo divertere, vel ullo in loco morari; nisi ad Sacra loca visenda moveret interdum pietas; aut ad colligenda, quæ è re sua erant, documenta opportunitas vel utilitas invitaret. Suæ hac in re observantiæ specimem dedit satu planedignum, cum Monachii in Bavaria (quo ad excutiendos insignis ejus Bibliothecæ manu exaratos codices diverterat) perlustrato, non tam ut sibi, quam ut amicorum indulgeret humanitati, splendidissimo Serenissimi Bavariæ Ducis Palatio, requirentibus utrum Versallico præstaret, illud se nunquam vidisse non sine adstantium stupore ingenue professus est. Et re quidem vera annis licet pene viginti Parisiis commoratus, Versallium nulli Regum palatio secundum, quoque pene omnes confluunt, quæ sub cœlo sunt nationes, vix cogitaverat. Adeo erat à rerum mundanarum spectaculis alienus. Neque enim nisi professioni congrua, aut studiis opportuna sibi indulgebat vir solitariæ vitæ amantissimus. Ita certe res humanas, quascumque miratur vulgus, despiciebat, ut nihil præter æternas ac divinas amare videretur. Hac voluptatum etiam honestissimarum fuga majores delicias comparabat ex rerum cœlestium meditatione hauriendas. Sic enim fit: cœleste illud balsamum in animos infundi nequit, nisi prius ex illis terrenarum delectationum insulsus liquor omnino exhauriatur. Itaque Mabillonius arctissima cum Deo familiaritate conjunctus, illum præ oculis habebat semper; in ejus amplexu dulcissimo acquiescebat, à seipso quem unice oderat, in eum quem diligebat unice quasi transfusus. Hinc ille animus in divinarum rerum contemplatione defixus, abductus à sensibus, & sui plane suorumque oblitus.

LXXXI. Impugnatur Opus de re diplomatica.

Peractis, quorum gratia Remos adierat, negotiis, Parisios ineunte Octob. remeat; ibique novum experitur rei diplomaticæ censorem. An porro cum isto disputationem inire deberet, nec ne, non una fuit amicorum sententia. Nonnulli enim Mabillonium vel ea sola operis lectione satis superque vindicatum arbitrantes, à vindiciis abstinendum putabant; secus vero alii, in gratiam videlicet illorum, qui vel rei diplomaticæ libros præ manibus non habebant, vel qui Mabillonium, de quibus à censore accusabatur, errorum reum esse temere sibi in animum inducebant. Amicis in varias hinc atque hinc sententias abeuntibus, mediam, nullique non probatam viam tenuit vir prudentissimus: quodque jamdudum in gratiam illorum, qui primam rei diplomaticæ editionem sibi comparaverant, adornaverat ejusdem operis supplementum eodem, quo liber de re diplomatica charactere & forma exaratum, novis auctum præsidiis, atque argumentis adsertum, quam potuit citissime, publicam in lucem protulit ann. MDCCIV. ratus ea ratione non præsentibus modo, sed futuris quoque adversariorum objectionibus abunde satisfactum iri. Ideo vero censoris nomen reticuit, ut rixas ac concertationes, quibus ut plurimum læditur Christiana Caritas, atque interdum dissociantur sanctissima quoque sodalitia, devitaret vir pacis perinde ac caritatis studiosissimus.

LXXXII. Quid contineat primus Annalium tomus.

Rei diplomaticæ supplementum præcesserat primus Annalium Benedictinorum tomus, ex cujus specimine futuram totius operis præstantiam atque utilitatem facile quisque intellexit. In eo primum instituti ratione, susceptique causis operis expositis, dein magna cum laude, nec minori grati animi significatione memorat cum eos, qui ejusdem operis consilium longe ante illum inierant, Ordinis nostri Scriptores, tum eos qui vel suam ipsi operam, vel documenta liberaliter conferre dignati fuerant. Præfationem excipit liber primus, in quo luctuosum Ecclesiæ simul & Imperii, atque etiam Monastici Ordinis statum luculenter exhibet, infinitasque calamitates illius ævi, quo natus est Beatissimus Pater Benedictus, Cimmerias illas tenebras non suo solum, sed & discipulorum splendore discussurus; Ordinisque monastici propemodum emortui cineres excitaturus, antiqua subinde recenset, quæ in ortu Benedicti extabant in orbe Christiano Cœnobia; illorumque refert fundationem, quæ postmodum per omnes ferme Europæ regiones longe lateque Regum ac Principum munificentia simul & pietate condita leguntur. In hoc demum primo Annalium volumine ducentorum amplius annorum eventa decem & octo libris comprehensa (quorum ultimus in annum septingentesimum desinit) cum duplici appendice referuntur; atque ut narrationi sua stet auctoritas, probationes, quibus fidem faciat, alias ex actis Sanctorum nostrorum repetit; alias, quæ alibi editæ sunt, ad marginem indicat; alias denique in contextu vel summatim, vel integras, aut in appendice refert: nonnullas etiam easque antiquas picturas in æs incisas, quidve quæque momenti contineat, exhibet.

Calcem operis duplex appendix occupat. Prior Apologiam Missionis S. Mauri in Gallias continet, autore inclytæ mem. Theodorico Ruinarto studiorum Mabillonii dignissimo plane socio, laborumque participe, qui eum molesto editionis hujus labore, magna ex parte levavit, indicesque contexuit, quos sequitur dissertatio de Gregorii Magni monachatu. Posterior appendix nonnullas probationes complectitur, varia scilicet monumenta ante hac inedita, quæ in corpore voluminis tantum summatim laudantur. Porrò Annales isti non monasticam solum, sed ecclesiasticam quoque, ac civilem historiam complectuntur. Neque enim eruditorum expectationi fecisset satis Mabillonius, nisi scite, ut fecit, plurima eaque varia tum ecclesiasticæ, tum civilis historiæ eventa monasticis intermiscuisset.

LXXXIII. Miro plausu excipitur primus Annalium tomus.

Primum hoc Annalium Ordinis volumen ingenti eruditorum plausu nec minori gratulatione exceptum, reliquorum cupiditatem in omnium animis excitavit. In primis verò qui litterariæ perinde ac ecclesiasticæ rei pari studio ac sollicitudine invigilat, consulitque utriusque utilitati Clemens XI. Pontifex Maximus, eodem quo cæteri eruditi desiderio inflammatus, cœptum opus, quam posset maxima diligentia, ut prosequeretur, vehementer Mabillonium hortari digna-

e

tus est, suis ea de re per Eminentissimum Cardinalem Paulutium litteris ad eum directis quarum hic summam afferre, haud ingratam fucuram lectori, visum est. *Tibi*, inquit modo laudatus Eminentissimus Cardinalis, *Sua Sanctitas susceptum opus, quod illustri ingenio eximiaque eruditione tua maxime dignum putat, ex animo gratulatur; atque illud, quantum rei moles permiserit, urgeas vehementer cupit: rata posteris magno incitamento futurum ad æmulanda quæ passim occurrunt egregia majorum exempla, & parem omnino solidamque gloriam tuo nomini comparaturum. Hæc respondere me tibi jussit Sanctissimus Pater &c. Dat. 24. Junii MDCCIV.*

LXXXIV. Prodit in lucem secundus Annalium Tomus.

Tanti Pontificis votis juxta ac litteris mirum in modum animatus Mabillonius, reliquis elaborandis Annalium tomis animum studiose adjecit; atque exeunte anno MDCCIV. alterum tomum eodem quo primum litteratorum ac bonorum omnium applausu publici juris fecit. Habet volumen istud res gestas à nostris per centum quadraginta novem annos, ab anno scilicet septingentesimo, in quem primum desinit, ad annum usque octingentesimum quadragesimum nonum, quo secundum clauditur. In hoc annorum decursu cum multa ad memoriam insignia contigere, tum quatuor potissimum quæ majori observatione digna videntur. Et primo quidem conversio Germanorum, & Septentrionalium ad Christianam & Catholicam fidem per nostros, itemque vitæ monasticæ propagatio per illas plagas, quæ quantum nostris debeant testantur adhuc extructarum ab iis urbium nomina, scholarum publicarum institutio, ex qua litterarum & sacræ doctrinæ traditio, quatenus illa tempora ferebant, ad posteros promanavit. 2. Sacri instauratio Cœnobii Casinensis per Petronacem Abbatem, & Casinenses monachos, qui post ejus eversionem à Longobardis factam, Romæ in Patriarchio Lateranensi, favente Pelagio Secundo, consederant. 3. Prima Ordinis nostri ad primigenias leges reformatio. 4. Catholicorum dogmatum defensio à nostris suscepta, feliciterque peracta; ex quibus Mabillonius Theodemirum Abbatem, nec non Paschasium Radbertum plurimum laudat: quorum alter legitimum imaginum cultum apud Orientales, subindeque apud Gallicanas partes disceptatum asseruit; alter vero catholicam divinæ Eucharistiæ fidem, Christique Domini carnalem in Sacramento præsentiam strenue vindicavit, ut patet ex insigni ab eo edito libro de Sanctissimo Sacramento; in quo primus inter veteres data opera sic argumentum istud pertractavit, ut eum veluti Apostolicæ traditionis eximium hac in causa interpretem agnoscat Catholica Ecclesia. His adjunctos voluit Mabillonius insignes Ordinis nostri Scriptores, Rabanum Maurum, Lupumque Ferrariensem, quorum laudat eximias animi dotes, ac præclara in Ecclesiam merita.

LXXXV. Tertium Annalium tomū evulgat.

Biennio post scil. MDCCVI. in lucem prodiit tertius Annalium tomus, qui posteriores sæculi noni annorum decades, octo vero priores sæculi decimi complectitur. In eo primum utriusque sæculi dissimilitudinem, subitoque factam rerum penitus ac morum conversionem demiratus Mabillonius, utrumque simul sæculum confert, & in nono quidem morum elegantiam, reverentiam legum, litterarum amorem, eruditorum virorum, atque præstantissimorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum copiam, aliaque ejus ævi insignia suspicienda memorat. In decimo vero crassam ubique ignorantiam neglectum litterarum, morum depravationem, bellorum exitia, raros, hocque nomine parum dignos Pontifices, immanem denique & ubique grassantem quidvis audendi & agendi licentiam, elegantissime describit. Tantæ porro in duobus illis continuis sæculis dissimilitudinis non unam, sed plures rationes affert Mabillonius; & quidem feliciorem illum noni sæculi statum ex cultu præsertim bonarum litterarum, contra vero nefandam illam sæculi decimi corruptelam, ex earumdem neglectu profectam existimat. Sublata quippe, inquiebat vir sapientissimus, scientia, non est qui erudiat, non est qui exhortetur, non est qui peccantes arguat. Hæc ubi defecerint, impune peccatur, impune violatur religio; desidiæ se dedunt Ecclesiæ ministri, & cæteris, quæ inde scaturiunt, lascivientis naturæ vitiis; nulla denique inter sacros altaris ministros & plebem distantia: ut populus, sic sacerdos. Id probe intellexerat eximius ille Princeps Carolus re ac nomine vere magnus, qui subjectorum sibi mores in toto reformaturus imperio, de restituendis litteris in primis sollicitus fuit; certus ex earum instauratione, mores fieri si non statim meliores, saltem politiores: quæ res magnum comparandæ virtuti adjumentum affert: contra vero ex litterarum neglectu, indocilem plerumque ferociam, & indomitam curiositatem oriri, quæ vix ullis monitis & adhortationibus ad virtutem flecti possint. Et sane plures ignorantia corrumpi, quam litterarum cultu, quæ homines saltem humaniores & ad vitam socialem aptiores reddunt nemo erit inficias. Elegantem enim doctrinam liberalis quoque natura & indoles comitari solet. Hujus rei testes affert locupletissimos tum Lupum Ferrariensem, virum ut in scribendo doctissimum, ita in refellendis adversariis humanissimum, tum Paschasium Radbertum, qui tantam in sublimi eruditione modestiam tenuit, ut non eum modo se monachorum peripsema dictitaverit scripseritque; sed factis quoque ita se sentire testatus sit. Is quippe ad suscipiendum Sacerdotii gradum adduci numquam potuit, levitico gradu contentus.

Quantum ignorantia noceat.

Quantum juvet scientia.

Quamvis porro in hoc decimo describendo sæculo (quod sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, mali exundantis deformitate plumbeum, atque scriptorum inopia obscurum jure ac merito vocat Ecclesiasticorum Annalium Parens Baronius) rei cum ecclesiasticæ, tum politicæ, quin etiam & monasticæ statum exhibeat longe à superiori diversum, nec paria prioribus Ordinis nostri sæculis eventa referat ac progressus, sed potius cum perpetuis occidentalis Imperii bellis, motibus, flagitiis, ac devastationibus, modo eversa Monasteria, modo dilapidata Monachorum bona, modo exturbata religiosa sodalitia, aliasque id genus calamitates, quibus labefactari solet regularis disciplina, frequens commemoret; inde tamen haud lectoribus ingrata, quin ea tanta potius rerum varietate longe amœnior videri debet sæculi hujus historia: Ideo autem collapsæ disciplinæ causas studuit observare Mabillonius, ut ex earum notitia, qua ratione tam exitialibus rei monasticæ detrimentis occurri queat, posteros erudiret. Haud absimili consilio adversa quæque prosperis eventa scite admodum interteauit, ut nimirum tot inter ævi hujus flagitia, inque morem licentia tanta non tantum sanctitatis, quantum pristino Ecclesiæ Ordinisque monastici splendori detractum fuisse demonstraret. Siquidem ut apposite notat Mabillonius, vix tot, tamque conspicui Monachi Episcopali dignitate decorati aliis superioribus sæculis reperiuntur: ex quo quantum pestilentissimis temporibus ex Monachorum doctrina utilitatis Reipublicæ accedat, facile quivis conjicere potest.

LXXXVI. Quartum Annalium tomū publicam in lucem emittit.

Tertium Annalium tomum brevi subsecutus est quartus medium circa annum MDCCVII. evulgatus, nec minori quam superiores approbatione exceptus. Comprehendit tomus iste annos octoginta,

scilicet residuos sæculi decimi, & sexaginta sex undecimi, in quo jucundior longeque serenior, quam in præcedenti sæculo se se explicat rerum facies. Quantum autem sæculum undecimum decimo præstiterit, cum ex rerum gestarum magnitudine, tum ex propagatione Ordinis, tum Monasteriorum accessione, ac diversarum sub Regula Sancti Benedicti institutione Congregationum, ac tum maxime ex restituto per Benedictinos Pontifices Romanæ Ecclesiæ splendore, luculenter ostendit Mabillonius; in hoc uno undecimum sæculum decimo infelicius existimans, quod illud sectas aut hæreses saltem diuturnas in Ecclesia Latina parturierit nullas; illud vero, proh nefas! pestilentissimam Berengarii hæresim, quæ ad nostra usque tempora per Henricianos, Petrobusianos, Valdenses, in novissimas Lutheri & Calvini sectas transmissa est, infelici partu ediderit. Verum Divino factum consilio est, ut, quæ monstra protulit ætas, hæc eadem viros pareret fortissimos eosque doctissimos, qui ea virtute fugarent, doctrina vincerent, scriptisque omnino delerent.

Qua in re sæculum undecimum decimo præstet.

Hos inter, nascenti hæresi Berengarii se se strenue statim opposuit Lanfrancus Scholis tum Beccensibus præfectus; quemque suas in partes allicere frustra tentaverat Berengarius; Lanfranco se se adjunxere Guitmundus, Durandus Troarnensis, aliique è nostris, dein Algerus Cluniacensis, qui omnes Catholicam Eucharistiæ fidem strenue juxta ac erudite propugnarunt; ex quibus (citra jactantiam dictum velim) colligere est, quantum Majores nostri illis temporibus, uti & superioribus sæculis ad pietatem doctrinamque restituendam & illustrandam contulerint.

Peculiaris Benedictinorum gloria.

Verum peculiaris, inquit Mabillonius, *nostrorum gloria hac est, quod Catholicam de Sanctissimo Sacramento fidem & veritatem scriptis suis contra novatores adstruerint, viam aperiente Beato Paschasio Radberto Abbate Corbeiensi; quem deinde secuti sunt prælaudati Lanfrancus, Guitmundus, & Durandus Troarnensis; quibus accensendi quoque sunt Gezo primus Derionensis Cœnobii Abbas, Albericus Casinensis Monachus, qui in Synodo Romana sub Greg. VII. contra Berengarium acerrime disputavit. Wolphelmus quoque Brunwillerensis in Coloniensi Diœcesi Abbas, qui epistolam scripsit ad Meginhardum Abbatem Gladbacensem. Hæc*, inquit Mabillonius, *sunt ardentissimi in rem Catholicam studii præclara sane exempla, quibus insistere, ni degeneres esse velimus, nos oportet, quatenus sinunt instituti nostri leges, quibus neglectis, quævis commendatio à doctrina & eruditione profecta, inanis plane est, & apud æquos rerum æstimatores vilescit.*

Mabillonii in Ecclesiam demissio, ac modesta confessio.

Cæterum ut in tam longo tamque multiplicium & diversarum rerum decursu, difficile, immo impossibile est, hac præsertim in ætate, non cæspitare aliquando & errare, *sic*, inquit Mabillonius, *errata mea, ubi mihi comperta fuerint, agnoscere & emendare non erubescam, iis omnibus gratiam habiturus, qui eorum me amice & benevole admonuerint. Sane quantum ex amicorum admonitionibus profecerim, argumento sunt superiorum voluminum emendationes & retractationes, quas cum ex meis, tum ex eorum animadversionibus ad calcem quarti voluminis apponere visum est, ne si eas in aliud volumen reservarem, forte mihi memoria exciderent. Verum non omnino rigidos ac severos monitores, censoresve, sed benignos mihi adesse velim. Multa mihi condonari, quæ quidem tolerabilia sunt, multa indulgeri opto, nisi si quid contra quemquam inofficiose, maxime si quid vel tantillum contra debitam Catholicæ Rom. Ecclesiæ reverentiam vel doctrinam*

A ,alecd.

mihi incogitanti, & nolenti excidisset. Absit enim ut ab hac regula veritatis, matre inquam Ecclesia unquam digrediar, cujus judicio ac censuræ quæcumque hactenus scripsi, aut scripturus sum lubens ac volens & ex animo submitto; in cujus fide & fide semper vixi, & constanter, adjuvante Deo, emori exopto. Talia fuere postrema ac viro plane religioso dignissima verba, quibus quartum, atque utinam non ultimum Annalium volumen conclusum voluit; hi ad mortem usque fuere ejus animi sensus.

LXXXVII. Quintum Annalium Tomum publicæ luci tradit D. Renatus Massuet.

Quintum typis jam paratum Annalium tomum tenebat Mabillonius, cum invidente fato nobis ereptus, eum studiorum ac laborum Socio Theoderico Ruinarto evolvendum reliquit. Verum eo quoque biennio fere post vita functo, qui utriusque continuandis studiis conspirantibus majorum suffragiis præfici meruit D. Renatus Massuet, utriusque fidem nuperrime liberavit; talemque fere publicæ luci tradidit, qualem reliquerat vir clarissimus, paucis exceptis, quæ tum à Ruinarto, tum ab ipso adjuncta sunt. Comprehendit porro volumen hoc annos quinquaginta, triginta scilicet & quatuor residuos undecimi sæculi, & sexdecim duodecimi: ea autem est pars historiæ nostræ, qua jucundior aut utilior vix legi queat. In ea enim cum monasticis scite fœderata videas eventa Ecclesiastica juxta ac civilia; ibi descripta gesta & præclara virtutum exempla una cum plurimis, qui Benedictinam simul & Ecclesiasticam Rempublicam illustrarunt, viris insignibus, Hugone magno Cluniacensi, Bernardo Claravallensi, Petro Damiano, Lanfranco, & Anselmo utroque Cantuariensi Archiepiscopo, Summis Pontificibus, multis principum sedium Episcopis, legatis Sanctæ Sedis, aliisque clarissimis Ordinis Monachis, quorum doctrina, consiliisque usi non semel sunt Principes, Magnates, Summi Pontifices, & Episcopi. In ea denique longe lateque propagatam suspicias rem monasticam, extructa de novo pia Principum, Magnatum, nobilium quoque ac plebeiorum æmulatione monasteria, vetera una cum disciplina regulari restaurata, institutas variis in Regnis Congregationes, in quibus cum virtutibus floruere litteræ, viguitque in primis mira in servandis veterum operibus sollicitudo, in transcribendis manu exaratis codicibus diligentia, cura denique in conscribendis historiis propemodum singularis, in quo singulare illud est ac memoratu dignum, quod apud Monachos Anglos statutum refertur, in singulis Regalibus Monasteriis deligendum esse peritum aliquem & accuratum scriptorem, qui præcipua Regis gesta, & Regni eventa notaret, & in acta referret; omnia ad proximum generale Capitulum post obitum Regis deferenda, ut ex omnium collatione à sagacioribus quibusdam à Capitulo designatis facta, accurata Chronica conscriberentur, & in archivis Monasteriorum diligenter asservarentur.

LXXXVIII. Mabillonius in morbum incidit.

Ineunte mense Decemb. ann. MDCCVII. summo mane, ut ei mos erat, expergefactus Mabillonius, solitisque persolutis pietatis officiis, studio aliquamdiu operam dedit; subinde vero devotissime celebrato Missæ Sacrificio * Calam, ad nobile Virginum Benedictinarum Cœnobium haud procul ab urbe Parisiensi positum, proficiscitur. Verum sine me iter suscipere Mabillonium molestissime tuli, quod salutis causa socium ei necessarium fore experimento noveram; imminensque illius incommodum non una ratione augurari posse mihi videbar. Et sane non me fefellit opinio: siquidem ex urbe vix egressus, lotii difficultatem expertus est; idque incommodi partim timore ne gravaret itineris socios, partim pudore ne illos offenderet, diu nec sine gravi discrimine tacitus ferens, intempestive tandem indi-

* Chelles.

e ij

care, qum etiam ob mali acerbitatem in vestigio hærere, sociosque itineris, quo tendebant ut pergerent, rogare coactus est. Subinde pedetentim pro viribusque incedens, ac frustra commodam vecturam expectans, reliquum iter pedibus confecit. Quodque gravius accidit, ad prædictum Virginum Cœnobium non sine incredibili morbi, itinerisque molestia adventanti, nullus qui congruum morbo remedium ferre posset, occurrit; unde per reliquum diem noctemque sequentem acerbissimis doloribus excruciatus, in vitæ discrimen adductus est, eo quidem gravius quod mali rationem penitus ignorantes ejus loci Medici ægrum non tam levare, quam per dies octo variis iisque interdum contrariis remediis conficere videbantur. Quæ ut audivit celebris Medicus Parisiis illuc vocatus, incredibilia passum fuisse Mabillonium palam asseruit: & quidem per dies complures invicto ac religioso plane animo ea pertulit, quæ à quovis alio vel tolerantissimo per aliquot horas ferri vix potuissent.

LXXXIX. Rursus ægrotantem Mabillonium convenit.

Audita, quam mihi statim significatam voluit, gravi illius ægritudine, mox ad eum convolavi; nec sine stupore oblata sibi quæque remedia, morbique acerbitatem æquo non tantum animo perferentem, sed deflentes quoque amicos consolantem inveni. Morbo invalescente, Præpositis nostris non semel autor fui, ut Parisios quamprimum reveheretur. Interim mœrentem me, atque ob morbi gravitatem timentem confirmare, hortari, atque hisce verbis consolari studebat: *An*, inquit, *putas id adversi non fuisse à Deo ordinatum? Qui percussit, ipse, si velit & expediat, sanabit humanæ salutis autor.*

Mabillonii patientia, ejusque divinæ voluntati summissio.

Subinde vero divinæ (cui omnia servire debent) voluntati se totum committens, modo hæc, *Dominus est, quod vult faciat*; modo ista Scripturæ verba mente simul & ore proferebat, *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Quæ cum in reliquis, tum maxime in rebus adversis ubique usurpare solebat.

XC. Sacramentis muniri postulat.

Porro ex morbi gravitate, atque acutissimorum, qui non tam remitti, quam in dies recrudescere videbantur, dolorum acerbitate brevi se moriturum prospiciens, mox, abjecta omni alia cura, deque una animæ salute sollicitus, se totum ad Deum convertit, Sacramentisque muniri postulat; quæ ubi Medicorum ac Præpositorum judicio in aliud tempus dilata audit, pœnitentiæ saltem lavacro, quo fructuosius, moderatiusque malum perferat, ut expietur enixe rogat. Tum vero imminentem, cujus me privatim monuerat, mortem acerbissime deflenti, hæc reposuit:

Mœrentem socium consolatur.

Quid tanto mœrore consumeris? an nescis, quod præire tibi debeam? angi mollitia est, reluctari insania. Si Deus ita jubet, quid quereris? culpare potes aliquid in eo, & ab eo, qui benignitas totus? Quod à Deo factum audis, cogita non temere, non fortuito, sed eo consilio factum, quo non modo nihil nisi æquum & justum, sed nihil quoque nisi quod bonum ac salutare nobis providet ac decernit. Ubi æquitas, quis reclamare audeat? Ubi vero cum æquitate nostra quoque conjuncta salus & utilitas est, quam ingratum foret, non æquo, non moderato animo suscipere quidquid benigno Patri nostro placuerit? Quid igitur doles? Adversus casum hunc dudum te paratum oportuit, & præmunitum. Moriturum luges? An id insolens discipulo præire magistrum, filio parentem? His animi sensibus inflammatus; dissolvi & cum Christo esse cupiebat, existimabatque cum Apostolo mori lucrum.

XCI. Mabillonii in Christum amor, & fiducia.

Is porro erat, quo in Christum æstuabat, amor, ea in ejus misericordia spes, ac fiducia, ut in extremo licet vitæ discrimine positus isthæc identidem usurparet Ambrosii verba, *Non timeo mori, quia bonum Dominum habemus.* Lugebant inter hæc fratres, & in lachrymas solvebantur; at ille castigabat inertes lachrymas, lætoque vultu solus ipse mœstos solabatur circumstantium animos. Rebus interim suis consulens, ac futura prospiciens, ut investigandis ac colligendis iis, quibus, eo demortuo, uti possem, documentis animum diligenter intenderem, eorumque in me curam susciperem, enixe hortabatur. Paulo ante quam in morbum incideret, stranguria se moriturum quasi vaticinando significaverat: quin etiam integro fere ante obitum anno, cum scilicet Annalibus navaret operam, atque Anselmi (cujus eximiam eruditionem, nec minorem eruditione pietatem, ac regularis disciplinæ studium demiratus non semel erat) Acta conscriberet, mihi aliquando cellam subeunti reposuit: Anselmi acta cogito, eodemque quo ipse ætatis anno è vita migrabo. Rem probavit eventus: siquidem, uti Anselmus, septuagesimo sexto obiit. Sed multo etiam ante supremum sibi diem prænuntiaverat; quod quidem post obitum observatum est.

Sodalium sollicitudo, & caritas in Mabillonio curando.

Ne Parisios adhuc remearet Mabillonius non una sane ratio suadebat: in primis vero invicta ejus in ferendis doloribus patientia, Abbatissæ ac Monialium * Calensium in suppeditandis necessariis caritas ac diligentia prope singularis, sodalium denique indefessa sollicitudo, quæque à multis dabatur salutis recuperandæ spes non dubia. In contrarium vero non parum movebat febris, quæ levis licet, haud minus tamen periculosa videbatur, nec non mali pertinacia, quæ nullis jamdiu remediis remitti vincique poterat. Eo Mabillonii discrimine, meisque tandem litteris non mediocriter commoti Præpositi mox exercitatum peritumque Medicum mittunt, qui, cognito Mabillonii morbo, levamen non solum attulit, sed ipsum quoque ad profectionem impulit, hæc quo commodius fieret, lecticam suam, quam, audita Mabillonii ægritudine, non semel pro sua in eum benevolentia perhumaniter obtulerat, suppeditari voluit Eminentissimus deque nostra Congregatione dudum præclare meritus Cardinalis Estræus, procurandæ salutis ejus præ aliis summopere cupidus.

* de Chelle.

XCII. Parisios revehitur.

Die igitur conceptæ Deiparæ Sacro ad Sangermanense Cœnobium mecum profectus, incredibili non sodalium modo, sed multorum qui eo confluxerant, amicorum lætitia excipitur, atque in spem brevi consecuturæ salutis facile quisque adducitur. Verum qui votis nostris longe contraria meditabatur rerum omnium moderator Deus, infirmo atque ætate confecto Mabillonio vires præter omnium expectationem conferre & augere videbatur, quo melius probatum, diutiusque expurgatum novo quodam martyrii genere digniorem efficeret cœlo victimam.

Mabillonii patientia, animique tranquillitas.

Interim ex incongruis, aut sero paratis remediis morbo renascente, in diesque recrudescente, sic est debilitatus Mabillonius, ut nullum sine vitæ aut saltem gravioris febris discrimine præsens remedium ferre, peneque desperata salute, vix paullulum jusculi haurire posset. In hoc porro acerbissimo statu ea erat ejus animi moderatio, illudque silentium, ut non sine adstantium stupore à Chirurgis, quo ferrum securius ducerent, conceptum dolorem verbis aut gemitibus ut indicaret, non semel rogatus fuerit. Hæc erat, cæteris ejus vicem dolentibus, Mabillonii tranquillitas, hæc in cruce, cui cum Christo suffigi se gloriabatur, mira sane animi quies. Et quidem in cruce positus videbatur, cum sive ob dolorum acerbitatem, sive ob diuturnam, qua angebatur, remediorum molestiam nulla ratione in alterum latus moveri posset. Hæc quo æquiore ac moderatiore animo perferret, mentem nunc piis ad Deum pascebat affectibus, nunc sacris lectionibus recreabat,

Mentem divino sermone pasci.

potissimum vero novi Testamenti ac Epistolarum D. Pauli; cujus vel nomen audiens supra modum delectabatur. In lectione Dominicæ passionis arridebant in primis ea loca moderandis infirmorum molestiis magis accommodata, qualia erant quæ sexte prorsus selegerat Lucionensis Episcopus; quorumque ipse nonnulla inseruerat suo de morte Christiana opusculo, quo tum præsertim usus est. Cum enim illud eo consilio edidisset, ut Christianam mortem ad Christi Sanctorumque exempla efformaret, frequens sibi legi enrabat. Hujusmodi porro lectione eo magis accendebatur mens Mabillonii, quod in hoc opusculo, illorum dumtaxat collegerat virorum illustrium mortes à gravissimis coætaneisque autoribus concinnatas. In primis autem non sine quadam animi suavitate, ejus auscultabat epistolæ lectionem, quam ad Romanos scripserat Ignatius Martyr jam jam moriturus. Mirabatur in eo clarissimo Præsule immensum quo flagraverat subeundi martyrii studium; eoque aliquando mirum in modum inflammatus, semel & iterum ea sibi epistola ut legeretur rogabat: adeo insigni Martyris exemplo adductus, adversa quæque atque acerba pro Christi amore sustinere, dissolvi & cum eo esse optabat.

XCIII. Sacrum quotidie audit, nec officia umquam intermittit.

Capellæ valetudinarii proximus, Sacrum quotidie mira animi pietate audiebat; multorumque edoctus Sanctorum virorum exemplis diurna statis horis officia in morbis etiam gravissimis numquam intermittebat; aut iis interdum invite omissis, alias preces sufficiebat. Orationes memoriter tenens cuique festivitati proprias, devotissime recitabat; quæ vero memoria excidebant, eas coram se legi postulabat, subindeque resumebat. Quam laudandam sane consuetudinem ad extremum usque spiritum non solum ipse tenuit; verum etiam à sodalibus valetudinario præpositis accurate teneri curavit. Neque enim audito divinorum officiorum signo, quemquam sui causa iis abesse patiebatur; quamobrem quantum poterat paullo ante necessitatibus consulebat; per idque temporis seipsum intime colligens divinas cum fratribus laudes mente decantabat: nec inde, haud temere dixerim, minorem, quam fratres, qui choro aderant, fructum referebat.

Mabillonii accurata pietas.

Parem cum religione pietatem in extremo vitæ periculo testatus est; nec absimilem exhibuit in persolvendis pietatis officiis diligentiam. Diurnam quotidiani officii recitationem ne in ipso quidem obitus die, quin etiam ne in ultimo quidem ferme instanti prætermisit; & velut corporis immemor, deficiente natura, hoc uno propemodum pane animam recreabat. Sic moriebatur, ut vivere non recusaret; sic autem vivebat ut supremum non metueret diem, *Et spiritu magno vidit ultima.*

XCIV. Uni Deo, ac saluti intentus mundanos sermones illibenter audit.

Deo sic erat mente intentus, atque à rebus terrenis adeo alienus, ut de iis disserentes non nisi molestissime audiret, id aliquando in valetudinario significavit, cum duobus viris sæcularibus procul licet ab eo positis primum de morbo, deinde de rebus novis colloquentibus, nonnullos, quos ipse pietatis causa ingeminabat, Sacræ Scripturæ versus (non quidem ut offenderet, vir enim erat omnium urbanissimus, sed ut sermonem alio verteret) opposuit; huncque in primis alta voce pronunciavit: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.*

Psal. 118.

Ex quo quam ingrati Mabillonio forent hujusmodi sermones uterque plane intellexit. Haud æquiori animo testatam sibi à multis de se existimationem atque benevolentiam audiebat: unde caute memorandi erant, qui causa inquirendæ ejus salutis ad Sangermanense Cœnobium assidue confluebant viri undequaque conspicui. Quod sui quisquam memor foret, per ipsi mirum videbatur; seque interdum in conspectu Divinæ Majestatis deprimens atque ad cor rediens: non se nisi de Christo aut in Christo lætari & gloriari posse cupiebat. Cave tamen lector, secius quidpiam inde de Mabillonio suspiceris: gratias enim easque maximas amicis suæque valetudinis cupidis diligenter ac liberaliter suo nomine rependi volebat: sed cautum potius, ne delatis sibi honoribus superbiret, intellige. Siquidem plane noverat vir modestissimus, quantum ad vanitatem proclive sit cor hominis: eapropter nullas non adhibebat Ecclesiæ preces, quo donum illud impetraret humilitatis.

XCV. Quo animo officiosos aditus exciperet.

Quo studio virtutem illam coleret, ipsique contraria omnia procul ablegaret, exemplo est vir ei tunc familiaris, à quo plurimi æstimabatur. Hunc enim vero desperatam ejus salutem lugentem, atque præclara in Ecclesiam & Congregationem merita, eximiasque animi dotes uberius justo prædicantem castigavit his verbis: *Humilitas, humilitas, humilitas: altum, quæso, de rebus illis silentium*, quo audito qui talia dixerat siluit, moxque, me suadente, ab eo recessit. Hanc ne vel leviter macularet, cui potissimum studebat, humilitatem, illorum nisi invitus non excipiebat officiosos aditus, qui aut egregia ejus in Rempublicam litterariam silere merita, vel suam de ipso celare existimationem, aut ab ejus laudibus abstinere minime poterant: secus vero eos studiose complectebatur, qui majoris studio pietatis, aut melioris frugis desiderio inflammati ad eum confluebant, præsertim vero plebeios, infirmæque fortis homines; quibuscum, dum bene ei esset, eo interdum lubentius versabatur, quod in iis luculentius eluceret, quam impense amabat, Christiana simplicitas, ingenuusque animi candor, eosque demum crederet comparando cœlesti regno magis idoneos, utpote à rerum terrenarum sollicitudine, periculisque divitum procul positos. Hujusmodi se hominum orationibus commendare, ac congrua cuique pro suo statu & ordine consilia suggerere mirum in modum studebat: & quidem eo amore, eaque humanitate eos alloquebatur, ut tantæ virtutis, nominisque virum vel conspexisse se, vel audisse, gratulabundi quique recederent.

Pari aliquando grati animi significatione lætitiæque sensu adfectum dimisit virum ecclesiasticum, cui recedenti ac benedictionem enixe roganti adeo non indulsit, ut potius ipse ab eo postularit, ejusque se precibus plurimum commendarit. Haud ita post, cum extremo nempe morbo laboraret, absimili modo, etsi non absimili humilitatis adfectu, se gessit erga virum genere, dignitatibus, ac fortunæ bonis insignem, sed fide ac religione, cujus studio se suaque omnia devoverat, longe insigniorem; huic namque, cujus animum, eximiasque virtutes probe noverat, nec semel fuerat expertus benedictionem, cum ipse quoque postularet, quamvis non illico annuerit, haud tamen negandum putavit: unde elevatis sursum oculis, hæc quæ sequuntur verba reposuit: Scio equidem me miserum peccatorem, verum cum quidpiam me apud Deum posse confidas, Deum precor toto quo possum mentis adfectu, ut fiat tibi secundum fidem tuam: quo dicto, uterque vix à lachrymis temperare potuit.

XCVI. Preces pro Mabillonii incolumitate.

Interea spem inter & metum suspensos anxiosque tenebat omnium animos continuus absque levamine morbus, nec eos qui extremum Mabillonii discrimen noverant, assiduique doloris testes erant confirmare poterat, quam Medici dabant, spes non dubia brevi secuturæ salutis. Ubi porro periclitantis Mabillonii rumor Parisios vicinaque loca pervasit, mox non in nostris modo ac Sanctimonialium Cœnobiis, verum etiam in Xenodochiis, Collegiis, a-

liisque permultis diversorum Ordinum Ecclesiis pro tanti ac tam eruditi viri incolumitate orationes fieri, votis ac precibus Deus obsecrari, adhiberi pauperum simul & puerorum preces, dolere denique omnes. Tantis bonorum, maxime vero pauperum & puerorum precibus expetitam licet non obtinuerit incolumitatem, invictam saltem, qua recrudescentis mali acerbitatem pertulit, patientiam impetrasse haud temere asseri potest.

Subinde vero gravi, quo correptus fuerat, sopore liber, supremum vitæ discrimen præsentiens, tempusque instare resolutionis suæ, mox quasi novos collegisset ad pietatem animos, plena fide, cordis effusione pene incredibili Sacramentis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis tamquam optimo viatico muniri se postulat, quove affectus erat pietatis sensu ad ea suscipienda se accingit. Ex iis vero quantumvis juxta antiquum Ecclesiæ ritum Oleo prius Sacro inungi, quam viatico refici, in votis haberet; haud vota tamen sua Præpositis aperiri voluit. Ne, quæso, inquit, mihi quidquam ea de re apud Præpositos moliaris: vitanda quippe singularitas; servanda in omnibus, desiderii licet contraria, Congregationis Ecclesiæq; consuetudo. Et certe cum omnia à consuetudine regulisque abhorrentia vivens diligentissime devitasset, ea qua vixerat simplicitate & communi rerum omnium observantia emori voluit. Exinde vero ne quis pietatem turbaret suam, ad finem usque vesperarum, quam in horam indicta erat Sacramentorum administratio, se non tam morbo fractum aut sopore gravem, quam sibi collectum intimeque Deo unitum exhibuit. Ea porro erat qua Christi suscipiendi flagrabat cupiditas, ut moræ, quam afferebat Martyris Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi festivitas, impatiens, anxius tamdiu fuerit, donec pietati suæ jam jam satisfactum iri non dubitavit.

Oleo Sacro ante Viaticū inungi cupit, neqtamen petit singularitatis inimicus.

Ejus Christi suscipiendi cupiditas.

XCVII. Mabillonii pietas in suscipiendis Sacramentis.

Decantatis Vesperis, ingenti sodalium quin etiam & sæcularium frequentia per Superiorem defertur ipsi Corpus Dominicum; ad cujus conspectum, ceu nubes ad Solis radios; fugari sopor, redire animos, vires mirum in modum augeri. Quæ porro inesset ei religio, fide magnitudo, ardorque caritatis, vel ex summa, qua Sacramenta suscepit animi reverentia, ac singulari prope, qua consuetas cum ministris Ecclesiæ preces recitavit, mentis præsentia, tum in primis palam omnibus fecit. Postulata deinde ab omnibus, quos aut verbis, aut actibus ne offendisset verebatur, supplici venia, brevique perinde ac modesto sermone allocutus ad lacrymas usque commotos Sodales, quo purior ante Christi tribunal appareat, expietque anteactæ vitæ sordes, concessæ Ordini nostro in articulo mortis indulgentiæ ut sibi impertirentur rogavit; iteromque accepta Sanctissimi Sacramenti benedictione reliquum diem in Dei laudes, pios animi adfectus, assiduamque orationem insumpsit.

XCVIII. Ejus cum Deo mentis unio.

Cum esset tum Dominici tempus adventus, pias illas, adfectuque plenas (quibus sua in Christum venturum vota gemitusque promere solet Ecclesia) antiphonas assidue ingeminabat, sibique juxta lectum recitari satagebat. Divinas jucunde misericordias in æternum decantandas prælibabat, suaviter *Christi bonus odor* in astantium corda diffundebatur, abunde inspirabat omnibus Dei charitatem, uni denique Deo intentus, re nulla ne morbi quidem doloribus impediebatur, immo ex iis elevandæ ad eum mentis argomentum undique captabat: si quid vel à fratribus adjumenti, vel à Præpositis indulgebatur solatii, id sane totum non sine grati in utrosque animi significatione, Deo acceptum referebat. Quis, inquiebat, sum ego, Deus bone, ut tanta mei cura habeatur? Aut quæ de restituenda peccatoris valetudine tanta tamque assidua fratrum sollicitudo? Mihi plus æquo indulgetur, indeque ne à Deo puniar, vereor. Sive sanus, sive æger, nihil accipiebat, nisi prævia mentis ad Deum elevatione, quam mox excipiebat de rebus acceptis gratiarum actio.

Ingravescente in dies morbo, quo se magis ac magis ad illum ferendum obfirmaret, nonnulla ut sibi interdum legerentur flagitabat Sacræ Scripturæ loca, ac illustria præsertim eorum exempla, qui curas omnes ac studia in id contulerant, ut pie ac sancte ex hac vita migrarent, scilicet ut in singulorum vitam intuens, cui suam conformaret, similem quoque mortem assequeretur. Interim ex febris remissione, sudoribusque opportunis, spes salutis non modica concipitur; Natalisque Domini pervigilium nullo fere labore ducit: adeo ut ad tantam religiosius celebrandam festivitatem id ei solaminis ac quietis indultum à Deo fuisse, videretur. Id sane eo consilio factum credidisse Mabillonium facile intellexi ex eo exemplo, quod mihi laboribus ejusque causa susceptis timoribus tantisper recreato, tunc retulit de Venerabili Petro. Is enim in pervigilio Natalis Domini morti proximus, ne fratrum in tantæ festivitatis celebritate perturbaret animos, mortis inducias à Deo petiit, & impetravit. Idipsum etsi se postulasse non dixerit, forte tamen consecuturum non obscure indicavit. Et quidem votis annuit qui *voluntatem timentium se facit* Deus: enimvero ut ipsi per totum Natalis Domini pervigilium, ac Sacratissimam noctem quietius agere, ita fratribus, famulisque datum est, eo, quo par erat, pietatis sensu festivitatem celebrare: unde quo tempore antelucanum officium decantabatur in choro, idem ipse juxta lectum suum recitavit; subindeque Sacrum, quod in valetudinario celebratum fuit, miro animi fervore audivit; nec sine ingenti interioris suavitatis sensu cœlesti pabulo animum refecit, recitatis deinde coram eo Laudibus, reliquam noctem tranquille admodum egit, meque ut somno indulgerem non invitavit modo, sed etiam coëgit: ea erat ejus non de me solum, sed de famulis quoque omnibus cura ac sollicitudo. *Ministrari* sibi semper recusabat, qui nihil magis habuerat in votis, quam *Christo* in fratrum persona *ministrare*.

XCIX. Se parat ad mortem subeundam.

Natale festū tranquille agit.

Fuit is toto fere Natali Domini die Mabillonii status, ex quo non mediocriter aucta tantæ, quæ agebatur, festivitatis lætitia, enimvero incolumitatis spes affulgebat eo jucundior, quo majori quisque ejusdem studio tenebatur: porro ea firmabatur Medici judicio. Is enim ubi pomeridianis horis febri pene destitutum reperit, mox ut audacter, ita intempestive à periculo liberum pronunciavit. Siquidem vix è valetudinario discesserat, cum Mabillonius sanguinem cepit sputare, viribus destitui, peracutis lateris doloribus acerbissime cruciari, in apertum denique vitæ discrimen adduci. Hæc ubi audit Medicus, sanguinis jubet emissionem; penitusque desperata Mabillonii salute, eidem non tam sanando, quam levando animum intendit.

C. De ejus salute desperatur.

In hoc gravi nec sane dubio vitæ discrimine subtrahitur ipsi levaminis gratia remedium, quo non sine acutissimis doloribus diu noctuque utebatur: verum cum inde non tam leniri quam exasperari dolor videtur, iterum atque iterum tentatur, sed frustra, nec sine continuo ad obitum usque cruciatu. Iis laboribus assiduisque corporis molestiis viam sibi ad Christum parabat Mabillonius: ut vicissim Christus quo puriorem cœlo hostiam exciperet, Mabillonium exercebat; utque sacrificium numeris foret omnibus absolutum, sanguine voluit aspergi: & quidem Mabillonium, ut verbis utar Augustini serm. 286. de

CI. Summos dolores patitur.

Sanctis, *martyrium in lecto passum fuisse haud temere dixerim.*

CII. Mabillonii patientia.

In his porro ferendis elucebat eo major Mabillonii moderatio: quo inerat ipsi animus acrior, delicatiorque corporis habitudo, & revera ea erat inter acerbissimos, quibus cruciabatur, dolores vultus serenitas, ea mentis tranquillitas, ut nisi interdum mali acerbitate pressus dolorem indicasset suum, sensus omnino expertem facile quisque judicasset. Sensim ergo quotidie moriebatur, at regina sui mens, manebat integra. Qui dolores fratrum vel levissimos intimo sentiebat corde, suos idem despiciebat, ut solet humana gens alienos. Cum esset aliquando acerbissime divexatus, nec spes affulgeret ulla levaminis, nec incolumitatis, subjecta, quæ tum proferebant, Christi Patrem orantis verba, *Pater si possibile est; transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, mox repetebat; potissimum autem hæc ultima, *sed sicut tu*, quæ semel & iterum elevatis ad cœlum oculis non sine adstantium lacrymis, atque incredibili pietatis sensu pronuntiabat, nec minori pietatis sensu responsorium illud usurpabat toties in adventu Domini ab Ecclesia ingeminatum, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & Salutare tuum da nobis.* Sic reliquum vitæ spiritum ducebat Mabillonius, de Christo, cujus amore flagrabat, possidendo, quam de recuperanda corporis valetudine longe magis sollicitus. Hoc solatio recreatus *in patientia possidebat animam suam*, fidem, pietatem, humilitatem, pœnitentiæ amorem, perseverentiam in finem, cor proprium, fratrum animos, pacem Christi.

CIII. Mortem exhorret. *Hieron. in vita S. Hilar.*

Nec sane diffitebor, semel & iterum exhorruisse statutum omnibus hominibus mortis supplicium. Verum Hilarionis exemplo exprobrata sua sibi animi parvitate, horrorem mortis non modo superavit, sed fidei quoque ac spei animatioræ argumentum inde arripiens se vel ad vitam vel ad mortem supremo mortalium omnium moderatori Deo permisit. Non enim amabat, aut productum cupiebat vitæ hujus exilium, immortalitati, sicut cæteri homines natus. *Qui sumus*, inquiebat, *in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est à vita.* (*2. Corinth. 5. 4.*) Morti jam proximus, modo hæc cum Publicano, *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc. 18. 13.*); modo ista cum Regio Vate verba usurpabat, *Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit?* (*Psal. 129.*) modo demum fide animatus, inque Dei, ac Salvatoris nostri Jesu-Christi misericordia confisus hæc animo & sermone versabat, *Misericordias Domini in æternum cantabo.* (*Ibid. 88.*)

CIV. Mortem præsentit proximam.

Die Protomartyri Stephano sacro, ubi audivit festum imminere Sancti Joannis Evangelistæ (cujus virtutes, potissimum vero integritatem & caritatem æmulari studuerat) mox ingenti animi gaudio gestiens, pro viribusque caput & vocem attollens, in hæc verba erupit: *Sancte Joannes, Magne Joannes, tuam igitur festivitatem celebrabo*: quibus verbis moriturum se ea die non obscure indicavit.

CV. Fratrum in Mabillonium officiosa caritas, quin etiam & famulorum.

Interim periclitanti Mabillonio aderant Sodales omnes; nec, nisi aut divinorum officiorum, quæ nutquam sui gratia interturbari voluit, aut exercitiorum regularum causa, ab eo discedebant. Haud absimili in eum studio, & adfectu ducti famuli omnes, qui cibo vel somno indulgerent ab eo divelli vix poterant; diuque ac noctu juxta illum excubare atque ad mortem usque ei adesse summopere cupiebant, ministrare gestiebant. Tantum amabant, quem humilem perinde ac humanum non sine admiratione experti toties fuerant. Ex iis uni, cujus mores optimus ac eximiam pietatem probe noverat, consilia professioni suæque saluti congrua roganti haud denegare voluit; diuque illum hortatus, qua ratione Christianæ vitæ officia digne obire, moresque deberet efformare suos, mira caritate edocuit.

CVI. Monita salutis viro ecclesiastico data.

Multa memoratu digna, eaque ad pietatem accendendam non parum utilia, quæ, imminente jam morte, protulit Mabillonius, tacitus prætereo, quippe non satis accurate collecta; ea tantum memoraturus, quæ juniori ecclesiastico consanguineo suo (ad cujus efformandos mores non parum studii contulerat ac laboris) pia atque salubria præbuit vitæ ecclesiasticæ documenta, & primo quidem illum ad Dei, qui sperantes in se numquam deserit, fiduciam & humilitatem plurimum adhortatus, subjecta potissimum documenta commendata ipsi voluit. *Fili*, inquit, *quis ac qualis sis, animo numquam excidat tuo; proque certo habeas, parem te apud Deum humilitati gloriam adepturum. Christiani viri decus in eo situm intellige, ut seipsum probe cognoscat, miseriam ac infirmitatem profiteatur suam, quæ mundus affert blanda licet ac præclara flocci faciat, aspernetur honores, divitias, amplissimosque dignitatum gradus; pro Christi amore deprimi, & adversa quæque ferre gaudeat, immo cum Apostolo glorietur. Humilitas, humilitas, in omnibus humilia teipsum. Amat Deus* de stercore erigere pauperem, *dejicere superbum*, potentes de sede deponere, & exaltare humiles. Alta à longe cognoscit, *humilibus infundit gratiarum charismata, regna cœlestia parat*, beatos *prædicat* pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Virtutum omnium comes est ac moderatrix humilitas, gressus ipsa dirigit, componit oculos, vocem temperat, cuncta demum in homine Christiana rite moderatur. In omnibus, iterum dico, humilia teipsum, paupertatem cole, ama simplicitatem. Pauper natus es, pauper quoque forsitan morieris: non alia quam invisibilia in vatis habeas gratia bona.* Divitiæ si affluant, noli cor tuum apponere. *Sis in habitu simplex, in supellectile modestus, moderatus in rebus etiam licitis. A propria cave cupiditate*, malorum enim omnium radix cupiditas. *Paupertati quæ Dei dona conciliat, potissimum stude. Dilige veritatem, esto ubique verax ubique ad religionem usque sincerus. Præclarum sane ac vere magnum donum est veritatis amor: precibus ac gemitibus obtinetur. Ne deficias in magnis, parva numquam despiciat. Esto vigilans & sollicitus*, omnique custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.

CVII. Pii animi sensus.

Inter ea invalescit febris, variisque simul malis pene confectus Mabillonius, gravi sopore seu potius deliquio corripitur: quo non parum permotus, Monachum doctrina perinde ac pietate conspicuum, eique dudum familiarem, ut juxta illum excubaret enixe rogavi. Hunc de rebus cœlestibus, deque supremo quod jam jam oblaturus erat vitæ sacrificio vix loquentem audivit, cum resumpto spiritu, de hujus ipse sacrificii præstantia, necessitate, integritate, aliisque quibus acceptum Deo fiat, opportunis dotibus non sine adstantium stupore, egregie admodum cœpit disserere, Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum ad rem prorsus accommodatas sententias in medium proferre, demumque ostendere, qua ratione Christianus quilibet cruci cum Christo configi debeat, ut simul cum eo æterno Patri offerri mereatur. Habens in deliciis sanctos libros, cum Joanne recumbebat supra pectus Jesu, ac nonnulla quæ assiduus scrutabatur, suisque animadversionibus illustrabat, Scripturæ loca sibi interdum legenda curabat, ex quibus quo vota tenderent sua non obscure significabat. Nihil demum non agebat quo *venienti Sponso, ornatus cum eo lampadibus intraret ad nuptias.* Huic sciscitanti Præposito utrum cælesti te-

rum pabulo refici vellet, illud se toto mentis adfectu suscepturum respondit; moxque, qua præditus erat eximia pietate, mentem adornans, hoc petenti sane viatico, quo salutis humanæ hostia detegat insidias, impetus frangat, operiat artes, iterum muniri non mediocriter gaudet.

CVIII. *Sacrum audit.* Sacrum subinde audiens, Missæ orationes cum Sacerdote recitavit, ea pietate animique contentione, quam sanus quisque ferre vix potuisset. Communioni Sacræ proximus, Christum qua par erat reverentia adoraturus pro viribus erexit se, ac facta confessione, solitisque Ecclesiæ precibus singulari prope humilitate recitatis, Dominicum Corpus suscepit non sine interna suavitate, ac ingenti quem celare non poterat pietatis lætitiæque sensu. Tutus exinde in se rediens, divinis laudibus continuisque pro tanto beneficio gratiarum actionibus occupatus divina recitantibus officia pro viribus se adjunxit; atque ubi ad psalmos & cantica perventum est, ea potissimum ad extremum usque spiritum ingeminavit, quæ gratum in Deum animum magis aperiunt, qualia isthæc sunt: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite Angeli Domini Domino. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula. Benedictus es Domine in firmamento cœli & laudabilis, & gloriosus in sæcula.* Iis mentem pascebat suam jam jam moriturus Mabillonius: animum autem præ doloris acerbitate ab oratione interdum relaxanti legebatur brævis aliqua oratio, aut Sacræ Scripturæ locus ad patientiam corroborandam magis accommodatus, quem ipse cum intermissis psalmis & canticis resumebat, subjecta Joannis Apostoli verba identidem interserens, *Veni, veni Domine Jesu, veni.* Exhibitam sibi quandoque Christi è cruce pendentis imaginem singulari prorsus adfectu arripiens, nunc pedes, nunc latera, nunc manus, nunc sacratissimum Crucis lignum eximia pietate osculabatur. In me aliquando hæc Apostoli verba proferentem, *Christo confixus sum cruci:* nec alia prosequentem amanter oculos convertens, benigneque increpans, quæ casu omiseram, ipse prosecutus est *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.*

CIX. *Ultima ejus verba.* Penitus tandem desperata salute, ac hora qua ab invicem divelli oportebat, instante, benedictionem roganti non indulsit modo, verum etiam quæcumque in ipsum forte peccaveram, aut per diuturnam cum eo consuetudinem si quidpiam molestiæ creaveram libentissime condonavit; suasque mihi ad Deum preces pollicitus, nihil ultra adjecit cum ne longiori sermone, nimio forte moveretur adfectu, tum etiam ne mens cœlestium jugiter dedita rerum contemplationi vel minimum alio distraheretur. Et quidem exinde nihil nisi necessarium protulit, immo ne invictum ab oratione spiritum relaxaret, oculos in cœlum, Deumque unice intendit.

CX. *In extremis positus.* Interea paullatim deficienti ultima impertitur absolutio: mihi vero utrum ad illam attendisset sciscitanti, diligenter animum se intendisse reposuit: adeo etiam in extremis erat sui compos, animoque præsens. Psalmos elevatis interdum ad cœlum oculis, eo fervore ingeminabat, ut non tam prophetæ quam proprios animi sensus exprimere videretur. Confectum macie corpus vix hærebat ossibus, pectus dolor laniabat: nullus interea gemitus, ac ne doloris quidem signum ullum, impatientia nulla, eadem vultus hilaritas, animus cœlesti lætitia delibutus, plenus divinarum laudum sermo, cum gratias immortales agere non cessaret amantissimo Servatori, quod in morienti servulo suo crucis particulam impertiret, cum eo denique colloqui suavissime perrexit ad extremum usque spiritum. *Spe gaudens* ad consumptionem corporis, in quo peregrinabatur, quotquot habebat partes, tot immolabat Deo victimas; lætusque aspiciebat se in dies aliqua sui parte *Christo configi cruci.*

Hora post meridiem tertia, deficiente pene natura, solus, ut olim in Ambrosio moriente, labiorum motus advertitur. In hoc extremo vitæ discri- *Paul. in vita S. Ambros.*
mine, veritus, ne absentibus, qui tum vesperas decantabant, fratribus, è vita migraret, nonnullos qui juxta illum præscriptas ab Ecclesia preces recitarent convocare animus erat. Verum mutato consilio, tum ne divini perturbaretur cursus officii, ac tum maxime ut Mabillonii (qui nullum sui causa intermissum unquam voluerat communitatis exercitium) votis indulgerem, rem tantisper protrahendam duxi; neque in animum inducere meum poteram, passurum Deum tam religiosi viri morientis conspectu & exemplo privari Sodales. Ne morte tamen improvisa occuparetur, solitas una cum adstantibus preces recitare cœperam, cum, decantatis vesperis, mox ad campanæ signum congregati Sodales una cum plurimis nisque pietate perinde ac dignitate conspicuis sæcularibus viris, qui mœstissimo huic spectaculo adesse dignati sunt, ad Mabillonium confestim accurrere, precesque non sine adstantium lacrymis denuo inchoatæ sunt; quas deinde excepere aliæ multæ, quæ, perseverante animæ certamine, recitari solent. Dum ultima porro in Rituali notata recitabatur oratio, sensim sine sensu animam efflare visus est. Dumque ingeminaret ad Deum consociatas preces fratrum corona, divinas ipse laudes, intermortua licet voce, ardentissime persequens, benigne semel & iterum aperto ore, nullo conatu aut mœstitiæ signo emisit spiritum. Mox inchoatæ universis amare plorantibus solitæ orationes. Sic inter

Tranquilla Mabillonii mors. fratrum simul & amicorum preces ac suspiria expiravit Mabillonius; ex quibus nonnulli viro religiose pieque adeo morienti adfuisse se non semel Deo gratias agentes sibi gratulati sunt. Equidem sperare licet eum tanta morbi acerbitate ac diuturnitate divexatum, & sicut aurum in fornace probatum, misericordiam à Patre misericordiarum consecutum esse. Idipsum sane sperasse videtur qui de Mabillonii obitu non tam dolendum, quam de futuro nobis apud Deum intercessore lætandum litteris suis significare dignatus est eminentissimus S. R. E. Cardinalis Leandro Coloredus. Obiit Joannes Mabillonius in Cœnobio Sancti Germani à Pratis Ann. Incarn. MDCCVII. Die 27. Decemb. paullo ante horam quintam serotinam, ineunte ætatis anno septuagesimo sexto.

CXI. *Demortuus Mabillonius vultu elegantior apparet.* Haud ita post obitum, non meo tantum, sed omnium quoque adstantium judicio visus est Mabillonius vultu solito elegantior, micantiorque oculis, stupenti, ac singulare quidpiam attento animo spectanti similis; formam denique, quam quæ in corporibus exanimis apparere solet, longe augustiorem & amœniorem in eo ostenturum se una mecum observarunt viri quamplurimi. Demortuo tandem parentandum fuit, unde osculato prius ejus pectore una cum manibus, quibus tot præclara gesserat, corpus juxta antiquum Ordinis ritum abluitur; subindeque ad valetudinarii capellam reverenter delatum, diuque expositum, votis, orationibus, sacrificiis, suspiriisque Sodales omnes pie prosequuntur.

CXII. *Omnium mœror de Mabillonii morte.* Ubi primum tanti viri obitus tota urbe percrebuit, omnium animos mœror occupavit: nobiles juxta ac ignobiles demortuum luxerunt; mortem ejus tamquam communem jacturam lamentati sunt, ac doluerunt eruditi omnes; immo ipsa, cui haud ignota erant præclara viri merita, quamque dum viveret studiose

studiose adeo declinaverat, Aula regia. Quid memorem Christianissimum Regem, summorum virorum, si quis alius, æquum æstimatorem; qui ut viventis fidelitatem eximiamque doctrinam pari cum modestia conjunctam commendare, ita demortuum deflere, publicoque elogio illustrare dignatus est? Quid majoris Britanniæ Regem, ac Reginam, à quibus dum viveret nullis non honoribus, nullis non benevolentiæ regiæque plane benignitatis argumentis adfectus est? Quid denique Virum undequaque spectantissimum, qui vitam hanc in publicum suæ erga Mabillonium amicitiæ ac æstimationis testimonium, adornari, publicique juris fieri voluit?

CXIII. Mabillonii exequiæ.

Solemnes admodum Mabillonii exequias, non pendentium aulæorum magnificentia aut vana magnatum pompa, non Funalium multitudo, non magnificus feretri splendor, sed cujusvis professionis, conditionis, dignitatisque hominum frequentia illustravit, commendavitq; plurimum: nec inde, ut ipse vivens in votis præsertim habuerat, interturbata ullatenus est, Natalitiorum Domini anniversaria solemnitas: siquidem nocte tota ac etiam die S. Joannis in capella valetudinarii asservatum ejus cadaver, non inde more Ordinis in Capitulum nisi circa horam meridianam delatum est, ibique custoditum ad finem usque vesperarum; quibus decantatis, ritu & ordine solito in Ecclesiam deportatum, atque in medio Sanctuarii, quandiu in Choro decantatum est defunctorum officium, expositum concurrenti undique populo patuit. Interea urbanæ cohortes nobilium turmæ, religiosi Ordines, civium innumerabilis multitudo Templum Sangermanense implebant, qui certatim ad feretrum, quo poterant propius, accedere conabantur, ut virum hunc conspicerent veneratione perinde, atque admiratione dignum; & quidem omnium oblectabat oculos, animosque rapiebat, quæ solito lætior in eo elucebat frontis serenitas, atque vultus amœnitas.

CXIV. Ejus integritatis fama.

Quæ porro foret apud omnes probitatis atque integritatis ejus fama, tum maxime patuit, cum modo in Capitulum, modo in Ecclesiam manus aut pedes ejus exosculaturi, vestesque pie laceraturi avide omnes currebant; ex quibus qui id beneficii assequi non poterant, eum quod aliquandiu saltem conspexissent, lætabundi recedebant; permulti vero pietate conspicui viri quidpiam vel exiguum, quod usui ei fuisset, se obtinuisse, gestiebant, studioseque asservabant. Absoluto defunctorum officio, precibusque decantari solitis, ad tumulum sepeliendus defertur, funus prosequentibus (præclarum sane, sed dignum lacrymis spectaculum) quamplurimis, qui Parisios, rumore nuncio, confluxerant, Cluniacensis ac nostræ quoque Congregationis Monachis, aliisque omnium pene Ordinum religiosis, virisque etiam undequaque spectatissimis, qui luminibus accensis, eodem ac Monachi ordine, nec minori super tanti viri casu animi mœrore incedebant: mœrorem tamen non parum levabat, qua quisque intus lætabatur, spes non dubia acquisitæ ab eo salutis æternæ. Eo ordine, eaque solemni pompa ad privatum Beatæ Mariæ sacellum intra Monasterium positum, delatum est Mabillonii corpus; ibique non sine adstantium omnium precibus, lacrymis fratrum, ac litteratorum præsertim omnium mœrore, ac desiderio conditum. Confluxit ad funus civitas fere tota; eoque apertius ad prædicandas ejus virtutes, potissimum vero modestiam cum mira eruditione conjunctam, omnium studia quasi numinis instinctu conspirarunt, quo fuerat ipse in iis occultandis sagacior.

Præclarum Mabillonii funus.

CXV. Populi atque

Postera die innumera prope pro defuncti salute celebrata Sacra; incredibilis sæcularium ac regularium Sacerdotum multitudo. Quam ingens porro fuerit sive in Ecclesia populi concursus, sive in choro omnium prope religiosorum ac virorum insignium frequentia vel ex triplici sedium ordine hinc atque hinc, præter sedilia chori, disposito facile quisque conjiciet. Quilibet namque se choro psallentium jungere, lacrymas suas ac preces cum nostris miscere certatim studebat, quo suam in Mabillonium pietatem, observantiam, studiumque palam faceret.

ornatissimorum virorum concursus.

CXVI. Honores Mabillonio demortuo delati.

Pari subinde honore ac pietate Mabillonio parentatum voluere pene omnes Regni Provinciæ, ac præsertim omnia tum Vitonensis, à qua plurimum colebatur, tum nostræ Congregationis Cœnobia, diversorumque Ordinum, quin etiam sæcularium Sodalitiorum, quibus haud incelebris erat, religiosæ familiæ. Illum in pulpitis concionatores, in suis ad populum sermonibus Parochi, in Collegiis & Academiis Oratores & Poetæ miris certatim laudibus exornarunt: in primis vero biduo post obitum claruit qui in Sorbonica Academia, plaudente ac plurimum gratulante spectatissimorum hominum cœtu, Panegyricum dixit. Illum Eminentissimus Cardinalis Bullionius Sacri Collegii Decanus magna doloris significatione prosecutus est, immolataque pro ejus animæ salute cœlesti hostia, iis quæ in sua Sancti Audoeni Rothomagensis basilica celebratæ fuerunt, exequiis interesse non est gravatus.

Inter cæteras porro Galliarum Ecclesias excelluit, quæ illum fere à puero primis morum ac litterarum rudimentis imbuerat, Remensis Metropolis: siquidem ut publicum suæ in illum daret existimationis argumentum, conspirantibus ultro Canonicis, eosdem Mabillonio, ac viris clarissimis, delatos ex decreto Capituli voluit exequiarum honores. Exemplum secuti Præsules non pauci variæque Galliarum urbes, demortuo Mabillonio una cum Sodalibus nostris parentari voluerunt. Ejus denique gratia in Cœnobiis nostris instaurata est vetus Ordinis nostri consuetudo, qua nempe audita Abbatum aut insignium Monachorum obitu, mox publicis in qualibet communitate commendabantur elogiis: quibus subinde ad singula Cœnobia transmissis, ad communem dolorem, precesque sociis pro defuncto se se mutuo excitabant. Id in honorem Mabillonii non nostri modo, verum etiam multi diversorum Ordinum Religiosi, immo & sæculares Viri abunde præstiterunt, utque exstaret diuturna facti gratia, elogia multa publice recitata, vel exposita typis etiam commiserunt: ex quibus nonnulla à * viris haud exigui apud litteratos nominis stricta & soluta Oratione, Græce, Latine, & Gallice concinnata, plane digna videri possunt, quæ ad æternum Mabillonii decus, virtutumque ac meritorum monumentum ære sculpantur.

* D D de la Monnoie, Hersan, Boivin, de Valoeis, le Roy, le Comp[...], Cuffi[...], Bosqu[...], Goudan, &c.

CXVII. Dolent exteri Mabillonii casum.

Mabillonii casum non una deflevit Gallia; doloris æmulas sociasque habuit quotquot jam tum mutuis se digladiabantur bellis undequaque grassantibus dissociatæ Europæ nationes, in hoc sane uno concordes, ut tanti viri memoriam publicis laudibus ubique commendarent. Una hac in re fuit animorum consensio, una hæc Catholicorum perinde ac heterodoxorum vox, sententia una; nulla ab utrisque non data existimationis ac desiderii significatio: hinc illorum preces, inde horum præconia tum publica tum privata, ut testantur quamplurimæ diversarum regionum ac præsertim Germaniæ litteræ. Effudit se potissimum litteratorum publica pietas erga hominem ad Reipublicæ litterariæ decus natum. Omnibus demum mœstitiæ argumentis, omnibus monumentis pietatis, cum certatim, Urbes, Regna, Provinciæ, Academiæ, Cœnobia prosecuta sunt.

Quantum apud viros etiam principes, non solum Italiæ Litteratos moverit Mabillonius sui desiderium, cum ex multis Serenissimi Magnæ Etruriæ Ducis, ac Cardinalis Medicæi ad clarissimum Abbatem Renaudotum, à quo uterque acceperat mortis ejus seriem, rescriptis litteris, tum maxime ex iis, quas ejusdem obitum nunciaturus Romam misit ornatissimus, multisque jam nominibus clarus Abbas Passionæus, facile colligitur. Tanti viri jacturam, quam nemo non doluit, quamque non publicis modo luctus significationibus, sed privatis quoque precibus prosequi dignati sunt nonnulli Romanæ aulæ Eminentissimi Cardinales Præsules spectatissimi, primus omnium tota qua late patet Italia disseminavit præclari apud eruditos nominis Justus Abbas Fontaninus per subjectam, qua piæ memoriæ Theodericum Ruinartum nostrum dignatus est Epistolam, aliis sæpius editam.

Epistola clarissimi Abbatis Fontanini.

R. P. D. Theoderico Ruinarto M. B.
Justus Fontaninus S. P. D.

Ubi litteris ornatissimi Abbatis Passionai nunciatus est obitus Mabillonii nostri, à lacrymis temperare non potui. Quis enim non doleat jacturam, quam tanti viri decessu patitur Respublica litteraria, & Ecclesia ipsa, quas ille eximie & numquam intermissis lucubrationibus illustravit, nemine ex vere doctis & probis magno autori non plaudente & longissimam vitam non adprecante? Cordis mei dolorem sane maximum tibi, Vir clarissime, significare non valeo; nec equidem debeo, ne tuum augere ipse videar, dum potius duplici consideratione mulcendus est; quod nempe vir integerrimus jam apud Deum Optimum Maximum fruatur præmio, quod sanctis & doctis laboribus sibi comparaverat; quodque, te illustri successore & egregio alumno, tanto ante providerit, ne, eo absente, diu mæreremus. Hoc non ego tantum, sed litterati omnes sentiunt, qui utriusque vestrum indolem dudum perspectam habent. Certus autem sis velim, in hac cæterarum principe urbe, illum semper plurimi habitum, semperque habendum donec litteræ in pretio erunt, in quibus tot pietatis suæ & doctrinæ monumenta nobis reliquit.

Atque id silentio præterire minime decet, quod elapso anno exeunte, dum Mabillonius, nobis inscius, jam ad Superos evolasset, mihi testatus est Eminentissimus noster Cardinalis de Coloredo, quocum eximium senem memoria recolebam, se nimirum haud ita pridem apud Summum Pontificem sermonem habuisse de eodem inter S. R. E. Cardinales cooptando. Quo etiam tempore Josephus Thomasius, qui apud nos est alter Mabillonius, libere fassus est: Si sibi optio daretur unum aliquem proponendi, se statim properaturum ad Summum Pontificem, ut ad Ecclesiæ ornamentum is esset Mabillonius. Sed vir beatus hæc vota jam anteverterat ad honoris gradum longe præstantiorem evocatus.

Hujus nuncii fama jam per totam urbem percrebuit; nosque de eo certiores reddidimus amicos per Italiam constitutos, ubi multi ex illis adhuc supersunt, qui tribus & viginti ab hinc annis eum propius venerati fuerunt, cum urbes effusæ ad eum adirent, primique subsellii homines ad visenda quæque insigniora Cimeliarchia, Gazophylacia, & Bibliothecas eum honoris causa certatim comitantes deducerent, quod ille in itinere Italico pro sua modestia parce admodum indicavit.

Hæc memorasse libuit ad mutuum nostri solatium. Interim ad meum, illud superest, ut mihi in animo tuo locum illum assignes, quem in demortui benevolentia assignatum fuisse non uno argumento didiceram; nunc vero potissimum ex litteris tuis ad hunc vestrum Procuratorem Generalem datis, in quibus me ejus nomine jam morti proximi salvere jussisti. Vale vir optime, & in tua præclara studia prompto & alacri animo incumbe. Te enim sospite, non plane videbitur Mabillonius periisse. Iterum sæpius vale. Romæ xv. Kal. Febr. MDCCVIII.

Quam acerbe demum pro paterno quo Mabillonium dignabatur affectu, ejusdem jacturam doluerit Litteratorum princeps perinde ac patronus Clemens XI. Pontifex Maximus, hisce ad Ruinartum nostrum epistolæ verbis significatum voluit Cardinalis de Coloredo. *Seriem*, inquit, *morbi & mortis illius magna spiritus devotione non semel, sed iterum percurrere voluit Sanctissimus Dominus noster; hominemque tam præclaris imbutum moribus, tamque de ecclesiasticis litteris bene meritum, paterno suspexit affectu: jucundumque illi esset si talem virum aliquo magis distincto loco humaretis, cum ipsius fama per omnia volitet ora, ac litterati omnes quotquot Parisios venerint interrogabunt vos, Ubi posuistis eum? dolebuntque maxime si confusos illos agnoscerent cineres, qui singularem adeo virum, dum viveret, contexerunt, nec aliquo lapidis indicio admoneantur.* CXVIII. Mabillonii obitum dolet ipse Summus Pontifex, monetque distincto loco inhumandum esse.

Is igitur, suadente modo laudato, nec umquam sine laude nominando Summo Pontifice, præter morem ac non præter meritum Mabillonio concessus est Sepulturæ locus, qui præclaris nec umquam intermissis ejus in Congregationem nostram meritis jure debebatur. Voluit enimvero humilium remunerator Deus, ut hic etiam centuplum gloriæ acciperet, iis que, quibus primi subsellii homines, honoribus donaretur, qui tanto, dum viveret, humilitatis studio, vanos mortalium effugerat honores, eo sibi magis debitos, quod nec generis, nec dignitatis splendore, sed virtute pariter & doctrina, ac singulari propè quæ in eo retulsit utriusque consensione, eos demeruisse in confesso est apud omnes. Et re quidem ipsa quis non miretur simplicem monachum, nullo generis, ut dicebam, aut dignitatis titulo conspicuum, tantum apud omnes Europæ nationes famæ & existimationis tulisse adeptum? id nempe permisit Deus, ut una sua in eo dona, morum integritas, doctrina, virtutes colerentur. Et quidem divino factum consilio est, ut Mabillonius ad nullum umquam evectus sit muneris aut dignitatis gradum, quamvis communi suffragio omnium longe dignissimus haberetur. Hinc ad obtinendam illi regularem Ordinis Abbatiam irrito conatu tentata atque à clarissimo Galliarum Antistite adhibita autoritas. Hinc demum votis parum consona sollicitudo, quam ad eum inter Purpuratos Patres cooptandum, una cum multis Romanæ curiæ viris gravissimis, adhibere voluit piæ mem. Cardinalis de Coloredo, cujus jacturam probi quique nobiscum lugent. Sic porro ab omnibus honorum ac dignitatum gradibus alienum habebat animum Mabillonius, nullum ut umquam vel intra vel extra claustrum se obtinuisse, non semel nec sine quodam lætitiæ sensu, ceu de maximo beneficio, Deo Optimo Maximo gratias ageret. Mereri enim vero dignitates præclarius existimavit quam adipisci; obedire quam imperare longe tutius. Et vero, ut pulchre quidam dixit, alienis non indigebat ornamentis vir sua virtute, omniumque existimatione ornatissimus. Hi fuere Mabillonii ad extremum usque spiritum sensus humilitatis; usque, quæ humilibus repromissa est, assecutum confido, immarcescibilem gloriæ coronam.

Superest, Vir illustrissime, ut gratias tibi referam, easque maximas, quod sub tuo clarissimo nomine, hoc qualecumque opusculum in lucem prodire vo-

lueris. Te enim illud adprobante, à cunctis quoque probatum benigneque exceptum iri plane confido. Nosti præ cæteris, Vir amplissime, præclara viventis merita, virtutes ægrotantis, patientis moderationem, morientis denique suspexisti animi fortitudinem, pietatem, pene dixi vultus & mentis hilaritatem; egregium sane fideque dignum, ac mihi quidem, quo cæteris fidem facerem, necessarium testimonium. Hoc tandem occurrit haud leve mihi solatium, quod, quem dignis ipse laudibus prosequi non valui Mabillonium, illum uno (quæ summa laus est) omnium ore celebrari, ac litteratorum præsertim elogiis ubique commendari audiam.

Easpropter, ut tibi morem gererem, fidemque meam liberarem, eo, qui virum decet religiosum, humili nempe stylo, Mabillonii acta recensui; eaque dumtaxat ex ejus editis operibus excerpta retuli, ex quibus illum mira eruditione nec minori modestia, viros inter ævi sui doctissimos floruisse facile quisque cognuscat. Cæterum eximias ejus dotes, virtutes, opera, notissimamque ejus eruditionem in Regia Inscriptionum Academia elegantissime cunctisque plaudentibus exposuit ornatissimus D. le Boze perpetuus laudatæ Academiæ Secretarius; nihilque sane hac in re, si præscriptum Academiæ legibus tempus excurrere licuisset, desiderandum reliquisset. Viri præterea eruditi non pauci, quæcumque complectuntur Mabillonii opera, suis in libris accurate memorarunt; eaque de re quidpiam publica luce non indignum aliquando producturum plane confido.

Multa eaque egregia in demortui Mabillonii laudem concinnata encomia, ac epicedia, quæ charissimo capiti quasi tot corollas contexuere amici quamplurimi, adornata demum à viris eruditis elogia, quæ in medium proferri mererentur, Mabilloniumque non parum exornarent, missa facio: quippe, Vir Clarissime, non tam Mabillonii laudes, quam memoranda illius acta, virtutes, exempla, germanosque & humiles animi sensos exhiberi tibi voluisti. Si quam porro injunxisti mihi provinciam, nec pro voto, nec pro argumenti dignitate sustinui, id amabo non materiæ (quæ certe amplissima est) sed imperitiæ potius meæ tribuas velim.

Ergo Mabillonius *recessit à nobis, sed non totus recessit; reliquit enim nobis liberos suos, subjectos scilicet libros, in quibus eum debemus agnoscere; & in quibus eum & cernimus, & tenemus.* *Ambr. in orat. de obitu Theodosii pag. 1199.*



CATALOGUS
OMNIUM
MABILLONII OPERUM.

Sancti Bernardi opera omnia. Parisiis ann. 1667. to. 2. in fol.

Eadem eodem anno to. 8. in 8°.

Eadem secundis curis edita Parisiis. ann. 1690. to. 2. in fol.

Acta SS. Ordinis S. Benedicti per saeculorum classes distributa. Parisiis ann. 1668. & seqq. to. 9. in fol.

De Re Diplomatica cum figuris &c. Parisiis anno 1681. in fol. majori.

Editio secunda ab ipso autore recognita, emendata, & aucta. Parisiis 1709. in fol. majori.

Supplementum ad libros de Re Diplomatica cum figuris &c. Parisiis ann. 1704. in fol. majori.

Annales Ordinis S. Benedicti cum variis Instrumentis, & antiquis Monumentis in appendicibus relatis. Parisiis ann. 1703. & seqq. to. 4. in fol.

Volumen quintum opus posthumum. Parisiis anno 1713. in fol.

Liturgia Gallicana &c. cum disquisitione de cursu Gallicano &c. Parisiis an. 1685. in 4°.

Museum Italicum, seu Collectio veterum Scriptorum ex Bibliothecis Italicis. In primo tomo praemittitur iter Italicum litterarium; in secundo Commentarius in Ordinem Romanum. Parisiis an. 1687. & 1689. to. 2. in 4°.

Duo scripta de Jure praecedentiae Benedictinorum supra Canonicos Regulares in Comitiis Burgundiae. 1687. in 4°

Eadem Scripta, in Latinum translata à D. Hermanno Sckenk.

Epistola de primario Romarici-montis Instituto. Parisiis ann. 1684. in 4°

Tractatus de Studiis Monasticis. Parisiis ann. 1691. in 4°

Idem. Parisiis to. 2. in 4°

Idem in 12. Bruxellis an. 1692.

Idem Italice versus sub hoc titulo : Scuola Mabilloniana *&c.* dal P. Maestro Nicola Girolamo Ceppi Agostiniano. In Roma ann. 1701. in 12.

Idem in Latinum translatus à R. P. Udalrico Strandigl. Campodum ann. 1702. in 12.

Idem in Latinum translatus à P. D. Josepho Porta. Venetiis in 4°

Item ex eodem tractatu, Dubia historica &c. latinitate donata à D. Hermanno Sckenk edita in Germania in 4°

Animadversiones ad tractatum de Studiis Monasticis. Parisiis ann. 1692. in 4°

Eadem. Parisiis 1693. in 12.

Epistola encyclica de obitu Mariae de Blemur Sanctimonialis Benedictinae. in 4°

Eusebii Romani epistola de cultu Sanctorum ignotorum. Parisiis 1698. in 4°

Item altera editio, eodem anno ibidem in 12.

Eadem a variis autoribus in Gallicum idioma conversa. Parisiis, Bruxellis, Turone, Gratianopoli &c. in 12.

Altera item editio typis edita Trajecti.

Eadem in Gallicum sermonem translata ab Abbate le Roy. Parisiis 1705. in 12.

De Azymo & Fermentato ad Eminentiss. Cardinal. Bona, Parisiis ann. 1674. in 8°

Vetera Analecta. Parisiis an. 1675. & seqq. to. 4. in 8°

Dissertatio de Monachatu S. Gregorii M. ad eruditum Valesium ex primo tomo Analectorum seorsim edita. in 8°

Eadem recognita, in appendice tom. 1. Annalium.

Iter Germanicum in tomo 4° Analectorum editum.

Animadversiones in Vindicias Kempenses. Parisiis 1677. in 8°

Epistola Blesensi Episcopo inscripta de Lachryma, ut vocant, Vindocinensi. 1700 in 8°

Sancti Bernardi de Consideratione jussu Clement. XI. Pontificis Maximi. Parisiis ann. 1701. in 4°

Mors Christiana, Reginae Majoris Britanniae nuncupata. Parisiis in 12. Gallice.

Tractatus de vocibus Missae & Communionis, *in Regula Sancti Benedicti adhibitis. Parisiis an. 1689. in 12. Gallice.*

Regula Sancti Benedicti, & Constitutionum Stephani Poncher Gallica versio in gratiam usumq; Sanctimonialium Calamensium, vulgo de Chelles. *Parisiis 1697. in 18.*



PRÆFATIONES PRIORIS EDITIONIS.

PRÆFATIO TOMI I.

MIHI vetera jampridem meditanti vetus quodam modo fit animus; & inter humanas vices antiquis Ecclesiæ rebus occupari, non modica solatii portio videtur. Quam ob rem ubi primùm ex diutino morbo, qui me à studiorum meorum cura revocavit, tantisper respirare cœpi; priusquam intermissum opus, id est Act. Sanctorum Ordinis nostri, repeterem, insedit animo, levandi tedii tentandæque valetudinis gratiâ, schedas revolvere meas, quas ex variis codicibus MSS. antea collegeram. Cùm enim Historiæ nostræ causâ varias Franciæ ac Belgii Bibliothecas perlustrarem; multa mihi veteres forulos excutienti veterum Scriptorum monumenta occurrerunt, multa item ab amicis submissa sunt: ex quibus ea, quæ & pro sua brevitate valetudini meæ accommoda, & pro rerum antiquarum illustratione publico bono profutura visa sunt, seligere constitui, eorumque primitias hoc in libello tibi, studiose Lector, offerre in specimen aliorum. Ea partim prosaica, partim poëtica sunt, in duas classes pro suo quæque tempore disposita, brevia omnia: quæ quidem in grandioribus libris gratiam facilè amittunt, retinent in parvis. Hæc ANALECTA voco, quibus intersero Notas & Observationes cum Disquisitionibus nonnullis: ne rebus aut dignitatem adimat inconcinna brevitas, aut confusionem afferat obscura varietas. In his quædam reperies à nemine hactenus, si non fallor, observata: utinam tanti, ut Christianæ reipublicæ utilia, & studiosis viris accepta esse possint. Si qua verò non satis limata accuratave (ut forte pleraque erunt) deprehenderis, erudite Lector, hominis nondum plenè valentis diligentiam, ut spero, supplebis; supplebunt monumenta ipsa, vel ex solo antiquitatis nomine æstimanda, quorum seriem sequens pagella indicabit. Vale.

PRÆFATIO TOMI II.

AB Analectis, studiose Lector, ad integra fercula manus sensim admoveo: idemque mihi contingit, atque homini è gravi morbo revalescenti, longaque inedia affecto, qui solidioribus cibis paullatim assuescit. Sic nimirum post Analectorum Tomum primum, in quo veterum scriptorum brevia fragmenta pro modulo digessi; nunc ampliora & fere integra edo in secundo, majoris molis opus intermissum cum Deo propediem resumturus. Sed vereor, ne, cùm animo hac in re meo, & quibusdam lectoribus meis studiosiùs obsequor, prolixiora exhibendo; in aliorum censuram invitus incurram, qui titulum operi non satis convenire jam causati sunt.

Etsi enim Veterum Analectorum consilium, quantum ex amicorum relatu intelligere potui, nemo non probavit; varia tamen, ex more, ac diversa de Tomo primo fuerunt hominum eruditorum judicia. Aliis quippe operis titulus rerum contentarum dignitati non visus est ex æquo respondere; ipsumque opus ampliùs præstare, quàm ejus inscriptio præ se ferret. Alii res ipsas non ex titulo, sed ex voto suo metientes, aiunt breviora & exiliora esse istius Tomi monumenta, quàm optarent. Nonnulli in poëticis Analectis pleraque non parvi faciunt, maximè Flori Carmen de divisione Imperii facta post obitum Ludovici Augusti; itemque aliud ad Modoinum Episcopum Augustodunensem; tum Adelmanni rythmicos versus, & epitaphia illustrium personarum: quidam verò poëtica omnia prorsus hinc eliminata vellent. Accedunt alii, qui majorem delectum in ejusmodi collectione desiderant. Hæc omnia eruditorum suffragia gratanter accipio; atque adeo ea me movent, ut facti mei causas & rationes in hujusce Tomi limine aperiam.

In primis longè mihi optabilius est, nulli fraude fefellisse lectorum expectationem, quàm superbo titulo ingessisse nugas, ac venditasse. Id enim mihi semper altè animo infixum, in libris inscribendis plus modestiæ tribuendum esse, quàm pompæ : propterea quòd de commendatione operis magis deterat immodicus tituli fastus, quàm afferat pretii. At modus hac in re tenendus, & justè de opere suo ex titulo pronuntiandum. Ego verò assentior. Sed quia nos plerumque incautos agit cæca operum nostrorum æstimatio ; semper præferenda est tituli mediocritas, & paullo infra æstimationem, quam de scriptis nostris habemus, præfari decet, ne arrogantiùs de iis sentire videamur. Ceterum si quis vetera monumenta, quibus Tomus primus constat, attentè contulerit cum amplissimis antiquorum tractatibus & libris, quos nostra ætate viri docti in lucem protulerunt ; næ ille fatebitur meritò dici Analecta, & quasdam (ut ita dicam) lautissimi convivii reliquias, quæ aliis circa potiora occupatis aut superfuerunt, aut exciderunt : digna certè, quæ accuratè collecta & reservata, congruo tempore saltem in secundas studiosorum mensas inferrentur.

Jam verò quòd alii fragmenta nostra breviora causantur, pro me faciunt : nam probat certè, qui ea quæ breviora putat, prolixiora optaret. Verùm instituti mei ratio, & valetudinis status non sinebant prolixiora dare. Parva promisi ex operis titulo : quod in me receperam, hoc implere curavi. An verò prolixa dumtaxat & longiora probare licet ? Est etiam parvis & exiguis sua gratia, si integra sint : si mutila & manca ; apta fiunt & concinna, si ea corpori suo restituas : sin minùs, saltem quoddam operis ignoti specimen lectoribus exhibent.

Triplicis autem generis monumenta protuli in Tomo I nempe epistolia, editorum operum supplementa, nondum editorum præfationes & fragmenta. De duobus primis nullus est causandi locus : de postremis, ut ne integra darem, hæ me rationes adduxerunt.

Quasdam præfationes edidi, prætermissis operibus, quibus præfixæ erant : propterea quòd nonnulla ejusmodi opera non nisi ex nata occasione digna sunt visa, quæ typis mandarentur. Quo in genere sunt vita S Romani Episcopi Rotomagensis, Helperici liber de computo, Gerberti commentarius in quemdam Porphirii locum ; Galteri Antistitis Magalonensis collectio ex floribus Psalmorum ; Hildeberti Cenomannensis Episcopi libellus de vita sanctæ Rodegundis, quæ omnia tanti non æstimavi, ut locum in nostris Analectis habere mererentur. Et tamen horum librorum præfationes publicare visum est, quòd ea designarent opera, quæ ne omnino cælarentur, reipublicæ litterariæ interesse putavi.

Non eadem ratio me impulit, ut Claudii Taurinensis Episcopi commentaria in libros sacros omitterem. Cùm enim hæc aliaque hujusmodi commentaria, quæ penes nos sunt manu-scripta, ut in lucem producantur, majores exigant impensas quàm nostra ferant tempora ; nec facilè inveniantur typographi ad hos sumtus comparatis ; quasdam præfationes interim cum litteratis viris communicandas duxi, ut aliquam saltem istiusmodi operum notitiam eis proponerem. Ut verò Algeri librum de misericordia & justitia præfationi à me editæ non subjicerem, id fuit in causa, quòd necdum istius operis exemplum integrum mihi impetrare licuit. Ne autem præclarum eximii viri opus aliquando intercideretur, loca designavi, in quibus ejus exemplaria asservantur. Ad hæc, quòd duo tantum fragmenta ex Gregorii Turonensis commentario in Psalmos retuli, paucis expedio : quod inde habui, hoc totum dedi.

Quod superest, in faciendo Analectorum delectu, rationem habui eorum, quæ aliquid momenti tum eruendæ, tum illustrandæ antiquitati conferre posse existimavi. Non me offenderunt barbaries & stribiligines verborum, in quibus latentem aliquam vel tantillam deprehendi veritatem, aut historiæ novam lucem. Nam ubique & in omnibus veritas, quantumvis inculto & horrido habitu vestita compareat, amanda est. At decepit me aliquando rerum species, atque nomen auctorum. Cedo : sed ferendus est unus aut alter lapsus in materia levi.

In poëticis eumdem modum tenui, ratus multorum gustui obsequendum, qui veteres ejusmodi novitates amant ; neque locum in nostris Analectis negandum esse Theodulfi & Flori poëmatiis, quæ vel solo Auctorum nomine lucem mereri videbantur.

Hæc dixerim, ut facti mei rationes ingenuè aperiam ; non ut errata, si qua sunt, mea excusem : longè minus ut approbem.

De secundo Tomo non est quòd ampliùs præloquendo te distineam, studiose Lector, cui gratior fuerit rerum hic contentarum index, quàm longior præfatio. Vale.





EPISTOLA NUNCUPATORIA TOMI III.

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

L U D O V I C O

DE LA VERGNE-MONTENARD DE TRESSAN,

CENOMANNENSIUM EPISCOPO,

REGI AB OMNIBUS CONSILIIS,

NECNON FRATRIS UNICI REGIS

Ab Eleemosynis Primo.

ACTA Cenomannensis Ecclesiæ Pontificum, quæ in hoc libro potiorem obtinent locum, ita ad te spectant, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *ut si alteri inscriberentur, ea tibi posses jure civili merito vindicare. Tua quippe sunt, quia sedis tuæ Antistitum monumenta, quorum decora & dotes ad te hereditario nomine pertinent. Tua inquam sunt, quia vitæ Episcopalis eximia continent exempla, simulque decessorum tuorum doctrinam & traditionem. Accedit, quòd cùm acta ista ex thesauro Ecclesiæ tuæ depromta, sint ea certè publicæ editionis luce donata ad te recurrant necesse est, tamquam ad suam originem.*

Hanc occasionem, quasi cælitus nobis oblatam, eo lubentiùs suscepimus, quòd & multa tibi debeamus, nec ulli fere alii Ecclesiæ quàm tuæ nos magis obstrictos esse sentiamus. Ut plura in unum conferam, triginta sex quondam Ordinis nostri in tua diœcesi fuère monasteria, ex quibus hodie quoque sex virorum Congregatio nostra possidet: quæ fere omnia non alios, quàm Cenomannenses Episcopos fundatores agnoscunt. Hæc verò paternâ benevolentiâ fovere, & patrocinio tuo dignari partium tuarum esse existimas, ILLUSTRISSIME ANTISTES, *nec umquam è memoria nostra elabi sinemus, quantum afflictæ innocentiæ contulerit ultro impensa acerrimi Vindicis defensio. Quid verò apud maximum & æquissimum Principem valere ampliùs in hac causa poterat, quàm ejus commendatio, cujus majores* vetustate nobiles, novitate felices; *cujus præclarissimæ dotes una ad dignitates via, unus gradus fuère! Talis porro Antistes, talem decebat Ecclesiam, qua à sui primordiis tales habuit Episcopos fere omnes, qui & Regibus ob fidem carissimi, & populis suis ob natalium splendorem essent venerabiles. Eos tute tantum non vincis, qui cùm tuis, tum majorum tuorum in Regem regiamque familiam officiis id obtinuisti, ut plurimum auctoritate polleas; & quidquid habes auctoritatis, in populi tui levamen & subsidium impensius effundas, adeo ut gregem tuæ curæ commissum non tam regas, quàm pascas auctoritate, quæ tota non ad terrorem, sed ad amorem à te comparata est. Eamdem toti Congregationi nostræ mihique propitiam esse obnixè postulo,* ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *ut & librum tibi nuncupatum commendet, & nobis publici favoris gratiam in posterum conciliare pergat. Alterum debes Ecclesiæ tuæ: alterum præjudicio quodam bonitatis tibi innatæ ac toties expertæ nobis pollicemur, aut sanè (ut modestiùs loquar) vehementer optamus.*

Lutetiæ Paris.
Kal. Octobris
anno 1682.

Tibi addictissimus & obsequentissimus
F. JOANNES MABILLON M. B

PRÆFATIO TOMI III.

HIC monitore nihil opus est, cùm admonitionis vicem facilè supplere possint tum Index rerum in hoc libro contentarum, tum Notæ & Observationes, quæ monumentis fere singulis subjectæ sunt. Sed ita demum obtinuit præfationum usus, ut essi nihil habeat quod præloquare, vel hoc ipsum præfari necesse videatur. Mori itaque obsequor, brevem facturus præfationem, quando nullam facere non licet.

Incipio à primo hujusce voluminis libello de sacramento Baptismi, quem libellum Leidradus Lugdunensis Antistes jussu Caroli M. composuit, ut rationem redderet suæ suorumque Suffraganeorum de hoc sacramento doctrinæ. Idem etiam alii Metropolitani, sive per se, seu per alios auctores præstiterunt. Cùm verò hæc Leidradi expositio Carolo non plane fecisset satis, institit apud eum religiosissimus Augustus, ut abrenuntiationem, quæ in Baptismo fieri consuevit, accuratiùs explicaret. Quod ille insigni epistola exsecutus est. Ex quo intelligitur, quanta fuerit in optimo Principe rerum sacrarum sollicitudo & cura: quanta in Leidrado pro tempore doctrina & eruditio.

Succedunt Acta Cenomannensium Episcoporum, magnum certè pro loco & prolixum, sed illustre Francicæ potissimum historiæ monumentum. In eis præter insignia præstantium Antistitum facinora, invenies tot & tanta diplomata Regum primæ stirpis atque instrumenta illustrium personarum, quot & quanta in nulla alia singulari historia reperiri vix, ac ne vix quidem possint. Ex his multa sine dubio viri studiosi colligent tum ad Francicam, tum ad Ecclesiasticam historiam illustrandam: ex quibus duo tantùm huc refero in præsens. Primum est, eam fuisse quondam apud Cenomannenses ex Regis privilegio prærogativam, ut non alios Duces aut Comites, quàm quos Episcopus ac populus elegissent, apud eos instituerent: quod de nullo alio regni Francici populo legere memini.

Alterum observatione dignum in his actis occurrit, nempe Epistola Gregorii Papæ IV. ad Episcopos Galliarum de Aldrico Episcopo Cenomannensi, quam Epistolam, tametsi ab Ivone & Gratiano laudatam, quidam viri docti suspectam habebant, ob eam maximè rationem, quòd in actis Aldrici, ab eruditissimo Stephano Baluzio editis in Miscellaneorum tomo tertio, nulla ejus Epistolæ mentio habeatur, nulla pontificiæ intercessionis occasio, ob quam Gregorius Aldricum in suam fidem ac tutelam suscipere voluisset. Reperitur autem ea Epistola in apographo, quod historiæ nostræ alter veluti parens Andreas Chesnius propria manu scriptum reliquit, modò asservatum in amplissima Bibliotheca, quam illustrissimus Colbertus libris undiquaque conquisitis instruxit in reipublicæ litterariæ commodum & utilitatem. Nam cùm duplicis generis acta sint Episcoporum Cenomannensium, alia fusiora, alia compendiosa: priorum quidem exemplum ex archivo Ecclesiæ Cenomannensis nancti sumus beneficio venerabilium Canonicorum, quos suo loco laudabimus: at in istis actis deerant acta novem ab Aldrico Episcoporum, quæ mancam editionem nostram reddebant. Hoc intellecto, humanissimus Baluzius ex celebri, cui ipse præfectus est, Bibliotheca Colbertina apographum Chesnianum, quod ex compendiosiori Episcoporum Cenomannensium historia descriptum est, nobis ultro communicavit, ut ex eo editionis nostræ hiatum suppleremus. Quid porro causæ fuerit, cur Aldricus à Gallicanis Episcopis abjectus, ad Gregorium appellaverit, non facile fuerit divinare. Forsan id factum ob turbas exauctorationis Ludovici Augusti, cui à Confessionibus Aldricus, atque adeo addictissimus fuit, ob idque fortè invisus factiosis illis Episcopis, qui in piissimum Imperatorem conspiraverant. Et quidem duros ejus mores æmuli, quòd videlicet eorum conatibus obsisteret, causabantur, testante ipsa Gregorii epistola. Si quo pacto, inquit, conversationes non habet amabiles, habendus tamen pro reverentia sancti Petri, cujus munitur auctoritate, dilectus. Cur enim Aldrici mores, quantumvis asperi & incommodi, Episcopos ad ejus dejectionem impulissent, nisi quia eorum conspirationi constanter, obfirmatoque animo repugnabat? Certe Pontificis epistola data est Cohlambue (oppidum est in Belgio ad sinistram Leccæ ripam in Gelriæ Comitatu, vulgo Culembourg) & quidem viij. Idus Julii, Indictione xj, (quæ chronicæ notæ desunt in editis Conciliorum libris) id est anno DCCCXXXIII. qui annus fuit adventus Gregorii Papæ in Galliam, simulq; nefandæ exauctorationis Ludovici Augusti. Sed conjecturis valere jussis, illud non ab re erit observare, Scripturæ capita, quæ epitomes auctor in exemplo Chesniano prælaudatæ epistolæ subjicit, ad probandum, exemplo David in Saulem, non esse mittendam manum in unctum Domini nec in prædicatores sanctæ Dei Ecclesiæ; hæc inquam Scripturæ capita laudari pro illorum temporum divisione, quæ multum à nostra dissentit, ut ex collatione locorum quivis deprehendere potest. Ceterum acta hæc legerat Corvaiserius: sed qui latinum exemplar cum gallica ejus editione contulerit; eam tantum à latina distare intelliget, quantum differt tenuis rivulus à copiosissimo fonte.

Occurrit

Occurrit tertio loco breve quidem, sed pretiosum sacræ antiquitatis [illegible], KALENDARIUM *ecclesiæ Carthaginensis, quo non solùm hæc princeps Africæ sedes, sed tota quanta fuit Africana ipsa Ecclesia usa est ante annos fere mille & ducentos. Repertum à nobis est in percelebri monasterio Cluniacensi, utrique veteris codicis operculo affixum, quod qua potuimus arte ex carioso ligno detractum, integrum tandem, pauculis exceptis, ex fugientibus litteris majusculis eruimus. Repertum inquam hoc ipso anno, quo ego sociusque meus Michael in sacrum illud cœnobium profecti sumus ad suppetias quærendas Ordinis nostri Sæculo quarto, cujus Cluniacenses præcipuum exstiterunt ornamentum.*

Post illud Kalendarium sequuntur Romanorum Pontificum Indices duo antiquissimi: Diptycha ecclesiæ Arelatensis, in quibus præter ejus loci Episcopos memorantur sancti Dionysius, Martinus, Augustinus, & si qui aliarum ecclesiarum Episcopi. Deinde varia accedunt epistolia & monumenta, atque Dissertatio historica seu chronologica duplex, una de epocha Dagoberti senioris & Chlodovei ejus filii: altera de anno & die ordinationis, itemque obitus Desiderii Episcopi Cadurcensis, ex quibus Dagobertina epocha apprime confirmatur. Hæc omnia cum aliis pluribus in subsequenti Indiculo recensenda.

Sed antequam finio, omittere non possum id quod legere memini de usu diptychorum apud Herimannum monachum Tornacensem in Spicilegii tomo 12 *pag* 406. Mos antiquitus institutus tunc tempo is servabatur in ecclesiis, ut nomina Frarrum circumadjacentium ecclesiarum quibus se mutuas orationes debere, vel societatem promisisse noverant, super sanctum altare scripta ponerentur: quatinus Sacerdos Missam cantantibus nominatim recitaret, cùm ad illum locum venisset: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Tunc enim unus ministrorum altaris ei propinquans, præsentabat recitanda, *&c. Hæc appositè ad nostras ea de re Observationes, quæ sub finem hujusce voluminis leguntur.*



PRÆFATIO TOMI IV.

BREVEM *tantum admonitionem postulat hic locus, cùm Præfationis vice habenda sit nostri* ITINERIS Germanici Descriptio, *quam in hujusce tomi limine exhibemus, non sine aliquo sane pudore. Neque enim ii sumus, quorum facta vel itinera rei publicæ litterariæ scire intersit: & vitæ nostræ rationi magis latebra & solitudo, quam peregrinationes & discursus conveniunt. Sed nimirum quod pudor quodam modo vetat, id omnino à nobis exigit efficium; & minùs pudentes esse cogimur, ne ingrati esse videamur. Immo verò non jam in vitium, sed in laudem vertit parum alioqui modesta oratio, cùm Magni Regis beneficia celebrantur: nec impune tacere licet, quod sub ejus auspiciis & commeatu, litterarum causa susceptum, confectumque est. Porro non penitus inutilis erit fortassis hujus Itineris descriptio ad ea monumenta illustranda, quæ ex illo itinere collecta partim huc referimus, partim in aliud volumen reservamus.*

Hanc descriptionem subsequuntur ACTA MAMMARII MARTYRIS, *de quo altum ubique silentium apud ecclesiasticos scriptores. Id fuit in causa, ut ejus Acta ederemus in lucem, tametsi ea ex omni parte sincera præstare non ausim. Non enim placet (ne quid dissimulem) Anulini Proconsulis mortis genus, tempusque; non* Pagani *nomen ab ipsis etiam paganis sensu nostro usurpatum; non denique sententiæ in Martyres prolata summa Cætera fere genuina videntur (si quasdam veteris codicis mendas excipias) non parum conducentia ad historiam Africanam. Haud scio an recta sit lectio, quæ habet* Alexandrium Comitem *sub Anulino. Ante Constantini tempora hi dicebantur* Comites, *qui Proconsules Præsidesque in provincias prosequebantur officii gratiâ, ut probat Alteserra in cap. 2 de Ducibus & Comitibus. Itaque Alexander (sic enim legendum puto) Comes erat sub Proconsule Anulino. Anulinus verò alius est ab Anulino illo, qui Prætorio præfectus erat eo tempore, id est anno* CCC VII. *quo tempore Zosimus Severum Cæsarem à Maximiano Herculio necatum tradit. At si idem est Anulinus Proconsul in his actis, qui Miltiade Pontifice sub annum* CCC XI. *causam Cæciliani Episcopi Carthaginensis detulit ad Constantinum Imperatorem, probari non potest id, quod de ejus interitu in his Mammarii actis legitur. Denique in passione sancti Maximiliani, quam in hujusce libri Appendicem retulimus, Anulinus nominatur Consul unà cum Tusco, nimirum ad annum Christi* CC XCV. *qui si idem est (ut quidem videtur) cum Anulino Proconsule, dicendum est unum eumdemque Anulinum ab anno sequente (nam* quo quique anno Consules fuissent, sequenti Proconsules remanebant, *ex Fenestella) ad annum minimum* CCC XI *Proconsulem fuisse. Cæterum Mammarium presbyterum Donatistam cum nostro confundere non licet: cum noster passus sit sub Anulino Proconsule anno Christi* CCC IV. *eodem anno quo Felix Episcopus Tubyzacensis: ille verò ad annum mi-*

nimum CCCXIV pervenerit, ut docet epistola tractatoria apud Baronium relata ad ipsum annum, num. LXX.

Mammarium excipit Passio benedicti martyris MARCULI, quem titulum ex veteri codice retinuimus, tametsi forsan satius fuisset alium substituere, nempe de Marculo Donatista, ne verus Martyr primo conspectu censeatur. Ejus historiam, adeoque Macrobii Donatistæ epistolam de nece Maximiani & Isaacii ejusdem sectæ hominum, retulimus ad illustrandam illius temporis historiam Africanam, non ad affingendam ejusmodi actis omnimodam auctoritatem: quæ si quis attentè perlegerit, næ ille in eis Christianam simplicitatem, pias brevesque, sed caritatis igniculo ferventes responsiones, aliaque id genus, quæ in sinceris catholicorum Martyrum gestis relucent, indicia desiderabit. Porrò qui de Isaaco & Maximiano scripsit Macrobius Donatista, idem esse videtur Macrobius ille Episcopus, cujus meminit Optatus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 5. & ipse Martyr perperam dictus in fine epistolæ suæ.

Digniora sunt quæ legantur ACTA THEODORITI martyris, itidemque PHILIPPI Hadrianopoleos in Thracia Episcopi: etsi hujus gesta præferenda videntur, quæ tamen medica manu quibusdam in locis indigent, id est subsidio alterius codicis paullo emendatioris.

De reliquis quæ subsequuntur Opusculis pauca hic observanda supersunt præter ea, quæ suis locis adnotavimus. Apud Baronium serius deprehendimus editam AVITI Presbyteri epistolam ad Palcoonium, qui in ante excusis Falconius appellatur; & Confessionem ARMENII & HONORII Monachorum ferè integram invenimus sub Ambrosii nomine apud Vigilium Tapsensem in lib. 2. contra Palladium cap. 6. Sed hæc leviora fortasse, quàm ut observari hoc loco debuissent.

Post Hieronymi Vitam, quæ in editis miserè deformata, atque indignis fabulis respersa est, sequitur de AREDII ABBATIS gestis libellus, quem Gregorio Turonensi Episcopo tribuit vetustissimus codex monasterii sancti Galli. Quædam tamen loquutiones à Gregorio Magno & sancto Benedicto acceptæ in eo reperiuntur: quod ut ad elevandam veteris codicis inscriptionem non sufficit, sic omninò dissimulandum non erat.

His succedunt VETERES FORMULÆ ANDEGAVENSES, principatu Childeberti Regis in unum corpus digestæ. Id de Childeberto, non tertio, sed de primo vel secundo interpretandum esse ostendimus suo loco. Verùm eas ad Childeberti primi tempus revocandas esse illud argumento est, quòd nulla fuerit Childeberti secundi apud Andegavos auctoritas, sed apud Austrasios. Cum ergo Formulæ illæ annis Childeberti Regis insigniantur, nec ad Childebertum secundum tertiumve referri possint; consequens est eas Childeberti primi tempori & principatui esse assignandas. Itaque hæ Formulæ antiquitate præstant Marculfianis, quas nonnisi subsequenti sæculo conditas fuisse compertum est. An verò nostræ in Marculfi notitiam venerint, incertum est. Etsi enim plerosque titulos Marculfus consimiles habeat; quædam tamen formulæ singulares in nostrâ collectione occurrunt, quales apud Marculfum desiderantur. Hujus generis sunt forma judicii ab ipso statim exordio descripta: formula de sanguinolentis: quo nomine significantur infantes recens ex utero fusi: qui cum ad ecclesiam expositi fuissent, in matriculariorum potestatem ita redigebantur, ut eos venumdare ipsis liceret. Ejusmodi autem formulæ desunt apud Marculfum, uti & illa, quæ est de matrimonio dissolvendo ex mutua conjugum voluntate, cum non bene inter sese convenirent: quod Christianis nefas esse post canones Africanos meritò asserit Pirminius Abbas in libello, quem in Appendicem hujusce libri retulimus. Has formulas rei Francicæ studiosis non ingratas fore speramus, quantumvis inculto sermone scriptas: imò ex hoc fortasse jucundiores futuras, cum & id ad priscum gentis nostræ genium pertineat; & condimenti quædam loco sit studiosis hæc ipsa, quæ ad vulgi captum accommodata erat, semilatina barbaries.

Non hic ex ordine referimus alterius generis scripta quæ sequuntur, Alcuini epistolas numero viginti sex, aliasque aliorum auctorum: in quibus epistolæ duæ insignes contra Berengarii perversam doctrinam: & post aliqua, BREVIS NARRATIO de sancti Benedicti corporis translatione in Galliam, ab æquali auctore Germano litteris consignata: cui Paulus Diaconus & ipse monachus Casinensis, ac scriptor Italus, qui vitam sancti Adalberti Pragensis Episcopi ab annis ferè septingentis scripsit, disertè adstipulantur.

Sed in primis Romanæ historiæ studiosis placebit, ni fallor, vetus collectio INSCRIPTIONUM ROMANARUM: ex quibus non parum lucis accedet nonnullis rebus in Romanâ antiquitate etiam nunc obscuris. Hinc enim discimus nomina liberorum Marci Aurelii Imperatoris; hinc nomen Vestinii Mystæ Alexandrini, ejusdem urbis Museo præfecti, quem Hadrianus Imperator, ille curiositatum omnium (ut cum Tertulliano loquar) explorator, aut certè Trajanus, Romam acciverat ad curandas Bibliothecas librorum, cùm Latinorum, tùm Græcorum. Erant illæ Bibliothecæ Ulpianæ, à Trajano Romæ, teste Dione, exstructæ: quas forsan libris græcis auxerit Hadrianus, & ipse græcis studiis impensiùs imbutus, inquit Spartianus, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut à nonnullis Græculus diceretur.

Post alia opuscula, quibus percensendis non immoramur, librum hunc claudent VARIÆ OBSERVATIONES, ex mss. codicibus Germanicis ortæ, ex quibus non parum lucis vetustis quibus-

dam auctoribus accessuram speramus. Quid vero de Liturgiâ seu Missâ Gallicanâ in itinere nostro invenerimus, propediem palam faciet Commentarius hoc de argumento singularis. Nobis porrò præclarum laboris atque itineris nostri fructum retulisse videbimur, si hæc res publicæ Christianæ tantisper utilia esse intellexerimus.



ORDO NOVÆ EDITIONIS.

INDICULUS
VETERUM ANALECTORUM
TOMI PRIMI.

PROSAICA.

POETICA.

EPITAPHIA
Principum & illustrium personarum.

INDICULUS TOMI II.

PROSAICA.

ANALECTA POETICA.

EPITAPHIA.

INDICULUS TOMI III.

INDICULUS TOMI IV.

Indiculus Veterum Analectorum.

EPISTOLÆ TEGERNSENSES, numero X X.

ELENCHUS
CONTENTORUM
IN HAC NOVA EDITIONE
VETERUM ANALECTORUM.

Form.

Elenchus contentor. in hac nova Edit. Veterum Analectorum.

Elenchus contentorum

R. P. D. JOANNIS MABILLON Opuscula.

ACCESSERE.

CESSION DU PRIVILEGE DU ROY.

JE soussigné CHARLES ROBUSTEL Libraire à Paris, reconnois qu'en vertu du Privilege du Roy que j'ay obtenu le 18e Juillet mil sept cent vingt, pour les Ouvrages du P. Dom Jean Mabillon; j'ay cedé à Mr FRANÇOIS MONTALANT mon droit audit Privilege pour les deux Ouvrages seulement de cet Auteur, intitulez, l'un: *Vetera Analecta*; & l'autre: *Museum Italicum.* pour en jouïr comme à lui appartenans, sans prejudice du droit que je me suis reservé pour les autres Ouvrages de cet Auteur. A Paris le 4e Juillet mil sept cent vingt-trois.

Signé, CH. ROBUSTEL.

Registré sur le Registre V. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 348, conformement aux Reglemens, & notamment à l'Arrest du Conseil du 13 Aoust 1703. A Paris le 11 Septembre 1723. *Signé*, BALLARD, *Syndic.*

T:NERIS

ITINERIS GERMANICI

DESCRIPTIO.

ITER Germanicum, quod ego sociusque meus Michaël Germanus nuper confecimus, ita publici juris haberi cœpit, ut ejus descriptionem flagitantibus denegare penè improbum ac iniquum videatur. Nil juvat quod contrà obtendimus, itinera nostra tanti non esse, quæ publicam lucem mereantur; cæterum in illo Germanico vix quidquam reperiri, quod tantâ exspectatione dignum censeri possit. Reponunt quippe illi, hoc qualecumque est, publicâ auctoritate publicosque in usus susceptum, id postulare, ut ejus rationes reipublicæ litterariæ aliquando reddamus: ne plùs apud nos valere credatur inurbanus pudor, quàm ejus, qui nos ad hoc iter induxit, gratia & auctoritas. Regiam ipsi interponere non dubitant, quasi ii simus, qui possimus tanti Principis vultum & oculos vel tantisper morari.

Quamquam ita dici, ita prædicari volebat istius itineris proxeneta ille munificus, qui nihil ad Ludovici Magni gloriam non agebat. Is sive ex libris, quos identidem ipsi offerebamus, sive ex amicorum, qui propiùs ei adhærebant, relatu, cum non nihil utilitatis in rem litterariam ex aliis itineribus nostris provenisse crederet; in animum induxit pro suâ in litteras caritate, ut Germaniæ bibliothecas perlustraremus, non alio sanè consilio, quàm ut inde aliqua monumenta in publicam utilitatem erueremus. Nemo non intelligit hunc esse illustrissimum Joannem Baptistam Colbertum, quem mors inopinata è vivis eripuit cum adhuc in itinere Germanico versaremur. Hujus itineris seriem dum jussi exponimus, nullus alia præter litteras ac libros quærat in hac narratione: quæ si jejuna & ingrata videbitur, fortasse litterarum amore, aut certè grati in tantum virum ac memoris animi professione approbata erit.

Anno 1683. PROFECTURIS in Germaniam seu Alamanniam, quia totam percurrere non licebat, eas partes adire visum est, in quibus superessent bibliothecæ insigniores. In primis excitavit nos ad videndum Sancti-Gallensis, Augiensis, Augustanæ duæ, nempe bibliotheca S. Udalrici, & publica; Ratisponensis sancti Emmerammi, & Tegernsensis in Bajoariâ, de quibus quamdam antea notitiam habueramus. Itaque ad Helvetos, Suevos & Bajoarios iter instituimus tum maximè, cum intempestiva omnia videbantur: multus undique bellicus fragor & apparatus, Germanorum iræ de Argentorato expugnato, & super his Turcici exercitûs in Pannoniam debacchatio: ne quid dicam de obsidione Viennensi, quæ accidit nobis jam in itinere constitutis. Hæc cum ita se haberent, intimus quidam amicus è nostris, Prior sancti Georgii Villingæ ad Silvam-nigram, itineris nostri accepto consilio, litteras ad me dedit die nonâ Junii scriptas, in quibus hæc inter alia. *De itinere tuo quid? Olim ubique exspectatissimus advenisses: nunc aliter, non propter te, sed propter tempora. Si tempestas aliquando deferbeat, ingredere in gaudium, in brachia sodalium tuorum. Omnibus solatium erit vel conspexisse tantum virum.* Sic ille sentiebat, plus amicitiæ tribuens, quàm me deceret vel referre. Insuper remoram adjiciebant non satis integra utriusque nostrum valetudo, linguæ Germanicæ ignoratio, & aliæ res, quas commemorare singillatim parum interest.

Nihilominùs iter ingressi sumus die ultimâ Junii, Vesontionem rhedâ publicâ vecti intrà novem dies, consortio interim usi Divionem usque humanissimi viri domini Girardi, cui Ludovicus Granatensis hoc debet, quod Gallis non minùs placeat quàm Hispanis. Vesontione per biduum moram egimus, in sancti Vincentii monasterium hospitio humanissimè accepti à R. P. Hieronymo Coquelino Priore ex Benedictinâ Congregatione sancti Vitoni. Alterâ quàm accessimus die omnibus honoris ac benevolentiæ officiis nos prævenit ejusdem loci Abbas Joannes Baptista Boisotus, ex illustri illius urbis familiâ, qui non solum museum ac bibliothecam suam nobis reseravit, sed etiam quæque in eâ civitate visu digna erant, nobis commonstrari curavit.

Est hæc Sequanorum metropolis ad Dubim * fluvium sita, undique prope obsita montium jugis: quorum in uno, cui Cælio nomen est, arx urbi imminet, loci positu atque arte munitissima, præaltæ rupis abrupta latera pro muris, fluvii alveum pro vallo habens. Ibi nobiles adolescentes, quos regios pueros vocant, instituuntur ad virtutem & bellicas artes: quarum egregium specimen sub Regis oculis dederant ante paucos quàm illuc accederemus dies. In hujus montis declivi constructa erat sancti Stephani ecclesia major, ab Hispanis subrui cœpta ad præsidium loci, nunc penitùs excisa: cujus vicem præstat, quæ secunda Canonicorum sedes erat, sancti Joannis Evangelistæ ecclesia, ubi modò sacrum linteum, quo Christi mortui involutum corpus traditur, religiose asservatur. Urbs ipsa in Regis Christianissimi potestatem venit anno MDC LXXIV. sanè perquam elegans, antiquis Romanorum monumentis insignis, quæ in Vesontione Chiffletii observari possunt. In eo tamen libro desiderantur duplicis marmoris nuper effossi inscriptiones, quarum una præcipua sic habet:

* L. Doux.

DEO. MERCURIO. CISSO
NIO. DUBTERATIA. CASTULA
NATIONE. SYRIA. TEMPLUM
CONLABSUM. DENUO. DE. SUO
RESTITUIT.

Hoc marmor, quod prope amphitheatrum Vesontionense erutum est, nunc in Museo Boisoti jam laudati Abbatis visitur cum alio item marmore, variisque cimeliis & numismatibus, quæ hîc recensere non vacat. Inter ejusdem libros multi sunt ex bibliothecâ Granvellanâ, quidam etiam codices elegantissimè scripti, ex Budensi bibliothecâ Mathiæ Corvini Hungariæ Regis in Granvellanam transportati. In editis libris inscriptiones non dorso librorum,

ut sit apud nos, sed compressis, quà parte explicantur, folus appositæ sunt: quem morem in plerisque Germaniæ bibliothecis deprehendimus. Ex Budensibus insignea sunt membranei codices *Lactantii de Religione*, *Titi Livii* secundum volumen ex tribus, quorum alia duo ex Florentino exemplari descripta sunt anno M CCCC XXV. Omitto libros variis linguis scriptos, in quibus *Christinæ Pisanæ de Politiâ* Gallici libri tres, olim impressi. Vivebat apud Gallos regnante Carolo V. Christina, cujus Marotus in quodam epigrammate ad Joannam Gaillardam Lugdunensem meminit. Præclara admodum fuit ista Granvellanæ bibliothecæ libraria supellex: quam sanè præferrem magnifico ejus nominis palatio, in cujus hortis Jovis effigies insignis visitur, ex Vinea Mediceorum eo translata. Vidimus etiam apud quemdam bibliopolam plurimos, sed levioris momenti, libros olim cathedralis ecclesiæ, missales (ut vocant) & chorales, qui ad librorum compactores damnati sunt. Eamdem fortunam Pontificalis ejusdem ecclesiæ liber, jussu Caroli à Novo-castro Archiepiscopi ante annos ducentos eleganter scriptus, jam subiisset, nisi medicus, quem penes est, has membranas carius vendere vellet: quas ne quidem duorum aureorum pretio (nam quatuor postulabat) ex ejus manibus eripere potuimus. Hæc fortuna fuisset veterum librorum omnium, nisi Deus aliam mentem in quorumdam Studiosorum mentes hoc ævo inspirasset.

Die 12. Julii humanissimis hospitibus nostris actis ex animo gratos, Basileam versùs iter instituimus, paullulum à rectâ viâ declinantes, ut Luxoviense Monasterium, famâ & religione celeberrimum, adiremus. Eo deduxit nos R. P. Fulgentius, qui res Congregationis sancti Vitoni tunc procurabat in Senatu Vesontionensi. Hujus suasu tantisper deflexi- mus ad Faverniacense * Monasterium, olim feminarum, quarum Abbatissæ litteras Bernardus Abbas Claravallensis scripsit, postea virorum ab annis quingentis: quo tempore monachis Casæ-Dei ab Anserico Pontifice is locus traditus est, modò sub Congregatione sancti Vitoni. In eo Monasterio nihil ferè singulare, præter unam ex duabus hostiis sacris, quæ, cum anno 1608. in festis Pentecostes altare ex cereorum accensorum flammâ totum arsisset, in sublime divinitùs elatæ perhibentur, eoque pactu ab igne penitùs intactæ: quarum una Faverniaci reservata, altera Dolam translata est. Hoc de miraculo quidam hoc distichon cecinit.

* Favernay.

Impie, quid dubitas hominemque Deumque fateri?
Se probat esse hominem sanguine, & igne Deum.

Hoc in disticho mentio injicitur de alio miraculo Divione patrato, cum, Judæo quodam sacram hostiam nefariè lancinante, hostia sanguinem reddidit. Ineunte sæculo octavo, ut perhibent, Godolia Faverniaci Abbatissa erat, cujus tempore Bertharius & Attila martyrio affecti sunt in proximo vico Menulfi *. Joannes de Burgundiâ domicellus, frater Ottonis Burgundiæ Comitis, sepultus est in Ecclesiâ monachorum anno 1373. Faverniacum alluit Lantena * fluviolus, qui in Ararim unâ leucâ inferiùs devolvitur.

* Menoul.

* la Lanterne.

Julii die 14. Luxovium * pervenimus, Columbani ejusque discipulorum sanctitate insigne. Ibi omnem humanitatem experti sumus à R. P. Priore domno Hieronymo Pichone, jam pridem nobis noto & amico. Monasterii Ecclesia & claustrum aliquam antiquitatem præferunt: cætera ædificia recentiora. Situm est ad Bruscionem * amnem, in loco satis amœno, aëre salubri, ubi thermæ hactenùs habentur, ab antiquis etiam celebratæ. In ecclesia principe exstat absque inscriptione tumulus, super quatuor lapides erectus ad navis dexteram partem, in quo Angelomus monachus jacere traditur, commentario in libros Regum notus. Cernitur prope majorem ecclesiæ portam phatus, quam Laternam vocant, cujus omninò consimilem vidi aliquando in Bonævallensi monasterio apud Carnutas. Ea usui fuisse videtur in gratiam eorum, qui noctu ecclesiam frequentabant. Sanctus Waldebertus Abbas loci tertius sepultus fuit in oratorio sancti Martini, quod quondam unum ex monasticis oratoriis, nunc Luxovii oppido continetur. In sacrario asservatur egregius codex Evangelia complectens, tempore Gerardi Abbatis, cujus nudum in indicibus nomen sine temporis notâ occurrit, eleganter exaratus, uti fidem faciunt hi versus ad Evangelium S. Marci:

* Luxeu.

* la Brusse.

Auxilio cujus pius auctor codicis hujus
Abba GERART *vivat, anima & de morte resurgat.*

Tum in fine adduntur alii, quibus hunc librum sancto Petro Luxovii Patrono vovet.

Luxovii pastor GERARDUS, *lucis amator,*
Dando Petro librum, lumen mihi posco supernum.

In Capitulari Evangeliorum, quod eidem codici de more subjicitur, nulla mentio de Annuntiatione, Nativitate beatæ Mariæ, & festo omnium sanctorum. Feriâ verò secundâ post Dominicam secundam Quadragesimæ *in Vestina*, rectiùs quam in Kalendario Frontonis, *inter Vestinâ*, ad exprimendum ecclesiæ titulum, ubi ipsâ die statio erat. Dominicâ quartâ Quadragesimæ *in Susurio*, quæ aliis *in sancto Laurentio*. Inter paucos bibliothecæ reliquos codices insignis est præ cæteris unus, litteris Francogallicis ante annos mille conscriptus: in quo Epistolæ & Evangelia per annum, secundùm priscum Ordinem Gallicanum, integra referuntur. De hoc codice alibi dicendum uberiùs, uti & de alio qui Clemangii opera complectitur.

Luxovio discedentes, adjuncto nobis reverendo Patri loci Priore, primo excepit Lutrense * monasterium (quod ante paucos dies Rex hospitio suo dignatus fuerat) nobile quondam, nunc Murbacensis Appendix, ubi quinque monachi Germanici versantur ex cœtu Murbacensi. Locus aquis circumductis, validis muris, & propugnaculis munitus; ecclesia vetustatem præferens, in quâ duo ingentis molis tumuli visuntur, unus sancti Deicoli Abbatis primi, alter Columbini ejus discipuli; ambo nuper illuc cum utriusque sancti reliquiis allati ex proximâ sancti Deicoli ecclesia destructa.

* Lure.

Lutrâ relictâ, ingressi sumus superioris Alsatiæ pagum Suntgoviensem: tuncque primum mores ac linguam Germanicam in subditis Gallicis offendimus. Occurrit nobis in itinere oppidum *Befort*, tum *Altkirk*, quod veterem ecclesiam fovat: ubi residet Vicarius Generalis Episcopi Basileensis, qui ipse Bruntruti * versari solet, cujus loci dominium ad ipsum spectat, ecclesiastica ditio ad Archiepiscopum Vesontionensem. Post oppidum *Befort* occurrit etiam ecclesia beatæ Mariæ de Vallibus, olim Ordinis nostri Prioratus, qui Patribus Societatis Jesu ex Alsatiæ oppido Ensishemio modò attributus est.

* Porentruy

Julii 17. Huningam * pervenimus, & relictis in meritorio hospitio sarcinolis, clarissimum arcis gubernatorem salutaturi convenimus. Ille verò nos familiari suâ comitate exceptos, triduo apud se remanere jussit. Paruimus non inviti, ut spatium videndæ Basileæ haberemus. Quid verò humanitatis atque honoris per illud tempus ab illustri Marchione experti simus, nemo credat, nisi cordatum

* Huningue.

optimi ac generosi animi pectus noverit. Huninga, priùs exiguus vicus, nunc oppidum munitissimum, Rheno in æquabili planitie impositum, Basileâ vix mille passibus distans, Ludovico Magno auctore gloriatur, qui, non sine vicinorum invidiâ, illud ad Alsatiæ præsidium constructum voluit. Primum loco Rectorem præfecit Marchionem Puteolensem, ex Silleriaco Brulartiorum genere perillustri: quoniam eum esse noverat, qui Basileensium suspicione curatâ, ab omnibus amaretur, & pro suâ virtute ac fide locum ab hostibus tutum præstaret.

Postridie quàm istuc accessimus, commodatis equis (nam conducticios remiseramus) Marchio nobis auctor fuit, ut monasterium beatæ Mariæ de Petrâ, quod ante paucos annos à nostris excultum, nobis prorsùs ignotum erat, religionis causâ adiremus, ejus loci Abbatem de instituendo itinere consulturi. Id situm est inter excelsas alpes, duabus leucis à Basileâ civitate, uno lapide ab arce Lanfronia*. Illuc summo mane contendimus, Dominicâ die sacra facturi in frequenti peregrinantium asylo: ubi Gallicanâ prorsùs humanitate excepti sumus à reverendissimo domino Augustino, Beinvillensis prope Solodorum* monasterii Abbate, qui hunc locum à multis expetitum ad monasticos usùs composuit, ornavit, & xenodochio præclaro instituxit. Postquàm Missas privatas peregimus, sacrum solemne musicâ perpetuâ celebratum est, instrumentis musicis cum vocibus & minori (quod vocant) organo simul concinentibus. Prandio facto, bibliothecam lustravimus, sed nullos scriptos codices invenimus, præter unum aut alterum, in quo multi sermones in Concilio Basileensi habiti referuntur, omnes ferè inediti, sed planè luce non digni. Unus inter alios est Prioris sancti Benigni apud Divionem, alii privatarum personarum. Colloquio de itineris nostri ratione habito cum humanissimo Abbate, litterisque ad Helvetica monasteria commendaticiis ab eodem acceptis, cum multâ gratiarum actione Huningam revertimur.

* Lanfron.

* Soleure.

Posterâ die Basileam ingressi, primò bibliothecam publicam adivimus sub auspiciis illustris Marchionis, qui à Basileensibus non secùs colitur, quàm proprius eorum Præfectus. Omnia nobis humanissimè propalavit eruditus Buxtorfius, Joannis filius, ipsius bibliothecæ curator. In eâ servantur plurimi codices scripti, cùm Græci, tùm Latini: in his *quatuor Evangelia græcè* ab annis circiter mille exarata; *Gregorii Nazianzeni opera græcè* cum commentariis Eliæ Cretensis & egregiis picturis, quæ priscos habitus episcopalem, sacerdotalem, & sæcularem exhibent. *Chrysostomi* varia item opera, ac *Petri Blesensis epistolas* non semel habet hæc bibliotheca, in cujus exedrâ amplissimâ habitus est primus conventus Concilii Basileensis. Ibi etiam legimus holographum Erasmi testamentum, cujus Erasmi sepulcrum cum epitaphio cernitur in navi majoris ecclesiæ ad ambonis sinistram partem; secùs eum locum, ubi Calvinistæ sacra sua faciunt, nempe ad vestibulum, quo ex navi aditus erat in chorum. Integra sunt in choro & sanctuario omnia, quod in Ultrajectinâ ecclesiâ maximè probavit magnus Peireskius, teste Gassendo. Oecolampadius tumulum habet in peristylio seu claustro (quod vocant) majoris item ecclesiæ, intolerandæ impudentiæ titulo donatus, cum *primus in eâdem urbe evangelicæ doctrinæ auctor*, & *templi istius verus Episcopus* appellatur. Ex cathedrali ecclesia in ædes divertimus elegantissimas domini Fæschii Senatoris Reipublicæ Basileensis, qui nos multâ humanitate excepit, comitante semper erudito Buxtorfio. In inferiori ædium parte visitur bibliotheca optimis referta libris, cùm editis, tùm scriptis: quos inter alii sunt Isidori, alii Bedæ, plerique vetustissimi. In superiori parte cimeliarchium omni rerum curiosarum genere locuples. In urbe id singulare, quod horologiorum horæ singulæ singulas nostras unâ prævertant, ita ut Basileensium prima sit nostra duodecima, & sic de aliis consequentibus, nullâ certâ ejus diversitatis ratione. Paulus Hentznerus in Itinerario suo anni 1597 meminit hujus rei singularis. Matres-familias in publico raræ, numquam in conviviis, tantum-non ancillantur. In minori Basileâ, quæ majori jungitur ponte Rheni sublicio, ante motus Helveticos insignis Cartusia exstabat, ex quâ multi codices in publicam illam, quam superiùs descripsimus, bibliothecam transpositi sunt. Duos tantum notare juvat, unum qui Guigonis statuta continet, alterum qui vitam sancti Brunonis, incipientem ab his verbis: *Quod Sapiens exhortationis gratiâ dicit, &c.* In fine hæc leguntur: *Frater Ludovicus Moser, monachus professus hujus vallis beatæ Margaretæ Basileæ Ordinis, hunc transsumsit ex chirographo patris Henrici de Alveldia, ejusdem domus quondam Prioris anno 1486. 18. die Aprilis, anno præfati patris Henrici in Ordine Cartusiensium 50.* Hæc idcircò notare visum est, quod in eo libello agatur de funere famoso illius Doctoris Parisiensis. Duabus suprà Basileam leucis ad Rhenum olim stabat Augusta* Rauracorum, antiqua Episcopi sedes.

* Augst.

Julii 21. illustrissimi Marchionis & reverendissimi Abbatis Augustini litteris muniti, comparatis equis, Huningâ discessimus, & Basileam transgressi, Germanicum solum terere cœpimus; in posterum ad tres ferè menses moribus nostris & linguæ nativæ valedicturi, Germanicis Helveticisque assuefaciendi, quorum hæc summa est. Ubi in aliquod diversorium venitur, hospes & hospita, datâ salutantis dexterâ, hospites sibi gratissimos advenisse testantur. Tum subeundum triclinium, in quo tanta passim in æstate muscarum propter hypocaustum, ubi per hyemem latitant, copia & importunitas, ut flabello sint abigendæ. Nec minùs molestus tabaci graveolentis fœtor. Hîc sæpius quod nolint, quàm quod velint refecturis ingeritur. Panis ingratè cervisiâ & feniculo conditos: obsonia pro more gentis pipere aliisque ejusmodi salsamentis infarta. Omnia accuratè in tabellâ describuntur. Lectorum forma Gallis insolens, corpore quidem brevior, multis cervicalibus congestis, ut sedenti quàm jacenti similior videare. Nec commodior lectorum apparatus: cum etiam æstate pro levi stragulo gravis culcitra plumis fœta sustinenda sit. De cætero omnia satis nitida & munda, & in quovis Catholicorum triclinio semper eminet exstans Crucifixi effigies. Ad singulas domorum & cubiculorum jannas affigitur titulus, quo mentem sanam & puram, honorem Deo, & patriæ liberationem precantur, sanctam Agatham appellando, quam contrà incendia patronam agnoscunt. Exituris hospes qui adventantibus ministrare solet, expensarum tabulam offert cretâ descriptam: tum singula in rationes immurmurando redigens, summam conficit, à quâ ne scrupulo quidem dissidere impunè licet. Tanta est gentis religio & æquitas. Discessuris *in amorem sancti Joannis* propinari mos est.

Hæc præmittenda fuere ad novum iter, quod nobis primâ die non planè jucundum fuit. Nam cum Basileæ ponte (quod nobis male vertit) transmisso, Rheni oram sursum legentes, ad Rhinfeldæ* urbis Cæsari addictæ portam venissemus; rogatâ transmeandi facultate, itum sæpiùs & reditum ad Gubernatorem, à quo nullo pacto, nullis precibus

* Rhinfeld.

hanc facultatem extorquere licuit nobis, interim fervente sole per duas horas ad primas urbis excubias substitimus. Sic nos pœnas dedimus allusûs urbi illi nuper à nostris facti, Gubernatoris memores iras coacti ad solem devorare. Alio itaque tentandus Rheni transitus, (nam Badam Helvetiorum cogitabamus) & Sekingas * usque procedendum, oppidum extremo bello valde afflictum, cujus pons igne Gallicano conflagravit. Ibi collegium est nobilium domicellarum seu Canonicarum octo cum Abbatissâ, Principis titulo insigni, & quatuor Canonicis, in ecclesia sancti Fridolini Abbatis, qui ibi præcipuâ religione colitur. Inde Rheni transitu à trucibus nautis vix impetrato, post arduum montem superatum, hospitium nobis præbuit Calvinistarum oppidum *Brouc* dictum, sub pagu seu cantone Bernensi, ad Arolam * fluvium.

* Seckingen.
* l'Ar.

Sequenti die trajecto Rusa * fluvio, accessimus Badenam * seu Badam, Diatâ cantonum calidisque thermis celebre oppidum ad Limagum, ubi Helvetiorum comitia tunc habebantur. Mox audientiæ gratia ab excellentissimo Regis Legato domino Gravelio impetratâ, litteras ipsi à Marchione Puteolensi porreximus, & ex ejus favorabili responso intelleximus, nos etiam aliunde ipsi fuisse commendatos. Id verò probavit maxima ejus in nos humanitas, quos non solùm in mensam privatam secum admittere dignatus est, sed etiam in publico hospitio liberaliter excipi jussit. Istius oppidi ædificia elegantia sunt, præsertim ædes cantonis Bernensis, omnes albicante gypso passim cum picturis, ut in aliis Germaniæ oppidis, decoratæ. Ecclesia præcipua beatissimæ Virginis assumptæ sacra est. In eam convenimus die festo sanctæ Magdalenæ ad concionem, tametsi linguæ prorsùs ignorantes, ut ritus patriæ observaremus. In primis concionator Capucinus integrum festi Evangelium idiomate vulgari ex libro perlegit, omnibus auditoribus in pedes stantibus cum magnâ reverentiâ, non promiscuo sexu, sed discreto. Deinde sedentibus post lectum evangelium omnibus, concionem solemni more instituit, nisi quòd angelica salutatio à sedentibus recitata est. Aliud item in illâ ecclesiâ observavimus, nempe Baptisterium in superiori navis parte ad aquilonem positum sub effigie columbæ suspensæ, exemplo ducto à Christi Domini baptismo, in quo Spiritus-Sanctus sub formâ columbæ spectabilem se præbuit.

* la Rus.
* Baden.

Eodem die ad vesperam à nobis lustratum est Ordinis Cisterciensis cœnobium, Maris-stella primitùs appellatum, aliàs Wettingense à proximo vico, vix mille passibus à Bada, anno 1227. erectum ad Limagum fluvium. Salutato reverendissimo Abbate, inter istius asceterii viros religiosos unum vidimus Josephum Meglingerum, virum doctum & modestum, qui nobis duos libellos à se scriptos editosque amicè concessit, ipse auctor & typographus. *Annus Cisterciensis* est, in quo gesta præcipua sanctorum ac piorum Cisterciensium monachorum elegantissimè referuntur. Ejusdem est *Iter Cisterciense*, quod composuit occasione Capituli generalis Cisterciensis anni 1667. ad quod ipse profectus est. In exteriori ecclesiæ sinistro latere visitur sepulcrum Alberti I. Romanorum Imperatoris, cujus corpus postea Spiram jussu Henrici VII. delatum est.

In ecclesiâ eximium nitorem & decorem omnia spirant, longè certè majorem quàm basilicæ nostrates. Hoc discrimen in suo Itinere advertit Josephus mox laudatus, scribens se Divione grandia quidem templa vidisse, sed parum exposita. » Summum altare, inquit, ferè omnem totius templi decorem » continet: reliquarum partium obscuritas, aranearum telæ, & neglectus ubique cultus has sacras ædes longè infrà Germanæ pietatis sedulitatem ponunt, quorum templa ad quamdam cœlestium mansionum invidiam Numinis honori parantur. Quippe Germani maximè in hac elegantiâ, & in multiplici vocum & instrumentorum variorum concentu pietatem locant, quæ nos pietatis impedimenta Galli reputamus. De musicâ musicisque instrumentis loquor: nam optandum esset, ut ille ecclesiarum nitor ita apud nos vigeret, ut apud Helvetos & Germanos musices amor.

Badam ipsâ die reversi crastinâ inde discessimus, instructi litteris excellentissimi Oratoris ad varias Germaniæ personas illustres, & ex ejus mandato deducente nos domino *le Baron* Diætæ Secretario, in Murense Ordinis nostri monasterium pervenimus, quod à Wernbero Argentinensi Episcopo constructum est anno 1072. Distat hic locus à Badâ sex horarum itinere, in quo Mulinga, & Brimaguardia oppida ad Rusim occurrunt. Ab hoc amne uno horario milliari dissitum est monasterium, *Moury* vulgo dictum, in diœcesi Constantiensi, loco pro regione satis amœno & jucundo, ubi degunt monachi quinquaginta sub Congregationis Helveticæ accuratâ disciplinâ. Eximia fuit in nos optimi Abbatis Hieronymi benevolentia & humanitas, cui omnium religiosorum sollicita & sedula caritas accessit. Ex ejus cœnobii monumentis anno 1618. vulgatæ sunt *Origines Murensis monasterii* cum genealogiâ Principum fundatorum: & anno 1651. prodiit vera *Origo & genealogia Comitum Habsburgensium*, auctore Dominico erudito istius loci Abbate, contrà recentium auctorum fabulas. Priorem libellum tanti fecit eximius Peireskius, ut magnâ contentione repetitisque ad Vicum Regis in has partes Legatum litteris obtinuerit authenticâ formâ actorum exemplum, quod posset inferri in chartophylacium regium. » Adeo » verebatur, inquit Gassendus, ne autographo sinistri quidpiam contingeret. Quin etiam, re jam » in tuto collocatâ, procuravit sollicitè iteratam » editionem tùm actorum omnium, tùm maximè » ejus genealogiæ, quam ne unâ quidem syllabâ ad- » ditâ vel demptâ, redegit in perspicuum schema. » Plura vide sis apud eumdem Gassendum de istorum actorum utilitate ad refellendum Verneri, Guillimanni, & Piespordii commentum de stemmate domûs Austriacæ; probandumque Principes Austriacos serie dumtaxat femineâ, non virili, ut illi fingunt, ad Habsburgicam familiam, mascula verò ad Tiersteinicam pertinere. Integra hæc acta vidimus in Murensi bibliothecâ, & quosdam alios codices mss. quos inter unus est pervetustus, continens post Bedæ librum de tempore Chronicon Reginonis, cum continuatione Hermanni Contracti & Berchtoldi ejus discipuli. Reginonis Chronicon definit ut in editis, annosque Christi adscriptos habet, contra quàm nonnulli de hoc Chronico opinantur, existimantes annorum calculum adjectitium esse. Idem olim, quod in Murensi, advertimus in optimæ notæ codice Gemblacensi. Alius Murensis codex ante annos ferè sexcentos exaratus, continet Martyrologium, & Regulam sancti Benedicti feminis accommodatam. Pingitur initio sanctus Benedictus sedens, cum pedo in manu, atram habens brevem cucullam, togam seu tunicam albam, & calceos subnigros. In Necrologio, quod in sanctorum Kalendario permistum est, multarum illustrium personarum obitus recensentur. In alio Necrologio Murensi notantur etiam Habsburgensis familiæ insigniores personæ. Inter codices recentiores habetur *liber de antiquitatibus monasterii Fabariensis*, Ordinis nostri in Rhœtiâ, finibus Helvetiæ siti, auctore Augustino Stokino Murensi primùm, dein Fabariensi Decano, postmodum

Abbate, qui opus illud composuit anno 1628. ubi multa scitu digna refert. Plura alia scripsit eleganter & accuratè Abbas ille dignissimus.

Muræ illud primum observavimus, quod in omnibus fermè Germaniæ locis observatur, ut unus famulorum propter incendii periculum noctu excubias agat, & singulis ab ignitegio horis, id est ab horâ octavâ in hyeme, nonâ in æstate, quædam verba variis in locis proclamet, ut se vigilem probet. *Audite quid dicturus sim*, inquit ille in æstate horâ nona, *insonat hora nona, extinguite lumen & ignem, ut nos Deus cum Maria tueatur.* In aliis horis significat talem insonuisse horam. Id fit, inquam, propter incendii periculum, quod in Germaniæ partibus maximum est, quoniam abietinis lignis ferè omnia constant, ut etiam in plerisque locis pro tegulis sint asseres abiegni. Quod in memoriam revocat Taciti locum ex libro de moribus Germaniæ. *Vicos colunt*, ait, *non in nostrum morem connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum usus. Materia utuntur ad omnia informi, & citra speciem aut delectationem.* Hanc materiam esse puto abiegnam, ex quâ etiam hodierni Germani stratas publicas sternunt, pontes tegunt, & quid non faciunt? quòd in eorum sylvis hoc unum ligni genus abundet. Sed eorum ædificiis probè convenit quod Tacitus subdit: *Quædam loca diligentiùs illinunt terrâ, ita purâ ac splendente, ut picturam ac lineamenta imitetur.* Illud maximè apud Helvetos itinerantibus molestissimum, quod non solùm singuli singula sua prædia septis circumdant, quæ nemini violare impune licet; sed etiam publicas vias frequentibus repagulis impediunt. Hoc autem vice versâ jucundum simul & commodum, quod frequentes occurrunt fontes, per abietinos tubos & canales deducti, seu in subjectos aquarios truncos, seu in prata irrigua.

Conducto in reliquum iter interprete, Julii 26. Murâ discessimus Einsidlam versus, quæ novem inde horarum itinere distat, ducem habentes R. P. Carolum, juvenum institutorem. Inter eundum vidimus parthenona Cisterciensem, vocabulo *Frauvental*, id est Vallis-Virginis, ad Lorsam; qui amnis defluit ex lacu Tugiensi. Adjacet isti lacui, valde piscoso & amplo, urbs Tugium *, caput Helvetici cantonis cognominis, locus sane amœnissimus. Ibi sacra celebravimus in æde sancti Osvvaldi Anglorum Regis: alia Ecclesia sancto Michaëli nuncupata. Inde recreati Abbatis Murensis liberalitate, subimus arduum montem, ex quo descensus est in subjectam vallem, ubi lacus Aquæ-regiæ * dictus. In ea valle aliisque circumpositis plurima hinc inde cernuntur tuguriola, in quæ rustici fœna sua comportant, cùm ad unum locum propter difficultatem viarum convehere non possint. Singuli rustici plures habent ejusmodi casas, atque in eis stationes vicissim hieme faciunt, cum pecoribus suis promiscuè degentes. Cibus per id tempus caseus, lac concretum, & alia id genus: rarus panis, quòd in ea valle segetes haud nascantur, nec per hiemem facilis sit ex illis latibulis egressus. Hanc vallem præcelsi hinc inde montes cingunt, inter quos Mons *Gubel*, in quo Catholici circiter trecenti hæreticorum millia circiter sex fuderunt. Nec longe à Tugio in pago Tugurino insignis fuit pugna ad Capellense Cisterciensium monasterium, qua in pugna Zuinglius interfectus, ac postea ejus cadaver flammis crematum est.

* Zug.

* Aegri.

Tandem multis montium jugis, & scopulis superatis, ipsa die accessimus ad Einsidlense * monasterium, quod latino nomine Beatæ Mariæ Eremitarum appellatur. Locus est Fidelium concursu percelebris ac religione monachorum, qui ibi numero centum degunt. His præest reverendissimus & illustrissimus Abbas Augustinus Redingus, Congregationis Helveticæ Visitator primus, modestia & religione non minùs, quàm libris editis clarus, ex quibus volumina duo ad refellenda Ministri Tigurini in Baronium objecta, tria de rebus Theologicis in lucem emisit Einsidlensibus typis. Is non modò omnimodam nobis humanitatem & caritatem exhiberi jussit, sed etiam communicari omnia vetera monumenta, quæ in rem nostram facere poterant. Et hoc certè cum multa sedulitate exsecutus est R. P. Placidus, ipsius germanus frater, idemque Theologiæ prælector, qui in ætate non admodum provecta egregios in omni fere scientiarum genere progressus fecit. Majori templo inclusum est primarium beatæ Mariæ sacellum, sanctum Meginradum auctorem habens, quod voti causâ ondique frequentatur. Altare majus Ecclesiæ ex marmore magnificentissimè nunc primum absolutum. Insignis est locus ad sacra asservanda supra capellam beatæ Magdalenæ elegantissimam, in qua pœnitentes sese confessionis remedio expiare solent. In sacra supellectile omne pretium superat Ostensorium, in quo Christi Domini corpus exponitur, totum ex auro, gemmis & lapillis pretiosissimis ornatum. Crux est etiam valde antiqua & procera, in qua Christi effigies quatuor clavis pro more veterum affixa est, adhibitis utrimque in crucis ramis variis reliquiis, cum variis etiam inscriptionibus, quarum hæc una est: *Adalbero & Uto pro Domino de se simul hoc instituerunt.* In Bibliotheca multi sunt exquisiti codices, ex quibus non pauca excerpsimus in consequentibus referenda; quales sunt inscriptiones Romanæ insignes, acta Martyrum authentica, Frovvini in Monte Angelorum Abbatis egregium opus de gratia & libero arbitrio, qui auctor vivebat ante annos fere sexcentos.

* Einsidlem.

Einsidlâ egressi die 30. Julii ad lacum Tigurinum * tendimus, conscenso prius arduo monte, ubi sancti Meginradi eremitæ primaria sedes & ædicula visitur. Ex eo loco prospectus est in subjectum lacum Tigurinum & adjacentem regionem, adeoque in Utnaugiam laci parvam insulam, in qua beatus Adalricus, simulque Regulinda Comitissa mater ipsius habitavit. Trajecto lacu per pontem sublicium uno lapide porrectum, cujus mobiles asseres nullis clavis affixi sunt, Raperschwilan oppidum ex adversa laci parte situm pertransivimus; & facto per duas horas montia excelsissimi ascensu & descensu, sub vesperam devenimus ad Fischingense Ordinis nostri monasterium, comitante nos domno Placido mox laudato: ubi pissimum Abbatem & religiosos monachos, sed nulla fere monumenta invenimus. Locus iste primitus *Piscina*, vulgo *Fischingen*, itemque *Augia sancti Petri* appellatus, sanctam Ittam septimo seculo monasterii conditricem agnoscit. Situs est ad radicem montis Hoerlini, in Comitatu Toggenburgensi, non procul ab antiqua arce cognomine. *Anno* M C XXXVIII. *venerabilis Presbyter Waltrammus Petrishusensis monacus in Patrem & Abbatem electus est, atque consecratus ab* UDALRICO *reverendo Constantiensi Episcopo secundo ad locum Augia sancta Maria, Fiskine dictum. Ipsum ergo novum atque tenuem locum, sed habilem* * *vitalem, & spiritualibus hominibus satis congruum adiens, Dei fretus adminiculo, basilicam sanctæ Mariæ à fundamentis cœpit ædificare, & sex annis piè consummans fecit dedicare. Domicilia tria, Fratribus, sororibus, ac hospitalem ædificavit. Libros verò Missalem, Evangeliarium, Lectionarium, Officialem, Benedictionalem, Antiphonarium, Psalterium, Regu-*

* Zurich.

lam patravit, &c. Ista omnia infra octo annos regiminis sui patravit & acquisivit. Multi pia ejus admonitione ad conversionem venerunt, ex quorum dationibus multiplicitur pane viginti mansibus locum locupletavit. Hæc carptim ex veteri instrumento.

Insequenti die Turgoiam ingressi, reliquimus ad sinistram oppidum Villam, ubi Præpositura est monasterii sancti Galli, ad quod ipsa die accessimus. Ex omnibus Helveticis cœnobiis hoc priorem locum tenet, cujus Abbas Princeps est, uti & Einsidlensis, sed ætate & dignitate superior, totiusque Congregationis Helveto-Benedictinæ veluti caput. Aberat tunc à loco reverendissimus senex, versatus in monasterio sancti Joannis sibi subjecto: sed comperto adventu nostro proximo, mandatum dederat, sua ut bibliotheca & omnia nobis commonstrarentur, quod magna cum humanitate & sedulitate præstiterunt R. P. Subprior, & Pater Hermannus bibliothecarius vir doctus, & linguarum sciens. Ante aditum monasterii oppidum est pervium, modò liberum, satis elegans, totum Calvinistarum, in valle satis amœna, sed angusta, unius muri intervallo sejunctum à monasterio. Urbem claudit ex parte meridiana monasterium, monte ex ea parte constrictum. Porta major duplex: aliam oppidani extrinsecus contra religiosos, aliam religiosi intrinsecus contra oppidanos occludunt. Sequitur area in longum satis ampla, cui adjacent ædes Abbatis & hospitum, Ecclesiæ & dormitorio contiguæ. Ecclesia elegans & nitida, cujus chorus fornicem habet, navis laquear, ut pleræque illarum partium basilicæ. Subaltari majori est crypta Notkeri pietate celebrata. In occidentali basilicæ parte, ubi porta nulla est (quod in multis monasteriis observavimus) sed à latere, visitur alia cryppa, in qua sanctus Otmarus primùm sepulturâ donatus est. Ibi extructum nuper elegans oratorium, cum sacris corporibus Roma recens advectis: quorum ossa, ut fit in illis partibus, continuè disposita, & vittis pretiosis religata, medio vitro spectantium oculis objecto, totam osseam compagem conspicuam reddunt. Ad meridiem locatæ sunt regulares officinæ, adeoque bibliotheca optimis libris referta, cum typographica officina. Omnia modestiam, elegantiam & nitorem spirant, maximè Ecclesia, in qua quæcumque ad sacra pertinent, accuratissimè & religiosissimè præstantur. In omnibus porro Germanicis monasteriis unum habetur Museum, quod vocant, id est amplum ædificium, duplicem habens fornacem, distinctasque solis asseribus cellulas pro religiosorum numero, ubi per totum ferme diem extra officia divina hieme versantur. In refectoriis etiam, quæ humilia & laqueari ornata sunt affabre elaborato & splendido, habentur fornaces ad calorem excitandum. In hoc denique monasterio degunt religiosi centum, præter juvenes religiosæ vitæ candidatos, qui in omnibus Helveticis monasteriis rectè instituuntur sub habitu fere monastico, præter cucullam. Fratres laici barbam promittunt, ut olim, idcirco dicti quondam *Fratres Barbati*. Primus post Abbatem vocatur Decanus, quod nomen in solis monasteriis obtinet, ubi Abbas princeps est, ut Fuldæ, Campidonæ, ad sanctum Gallum, Einsidlæ, & Corbeiæ novæ: alibi vocantur Priores; tertius ubique Subprior. Apud S. Gallum studia litterarum vigent pro religiosis, quorum multi præter Latinam linguas Græcam & Hebraicam callent. Unus ex eis doctissimus Pater Cælestinus ex familia Sfondratensi, in Liguribus clarissima, opus quoddam philosophicum condit, in rebus etiam theologicis & jure canonico versatissimus. Dominus Hermannus bibliothecarius historiam monasteriorum Helveticorum meditatur. Altera quàm istuc accessimus die, Dominica prima Augusti, facta est supplicatio, ad quam magna Fidelium multitudo ex vicinis pagis confluxit. Litaniæ aliæque preces vulgari idiomate à promiscuo sexu cantatæ, sed vocibus ac modulis optimè compositis distinctisque. Sic in Missa cum sacra communio porrigitur, *Domine non sum dignus* à Sacerdote germanicè dicitur, uti & pleræque publicæ in Ecclesia extra divinum Officium preces.

Redeo ad bibliothecam, in qua, præter editos, magna est veterum optimæ notæ librorum copia, ex quibus multa in nostros usus collegimus, adjutante Hermanno. Quosdam alios insigniores noto in gratiam studiosorum. *Orosii historia* eleganter scripta cum hac clausula in fine: *Plura in hoc libro fatuitate cujusdam, ut sibi videbatur [scioli] male scripta domnus Notkerus jussit in locis asseribi. Assumptis ergo duobus exemplaribus, qua Deo dante valuimus: tanti viri judicio fecimus.* Alius est codex, *Alcimi Aviti poemata* continens ab editione Coloniensi planè diversa. Ibidem *Ferrandi Diaconi liber ad Reginum Comitem: Prosperi opera* fere omnia: *Ruricii Lemovicensis epistola*. Rabani *epistola ad Heribaldum episcopum Alcedronensem*, id est Autissiodorensem, & alia ejusdem. Item *Quintiliani institutiones* in codice perantiquo, quem Poggius exscribendum accepit ex ipsa sancti Galli bibliotheca, non *apud falsamentarium* reperit, ut Paulus Jovius affirmavit, & ex eo alii. In fine quorumdam Alcuini operum hæc leguntur. *Anno* DCCC VI *ab Incarnatione Domini Indictione* XIV, *anno* XXVIII *regnante Karolo Imperatore*, VIII *Idus Februarii, die Veneris, divisum est regnum illius inter filios suos, quantum unusquisque post illum habet: & ego alio die hoc opus [perfeci.]* Et in fine prognostici auctore Juliano: *Vivere feliciter* SPARBANDA *Papa jugiter per sæcula longa.* Ad hæc Trithemii historia Hirsaugiensis triplo auctior quàm in editis: ne quid dicam de revelationibus sanctæ Gertrudis, quæ item à vulgatis multum differunt. Denique in alio codice hæc de Hildegarda Ludovici Germaniæ Regis primi filia adjecta sunt. X *Kal. Januarii* HILDEGARDA *virgo Christi, & domni Hludowici Regis filia, de hoc sæculo migravit ad Christum, & humata est in ecclesia sancta Regula & Felicis martyrum Christi in castello Turigo* *. * Zurich.

Hoc jacet in tumulo Christi dignissima virgo
HILDEGARDA, *nitens moribus egregiis.*
Hæc fuit eximii HLUDOWICI *filia Regis:*
Mentem sponte suam voverat illa Deo.
Bis denos octo vita compleverat annos,
Migrans ad sponsum virgo beata suum.

In brevi Chronico Weingartensi de ea sic legitur: *Anno* DCCC LVII *Serenissimi Hludovici Regis filia* HILTIGART *obiit.* Asservatur in eâdem bibliotheca vetus monasterii sancti Galli delineatio, ante annos octingentos depicta, omnes loci officinas adjunctis versibus accuratè exhibentes: cujus exemplum Hermanni beneficio accepimus. Idem etiam nobis ostendit omnes monasterii sui chartas, omnia diplomata & instrumenta in unum corpus nuper typis domesticis redacta; cujus collectionis unum exemplum in archivo ecclesiæ Romanæ; alia quædam in celebrioribus aliquot Helvetiæ monasteriis reposita sunt: cetera privatim in ipso monasterio sancti Galli reservantur ad documentum posterorum. Idem præstiterunt Einsidlenses nostri: ut si quo incendii vel belli casu ipsa primaria instrumenta perire contingat, jacturam utcumque sarciat hæc collectio.

Lustrato sancti Galli monasterio, adjuncti etiam oppidi bibliothecam adivimus, quæ unà cum collegio

publico extare eo in loco, ubi tempore ejuratæ religionis Dominicanæ sanctimoniales degebant, quæ eximiú catholicæ Fidei specimen dederunt. Ostensi sunt in eâ bibliothecâ inediti quidam libri Vadiani, multæque ejusdem & Variorum ad ipsum epistolæ idiographæ: cetera non sunt magni momenti. In omnibus antiquis codicibus Germanicis, etiam germanico idiomate scriptis, eadem est litterarum forma atque in Gallicanis.

Ipso tempore nuntium de Viennensi per Turcos obsidione accepimus, quod nos de prosequendo itinere aliquantum suspensos reddit, animo reputantes, an tuta futura esset via in Bajoariam usque, quo armorum Turcicorum terror indubiè penetraverat. Accedebant etiam aliæ rationes, quæ nos fortasse suspectos redderent in tam difficili temporis articulo; aut certè à bibliothecis lustrandis, qui unus erat nostræ profectionis scopus, excluderent. Sed tandem animum obfirmavimus, accepto consilio adeundi saltem Campidonam, ex quo certiora de rerum statu nuntia habere possemus. Sic itaque ex sancti Galli monasterio discessimus, quod postremum vidimus ex Congregatione Helveto-Benedictina.

Hæc anno 1602. instituta est: quo tempore reverendissimi Abbates Bernardus sancti Galli, Augustinus Einsidlensis, Joannes Jodocus Murensis, Benedictus Fischingensis, se in unum aliquod communis Congregationis corpus coadunare decreverunt. Id verò litteris suis approbavit Clemens VIII, ceterosque Abbates ad æmulationem provocavit. His animati Abbates duo, Michael Fabariensis, & Geroldus Rhenoviensis, ejusdem se Congregationis corpori adjunxerunt, aliis aliisque deinceps ad duodecim monasteriorum numerum succedentibus. Gregorius XV. & Urbanus VIII. privilegiis & immunitatibus auxerunt hanc Congregationem, quæ excepto carnium ad certos dies usu, nihil minus habet ab aliis Congregationibus strictioris disciplinæ. Hæc didicimus ex reverendo Patre Placido Zurlaubeno, religioso Murensi, Congregationis ejusdem tunc Secretario, quem reverendissimo Abbati Augustino recens mortuo successisse inaudio. Ad itineris lineas regredior.

Post quinque dierum ad sanctum Gallum moram, inde profecti die 5. Augusti cum P. Hermanno bibliothecario, Roschati * ad lacum Potamicum pransi sumus, excepti à religiosis ex cœtu sancti Galli. Conditum est eo in loco monasterium satis amplum tempore motuum illorum, qui occasione religionis exorti sunt, monachis è sancti Galli oppido monasterio exturbatis, & occupato ab hæreticis monasterio. Cum enim spes fere nulla monachis affulgeret recuperandæ pristinæ stationis, Abbas alteri ibidem construendæ adjecit animum. Quin etiam novis hujus loci ædificiis per hæreticos furentes eversis, nihilo minus in parietinis denuo erigendis perseveravit: sed tandem prima sede monachis restituta, pauci apud Roschatum relicti sunt. Ibi tunc versabatur Cælestinus Sfondratus supra laudatus, qui nos pridie ad sanctum Gallum convenerat. Sub meridiem, cùm reflante vento lacum navigio, uti consilium erat, trajicere non possemus, longo circuitu laci ambitus, qui tribus leucis in latum, quatuordecim in longum porrigitur, partim nobis circumeundus fuit, ut ea ipsa die, Rheno transmisso, Brigantium * accederemus, sancti Galli quondam secessu illustratum: cui adjacet Augia * major, quod monasterium nobis propter breve tempus invisere non licuit.

Postera die, quæ Christi Domini Transfigurationi sacra erat, Lindaviam * Calvinistarum oppidum prætergressi, apud Tetnangum * oppidum Montisfortis Comitis Missas celebravimus: inde per Ravensburgum urbem imperialem Weingartense Sueviæ monasterium, ubi ante paucos annos Pater Bucelinus scriptis notus obierat, adeuntes, absente reverendissimo domino Abbate electo, humanissime biduo recreati sumus. Hinc nova se nobis rerum facies aperuit, viæ planiores, mores diversi, paulo minus quàm Helvetici libertatem præ se ferentes, dialectus (uti ex aliis audiebamus) politior, rusticanæ domus non ita integræ & elegantes: denique in Benedictinis monasteriis alia Congregatio, Suevica nimirum, quæ à tempore Concilii Constantiensis, id est ab anno 1416, originem ducit. Ea quondam amplissima, & in tres propagata provincias, nunc ad solam Suevicam redacta est. Illius Congregationis synopsim historicam scripsit ante paucos annos amicus noster Georgius Geisserus, Prior Villingensis religiosissimus. Habitus nostrorum ubique in illis partibus uniformis, nisi quòd Helvetici cùm in ecclesiam cucullati procedunt, circumductum brachio sinistro rosarium gestant præter morem aliorum. Weingartense monasterium, liberum & imperiale, tunc copias submittebat in Viennæ subsidium, nempe quinquagenos pedites armatos, quibus stipendia villæ & pagi monasterio subjecti suppeditant, ceteroqui exemti ab annuis tributis. Weingarti exstat veterum Welfonum conditorum, qui monasterii fundatores habentur. Eorum historia legitur in vetusto codice bibliothecæ amplissimæ, in qua etiam multi libri scripti servantur. In veteri Kalendario quod libro Evangeliorum præmittitur, fit mentio de Judita illic sepulta. Sic II. *Nonas Augusti Judita Dux.* In alio additur, *Regina Angliæ hic sepulta Dedit pretiosissimum thesaurum ecclesiæ, sanguinem Domini cum reliquiis sanctorum, pallis & plenariis*, id est Missalibus integris. Idem sanguis Domini illic cum summa veneratione colitur. Initio cujusdam codicis, in quo Gregorii Magni expositio in Ezechielem continetur, hæc legimus antiquissimo charactere: *Oportet monacho ubicumque exierit, Eucharistiam semper secum vehat.* Et in fine codicis:

Præsul EBERHARDUS *Christi famul.amine tactus,*
Hunc tribuit librum Christi genitricis ad usum.

Scriptus est liber iste ante conditum Weingartense monasterium, cujus ecclesia sanctum Martinum Patronum habet. Quidam optimus codex perantiquus continet *vitam sancti Anscharii* primi Archiepiscopi Bremensis: alius egregius *Justini Trogi epitomen*. Habes in consequentibus veterrimas formulas Andegavenses ex eadem bibliotheca exceptas, atque Willelmi Hirsaugiensis Prologum in consuetudines monasterii sui, quæ duobus libris ibidem continentur. Omnes fere libri etiam editi corio cervino, ut passim in Germanicis bibliothecis, operti sunt, ob cervorum venationem frequentem, quorum capita cum ramis seu cornibus, aut certe eorum exstantes effigies in suis habitaculis affigere solent.

Augusti nona Weingarto per Algoïensem pagum, comitante domno Maximiliano, venimus Campidonam, quæ celebris est nobilium Suevorum Abbatia sesqui-milliario horario à montibus Tirolensibus ad Hilaram fluviolum, à quo inditum pago seu tractui nomen Hilergovæ. Prope urbis Campidonæ muros (quæ urbs tota hæreticis modò paret) situm est monasterium, ædificiis novis & ornatissima ecclesia magnificè exstructum. Id duplici quadro amplissimo constat, præter atria & habitacula ministrorum. Unum quadrum Abbatis ædibus, aliud Religiosorú cellis assignatum, cum gemina utrumque contignatione. Interiori ex æquo respondet solum ecclesiæ, quæ ad occidentalem cœnobii plagam in aggere posita est. Loco nunc præest magno cum splendore illustrissimus Abbas & Princeps D. Rupertus, Cardi-

* Roschat.
* Bregentz.
* Mehetz-ravv.
* Lindavv.
* Tetnang.

nalis Badensis successor, is quem olim apud nos in monasterio sancti Dionysii prope Parisios morantem noveramus. Quanta verò humanitate & facilitate nos exceperit optimus Abbas, verbis explicari non potest. Ibi exstat conventus quatuor & viginti nobilium cum sex nobilibus pueris vitæ religiosæ candidatis, qui rubeas togas gerunt. In Germania quatuor erant præcipua ejusmodi monasteria, in quæ soli probatæ nobilitatis juvenes admittebantur, nempe Abbatia Fuldensis, Campidonensis, sancti Galli, & Einsidlensis. In duabus prioribus, non in posterioribus hactenus perseverat iste ritus, uti etiam in Murbacensi Alsatiæ monasterio: quem ritum non ab ipsis Abbatiarum primordiis, sed tempore procedente receptum fuisse constat. Campidonæ habetur typographica officina omnibus numeris absoluta. Haud procul à monasterio, id est non unius horæ intervallo, visitur locus, in quo versabantur ante viginti annos Religiosi, quos Capitulares vocant, dum novi monasterii ædificia construerentur. Loco vocabulum est *Saeuesberg*, ubi sub Rumano Abbate monasterii instauratore viguit severissima per aliquot annos monasticæ vitæ disciplina, abstinentia perpetua, juge silentium, nudipedium, labor manuum durissimus: sed intercedente nobilium vicinorum & postmodum Nuntii Apostolici auctoritate, remissa est pro ritu aliorum ejusdem regionis monasteriorum, quibus hæc severitas hoc cœlo & solo, illis corporibus intolerabilis visa est. Hunc locum adivimus in comitatu illustrissimi Abbatis, ibique vidimus domnum Bonifacium, nobis aliunde jam probè notum, qui ibidem ab omni hominum consortio remotus, in summa vitæ austeritate per annos tres perstiterat, primo illo vitæ perfectioris proposito numquam remisso. Campidonense monasterium sub veneratione beatæ Mariæ, & sanctorum Gordiani & Epimachi primitus conditum est ab Hildegarde Caroli Magni uxore, quæ ibidem sepulta creditur à Campidonensibus, (tametsi Mettis ad sanctum Arnulfum alii sepultam perhibeant) & pro sancta habetur. Pleraque vidimus Abbatiæ diplomata, etiam authentica, quorum aliqua in consequentibus referemus. Inde suppetiæ centum militum Viennam submissæ sunt eo tempore, quo ibi moram egimus.

Post biduum discessuros non priùs sivit abire illustrissimus Abbas, quàm promissione facta, ut ex Bajoaria iterum ad se reverteremus. Fide accepta, novos equos, atque insignem nobis comitatum præberi jussit, dato nobis duce usque Augustam Vindelicorum domno Corbiniano, sancti Udalrici conventuali, tunc verò apud Campidonam Philosophiæ professore. Et primo quidem ipsa die Augusti 12 venimus in monasterium Uttemburanum*, quò litteris Campidonæ acceptis jam invitati fueramus. Illustris est hæc Abbatia, sex horarum itinere à Campidona, ad Guntzium * amnem. Ecclesia dedicata est sanctis Alexandro & Theodoro Martyribus, quorum reliquiæ in ea servantur. Eorumdem thecæ, *Mariæ Comitissæ sigillum* ex agathe appositum est. Bibliotheca ibidem multis libris referta etiam mss. ex quibus nonnulla in nostros usus excerpsimus, in his duas homilias sancti Faustini ex Homiliario perantiquo. In veteri Necrologio de Totone seu Tottone primo loci Abbate hæc legimus. XIII *Kal. Decemb. Toto noster Abbas, qui corpus sancti Alexandri huc attulit, & cujus parentes locum istum fundaverunt.* Tottonis parentes Silachus & Ermiswinda sub annum 764 monasterium condiderunt. De Totone iterum in brevibus annalibus ad cyclos Paschales: *Anno* M C LXIII. *Toto sepelitur*, sed etc novo tumulo reconditur. Anniversarium quotannis pro eo celebratur. Ab hinc uno lapide distat

* Ottenbeur.

* Guntz.

egregium beatæ Mariæ oratorium, Elderense appellatum, quod magno Fidelium concursu honoratur. Nulla humanitatis in nos Officia prætermisit reverendissimus Abbas Benedictus, cooperante etiam R. P. Alberto Priore, qui studiis nostris favet. Ibidem superiori sæculo floruit Nicolaus Ellembogius, vir bonarum litterarum amantissimus. Qui postquam patris exemplo Medicos apud Montem-pessulanum audisset, reversus in patriam, Ottemburanorum monachorum numero adscriptus est anno 1505, ubi reluctante Abbate suo, Latinis litteris Græcas & Hebraicas conjunxit, ac tandem Gymnasio trilingui Ottemburæ instituto ludum aperuit anno 1543, favente in primis Wolfgango Abbate & Principe Campidonensi. Commercium litterarum habuit cum Erasmo, Reudelino, Eckio, & aliis ejusdem temporis hominibus litteratis. Ex novem libris ejus epistolarum restant libri dumtaxat septem, in bibliothecam Colbertinam advecti curâ eruditissimi Stephani Baluzii, à quo hæc didicimus. Ellembogii institutum etiam nunc viget apud Ottemburanos, ubi quidam monachorum pueros litteras docent.

In pervigilio assumptæ Virginis Ursinium * accessimus, quo in loco subsequens festum à nobis celebratum. Monasterium est Ordinis nostri sex leucis ab Uttembura dissitum, ubi etiam codices mss. habentur non pauci, sed omnes recentioris ætatis. Deinde adito beatæ Mariæ oratorio celeberrimo, quod in campo Lycio situm est, postero die Augustam * Vindelicorum tendimus per eumdem campum Lycium, à Lyco * fluvio ita dictum, qua nulla jucundior aut amœnior planities videri potest, æquabili solo, saluberrimo cælo, ad decem horarum intervallum porrecta.

* Irsin.

* Ausbourg.

* le Lec.

Ad portam Augustanam datis publicæ fidei litteris; quas in posterum per totam Bajoariam passim exhibere necesse fuit, in sancti Udalrici * Abbatiam accessimus, ad ejus januam, quoad religiosorum prandium finiretur (nam tempore prandii monasterii aditus non patet) subsistere coacti. Deinde illuc admissi cum magna comitate reverendissimi Abbatis Romani, triduo moram egimus in illo monasterio, quo nullum ad religiosam disciplinam accommodatius aut elegantius in illis partibus videre memini; sicut nullam urbem in iisdem Augustanâ præclariorem, si civium frequentiam excipias. Horum plusquam media pars Lutheranis constat. Multæ in urbe sunt Catholicorum ecclesiæ, multique conventus. Cathedralis beatæ Mariæ sacra est: sancti Udalrici basilica eximia, thesaurus insignis, peristylium, Capitulum basilicæ dignitati respondens, bibliotheca Capitulo proxima, itidem ornatissima, & libris cum novis, tum antiquis, si qua alia, maximè referta; Dormitorium commodum, ædes Abbatis & hospitum amplissimæ, omnia præter basilicam nova, & à Gregorio Abbate II, qui anno 1664 vivere desiit, elegantissimè constructa. In ecclesia tunc appendebat imago beatæ Mariæ assumptæ, in serico panno depicta. Causam sciscitanti responsum est, hunc esse morem in totos triginta à festo dies, quibus per totam provinciam citra dispensationem nuptias celebrare non licet. Quantum ex bibliotheca profecerimus, testabuntur ea quæ in consequentibus referemus: in quibus est Candidi Arriani epistola non integra ad Victorinum Rhetorem, ejusdemque Victorini ad eumdem responsio. In peristylio ad Capituli januam, tumulus cernitur Caroli Stengelii, scriptis editis clari, qui ex monacho ejus loci Abbas Anhusanus, hic obiit anno 1663, ætatis LXXXII, post annos regiminis XXXIII.

* S. Ulric.

Publicam urbis Augustanæ bibliothecam etiam

invisimus,

invisimus, quam vir summus Marcus Velserus, Augustanus Duumvir, egregiè amplificavit. Latini codices in ea non tam magni momenti sunt quàm Græci, in quibus eximii sunt novi Testamenti venerandæ antiquitatis, Joannis Chrysostomi, Photii, Procopii, Gazæi Sophistæ, cujus commentarios in Octateuchum Conradus Clauserus Tigurinus ex eodem codice latinè vertit ediditque Tiguri anno 1505. Indidem etiam Peireskius quædam Cyrilli, & Libanii orationes nonnullas à Velsero accepit. Ibidem exstat exemplar octavi Concilii generalis. Ex codicibus Latinis historia miscella Paulo Diacono tribui solita, absque auctoris nomine in pervetustis membranis scripta est.

Augustini die 19 trajecto Lyco fluvio, Bajoariam ingressi sumus, deducente nos R. P. Amando sancti Udalrici Subpriore. Jucunda fuit nobis in illa provincia peregrinatio per unum fere mensem: in qua prata, nemora, fluvii insignes, aliaque omnia ad vitæ usum & voluptatem accommoda abunde reperiuntur, præter vites, quæ in interioribus ejus partibus desunt. Exacta disciplina per totum hunc principatum viget, ubi nullus hæreticis locus permittitur. Hinc etiam res novas scribendi libido arcetur, quando hæc licentia Germanos falsis subinde rumoribus per diversa trahit. Ita quippe ambagibus perplexa sunt omnia, dum ex partium studiis nova cuduntur, ut vix ullum nuntium, cui fidem dare possis, ventiletur. De viatoribus etiam & advenis Bajoarii severè inquirunt. In patibulis sanè frequentibus signum exhibetur manus cultro præcisæ, quæ pœna est hominis, locum unde profectus sit alium à vero fingentis, cum tempore pestis id ab eo exigitur. Ceteri humani Bajoarii, & ad pietatem compositi: quod innumera templa & oratoria, præsertim in honorem beatissimæ Virginis, testantur, quæ ad triginta millia apud eos erecta videntur, omnia cum accurato decore & cultu. Primum ex illis lustravimus Kebacense * monasterium, in quo sanctimoniales Ordinis nostri versantur. Ad Veronicam hujus parthenonis Abbatissam scripsit Nicolaus Ellembogius monachus Ottemburanus, superiùs laudatus: cujus soror, Barbara nomine, ibidem Abbatissæ officium gessit. Deinde ad Scheyrense virorum pervenimus ipsa die, quo Augustâ discessimus. Locus sic dictus à Cruce, in diœcesi Frisingensi. Ibi degit venerabilis senex P. Ægidius *Cranbeck*, qui *Calendarium Benedictinum* quatuor tomis, aliosque libros composuit vulgavitque. Gregorius loci nunc Abbas, in theologicis & mathematicis apprime versatus, novis ædibus cœnobium exornavit; idemque monasterii sui Chronicon editum nobis liberaliter concessit. Conradus monachus Chronicon illud ab anno M XCVI. inchoavit, atque ad suum tempus, id est ad sæculum XIII, deduxit; Stephanus Abbas ad nostrum sæculum produxit, & in lucem emitti curavit anno 1623. Hic Conradus manu sua varios exaravit membraneos codices, ab Aventino laudatos: quorum unus magistri Petri, cognomento Comestoris, scholasticam historiam continens, in quinque primis foliis artium liberalium imagines repræsentat, præmissa beatæ Mariæ effigie cum his aliisque scriptoris verbis: CHONRADUS PECCATOR AUCTOR ET SCRIPTOR HUJUS OPERIS. Deinde in secundo folio picta Musica; & in tertio Astronomia exhibetur, adjunctam habens à dextris Ptolemæi effigiem, sidera contemplantis ope instrumenti longioris, quod instar tubi optici quatuor ductus habentis concinnatum est in hunc modum.

CONRADUM hujus codicis scriptorem ante annum M CC XIX. vixisse affirmat Stephanus Abbas in limine prædicti Chronici, ubi quæ de dioptra vidimus & scribimus observat, conjicitque Conradum hoc instrumenti genere usum fuisse.

Sequenti die Geisenfeldam accessimus, deducente nos R. P. Priore Scheyrensi, hospitio accepti à sanctimonialibus nostris, quæ ibi perquam laudabiliter vivunt. In ecclesia ad latus aquilonare deprehendimus tumulum primæ loci Abbatissæ Gerbirgis, cujus effigies ad parietem hos versus perantiquos, quantum expiscari potuimus, præfert, Hundio ignotos.

Hic iacet in tumba GERBIRGIS *filia Regis*
Græci Stertoris, Eberhardique fuit
Neptis, hujus loci prima fertur Prælata fuisse.

Inde, relicto ad lævam Monasterio * olim è nostris, venimus Ratisbonam, quæ civitas Geisenfeldâ distat decem horarum intervallo; hospitati in Monasterio sancti Emmerammi, ubi magna est veterum librorum supellex. In sacrario ecclesiæ ostensa nobis est casula sancti Wolfgangi illius orbis Episcopi, cujus primarius tumulus in navi ad latus epistolæ: sed corpus in cryptam occidentalem translatum est. Sancti Emmerammi sepulcrum cernitur ad latus meridionale majoris altaris in sancti Georgii sacello: quod primum loci oratorium est. In thesauro (ut vocant) habetur insignis Evangeliorum liber, quo nullum pretiosiorem aut elegantiorem umquam vidimus, litteris aureis majusculis optimè scriptus anno 870 mandato Caroli Calvi: deinde sancti Emmerammi ecclesiæ concessus ab Arnulfo Imperatore, uti Arnolfus ejusdem loci monachus tradit. In primo folio Ramvoldi Abbatis, qui codicis operculum ante annos fere septingentos renovari curavit, exstat effigies sub his verbis & versibus, RAMVOLDUS INDIGNUS ABBAS.

Hunc librum Carolus quondam perfecit honorus,
Quem mox Emrammo RAMVOLD *renovaverat almo.*

In secundo folio verso imago Caroli Calvi, omnino similis ei, quæ habetur in codice Mettensi, modò Colbertino, cernitur cum his versibus.

Hic residet CAROLUS *divino munere fultus,*
Ornat quem pietas & bonitatis amor.
HLUDOWIC *justus erat, quo Rex non justior alter,*
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.
Alma viro peperit JUDITH *de sanguine claro,*
Cum genitor regni jura dabat proprii.
Hic nomen magni Caroli de nomine sumpsit,
Nomen & indicium sceptra tenendo sua.
Hic David vario fulgescit stemmate Regis,
Atque Salomonica jura docentis habet.
Istius imperio hic codex resplendet & auro,
Qui bona construxit multa favente Deo.

A dexteris minister ensem manu gestat cum hoc versu.

Arma tibi faveant Christi stabilita per ævum.

A sinistris alter lanceam cum clypeo:

Muniat & clypeus semper ab hoste suus.

A latere prioris illius ministri Francia pingitur cum cornucopia:

Francia grata tibi, Rex inclite, munera defert.

A latere posterioris Gothis cum simili cornu:

Gotia te pariter cum regnis inchoat almis.

Porro in fine codicis scriptores codicis hæc de se scribunt.

Bis quadringentis volitant & septuaginta
Anni, quo Deus est Virgine natus homo.
Ter denis annis Karolus regnabat & uno,
Cum eo lex actus illius imperio.
Hactenus unlesum calamo descripsimus, æquor,
Litoris ad finem nostra carina manet.
Sanguine nos uno patris matrisque creati,
Atque sacerdotii servat uterque gradum.

* Kebach.

* Münstr.

Analect. B

En Beringarius, Iubar lux nomine dicti,
Queis fuerat sudor difficilisque nimis.
Hic tibimet, lector, succedant verba precantis,
Ut dicas, rapiant regna beata poli.

Hunc librum ex Parisiensi sancti Dionysii monasterio unà cum sancti Martyris corpore furtim sublatum, donoque Arnulfo Imperatori, atque ab eodem ecclesiæ S. Emmerammi traditum asserunt. At mirum est, inquiebam, Arnolfum ejusdem cœnobii ex Comite monachum, qui sub annum millesimum scribebat, meminisse istius codicis ab Arnulfo concessi, nulla corporis sancti Dionysii mentione facta. Rogavimus deinde nobis ostendi ejus corpus seu reliquias: illi abstruso loco reconditas dicentes, duos nobis lapides dont testes protulerunt, in quorum uno antiquis litteris uncialibus hoc exaratum legitur: *Sub Ebulone Abbate sancti Dionysii Gisalbertus furavit.* In alio: *Furatus est v Non. Junii, hunc venit prid. Nonas Decembris tempore Tutonis Episcopi.* absque ulla corporis aut libri mentione. Præter hæc ibidem asservatur parvum altare mobile, quod Arnulfus Imperator in castris gestari curabat, aureis laminis opertum, quadratæ figuræ, uno pede latum, altum duobus, præter turriculam, quæ in crucem desinit. Hi versus turriculæ adscripti sunt.

Rex Arnulfus amore Dei perfecerat istud,
Ut fiat ornatus sit . . . . sibus istis.

Ad portam claustri, qua in ecclesiam aditus patet, visitur tumulus satis elegans, super quem exstat effigies cujusdam Aureliæ, quam Hugonis Capeti filiam putant, super quatuor lapides erecta. In margine lapidis superioris hæc leguntur.

Hic pia florescit Aurelia virgo sepulta,
Quæ prætiat nescit cælis dulcedine fulta.

Lientwinus Camer'. forte Camerarius, *Canonicus & Scolasticus majoris ecclesiæ.*

Appensa est à capite una tabella, in qua hi versus haud inelegantes, sed recentiùs descripti.

Contegor hoc tumulo soboles clarissima Regum,
Gallia quam genuit, nunc tenet Imbripolis.
Huc profuga adveni fugiens consortia sponsi,
Servarem ut castum, Christe, cubile tibi.
Præstitit hunc Ramwoldus opem, dum vitam ambat,
Ut pia libarem thura precesque Deo.
Vin tempus vitæ? usa sui vitalibus auris
Lustra decem, bis annos insuper adde duos.
Hic expecto tuum districtum, Christe, tribunal,
A dextris sedeam tunc dabis inter oves.

In his versibus etsi *Regum soboles*, id est ex genere regio, dicatur, non tamen filia Regis, Hugonis aut alterius. In inferiori lapide, qui huic superiori substernitur, operculi instar tumulum contegente, Romanis, id est antiquissimis litteris, hæc apposita sunt in margine lapidis.

. . . . O. M. ET. PERPETUÆ. SECURITATI. ET. MEMORIÆ. DULCISSIMÆ. AURELIÆ. M. AUR. FILIÆ. P. AEL. SILVANUS. CONJUGI. INCOMPARABILI.

Ex hac inscriptione colligimus, vel duplicem fuisse Aureliam, quarum una conjugata antiquis Romanorum temporibus vixerit, alia virgo & quidem recentior: vel certè unam, quæ primis illis temporibus vixerit, cujus epitaphium cùm posteri legere non potuissent, illud eidem Aureliæ posteriori affinxerint.

Ad hæc in eadem sancti Emmerammi ecclesia jacet Arnulfus Imperator ad latus epistolæ, quem tamen alii apud Ottingas sepultum dicunt; Ludovicus ejus filius in medio chori, Henricus Dux Bajoariæ sancti Henrici Pater, in aquilonari chori ambitu, cum hoc epitaphio.

Henricus Regis Pater & defensio legis,
Bavariæ cultus, pius est hic Dux qui sepultus.

Prope eum Wermundus nobilis Comes; & in eodem latere, ad portam qua patet aditus in chorum, Arnoldus Bajoariæ Dux pessimus, qui sæculo x vixit. Pone altare visitur crypta, in qua sepultus Ramwoldus, quem primum restitutæ ad sanctum Emmerammum disciplinæ Abbatem instituit Wolfgangus, arcessitum è Trevirensi Monasterio sancti Maximini. Hujus anniversarium quotannis recolunt, tametsi in privatis orationibus ut sanctus invocatur. Ad vestibulum cryptæ hi versus leguntur.

Consecrat ædiculam mandrita Lupambulus istam,
Abbas Ramwoldus quam sibi, Christe, struit.

Lupambulus latina est interpretatio nominis Wolfgangi.

Præter monasterium sancti Emmerammi aliud est sancti Jacobi ad Scotos, ubi residet excellentissimus D. Verjutius Comes Creciacensis, Christianissimi Regis Legatus, & summus rerum Francicarum in Diæta Ratisponensi moderator, qui nos omni gratiarum genere cumulavit. Nos enim ad mensam suam admisit non semel, atque præsentiâ suâ ad sanctum Emmerammum dignatus est. Præterea curru suo nos vehi jussit in suburbanum Ordinis nostri cœnobium Pruveningense *, conditum à sancto Ottone Bambergensi Episcopo. Primus loci Abbas beatus Erminoldus, cujus sepulcrum paullulum è terræ planitie erectum in navi ecclesiæ exstat cum hoc epitaphio. *Anno Domini* M. C. XXI. *in festo Epiphaniæ Domini obiit beatus Erminoldus hic sepultus, vir sacris in vita & morte præclarus, majorum memoria dignus. Oret pro grege ovium.* Monasterii hujus historiola typis vulgata est Ingolstadii anno 1626. Inde eodem cursu perreximus ad Cartusiam Prulensem viciniam, quæ olim Ordinis nostri Abbatia erat.

* *Priviling.*

Præter hæc, tria quondam in urbe fuerunt Ordinis nostri sanctimonialium cœnobia: quorum unum Patribus Societatis Jesu cessit: duo alia, nempe Superius & Inferius, modo Canonicas habent. In urbe, præter ecclesias multas Catholicorum, octo tantùm familiæ Catholicæ permittuntur. Suburbium soli Catholici occupant. Interfluit Danubius, qui ponte lapideo ad insulam, ligneo ad suburbium jungitur. Lapideus undecim fornicibus constat.

Redeo ad sanctum Emmerammum, in cujus bibliotheca codices ampliùs mille habentur, multi optimæ notæ. Unus continet varias virorum doctorum epistolas tempore Alcuini scriptas, quas nobis describi rogavimus. Multa etiam nos ipsi, quantum per quatuor dierum otia licuit, descripsimus, quæ inferiùs ex parte edita sunt. Alia quædam hic notare juvat. Exstat in uno codice *Expositio passionis Christi per Candidum Presbyterum* Alcuini discipulum, inedita. In alio *Rhoswita Gandershemensis* in Saxonia sanctimonialis opera omnia. Tum in alio *Petri Abelardi, qui à plerisque Baiolardus dicitur.* In hoc codice sunt ejus *Sententiæ* capitulis triginta septem comprehensæ (ea est Introductio ad Theologiam:) deinde liber ineditus, *qui dicitur* SCITO TEIPSUM, de quo sanctus Bernardus. Præclarus est *codex Traditionum* scriptus ab Anomoto, dicatusque Ambricum Episcopo. In fine codicis qui expositionem sancti Augustini in epistolam canonicam sancti Joannis continet, hæc leguntur. *Librum hunc pro remedio animæ meæ ego in Dei nomine Baturicus Episcopus ad Frankhonefurth scribere præcepi. Scriptus est autem diebus septem, & in octavo correctus in loco eodem, anno VII regiminis episcopatus mei, & octingentesimo vigesimo sexto Dominicæ Incarnationis. Scriptus autem per Ellen-*

bardum & Dignum, Heldeino orthographiam præstante; id est (si bene interpretor) dictante. In alio codice ab annis fere nongentis scripto leguntur *Canones sancti Gregorii Papæ urbis Romæ*, ubi quæ de Abbatis & monachorum ordinatione Theodoro Cantuariensi Episcopo vulgo tribuuntur, sub nomine Gregorii Magni habentur. *Vita sancti Christophori*, auctore WALTHERO *Nemetensi Subdiacono*, nuncupata est Baldrico Episcopo, atque HAZECHÆ *similimoniali urbis Quidilane*, id est Quindelinburgensis, *Cimiliarcha*, *cum primum regno successit tertius Otto*. Nescio an aliquod operæ pretium sit notare fabulosam illam de sancti Hieronymi morte epistolam Josephi ad Damasum & Theodosium, aliasque Augustini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Augustinum similis farinæ epistolas, scriptas esse *in codice sub anno Domini* M CCCC LXXI *per Henricum Thuener*. Interest aliquando nosse etiam fabularum antiquitatem & originem. Neque porro gravitate sua indignum judicavit vir summus Petrus de Marca agere de origine suppositiciæ Turpini fabulæ in Historia Benearnensi. Apposite Plinius junior in libri VIII epistola XXIV. *Sit apud te honor antiquitati, sit fabulis quoque.* Majoris momenti est quod in Glossis mss. super Canones Apostolorum & Decretales Pontificum legitur de Fermento in epistola Innocentii Papæ I. ad Decentium: cujus vocis interpretatio viros eruditos in diversas traxit sententias, aliis de Eucharistia; aliis de, culogiis interpretantibus. Sic autem legitur in codice perantiquo. *De fermento quod dicit, mos est Romanis, ut de Missa quæ cantatur in Cœna Domini, & in Sabbato sancto, & in die sancto Pascha, & in Pentecosten, & in Natali Domini die sancto per totum annum servatur, & ubicumque per stationes, si ipse Papa ad Missam præsens non fuerit, de ipsa Missa mittitur in calicem, cum dicit* Pax Domini sit semper vobiscum. *Et hoc dicitur Fermentum. Tamen Sabbato sancto Pascha nullus Presbyter per ecclesias baptismales neminem communicat, antequam mittatur ei de ipsa sancta, quam obtulit dominus Papa.* Ex quibus nemini dubium in posterum reliqui debet, hunc Innocentii locum aliosque similes de Eucharistia esse interpretandos. Inter cæteros codices unus est, qui de variis operibus ex auro & argento fabrefaciendis tractat. Opus haud quaquam spernendum. Sed hæc morosiora sunt.

Die 25 Augusti festum sancti Ludovici sollemni pompa in monasterio Scotorum coram excellentissimo Legato celebratum est, tympanis tymbalisve cum buccinis ad musicorum voces & musica instrumenta respondentibus. Post prandium, actis excellentissimo Oratori maximis gratiis, Ratisbona discessimus, ipso jubente ad quatuor horaria milliaria ejus carpento vecti Salisburgum versus, quod iter quatuor amplius diebus ægre confecimus. Eodem die in quodam vico beatæ Mariæ sacro hospitati sumus, ubi rustici ludis sollemnibus, quasi in alta pace, propositis præmiis festive vacabant, dum interim Vienna extremo expugnationis periculo defungeretur. Mirati sumus tantam istorum hominum, quibus suprema clades imminebat, securitatem. Sub vesperam publicis pro hac re supplicationibus interfuimus per unam ferme horam, quo intervallo rosarium, aliasque preces promiscuum vulgus præeunte Sacerdote (qui etiam concionem de impendenti calamitate habuit) communi voce ac vernacula lingua; feminæ expansis in crucis formam manibus, recitabant. Inter ipsas preces is qui loci spectabilior videbatur, nescio quid suspicatus, litteras nostras sibi exhiberi postulavit. Reversi in hospitiolum, omnia cœnacula, triclinia, & atria promiscui vulgi conferta multitudine (qui religionis causa, nescio an etiam ludi, convenerat) plena invenimus: ut vix potuerimus secretum nobis angulum impetrare.

Inde monasterio Mallestorfensi Ordinis nostri ad Laberam amnem (quod etiam *Johannesberg* à sancto Johanne Evangelista Patrono dicitur) obiter lustrato, venimus in oppidum *Abbausen* ad Isaram fluvium, deinde in urbem Oetingam ad Oenum, ubi insignis est basilica in honorem beatæ Virginis. In platea municipii duas observavimus feminas lapidi insidentes, allere biforato in collum utriusque injecto. Missus à nobis interpres qui causam percontetur, redit, & narrat, eas simul rixando depugnasse: hoc pœnæ genus rixosis mulierculis imponi solitum. Uno abhinc milliari communi existit sacellum ejusdem Deiparæ, non modò Germanorum, sed etiam exterarum gentium frequentia maximè celebratum, Altoettinga, ad alterius Oetingæ discrimen, id est vetus Oetinga, appellatum. Raitenhaslacense deinde Cisterciensium monasterium ad Salam situm adivimus, de quo quia post solis occasum eò ingressi, atque prima luce inde egressi sumus, nihil observare potuimus. In urbem *Lausen* cum imbre continuo madefacti ad prandium venissemus, apparari ignem in hospitio jussimus, non advertentes inusitatos esse in Germania parabiles more nostro ignes in focis apertis, humique stratis, sed tantùm fornaces & hypocausta æstate frigida, quæ etiam tepefacta madidos per breve prandii spatium non exsiccassent; aut certè focos in elata lapidum structura ad culinarium usum. Post meridiem tempestas melior, via pejor. Saltzburgum pervenimus ipsa die 28 Augusti, hospitati in percelebri Abbatia sancti Petri, ubi omnis nobis humanitas exhibita est à religiosissimo Abbate cæterisque cœnobitis, præcipuè R. P. Josepho Mezgero Priore atque Universitatis Procancellario, quem litteris antea noveramus.

Saltzburgum civitas est ad Salam haud ignobile flumen, à quo nomen trahit, olim Juvavum appellata. Sita est in angulo Bajoariæ, accessu difficilis, nec minus valida prominentium montium excelsis jugis, quibus veluti muris cingitur. Ædes habet amplissimas & elegantes, quibus longè præcellit palatium Principis, id est Archiepiscopi. Nam ab aliquot sæculis Saltzburgũ est caput Principatus, cujus ditio milliaribus Germanicis fere viginti octo in longum, quatuordecim in latum porrigitur. Eximia est basilica sancti Rudperti (Domum appellant) marmore & lapidibus quadratis magnificè exstructa, ac tabulis cupreis cooperta. Insignis etiam ecclesia monasterii sancti Petri, quæ sancti Rudperti quondam sede ac tumulo illustrata est. Urbem vel suo situ validissimam munit arx in prærupto monte posita, ad quam calle nonnisi angusto & supino itur. Duplex murorum ambitus, munitissimæ turres, aliaque præsidia eam inexpugnabilem reddunt. Postridie quàm eo accessimus, Principem salutavimus, datis litteris ab excellentissimo Christianissimi Regis Legato Gravelho, cui is inter amicos est. Mirati sumus ingens Principis satellitium & aulicorum comitatum insignem. Nempe apud Germanos Principes, uti quondam, teste Tacito, sic etiam nunc *hæc dignitas, hæ vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari; in pace decus, in bello præsidium.* Inde illustrissimum Guillelmum Furstembergensem, magni Ferrandi Monasteriensis germanum fratrem, majorem ecclesiæ Decanum convenimus, virum, in quo modestia & humanitas cum aliis virtutibus certant. Ille nos latinè primùm, deinde gallicè affatus, gratissimas habuit litteras, quas nomine illustrissimi D. Verjutii ipsi porreximus. De majoris ecclesiæ monumentis & libris sciscitantibus respondit, nihil superasse à nuperis incendiis: si quid ex ea urbe sperandum, id

in monasterio sancti Petri reliquum esse. Et quidem ibi amplissimam novorum librorum copiam invenimus, & aliquot mss. quorum unus est Hieronymi expositionem in Proverbia, Ecclesiasten, aliosque sacros libros continens, ex dono Arnonis Archiepiscopi. Hoc monasterium non minùs pietate, quàm scriptis suis tunc ornabat D. Josephus Mezgerus Prior mox laudatus, & ipse Universitatis Salisburgensis præcipuum ornamentum: quicum amicam disputationem habuimus de ætate sancti Rudperti Episcopi & Apostoli sui, quam integro sæculo serius setuli contra vulgatam opinionem. Sententiam hac de re meam exposui in tomo tercio de Actis sanctorum nostrorum, quam ille in historia Salisburgensi, quæ sub prelo tunc versabatur, amicè impugnavit. Sunt ipsi trini fratres Mezgeri, omnes religiosi ad sanctum Petrum, hic quidem Prior & Universitatis Procancellarius (nam Cancellarii titulum Princeps retinet) alter Decani, tertius Prorectoris dignitatem habet.

Animæ quales neque Candidiores
Terra tulit,

Sed ille triplex nodus nuper heu! solutus est, Josepho amico nostro sub finem Octobris mortuo ad sanctum Gallum, ubi ex pulmonis vitio decubuit, dum sacram Eremum, nempe Einsidlensem, voti causa peteret.

Prorectoris visitatione præventi, atque in ædes Universitatis, ubi tres Theologiæ Doctores sæculares sollemni ritu admittendi erant, invitati, totum illius Universitatis splendorem non sine magna voluptate vidimus. Primus elegantem orationem habuit Procancellarius, alteram Decanus, tertiam unus ex candidatis, vir eloquens & bonus Orator. Anulus, epomis, fax, pileus sacer pro Doctoratus insignibus tradita fuere, dum interim buccinæ & tymbala ad singulos ritus concreparent. Peractis omnibus, sollemni pompa Universitas, Magnifico Rectore primas obtinente, ad sancti Petri ecclesiam processit, ubi canticum sacrum in gratiarum actionem musicis modulis, concinentibus organis decantatum est. Hoc officio Abbatiæ sancti Petri se gratam exhibet pia Universitas, quæ illam uti alteram parentem agnoscit. Præcipuum habet fundatorem Marcum Archiepiscopum. Hæc ab anno 1622 instituta jam tribus facultatibus constat. Theologiam, Jus Canonicum, Philosophiam artesque humaniores soli docent Benedictini, qui ex certis provinciis Salisburgensi, Bavarica, Suevica, Austriaca & Stiriaca assumuntur. Jus civile docent Doctores sæculares: Medicinæ facultas ibi adhuc nulla.

Pridie illius diei in parthenone Nunbergensi, quem beata Erentrudis sancti Rudperti neptis in vicino colle instituit, sacra fecimus, ubi religiosissimæ virgines Benedictinæ degunt: deinde pretiosa quæque & reliquias sacras vidimus: à meridie profecti ad sacram ædem beatæ Mariæ in Plana; qui locus est in colle situs uno milliari germanico ab urbe, piorum concursu celebris, ubi ex concessu Principis Maximiliani modò Benedictini versantur. Montes ipsa die Augusti 29 recenti nive conspersi erant, cùm totis quinque diebus terra imbre continuo compluta fuisset.

Post tres dies cùm discedere gestiremus, Princeps nobis significavit optare se, ut sequenti interessemus publico spectaculo, in quo Nabuchodonosoris historia versibus senariis in collegio exhibenda erat. Paruimus, interfuimus. Festiva omnia, theatrum elegans, machinæ sæpius mutatæ, tubicines, fidicines, multa spectantium frequentia, præmia studiosis in fine distributa. Interfuit spectaculo illustrissimus Princeps, cum magna nobilium virorum ac feminarum corona, ex quibus multi Viennæ atque Austriæ Proceres utriusque sexus, omnes fere Gallicano more induti, assistebant, Turcorum metu eò refugere coacti.

Septembris die 22, antequam ex urbe discederemus, mandavit iterum Princeps nos curru suo deduci in hortos suos Helbrunenses, à claro fonte sic dictos, quiunius horæ spatio ab urbe distant. Vallis est angusta, fertilis, nec inamœna, inter horridos montes perpetuis nivibus tectos. Ædes Principis modestæ, horti sunt elegantissimi, floribus, arboribus, aquis irriguis ac subsilientibus instructi. Lacus exquisitis piscibus referti, aves diversi generis, speluncæ denique cavatæ, incrustatæ, conchyliatæ, & quid non ad voluptatem & usum? quæ omnia non sine aquæ superfusione spectavimus. Reversi in urbem, post prandium cum multa gratiarum actione à sancti Petri monasterio discessimus, onusti libellis & munusculis, quæ nobis Mezgeri fratres contulerunt.

Salisburgo duodecim horarum itinere distat Seonense * cœnobium ex nostris, sic dictum à circumfluo lacu. Adalbertus loci Abbas humanissimus nos benignè excepit, veteres inscriptiones Romanas, aliaque monumenta nobis ostendit, sui monasterii historiam à Stengelio editam dedit, in qua prædictæ inscriptiones referuntur, uti etiam in Metropoli Salisburgensi. * Seon.

Mensis die 4 Wasserburgum oppidum prætergressi (qua die serenissimus Bavariæ Princeps Elector celeribus equis illac transiit voti causà Altœtingam, deinde ad castra Cæsariana profecturus) venimus ad Atlense * sancti Michaëlis monasterium ad Oenum, mox ad Rottense * Ordinis nostri, quod Apostolis Petro & Paulo atque sancto Marino dicatum est. * Attl. * Rot.

Proxima die in Tegernsense *, tum in Benedictoburanum longo circa Tirolenses alpes flexu diversuri, noctem duximus in vico *Wair*, ubi est collegium Canonicorum regularium Ordinis sancti Augustini. Eadem via pridie Marcus de Aviano, Capucinus pietatis famâ celeberrimus, ad castra Cæsaris in extremo Viennæ discrimine properaverat. Nos contrario itinere contendimus in Tegernsense monasterium, sic dictum à lacu, qui unius horarii milliaris longus intervallo, inter Alpium juga valle angusta fluit. In ecclesia visuntur pone altare majus tres loculi ex marmore ad parietem ordinati, quorum unus est sancti Quirini ecclesiæ patroni, alter Chrysogoni martyris, tertius Castorii itidem martyris, unius ex quatuor coronatis. In media navi exstat tumulus Otkarii & Adalberti, sed ab annis tantùm ducentis ex marmore compositus. Hi loci conditores fuerunt, & quidem Franci, qui ex aula Pippini Regis illuc sese receperant. In eadem navi ad aram sancti Virgilii patet sepulcrum Ellingeri Abbatis, quem beatum appellant, tametsi nullo publico cultu honoratum. Is monasterium Benedictoburanum ad rectiorem normam revocavit sæculo XI. In medio choro jacet Caspar Abbas, reformationis (ut vocant) Tegernsensis auctor ante annos ducentos. In bibliotheca plurimi sunt codices mss. quos inter *Cypriani opera* eleganter scripta, sed ab annis circiter trecentis. *Dionysii libri* de cælesti hierarchia, de divinis nominibus, de mystica theologia, *quos de novo transtulit frater Ambrosius Ordinis Camaldulensium, & emendavit. Vita sancti Ruperti* Episcopi Salisburgensis cum veteri nota marginali, quæ sententiam nostram de ejus ætate confirmat. *Quantum elici potest ex successione Regum Francorum sanctus Rupertus floruit anno Domini* DCC XIII. Hæc nota tantùm ab annis 250 scripta, codex ante sexcentos. Amplissimum Martyrologium, in quo Sanctorum acta * Tegernse.

fusè referuntur cum præfatione ad unumquemque mensem. Auctor ait se jussu patris Erchanpoldi id operis suscepisse. Ad hæc variæ Abbatum Tegernseensium epistolæ, ex quibus præcipuas descripsimus; & varii in Regulam nostram Commentatores, plerique Tegernsenses ascetæ.

In vigilia Nativitatis beatæ Mariæ sub vesperam ad Benedicto-buranum * cœnobium accessimus, boni omnis nomen: sed res nec nomini, nec festo respondit. Sollemnis erat ipsa die translatio sanctæ Anastasiæ, cui ecclesia loci dedicata est. Cùm diu in vestibulo monasterii constitissemus, circumstante nos famulorum turba, qui nos avidè prospectabant, quasi ex novo orbe advectos; dictum est tandem nobis non superesse locum in diversorio, propter hospitum, qui eo die illuc convenerant, multitudinem. Hospitii præfectus, vir sanè honestus, visus est id gravatè ferre; obtulitque vadem schedulam ad comparandum noctis insequentis hospitium. Actis gratiis, nulla viatici necessitate nos eò deflexisse reposuimus; sed ad videndum ea, quæ ad historiam monasterii atque Ordinis in suis monumentis pertinere possent. Hoc unum rogare, ut per breve quod ad noctem super erat temporis spatium, liceret monasterium & bibliothecam lustrare. Non potuit negare vir bonus. Itaque vidimus cœnobium novis & præclaris ædificiis instructum, ecclesiam nondum absolutam, bibliothecam elegantem cum pergula ad libros superiores. Vocatus è cœnaculo bibliothecarius adfuit, incoctam bilem in Francos despumans. Multa jactantem comiter excipiebat Michaël noster, evolvendis libris aliàs intentus, patienterque ferebat pro tempore: sed cùm ira longius irent; modestè cum eo pugnabat, non quidem tunc Germanus, sed, ut res exigebat, ex animo Gallus. Ille nihilo placatior; duriora reponere, falsos rumores pro veris in os ingerere. Venit in Michaëlis auxilium Helvetus interpres noster, etiam latinè sciens, qui multa apte de Rege ac de Regno, deque tota gente (& is quondam ex regiis excubitoribus fuerat) honorificè dixit. Hic vix pedem ex bibliothecæ aditu nescio quid visurus extulerat, cùm bibliothecarius fores ipsi cum multo fragore occlusit. Hæc non sine fremitu senserunt in suo regno Musæ humaniores. Interim libros revolvere pergimus, atque inter editos sparsim etiam scriptos invenimus. In illis feliciter unus occurrit, primorum fundatorum Abbatum epitaphia versibus continens, ex quibus constat, eos Francos fuisse. Ergo, inquam, non tam malè de vobis meriti sunt Franci, quibus vestram debetis originem. Et quidem eo titulo nobis jus hospitii vindicare licebat. Sub hæc, dum illi nescio quid mussitant; epitaphia describimus, quorum hæc summa est: Francos germanos, scilicet Lantfridum, Waldramnum, & Gundramnum, ex aula Pippini eò secessisse, atque unum post alterum conditi ab se loci Abbates fuisse. In alio codice homiliis per annum præmittitur Caroli Magni epistola à nobis edita in lib. 1 Analectorum. In alio Acta sancti Fotini & sanctæ Balbinæ martyrum Lugdunensium. Hæc cursim tantùm delibare nobis licuit, cùm instantis noctis tempus cogeret nos in vicum aliquantisper dissitum divertere, ubi duæ tantùm domunculæ erant in regia ad Tirolenses via, sed honestius hospitium, quàm ut in agresti loco nobis sperandum foret.

* Benedict-bayrn.

Die festo beatæ Mariæ, propter loci incommodum (nam ibi nulla ecclesia erat) relictis ad tempus Alpibus, reductoque ad Bajoariæ interiora itinere, Monachium * contendimus, Missâ ad Bolferzhausenum oppidum celebratâ. Monachium fessi pervenimus ad vesperam, quæ civitas serenissimi Principis Electoris sedes ad Isaram * fluvium sita est, in hospitio Galli cujusdam Abbavillensis gallicano more excepti. Quippe ea in urbe nullum est Ordinis nostri cœnobium. Propiùs olim aberat Abbatia Ebersperrgensis, quinque horarum itinere inde distans, nunc unita Monachiensi collegio Patrum Soc. Jesu. Hæc unio facta est tempore Willelmi V. Bajoariæ Ducis, qui Collegium condidit, ecclesiam tanto conditore dignam rexit, ac pretiosis cimeliis ditavit. Proximo die salutatum imus excellentissimum dominum *de la Haye*, Legationibus clarum, tum extra ordinem Missum ad Principem. Litteras ei dedimus: ipse verò nos solita sua comitate ac benignitate complexus, mensaque dignatus est, in currum admisit, omnia quæ in urbe curiosa aut visu digna erant, nobis reserari curavit, ædes sacras, Principis palatium, excepta bibliotheca, in quam non facilè quisquam admittitur citra nutum Principis, qui tunc aberat. Huic rei provisum erat ab illustrissimo Meldensium Antistite, qui pro sua in nos benevolentia litteras à serenissima Delphina in nostri gratiam impetraverat; sed quæ debito fructu caruerunt absente Principe. Inter ædes sacras præcipuæ sunt beatæ Mariæ & sancti Petri parœciales, certè magnificæ & elegantes, nec minùs ecclesia Patrum Soc. Jesu, cujus omnia cimelia R. P. Rector nobis ipse demonstrare non est gravatus. Idem apud Patres Teatinos præstitit eorum Præpositus R. P. Venarius, qui Philosophiam novam nuper quatuor tomis edidit, vir humanissimus. Teatinorum domum haud longe à palatio magnificè condidit Adelaïs Sabauda, serenissimæ Delphinæ parens felicis memoriæ, quæ in Patres Teatinos magnopere propensa erat. Templum novum condidit, ecclesiæ Patrum Soc. Jesu magnificentiâ vix impari. Unius inde viculi intervallo distat Palatium, quod inter omnia Germanica præcipuum est, non tam externo ædium cultu, quàm interiori atriorum & cubiculorum apparatu. Quatuor habet partes, vetus palatii dixeris, cum sua quæque area seu aula. Præcipuum est Imperatoris dictum: cujus scala ad atrium, atriumque ipsum, materiæ atque operis pretio nescio an ulli cedat. In alia porticu infinitam videas antiquarum statuarum copiam: in prospectu è fenestris palatii hortos insignes, ex alia parte armamentarium: ex omni denique gratissimum & saluberrimum cœlum atque adspectum.

* Munich.

* Isera.

Feria sexta, quæ Septembris decima erat, ex castris mandavit Princeps, uti ad commendandam Deo proximam in Turcos Christiani exercitus expeditionem, sanctissimum Sacramentum ad publicum cultum exponeretur per horas quadraginta, nempe ad Dominicam diem, quo hæc insignis actio, qua vix ulla præclarior aut celebrior, patranda erat. Interfuimus, uti decebat, sollemnibus illis precibus, in quibus laudabilis sanè viget institutio. Nempe si quando divina Eucharistia spectabilis exponitur, invitantur ostiatim à Parocho singulæ familiæ, ut per turmas ad orationem conveniant, quod fit secundum cujusque ordinem, ut viri seorsim, deinde feminæ conjugatæ, mox juvenes adolescentes, ac puellulæ item juvenes, denique tum servi, tum ancillæ post certum orationis spatium sibi ipsius ex ordine succedant.

Insequenti die venimus in Andecense * nostri Ordinis monasterium, quod alio nomine Mons-sanctus appellatur, sex horarum itinere Monachio distans, in colle situm, ex quo gratissimus circumquaque prospectus. Sed præ omnibus jucundus nobis fuit conspectus urbanissimi Abbatis Mauri, viri docti, & Bajoariæ monasteriorum Visitatoris, qui Andecenses ædes ex integro, cùm ante annos novem igne cœlesti deflagrassent, elegantissimè restituit. Ecclesia beatissimæ Virginis cultu celebris ac reliquiis: biblio-

* Andexi

theca optimis libris referta, sed ingeniosis emblematibus ac picturis à Mauro Abbate ornata, quam idem auget in dies.

Vvesbrun. Postera die Wesbruonensis * Benedictinæ item familiæ Abbatia, quatuor inde leucis, nobis sese obtulit; antiqua quidem, sed non ita splendida & elegans. In media ecclesiæ navi prostat antiqua Crucifixi imago ad tumulum duorum Welfonum, qui monasterii instauratores fuerunt. In horto copiosè scaturiunt tres fontes, qui Wesonis dicuntur; Weso autem filius Tassilonis, à quo Wesone ejusque fonte inditum loco nomen fuerunt. In bibliotheca non multi supersunt codices antiqui. Plerosque ante annos quingentos descripsit *Diemoth Sanctimonialis*: quo nomine exstitit sæculo decimo apud Saxones Demoth Abbatissa Winethusinensis.

* Fuessen. Inde ingressi rursus ad Tirolenses Alpes declinavimus, visuri Faucense * Ordinis nostri cœnobium in diœcesi Augustensi, à sancto Magno primitus conditum, quod à Wesbrunensi tredecim leucis distat. Medio in itinere sita est Præmonstratensium Abbatia Stæn-

* Stainagden. gadensis * anno 1147. constructa. Illic cùm ad publicum hospitium prandii causâ divertissemus, hoc intellecto Abbas loci humanissimus, & meliori quidem valetudine dignus, (quippe qui ex passione colica totos contractus est) nos vini honorarii & piscium munere, homines exteros, nec aliunde sibi notos, recreavit. Fauces occidente sole advenimus, oppidum ad Lycum fluvium, qui oppido monasterium originem dedit. Hîc modica librorum supellex, tametsi mss. non desunt, plerique recentiores; tenues facultates. Abbas modestus, qui historiolam monasterii sui nobis concessit. In folio cujusdam codicis inter alia invenimus instrumentum nobilis matronæ Azilæ *de Musteren*, quæ pro remedio animæ suæ & conjugis sui Otilonis dat ecclesiam de *Roderatshoven anno Incarnationis Domini* DCCCCXVIIII *sub Papa* MARINO, *sed Rege* HEINRICO, *qui tertius post Ludowvitum fuit*, *sub Duce Alamannorum* BURCHARDO, *sub Antistite Augustense* HILTINO, *sub Abbate* GISILONE. Subscribit inter alios DIEPOLDUS *provinciæ Comes*. Hunc locum refero propter nomen Marini Papæ, quo nomine Pontifex ad Romanæ ecclesiæ clavum tunc non sedebat, sed Joannes X. An is & Marinus dictus? Similis difficultas occurrit in actis sancti Udalrici Episcopi Augustensis, qui Romam adiisse anno 909. dicitur Marino Pontifice. An Marius quidam per illa tempora, quibus indigni plerique Pontifices sanctam illam sedem occupabant, pro Pontifice habebatur à Germanis? Fateor me hærere. At hæc itineris diverticula prætereo.

Die festo Exaltationis sanctæ Crucis, proximo post Idus Septembris, iterum Campidonam ex condicto revertimur, non minori quàm primùm humanitate ab illustrissimo Abbate accepti. Postridie, quæ feria quinta erat hebdomadæ, in quam incidebant quatuor tempora, ex annuo more sollemnes habitæ sunt preces pro benefactoribus; & quidem duæ Missæ celebratæ, una de defunctis, altera de beata Maria. Hujus rei causâ convenerunt omnes parochi ecclesiarum, quæ à Campidonensi Abbatia pendent, numero triginta quinque, atque Missas singuli pro defunctis persolverunt. Idem fit ad singulas quatuor temporum vices, feriis quintis, cum antea in ipsis jejunii diebus fieret, sed propter insequens epulum, religionis causâ in vacantem feriam hic ritus differendus visus est. Iisdem quatuor temporibus subditi quique in Germania persolvunt census suos, quos *Angarias* vocant. Hinc quatuor tempora vulgari nomine *Angariæ* appellantur.

* Insprue. Ipsa die sub vesperam Oeniponte * perlata sunt felicia nuntia, nempe solutam esse tandem obsidionem Viennensem, Turcorum castra perfracta; cæsa ex eis octo millia, reliquos cum magno Viziro fugatos; impedimenta & pretiosam supellectilem in Christianorum potestate relicta; denique diem Dominicam, Septembris duodecimam, hoc insigni facinore consecratam fuisse. Timidior fuit primum de hoc faustissimo nuntio lætitia. Neque enim satis tutum videbatur, re nondum confirmata, animum permittere gaudio tam ingenti, tamque insperato: cùm huc usque mali ominis plena fuissent omnia. Sanitati nihilominus Christianorum heroum, qui Turcos debellasse ferebantur, propinatum est, sed modestè, ut in tanta festivitate.

Die 17 cum plurima gratiarum actione Campidonâ discedentes, iterum redimus ad Weingartense monasterium, ac sequenti die reverendissimus Abbas, recens ordinatus, per domnum Maximilianum nobis amicissimum curavit nos deduci in Salemense * * Salem Vveiler.
Ordinis Cisterciensis cœnobium, vivente sancto Bernardo anno 1137. constructum. Huic præsidet eximius Abbas, Germaniæ superioris monasteriorum Commissarius Generalis, eruditus vir & ingenii elimati, qui nos magna comitate sequenti die detinuit. In bibliotheca invenimus codicem unum inter alios, in quo Ratramni liber de corpore & sanguine Domini continetur sub hoc titulo: *Incipit liber Ratramni de perceptione corporis & sanguinis Domini ad Karolum Magnum*, id est Calvum, qui *Magnus* non semel appellatus est. *Jubes gloriose Princeps*, &c. In fine, *Explicit liber Ratramni de corpore & sanguine Domini*. Tum, *Incipit secundus de prædestinatione ad eumdem*. Codex ante annos septingentos scriptus videtur, & quidem ante Salemium conditum. Ad hæc ibidem habentur *historia expeditionis Jerosolymitana* sub Frederico Ænobarbo, quam alibi etiam reperimus. *Statuta alterius Friderici* contra constitutiones Pontificias: *Bernonis Abbatis Augiensis opuscula* inedita, de quibus infrius suo loco: *Acta Concilii Constantiensis* in maximo folio cum egregiis figuris & symbolis gentilitiis eorum omnium, qui Concilio interfuerunt. Initio hæc præmittitur inscriptio: *Hic sequuntur tituli ceremoniarum depictarum in libro Concilii Constantiensis: quem cives composuerunt anno Domini* 1414. *Extractum anno* 1491.

Die 21 Septembris Salemio discessimus Constantiam aditum, quæ à Salemio non ampliùs quinque horarum intervallo distat. Erat sancti Matthæi Apostoli festus dies, quo die Uberlingæ * oppidi, quà * Uberlingen.
transeundum erat, portas clausas offendimus (is ubi hostium metum mos est in plerisque locis munitis) tempore divinorum. Portis urbis nihilominus reseratis, atque lacu transmisso, pervenimus tandem ad priores portas suburbii Constantiensis, in quo situm est Petroborgense * Ordinis nostri monaste- * Petershausen.
rium, Rheno fluvio & ponte sublicio divisum ab urbe, quæ Cæsareis addicta est. Sciebamus morosos istic esse adventantium exquisitores. Quod in causa fuerat, ut ne à Constantia (quod itineris consequentia exigere videbatur) inciperemos. Ad interrogata respondit dux noster Maximilianus, Weingarto nos venire affirmans. Ingredimur, Petroburgenses nostros invisimus, animo inde recedendi visa ecclesia cathedrali, in qua celebre illud habitum est Concilium: cùm nulla nobis spes esset quidquam reportandi ex illa urbe, cui nos ob innatam de Francis suspicionem non admodum acceptos fore sciebamus. Post prandium socio nostro clam me suggestum est, Consiliarium quemdam Cæsareum à Cæsareo ministro accepisse litteras, quibus significabatur, Benedictinos duos Gallos cum interprete totam peragrare Germaniam, incertum qua causa;

profecturos demum Constantiam, non accuratè investigari & interrogari eos per Commiarium oporteret: Abbati Petroburgensi rem denitans per Consiliarium, postulato, si eo diverteremus, sic ut moneret. Conspiratione hac detecta, egressum invisa urbe maturavimus, Augiense monasterium adituri. Ita Cæsareorum insidias declinavimus.

* Richenow. Augia * cognomento Dives, ab antiquis appellata, in exigua Rheni insula posita est duabus infra Constantiam leucis. Locus quondam non minùs litterarum studiis, quàm religione insignis, à ducentis pæne annis Abbatem non alium habet quàm Constantiensem Episcopum, qui Religiosos illic alit numero tredecim. Biduum nos cordatissimo affectu detinuit R. P. Prior. Ecclesia non admodum elegans, sed antiqua. Ibi exstat Caroli Imperatoris, cognomento Crassi, lapis sepulcralis vetus, cui ejus epitaphium inscriptum est. Versus ad parietem recenti scriptura in commodum lectorum depicti sunt, quos hic appono.

Pannonas & Cimbros diverso marte subegit,
Carolus a crasso corpore nomen habens.
Sed bene quas juvenis regni tractavit habenas,
Hic iterum senior despoliatus obit.

In bibliotheca Augiensi sunt codices permulti venerandæ antiquitatis: tantùm quosdam hic notare juvat. Liber in majori forma insignis, in quo habentur omnes *Patrum expositiones in Orationem Dominicam*, atque etiam *variæ fidei Confessiones*. In alio *Relatio Symmachi præfecti urbis Romæ ad Theodosium*. Tum *Ægidii libri quinque adversus hæreses*; ad hæc *epistola Vitalis & Tonantii ad Capreolum Episcopum*, & ad consulta *responsio*. Gregorius Turonensis *de gloria Martyrum* antiquissimus. *Homiliæ a Paulo Diacono digestæ* in duobus magnis voluminibus, scriptæ ab annis octingentis. Sirmundi PRÆDESTINATUS cum hoc titulo, qui dilutiori tantisper atramento scriptus est, sed antiqua manu: OPUS SANCTI PRIMASII DISCIPULI AUGOSTINI DE HÆRESIBUS NUMERO XC. Habetur alius in bibliotheca metropolitanæ ecclesiæ Remensis absque nomine auctoris ex dono Hincmari, is, quo Sirmundus usus est in sua editione adornanda. Augiensis codex scriptus est ante annos octingentos. Isidorus Hispalensis Episcopus in cap. 9 de Scriptoribus ecclesiasticis mentionem facit de Primasio Episcopo, qui *composuit sermone scholastico de hæresibus libros tres, directos ad Fortunatum Episcopum: explicans in eis quod olim beatus Augustinus in libro hæreseon imperfectum, morte interveniente, reliquerat: in primo ostendens quid hæreticum faciat: in secundo & tertio digerens, quid hæreticum demonstret*. Isidorus addit, eum claruisse *Juliano regnante*. Hoc Primasii specimen non malè convenit Prædestinato vulgato, qui distinctus est in libros tres, sed absque Fortunati Episcopi appellatione, recensetque octoginta octo hæreses ab Augustino assignatas in libro ad Quodvultdeum: quibus duas alias addit Nestorianorum & Prædestinatorum, nulla Eutychianorum facta mentione. Sed hæc non sunt hujus loci.

Septembris die 25 trajecto lacu, in oppidum quod Ratolfi-cella appellatur, appulimus, cujus loci ecclesia sancto Ratolfo Abbati dedicata est. De ea cecinit Georgius Tibianus apud Goldastum.

Urbe antiqua viget Ratolfi-cella vocata,
Florigeri hic colles, pictaque prata virent.
Hic numerosa juga & scopulosi vertice colles,
Udaque perpetuo gramine terra viret.

Sequenti die Villingam accessimus, salutato inter eumdem montem * Duellio, ubi olim Ordinis nostri monasterium, cujus Abbas sæculo nono Waldfredus, ibidem sepultus non sine opinione sanctitatis:

* Dviel, nunc Hochenvviel.

nunc arx Ducis Wirtembergensis. Medio in itinere Danubium tribus aut quatuor ab origine leucis angusto ponte ligneo transivimus. Villinga * oppidum est Austriacæ domus hæreditarium ad Brigam * fluviolum, ubi refugium habuerunt cœnobitæ Benedictini sancti Georgii, quod cœnobium, duabus inde leucis situm, non ita pridem invasit Dux ipse Wirtembergensis. Itaque Villingæ degunt Religiosi numero duodecim, quorum Abbas septuagenarius, historiæ nostræ studiosissimus, & Prior D. Georgius Geysserus studiorum nostrorum fautor singularis, omni nos humanitatis & caritatis officio exceperunt.

* [illegible]
* [illegible]

O qui complexus & gaudia quanta fuere.

In ea urbe apud Minoritas, Observantinos vocant, multi habentur codices scripti, sed nullius momenti.

Postridie dum abitum paramus, dum optimus Abbas in procumbentium colla ruit, ille sacculum nummis plenum in manus meas injecit, multis obtestatus, suo ut de paupere censu tantillum hoc in viatici supplementum acciperemus. Ego verò, quasi receptâ prunâ, protinus manum excutiens, gratiis dictis, cùm ille donum urgere perseveraret: Et nos, inquam, omnium hominum ignavissimos, si tam liberaliter à vobis excepti, etiam pecuniam hanc, nullius indigi, acciperemus. Abbas contra instare ardentiùs, favente Geyssero. Sed tandem illi cedere coacti, nos haud sine lacrymis dimiserunt, dato honesto comite, qui nos per Herciniam silvam deduceret. Horrescit animus ad solum Herciniæ nomen, ubi horrida omnia, loca invia: ubi nullus fere vicus, præter oppidum Ercubachum, quod quasi Herciniæ gentis caput est, nobis occurrit. In convallibus angustissimis prata sunt sat pinguia ad pastum pecorum, montium & collium declivia ferendis segetibus ingrata, immo & alendis uvibus, ob nimiam herbarum (uti aiunt) pinguedinem. Variæ hinc inde casæ cum suo pleræque molendino, in quod aquæ derivantur per canaliculos ex tubis abiegnis. Abietes annosi passim, sponte in truncum cadunt, & putrescunt, cum convehendis impares sint multis in locis viæ. Ex illis viis inviis, immo præcipitiis non evasissemus, nisi ducem nobis dedissent boni nostri Villingenses. Ipsa die tandem accessimus ad monasterium sancti Petri, quod tribus à Friburgo Brisgoviæ leucis distat, in extrema silva Hercinia, ubi paulo liberius cælum esse incipit. Monasterii ædes instaurabuntur, quæ à Cæsarianis nuper, cùm Galli milites istic præsidium statuissent, subjecto igne consumtæ sunt, nostris tamen ab igne & hostium manu intactis.

Inde Friburgo, Brisaco, & Columbario * permeatis, venimus in monasterium Vallis-Gregorianæ * è Congregatione sancti Vitoni: ubi nobis humanitas omnis exhibita est. Locus olim etiam *Confluent* dicebatur, ob confluxum duorum rivulorum, quorum unus nomine *Bernewbach*, in alium si fluit, qui *Fachina* dicitur, uti nos docent Ludovici Pii diploma Gottefrido Abbati concessum.

* Colmar.

* Munster seu Gregorienthal.

Die 30 Septembris per Alsatiæ amœnissimam plagam, qua nullam jucundiorem aut fertiliorem vidisse memini, Argentoratum tendimus per vallem Leporinam, in qua Cella, vocabulo Lebraha, olim condita est à Fulrado Abbate: cui etiam originem suam debet vicina sancti Hippolyti Præpositura, qua mobiter salutavimus. Oppidum in declivi montis positum, hactenus sancti Hippolyti * nomen retinet. Tribus inde leucis abest Schelestadium, ubi Prioratus sanctæ Fidis, Cluniaco quondam, nunc Patribus Soc. Jesu addictus, qui ibi Collegium habent. Schelestadium prætergressi, venimus ipsa die

* S. Bilt.

** Ebersmunster.* in monasterium Ebershemiense *, quod nomen Apri locum significat, dictum olim *Novientum*, regnante Theoderico Chlodovei junioris filio conditum ad fluvium Illam. Atticus, sanctæ Othiliæ pater, monasterii auctor fuisse traditur. Antea eodem in loco Dianæ fanum fuisse ab Julio Cæsare erectum ferunt. Secundus loci Abbas Columbus Cellæ ecclesiam à se conditam per sanctum Pirminium dedicari curavit. Deodatus regnante Carolo Magno ibidem Abbas pro sancto habetur. Templum & officinæ regulares, à milite Suecico violatæ, modò instaurantur à Bernardo Abbate humanissimo. Ab eo loco duabus tantùm leucis abest Andelagense * cœnobium, à Richarda Imperatrice, Caroli Crassi uxore, conditum, ejusdemque secessu illustratum, quod modò Canonicarum est. ** Andlauv.*

Die 1 Octobris Argentoratum venimus, urbem maximam, situ & civium frequentiâ nulli in illis partibus secundam, munimentis Regis Christianissimi jussu recens exstructis incomparabilem & inexpugnabilem. Ea in urbe bis sacra fecimus in principe beatæ Mariæ ecclesia, cujus rotundus fornix Orientem versus ævo Caroli Magni constructus dicitur, cetera recentiorum sunt temporum. Porta ecclesiæ major elegantissimè fabricata, altissimam habet turrim, quantam nusquam vidimus, exquisito opere concinnatam, cui aliæ duæ adjiciendæ erant, sed infectæ. Publicam urbis bibliothecam vidimus auspiciis *clarissimi & eruditissimi Ulrici Obrechti, urbis Advocati generalis & Archivarii, qui nos honorario vino non semel, librisque ab se editis donavit, & suam ipsius bibliothecam librosque varios, doctis observationibus ad marginem sua manu distinctus nobis ostendit.

Post duos dies ex urbe profecti, in Vogesi saltus secundùm longos & asperos montes, qui Alsatiam à Lotharingia dirimunt, contendimus, pertransitu primum Molsheimio, quinque ab Argentorato leucis, ubi ante subactam à Rege urbem Capituli Argentoratensis sedes erat. Post Alsatiæ montes superatos, primum nobis occurrit Senoniense * monasterium, aptissimè ad regularem disciplinam concinnatum à reverendissimo Joachimo Vivino, Congregationis sancti Vitoni Abbate regulari, qui nos cum magna benevolentia excepit. Duplex ibi ecclesia, una beatæ Mariæ rotundo opere, à sancto Gundelberto Episcopo ac primo conditore exstructa: altera sancti Petri, qua nunc Religiosi utuntur. Postea lustratâ sancti Deodati * ecclesiâ, cujus majorem Præpositum venerabilem ac doctum D. Riguetum salutavimus, ad Medianum * monasterium divertimus, ubi absente reverendissimo Abbate nihilo minùs accepti sumus ea humanitate, quæ reverendis Patribus Congregationis sancti Vitoni familiaris est. Eamdem experti sumus in aliis Lotharingiæ & Campaniæ monasteriis, præcipuè apud sanctum Michaëlem ad Mosam; cujus loci Abbas clarissimus D. Henricus Henesso, amicus noster, nos solitâ benevolentiâ complexus est. Eadem Virduni, eadem Mosomi humanitas.

** Senone.* ** S. Dié.* ** Moyenmontier.*

Sedanum cum pervenissemus, audito illustrissimum Remorum Archiepiscopum Ducem ipsa die Carolopolim advenire, eum adivimus, tum ut obsequia ipsi nostra exhiberemus, tum ut itineris nostri, cujus approbator fuerat, rationem eidem rédderemus. Qoanta verò nos bonitatis significatione exceperit, nec reticere decet, nec licet nobis exprimere. Demum lustratis Remis, beatissimæ Virginis Lætitiensis ecclesiam, convenimus: ubi actis Deo opt. max. pro felici itineris successu gratiis, Laudunum, deinde Suessionas, ac postmodum Meldas, ubi illustrissimum Antistitem, qui nostro etiam itineri faverat, salutavimus, profecti, tandem Parisios sani & incolumes nos recepimus.

Vix domum appuleramus, cùm ab uno è nostris, amico meo, litteris mihi significatum est, apud Suessiones inter rudera eversi torcularis inventam esse sequentem inscriptionem, lapidi antiquitùs incisam.

ISI
MYRIONYMAE
ET. SERAPI
EXSPECTA......
METIS. AUG. D...
V. S. L.

Similis est inscriptio apud Gruterum de Iside *myrionyma*, pag. LXXXIII. cujus tituli rationem affert Johannes Marshamus in chronico Canone Ægyptiaco pag. 15x. nempe quod variis nominibus Isis afficeretur. Altera pars nostræ inscriptionis, *Serapi exspectato* seu *exspectatissimo*. Auctor, METIS, fortè *Augur Deorum, vota solvit lubens*. Quæ studiosis examinanda relinquimus.

Hactenus longum iter, Lector, brevi stilo descripsi, tametsi longiorem fecit haud dubiè sermonis & observationum jejuna exilitas. Multa de moribus variarum gentium, quas vidimus, adnotare nobis fuisset in promtu, si ita convenire existimassem. At ne aut laudato quibusdam adulari, aut improbando aliis detrahere viderer, multa suppressi. Quod si in nonnullis præter modestiæ leges quædam retulisse de nobis honorificentius, quàm par erat, quidam existimet; reputet apud se quisquis ejusmodi est, id me eo animo fecisse, ne eorum beneficiis, qui nos obstrinxerant, ingrati videremur. Et porro præcipuus hujusce descriptionis scopus est, ut omnes agnoscant, quantum publica res litteraria illustrissimo Colberto debeat, qui post alia longè majoris momenti itinera, ex Regis munificentia in artium & scientiarum gratiam ab ipso procurata, etiam hoc qualecumque fieri curavit. Hic inquam est hujus itinerarii scopus. *Maximum* enim *existimo quæstum, memorem gratumque agnosci*. Porro etsi aliis non proderit, nobis certè profuerit satisfecisse officio, implesse quod debemus.

FINIS.



VARIÆ OBSERVATIONES

Ex MS. codicibus Germanicis.

I.

IN Pænitentiali Rabani apud Stevartium edito : occurrit quoddam glossema & quidam hiatus in cap. 33. quod utrumque clarissimus Baluzius ex conjectura sanare curavit. Id verò perficere juvat ope duorum veterum codicum, quorum unus est monasterii S. Galli, scriptus ab annis circiter sexcentis : alter est eruditissimi Antonii Fauri Doctoris Sorbonici, qui nobis eum pro sua humanitate communicavit. In utroque inscribitur EPISTOLA HRABANI ARCHIEPISCOPI AD HERIBALDUM ALCSDRONENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUM *, uti hunc titulum Baluzius restituerat. Sic autem contextum capitis 33. exhibet codex sancti Galli.*

Quod autem interrogasti, utrum ΑΤΘΣΤΡΑΚΤΗ postquam consumitur, & in secessum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam pristinam quam habuerat, antequam in altari consecraretur : superflua est hujusmodi quæstio cum ipse Salvator dixerit in Evangelio : Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. CAKPAMHNΘY ergo hroproc & siniugnas ińd. ex rebus visibilibus & corporalibus conficitur : sed invisibilem tam corporis quàm animæ efficit sanctificationem. Quæ est enim ratio, ut hoc quod stomacho digeritur, & in secessum emittitur, iterum in statum pristinum redeat, cùm nullus hoc umquam fieri asseruerit ? Nam quidam nuper de ipso Sacramento corporis & sanguinis Domini non rite sentientes dixerunt, hoc ipsum esse corpus & sanguinem Domini quod de Maria Virgine natum est, & in quo ipse Dominus passus est in cruce, & resurrexit de sepulcro. Cui errori, quantum potuimus, ad Egilum Abbatem scribentes, de eroproc opsi quod verè credendum sit aperuimus.

En integer locus ex codice Gallensi : nisi quod duo vocabula ex alio addidimus, ex quibus sensus planior efficitur : unum ad hæc verba, Sacramentum ergo, *cum in Gallensi legatur ,* Sacrameotum est. *alterum ad ista ,* dixerunt hoc ipsum esse, *ubi* ni esse, *quod in Gallensi subintelligendum est , rectius exhibet codex posterior Antonii Fauri. In utroque porro deest glossema illud , quod in editis ante Baluzianam correctionem post hæc verba, &* in secessum emittitur, *legebatur in hunc modum :* Ista sententia contraria est sententiis Clementis Papæ, & aliorum multorum sanctorum Patrum, qui dicunt, corpus Domini non cum ceteris communibus cibis per aqualiculos in secessum mitti ; *quod merum esse glossema recte vir sagacissimus advertit.*

In codice sancti Galli quædam occurrunt barbara vocabula quæ cum in aliis forsan codicibus occurrissent, variæ interpretationi locum dederunt, qualis in posteriori codice habetur. Ideo verò sancti-Gallensi potius usus sum, ut hujus loci explicatio possit esse documento ad similes explicandos. Hæsimus, fateor, aliquandiu in evolvendis illis tricis, ut OEdipo hic opus esse crederemus. Sed tandem vera lux nobis Deo dante effulsit, animadvertentibus, pleraque illa inverso modo legi debere, præter secundum vocabulum quod litteris græcis recto ordine scriptum est : Sic itaque lectio instituenda. ΑΥΘCΥΡΑΚΥΗ, *inverte litteras, & invenies ,* Eucharistia *, ut in editis : pro quo codex posterior reposuit,* Corpus Christi & Sanguis, *non ita recte, cum* Eucharistia *etiam symbola importet, ex mente auctoris. Secundo* CAKPAMHNTY, *id est* Sacramentum. *Quod sequitur,* hroproc & siniugnas ińd. *lege inverso modo singula, & ex his ista lectio consurget ;* corporis & sanguinis Domini. *In fine,* de eroproc opsi, *secundum eumdem modum ita reddi debet ,* de corpore ipso, *& sic omnia plana erunt. Fortasse simili exemplari usus est Stevartius, qui vocabulum* ińd. *putavit idem esse atque* id est, *quod sensum aliquo modo interturbabat. His ita restitutis, non erit necesse quidquam addere ad illa verba* & resurrexit de sepulcro, *cum satis ista, quæ vir doctus supplenda existimaverat , subintelligantur , nempe* idem esse quod sumitur in altari ; *quæ verba ab utroque codice absunt, nec verò sunt modò ad rectum sensum necessaria.*

Neque dissimulare licet, in codice posteriori quædam paullo aliter legi quam in codice S. Galli, hoc nempe modo : Quæ est enim ratio, ut hoc quod stomachu digeritur, & in secessum ut stercus emittitur, &c. *Verum duo penultima verba, quæ tum in codice sancti Galli, tum in editis desunt, adjecta fuisse vix dubito.*

Affine est quod legimus in codice Salemensi, ante annos septingentos exarato : in quo vulgatus Bertrami de Eucharistia liber, quem nonnulli Joanni Scotto tribuendum voluerunt, hanc inscriptionem præfert : Incipit liber Ratramni de perceptione corporis & sanguinis Domini ad Karolum Magnum . *id est Calvum, qui nonnumquam* Magnus *dictus est, ut alias demonstravi. Tum liber incipit :* Jubes gloriose Princeps, ut quid de sanguinis & corporis Christi mysterio sentiam, vestræ magnificentiæ significem. &c. *Et in fine :* Explicit liber primus Ratramni de corpore & sanguine Domini. Incipit secundus de Prædestinatione ad eumdem. Domino glorioso, &c. *Confer Sæculi 4 Benedictini Præfationem primam.*

II.

In eodem, ni fallor, sancti Galli codice, in quo Pænitentialis Rabani reperitur, exstant fragmenta quædam aliorum Pænitentialium, nempe Vinniani, & Cummeani Abbatis Scotti, eomodo quo sequuntur.

PÆNITENTIALIS VINNIANI. Si quis in corde suo per cogitationem peccaverit, & confestim pænituerit, percutiet pectus suum, & petat à Deo veniam & satisfactionem ut sanus sit. Si autem frequenter cogitaverit, & dubitet facere, aut victor, aut tunc victus fuerit, petat à Deo veniam per orationem & jejunium diebus & noctibus, donec evanescat maligna cogitatio, & sanus sit. Si quis cogitaverit, & voluerit facere, sed facultas prohibuerit eum unum peccatum, sed non eodem pænitentia : v. g. Si fornicationem voluerit aut homicidium, quia effectus non explevit voluntatem, jam peccavit in corde suo, sed celeriter pænitere potest, . . . adjuvari pænitentia ejus. Ipsa est dimidium unum. Per mensuram (lege mensem . . .) & annum totum abstineat se à vino & à carnibus.

CUMMEANI ABBATIS in Scotia orti. De remediis vulnerum secundum priorum Patrum diffinitionem dicturi, sacris tibi eloquiis, mi fidelissime Frater, antea medicamina compendii ratione intimemus. Prima itaque est remissio, quâ baptizamur in aqua... Seconda remissio caritatis... Tertia eleemosynarum fructus... Quarta profusio lacryma-

rum ... Quinta leinimum confessio ... Sexta afflictio cordis & corporis ... Septima emendatio morum ... Octava intercessio sanctorum ... Nona bona misericordiæ, & fidei meritum ... Decima conversio & salus aliorum ... Undecima indulgentia & remissio nostra ... Duodecima passio martyrii. *It est Cummeneus Albus, qui septimo saeculo floruit, scripsitque vitam sancti Columbæ Abbatis Hiensis.*

III.

* *In tomo primo Analectorum edita est Disquisitio de Bedæ commentario in Paulum ex scriptis Augustini: quem commentarium alium à vulgato inter opera Bedæ, atque ineditum esse contendimus: vulgatum autem Floro Diacono Lugdunensi tribuendum. Nunc vero celare non debeo, quid in sancti Galli Bibliotheca super hac re invenerimus. In tribus voluminibus tota continetur expositio Bedæ adscripta, sed sub nomine* Flori Presbyteri. *Codices scripti sunt ab annis octingentis, ut probat ipsa forma litterarum Carolina. Et quidem apud Ratpertum monachum de casibus monasterii S. Galli, cap. 10. inter libros quos Harmotus Abbas (is Grimaldo successit anno DCCCLXXII.) describi curavit, recensentur.* Collectanea Flori Presbyteri de voluminibus sancti Augustini in epistolam Pauli ad Romanos. *Idem titulus legitur in alio codice, in quo habetur expositio in priorem ad Corinthios. Hic* Presbyteri *titulus fortasse Trithemium movit, ut Florum hunc distingueret a Floro Diacono Lugdunensi. Quamquam non dubito, Florum horum commentariorum auctorem haud alium esse à Lugdunensi, qui similes in Paulum expositiones ex duodecim aliis Patribus contexuit, excepto Augustino, quem quum ejus doctrinam mirifice colebat, ab hac sedulitate indubiè non exclusit. Florus notatur inferius in indice scriptorum monasterii Augiensis.*

IV. *

De auctore sermonis, qui quotannis in festo Sanctorum omnium legitur, non est constans veterum librorum inscriptio. In vulgatis Bedæ tribuitur in codice Fuliensium Parisiensium scripto ab annis quingentis Rabano: at in sancti-Gallensi, qui annos sexcentos superat, ita inscribitur: In festivitate omnium sanctorum sermo Walfridi Abbatis, *nempe Augiensis, cognomento Strabi seu Strabonis. Rabanus hujus sermonis fragmenta quædam refert in lib. 3. de modo Pœnitentiæ ad Otgarium cap. 12. & 13.*

V.

In duobus magnis voluminibus bibliothecæ Augiensis ab annis octingentis descripta sunt Homiliæ à Paulo Diacono digestæ jussu Caroli M. ad quem hi versus initio præmissi sunt.

Summo apici regum Regi, dominoque potenti
Dat famulus supplex verba legenda suus.
Ampla mihi vestro est humili devotio servo
Præceptis parere tuis, celeberrime regum:
Quem Deus omnicreans Rector miseratus ab alto
Christicolum populis defensoremque patremque,
Sit licet effectus modicis pro viribus impar,
Ingens ardenti tamen est sub corde voluntas.
En justus Patris Benedicti mira patratis,
Auxilio meritisque piis vestrique fidelis
Abbatis dominique mei, etsi jussa nequivi
Explere ut dignum est: tamen ô pietatis amator,
Excipe grataniter, decus & mirabile mundi,
Qualemcumque tui famuli, Rex magne, laborem
Quodque sacro nuper mandasti famine condi;
Nunc opus acceptans, rutilo comitare favore,
In quo si quid labis erit vitiique nocentis,
Illud vestra sagax nimium sapientia purget,
Utque legi per sacra queat domicilia Christi
Nullius titubante fide, si sensibus altis,
Ennae ut cupio, vestris utcumque placebit,
Firmum oro capiat vestra sanctione vigorem.

Carolus Dei fretus auxilio, Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, religiosis lectoribus nostræ ditioni subjectis. Cum nos divina semper domi forisque clementia, *&c. ut in editis Spiræ apud Petrum Drach anno 1482, & apud Michaelem Cholinum anno 1557, & in tomo 1. Analectorum. In editione Cholini præfigitur hic titulus:* Paulus Diaconus.

Utere felix	Carole Princeps
Munere Christi	Atque togatæ
Pluribus annis	Arbiter orbis
Luxque decusque	Dardanidæque
Magne tuorum,	Gloria gentis.

Post superiorem epistolam in codice Augiensi legitur hic titulus:

In nomine omnipotentis Dei incipiunt Omeliæ sive tractatus beatorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Leonis, Maximi, Gregorii, & aliorum venerabilium Patrum, legendi per totius anni circulum, tam in singulis Dominicis diebus, quamque & in reliquis divinis festivitatibus, id est Nativitate Domini, necnon Epiphania, seu Pascha, Ascensione quoque Domini sive Pentecoste, vel etiam festis Apostolorum, Virginum, Martyrumque seu Confessorum, jejuniorumque diversorum: quorum omnium ordine suo adnotatio inferius continetur.

Hebdomada v *ante Natale Domini.*

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore cum sublevasset oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, &c. Omelia beati Augustini de eadem lectione Miracula quæ fecit Dominus noster J. C. sunt quidem divina opera, &c.

Hebdomada iv *ante Natale Domini.*

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum. Cum adpropinquasset Jesus Jerosolymis, & venisset Bethphage, &c. Omelia beati Joannis Episcopi. Puto res ipsa exigit, &c. *ut in editis.*

Hebdomada iii *ante Natale Domini.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum. Erunt signa in sole, &c. Omelia beati Gregorii Papæ.

Hebdomada ii *ante Natale Domini.*

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem: Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, &c. Omelia beati Gegrorii.

Hebdomada i. *ante Natale Domini.*

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Miserunt Judæi ad Jerosolymis, &c. Omelia sancti Gregorii.

Homiliarium istud postea emendavit Alcuinus, ut in ejus Elogio fusius exposui. Sed hoc in præmisso Pauli Homiliario notandum, quod multa homiliæ in vetustis illis codicibus desunt, quæ subinde ab aliis adjecta sunt, puta Herici, & quorumdam aliorum. Deinde dies Dominicas Adventus non à primo, ut modò, sed à quinta vel quarta ante Natale Domini numerari quod apud veteres in more positum fuit. Tertio alia Evangelia quàm quæ nunc in duabus primis assignata. De alio Homiliario vetustissimo egimus in libro de Liturgia Gallicana.

VI.

Codex quidam sancti Udalrici apud Augustam Vindelicorum continet expositionem in epistolas Pauli sub hoc titulo & initio. Incipit expositio Benedicti in epistolas Pauli. Dicta apostolica lecturi, montem cælestis desiderus conscendere satagimus, &c. *Nihil*

continet notatu dignum. Codex est annorum circiter septingentorum. An is Benedictus Anianensis?

VII.

Apud Augienses nostros occurrit Walafredi Abbatis expositio in psalmos LXXVI, *incipiens à primo in hunc modum:* Omnis scriptura divinitus inspirata veteris ac novi Testamenti ad imitationem mediatoris Dei & hominum hominis Jesu-Christi, &c. *Tomus alter amissus videtur.*

Prognosticon futuri sæculi, *auctore Juliano Toletano, hos versus præmittit in veteri codice S. Galli.*

Utere feliciter, SPASSANDA Papa,
Jugiter per sæcula longa.

Initio cujusdam codicis ejusdem monasterii de Computo, hæc leguntur. Hoc etenim volumen condidi, antequam indignus WINITARIUS Abba forem, meis ex propriis sumptibus egi pro tui Christe redemptor amore, &c.

VIII.

In alio codice S. Galli, qui ad annos nongentos accedit, post Regulam sancti Benedicti, nempe post hæc verba, Deo protegente pervenies, amen, *hæc leguntur.* Equidem sanctus Pater Benedictus qualitate .... Ordinis pænitentiæ modos instituit: sed unde de quibusdam causis intimavit dicens: Si quis hoc aut illud perpetraverit, disciplinæ regulari subjaceat. Ipsius quippe disciplinæ mensuram in arbitrio Abbatis judicandam permisit: quia dum qualitatis morum vel personarum innumerabilis est diversitas, potuerat eis fieri in arbitrium onerosa prolixitas. Etenim ipse per humilitatem spiritus præcedentium Patrum disciplinæ auctoritatem recepit: quia, ut fertur, omnium sanctorum Spiritu plenus fuit. Igitur de ejusdem emendatione disciplinæ quorumdam verbis hîc instituta subter inserta nectuntur.

Post præmissa avulsus est quaternio: & in sequente quæ leguntur: Hæc est via, qua tendebat dilectus Domini sanctus Benedictus Pater multorum monachorum, cum in cælum ascendisset. Istam viam nobis ostendit, & exemplum præbuit. Felices sunt qui sequuntur eam. Explicit Regula sancti Benedicti Abbatis. *Initio Regulæ præmittuntur versus vulgati,* Qui leni jugo, &c. magister latens opus, &c. *Adscripta est ubique versio Theotisca.*

In codice sancti Udalrici apud Augustam Vindelicorum, scripto anno 1510, *post Regulam sancti Columbani, & duos sermones ejusdem editos, item post Regulam sanctorum Pauli & Stephani, & Monita Porcarii Abbatis, Proverbia Evagrii atque Regulam Abbatis Pinusii, sequitur* REGULA COENOBIALIS PATRUM DE HIBERNIA *cum sequenti admonitione, quæ ad superiora illustranda conducere poterit.* INCIPIT PRÆFATIO REGULÆ COENOBIALIS PATRUM DE HIBERNIA. Equidem sanctus Pater BENEDICTUS in hac Regulæ qualitate ordinis pænitentiæ modos instituit: sed unde de quibusdam causis, *&c. ut supra. Subsequuntur capita* Regulæ cœnobialis, *id est Pænitentialis Columbani, numero* XV, INCIPIT REGULA cœnobialis Fratrum Hiberniensium. CAPUT I de Confessione ante mensam sive lectorem, &c. Statutum est, Fratres carissimi à sanctis Patribus &c. *In fine,* Explicit Regula cœnobialis Fratrum de Hibernia anno 1510 in Augia majori, proxima Bernhardi Abbatis. *Ex his apparet, præfatiunculam illam, quæ in codice sancti Galli perantiquo legitur, Pænitentiali Columbani fuisse præmissam: ac proinde Pænitentiale ipsum per modum supplementi Regulæ sancti Benedicti aliquando subjunctum ad definiendos variarum pænitentiarum modos in iis maxime cœnobiis, quæ à sancto Columbano ejusve discipulis instituta fuerant. Quod si hanc Præfatiunculam Columbanus ipse (quod quidem probari posse vellem) suo Pænitentiali apposuisset, non dubium, quin Regulam sancti Benedicti aliquando sectatus fuisset, ejusque saltem Pænitentiale ab initio fuerit appendix Regulæ Benedictinæ. At si ejus discipuli eam Præfatiunculam Regulæ sancti Benedicti tunc primùm apposuerint, quando hanc Regulam cum sua coadunarunt; manet semper eadem Regulæ & Pænitentialis Columbani à Regula nostra distinctio primaria: quæ tamen non diu duravit, Columbani discipulis in unam cum nostris societatem adjunctis. Hæc Regularum unio ex sequentibus item probatur.*

IX.

In codice Augiensi, ab annis fere octingentis scripto, continentur complures Patrum Regulæ, quarum prima est Regula sancti Benedicti. Deinde sequitur Regula Columbani XLV *capitulis, quorum ultimum est* de mortificatione. *Tertia est Regula sancti Augustini:* Hæc sunt quæ præcipimus observari, &c. *Quarta sanctorum Pauli & Johannis. Postea subsequuntur decreta Synodi Aquisgranensis anno* DCCCXVII *pro monachis celebrati. Tum* Capitula Notitiarum, de his in quibus præceptum Regulæ & constitutiones novellorum Conciliorum acutiùs nos considerare, & promptiùs exercere jussio imperialis ammonet. *Quæ capitula edita sunt in appendice Baluziana ad Capitularia, & in Appendice nostra ad primam partem Sæculi quarti, ubi* Capitula Novitiorum *legitur. Postmodum in codice Augiensi habentur item* Capitula, qualiter observationes sacræ in nonnullis habentur, quas bonæ memoriæ BENEDICTUS secundus in cœnobiis suis alitannis habere instituit. Ut Patres cœnobiorum, &c. *ut superiùs edita sunt. Post hæc,* Excerptus diversarum modus pænitentiarum, à Benedicto nuper Abbate distinctus de Regula sancti Benedicti Abbatis. Plurimi nequaquam pleniter intelligentes, &c. *quæ in quibusdam codicibus perperam Gregorio M. in aliis sancto Bernardo Abbati Claravallensi tribuuntur. Idem libellus sub nomine Benedicti Abbatis habetur in veterrimo codice sancti Galli. Postea in Augiensi sequitur* Epistola cum XII capitulis quorumdam Fratrum ad Augiam, *id est Augiam,* directis, *quæ in utraque prædicta Appendice edita sunt. Postremo post prosaicam Wettini visionem sequitur breve Martyrologium & Necrologium; quod argumentum est, hæc omnia quondam apud Augiam in Capitulo legi solita fuisse.*

Idem probatur ex alio codice sancti Galli, in quo post Confraternitates (ut vocant) monasteriorum & indicem Abbatum sancti Galli ab Otmaro Abbate primo, habetur Regula sancti Benedicti. Deinde prædicta Regula sancti Augustini. Tum Regula Pauli & Stephani. Quarto Regula monachorum sancti Columbani Abbatis; *ut supra. Quinto epistola sancti Columbani Abbatis:* O tu vita quantos decepisti, &c. *Sexto* Regula cœnobialis Patrum *quindecim articulis,* Statutum est Fratres carissimi, à sanctis Patribus, &c. *quod est Pænitentiale Columbani. Sexto Regula Serapionis, Macarii, Pafnutii, & alterius Macarii. Septimo Annales breves sine auctoris titulo, qui Hepidanno in editis tribuuntur. Postremò sequitur Martyrologium breve cum Necrologio.*

X.

Pauli Diaconi epistola sub nomine Theodemari Casinensis Abbatis scripta ad Carolum M. impugnata est à Carolo Cointio in Annalibus, quasi supposititia: sed à nobis vindicatam Præfatione prima ad Sa

culum 4. Hac autem non solum refertur à Leone Marsicano in lib. 1 Historiæ Casinensis, sed & reperitur in membranis Gallensibus ante annos octingentos exaratis sub hoc titulo & exordio. EPISTOLA AD REGEM KAROLUM de monasterio sancti Benedictini directa, & à PAULO dictata. Propagatori ac defensori Christianæ religionis domno CAROLO . . . Theodemar exiguus, &c.

XI.

Expositio in Regulam S. Benedictini, quæ in veterrimo codice nostro S. Benigni Divionensi HILDEMARO monacho tribuitur, etiam habetur in duobus voluminibus bibliothecæ Augiensis. Primus est absque nomine auctoris, & desinit in capite XI. Secundus incipit ab expositione capitis XIV, & desinit in capite LXI. In verso primo folio vacuo hæc verba leguntur: Incipit expositio Basilii Abbatis super Regulam S. Benedicti Abbatis primitus. Scriptura forma accedit ad annos octingentos. At in pluribus mss. Gallicanis expositio hæc Hildemaro tribuitur, fateturque epistola ipsius Hildemari ad Ursum Episcopum Beneventanum, qua in expositione capitis 38 Regula integra refertur.

XII.

In optimæ notæ exemplari bibliothecæ sancti Galli, scripto ab annis fere octingentis, in quo Vita beati Germani Parisiensis Episcopi auctore Fortunato continetur, primaria manu descripta legitur Germani tum Abbatis retrusio in carcerem, facta per Episcopum Æduensem: quam à vetustioribus codicibus nostris abesse notavi ad eamdem Vitam in Sæculo I. Benedictino. Id retractare visum est hoc loco, ne quid temere huic vitæ detractum videatur.

In veteri codice Einsidlensi, numero 59, exstat inter alias Vita S. Medardi Episcopi Noviomagensis sub hoc titulo & initio: VITA S. MEDARDI, COMPOSITA A SANCTO FORTUNATO. Incipit, Beatissimi Medardi Antistitis vitam, quæ per universum orbem &c. Desinit, qui speciale sollemnitatis hodie mundo præstitit ornamentum in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor &c. ut in Spicilegii tom. 7. ubi suo auctori primum asserta est.

XIII.

Apud Cistercienses Salemenses habetur inter alias Vita S. Thrutberti, sub hoc exordio. Cum merita sanctorum recolunt, &c. in cujus fine auctoris nomen designatur his versibus.

Has ERCHANBALDUS, Thrutberti martyris almi
Præsul, post cineres renovando struxerat ædes;
Tactus amore Dei, venerandos scribere sancti
Actus non piguit: sed & id pro posse peregit.
Exaltare Patrem, consolarique colentes,
Huuc præferre loco, per quem locus iste sacratur.
Invitans populos, monachorum cultus amator,
Quos zelo, vi, virtuti simul arte peregit.
Sub pede Thrutberti eia memento mei.
Spernere, mi monachi, talem nolite patronum.
O quicumque legis, libes est correctior iste.
Idem correxit, carmina qui posuit.

Quatuor priores versus ex recentiori scriptura edidit Henschenius in tomo 3 Aprilis, ubi S. Trudperti acta vulgavit, illustravitque, testatus optare se, ut Erchanbaldi, quem Erganbaldum scribit, lucubrationem recuperare sibi liceret. Extat verò non solum in Salemensi monasterio, sed in aliis quoque Sueviæ bibliothecis, at sine nomine auctoris. Non constat quo tempore vixerit Erchanbaldus, qui Abbas fuit S. Trudperti monasterii, in Brisgoia siti ad fluviolum Mutnagam, unde aliquando inditum cœnobio nomen, diœcesis Constantiensis, hactenus Ordinis sancti Benedicti, vulgo S. Hubrecht.

XIV.

Vita S. Leodegarii Episcopi Æduensis exstat in codice sancti Galli ante annos octingentos metricè scripta duobus libris, quorum alter vitam, alter miracula complectitur. Prologus ita incipit;

Carmina plura nitent studio florente peracta.

In alio codice Salemensi habetur Vita sanctæ Burgundofaræ per Jonam, Columbani & Eustasii actis subjuncta, desinitque in capite XIII. tum continenter subjicitur Vita Bertolfi Abbatis Bobiensis, uti & in codice S. Galli. At in codice Tegernsensi Burgundofaræ elogium desinit in capite XII, ut in Compendiensi. Unde apparet, caput XIV, in quo III. Non. Aprilis obiisse dicitur, adjectitium esse: quod in ejus epitaphio & in sincero Usuardi Martyrologio VII Id. Decemb. evenisse legitur. Attamen in prædicto codice Tegernsensi ita ejus Vita inscribitur. Vita sanctæ Burgundofaræ Virginis, quod est III Nonas Aprilis.

XV.

Ibidem in alio codice Vita S. Galli metricè, auctore (ut creditur) Walafrido Strabo ita incipit.

Promissi memor ecce mei, GOTZBERTE, quod olim
Devovi, ad præsens solvere, care, volo.

Nihil continet singulare. Jodocus Mezlerus, ineunte hoc sæculo ad S. Gallum Decanus, Walafrido hoc carmen abjudicat ob stili (ut putat) dissimilitudinem. Attamen Ermenricus superius pag. 335 eam Walafrido tribuere videtur his verbis. Voluit verò ille poëtico cothurno gesta beatissimi Galli comere: sed morte præventus, vitam in vita finivit.

Eadem vita prosa oratione composita est duobus libris à Wetino monacho, sub hoc Prologo metrico.

Cum mundus per inania vertatur volitando.

INCIPIT LIBER I. Fuit vir nobilitate pollens, &c.

XVI.

In uno ex Kalendariis monasterii Einsidlensis notatur XIV Kal. Octob. sancta RIHKART Monialis. Hæc mihi videtur esse Richarda, Caroli Crassi Imperatoris quondam uxor, quæ in Andlavense Alsatiæ monasterium se recepit. Quis vero GAINNACHUS Abbas, cujus mentio in duobus ejusdem loci Kalendariis fit V Idus Octob. fateor me ignorare.


In alio ejusdem loci Kalendario memorantur Sancti sequentes,

II Id. Martii Romæ Innocentii Episcopi.
XV Kal. Maii Mappalici martyris.
XIII Kal. Maii Leonis IX Papæ.
VI Kal. Junii Bedæ Presbyteri.
II Kal. Septemb. Optati Episcopi.
IX Kal. Novemb. Columbani Abbatis.
XI. Kal. Decembr. Columbani Confessoris.
VIII Kal. Decemb. Columbani Abbatis.

Habemus hîc Columbanos tres: quorum primus forsan fuerit Columbinus Abbas Dutrensis, de quo in actis sancti Deicoli: secundus & tertius nescio an diversi, nam Columbanus Luxoviensis in sinceris Martyrologiis Usuardi & Adonis laudatur IX Kal. uti & in alio Kalendario Einsidlensi: at in Wandalberti & Benedictino, quibus Pacta ejus suffragantur, XI Kal. Decemb. Forsan hîc aliqua notatur S. Columbani translatio.

In Kalendario Salemensi scripto ante annos 700. VII Kal. Junii depositio Augustini confessoris, Bedæ Presbyteri. Ex quo apparet, ambos eodem die obiisse; sed festum S. Bedæ in sequentem diem, ut suus cuique dies singularis tribueretur, remissum fuisse.

FINIS.



VETERA ANALECTA.

FRAGMENTUM.

CANDIDI ARRIANI

Ad Marium Victorinum.



DEI est omnis substantia. Deus igitur non est substantia. Per Deum enim substantia. Quomodo igitur posteriùs cum sit substantia, Deum substantiam dicimus? Si enim dicimus Deum substantiam esse, cogit nos ratio & in istud, ut confiteamur substantiam priorem esse à Deo. Etenim verè substantia subjectum quiddam est. Quod autem subjectum est, simplex non est. Simul enim intellectos accipit aliud quid esse in subjectu, cum subjectum audierit. Sed enim simplum Deus est. Insubstantialis ergo Deus. Si autem insubstantialis, nullum ergo consubstantiale à Deo est, etiamsi à Deo aut appareat, aut natum sit. Dicunt quidam generationem esse à Deo; juxta nomina à motu typum nominant. Quid deinde verò ab istiusmodi typo? Deus enim spiritus est: Spiritus autem naturam suam nunc intendit in se, mox ipsum recidit. Istius modi motione repente erumpit filietas quædam: & hæc est generatio à Deo. Quomodo igitur? ut effusio, an ut emissio, an ut refulgentia, an ut aliud quid horum? Quid deinde rursus? ut pars à toto, an totum? quorum quodcumque est, aut imperfectus est si partem effundit, & diminutio efficitur, Patris pars cum sit filius: aut vana generatio, si totum à toto apparuit. Nulla etenim causa ab eodem ipso idipsum generari, etsi duplex generari necessitas fuit. Utrumque ergo imperfectum, & id quod est prius in conversione.

Sed enim insurgente in se Spiritu apparuit tantummodo aliud sine aliquâ effulgentiâ. Id est manifestum. Quomodo quod secundum est? ex his est quæ non fuerunt? Factum est ergo non natum, & idcirco non quod substantiale. A Deo igitur nulla generatio. Quid autem ex istis omnibus cogitur atque colligitur, ô mi dulcis VICTORINE? Quomodo Dei filius qui est λόγος apud Deum, Jesus-Christus per quem effecta sunt omnia, & sine quo nihil factum est, neque generatione à Deo, sed operatione à Deo est primum opus & principale Dei. Sed dedit ei nomen suprà omnia nomina, Filium meum appellans & unigenitum: quod solum opera sua fecit. Effecit autem ex his quæ non sunt, quoniam potentia Dei quod non est, adducit ut sit. Hoc autem & Jesus, per quem facta sunt omnia; hoc est ex his quæ non sunt ea quæ sunt effecit.

Sed esto dictat, quod Deus fecit Jesum perfectum omnimodis: Jesus autem alia non eodem modo, etsi perfecta, fecit. In quo igitur Jesus effector est eorum quæ sunt de his quæ non sunt secundùm operationem? Et in Patre est ipse, & in ipso est Pater, & ambo unum sunt. In quo autem non idem potest, ut alter accipitur. Non enim aliud omnimodis perfectum operari valet: sed neque propriâ operatione operatur, neque propriâ voluntate: sed eadem vult quæ Pater. Et ipse etiam si habet voluntatem, dicit tamen, *sed non ut ego volo, sed ut tu.* Et multa in voluntate Patris non scit, sicuti judicii diem: & ille passibilis est, ille impassibilis: & ille qui misit, ille qui missus est: & alia istiusmodi in eo quod induit carnem, in eò quod mortuus est, in eo quod resurrexit à mortuis, quæ ista Filio contigerunt, Patri autem incongruum. Operi autem ejus non incongruum. Sit opus in substantia, quæ receptrix est diversarum qualitatum, & magis contrarium*, *l contrariatum

Quod autem Deus fecerit Jesum-Christum, sacra lectio dicit in Actibus Apostolorum. *Certissimè autem sciat omnis domus Israël, quoniam fecit nobis Deus Dominum Jesum-Christum, quem vos crucifixistis.* Item apud Salomonem: *Fecisti me præpositum ad omnes vias.* Hoc autem significat & in Evangelio secundùm Joannem, *Et quod effectum in eo est, vita fuit.* Si in ipso aliquid factum est, & ipse factus est, magis autem si ipse vita est. Nullus igitur velut insuave accipiat, Jesum opus esse Dei omnimodis perfectum Dei virtute, Deum Spiritum suprà omnes Spiritus; unigenitum operatione, potentiâ filium, substantia factum, non de substantiâ. Etenim omnis & prima substantia Jesus, omnis actio, omnis λόγος, initium & finis. Eorum enim quæ facta sunt est initium, & finis omnium quæ sunt corpo-

rum aut incorporum, intellectibilium aut intellectualium, intelligentium aut intellectorum, sensibilium aut sensuum, præprincipium aut præcausa; & præstatio & effector, capacitas, plenitudo, per quem effecta sunt omnia, & sine quo nihil; salvator noster, universorum emendatio, ut servos in nostram salutem; Dominus autem in peccatorum & impiorum punitionem, gloria verò & corona justorum atque sanctorum.

Explicit.

RESPONSIO
MARII VICTORINI
RHETORIS URBIS ROMÆ
AD CANDIDUM ARRIANUM.

Magnam tuam intelligentiam, ô generose Candide quis firmavit? De Deo dicere super hominem audacia est. Sed quoniam funditus, est animæ nostræ [illegible]; sensus paternus, & Spiritus desuper missus figurationes intelligentiarum inscriptas ex æterno in nostra anima movet; ineffabiles res & investigabilia mysteria Dei voluntatum aut operationum quasi quædam mentis elatio animæ nostræ vult quidem videre, & etiam nunc vitalis ita corpore difficile intelligere solum, edicere autem impossibile. Dicit enim beatus Paulus. *O altitudo divitiarum & sapientiæ & cognoscentiæ Dei, quomodo ininvestigabilia sunt judicia Dei, & sine vestigiis ejus via!* Dicit etiam Esaias: *Quis enim cognovit Domini mentem, aut quis fuit ejus consiliator?* Vides igitur beati * cognitionem de Deo. An istas scriptoras vanas esse opinaris? Sed nomine Christianus, necesse habes accipere atque venerari scripturas inclamantes Dominum Jesum-Christum. Si istud tibi necessarium est; & hoc necessarium, ea quæ in ipsis de Christo dicuntur, sic quemadmodum dicuntur, credere. Dicunt enim Jesum-Christum Filium Dei esse unigenitum, ut dicit David Propheta: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Dicit & beatus Paulus: *Qui ne suo quidem filio pepercit.* Et rursus: *Benedictus Pater Domini nostri Jesu-Christi.* Deinde frequenter & ipse dicit: *Ego & Pater unum sumus.* Et, *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Et, *Ego in Patre & Pater in me.* Hæc dicens, si Deus fuit, non mentitus est. Filius ergo Dei Christus. Si mentitus est, nec opus est Dei. Sæpe & multis milies dicuntur ista. An tibi non apparet ubique sic dici? Audi aliud de nobis. Nos dicimus esse nobis Patrem Deum, & maximè. Quæ causa, & juxta quid? quoniam Deus caritate prædestinavit nos in adoptionem per Christum. Numquid & Christum per adoptionem Filium Deus habet? Nullus ausus est dicere: fortasse nec tu. Vide qualis blasphemia ex isto dicto nascatur. Dicimus esse nos heredes Deo Patri, & per Christum heredes per adoptionem exsistentes filii: & Christum dicimus non esse filium, per quem nobis efficitur filios esse, & coheredes fieri in Christo? Multa dixisti de Christo & vera omnia, & ut se habent, & ut omnia, quoniam potentia est Dei, & omnipotens potentia, & universus λόγος, & omnis operatio, & omnis vita, & alia plurima. Assecutus ergo est istiusmodi bona effectus ab his quæ non sunt? & beatum * est quod non est ab eo quidem sine dubio intellectus, & sacrilegus plenusque blasphemiæ: Dominum super omnia, omnia quæ sunt, omnia quoque quæ non sunt ab his quæ non sunt facere quod sit, non ab his quæ sunt. Quid enim putandum esse? Et siquidem putandum, Deum esse supra omnia, & quæ sunt, & quæ non sunt: advertamus * id quod sit, non id quod non sit Deum esse credimus. Præstat igitur quod est, & præstat per ineffabilem generationem, & præstat existentiam τὸ vitam, non qui sit ista, sed supra omnia. Si igitur Deus quod non est, non est, est autem quod supremum, id est quod vere ὄν. Potentia ipsius [illegible] quæ operatione in generationem excitata ineloquibili motu genuit τὸ ὄν omnimodis perfectum à toto potentia totum τὸ ὄν. Deus igitur est totum [illegible]. Jesus autem ipsum hoc totum ὄν. Sed jam in exsistentia & vita & intelligentia universale omnimodis perfectum ὄν. Hic est filius, hic omnis λόγος, hic qui apud Deum & in Deo [illegible], hic Jesus-Christus ante omnia quæ sunt, & quæ vera sunt; prima & omnis existentia, prima & omnis intelligentia, primum & omnimodis perfectum ὄν, ipsum ὄν primum; nomen ante omnia nomina. Ab isto etenim omnia nomina, sicuti declarabitur.

Volo autem audire, ô mi dulcissime Candide, quid esse æstimas quod non est? Si enim Deus omnium causa est; & ejus cui est esse, & cui est non esse, causa Deus est. Sed si causa non est; id quod non est. Causa enim ut ὄν est, sed cui sit futurum esse [illegible]. Sed esto hoc ipso quod causa supra vere ὄν. Quod igitur? nondum ὄν, id est quod non est, hoc autem quod ad ὄν causa est, vere per * ὄν * dicitur, & juxta istam rationem causa est Deus; & eorum quæ sunt, & eorum quæ non sunt.

Definiendum igitur id quod non est: quod quidem intelligitur & vocatur quatuor modis juxta negationem omnino omnimodis, ut privatio sit existentis: juxta alterius ad aliud naturam: juxta nondum esse, quod futurum est, & potest esse: juxta quod supremum omnia sunt est esse. Quid igitur dicimus? Deum ὄν? An τὸ μὴ ὄν appellabimus? itaque omne ὄν, quoniam eorum quæ sunt Pater est, sed Pater eorum quæ sunt non est τὸ ὄν. Nondum enim sunt ea quorum Pater est, & non licet dicere, nefas est intelligere, eorum quia sunt causa ὄν appellare. Causa enim prior est ab his quorum causa est, supremum ὄν igitur Deus est, & juxta quod supremum est μὴ ὄν Deus dicitur, non per privationem universi ejus quod sit, sed ut aliud ὄν ipsum quod est μὴ ὄν, juxta ea quæ futura sunt τὸ μὴ ὄν, juxta quod causa est ad generationem eorum quæ sunt τὸ ὄν. Verum est igitur dicere Deum Patrem esse, & juxta causam esse & eorum quæ sunt. Voluntate igitur Dei in generationem veniunt, & quia sunt, & quia non sunt. Et non æstimes quæ non sunt quasi per privationem eorum quæ sunt. Nihil enim istorum neque intelligitur, neque exsistit. Si enim mundus & illa superna subsistunt omnia, & sunt nullum μὴ ὄν juxta privationem, sed subintelligentia quædam est ab his quæ sunt privationem eorum subintelligere non subsistentis, ne ipsius quidem subintelligentiæ, neque sic exsistentis ut eorum quæ sunt. Quædam igitu

* fortè.
* [illegible]

quæ non sunt, quodammodo ut ipsa quæ sunt. quæ post generationem aut in potentia sua, aut in alio fuerunt, unde generata sunt; secundùm illos modos juxta circa aliud natura, & juxta quod nondum est, esse quod futurum est & potens esse.

Primo igitur Deus, & super quæ sunt est, & super quæ non sunt. Quippe generator ipsorum & pater juxta quod causa est. Deinde secundùm generationem à Deo aut secundum effectionem quæ sunt apparuerunt. Apparuerunt autem & μὴ ὄντα. Ipsorum autem quæ sunt, alia sunt verè quæ sunt, alia quæ sunt, alia quæ non verè non sunt, alia quæ non sunt. Ad illa quæ verè non sunt, non recepit esse plenitudo Dei. Juxta enim quod est esse, & aliquo modo esse plenitudo. Plenitudo est, sola emphasis existentiæ. In intelligentia eorum quæ verè non sunt, quæ juxta subjectionem ab his quæ non verè quidem sunt, quodam tantùm modo sunt, incipiens imaginata est circa id quod verè non est. Audi quemadmodum dico. Sunt quædam ejus quod sit natura manifesta, sicuti sunt quæ verè sunt, & omnia supremum * cœlestia, ut spiritum νοῦς, anima, cognoscentia, disciplina, virtutes, λόγοι, opiniones, perfectio, existentia, vita, intelligentia, & adhuc superiùs existentialitas, vitalitas, intelligentitas, & supra ista omnia ἕν. Solum istud ipsum quod est unum, & solum ἕν in ista noster νοῦς si rectè ingreditur, comprehendit ista: & ab his formatur, & sit intelligentia, jam non in confusione inquisitionis existens.

Sed quoniam intelligentia talis de altero est, apprehensio & definitio quædam efficitur. Alia ὄντα solum ὄντα esse: quoniam in eo quod est alterius est, & aliud intellectuale ad intellectibile. Ergo intellectibilia ea sunt, quæ verè sunt intellectualia quæ sunt tantùm. Sunt autem ista omnia animarum in natura intellectualium, nondum intellectum habentium, sed ad intelligentiam accommodata. Excitatus enim in anima νοῦς, intellectualem potentiam animæ illustrat & illuminat, & invultuat, ac figurat: & innascitur animæ intelligentia & perfectio. Et idcirco & substantia dicitur anima, quoniam omnis substantia subjectum est: subjectum autem alteri alicubi subjacet. Subjacet autem anima τῷ νῷ & spiritui. Substantia igitur anima. Omnia ergo quæ animæ sunt solum ὄντα sunt, non quæ verè sunt. Anima igitur non causa apprehendit quæ verè sunt: quoniam si ingreditur νοῦς in animam intellectualem, apprehendit item & ὄντα, hoc est ipsa illa intellectualia. Intelligit enim anima, quoniam anima est: & sic ab his quæ sunt, intelligentia efficitur ipsorum quæ sunt, hoc est eorum quæ verè sunt. At verò alia duo quæ non verè non sunt, & quæ non sunt, ab istis intelligentiam sumunt per conversionem intelligentiæ τῶν ὄντων. Etenim non intelligit τὸ μὴ ὄν. Accipit ergo τὸ μὴ ὄν, veluti exterminatio τῶν ὄντων est. Exterminatio autem infiguratum quiddam est: sed tamen est, non tamen sicut ὄν est. Omne enim τὸ ὄν & in existentia & in qualitate figuratum & vultuatum est. Ergo τὸ μὴ ὄν infiguratum, est aliquid quod infiguratum est. Ergo τὸ μὴ ὄν est aliquid. Sunt igitur μὴ ὄντα. & idcirco sunt quæ non verè non sunt, & potiora sunt ad id quod est esse ea quæ non verè non sunt, quàm quæ μὴ ὄντα sunt. Propter quod efficitur τῶν ὄντων iste naturalis ordo ὄντως, ὄντα, ὄντα, μὴ ὄντως, μὴ ὄντα, μὴ ὄντα.

Diximus autem quæ sunt, quæ verè sunt, & quæque sunt. Nunc autem dicemus quæ sunt, quæ non verè non sunt, & quæ sunt quæ non sunt.

Intelligibilis & intellectualis cum sit Dei potentia, juxta intelligentiam apparuerunt cuncta quæ sunt: Sed intelligentia dupliciter operatur sua propria potentia intellectuali, & juxta imitationem intelligendi etiam sensu. Rursus autem sensus simulacrum cum sit intellecti & imitamentum intelligendi, si perfectè percipit operationem intelligentiæ, quæ illam fortificat in operari atque agere, efficitur sensus propinquus atque vicinus puræ intelligentiæ: & ista est quæ cœlestia apprehendit, & ea quæ in æthere, & ea quæ in natura & in ὕλῃ gignuntur & regignuntur, & alia hujusmodi quorum est potentia in sensuali intelligentia, & est illis esse quodammodo esse, & non esse. Cœlum etenim & omnia in eo, & universus mundus ex ὕλης consistens & specie in commixtione est. Ergo non est simplex. Hujus igitur mundi quæ partes sunt participantes animæ intellectualis, in potentia & in natura sunt eorum quæ vere non sunt, utuntur enim intelligentiâ. Sed juxta sensum intelligentia & sunt juxta sensum versibilia & mutabilia: juxta verò intelligentiam inversibilia & immutabilia. Quomodo autem istud sensus nihil aliud apprehendit nisi qualitates: subjectum autem, id est substantiam nec percipit nec apprehendit. Versibiles enim qualitates sunt, substantia autem inversibilis. Sed cum sit anima substantia, dicitur & ita versibilis. Quomodo istud? sic habeto.

Cùm suscipit & intelligit anima quæ sunt in mondo, si illa intelligit quæ sunt animalia, & animata, in eo quod est habere animam sunt quæ non vere non sunt. Quodam enim modo ὄντα juxta quod animam habent, quodam modo μὴ ὄντα juxta quod conversibilem ὕλην habent, & qualitates versibiles: & sunt hæc quæ diximus μὴ ὄντως, μὴ ὄντα. Cùm autem subintelligimus solam in animam ὕλην (in animum autem dico quidquid sine intellectuali anima est circumlato sensu circa qualitates) quasi apprehendit quæ μὴ ὄντα sunt. Versibiles enim qualitates & juxta hoc μὴ ὄντα Etenim idipsum subjectum, quæ ὕλη dicitur, indeterminatum est, & ideo sine qualitate dicitur. Si autem determinatur, qualitas dicitur, non qualis ὕλη; & sunt primæ qualitates, ignis aër, aqua, terra, ipsa secundum se sine commixtione vel alicujus unione. Si igitur ista qualitates, & ista ὕλη qualitates: igitur ὕλη. Non enim, ut accidens, accidit τῇ ὕλῃ, sed ista est qualitas. Non potest enim esse qualitas ipsa per semet, sed eo quod est, hoc ipso ὕλη est, & semper hylica cum sit, nihil aliud quàm ὕλη est. Sicuti & anima juxta quod intellectualis est, anima est: & juxta quod semper movetur, & à se movetur. Non secundum duplicationem neque secundùm accidens ista anima est: sed quod istæ qualitates substantia est anima, sic etiam ὕλη ista qualitas ipsa substantia ὕλη. Differt autem anima ab ὕλη. Dicunt enim quidam quod anima ὕλη est, quod subjectum & qualitas eadem ipsa sit substantia & animæ, & ὕλη. Sed differt, ut dixi, quoniam anima intellectualis cùm sit, intelligit & semet semetipsam. At verò ὕλη omnimodis omnino intelligens cum sit, neque intelligentiam, neque sensum in sensu habet. Et idcirco anima ea est, quæ sunt cum ipsa sola pura & mixta τῇ ὕλῃ. Ea quæ non verè non sunt, omnium nutrix anima, & ὕλη omnium nutrix, sed anima propria virtute omnium nutrix est & vitæ generatrix. ὕλη autem sine anima effecta & densa facta .... num manet animationem ab anima animam habens. Sunt igitur & dicuntur ista μὴ ὄντα de his quæ non sunt.

Habes igitur quatuor, quæ verè sunt, quæ sunt, quæ non verè non sunt, quæ non sunt. Per conversionem autem & complexionem horum nominum adhuc duo modi subaudiuntur, quæ non verè sunt, & verè quæ non sunt: Sed enim quæ non verè sunt ea quæ tantùm sunt significant: solum enim sunt

quæ non verè sunt. At verò quæ verè non sunt, ad id ut sint locum non habent. Deo enim plenis omnibus nefas & impossibile, quia verè non sunt, & dici, & esse, quæ intelligentiæ sola, sicuti declaravimus, non ab his quæ non sunt, sed ab his quæ sunt secundum privationem adnascantur in anima, neque in sua substantia, neque in intelligentiis positis quæ verè non sunt. Eamus ergo ad videndum quid sit Deus, & in quibus est. Verè quæ sunt prima & honoratiora sunt. Numquid in istis Deus! Sed & his causa est, & horum dator & Pater, & non est dicere hæc esse ipsum, quibus ut essent dedit. Cùm sit enim unus & solus & simulata esse voluit, non illud ipsum unum, sed illud quod est unum esse; hoc voluit multa esse.

Fortè nunc dicis, ô Candide, meus hic sermo est. Et secundum istam rationem dico ex his quæ non sunt natum esse filium Dei secundum effectionem, non secundum generationem. Sed μὴ ὂν quæ esse diximus, numquid omnino quæ non sunt? Sed jam in confessu est, quod nun & hoc in confesso est, quoniam quæ non sunt juxta modos dicuntur quatuor: ex quibus duo juxta nihilum omnino, & juxta super omnia. Alii verò, hoc est juxta ad aliud naturam, & juxta quod nondum est, quod est potentiam esse, non jam actionem esse.

Quid igitur verò Deus? Si ne unum quidem est, neque quæ verè sunt, neque quæ sunt; neque quæ non verè non sunt, neque quæ non sunt. Ista enim præstat Deus, ut causa istis omnibus. Eorum autem quæ verè non sunt, Deum esse, nefas est suspicari necessario per prælationem & per eminentiam τῶν ὄντων, Deum dicemus supra omnem existentiam, supra omnem vitam, supra omnem cognoscentiam, supra omnem ὂν & ὄντως ὄντα. Quippe ut intelligibile, infinitum, invisibile, sine intellectuali, insubstantiale, incognoscibile, & quod supra omnia, nihil de his quæ sunt, & quoniam supra quæ sunt nihil de his quæ sunt. μὴ ὂν ergo Deus est. Quid autem istud τὸ μὴ ὂν? super τὸ ὂν est, quod non intelligatur ut ὂν neque τὸ μὴ ὄν. Sed ut in ignoratione intelligibile, quoniam ὂν, & quoniam non ὄν, quod sua ipsius potentia τὸ ὂν in manifestationem adduxit & genuit. Est autem λόγος istud sic se habere. Quid verò Deus? qui super ὄν est, ab eo quod ipse est, sicuti ipse est produxit. An ab alio? an à nullo? ab alio? Et quo alio? nihil enim ante Deum fuit. Neque ut Deo ex altero par. A nullo igitur. Et quomodo Deo? Si enim τὸ ὂν produxit, verum est dicere quoniam à semetipso qui super τὸ ὂν est, τὸ ὂν generavit quamquam de nihilo. Quid enim suprà ὂν primè est? absconditum ὂν est. Absconditi verò manifestatatio generatum est. Siquidem & potentia ὂν operatione ὂν generat. Nihil enim tunc causa in generatione est. Si Deus causa est, omnium causa est, & τῶν ὄντων in generationem; quippe cum super τὸ ὂν sit, vicinius cum sit τῷ ὄντι, & ut pater ejus & genitor. Etenim gravida occultum habet quod paritura est. Non enim fœtus non est ante partum, sed in occulto est; & generatione pervenit in manifestationem ὂν operatione, quod fuit ὂν potentia. Et ut quod verum est dicam, ὂν operatione τῶν ὄντων etenim foris operatione generat. Quid autem generat? Quod fuit intus. Quid igitur fuit intus in Deo? Nihil aliud quàm τὸ ὄν, verum τὸ ὄν, magis autem πρῶτον quod est supra generale ὂν genus quod supra ὄντων ὄντως, ὂν jam operante potentia. Hic est Jesus-Christus. Dixit enim ipse: *Si interrogaverit quis te misit? dicito, ὁ ὤν.* Solum enim illud ὂν semper ὄν, ὁ ὢν est. Filius ergo Jesus-Christus, & solum natus filius; quoniam illud πρῶτον nihil aliud genuit quam ante omnia & omnimodis perfectum ὄν, quod non potest esse cum altero.

Et quoniam quod omnimodis perfectum est altero non eget: (universale enim ὂν unum est & solum ὄν, & super genus generale ὄν) unum est & solum ὄν. Quoniam verò hoc ὂν non illud est ὂν quod potentiam perfectam habet, ante omnia quæ verè sunt, & quæ sunt primum ὄν, à quo sunt omnia quæ sunt & per quæ, & in quo. Hujus gratiâ ὂν quod operatione est, imago est illius τοῦ ὄντος. Quid potentius est? secundùm nullum progressum semper in semet manens.

Quid deinde nos dicimus Jesum? τὸ ὄν, primum ante omnia ὄν, per quem omnia quæ sunt. Hoc est enim nomen supra omne nomen. Principium enim nominum τὸ ὄν, & principium substantiarum, sicut frequenter & in multis declaravi. Rursum verò Jesum, non λόγον circa Deum esse diximus, & magis & in principio λόγον, & ipsum istum λόγον Deum esse diximus. Clamat res ipsa per cerviceem * Johannem: Æones etiam confitentur istud se sic habere.

Dictum est autem quia in principio fuit λόγος &c; ut tu dicis, non est principium quod præcedit aliud principium. Sine principio enim principium, siquidem & est & dicitur principium. Qui igitur in principio fuit ex æterno est sive in Deo, sive circa Deum. Erat enim circa Deum λόγος, & in principio erat. Ergo semper fuit. Si semper fuit, necesse est enim eum ab his quæ non sunt neque factum esse. Dicit Johannes: *Deum nullus vidit aliquando. Unigenitus filius qui est in gremio Patris enarravit.* Habemus igitur ista eadem, quoniam Deus ὂν est, quoniam λόγος est, quoniam in principio fuit, quoniam circa Deum fuit, quoniam in gremio Dei est. Ista omnia nom manifeste & dilucide significant filium esse, cui attribuuntur ista ὂν & ante omnia ὄν. Si Pater Deus antequam est ὄν, esse potentia accipitur ipsius quod ὂν est; quod quidem τὸ ὂν à sua potentia in suo Patre exsiluit ipsum τὸ ὂν manifestationem accipiens, quod fuisset occultum: & ista divina & ineffabilis generatio est. Exterminandum igitur dogma est, ex his quæ non sunt esse Deum.

Videamus rursus aliud si λόγος est Jesus? Quid est λόγος? Dico quoniam patrica activa quædam potentia, & quæ in motu sit, & quæ seipsa constituat, ut sit in actu, non in potentia. Si istud sic est, quare ὁ λόγος circa Deum erat? necessario circa istud ipsum, ut per istum λόγον gignerentur omnia, & sine illo nihil. Operator ergo Deus per λόγον, & semper operatur λόγος. Igitur activa potentia est & in motu, & quæ constituat ut sit actione quod fuit in potentia. Istum igitur dicimus, quoniam in principio fuit. In principio autem esse, non generatum esse significat. Et verè propterea Deus est λόγος, quoniam circa Deum & in principio fuit sicut & Deus non genitus est λόγος, cum Deus ipse λόγος sit, sed silens & requiescens λόγος, ut videas necessitatem cognoscendi: multo magis non genitum esse λόγον, quam ipsum fieri ex his quæ non sunt. Quid deinde cognoscentia nostra? quemadmodum fit? quomodo movetur? juxta λόγον? non sic ὁ λόγος videt; quoniam aut propter aliud est, aut alterius est juxta quod est. Ad hoc est, ut aliud esse constituat, & omnino non aliter. Pater ergo omnium & generator λόγος per quem omnia effecta sunt, & sine quo factum est nihil. Sed hujus hoc est τοῦ λόγου hujusmodi potentiam aliud constituendum & faciendi potentiam. Non sic oportet audire, sicut in omnium causando. Ipse enim constitutivus est & ipsius τοῦ λόγου si enim prima causa non solum omnium causa, sed & sibi ipsi causa est. Deus ergo à semetipso & λόγος, & Deus est.

Sed quoniam esse ipsum, quod est moveri & intelligere,

intelligere, hoc est agere; primum est potentia & constitutiva potentia, primum inquam est. Necessario igitur ipsum esse præcedit & moveri, & intelligere, & agere ab eo est quod est esse. Est autem secundum quod est in actu esse, hoc est filium esse. Filius ergo & Pater idem ipse, & magis istud quàm illud ipsum esse quod est Pater: quod est esse, hoc est agere & operari. Non enim aliud ibi esse, aliud operari. Simplex enim illud unum, & unum & solum semper. In Patre igitur Filius & in Filio Pater.

Quomodo igitur effectum est? quomodo Pater & Filius si simul? Neque simul ambo, sed unum & solum & simplex, si hoc oportet quærere: sufficit enim solum credere. Dicamus in quamtum fas est. Primum manifestum est quoniam λόγος neque alius neque ab altero circa Deum. Dicit enim Evangelium. *In principio erat λόγος, & λόγος erat circa Deum.* Rursus dicit: *Unigenitus Filius, qui est in gremio Patris.* Quomodo ista dicta aut accipis aut intelligis? Romani πρὸς τὸν θεὸν, *apud Deum* dicunt, quasi penitus intus, id est in Dei exsistentia. & hoc verum. In eo enim quod est esse, inest & operari. In Deo enim λόγος, & sic in Patre Filius. Causa enim est ipsum esse ad actionem. oportet enim esse primum cui inest operari: & sunt ista duo secundum virtutem Dico duo: secundùm autem intelligentiam simplicitatis unum & solum. Si igitur causa est ipsum esse ad actionem, generatur autem genere ab eo quod est esse. Esse autem Pater est: operati ergo Filius.

Quæ igitur generatio est, aut apparentia actionis? Primum autem, si oportet istud dicere, neque emphasim temporis accipiat. Primum secundum intelligentiam dico. Primum igitur ipsum esse in semetipsum conversum & moveri & intelligere intus in requie positam beatitudinem omnimodis perfectam custodit. Est autem & ipsum beatitudinis & magnitudinis Dei, & intus, & foris & moveri, & operari. omne enim quod est omne, & intus, & foris est. Quomodo istud & intus & foris Deo exsistente & in omni, & in toto postea dicendum.

Nunc autem accipite causam intelligendi, emphasim temporis juxta prius & posterius, omnino sine tempore effectu omnibus: & æterno enim omnia. Deus igitur omnimodu perfectus, & supra omnimodis perfectus is qui omnia creavit, & qui omnium causa est, non ipsum illud solum quod unum fuit & solum, sed & multa, & omnia quæ potentia & esse fuit, & voluit esse omnia. Alia verò omnia sine actione, quomodo possibile fuit esse? Exsilivit igitur Dei voluntate actio ipsa, aut actio ipsa voluntas fuit. Simplex enim omne ibi λόγος. Ergo qui est in Deo ipse Deus, qui est ipse & voluntas, ipse intelligentia, & actio, & vita, ex se genito motu ab eo quod est esse processit in esse suum proprium, id est in quod est agere apparuit ipsum egere, quod quidem effecit omnia. Ipsum verò natum est ad eo, quod esse in id quod est agere, habens in eo quod est agere & esse. Sicut illud esse & agere habet & esse; sic hoc agere habet & esse; ipsum autem agere hoc est esse, ut illud esse hoc est quod agere. Unum ergo & simplex hæc duo. Id si ita est, neque ex nihilo Jesus, qui ab eo quod est esse apparuit actio: cùm ipsa actio & in eo fuit quod est esse neque non [illegible] quia esse quod substantiale est, unum utrique est, & una actio. quippe cum ipsum esse & agere, ipsum & agere & esse. Hic est Filius, hic à Patre, hic circa Deum, hic qui est in gremio Patris: hoc est intus, & hic foris. Opere enim foris in eo quod est esse; intus & in Patre, in Deo ipso Deus qui sic: actione autem qui sit Filius: & ubicumque est, & esse est & actio: & isto modo Pater est, & Filius & Deus & λόγος.

Ubi igitur est intellectus nefandus & blasphemus? ubi habet locum aliud quid esse, & ab alio, & magis ex nihilo Jesum-Christum & Filium? Ubi est ipsum illud quod nihilum est? Quòd verè nihil est, non incidit in Deum, neque in excogitationem Dei. Vera enim excogitatio Dei ex veris est. Porro autem quod verè non est, falsum est. Non igitur excogitat Deus quod verè non est, sed nos fallit. Quomodo Dei potentiam in isto magis credimus, si ab his quæ verè non sunt, efficiat illa quæ sunt? sed in quantum Dei potentia omnia potest, in tantum juxta quod potentia est, nihil aliud generat quàm quorum potentia est, ut sint eorum aut quæ verè non sunt omnimodis omnino nulla potentia.

Quomodo igitur nulla exsistente potentia eorum quæ non sunt, effecta est actio eorum quæ sunt? Quippe si est Dei potentia esse ex his quæ non sunt ea quæ sunt, jam secundum potentiam esse sunt ὄντα illa ipsa μὴ ὄντα. & idcirco non esse illa diximus, quæ in abscondito posita & in potentia nondum apparuerunt actione. Fuerunt enim omnia in Deo. eorum enim quæ sunt semen λόγος est. λόγος autem in Deo operatione id est virtute Deus qui est filius, apparuerunt omnia & facta sunt.

Sed dicunt quidam sacrilegi: Si circa Deum fuit λόγος & supra gremium Dei exsistens filius non intus in gremio: foris intelligitur non intus. Quid verò? Animam hominum inspiravit Deus intus ex se: Omnium autem creatorem & liberatorem & sanctificatorem ipsius illius animæ, & totius ipsius hominis salvatorem & erectorem in Angelicam virginem non intus emisit? Quod verò autem hominem dextra formavit, & altera pecora & quadrupedia & omnia? & rursus ex aqua animam viventem avium & aliorum in aqua? hoc est ab alio in aliud, & hoc est ab his quæ non sunt. Jesum vero unde dicis? Ante omnia enim filius. num ergo ab inani & omnimodo de nullo? Deinde corpus ejus firmavit animam, an spiritum? Corpus non habuit antequam in mundum ingrederetur, sed animam? Jam igitur & in eum insibilavit, neque in eum. Quomodo autem in ipsum? Non enim habuit corpus: sed si quod insibilavit, ipsum fuit Filius. Si ita istud est, à Deo Filius, sic & spiritus. A nihilo enim non est spiritus. Dicit enim Deus: *Omnes spiritus ego emisi insufflando.* Si ipse insufflavit: à Deo Filius & natus est Filius, non fecit illum Deus. Non igitur & circa Deum, nec super gremium Dei foris est, sed intus utrumque significat.

Testatur & David ubi Deus dicit: *Eructavit cor meum verbum bonum.* An numquid sicut Filius factus est, sic & omnia? Dixit Deus, & factum est: antequam fuit Filius nec Verbum fuit Dei. Quid igitur dicimus? Non necessarium est confiteri, si Verbum Dei fecit omnia, primum esse Verbum, & Dei generatione esse Verbum universale, Verbum omnimodu, perfectum verbum. quod nos & Prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli & λόγον nominamus, & Filium.

Moises sic dicit: *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Secundùm Aquilam hoc idem sic: *In capitulo fecit Deus*: & Hebræi istam intelligentiam habent. Sive *in capitulo*, sive *in principio*, in Christo fecit Deus. Principium enim & caput Christus, & hoc frequenter dicitur: *Creavit omnia in Christo.* λόγος enim Christus ut semen est omnium. Primus igitur Christus. Ante enim omnem creaturam fuit. Unde igitur Christus? si Verbum est, à Deo: si voluntas, à Deo: si autem motus aut actio à Deo: & si ipsum agere & esse est juxta ipsum esse Pater est, Filius autem actio est: & quoniam ipsum esse actio est & agere esse est, idcirco ὅμοιοι & Pater & Filius. Sed quomodo

ὑπὲρ ὄντ nondum exsistente substantia ? Nomina ab his quæ posteriùs sunt, ab his quæ post Deum & inventa sunt & assumta. Et quoniam non est invenire dignum nomen Deo; ab his quæ sumus nominamus, Deum habentes in intellectu. Quoniam non propriè appellamus, quemadmodum dicimus, Vivit Deus, intelligit Deus, providet autem nostris actionibus. Dicimus actiones Dei, existente illo supra omnia, neque existente, sed quasi exsistente, neque ὢν exsistente, sed ut ὤν. Isto modo etiam substantiam & exsistentiam apponimus Deo, & ejus esse ὄντως dicimus, aliter se habenti ad quod est ei esse.

Similiter & cum dicitur, quoniam factus est Christus, non quod verè factus sit: sed cum unus sit, & in omnibus sit, & omnes in ipso; idcirco dicitur omnibus omnia factus est, non quod factus sit ut esset, sed quod effectus sit ad ita esse. Si quidem non dicitur Filius factus est, sed factus est nobis Dominus. Sic & Salomon dicit: *Et fecisti me supra vias tuas*, nam de spiritali generatione supponit statim: *Ante omnes genuit me*. Dicit & Johannes: *Et quod in eo factum est vita est*. Quid deinde: Nonne Deus creaturam fecit, & in creatura primum cælum & terram? Non ergo fecit Christum. Natus est ergo Christus, non factus. Ubicumque ergo dicitur quoniam factus est, post primum ubi fuit generatio, dicitur effectus est. Sic & de muliere factus est. Et in Actibus Apostolorum: *Certissimè igitur cognoscat domus Israel, quoniam istum Christum Deus fecit, quem in crucem tulistis*. ista omnia post generationem, quæ una est & sancta & inexstinguibilia, ista omnia dicuntur, non in ejus exsistentiam, sed in actus, & in ministrationem ejus potentiæ atque virtutis. De generatione igitur manifestum quia filius est Dei, & quod ὑμῶν substantia ejus in majestatem propria significantia intellecta secundum esse exsistente substantia. Et sic demonstratum quomodo ὑμῶν.

Habes nunc quod reliquum est, ô mi Candide, dicere. » Si Filius Jesus, generatione Filius: si autem » generatio motus, & motus immutatio. Immu- » tationem autem esse in Deo impossibile est intellige- » re; nefas dicere. Necesse est [ergo] à Deo nihil » esse generatione gignibile. Non igitur Jesus à Deo » generatione Filius. « Bono quidem ordine circumduxisti, ô amice Candide: sed quem circumduxisti? forte me: sed magis te. Dicis enim, quoniam fecit Jesum Deus. Quod deinde, facere non est motus nihilominus quam agere. Immutatio igitur & in faciendo, si motus in agendo. Agere autem facere est, & quod facere agere. Ambobus in motu existentibus, necessario consequitur immutatio quod incongruum in Deo, sicut declaratum est. Confitendum igitur aut facere non esse motum, aut non omnem motum esse immutationem. Sed enim facere motus est, & Deus juxta motum fecit, cui omnino non contingit quomodocumque mutari. Relinquitur ergo non omnem motum immutationem esse. Si non omnis motus immutatio, quid eligendum magis juxta Jesum? secundum generationem illum esse, an secundum effectionem? juxta divinam intelligentiam, quod secundum generationem. Etsi enim Deus ac * dicit, facit Deus quæ facit. Sed dicere motus est præexsistentis silentio. Mutatio igitur silenti dicere. Si autem per verbum fecit Deus, antè fuit Verbum quàm facere. Si antè fuit Verbum: juxta generationem, ante fuit. Generat enim τὸ Verbum. Generatione igitur Jesus, quoniam λόγος Jesus.

Qui ignari sunt rerum, dicunt secundùm tres modos filium esse, veritate, natura, positione. Secundùm veritatem esse Filium, hoc ipso quod est substantiæ. Et idcirco ipsum & simul & ejus debet substantia esse. Quomodo & Deus & λόγος est Pater, & Filius. Naturâ autem Filius in animalium generatione. Positione vero ut adoptione. Sunt & alii modi, ut moribus, ut ætate, ut disciplina, & ut Paulus dicit: *Ego vos genui*. Modus igitur secundùm veritatem alter modus, si antè fuit Verbum quàm facere & divinior ab omnibus. Quis autem modus ista generatione filietatis ejus, sive juxta significatos, sive juxta alios modos: (confiteor Deo, illius enim potentia factum est) dictum à nobis sufficienter in aliis libris, & omnis progressio, & descensus, & regressio permulto sancti Spiritus declarata est, & de triplici unitate, & de unali Trinitate. Non enim audio dogma vestrum de Spiritu-sancto blasphemiâ plenum: » Quoniam iste Spiritus in significationem « est, & tantummodo qui doceat, & quoniam & ipse « factus est sicut omnia in creatura. « qui quidem Spiritus-sanctus propria sua actione differre [debet] à Filio, Filius cum ipse sit, sicuti Filius actione est differens à Patre ipse qui sit Pater juxta id quod est esse. Et sic istorum trium unum & idem existentium una divinitas, & non multifida majestas, tria unum, & unum tria, & ter tria unum, & idem & unum & solum est. Sed de his tribus alia nobis oratio. Salva nunc nos Pater, concede nobis peccata nostra. Est enim peccatum de Deo dicere, quid est, & quomodo: & humana voce divina non venerari, sed enunciare velle. Sed quoniam dedisti spiritum nobis, sancte omnipotens Pater, particularem de te cognoscentiam & habemus, & dicimus omnigenis, aut ignorationem de te habentes cognoscentiam de te habemus, & rursus per fidem perfectam de te cognoscentiam habemus. Te Patrem Deum, & Filium Jesum Christum Dominum nostrum & sanctum Spiritum in omni verbo semper confitentes.

ADNOTATIO.

Marius Victorinus Afer, vir consularis, scripsit libros quatuor adversos Arrianos, editos in Bibliotheca Patrum: idemque conditor est superioris opusculi, sub cujus finem prædictorum librorum meminit. Utraque lucubratio directa est Candido Arriano, ut Candidi litteræ, quæ Victorinum ad scribendum impulêre, utrobique præmissæ testantur. In Augustano sancti Udalrici codice, ex quo nos partim, partim R. P. Amandus Supprior hunc libellum descripsimus, mutila est à principio Candidi epistola. Obscurissimum reddit hunc libellum tum genius auctoris, tum mendosi quidam loci, quos ope exemplaris sanare non potuimus. Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis Victorinum tantùm ab eruditis intelligi scribit. Hæc ejus verba sunt in capite 101. *Victorinus, natione Afer, sub Constantio principe Rhetoricam docuit: & in extrema senectute Christi se tradens Fidei, scripsit adversus Arrium libros more dialectico valde obscuros, qui nisi ab eruditis non intelliguntur; & commentarios in Apostolum.* Eum tamen præclarè laudat Augustinus in lib. 8 Confessionum cap. 2. ubi *omnium liberalium doctrinarum peritissimus, Doctor tot nobilium Senatorum* appellatur: *quique etiam, ob insigne præclari magisterii, statuam in Romano foro meruerit & acceperit*. Idem edidit librum contra Manichæos ad Justinum ejusdem sectæ discipulum: qui liber à Jacobo Sirmundo, clarissimæ memoriæ viro, inter quinque opuscula dogmatica, Parisiis vulgatus est anno M DC XXX.

I N C I P I T

DILIGENTIA BEATORUM MONACHORUM ARMENII, * ET HONORII

* f. Ammonii.

DE LIBRIS CANONICIS VETERIS ATQUE NOVI TESTAMENTI:

Sed etiam Confessio fidei Catholicæ quam breviter viro illustri THEOPHILO *direxerunt.*

INter cetera & ad locum divinarum scripturarum testimoniis introducti, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres personas coæternas, coæquales, unius substantiæ, unum Deum pia fidei credulitate confitemur atque veneramur. Et quoniam Deum Patrem, Deum Filium, Deumque Spiritum-sanctum in scripturis divinis legimus: atque secundùm dogma catholicum & apostolicum confitemur. Absit à nobis & longè repellatur gentilis erroris impietas, ut utrium in una deitate personarum tres deos fateri videatur. Absit, absit hoc à nobis, & procul à piorum mentibus excludatur. Nos enim juxta sanctæ (ut ostendimus) scripturæ auctoritatem nominum tantummodo ac personarum distinctionem in Trinitate facimus. Ceterum deitatem unam invisibilem, inenarrabilem, incapabilem, incomprehensibilem confitemur: quia ipsa est in Patre, ipsa est in Filio, ipsa est in Spiritu-sancto una & perfecta divinitas. Non enim tres deos dicimus, qui unam divinitatem fatemur: neque obliti sumus scripturam dicentem: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est.* & rursum: *Dominus tuus ipse est in cœlo sursum, & in terra deorsum, & non est alius nisi ipse.* Et ideo denique eum gentibus aut hæreseis numerum in deitate non facimus, neque cum Judæis mysterium Trinitatis negamus: sed confitemur existere Patrem, existere Filium, existere Spiritum-sanctum, in personarum proprietate unitatem deitatis, in Trinitate credentes atque venerantes, id est personas Patris, & Filii, & Spiritus-sancti unum Deum esse confitemur. Et ideo Deus omnipotens, quia ante omnia initia, & ante omnia principia & ante omnia sæcula, omnipotentem coæternum sibi, sine ullo omnino initio genuit Filium. Genuit enim, non creavit, neque fecit quoniam neque factura, neque creatura est: sed coæternus, coæqualis Filius Patri & Spiritui-sancto ab omnibus catholicis confitebitur. Qualiter autem secreto illo & inenarrabili consilio sit genitus, nullus catholicus prorsus debet hoc proloqui, neque mente vel qualibet cogitatione concipere, cum propheta apertissime increpans dixerit. *Generationem autem ejus quis enarrabit?* Deus est ergo Pater, Filius Dei est Christus, id est unctus, eo quod in nostro sæculo unctus sit oleo lætitiæ præ consortibus suis. Jesus, eo quod salvator est omnium nostrorum credentium. Dominus ob quod majestatis est Dominus, qui etiam pro nobis crucifixus est. Verbum, eo quod ex persona Patris loquitur Propheta. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Virtus, eo quod omnia quæ sunt in cœlo, & in terra, & in mari, & in his quæ in eis sunt, ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Sapientia, eo quod omnia in sapientia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Lux, eo quod in hoc mundo venit, sicut & ipse dixit: *Ego sum lux mundi.* Veritas, eo quod in illo nihil mendacii sit. Via, eo quod per ipsum accessum habemus ad Patrem. Vita, eo quod in ipso vivificati ex mortuis in hac qua nunc sumus carne resurgimus. Rex, eo quod ipse est Rex regum. & dominus dominantium Sacerdos, eo quod ipse est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Brachium, eo quod sua excellentia & fortitudine nos de manu mortis liberavit. Dextera, eo quod nihil in illo sinistræ sit Retia, eo quod in mundum, tamquam in mare, veniens, majestate sua complexus est & elegit nos. Lapis, eo quod positus est in caput anguli, & continet duos parietes vetus atque novum Testamentum. Fundamentum, eo quod redemtio & salus nostra sit, sicut Apostolus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est Christus-Jesus.* Aquila eo quod ad cœlestem altitudinem de terrena humilitate remeavit: Leo, eo quod victor est diaboli, sicut scriptum est, *Absorpta est mors in victoriam.* Vitulus, eo quod hostia pro nobis voluntariè oblatus & immolatus est. Homo, eo quod unus in utriusque naturis manentibus, id est deitatis & humanitatis homo Christus-Jesus est. Agnus, eo quod innocens pro nobis condemnatus, passus, crucifixus, ac mortuus est, & tertia die resurrexit atque abstulit peccata mundi. Gigans, eo quod gemina in eo substantia est, id est Verbi & carnis & virtute & fortitudine sua omnia transcurrit. Vermis, eo quod sine coitu & semine conceptus & de Virgine natus est. Speculum, eo quod est absque macula vel ruga, quippe imago deitatis. Janua, eo quod per ipsum ingredimur ad vitam æternam. Sponsus, eo quod virgo de Virgine natus Ecclesiam sibi immaculatam copulavit. Pastor, eo quod discernit agnos ab hædis & utrusque in resurrectione secundum meritum reddit. Panis, eo quod ipse sit panis vivus qui de cœlo descendit. Vitis, eo quod ejus sanguine potamur in remissionem peccatorum. Forma Dei, eo quod æqualis est Patri & Spiritui-sancto in eadem substantiæ divinitate. Fons, eo quod ipse est fons vitæ, qui nobis plenitudinem gratiæ donavit in generatione in baptismatis. Ignis, eo quod ipse est qui in columna nubis patribus nostris apparuit, & in rubo Moisi, & nos ignivit eloquio.

Omnipotens vis trina Deus Pater optime rerum,
Quo generante natus sine semine, tempore, matre,
Ortu sine, loco, vel membris post cuno nunus
Permittent cerni multo quoque nomine dictus:
Spes, Ratio, via, vita, salus, sapientia, mens, mons,
Judex, porta, gigans, Rex, gemma, propheta, sacerdos,
Messias, Sabaoth, Rabbi, Sponsus, Mediator,
Virga, columba, manus, petra, Filius, Emmanuhel, Lux,

Vinea, pastor, ovis, pax, radix, vitis, oliva, Fons, Eros, panis, agnus, vitulus, Leo, Jesus, Verbum, homo, rete lapis, Dominus, Deus, omnia, Christus.

ADNOTATIO.

QUi sint monachi isti, incertum. Facilè crederem, Theophilum, cui directa est præmissa Fidei Confessio, esse Patriarcham Alexandrinum, nisi *viri inlustris* titulus, qui ei tribuitur, potiùs Comiti, quàm Episcopo conveniret. Si tamen id de Theophilo Patriarcha interpretari placeret, hæc Confessio tribui posset Ammonio monacho & fratribus ejus, quos *Longos Fratres* appellabant. Horum enim fidem suspectam reddere contendebat Theophilus Alexandrinus. Quamquam potiùs Latinis monachis, quàm Græcis prædicta Confessio assignanda videtur. Sed hæ conjecturæ sunt. In codice Augiensi grandi & præclaro repertur ista Confessio cum aliis antiquorum Patrum Confessionibus, eorumque expositionibus in orationem Dominicam. Inter illas porro Confessiones exstat *Breve Fidei*, quod Faustinus Presbyter Luciferianus Theodosio Imperatori direxit post libellum supplicem à Sirmundo editum: quod *Breve* eruditus Quesnelius vulgavit in a. tomo operum sancti Leonis.



INCIPIT

LIBER CUJUSDAM REQUIRENTIS ET RESPONDENTIS,

SEU

AUXILII LIBELLUS

Super causa & negotio Formosi Papæ.

PEtis à me responderi tibi super Formosiana calamitate, utpote ignarus veritatis. Quod respondeam non invenio: totum enim responsum est. Verborum enim copia frustra perstrepere vitium est, præsertim cum epistola brevi verbo causa responderit dicens: *Si quis aliud evangelizaverit, etiam Angelus de cælo veniens, præter id quod est anathema sit.* Jam enim pudet fatuitatis. Quid igitur prodest tot membranas occupare, & de exemplaribus plenariis coridie capitularia in tomis transferre: cum desit auditorium, insuper alto sopita aspis jaceat somno gravique litargico adeo pressa, ut nullo queat excitari sono? Illis itaque hoc agere competit, quibus est commissum magisterii remigium: illi debent audire, quatinus usque ad sanguinem resistant. Ego autem vilis & stupida ovis, debeo audire dicentem: *In patientia tua possidebis animam tuam.* & iterum: *Cultus justitiæ silentium.* Paulus igitur cum esset vas electionis, magister Ecclesiæ, non ab homine, sed ab ipso Deo in Apostolatu electus, nòn se æstimavit competentem volanti Mago imperare, sed dixit: Tuum est Petre imperare, meum autem orare. Sic nimirum, sic orare nostrum est, ut dormiens Jesus in navicula exsurgat, & judicet causam suam. Ceterum victus tuo favore, neminem carpens, neminemque reprehendens, nullum certum tangens, distribuam tibi, te præsule teque judice, sub rhetorico fasmate actionales causarum voces, quarum intentione & repulsione quis sibi varietatis palmam adquirat, possis vigilanter discernere. Verùm primum antequam in auditorium ingressus fiat, præ foribus paulisper vis artis aperienda est, ut locorum status finesque constitutionum facilius impectorentur, & hoc breviter. Re enim vera omnis orator brevitate gaudet. Unde sit brevitas in verbis, paucitas in sententiis, absolutio in singulis.

Dicantur igitur principales status tres esse: an sit, quid sit, quale sit. Et an sit, ad quæstionem ut quæritur, Formosus: & quæstio est de illo. Quid sit verò, pertinet ad causam: ut quid fecit, unde questio est. Quale autem, ad conjecturam respicit. Inde ad controversiam quatuor constitutionum: ubi jam nunc dicendum quid inter hæc distet. Quæstio est conjectura; conjectura autem, ambigua interpretatio: utrumsit aliquid, vel non, vel fieri potest: ut an Formosus sacrare post excommunicationem valuisset. Causa verò est, an justè fecerit, nascitùrque ex quæstione causa, ex causa constitutio: unde sit quæstio ut videatur causa. Porro quæstionum aut finitum est, aut infinitum. Finitum: an jure factum sit; oriturque de certo facto: demonstratque personam quæ dicitur hypothesis. Omnis igitur res argumentando confirmatur. Omnis scilicet res quæ hypothesi consistit, causa dicitur, cujus causæ ista est diffinitio: Lis cum certa persona. Et hæc omnis res ex septem locis argumenta contrahit. Horum duo, quis, & quid, omnia continent. Hypothesin itaque litem continet. Litium autem duæ sunt voces, insimulantis & repulsantis: quæ fiunt per ippophoram, & antipophoram. Sed de hoc satis. Iccirco itaque ista præd[i]aimus: quatinus prænoscatur liquidiùs, quo argumento vocis alter alterum jaculetur. Quocirca statuatur jam nunc certa persona Formosi in medio, & causidicis*: si sicut ex adverso civilibus alternantibus vocibus, per demonstrativum tertium genus causarum experiatur veritas, vel falsitas. Huc itaque Dialectica minime succurrit utrutri: quia lis & controversia est, certaque monstratur persona, ubi impossibile est ut quilibet non succumbat. Age ergo suadet infensor: & dissuadeat actor. Ecce stat Formosus præsto.

* *l. causidicus.*

Dicit INSIMULATOR: Hic Formosus Episcopus fuit excommunicatus. ACTOR: Fuit quidem: sed absolutus.

INSIMULATOR: Minime. ACTOR: Absolutus.

INSIMULATOR: Non quidem possible fuit. ACTOR: Si possibile fuit justè ligari, possibile est & justè absolvi.

INS. Non igitur absolutus fuit: quia scripto & juramento firmaverat. ACTOR: Licet malefacta benefactis delere. Iste tamen priùs excommunicatus, postea est absolutus.

INS. Quo pacto scis eum absolutum? ACTOR: Fo scilicet quo tu excommunicatum. Auditur enim tam

verum, quàm falsum nuntium. Ecce cuim præsto sunt Episcopi, quorum præsentia absolutus est.

Ins. Excommunicatus, non absolutus fuit inquam. Actor: Unde fuit excommunicatus? Er quis ex præpositio sequestrationem significat. communicare vero polisemum est: ambiguum sonat unde excommunicatum asseras, præsertim cum sex modi sint divisionis. Unus autem generis in species, totum in partibus, vocem in propriis significationibus, subjectum in accidentiis, accidentia in subjecto, accidentia in accidentiis. Hac voce sermonis ambiguum & amphibologicum illustra. Unde quis vitium in loquendo fecisti, supple quod minus dixisti.

Ins. Dico, inquit, istum Formosum excommunicatum, id est extra communionem Episcoporum ordinis repulsum. Actor: Majus est à collegio Christianorum excludere, quàm ab officio Episcoporum cessare. Et tamen ab eo quod majus est ad pristinam venitur veniam. Si enim quod gravius est & multò majus, reformari potest? id quod minus est, multò facilius recuperari potuit. Et quia potuit, procul dubio fuit. Absolutus igitur fuit. Ecce numerositas veritatis testium, quæ dicit se vidisse, interfuisse, & veraciter ita exstitisse. Sed pertinacis, etiamsi voluerit cœlum & terram dicere non esse, poterit. Unde est illud: quia insipiens in corde suo Deum non esse dicit. Mendacii igitur destruitur hic moles à suis tribus speciebus. Incredibile est itaque ut sapientia totius mundi, Roma, excommunicatum quemlibet sibi caput fecisset. Impossibile etiam erat, ut à quolibet vili homullulo tam vivida virtus senatorum invadi potuisset. Unde per contrarium est, ut nisi absolutos & omnium placidus, æquo cunctorum voluntate ascendi potuisset.

Ins. Absolutus, inquam, fuit? Actor: Absolutus.

Ins. Dicis utique justè? Actor: Justè, an injustè, absolutum probo.

Ins. Ergone absolutus, ut habuisset facultatem sua dimissa, suaque perdere, scandere ad primatum, quod ne fieret scripto juramentoque perpetuaverat? itane hoc licitum? Actor: Non equidem.

Ins. Qui ergo absolutus? Actor: Ascendit.

Ins. Dicis justè? Actor: Non.

Ins. Quare? Actor: Quia æternum firmaverat.

Ins. Etsi illicitè, insuper & hoc firmasse æternum asseris, quare ergo subiit? Actor: Ob utilitatem videlicet. Et quidem fecit; quia profuit, fecit: & hoc jure.

Ins. Superius concessisti factum illicitè, & nunc adstruis jure? Illicitè enim & jure, primus modus contrariorum: non habet medium. Si quippe illicitum fuit: jure non potuit. Quod si jure factum fuit: illicitum non exstitit. Unde contrarium sonat quod adstruis. Actor: Majus est plures pessumdare, quam unum salvare. Quidquid igitur fit, in duobus fit: factis & dictis. Factum stat: dictum perambulat. Omnis itaque conjectura modos possidet tres: à causa, à persona, à facto. In hac igitur causa, hujus personæ voluntas est intuenda: ut amore liberandi patriæ excessere dictum. Hic enim cum esset celebrior ea tempestate suis contribulibus nobilitate, morigeralitate, graviorique omni probitate, & vidisset gentem suam patriamque humiliari ac dejectum pati: elegit zelo ductus potius mori, quam funditus rempublicam everti, & turpiter videre maculari. Et quia cunctorum hortatu egit; illicitum erat dimittere, multo magis ut patriæ se opponendo non occurreret, quam illicitum sacramentum, sese occulens, servando, simul ipse cum patria & tota gente periret. Felix certe culpa, quà cuncta redimitur patria. Qui igitur pereunti subvenire potest, & opem non supponit: idem procul dubio auctor necis exstitit.

Ins. Illicitum quippe lex dicit, jurare & pejerare. Actor: Lex itaque è contra præcipit patriam defendere, & eum qui opem non tulerit punire. Legum enim contrarietas plurima est. In eodem enim vetat, in quo imperat. Quæ talia utilitas reipublicæ sequestrat. Verumtamen major est lex quæ vetat, quàm ea quæ imperat: quia cum vetat, reprimit ea quæ injuste aut incaute vel insperate imperat. Si itaque is qui patriam perdidit, pœnam meretur: multo magis is qui defendit, maximis præmiis & præconiis dignus habetur. Si igitur filius Ecclesiæ fuerat; eam discerpere & labefieri videns, pro viribus sese obniti debuerat. Alioqnin tempore hostili omne jus, omneque illicitum cavere quid est aliud, nisi patriam perdere & necem inferre? Silent quidem leges inter arma.

Ins. Illicitum enim jurare & non observare fuerat. Actor: Illicitum lex dicit, ut peregrinus murum civitatis ascendat. quod si fecerit, puniatur. Iterum lex dicit: Qui hostem ad murum conantem viderit, & non se opposuerit, puniatur. Quidam vidit, ascendit, profligavit, rejecit. Obmallatur*? Similiter lex erat in templo Vestæ marem non ingredi: ingressus puniretur. E contra lex: Qui viderit matri inferre vim, & opem non tulerit, puniatur. Quidam procul means, vidensque matrem vapulantem, ingressus opem tulit. Obmallatur? Quocirca omnes leges, omniaque jura, verba, promissionum sacramenta, ad commodum reipublicæ referri oportet. Ea enim virtute ac sapientia majores nostri fuerunt. Ergo in hoc quoque judicio desine literas legis & illicita perpendere. Considera quid magis utile fuerit, unum hominem jusjurandum servare, & caput mundi ruere: an unum verbis excedere, & gentem & patriam salvam reddere. Quod si omnes leges ad commodum reipublicæ referri oportet: levius est malum, quàm pessimum. Bonum igitur malum, quod pellit pessimum. Amplectendum enim est malum singolare, quo pellitur generale. Siquidem mirum est spectaculum, licitumque dicendum non illicitum, immo laudabile & venerabile, ubi malum finitum simplex superat duplex infinitum. Moderandum enim erat tempus. Omnis enim virtus utilis est. Moderatio autem virtus est. Moderatio igitur utilis est. Unde moderandum erat tempus secundùm negotium. Porro si de lege contendis, satis sit dictum lege legem frangere, reipublicæ honestate & utilitate. Postremo id quod dictum est in eodem, & licitè, & jure, divisio accidentium in accidentiis dirimit: quia ex eo quod illi illicitum, reipublicæ exstitit licitum & jure.

Ins. Convenio certe te, quia illicite esse supra concessisti, quia æternùm firmaverat, quod ex parte utilitatis reipublicæ partim purgasti, videlicet utrique legi imperanti & vetanti obtemperandum, satisfaciendo mihi. Si primum factum illicitum quantum ad eum pertinet, concessisti ex parte: quid de factorum factis adstruis? Actor: Factum esse in ascensione sedis ex parte licitum, ex parte dico illicitum, siquidem ex interiori & exteriori esse, unus est homo. Facta verò ejus abhinc ut opinentur irrita.

Ins. Cur igitur factum, & non facta? si illud, quare non ista? & si non ista, quare illud? Actor: Quia aliud est factum, & aliud facti factum. Et rursus aliud factum sequens factum. E tribus enim generibus factorum solum primum est in causa. Non itaque quæstio est de factis duobus posteris: sed de facto factorum.

Ins. Non inquam facta sequentia rata, si pri-

* Glossema interlineare, morti datur.

mum non fuit ratum, sed irritum. ACTOR: Non ita nempe. Esto licet quod ascendit prævaricabile: non tamen quæ post fecit, id non prævaricabile.

INS. Quæ bona fecit nun prævaricabile? ACTOR: Id profectò quod prædicavit, & sacravit.

INS. Non inquam potuit sacrare. ACTOR: Ergo nec prædicare.

INS. Potuit: sed in sua tantum redditus sede. ACTOR: Si in sua concedis posse: necesse est ut & in aliena concedas posse; licet, ut disputatum est, ex parte injustè. Unde primum factum dicat ex parte irritum, non tamen secundum: quia quod posse est, procul dubio pro libitu possibile est. Id enim quod dicitur posse, si est posse, sicut in licitis, ita & in illicitis dicitur posse. At si negas in illicito Spiritum-sanctum posse invitare: consequens est ut neges in illicito coitu animam Deo posse mittere. Illicitum dico, qui qualibet occasione ad tempus sacratus est: sequestratus ab altari, & in ipso fervore sequestrationis fungitur officio. Nam etsi actus aliquamdiu separatur à specie, non tamen posse. Potestas enim nulla ratione à specie disjungitur. Risibile namque, quod est posse, vivere & dormire, & cætera quæ sunt speciei cohærentia, non quidem semper sunt in actu, cum sint in potestate. Si enim non perdit baptizatus baptismum, etiam eliminatus ab Ecclesia: quo pacto perdit sacratus, licet excommunicatus, Sacramentum suæ impositionis posse, nisi ad tempus obtemperando priori, ut paulo post absolutus iterum fungatur officio, sicut & baptizatus ecclesiæ ingressum? Est igitur posse: sed non in actu.

INS. Non ego quod dicis consentio. ACTOR: Dic ergo quare ejus facta damnes, cùm ejus facta ut primum factum obligatum scripto & juramentu non sint?

INS. Ideo scilicet, quia quod non habuit, dare non potuit. ACTOR: Plane potuit quia habuit. Ideo habuit, quia ab Episcopis manuum impositionem accepit. Accepit autem & habuit, deditque quia potuit.

INS. Quod inquam non habuit, dare non potuit. ACTOR: Dicis de potestate non habuit, an de actu, aut de utroque?

INS. De utroque. Neutrum sine altero stat. Si enim perdidit officium, officium non habet. quod si non habet, jam dare minime potest. Perdidit quidem officium, ubi amisit potestatem & actum. ACTOR: Horreo valde cæcum tui simultatem, qui omissa veritate stabilire niteris falsitatem. Naturale igitur est, ut per nota efficiantur notiora ignota. siquidem argumentum duas habet species, inclusam & expositam. Baptizatio autem in virtute Spiritus-sancti fit, & datur remissio, & hoc semel. Rursus ordinatio sacrorum in virtute Spiritus-sancti ejusdem fit, & hoc semel. Qui si acciderit noxa ut excommunicetur: numquid nam dicendum ut excommunicetur ne sit Christianus, qui donum per Spiritus-sancti gratiam acceperat? Quod si unum donum per eumdem Spiritum-sanctum datum nullatenus potest evacuari, quomodo dicis aliud simile donum posse pelli? Annue suspicaturus, quòd non sit unus sanctus cooperans omnia Spiritus, cùm prorsus unus sit Dominus, una fides, unum baptisma, unum sacerdotium. Quod si baptismum non auferri potest, proculdubio nec sacerdotium. Ab actu quidem per divinitatem segregari potest: ut tamen sacerdos in perpetuitate non sit, sicut baptizatus, minime potest. & sicut unum initium est, ita & possessio, similisque finis. Unde apparet, quia sicut baptizatus rebaptizari non potest: sic sacratus nullomodo resacrari potest. quod qui hoc contradicit, in hæresim Donatistarum ruit. Quod itaque per unum Spiritum-sanctum fit, unum est, & non diversum. Alioquin si in baptismo confertur Spiritus, & non in sacerdotio; jam non est unum, sed potiùs diversum. Non enim accidentia sunt quæ accidant & recedant, baptismum & sacerdotium, per excommunicationem, ut puta quodlibet accidens: veluti sapientia quæ recedit à subjecta mente, aut dum desipit, aut dum obliviscitur. Nec quidem perduntur per segregationem potestatis, nec ullo modo nævum infectionis in se perpetiuntur, nec mutati ut sanctum non sint; nec etiam ita evelluntur, ut sive ad malum, sive ad bonum, secundum illud acceptum Ordinis ordinati non judicentur. Quocirca necesse est ut concedas, sacerdotium ab accepto inseperabile, sicut baptismum. Aut si non, aliud esse donum baptismi, aliudque sacerdotii. quod dictu impium est.

INS. Dicit enim Innocentius, quia quod non habuit, dare non potuit. ACTOR: Dixit: sed non de catholico isto Formoso. Sed licet de quolibet dixisset Innocentius, si etiam de aliquibus nonnullis dixit hæreticis; econtra priora dixere Leo & Anastasius. In humanis enim legibus pluritas vincit. siquidem in ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Minùs est enim unum excessisse, quam plures. Neque igitur in dando exemplo, nec unum, nec unus sufficit. neque ita quis ab hæretico baptizatus, ab ullo catholico rebaptizatur. Vide quia neque etiam hæreticos jus Pontificis perdit: sed neque sacrationis. Etsi de hæreticis hoc conceditur, quare non de Formoso, viro catholico & orthodoxo conceditur? Is est profectò ille, qui in omni vita sua tantæ gravitatis forma extitit, ut vinum non biberet, carnis gustum nesciret; femineæ copula expers, octogenarius virgineum suum corpus hominem exuens terræ commendaret. Istæ etiam gentes Vulgarorum, vitam sanctitatis prædicatione confirmans, ut verus Apostolicus ad fidem adduxit. Et cum tanta probitate prædicatus toto mundo ut alter lucifer illuxisset, vim passus in sepulcro, busta diruta, ossa fracta, uti quoddam memphiticum, ejectus est extra publicum: cui tanto viro examinato ut aurum, nil juvare potuere scholæ clamantes: O parcite sepulto! est nullum cum mortuis certamen. sed fuit in eo licitum, quod libitum. Neque enim ipsis Apostolis datum est de mortuis præjudicare. Formosi elogium.

INS. Quid igitur? datur quod non habetur? ACTOR: Etenim datur.

INS. Quidam itaque presbyter, ut puta heri baptizavit, & ipse criminosus, qui dum baptizavit, peccatum originale dimisit? ACTOR: Denique id approbo condescendendo tibi, quasi tuis assertionibus favens, tuæque parti adstans, non quidem ex ea parte veritatis qua sum defensor. Unde replica quæ dixisti.

INS. Non inquam dico presbyter dimittet: quia nemo nisi Deus dimittit. ACTOR: Concedo quia ita est: sed tamen Deus non dimittit, teste Ecclesia quæ dicit, nisi presbyter baptizaverit. Accedente quidem homine ad hominem, Deo ad mentem, ex duobus tertius remissionem recipit: tingente scilicet presbytero efficitur remissio: & quod non habet ex suo, porrigit ex officio. Ecce qualiter dat id quod non habet.

INS. Nemo inquam dimittit peccata, nisi solus Deus. ACTOR: Verum est, assentio: sed inspice Deum à Deo factum, videlicet ab essentiali accidentalem, quem factum honoravit eum sic, ut daret ei potestatem filios etiam Dei fieri, daretque potestatem dimittere & retinere, solvere & ligare.

INS. Sed non Formoso. ACTOR: Si perfecto odio odisses, minùs egisses. Unde antiquarum odium felle amaritudinis parvo stillicidio verborum dulco-

rari non potest. Nam si per impositionem manuum Episcoporum dari Spiritum-sanctum incredibile est, qua ratione vita animæ à Patribus tradita est ? Non rectè dicitur de uno credendum jure non posse, cum de omnibus dicatur æqualiter posse. Aut enim omnibus æqualiter erit posse, aut æqualiter omnibus non posse. Etenim credibile est per impositionem manuum Episcoporum accipere Spiritum-sanctum. Quia vero Formosus, ut alii Apostolici, etiam & ab ipsis Episcopis manus impositionem accepit: & ipsius potestatis utique expers non fuit. Accepit autem. Igitur & dare potuit. Nam si non habuit, aut similem impositionem non accepit; aut si similis fuit, quia mutari non potuit: simili modo ut alii qui acceperunt, id quod acceperat simili conditione dare & potuit. Si illud fuit, & istud: quod si istud non fuit, omni modo nec illud. Fuit autem illud: ergo & istud. Si itaque adstipularis quemlibet jure sacramento non posse uti, alterum jure sacrare; fateris indubitanter Sacramentum alteratum existere. Unde requiro abs te, utrum jure in Sacramento alteratum sit dicere. Alteratum Sacramentum inquam appello, quidquid divinitus per ministrorum celebratur manus, utpura baptismum, impositio manuum, & cetera cælestia.

Ins. Nec spero. Actor: Quare?

Ins. Quia non est diversum. Cum enim diversum tribus fiat modis, materià, opere, utroque: quia Sacramentum neutrum est, alteratum non est. Actor: Gratum est quod asseris. Et quidem in hoc veritati obediens, pro me contra te dicis. Nam si Sacramentum neque aliud est, neque alteratum, quoniam nec genus, nec species distans à specie, nec accidens in eodem est; & nec quantitatem nec qualitatem habet, & nec augeri, nec minui, nec mutari potest, & ideo non esse diversum fateris, sed potius esse idem in eodem unum: qua ratione ergo dicis non potuisse Formosum ea uti accepta potestate, sicut & cæteri cum ceteris, cùm confitearis Sacramentum & Formosum suis in speciebus, etsi sint altera, non tamen alia, præsertim cùm omne aliud alterum, non tamen omne alterum aliud sit? Paulus enim à Petro, etsi alter est, non tamen aliud est. Non quidem homo homine, equus equo, majus hodie est, nec cras erit. Sic nimirum, sic, etsi Sacramentum ob efficientem alteratum potest dici, non tamen neque alteratum in eodem: quoniam Sacramentum Sacramento nec majus est hodie in eodem subjecto, nec erit cras.

Ins. Fateor me in hoc veritati cedere: verum quia invasor fuit, Apostolicus esse non potuit. Actor: Dictum est mendacio tria ascribi, incredibile, impossibile, & contrarium. Si igitur concessero invasorem fuisse, videbor turpitudinem reipublicæ inferre: cum etiam contrarium videatur incredibile & impossibile esse, ut ab uno tantillo homuncione tanta sublimitas, tanta majestas, caput mundi subici, & invadi quivisset. Quod si ita fuisse defendis, proculdubio prudentiorem, sapientiorem, utilioremque cunctis ostendis: ac per hoc dignum eum singularem ascendere ad culmen patescis, dum unus contra omnes potuit, quod omnes contra unum nequiverunt. At si concessero illum fuisse invasorem, probabo illius sceleris plures extitisse consortes. Quod si tu inquam dixeris Episcopum illicitum esse scandere ad Papatum: pavendum est ne irritum dicas Marinum, & ejus factum. Quocirca scito & animadverte, quia vincere quidem bonum est, supervincere autem nimis est invidiosum.

Præterea consequens est jam, ratioque exposcit, quatinus per anacephaleosin dictorum finis recensendo claudatur. Propositum enim est, excommunicatum Formosum Episcopum fuisse: sed probatum est, absolutum. Dictum est licet absolutum, ad aliam sedem nullatenus posse migrare. Concessum est primum factum: etsi illud irritum, sequentia tamen esse facta nullo modo irrita posse. Innocentius econtra objectus est: Anastasius Leo & Gregorius ex adverso clamantes, etiam hæreticorum ordinationem sanciunt irritam nullatenus esse. Subjectum est, non potuisse dare quod non acceperat: probatum è contra est: quia sicut baptismus etiam delinquentibus non aufertur: sic donum sancti Spiritûs quod semel datur per manuum impositionem, nec auferri potest etiam delinquentibus à potestate: & licet actu, sed non potestate. Age ergo, vide qualiter absolutus, insuper per impositionem manuum Episcoporum habuisse posse sacrare, dare, & totum pontificale munus peragere. Extremum convenio vos unum, quod me vehementissime movet: quia nullis suorum ordinatis, nec ordinatorum ordinatis ullo modo parcitis. Quare ab eis baptizatis indulgetis? Et si illud non potestis, quomodo istud potestis, cùm unum sit Sacramentum, unumque sancti-Spiritûs donum. Sed de hoc satis.

Convertere jam nunc tandem anima mea: fuge abscondere in tuæ mentis armario. Et si pauca fuit bona quæ dixisti; si qua in quibus errasti, precare doceri, deposce indulgeri. Tandem intra incubiculum: fugiensque freneticorum gaudium, plangere tuum mortuum: dicque & tuis, immo cunctis: Tu autem Domine miserere nostri.

Syllogismus ab antecedentibus.

Si omnibus Episcopis una inest potestas: est & uno. Est autem omnibus una potestas. Igitur & uno.

Syllogismus à consequentibus.

Si non inest in omnibus Episcopis una potestas: nec uno. Est autem in omnibus una potestas. Igitur & uno.

Syllogismus à repugnantibus.

Non est omnibus una potestas: & non est uno. Est autem omnibus una potestas. Igitur & uno.

Syllogismus à disjunctibus.

Aut inest ordinationi Episcoporum unitas, aut diversitas. Est autem unitas. Igitur non est diversitas.

Quintus modus.

Aut inest ordinationi Episcoporum unitas, aut diversitas. Non inest unitas. Igitur inest diversitas.

ADNOTATIO.

Celebris fuit quondam controversia de causa Formosi Papæ, quæ duobus maximè capitibus constabat. Primum est, an canonica esset ejus promotio in sedem Romanam: alterum, an ordinationes ab eo tum factæ validæ essent habendæ. Consequens pendebat ex priori, cujus dubitatio ex triplici ratione petebatur, nempe quòd Formosus, antea Portuensis Episcopus, ab Johanne Papa VIII. exauctoratus, & ad laicam communionem redactus fuisset: deinde quod profugus jurasset numquam se Romam rediturum: tertio quod à sede Portuensi in Romanam esset translatus. quæ translatio ecclesiasticis regulis, Romanisque moribus contraria erat.

Non defuêre tamen, qoi Formosi patrocinium tunc susceperunt, quos inter Auxilius qoidam Francus, (fictum an verum nomen) sed in Italia degens, & à Formoso ordinatus, duos in ejus defeosionem libros scripsit. Peior capita quadraginta, posterior trigints duo complectitur, cum epistola prævia ad Leooem Nolanqm Episcopum, cojus rogatu istud opus susceperat. Hanc epistolam cum indice triginta Capitulorum prioris libri illustrissimus Cardinalis Baronius in Appendice tomi xii inseruit: utrumque librum integrum edidit Johannes Morinus in parte 2 de sacris Ordinationibus à pag. 348.

Posterior liber exstat in ms. codice Fiscamnensi, coi loco peioris à Morino editi præmittitur Dialogus hîc editus, quem ejusdem Auxilii esse non dubito. Descriptum ex eo codice Dialogum ad me transmisit noster Julianus Bellaisus, eumque in publicum proferre visum est, si quid conferat ad obscurissimi temporis controversiam illustrandam.

Auxilio in laudes Formosi Papæ consentit Frodoardos, cùm in historia sua, tum in libro metrico de Romanis Pontificibus, cujus libri magna pars typis vulgata est in parte 2 Sæculi tertii Benedictini, ubi de Formoso hæc inter alia leguntur.

Præsul hic egregius Formosus laudibus altis
Evehitur: castus, parcus sibi, largus egenis:
Bulgarica gentis fidei qui femina[illegible]arsie,
Delubra destruxit, populum cælestibus armis
Instruxit, tolerans discrimina plurima, promtus.
Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda,
Et breve viventi metuenda incommoda nulla.

At Formosum non ita culpæ expertem fuisse contendit Morinus, quin Stephanus VI. probabilem in eum mortuum sæviendi causam habuerit. De hoc alii judicênt.

Animus erat hîc subjicere nonnullas epistolas Bernonis Abbatis Augiensis, qoi alio nomine hactenus ignorato QUODVULTDEUS appellatur; Gerhohi Canonici regularis ad Innocentium II. contra Clericos sæculares; tom Frowini Abbatis de Monte Angelorum apod Helvetos Præfationem ad libros *de laude liberi arbitrii, adversus quorumdam errores & novitates*: quibus in libris quæcumque ad Gratiam pertinent, solidè pertractat: simulque ejusdem Prologum ad librom de Oratione Dominica. Sed ab his aliisque temperamus in præsens, ne hujus voluminis moles nimiùm crescat.



AUXILIUS
DE ORDINATIONIBUS
A FORMOSO PP. FACTIS.

PRÆFATIUNCULA.

PRUDENS Lector, hæc de scripturarom copiis & Sanctorum Patrum docomentis pauca deflorsvimus, scilicet, Quod si Episcopus à propria sede fuerit pulsus, certa imminente necessitate vel otilitate, in alia Ecclesia quæ Præsolem non habet, Inthronizari possit, non tamen absque authoritate dumtaxat Romani Pontificis: Et quod ordinatio illa quam Papa Formosus fecit, rata & legitima esse probabiliter ostendatur, etiamsi ipse Formosus, ut aiunt, non ritè fuerit ordinatus. Quapropter cui plurima legere minimè vacat, hæc breviter congesta, si sensum intendat, ubertim sufficere posse non dobium est.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *Ablatio ex Epistola Anteri Papæ.*
II. *De Sancto Gregorio Nazianzeno.*
III. *Nomina Episcoporum qui transmigraverunt ad aliam sedem.*
IV. *De his, & apud Chronica Græca*
V. *Quod BB. Gregorius atque Basilius, ignari non fuerunt Nicæni Concilii.*
VI. *De vitanda Episcoporum transmigratione de sede ad sedem ex Concilio Nicæno.*
VII. *Qualiter Chalcedonensis Synodus idem Nicænum intelligat.*
VIII. *Quod authoritate S. Leonis Papæ Chalcedonense Concilium sit institutum.*
IX. *Unde supra Cap. S. Leonis Papæ.*
X. *Gelasii Papæ.*
XI. *Osii Capitulum.*
XII. *Quod idem Osius non Catholicè dixerit, nec Laicam in fine communionem accipiat.*
XIII. *Sancti Augustini de hoc ipso.*
XIV. *Interrogatio super Osii definitione dicentis, nec in fine Laicam communionem accipiat, & qui sint Canones autoritate prædiii.*
XV. *Quo fine suum sapere Osius conclusit.*
XVI. *Ab hinc præclara sequuntur testimonia, quibus Papæ Formosi ordinatio rata & legitima esse monstratur. S. Leonis Papæ quod Pseudo Episcopi sint abjiciendi, & quod eorum ordinatio possit rata consistere.*
XVII. *Quia sicut denuo baptizari quisquam non potest, ita nec denuo in ipsum consecrari, ad Joannem Episcopum Ravennatis Ecclesiæ.*
XVIII. *Unde supra in Canonibus Apostolorum.*
XIX. *Anastasii Papæ, quod eos quos post damnationem suam vel baptizavit, vel ordinavit Acacius nulla læsionis portio attingat, ad Anastasium Imperatorem.*
XX. *Ejusdem, quod mali bona ministrando sibi tantummodò noceant, nec Ecclesiæ Sacramenta commaculent.*
XXI. *Unde supra, S. Augustini contra Parmenianum Donatistam.*

XXII

CAPUT PRIMUM.

Ablutio ex Decretali Epistola Anteri Papæ.

NOn transit de civitate in civitatem, vel de minori civitate ad majorem, qui hoc in suo libitu, non ambitu, non propria voluntate facit, sed aut vi, aut propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci aut populi, non superbè, sed humiliter transfertur. Non igitur migrat de civitate ad civitatem, qui non avaritiæ causa, non sponte dimittit suam, sed ut jam dictum est, aut pulsus à sede sua, aut necessitate coactus, aut electione, aut exhortatione Sacerdotum & populorum ad aliam civitatem transfertur, & intronizatur. Hinc est quod Eusebius de quadam parva civitate, Apostolica authoritate mutatus est Alexandriam. Felix quoque de civitate qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam, & bonam vitam quam habebat, communi Episcoporum & reliquorum Sacerdotum, ac populorum consilio translatus est Ephesum. Hæc Anterus.

CAPUT II.

De Sancto Gregorio.

CÆterum autem si quisquam objectare tentaverit, quod idem Anterus ante Nicænum fuerit concilium, tandem discere non erubescat, quod Pater Sanctissimus & Doctor mirabilis, Gregorium dico verè Theologum, non paucis labentibus annis post Nicænum Concilium, ob Ecclesiæ utilitatem de civitate ad civitatem migravit. Nam cum prius unius civitatis Cappadociæ, quæ Samsima dicebatur, fuisset Episcopus, Beati Basilii, & aliorum Episcoporum hortatu & consensu, Nazianzo constitutus est. Deinde Constantinopolim demigravit: Neque enim audiendi sunt qui eum Synodali judicio asserunt à Constantinopolitana sede projectum. Verùm est quia congregati sunt Episcopi, sed non adversus eum, sed magis adversus inthronizatores ejus; videlicet, quod sine suorum consensu eum inthronizare ausi fuerint. Ipse nimirum Sanctissimus Pater testificatur, cujus testimonium utique verum est, quod sedem illam ritè acceperit, eique rectè præsederit, imò & precibus pulsatus fuerit, ut eam non desereret; sed propter assiduos corporis dolores, exterasque infirmitates, curvamque Senectam: istiusmodi precibus assensum præbere noluit; reversusque ad quietem & Philosophicam vitam, quam semper amaverat, in qua multiplices ac saluberrimos fructus afferens, quievit in Domino. Hæc autem partim reperiuntur in gestis quæ de vita ejus scripta sunt, partim in sermone ipsius qui * Syntacticus appellatur. Apertiusque in homilia inveniuntur, quam ipse de se apud Constantinopolim adversus eos disseruit, qui eum sedem illam desiderasse dicebant.

Confer hoc caput, & sequentia cum c. 31. lib. 7. Hist. Socra.

CAPUT III.

Nomina Episcoporum qui transmigraverunt ad aliam sedem.

VErumtamen quia de Episcoporum transmigratione facimus mentionem, restat ut & alios qui utilitate vel necessitate inthronizati sunt, ad memoriam revocemus. Perigenes in Petris est ordinatus Episcopus, sed quoniam Cives ejus Civitatis eum suscipere noluerunt, Romanæ Civitatis Episcopus jussit eum inthronizari in Corinthum Metropolim, defuncto ejus Episcopo, eique, donec advixit, Ecclesiæ præfuit. Dositheum Seleuciæ Episcopum Alexander Antiochenus Episcopus in Tharsum Ciliciæ demigravit. Reverentius ab areis Phœniciæ in Tyrum migratus est. Joannes de Gordolyde mutatus est in Procoso, & in ea præsedit Ecclesia. Palladius ab Helenopoli, mutatus est in Asponiam, Alexander ab alia Helenopoli in Adriopoli mutatus est. Meletius prius in Sebastena Ecclesia præfuit, & postea Antiochiæ præsul est constitutus. Theusebius ab Apamia Asiæ, transfertur in Eudoxiopolim, quæ dudum Salambria vocabatur. Polycarpus de urbe Antaprístena Mysiæ, in Nicopolim Thraciæ mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ in Antiochiam mutatus est. Optimus ab Agardamia Phrygiæ in Antiochiam Pisidiæ migratus est. Sylvanus à Philippopoli Thraciæ mutatus est in Troada. Eusebius itaque Pamphili in sexto Historiæ Ecclesiasticæ libro, Alexandrum unius Cappadociæ Civitatis Episcopum refert, quia cum venisset causa orationis Hierosolymam tentus sit ab ejus Civibus, & in locum Narcissi Episcopi constitutus, & de cætero omni vita sua, ipsi Ecclesiæ præsedisset.

CAPUT IV.

De his autem & apud Chronica Græca ita legitur.

IMperante Romanorum, secundo anno, Artemio, qui est & Anastasius, tertia decima Indictione, undecima die mensis Augusti, translatus est de Metropoli Cyzico Germanus Archiepiscopus Constantinopolim, adstante Sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis Apocrisario, Reverendissimo Presbytero Michaelio, Consentientibus Episcopis, & omnibus Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & cuo-

cto Cleto, vel Senatu. Quibus omnibus idem Presbyter talem fecit sermonem. Divina enim gratia quæ scit semper infirma eligere, & incompleta complere, transtolit, & ordinavit in sacratissimam sedem à Deo servatæ Civitatis Constantinopolitanæ, præsentem Germanum sanctissimum Archiepiscopum. Hæc autem non ideo prælibavimus, ut quasi licitum sit cuiquam Episcoporum de se transferre ad sedem, nisi certa imminente necessitate, vel utilitate.

CAPUT V.

Quod BB. Gregorius atque Basilius non ignari fuerint Nicæni Concilii.

HIs ita breviter commemoratis, revertamur ad ea quæ paulò superius de B. Gregorio Theologo dicere cœperam. Nonne si quispiam temeritate accensus, objicere præsumpserit quod Beatus Basilius, & iisdem lucolentissimus Doctor Gregorius, ignari fuerint Nicæni Concilii, & in hujusmodi facto à Sancta Romana Ecclesia deviaverint, etiam imperitiæ cachinnum præbebit? Sed animadvertendum est, quod in hujusmodi negotio iidem Sancti Patres, Nicænos Canones ita intellexerint, quemadmodum Chalcedonensis Synodus, nec non & Sanctissimus Papa Leo, atque Gelasius intellexisse noscuntur, quod in consequentibus liquidius apparebit.

CAPUT VI.

De vitanda Episcoporum transmutatione de sede ad sedem ex Concilio Nicæno.

PRopter multam perturbationem, & seditiones
* Omnimodis. quæ fiunt, placuit consuetudinem * omnibus amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videatur admissa, ita ut de civitate in civitatem, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, transferatur. Si quis autem post definitionem sancti & magni Concilii tale quid agere tentaverit, & se hujusmodi negotio mancipaverit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ cui fuit Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus.

CAPUT VII.

Qualiter Chalcedonensis Synodus, idem Nicænum intelligat.

CLericos in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius Civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet, sed contentos esse in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes Provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierint. Si quis autem post hanc definitionem susceperit Clericum ad alium Episcopum pertinentem, placuit, & susceptum & suscipientem communione privari, donec is qui migraverat
* Clericus. * Cletus, ad propriam fuerit reversus Ecclesiam.

CAPUT VIII.

Quod authoritate S. Leonis Papæ Chalcedonense Concilium sit institutum.

AUthoritate igitur, & Apocrisariis beati Leonis Papæ, ut in ejus Epistolis legitur, Chalcedonense Concilium institutum est atque roboratum. Et propterea memoratus Papa, discrepare ab illo æstimandus non est.

CAPUT IX.

Sancti Leonis Papæ.

SI quis autem Episcopus civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se, Plebem, quacumque ratione transtulerit, à Cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit & propria: ut nec illis præsideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram juris sui affectet augeri.

CAPUT X.

Gelasii Papæ

QUisquis propriæ desertor Ecclesiæ, nullis existentibus causis, ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit & protectus reverendorum Canonum, vel ipse, vel receptor ejus atque provector, instituta non fugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus sacri Canones præfixere servanda. Audistis, ô æquitatis judices! quomodo Chalcedonense Concilium, quod utique à Nicæno Concilio nullatenus deviat, statuerit, quod absque Provinciarum amissione, in alterius civitatis Ecclesiam demigrandum non sit. Nihilominus audistis quod beatissimus Papa Leo censuerit, ut Episcopus civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambire non debeat, nec per avaritiam ad majorem, se, plebem transferre. Id ipsum autem & Papa Gelasius, ut supra ostensum est, definire videtur. At vero si alicujus prædecessoris Pontificis, capitulum ad hæc objicere quis præsumpserit, noverit Chalcedonensem Synodum, nec non & Apostolicos Præsules, quorum testimonia prætulimus; Leonem dico atque Gelasium, cuncta præcedentium Patrum, quæ canonicè instituta sunt, melius considerasse atque tractasse, quàm homines hujus temporis, & idcirco nemo eis præferendus est.

CAPUT XI.

Osii Capitulum.

NOnnulli tamquam validissimum murum objiciunt Osium dicentem, si quis Episcopus per avaritiam aut ambitionem, & ut dominationem agat, sedem mutaverit, nec Laïcam communionem habeat. Deinde in sequenti capitolo. Etiamsi talis extiterit ut per fraudes, & quosdam præmio & mercede corruptos, excusationem afferens, ut quasi cum populi petere videantur, nec Laïcam in fine communionem accipiat.

CAPUT XII.

Quod idem Osius non Catholicè dixerit, nec Laïcam in fine communionem accipiat.

ATtendite, quæso, veritatis amatores, quod dicturi sumus, nam quod idem Osius ait. Si quis Episcopus per avaritiam, vel ambitionem, & ut dominationem agat, sedem mutaverit, libenter amplectimur. Quod autem subjunxit: Nec Laïcam in fine communionem percipiat, æquis auribus audire non possumus. Ubi hoc didicit Osius? præsertim cum in Synodo Nicæna, quæ inter omnes Synodos principatum tenet, in qua ipse etiam cum Sanctis Patribus consedit, tale quid non habetur? Quin potius, ut supra intimatum est, humanius definierunt dicentes. Hoc factum prorsus irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ cui fuit Episcopus,

aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus. Ergo quod dictum est, nec in fine Laicam communionem accipiat, non Catholicum sed Catharum sonat. Cathari enim Græcè, mundi dicuntur, cum prorsus sint immundi. Isti nimirum sunt Novatiani hæretici, qui neminem post culpam Pœnitentiam agere posse, dogmatizant. Contra quos Dominus per Prophetam clamat; Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Sunt & alia quamplurima, quibus ostenditur quod peccator etiamsi in extremo vitæ suæ Pœnitentiam petat, non sit abjiciendus, nec desperandus.

CAPUT XIII.

Sancti Augustini de hoc ipso.

Hinc est quod B. Augustinus, cujus authoritas ad instar solis in tota fulget Ecclesia, exponens ad populum quæ sit blasphemia in Spiritum sanctum dicit: Non omnem blasphemiam, nec omne verbum contra Spiritum sanctum prolata, debemus accipere, quæ in hoc sæculo non remittantur, neque in futuro; sed quamdam blasphemiam & quoddam verbum, videlicet cor impœnitens contra Spiritum sanctum; quo in Ecclesia peccata dimittuntur. Verbum valde malum, & nimis impium, sive cogitatione, sive etiam lingua sua dicit, quem patientia Dei cum ad pœnitentiam adducit, ipse secundum duritiem cordis sui, & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei. Hæc impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro; quia Pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro. Sed quamdiu quisquis in hac carne vivit, de eo judicari non potest. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad Pœnitentiam adducit. Paganus est hodie, quid si cras efficietur Christianus? Judæus infidelis est hodie; quid si cras credet in Christum? Hæreticus est; quid si cras sequetur Catholicam veritatem? Schismaticus est hodie; quid si cras amplectitur Catholicam * veritatem?

* Unitatem.

CAPUT XIV.

Interrogatio super Osii definitione dicentis: nec Laïcam in fine communionem accipiam; & qui sint Canones authoritate prædici.

Et hoc non prætereundum esistimo: nam teste B. Papa Gelasio in Epistola ad Anastasium Imperatorem, nulli alii Canones authoritate prædíti sunt, nisi quos Apostolica sedes, suo judicio roboravit. Quapropter ostendant si possint, quis ex Apostolicis Patribus, quod Osius dixit, nec in fine Laicam communionem accipiat, firmaverit. Et quia tale aliquid ostendere minimè possunt, restat ut ejusmodi definitio, non Catholica, sed ut dictum est, Cathara sonet.

CAPUT XV.

Quo fine suum sapere Osius conclusit.

Præterea quod adhuc de Osio subjiciendum est, quoniam homines sumus, non absque gravi gemitu exprimere possumus. Iste nimirum Osius Cordubensi Ecclesiæ præfuit Antistes, qui quondam Apostolicæ sedis Apocrisarius, una cum Vincentio & Victore Presbyteris, sancto & magno Nicæno interfuit Concilio. Postmodum vero Sardicensem Synodum, cum ingenti Episcoporum numero fecisse legitur, ubi capitula quæ per eum decurrunt, statuta fuerunt. Hic autem usque ad Constantii Imperat. tempus in corpore mansit. Iste quidem Constantius Arianæ perfidiæ particeps extitit. Orta itaque altercatione adversus eamdem hæresim, Episcopalis legatio Missa est ad Osium in Hispania commorantem; dixitque ad eum. Tu qui Nicænæ Synodo præsens affuisti, dic quæso Omousion sicuti nos Catholi rectè confitemur, id est unius cum Patre substantiæ filium: An sicut Ariani garriunt Omiousion, quod est similis cum Patre substantiæ filium, trecenti decem & octo Patres confiteri decreverunt? Qui, sive per longam ætatem desipiens, seu certè pro assentatione principis, responsum dedisse perhibetur, utramque partem rectè intendere, quæ confessa fuerit sive Omousion, sive Omiousion. Cujus sententia ita stultè prolata, non solùm à Catholicis, verumetiam ab Arianis, uno ore irrisa, atque refutata est. Denique in civitate Corduba in qua Episcopatum tenuit, post hujusmodi responsum, nomen ejus infra Catholicos Episcopos antecessores, vel post decessores ejus, minimè recitatur.

CAPUT XVI.

Ab hinc præclara sequuntur testimonia, quibus Papa Formosi ordinatio rata & legitima esse monstratur. Sancti Leonis Papæ, quod Pseudo-Episcopi sint abjiciendi, & eorum ordinatio possit rata consistere.

Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Unde cum sæpe quæstio de malè accepto honore nascatur quis ambigat nequaquam istis tribuendum esse, quod non doceatur fuisse collatum? Si qui autem Clerici ab istis Pseudo-Episcopis in Ecclesiis ordinati sunt, qui ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum consueto judicio Præsidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est creatio, quæ nec loco fundata est, nec authoritate munita.

CAPUT XVII.

Sancti Gregorii Papæ, quia sicut denuò baptizari quisquam non potest, ita nec denuò in id ipsum consecrari, ad Joannem Episc. Ravennatis Ecclesiæ.

Illud autem quod dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi fortè quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicatus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit à fraternitate vestra sic sapere: Sicut autem baptizatus semel iterum baptizari non debet; ita consecratus semel, in eodem ordine iterum non valet consecrari.

CAPUT XVIII.

Unde supra in Canonibus Apostolorum.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, secundam manus impositionem acceperit ab aliquo, deponatur & ipse, & qui eum ordinare tentaverit. Nam eos qui ab hujusmodi baptizati fuerint, vel etiam ordinati, neque fideles, neque Clericos esse, possibile est.



CAPUT XIX.

Anastasii Papæ, quod eos quos post damnationem suam, vel baptizavit, vel ordinavit Acacius, nulla læsionis portio attingat, ad Anastasium Imperatorem.

NAm secundum Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, sive Levitas secundum Canones ordinavit, nulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quod forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia, minus firma videatur. Nam & Baptismum quod procul sit ab Ecclesia, sive ab adultero, sive à fratre fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum: Quia vox illa quæ sonuit per Columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur, hic est qui baptizat in Spiritu & igne. Nam si visibiliter Solis istius radii, cum per loca fœtidissima transeunt, nullius contractus inquinatione maculantur, multo magis illius qui istum visibilem fecit virtus, nulla ministerii indignitate, contingitur. Nam & Judas cum fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt, declarante hoc ipso Domino manifestissima voce, Scribæ & Pharisæi super Cathedram Moysi sederunt, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt. Quicquid ergo in hominum profectum quilibet in Ecclesia pro officio suo videtur operari, hoc totum complet & implet divinitatis effectus. Ita ille per quem Christus loquitur, Paulus affirmat. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque, neque qui plantat est aliquid; neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. A Deo autem non quæritur quis vel qualis prædicet; sed quem prædicet, ut invidos etiam bene Christum prædicare confirmet, quo malo Diabolus ipse dejectus est.

CAPUT XX.

Ejusdem, quod mali bona ministrando, sibi tantummodò noceant, nec Ecclesiæ Sacramenta commaculent.

IDeo ergo & hic Acacius, cujus nomen dicimus esse reticendum, malè bona ministrando, sibi tantummodò nocuit. Nam inviolabile Sacramentum quod per illum datum est, aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quorumdam autem in tantum se extendit curiosa suspicio, ut imaginetur, probato à Papa Felice judicio, postea inefficaciter in Sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisse; ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate, mysteria tradita susceperunt. Nam superbia semper sibi, non aliis facit ruinam.

CAPUT XXI.

Unde supra. Sancti Augustini contra Parmenianum Donatistam.

QUod autem in libro sapientiæ legitur, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu; ita intelligendum est, ut desit saluti ejus, ministerium tamen non deserat, quod per eum salutem operatur aliorum. Unde ait Apostolus, si enim volens hoc facio, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Ac si dicat, illis prodest quibus hoc dispenso, non mihi qui fictus sum.

CAPUT XXII.

Quod Bonosiaci Clerici cum suis honoribus sint recepti: Innocentii Papæ.

CErtum est quod Bonosiaci hæretici comparandi sunt Judæis, eo quod Christum Deum ex Patris substantia ante sæcula negent, sicut Judæi qui ejus divinitatem negaverunt & negant. Unde consequens est ut participium damnationis cum eis habeant, quorum errorem imitati sunt. Et infra: Anysii fratris quondam nostri, aliorumque Sacerdotum summa deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eo remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur.

CAPUT XXIII.

Nicæna Synodus Clericos qui Cathari dicuntur, ita recipi jubet.

DE his qui se nominant Catharos, id est, mundos, si quando veniant ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.

CAPUT XXIV.

De Anatolio licet malè ordinato, tamen non expulso.

SAncto Flaviano Constantinopolitano Episcopo ob Catholicam fidem in exilium destinato, Anatolius eo vivente in ejus loco ordinatus est. Ad quem Sanctus Papa Leo ita loquitur: Decessore enim tuo beatæ memoriæ Flaviano, propter defensionem Catholicæ veritatis ejecto, non immeritò credebatur quod ordinatores tui contra Sanctorum Canonum instituta, viderentur sui similem consecrasse. Sed affuit misericordia Dei, in hoc te diligens atque confirmans, ut malis principiis bene utereris, & non te judicio hominum provectum, sed Dei benignitate monstrares. Quod vere ita accipiendum est, si hanc divini muneris gratiam alia offensione non perdas. His ergo relictis capitulis, o justitiæ dilectores, audistis liquidius, quod à Pseudo Episcopis ordinatio facta possit rata consistere. Audistis etiam, quia sicut denuò quisque Baptizari non debet, ita nec denuò in eodem ordine consecrari potest. Nihilominus autem audistis, quod eos quos Acacius post damnationem suam ordinavit, nulla portio læsionis attigerit, eo quod mali bona ministrando, sibi tantummodo noceant, ministerium autem maculare non possint, quod talibus officiis Spiritus Sanctus præsideat author. Inde nimirum est quod Bonosiaci, qui ad Catholicam Ecclesiam redire voluerunt, cum suis honoribus recepti sunt. Inde etiam & Novatiani, ut fuerant ordinati, per manus impositionem suscipiuntur. Anatolius quoque, ut dictum est magis sacrilegus invasor, quam Episcopus fuit ordinatus, & tamen à S. Papa Leone non condemnatur, sed potius admonetur, quatenus Sacerdotalem benignitatem alia offensione non perdat. Et illi qui sunt? vel cujus magisterii, cujusve authoritatis, qui sacram ordinationem à Catholico viro ministratam, & pluribus annis Deo fideliter famulantem, & Ecclesiastica officia Christiano populo ministrantem, non Catholicè sed Apostaticè subvertere nituntur?



CAPUT XXV.

De Liberio.

QUis enim nesciat quod Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæresi subscripserit, & per ejus transgressionem nefandissima scelera sint commissa. Multitudo quoque Sacerdotum & Clericorum interfecta sit, & Martyrio coronata: residui vero Catholici non solum ab Ecclesiis, sed etiam à balneis prohibiti sint. Liberius autem Apostata factus vixit annos sex, ordinationes tamen quas fecit in sua stabilitate permanserunt. Nec mirum; reverà enim Judas, quamvis fur & sacrilegus, quæ salubriter inter Apostolos gessit, quisquam redarguere non ausus fuit.

CAPUT XXVI.

Quod Vigilii ordinationes, nemo removere ausus fuit.

HInc est quod Vigilii ordinationes, nemo commovere ausus est. Istum namque sciat esse Vigilium qui prius Bonifacio Papæ insidias molitus est, quatenus eo vivente Apostolicam dignitatem sacrilegus obtineret. Sed resistente Senatu tale quid facere minimè potuit. Postmodum verò solitis machinationibus Silverium Papam Apostolica dignitate exspoliare aggressus est. Quod ille animadvertens advocatis Episcopis, authoritate Sancti Spiritus, & Apostolica potestate, eum velut Simoniacum & invasorem anathematis vinculis obligavit, & ille, ut mente conceperat, per Imperialem potentiam, simulque falsos testes, eumdem Apostolicum Patrem nequiter condemnavit: Monachicis vestibus, & ad Pontias in exilium destinavit, sustentans eum pane tribulationis, & aqua angustiæ: ibique mortuus est ac sepultus, & Confessor effectus est; ad cujus corpus infirmi sanabantur. Vigilius autem anathematis nexibus meritò irretitus, insuper & homicidii crimine nominatim infamatus, nefario ausu se Papam instituit. O ineffabilem Dei pietatem! Vigilius qui jam desperatus erat, servatur ad Pœnitentiam. Anthimum scilicet hæreticum Patriarcham quem reconciliare spoponderat, reconciliare nolens, longo exilio, longaque afflictione maceratus, digna factis recepit, & sic demum procul à patria defunctus quievit in Domino. Ordinationes tamen ejus, ut dictum est, in sua stabilitate mansuerunt. Hæc enim quæ de Silverio & Vigilio retulimus, partim in Synodali decreto ejusdem Silverii, partim in Pontificali libro habentur.

CAPUT XXVII.

Quia excepto Liberii sacrilegio, quod pessimum est, Vigilius pejora commisisse dignoscitur, quam Formosus.

HIs ita de compendio prælibatis, percunctari libet quis horum deteriora commiserit? Formosus quidem, ut aiunt, ambitionis causâ ab Episcopali sede ad Apostolicum thronum translatus est. Quod si objecerint depositum fuisse, & postmodùm reconciliatum; noverint quia plurimi Sacerdotum depositi fuerunt, & postmodùm reconciliati, reconciliati, inquam, non denuò in idipsum consecrati. Quippe aliud est reconciliatio, & aliud consecratio. Nam qui semel consecratur; denuò in idipsum consecrari non potest; reconciliari tamen per dignam satisfactionem potest. Nonne quod plurimi Sacerdotum post depositionem reconciliati sint, in authenticis apicibus sufficienter habetur? Quod legentibus liquidius patet. His namque digestis Vigilium nefandissima perpetrasse, si homines silent, ipsi etiam lapides clamabunt. Cujus execrabile scelus nemo imitari ausus est, vel audebit, nisi particeps factus illius qui dicit; Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Porro de sede ad sedem, vel de civitate ad civitatem Episcopos transferri, & in decretalibus litteris, ob necessitatem, vel ob utilitatem concessum legimus, & plurimos Sacerdotum, etiam sanctos, tale quid egisse non dubium est. Ex quibus extat B. Gregorius Nazianzenus, ut supra retulimus. Hæc autem, prudens Lector, non ideo prælibare studuimus, ut cuiquam Sacerdotum de sede ad sedem, vel de civitate ad civitatem, mutari licitum esse dicamus, sed ut manus impositionem etiam à Pseudo-Episcopis ministratam ratam, & justam esse testimoniis comprobaremus.

CAPUT XXVIII.

Quod qui Papæ Formosi sacram ordinationem nihil esse, vel fuisse causatur, Christianæ Religionis sit inimicus.

QUa de re qui præfatam ordinationem, falsam & inanem esse vel fuisse confingunt, eoque Sacerdotes ac Levitas consecrandos esse dogmatizant, quid aliud quam Italiæ regiones, longe lateque, ecce jam circiter viginti annos, absque Christiana Religione vixisse garriunt? Ac per hoc, quid aliud restat, nisi ab ejusmodi Episcopis per universam Italiam dedicatæ Ecclesiæ, altaria consecrata, & Chrismata solenniter instituta, prorsus perierint. Similiter autem tam ab Episcopis quàm à cæteris Sacerdotibus, fontes in remissionem peccatorum sanctificati, & Missarum solemnia tam in Dominicis diebus, quàm in aliis Festivitatibus, frustra, ut blasphemant, celebrata sint. Oblationes quoque tam pro vivis, quàm etiam pro defunctis, quod dictu nefas est, tanquam nugaces perierint. Matutinæ seu Vespertinæ, ac reliquarum preces horarum, velut ineptæ non sint exauditæ: Levitarum ac Subdiaconorum officia, in vacuum administrata sint; universa Ecclesia quæ huic ordinationi Synodicum præbuit assensum, pariter periclitetur, quippe non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt prava facientibus, parilem excipiunt vindictam. O incomparabile sacrilegium! Quis enim de timentibus Deum æquis auribus hoc audire poterit? Ut non statim Christiano zelo commotus scandalizetur? Nonne linguam illam quæ talibus implicatur blasphemiis melius fuerat particulatim dari avibus, quàm in tantam prorumpere vesaniam? Scimus enim quia necessitatis causa, etiam Laïco baptizare licet. Sed aliud est periculo mortis urgente, Laicum posse dare baptisma, & longe incomparabiliter aliud est, ad Sacerdotum preces ac benedictiones, & chrismatum admixtiones, & Cleri ac populi votivas responsiones, fontes in remissionem peccatorum sanctificatos, nihil prorsus, ut isti volunt, sanctificationis habuisse. Quis hoc nisi hæreticus dogmatizare audeat? Et quia talia per hujuscemodi os loquitur, nisi de quo Dominus dicit; Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in eo; cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax, & pater ejus?

CAPUT XXIX.

Quod si æmulatoribus illis Papa Formosus displicet, non externis & longinquis, sed Rom. populo imputare debent.

POrro si æmulatoribus illis, Papa Formosus istiusmodi facto displicere videtur, ut non rectè fuerit ordinatus; quibus hoc imputare debent, nisi Roma-

no populo qui eum elegerunt ? Quibus hoc adscribi oportet, nisi Clero, & magnatibus Romanæ urbis, qui libenter Dominici corporis & sanguinis Hostiam, donec advixit, ab eo percipere studuerunt, eique per universas solemnitates, atque stationes solito more communicaverunt, & per omnia participes extiterunt ? De cætero autem qui sani capitis est, nihil omnino habere se dicit, quod de Formoso illis imputare debeat, qui de longinquis terrarum spatiis, per mille, ut ita dicam, discrimina tremebundi, ad Apostolicam sedem profecti sunt, & Sacram Ordinationem, ut moris est, magis ab Apostolo Petro quàm ab ejus Vicario susceperunt, imo à S. Spiritu, ut Papa docet Anastasius, quod jam supra commemoratum est.

CAPUT XXX.

Utrum verè sit Sacerdos, vel Levita, vel Subdiaconus, qui ad subvertendam eandem ordinationem, se cuiquam juramento constrinxit.

IGitur quia necessitate incombente, de Sacris Ordinationibus altercatio interposita est, percunctari congruum est, quid de eo censendum sit qui, Sacræ Ordinationis, de qua nunc disputatio ventilatur, nullam omnino consecrationem habet, & tamen eandem ordinationem non solùm nihil esse, nihil fuisse, coram testibus profitetur, sed etiam jurejurando subvertere pollicetur. Nunquidnam hujusmodi promissor inter sacrilegos deputandus, & malè conjuratos, qui se ad facinus perpetrandum juramentis obligant. Revera enim tales mundana lex districtius punit, & si Clerici fuerint, Ecclesiastico judicio à suis dejiciuntur honoribus, de quibus Canonica institutio ita se habet.

CAPUT XXXI.

Ex Concilio Chalcedonensi de conjuratione vel conspiratione.

COnjurationis crimen, vel conspirationis, & ab exteris est omnino legibus prohibitum, multò magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat admonere convenit. Si qui ergo Clerici vel Monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis aut Clericis, gradu proprio penitus abjiciantur. His ergo prolatis testimoniis luce clarius apparet, quod istiusmodi Sacerdos aut Levita, vel Subdiaconus, inter sacrilegos, & malè conjuratos sit habendus, necnon & Canonico judicio reprobandus.

CAPUT XXXII.

Quod ad faciendam iniquitatem nulli unquam sit obtemperandum.

NOnnulli præterea suam Apologiam ita prætexunt, dicentes: Cur nobis subversionem ordinationis hujus tempore imperandam esse decernitis ? An ignoratis quod ille præcipiat, cui in omnibus penitus obtemperandum est ? Absit, inquam, absit, ut cuiquam Deus ad faciendam iniquitatem obtemperandum esse mandaverit, cui Psalmographus canit. Quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium. Et ipse Dominus ad Hieremiam; Si separaveris, inquit, pretiosum à vili, quasi os meum eris. David quoque de se testatur, dicens: Non sedi in Concilio vanitatis & cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi congregationes malignantium, & cum impiis non sedebo.

CAPUT XXXIII.

Quod illud Evangelii, omnia quæ dixerint vobis, servate & facite, solummodò in bonam partem accipiendum sit.

SUper Cathedra Moysi, ait Evangelium, sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, servate & facite. Omnia enim hujusmodi in loco solummodò in bonam partem accipienda sunt. Alioquin Judæi qui Scribarum & Pharisæorum consilio & hortatu Dominum crucifixerunt, immunes à tanto scelere esse debuerant. Sed quàm graviter, & qui dixerunt, & qui fecerunt, peccaverint, & scriptura testatur, & in posteris eorum usque ad mundi finem protelatur. Quod autem omnia non semper ad totum, sed non tantùm divini apices quibus magis credendum est, sed etiam gentilium librorum demonstrat autoritas.

CAPUT XXXIV.

Quod ad scelera committenda, nullius excommunicatio sit observanda.

SEd sive, inquiunt, justè, sive injustè obliget Pastor gregi timendum est, ne per elationem tumidæ reprehensionis, culpa quæ non erat, fiat. Vera quidem sententia, sed non ita intelligenda, ut illud, quod dicitur injustè, sic accipiendum sit, tamquam in illis quæ manifesta ratione Deo inimica esse probantur, cuilibet Pastori obtemperandum sit. Verbi gratia, si te perjurium, falsum testimonium, sacrilegium, vel homicidium excommunicando impulerit, numquid nam in talibus vel eorum similibus Pastoris excommunicatio timenda vel facienda decernitur ? Nequaquam. Quippe non solum qui faciunt, (Apostoli verba sunt) sed & qui consentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua. Nam quod Pastoribus ad illa quæ Deo inimica sunt consentire non decernimus, testatur ipse Salvator, qui cum ei discipuli dicerent; Scis quia Pharisæi audito verbo scandalizati sunt ? ait, sinite illos, cæci sunt; duces cæcorum. Si cæcus cæco ducatum præbeat, nonne ambo in foveam cadunt ? Ergo & qui ducit, & qui sequitur ad malè faciendum, cæci sunt, & meritò uterque in foveam damnationis cadunt. Et usque, inquiunt, pactu per Apostolum dicitur, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit ? Non est enim potestas nisi à Deo. Audiantque, In his enim quæ Christiana lex abominatur ac prohibet, nulli unquam potestati obedire, vel consentire debemus, hoc est, non materialibus carnis, non dolosis machinationibus, sed rationabili responsione, atque humillima deliberatione. Quid multa ? de Pastoribus ad Apostolum revoca intentionem, qui dicit: Minister Dei est tibi in bonum. Cur addit in bonum, nisi quia minister Dei non est tibi in malum ?

CAPUT XXXV.

De observanda excommunicatione, & quod aliud sint Pontificales sedes, & aliud præsidentes.

PRæterea sit nos Ecclesiarum Pastores de nostris offensionibus justè vel injustè obligare voluerint, justè videlicet, si nostra præcesserit culpa; injustè verò, si non habuerimus culpam. Talis obligatio rectissimè formidanda est, & diligentissimè observanda, donec per ejus qui obligavit indulgentiam, absolvi meremur. Nempe aliud sunt Pontificalis sedes, & aliud Præsidentes. Proinde honor & dignitas uniuscujusque sedis regulariter observanda sunt. Præsidentes autem si deviaverint, per devia sequen-

di non sunt, hoc est, si contra fidem vel Catholicam Religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus. In his autem quæ ritè dicunt, etiamsi non faciant, libenter eis obedire debemus. Hinc est quod botros carpere, & spinas cavere debemus.

CAPUT XXXVI.

De injusta Pastoris obligatione.

Beatus namque Hieronymus exponens Evangelii capitulum; Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; Et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo, ait. Istum locum non intelligentes Episcopi, & Presbyterial, iquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere noxios se arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Hæc S. Hieronymus. Per Prophetam quoque dicitur; Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt: Non morientem quippe mortificat, ut Sanctus docet Gregorius, qui justum damnat, & non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur.

CAPUT XXXVII.

Unde supra in Salomone.

Sicut avis in contrarium volans, & passer quilibet vadens, sic maledictum frustra prolatum, super illum qui misit illud, veniet.

CAPUT XXXVIII.

Item ibidem.

Anima quæ benedicit, impinguabitur; qui autem frustra maledicit, ipse maledictione erit.

CAPUT XXXIX.

Unde supra Sancti Gregorii Papæ.

In omni autem quod de nobis extra dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus; & si omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat. Quia & si omnes laudent, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat.

CAPUT XL.

De universali Concilio expectando.

Hæc igitur scripturarum collatio, fortassis supervacua quibusdam videtur, eo quod ad præsens tempus non sit, qui æquitatis depromat judicium. Neque enim justitiæ palmam apud eos obtinere possumus, qui contra nos, ipsi sibi sunt judices & testes, pariterque causidici. Attamen juxta Beati Hieronymi sententiam, canimus nobis & nostris, scilicet, ut bono animo simus, & bonam nos causam habere, non nobis, sed Sanctis Patribus credamus, observantes quod scriptum est; Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne demiseris: Et illud, tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Ideoque in sacro ordine quo consecrati sumus permanentes, præstolamur, universalis Concilii æquissimum examen, authore illo ad quem clamantes dicimus. Exurge Domine, & judica causam tuam: Cui est bonor & gloria per infinita secula seculorum.



EJUSDEM AUXILII
DE EADEM QUÆSTIONE TRACTATUS
QUI INFENSOR ET DEFENSOR DICITUR.
PRÆFATIUNCULA AD MODUM
Interrogationis & Responsionis.

Interrogatio super his qui primò per vim, postea voluntariè in eodem ordine consecrati sunt.

Vellem scire quod de illis congrua deliberatione censendum sit, qui primò, ut aiunt per vim, postea in eodem ordine voluntariè consecrata sunt? Esto; primitus violentam manus impositionem acceperunt, ac per hoc hujuscemodi noluerunt fungi Sacerdotio; Postmodum verò quia * ministrare Sacerdotium, præbuerunt assensum, numquid nam in eodem ordine, in quo dudum per vim consecrati fuerant, iterum consecrari debuerunt? Nonne juxta Sanctorum Patrum definitionem, sic nimirum cavenda est secunda manus impositio, quemadmodum secundus cavendus est baptismus? Sed aiunt, prima illiusmodi consecratio, quamvis à Catholico Pontifice, tamen violenta fuit, & propterea pro nihilo ducenda est. Dic, quæso, si quispiam per vim ..tassis baptizatus fuerit nolens credere in Christum, postmodùm verò se in eum credere voluntariè profitetur? Ergone denuo baptizandus est? Non ita sapiebat B. Alexander Patriarcha, quando S. Athanasius adhuc puerulus, sed utique jam baptizatus, ad oram maris, quasi Sacerdos, quamquam ludendo, verè puerulos baptizavit. Quid plura? Velut præfatus sum de hujusmodi sententia * ad certam pertingere veritatem. Propositam ergo quæstionem qui novit, obnixè nobis præsentibus dignanter aperiat: quoniam inter illos accipiet coronam, de quibus Danieli per Angelum dicitur. Qui autem docti fulgebunt quasi firmamentum, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

R E S P O N S I O.

HUjus quæstionis ansas manifesta ratio dissolvit. Dicis enim si quispiam nolens credere in Christum per vim baptizatus fuerit, & postmodum in Christum credere acquiescet, nunquid iterum baptizandus erit? Minime. Exemplum de parvulis sume, qui cum alienis manibus deferuntur, quantum in eis est, toto annisu reluctantur, ne in baptismatis fontem mergantur. Sed cum ad rationalem scientiam * pertinxerint, etiamsi recordari nequeant quando baptizati sunt; narrantibus tamen indubitanter credunt, & Christianam Religionem absque baptismi iteratione colere incipiunt. Hinc est quod B. Papa Leo dicit. Si nulla existant indicia inter propinquos & familiares, nulla inter Clericos atque vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur: Agendum est ut renascantur; ne manifestè pereant, quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. De his autem qui ex Africa, vel ex Mauritania veniunt, & nesciunt, in qua secta sunt baptizati, non se baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur. Unde quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem, virtute Spiritus Sancti quem ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt. Nonne vides quia Pater sanctus, etiam ab ignotis hæreticis baptizatos, non iterum baptizandos esse, sed per manus impositionem suscipi jubet. Recolendum etiam quod Sanctus Genesius Arelatensis Episcopus, cum esset Histrio, fictus & ludens baptizatus fuerit; sed cognita veritate quæ Christus est, sine baptismatis iteratione, Christianæ fidei, quam se credere fallaciter spoponderat, veraciter adhæsit. Sed ait: Parvuli baptizati, si in parva moriuntur ætate, non dubium est quod Paradisi gaudia statim percipiant; ille autem qui perfectus ætate per vim baptizatus est, si prius ex hac vita sobtrahitur, quam voluntariè credat in Christum, num quidnam pro eo tanquam pro fideli orandum est? Præsertim cum Joannes Apostolus dicat, est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut quis roget. Peccatum quippe ad mortem, ut ait Augustinus, est fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem. Hujus quæstionis nodus ita solvitur. Parvulis propterea non est imputandum, qood reluctantes, nolentesque baptizantur; quia necdum ratione uti possunt, necdum boni malive distaotiam nosse valent. Illis autem qui legitimam ætatem habentes, per vim baptizati sunt, si prius moriantur quàm voluntariè in Christum credant, ideo baptismus prodesse non potest, nec pro eis orandum est, quia & rationis capaces fuerunt, & distantiam inter verum & falsum habere potuerunt. His ergo de compendio prælibatis evidentius patet, ot ille qui per vim baptizatus est, si postea in Christum eredere voluerit, baptizandus iterum non fit, sed magis hortandus, ut quod invitus suscepit, amando & operando usque in finem custodiat. Igitur per hanc formulam intelligi datur, ut qui Sacrum Ordinem invitus accepit, si postmodum ministrare voluerit, ulterius jam in eodem ordine non sit consecrandus, sed potius admonendus, ut quod per vim coactus suscepit, per dilectionem reveteuter ministrare studeat.

* Pervenerint.

Explicit Præfatiuncula.



REVERENDISSIMO DOMNO LEONI Sanctæ Nolanæ Ecclesiæ Præsuli, Auxilius in Domino salutem.

MIssa legatione asseris te violentas pati oppressiones, ot Episcopale Sacerdotium, quod olim à Papa Formoso suscepisti, quasi nihil sit, Irritum facias. Qua ex causa fateris te mirificæ solertiæ Francos, necnon & Beneventanæ Civitatis peritos consuluisse viros, eorumque consulta apud * rescripta retinere: quæ te hujusmodi transgressionem committere, manifesta ratione prohibeant. Nihilominus autem cogis me objectionibus, quas adversus eumdem Formosum Papam, ejusque ordinationes quidam objiciunt, dialogico schemate breviter respondere. Misi quod jam in opusculo ejusmodi altercationis causatus sum. Attamen quia de una auri materia diversæ conficiuntur species, quæ diversis hominum voluntatibus placeant, orationibus tuis fultus, faciam quod hortaris, ita duntaxat ut in unaquaque objectione prænotetur, Infensor, & responsione, Defensor. Non hic syllogismorum quæratur arcta conclusio, non perihermeniaca subtilitas, ut pote qui discipuli sumus piscatoris, hoc est, Apostoli Petri. Et quanquam in ejus navicola sedeamus, tempestatem patimur, invocantes Dominatorem omnium, ut imperet ventis, & mari, & fiat tranquillitas magna.

* te scripta.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *QUod ordinatio quam Papa Formosus fecit rata & legitima esse probabiliter ostendatur, etiamsi, ipse Formosus, ut aiunt, non ritè fuerit ordinatus*

II. *Testimonia quæ Papa Anastasius contulit in defensionem ordinationum, quas hæreticus fecit Acacius.*

III. *Quod Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum, ministerium tamen ejus non deserat.*

IV. *Quod Constantini Neophyti ordinatio, contra statuta Sanctorum Patrum deposita sit.*

V. *Quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis est iteratum baptismum.*

VI. *Quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis sunt hæretici qui Catholicos rebaptizare audent.*

VII. *Quod minor culpa, quàm iterata consecratio, infra hæreseon denotationes, [illegible] admixta.*

VIII. *Adversus eos qui se excusant dicentes, inviti denuo in idipsum consecrati sumus.*

IX. *Adversus eos qui dicunt, Non perdet Deus multitudinem peccatorum.*

X. *Ut qui semel & iterum in eodem gradu consecratus est, à sacro ministerio sit excludendus.*

XI. *Ut juramentum quod ad scelus committendum pertinet, non sit observandum.*

XII. *Ut ad Synodum quæ manifestè contra Catholicam rectitudinem agit, non sit occurrendum.*

XIII. *Ut Præpositorum culpa, nec omnes tegenda sint, nec omnes denudanda.*

XIV. *Ut Excommunicatio quæ ad committendum facinus pertinet, non sit observanda.*

XV. *De eo quod scriptum sit, sive justè, sive injustè obliget Pastor, gregi timendum est.*

XVI. *De eo quod scriptum est, omnia quæ dixerint vobis, servate & facite.*

XVII. *Quod ad peccandum nullius potestati sit obtemperandum.*

XVIII.

INCIPIT TEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod ordinatio quam Papa Formosus fecit, rata & legitima esse probabiliter ostendatur, etiam si ipse Formosus, ut aiunt, non ritè fuerit ordinatus.

INsensor. Formosus propria relicta uxore, aliam abstulit, hoc est, relicto Episcopatu; his qui rectè ordinandi erat, Apostolicam abstulit sedem, & propterea reprobus & fictus esse dignoscitur. *Defens.* Non mihi curæ est quid fuerit Formosus; sed quod ordinatio quam fecit, rata & legitima esse indubitanter pateat. *Insensor.* Formosus non fuit Papa, ideoque ordinatio quam fecit, pro nihilo ducenda est. *Defens.* Non solùm in Romano regno, sed etiam procul in barbaris nationibus divulgatum est, quod Formosus per annorum curricula, Apostolicus fuerit Pontifex. Et idcirco de longinquis terrarum partibus Clerici ad Apostolorum limina properantes, sacram Ordinationem, ut moris est, ab eo percipere studuerunt. *Inf.* Tenuit quidem Apostolicam dignitatem, sed fictus, ac reprobus & non legitimè ordinatus. *Def.* Non ad me pertinet utrumnam rectè fuerit ordinatus, sed pertinet ad me ut ordinatio quam fecit, rata & legitima esse liquidiùs ostendatur. *Inf.* Si Formosus fictus ac reprobus fuit, ordinatio quam fecit, qua ratione stare poterit? *Def.* Illa videlicet ratione qua Sanctissimus Leo Papa censuit, ut Pseudoepiscopi abjiciantur, & ordinatio eorum possit rata consistere. Necnon & illa ratione qua Papa Anastasius confirmavit, ut ordinationes quas hæreticus Acacius, etiam postquam damnatus est, fecit, in sua stabilitate permanerent. Ordinationes quoque Liberii innocuæ permanserunt, imò & Vigilii ordinationes, qui non solùm Simoniacus invasor, sed etiam anathematis nexibus merito irretitus, contra Canonicum fas, est ordinatus. Quod ita sit, pene cunctis legentibus notum est. Sancto namque Flaviano propter Catholicam fidem in exilium destinato, Anatolius in ejus loco ab hæreticis ordinatus est, nec tamen à Sancto Papa Leone damnatus est, sed admonitus. *Inf.* In Concilio Nicæno præfixum habetur, ut de civitate ad civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferantur. Si quis autem tale quid agere tentaverit, & se hujoscemodi negotio mancipaverit, hoc factum prorsum in irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ cui fuit Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus. Sanè quod ait hoc factum prorsus in irritum ducatur, utrumque intelligi oportet, scilicet ut Episcopus de civitate ad civitatem non transferatur, & si translatus ordinationem fecerit, ipsa ordinatio porsus in irritum ducatur. *Def.* Hic quidem nodus in junco quærendus non est. Quis videat quod hujusmodi definitio, nihil obscuritatis habeat, & nihil aliud intelligi possit, nisi prorsus irritum ducatur hoc, quod de civitate ad civitatem transferatur. De ordinatione quam fecit nihil omnino tetigit, quod sequens articulus manifestius declarat dicens, Et restituatur Ecclesiæ cui fuit Episcopus, aut Presbyter, ut Diaconus ordinatus. Si ergo restituitur Ecclesiæ cui fuit Episcopus ordinatus, ordinatio quam tunc fecit, quomodo irrita esse potest? *Inf.* Formosus, ut dixi, fictus & reprobus Sacrum Ordinem ibi non habuit, quomodo aliis, teste Papa Innocentio, largiri potuit? *Def.* Papa Innocentius hoc de hæreticis protulit, quod tamen non de omnibus hereticis accipiendum est; juxta quod ipse Bonosiacos Clericos, quos tamen antequam damnaretur, Bonosus ordinaverat, cum suis honoribus recipi assensum præbuit. *Inf.* Miror qua fronte dogmatizare potes, ut reprobato Formoso ejus ordinatio consistere possit, cum membra nullo modo sine capite consistant? Et ut aliquid plus objiciam, quibus ergo imputandum est quod Formosus fallax ac reprobus fuit, si ejus ordinatio illibata persistit? *Def.* Romano scilicet Clero ac Populo, qui eum elegerunt, atque donec advixit, per omnia participes, imputandum est. Mihi autem qui de longinquis terrarum spatiis ad Apostolorum limina profectus sum, & Sacram ordinationem, ut moris est, magis ab Apostolo Petro quàm ab ejus Vicario suscepi; imò à sancto Spiritu, ut Beatus Papa docet Anastasius, ab his qui sanæ mentis sunt, nihil adscribendum esse decernitur. *Inf.* Nolo verborum ambages, sed si vales certis rebus ostende, qualiter à ficto & reprobo consecratore, possit ordinatio justa & idonea fieri. *Def.* Si judex æquitatis adesset, jam te victum ostenderet. Nunquid non oblitus es testimonia, quæ breviter de S. Papa Leone, & Anastasio, & de Liberio, pariterque Vigilio, etiam & de Anatolio contuli. *Inf.* Acacius ritè ordinatus fuit, & ideo ejus ordinationes innocuæ permanserunt. *Def.* Ipse nimirum Decretalis textus, manifestius ostendit quod Pontifex Anastasius, de illis baptizatis ordinatisque dicit; quos hæreticus Acacius, postquam à Papa Felice damnatus est, baptizavit & ordinavit. Similiter autem & de Liberio qui Arianæ hæresi subscripsit, sentiendum est. Jam verò de Vigilio quid dicendum est, qui non solum Simoniacus invasor, verum etiam homicidii reus, & insuper à Papa Silverio justissimè anathematizatus, eundemque Apostolicum Patrem Silverium in exilium destinavit, & si sacrilegum Papam

instituit, ordinationes tamen quas fecit, nemo removere ausus fuit.

CAPUT II.

Testimonia quæ Papa Anastasius contulit in defensionem ordinationum, quas hæreticus fecit Acacius.

INf. Dum membra sine capite ut præfatus sum, consistere minimè possint, mirari non sufficio, qualiter ficti ordinatores, ratas ordinationes efficere valeant. *Def.* Qualiter hoc fieri possit prædictus Pontifex Anastasius probabilibus adstruit documentis. Ait enim inter cætera, secundum Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, nullum de his vel quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes sive Levitas secundum Canones ordinavit, nulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingat. Hinc est quod Baptismum quod procul fit ab Ecclesia, sive ab adultero, vel à fure fuerit datum, ad percipientem, munus pervenit illibatum. Quia vox illa quæ sonuit per Columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur, hic est qui baptizat in Spiritu & igne. Nam si visibiliter Solis istius radii cum per loca fœtidissima transeunt, nullius contactus inquinatione maculantur; multò magis illius, quæ istum visibilem solem fecit, virtus nulla ministerii indignitate contingitur. Nam & Judas cum fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt. Sic ille, per quem Christus loquitur, Paulus affirmat; Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. A Deo autem non quæritur quis, vel qualis prædicet, sed quem prædicet, ut invidos etiam bene Christum prædicare confirmet, quomodo Diabolus ipse dejectus est. Ideo ergo & hic, cujus nomen dicimus esse reticendum, malè bona ministrando sibi tantummodò nocuit: Nam inviolabile Sacramentum quod per illum datum est, aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quorumdam autem se in tantum extendit curiosa suspicio, ut imaginetur, prolato à Papa Felice judicio, postea inefficaciter in Sacramentis, quæ Acacius usurpavit, egisse, ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt.

CAPUT III.

Quomodo Spiritus S. disciplinæ effugiat fictum, tamen ejus ministerium non deserat.

INf. Quomodo ergo in libro sapientiæ scriptum est, Spiritus S. disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu? *Def.* Hoc Beatus Augustinus contra Parmenianum Donatistam ita exponit. Quod autem scriptum est, Spiritus S. disciplinæ effugiet fictum, ita intelligendum est, ut desit saluti ejus; ministerium tamen non deserat, quo per eum salutem operatur aliorum: Unde dicit Apostolus: Si enim volens hoc facio, mercedem habeo; Si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Ac si dicat, illis prodest, quibus hoc dispenso, non mihi qui fictus sum. *Inf.* Quod Spiritus S. ministerium ficti Sacerdotis non deserat, aliud mihi exhibe testimonium. *Def.* Idem Augustinus in expositione in Joannem, ubi Dominus baptizatus est, latius ex eo apertiusque disputat. Ordinatio igitur quam Beatus Formosus fecit, quod rata & legitima sit, rectè intelligentibus ecce satisfactum habetur. Nunc age, his quibus documentis, vel qua authoritate præfatam ordinationem subvertere nitimini, & quod est deterius in eodem gradu iterum consecrare non formidatis? *Inf.* Omne quod falsum esse decernitur, destruendum est, & propterea ordinationem illam destrui oportet, quia falsa est. Et ordinationem, quæ vera est, unicuique prout ratio postulat, impertiri studemus. *Def.* Video te puerili certamine, ad ea quæ jam discussa sunt, & testimoniis comprobata, impudenter recurrere. Quod ideo quasi securus agis, quia deest justitiæ censor. Adest tamen Isaiæ vaticinium, Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

CAPUT IV.

Quod Constantini Neophyti ordinatio contra statuta SS. Patrum, deposita sit.

INf. Non tibi novum videatur, si fictus ordinatur, projicitur, ejusque ordinatio refutatur. Siquidem Constantinus, ut in Pontificali libro legitur, qui ex Laico repente Neophytus, validaque manu armatus, Apostolicam sedem nequiter invasit, depositus est, & ita damnatus, ut etiam oculis privaretur: ordinationem verò quam fecit, in pristinos deposuerunt gradus. Episcopi namque iterum à Papa Stephano consecrati sunt. De Presbyteris verò & Diaconibus præfixum est, ut si civium suorum electio vellet, in eosdem gradus de quibus depositi sunt, iterum à Papa Stephano consecrarentur; ita duntaxat ut jurejurando promitterent, quatenus ad ampliorem honorem, jam nullatenus promoverentur, ne talis error per injuriam pullularet. Statuerunt etiam ut cuncta Ecclesiastica Sacramenta quæ Constantinus peregerat, iteranda essent absque baptismo & Chrismate. *Defens.* Numquam exemplum à malis est sumendum. Ex his enim quæ in voluminibus leguntur, ea solummodò imitanda vel facienda sunt, quæ bona esse probantur, mala autem penitus execranda sunt, & omnino cavenda. Inde est quod Abel justus laudatur, & Cain * parricida condemnatur. Inde, inquam, est quod Sixtus Martyrio coronatur, & Liberius Ariana colluvione maculatur. Quocirca Constantinus qui Neophytus, armisque circumseptus, Apostolicam sibi Cathedram usurpavit, jure damnatus atque dejectus est. Jam verò quod eum oculis privarunt, non Apostolicum sed Apostaticum est. Ordinationem quoque ejus non rectitudinis intuitu, sed invidiæ zelo contra Sanctorum Patrum sanctiones, in pristinos deposuerunt gradus, addentes & juramento constringentes, ut nullus de Presbyteris ac Diaconibus, ad superiores gradus promoveretur. In qua deliberatione, quid aliud intelligi datur nisi retributionis timor, scilicet, ne quando ad fastigium Apostolicæ dignitatis provecti suam vindicarent injuriam? *Inf.* Istiusmodi vindictam propterea inferre decreverunt, ut ambitionem à Sacro Ordine penitus amputarent. *Def.* Sicut morbus non valet expellere morbum, ita nec ritium potest excludere vitium. Bene, inquam, bene, quod Neophytum ab Apostolica celsitudine projecerunt; sed manifestè in eis peccaverunt, qui secundum Canones ordinati fuerant, & eos deponere non formidarunt, eosque nefario ausu iterum in eadem ordinatione consecrandos esse statuerunt. Alioqui frustra sanctissimus Deo Papa censuit, ut Pseudo-Episcopi abjiciantur, & eorum ordinatio rata consistere possit. Frustra enim Papa Anastasius præfixit, ut ordinationes Acacii nulla portio læsionis attingeret. Imò & Liberii ordinationes, atque Vigilii consecrationes, frustra illibatæ permanserunt. Numne post Apostolos, quis in Ecclesia major beatissimo Papa Leone,

* Fratricida.

ad cujus, ut ita dicam, cœlestem rugitum, diversi ac plures hæretici exterriti sunt, atque fugati? Nec Papa Anastasius est contemnendus, qui suos decretales apices Evangelicis, pariter Apostolicis testimoniis roboravit. Nec Sanctissimus Papa Gregorius est parvipendendus, qui scripsit, ut sicut baptismus iterari non debet, ita nec consecratio iterari valeat. Quapropter si horum Patrum statuta observanda non sunt, ubi est ergo quod scriptum est, ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui? Et Apostolus, licet nos, aut Angelus de cœlo aliud vobis evangelizaverit, quàm quod evangelizavimus, anathema sit? *Inf.* Quod ejusdem Neophyti ordinatio contra statuta Patrum deposita sit, in Pontificali libro expressum minimè habetur. Quod autem Papa Stephanus, Formosum post ejus obitum deposuerit, & quod neminem ex his quos idem Formosus ordinaverat, secum in Ecclesia vestiri permiserit, plurimi recolunt. *Def.* In eodem Pontificali libro scriptum habetur, quod Liberius Arianæ hæresi subscripserit, sed non ibi additum quod malè fecerit. Nec de Vigilio additum est quod malè egerit, in eo quod Silverium Pontificem suum in exilium destinavit, & se Apostolicum instituit. Sed eos adversus interdicta scripturarum egisse nemo ambigit. Ideo & de ordinatione præfati Constantini, quod nequiter deposita fuerit, sentiendum. Porro quod Formosum post mortem deposuerit, nihil ordinationi quam fecit præjudicari potest, uti jam superius seriatim inculcatum est. Eos namque quos Stephanus secum in Ecclesia vestiri prohibuit; Papa Theodorus qui utique de Formosi ordinatione non fuit, & vestiri, & suum agere officium præcepit; ejusque corpusculum quod pertinaciter ejectum fuerat, cum exultatione ad Apostolicam tumbam reduxit.

CAPUT V.

Quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis est, iteratum baptisma.

INf. Est ne aliquid contra Catholicam regulam, si quisquam in eodem ordine, iterum consecratus fuerit? *Def.* Ejusdem proculdubio prævaricationis est iterata consecratio, cujus prævaricationis est iteratum baptisma. *Inf.* Quis hoc dicit. *Def.* Sanctus Papa Gregorius ad Joannem Episcopum Ravennatis Ecclesiæ scripsit dicens; illud quod dicitis, ut is qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicatus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit etenim à fraternitate vestra sic sapere. Sicut autem baptizatus, semel iterum baptizari non debet, ita consecratus semel, in eodem ordine iterum consecrari non valet. Hoc itaque non solùm B. Gregorius, sed etiam Canones testantur Apostolorum. S. namque Isidorus in præfatione Canonici Collegii Apostolorum Canones recipiendos esse confirmat. Quod si cuiquam displicet, velit, nolit, Gregorius, cujus authoritas ad instar solis in tota fulget Ecclesia, respuendus non est. *Inf.* Major est Conciliorum authoritas quam unius Papæ Gregorii. *Def.* Nusquam legitur quod Catholica consecratio, in eodem ordine iterum dari possit. Cæterùm longe incomparabiliter melius B. Gregorius conciliorum scita considerasse, atque intellexisse dignoscitur, quàm homines nostri temporis, idroque illi nemo præferendus est.

CAPUT VI.

Quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis sunt hæretici, qui Catholicos rebaptizare audent.

INf. Iteratam in eodem gradu consecrationem, cujus prævaricationis esse putas? *Def.* Non putative sed veraciter scio, quod ejusdem prævaricationis sit iterata consecratio, cujus prævaricationis sunt hæretici omnes qui Catholicos rebaptizare audent. An mente excidit, quia sicut semel baptizatus, iterum baptizari non debet; ita & qui semel consecratus est, in eodem ordine jam consecrari non valet? *Inf.* Itane levioribus offensis oritur hæresis? *Def.* Parumne tibi videtur, irritum facere Sacrosanctum ministerium, per quod divinæ Trinitatis fides percipitur, & Christiana Religio indesinenter colitur; & quasi hoc non sufficiat, iteratam manus impositionem superadjicere non pertimescitis?

CAPUT VII.

Quod minor culpa, quàm iterata consecratio, infra hæreseon donationes, invenitur admixta.

INf. Incredibile mihi videtur ut errores, qui non usquequaque noxii sunt, inter hæreticas denotationes annumerari queant. *Defens.* S. Augustinus in libro de Hæresibus ita commemorat. Coluthiani hæretici, à quodam Colutho dicti sunt, qui dicebat Deum non facere mala, contra illud quod scriptum est, ego sum Deus creans mala. Floriani quoque à Florino, qui è contrario dicebat Deum creasse mala, contra id quod dictum est, fecit Deus omnia, & ecce bona valde. Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Coluthus non videbat; non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ, uti Florinus errabat.

CAPUT VIII.

Adversus eos qui se excusant, dicentes, inviti denuò in idipsum consecrati sumus.

INf. Si æqua lance pensetur Sacræ Ordinationis iterstitio, non mihi, sed illi adscribendum est, qui me primam negare, & secundam consecrationem suscipere compulit. *Def.* O Domine universorum Magister quid ad hoc dicis? Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Si cæcus cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadunt? Ergo juxta hanc Domini sententiam, ad male faciendum, & qui ducit & qui sequitur cæci sunt, & meritò uterque in foveam damnationis cadunt. Tu autem vas electionis per quem Christus loquitur, quid dicis? Non solum qui prava faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua. *Infensor.* Quid ergo adversus eos agendum est, quibus resistere minimè possumus? *Def.* Illud quod ait Salvator. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

CAPUT IX.

Adversus eos qui dicunt, non perdet Deus multitudinem peccatorum.

INf. Numquid omnes qui Formosi consecrationem, nihil esse professi sunt, & in eodem or-

dine iterum consecrati sunt, ad inferna præcipitantur? Neque enim Deus tantam Episcoporum, Presbyterorum, atque Levitarum multitudinem perdet? *Def.* Quasi Deus ad quorumlibet multitudinem, vel numerositatem respiciat, & non potius ad eos de quibus ipse loquitur, ad quem respiciam nisi ad humilem & quietum, & trementem sermones meos? Et in Evangelio, nolite, inquit, timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Quid plura? Quod Deus multitudini prævaricatorum, nisi Pœnitentiam egerint non parcat, audi Apostolum Petrum dicentem. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari: & originali mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, Diluvium mundo impiorum inducens, exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens. Item, Si Deus ad multitudinem malignorum respiceret, tot millia hominum in deserto Sina non prostravisset, atque utinam corpore tantùm & non anima. Unde in Epistola Judæ legitur: *Jesus*, populum Israël de terra Ægypti salvans, secundò eos qui non crediderunt, perdidit. Cæterum autem justitiæ prævaricatores imitandi non sunt, juxta quod Mathatias dicit, & si omnes consentiunt Regi Antiocho, ego & Domus Patris mei non consentiemus. Per Prophetam quoque dicitur, Noli æmulari inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitatem. Tempore igitur Sanctissimi Patris Athanasii, pene universus orbis ad Arianam hæresim se contulit, & tamen paucissimi in Catholica fide perseverantes, victoriæ palmam consequuti sunt.

CAPUT X.

Ut qui semel & iterum in eodem gradu consecratus est, à sacro ministerio sit excludendus.

INf. Qua ratione fateri ausus es, ut qui semel & iterum in eodem consecratus fuerit, à sacro ministerio sit excludendus? *Def.* Non à memet ipso sed, ut supra relatum est, à B. Gregorio, nec non & Apostolorum Canonibus, tale quid audenter protuli. *Inf.* Ergo ne qui denuò baptizatus fuerit, Christianitate pellendus est? *Def.* Nequaquam, sed aliud est baptizatus, aliud consecratus. Omnis enim qui consecratus est, baptismum dare potest; non tamen omnis qui baptizatur, consecrationem vel sibi habere, vel aliis dare potest. Hinc est quod baptizati bigami, si necessitas incumbit, baptizare possunt, sacrum vero Ordinem Canonicè accipere nequeunt. Cernisne quod Baptismus ad fidem pertineat, consecratio autem ad Ministerium per quod ipsa fides percipitur, & Christiana Religio celebratur? Et idcirco qui ejusmodi sacrilegium incurrit, à sacro ministerio est removendus. Adde etiam quod absque baptismo, nullus in Regnum cœlorum intrare possit; & ideo bis baptizatum, à Christianitate sequestrari nefarium. *Inf.* Sacerdotes qui tempore persecutionis negaverunt, suis honoribus non sunt expoliati. Isti ergo, propter iteratam manus impositionem, à Sacerdotio quomodo sunt excludendi? *Def.* Aliter est; nam de Sacerdotibus qui tempore persecutionis negaverunt, non parva distantia est, inter eos qui absque periculis, & eos qui violenta oppressione negaverunt. Quod ita sit, testis est Ancyranus Canon dicens; * Presbyteri immolantes, & iterum luctamen adeuntes, si hoc non per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerunt, nec ante parentes, nec affectantes, atque suadentes, ut æstimentur quidem tormentis aptari, sed bis visu tamen & habitu subjici, hos placuit honorem

* Confer. can. 1. Ancyrani Concil.

quidem retinere propriæ sedis, offerre verò aut alloqui populum, aut omnino Sacerdotalibus fungi officiis, non licere.

Item ex Concilio Nicæno. de his qui in persecutionibus negaverunt, & postmodum in Clero promoti sunt.

QUicumque de lapsis ad ordinem Clerici promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem, hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponantur. His itaque digestis ad memoriam redit, quod Papa Innocentius, Rusticium, qui iterata ordinatione Presbyter effectus est, noluerit in Ecclesia retineri. Scripsit enim Marciano Episcopo Naisitano, dicens. * In Ravennati urbe mihi constituto, propter Romani populi necessitates creberrimas, Germanius qui se asserit Presbyterum, atque Lupentius qui se Diaconum dicit, multorum talium quasi legatione suscepta, prece fusa, dolores proprios exprimere gestiverunt, asserentes se quidem Ecclesias in dilectionis tuæ constitutas Parochiis retinere, sed tuam communionem non potuisse mereri, ea videlicet ratione qua Rusticius quidam nomine, iterata ordinatione Presbyterium suscepisset: & non levi impedimento sit, dum aut illi dolent hujusmodi hominem in Ecclesia retineri, aut ille sic peccare debere in alio arbitretur, quemadmodum in se agnoscit esse peccatum. Similiter autem & illud recolendum, quod * subhabeatur Papa Gregorius, ad Joannem Episcopum Ravennatis Ecclesiæ scribens, dicit, illud quod dicitis: Ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicatus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Nonne vides quod hujuscemodi transgressores, etiam apud anteriores Patres jam judicati sint?

* Lege Epist. 21. S. Innoc.

CAPUT XI.

Ut juramentum quod ad scelus committendum pertinet, non sit observandum.

INf. Cum summo Pontifici in omnibus sit obediendum, tu è contrario dicis, ut quicumque ex Clero, se illi juramento constrinxerit, quatenus ad subvertendam ordinationem adjutor existat, Canonico sit judicio plectendus. *Def.* Ad scelera committenda nulli unquam potestati obtemperandum est, quia odit Dominus omnes qui operantur iniquitatem, & perdet eos qui loquuntur mendacium. Et Apostolus, non solum qui prava faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua. *Inf.* Quisquamne fidelium juramentum, quod semel spoponderit, audebit licenter irritum facere? *Def.* Juramentum quod à peccato alienum est, prævaricari non debet. Juramentum autem quod pertinet ad scelus committendum, observari nefas est. Ut cætera omittam, David ad preces Abigail flexus, remissius elegit perjurium incurrere, quam homicidium perpetrare. Herodes autem quia in jurejurando discretionem habere neglexit, homicidii barathrum incurrit. Attende, inquam, quid ex hoc Isidorus censeat: Ait enim, non est conservandum Sacramentum, quod malè & incautè promittitur, veluti si quispiam adulteræ perpetuam cum ea manendi fidem polliceatur, tolerabilius est non implere Sacramentum, quam permanere in stupri flagitio. *Inf.* Hujuscemodi testimoniis non satis apparet, ut quisque pro tali juramento à Sacro Ordine sit removendus. *Def.* Post Nicænum Concilium Chalcedonensis Synodus auctoritatis retinet palmam: Illa nimirum censuit dicens, conjurationis vel conspira-

tionis crimen, & ab exteris legibus est omnino prohibitum, multò magis hoc in Ecclesia Dei ne fiat, admonere convenit. Si qui ergo Clerici vel Monachi, reperti fuerint conjurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis aut Clericis, gradus proprius subjiciatur. Cernisne quam sublimi autoritate Clerici de quibus sermo exortus est, inter sacrilegos & malè conjuratos sint habendi, & Canonico judicio reprobandi?

CAPUT XII.

Ut ad Synodum quæ manifestè contra Catholicam rectitudinem agit, non sit occurrendum.

INf. Apostolicus Pontifex vocavit te ad Synodum, tu verò jussionem ejus contemnens occurrere noluisti. *Def.* Si aliquando ad vocem Lupi cucurrit ovis, & ego ad Synodum illam occurrere debui. Hic est quod Salvator ait, oves Pastorem sequuntur, quia sciunt vocem ejus; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. An non sunt Lupi, non sunt alieni, qui præfatam ordinationem subvertentes, fere totam Italiam à pluribus annis veluti paganam absque Christi religione vexillis blasphemant? Dominus enim dixit & fecit; bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis, vos è contrario Dominicas oves, Lupinis dentibus non tantùm corpore, sed quod est infelicius, & anima discerpere non erubescitis. Illud est quod beatus Gregorius dolens dicit. Considerate quid de gregibus agatur, quando Lupi Pastores fiunt, contra quos Dei greges custodire debuerant. Contempsi properare ad Concilium: ad quale Concilium? Scilicet ubi secundo baptismate baptizarer, ac per hoc non purificatus, sed contaminatus existerem. Quamobrem salubriter elegi cum David verbis & actu cavere: Non sedi in Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: odivi congregationes malignorum, & cum impiis non sedebo.

CAPUT XIII.

Quod Præpositorum culpæ, nec omnes tegendæ sint, nec omnes denudandæ.

INf. Præpositorum culpæ juxta reverentiam filiorum Noe, à subditis denudandæ non sunt, sed potius tegendæ. *Def.* Exemplum Sem & Japhet, in eo quod Patris verenda cooperuerunt, discretione adjuncta, ita nos imitari oportet, ut nec ad dextram, nec ad sinistram declinare videamur. Qua de re nec omnes Præpositorum culpæ tegendæ sunt; nec omnes denudandæ. Ut cætera omittam, illa nimirum culpa quæ Catholicæ Religioni officit, si aliter emendari non potest, proculdubio denudanda est, ne per eam ignaræ vel simplices animæ pereant. Quædam Præpositorum culpæ, teste Pontificali libro, adeo superabundant, ut apicibus tradantur, utique non ut imitentur, sed ut à posteris caveantur. Notum est enim quod mala Præpositorum actio, generaliter subditis noceat, eo quod peccata regis, redundent in regnum. Sed nunc de illa culpa specialiter sermo frequentatur, quæ meticulosos vel simplices in Catholica Religione supputat. Ita enim culpa non à subditis est denudata, sed à suis anthoribus magis exaggerata. Nos autem istiusmodi noxæ nec favorem, nec assensum porrigere audemus; sed procul ab ea discedere debemus. Denique Apostolus Paulus qui clamat, imitatores mei estote, In faciem restitit Apostolorum Principi Petro, quia reprehensibilis erat; eo quod gentiles in quibusdam judaizare cogeret. Quod claviger Regni cœlorum adeo libenter suscepit, ut ei nullo modo contradiceret, & insuper ejus documenta in sua laudaret Epistola.

CAPUT XIV.

Ut excommunicatio quæ ad facinus committendum pertinet, non sit observanda.

INf. Quomodo parvipendens Apostolicam excommunicationem, celebrare Missarum solemnia præsumpsisti? *Def.* Illa equidem excommunicatio quæ ad sacrilegium committendum pertinet, pro nihilo ducenda est, & nullatenus observanda. Quippe sub hujuscemodi occasione cogitis me negare Sacerdotium, quod ecce jam circiter viginti annos per totam Ausoniam Domini Salvatoris regit Ecclesiam, & tam pro vivis quàm etiam pro defunctis Ecclesiastica officia; ut moris est, frequentare non cessat. Et quod est deterius, consentientes vobis iterum in eodem gradu consecrare non formidatis. Istane observanda excommunicatio?

CAPUT XV.

De eo quod scriptum est, sive justè sive injustè obliget Pastor, gregi timendum est.

INf. Sive justè sive injustè, ut S. Gregorius ait, obliget Pastor, gregi timendum est, ne per elationem tumidæ reprehensionis, culpa quæ non erat, fiat. *Def.* Si de nostris negligentiis, nostrisque offensionibus excommunicatio facta fuerit, omnino formidanda est, & usque ad dignam satisfactionem, vel indulgentiam, penitus observanda. Cæterùm verò in his quæ manifesta ratione Deo inimica esse probantur, nullius excommunicatio metuenda est, vel observanda. Verbi gratia, si me ad perjurium, falsum testimonium, sacrilegium, vel homicidium, excommunicando impulerit; nunquid nam in talibus, vel eorum similibus. Pastoris excommunicatio timenda, vel facienda esse decernitur? Præsertim cum dicat Apostolus, Non solum qui prava faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni efficiuntur morte perpetua. *Inf.* Hanc Apostoli sententiam ecce jam bis objicere non vitasti. *Def.* Si quando necessitas incumbit, non dico bis aut ter, sed etiam centies unum idemque testimonium sinistris argumentationibus fidenter opponam, nec immeritò: Agonista enim contra diversa inimicorum jacula uno utitur clypeo. *Inf.* Responde mihi quomodo hactenus super Pontificum excommunicationibus istiusmodi distinctionem nullus facere præsumpsit? *Def.* Ergone oblitus es testimonia, quibus paulò superius declaratum est, non esse iniquis jussionibus obtemperandum, nec sinistris actibus consentiendum? Secundum quod in iisdem testimoniis legitur, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es; Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium: Et illud, Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: Et illud, Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris; Et illud, Minister Dei est tibi in bonum. Interea & hoc recolendum, quoniam quidem ille qui dicit, justè an injustè obliget Pastor, gregi timendū est, ipse in eodem loco dicit, sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant vel ligare. Plerumque contingit ut hic judicis locum teneat, qui ad locum, vitâ minimè concordat, & sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat; & infra. Judicare autem dignè de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Unde rectè per Prophetam dicitur. Mortifica-

bant animas quæ non vivunt. Postremò autem, nec illud oblivioni tradendum, quod doctor gentium redarguens ait. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furatis: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris Idola, sacrilegium facis? Et Dominus in Evangelio; Medice cura te ipsum.

CAPUT XVI.

De eo quod scriptum est, omnia quæ dixerint vobis, servate, & facite.

INf. Ubi est ergo illud Evangelicum, supra Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæ dixerint vobis servate & facite? *Defensor.* Omnia hoc in loco, solummodò in bonam partem accipienda sunt: alioquin Judæi qui Scribarum & Pharisæorum consilio & hortatu Dominum crucifixerunt, immunes à tanto scelere esse debuerant, sed quàm graviter, & qui dixerunt & qui fecerunt, peccaverunt, & scriptura testatur, & in posteris eorum usque ad finem mundi protelatur. Igitur, quod omne non semper ad totum, sed plerumque ad maximam partem referatur, testis est Hieronymus, ubi ad Damasum de frugi & luxurioso filio disputat.

CAPUT XVII.

Quod ad peccandum, nullius potestati sit obtemperandum.

INf. Cum aliis potestatibus resistendum non sit, eo quod non sit potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati Dei ordinationi resistit; Apostolicæ potestati quæ proculdubio omnes humanas potestates excellit, in omnibus quæ jubet resistendum non est. *Def.* Omni humanæ potestati subditi esse debemus, & quàm maximè Apostolicæ. Sed utique non in illis quæ Christiana lex abominatur ac prohibet, & Deo inimica esse monstrantur, cui dicit Propheta: Quoniam non volens Deus iniquitatem tu es, odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium: Et ipse Dominus ad Hieremiam, Si separaveris inquit pretiosum à vili, quasi os meum eris.

CAPUT XVIII.

Quod aliud sint Pontificales sedes, & aliud Præsidentes, & quia Præsidentes per devia sequendi non sint.

INf. Sancta Romana Ecclesia super Ecclesias primatum tenet, ideoque judicat omnes, & ipsa à nemine judicatur. Tu autem quis es, qui contra eam loqueris? *Def.* Absit ut ego infimus, vel potius vermis contra eam loquar, sed ut Deus donaverit, magis pro ea. Quæso, diligenter attende quod dicturus sum longè incomparabiliter. Aliud sunt Pontificales sedes, aliud præsidentes. Proinde honor & dignitas uniuscujusque sedis venerabiliter observanda sunt. Præsidentes autem si deviaverint, per devia sequendi non sunt; hoc est, si contra fidem vel Catholicam Religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus, quod plerumque apud Constantinopolitanam & Alexandrinam sedem contigit: in his autem quæ jure dicunt, & si non faciunt, libenter eis obedire debemus. Hinc est quod botros carpere, & spinas cavere jubemur. Quid multa? de Pastoribus ad populum revoca intentionem: Qui dicit, Minister Dei est tibi in bonum. Propterea subjunxit in bonum, qui Minister Dei non est tibi in malum.

CAPUT XIX.

De eo quod scriptum est, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo.

INf. Ligandi atque solvendi potestas omnibus Episcopis cœlitus est collata; præcipuè tamen Apostolorum Vicario, qui vicem Apostoli Petri, & claves regni cœlitus tenet. Et idcirco, quomodolibet ligaverit, ligatum erit. *Def.* Non ita sapit divinæ legis interpres Hieronymus exponens illud Evangelicum, quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo, ait, Istum locum intelligentes Episcopi & Presbyteri aliquid sibi assumunt de Pharisæorum supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere noxios se arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Nec illud omittendum quod per Prophetam dicitur, mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, ut Sanctus docet Gregorius, qui justum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum à supplicio absolvere conatur. Item à Salomone, sicut avis in contrarium volans, & passer quolibet vadens, sic maledictum frustra prolatum, super illum qui misit illud, veniet. Item ibi, anima quæ benedicit, impinguabitur; quæ autem frustra maledicit, ipsa in maledictione erit. Item S. Gregorii Papæ, in omni autem quod de nobis extra dicitur, recurrere ad arcana mente debemus; & si omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat: quia etsi omnes laudent, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat.

CAPUT XX

Qualiter Formosus post depositionem, Apostolica autoritate reconciliatus sit.

INf. Ecce jam ad littus cœptæ loquutionis propinquantes vela deponimus, & Formosus qui procellas excitare non veritus est, à tanto discrimine velut immunis remansit. *Def.* Humano examine judicari nec debet nec potest, qui jam in illius est judicio constitutus, qui est judex vivorum & mortuorum; qui non secundum auditum aurium, neque secundum oculorum intuitum judicat, sed secundum id quod est scrutans corda & renes Deus. *Inf.* Non te cognoscere pigeat, quomodo per eum in Sancta Ecclesia, ubi summa concordia esse debet, scandali seminarium sit exortum. *Def.* Formosus, ut dixi, non ad me, id est, ad ordinationem quam fecit, sed ad eos pertinet qui eum elegerunt, ordinaverunt, eique donec advixit communicaverunt, & per omnia participes extiterunt: attamen, fac, ut tibi rectum videtur. *Inf.* Formosus post depositionem suam Episcopus esse non potuit, quantominus Papa? *Def.* Sicut verum est quod Apostolica authoritate depositus fuerit, ita verum est quod Apostolica authoritate reconciliatus extiterit. *Inf.* Quando depositus est, mediantibus Sacro-sanctis Evangeliis jurejurando conclusit, ut Romuleam urbem nullatenus ingrederetur, suumque Episcopatum nullo modo reciperet, & propterea reconciliari minimè potuit. *Defens.* Istiusmodi juramentum non solùm à Christianis, verumetiam ab Ethnicis cruentum atque nefarium esse decernitur. Revera enim nihil aliud in eo deprehenditur, nisi ut limina Apostolorum Petri & Pauli nunquam adoraret, nunquam ad reconciliationem accederet, suumque Episcopatum nunquam reciperet. Proh nefas! Hujusmodi juramenti crudelitas, nec

apud paganos invenitur. Væ illis qui tale Sacramentum ab eo per vim extorserunt: Benignus ille & misericors Apostolicus Pater quieum reconciliare decrevit. *Infensor.* Verène qui debuit Apostolicus Pontifex reconciliare hominem, qui se eocam Episcopis proprio ore damnavit, & idcirco depositus fuit? *Def.* Poteram ad hæc opponere, quia cum se proprio ore damnavit, non veraci professione, sed magno timore perterritus, interroganti se, quam vit non inculpabiliter, satisfecit; sed sufficit ei quod postmodùm Apostolica authoritate reconciliatus sit. Audi etiam, quid Alexander Papa super hujusmodi occasione Synodaliter censeat, dicens. Est etiam & hoc ad hanc Sanctam perlatum sedem, quod pudet dicere, & non solùm Sacerdotali, sed etiam omni Christiano nomini inimicum est; id est, quod nonnullos Episcopos vel Sacerdotes aut metu compellunt, aut vi extorqueot, aut fraude decipiunt, aliquas confessionis suæ, in aliud quod non debent, aut pro suarum requisitione rerum, aot quod deterius est, pro alieni erroris secta, scripturas facere, & propriis manibus roborare, & coram populo recitare, atque confiteri. Aliquos dicunt etgastulis & carceribus recludi, ut saltem his territos insidus decipiant Domini Sacerdotes, & suis faciant voluntatibus subditos fieri. Has considerantes impietates, & pericula vitantes animarum, una cùm omnibus Sacerdotibus, qui vubiscum in hanc sacram convenerunt urbem, & cum omnibus hujus capitis membris, sicut à Beatis Apostolis, & reliquis Sanctis Patribus & successoribus eorum accepimus, statuentes decernimus, omnes qui Sanctos Patres persequuntur, aut amovere vel dilacerare manifestantur, infames esse, & alienos à liminibus Ecclesiæ usque ad satisfactionem fieri. Ejusdem * Similiter si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ, vel roboratæ fuerint, ingenio, nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus: neque ullam eis infamiam aut calumniam, aut à suis sequestrationem bonis unquam, authore Domino, & Sanctis Apostolis, eorumque successoribus sostineri, permittimus.

* Supple, Epistolæ.

CAPUT XXI.

Quia plurimi Sacerdotum depositi fuerunt, & postmodum reconciliati.

INf. Si tale quid ad ipsorum reconciliationem pertinet, exemplis confirma. *Def.* Plurimi namque Sacerdotum depositi fuerunt, & postmodùm reconciliati: reconciliati, inquam, non denuò in idipsum consecrati; quoniam quidem aliud reconciliatio & aliud consecratio. Nam qui reconciliatur, in gradum pristinum restituitur; qui autem consecratur id quod non habet accipit. Sed ut dicere cœpi, Joannes Chrysostomus à duabus Synodis Orthodoxorum Episcoporum fuit judicatus, sed iterum fuit restitutus Ecclesiæ suæ. Nec non & Marcellus Episcopus Ancyræ Galatiæ depositus fuit, sed postmodùm proprium recepit Episcopatum. Asclepius item judicatus à Synodo, Ecclesiam suam postea recepit. Lucianus Episcopus Adrianopolites damnatus à Papa Julio, recepit Ecclesiam sui Episcopatus. Item Cyrillus Hierosolymitanus depositus fuit, postea reconciliatus est Ecclesiæ suæ. Similimodo & Polychronium ejusdem Ecclesiæ Hierosolymitanæ Pontificem Xystus Papa damnavit, & iterum ipse eum reconciliavit. Innocentius item Papa Photinom damnavit Episcopum, sed ipse eum postea in propriu restituit loco Ecclesiæ suæ. Itemque Misenom Episcopum à Felice Papa damnatum, Gelasius Papa successor illius, & communicavit, & Ecclesiæ suæ restituit. Leontius autem dum esset Presbyter depositus fuit; sed postea in Antiochia Patriarcha extitit. Gregorius verò quartus Papa, Theodosium, quem Eugenius ejus antecessor Presbyterii honore privaverat, Sanctæ Ecclesiæ Sigumæ consecravit Episcopum. Ibas namque Episcopus judicatus fuit, sed Sancta Synodus Canonicè suam illi restituit Ecclesiam. Rothadum verò Episcopum Sanctæ Suessionensis Ecclesiæ, à Synodo cui Carolus interfuit Rex, condemnatum, & Soffrenium Placentinum Episcopum meritò reprobatum, Nicolaus Papa unà nobiscum reconciliavit.

CAPUT XXII.

Ut id quod incertum est solius Dei judicio sit relinquendum, & de Episcopis qui de sede ad aliam sedem translati sunt.

INf. Formosus esto, reconciliatus fuerit, postmodum verò humanæ laudu cupidus, propriam relinquens oxorem, alienam abstulit; videlicet relicto Episcopatu, his qui ordinandi erant, Apostolicam abstulit sedem. *Def.* Utrumnam humanæ laudis cupidus Apostolicum thronum conscenderit incertum est, ideoque solius Dei judicio relinquendum est. Attamen universa Romana Civitas, & omnes circumpositæ regiones, præcipuæ sanctitatis cum fuisse commemorant, exceptis admodum paucis, qui eum infamare non erubescunt. Nec mirum, cum etiam de Salvatore scriptum sit, alii dicebant quia bonus est, alii non, sed seducit turbas. Cæterùm verò quod in hujusmodi translatione alienam uxorem non abstulerit, probabilibus exemplis clarescere potest. Omitto eos qui ante Nicœnum Concilium, de sede ad aliam sedem translati sunt. Nunquidnam Gregorius Nazianzenus, homo sanctissimus atque doctissimus, ignarus fuit ejusdem Concilii, aut illud quisquam melius intelligit, quàm ipse intellexisse dignoscitur? Hicenim cum unius civitatis quæ Sazima dicebatur fuisset Episcopus, consilio & hortatu Beati Basilii & aliorum Episcoporum, in oppido Nazianzo constitutus est. deinde Constantinopolim translatus est. Dositheum Seleuciæ Episcopum Alexander Antiochenus Episcopus in Tarsum Ciliciæ demigravit. Reverentius ab Arcis Phœniciæ in Tyrum migratus est. Joannes de Gordo Lydiæ mutatus est in Proconisum, & in ea præfecit Ecclesia. Palladius ab Helenopoli mutatus est io Aspamam. *Alexander ab alia Helenopoli in Adrianopolim mutatus est. Meletius prius in Sebastena Ecclesia præfuit, & postea Antiochiæ præsul est constitutus. Theosebius ab Apamia Asiæ transfertur io Eudoxiopolim, quæ dudum Salambria vocabatur. Polycarpus de urbe Antepristena Mysiæ, in Nicopolim Thraciæ mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Phrygiæ in Antiochiâ migratus est. Optimus ab Agardamia Phrygiæ in Antiochiam Pisidiæ migratus est. Sylvanus à Philippopoli Thraciæ mutatus est in Troada. Perigenes in Patrisest ordinatus Episcopus, sed quoniam cives ejusdem civitatis eum recipere noluerunt * Romanæ civitatis jussit eum inthronizari in Corinthum Metropoli defuncto ejus Episcopo, eique donec advixit Ecclesiæ præfuit. Eusebius itaque Pamphili in sexto Ecclesiasticæ historiæ libro, Alexandrum unius Capadociæ civitatis Episcopum refert, quia cum venisset causa orationis Hierosolymam, tentus sit ab ejus civibus, & in locum Narcissi Episcopi constitutus, & de cetero omni vita sua ipsi Ecclesiæ præcedisset. Germanus Archiepiscopus de Metropoli Cyzico translatos est Constantinopolim, in qua translatione Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Apocri-

ſcrius nomine Michaël, talem fecit ſermonem, Divina enim gratia quæ dignatur infirma eligere, & incompleta complere, tranſtulit & ordinavit in ſacratiſſimam ſedem à Deo conſervatæ civitatis Conſtantinopolitanæ præſentem Germanum Sanctiſſimum Archiepiſcopum. Actardus quoque de Terraconenſi Epiſcopatu inthronizatus eſt in Turonenſi Archiepiſcopatu, dante Imperatore Carolo II. & conſentiente Papa Hadriano Secundo.

CAPUT XXIII.

Quod Oſius non Catholicè dixerit, nec Laicam in fine communionem accipiat.

INſenſor. Oſius dicit: Si quis Epiſcopus per avaritiam vel ambitionem, & ut dominationem agat, ſedem mutaverit, nec Laicam communionem habeat. Deinde in ſequenti capitulo, etiamſi talis extiterit ut per fraudes, & quoſdam præmio & mercede corruptos, excuſationem afferens, ut quaſi eum populi petere videantur, nec Laicam in fine communionem accipiat. *Def.* Quod Oſius avaritiam & ambitionem, dominationem, & fraudes prohibuit, libenter amplector. Quod autem ſubjunxit, nec Laicam in fine communionem accipiat, non ſuſcipio, quoniam non Catholicum ſed Catharum ſonat. Præſertim cum Dominus per Prophetam clamet, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Et in Evangelio, gaudium eſt, inquit, coram Angelis Dei ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent Pœnitentia. Aliàs autem quo fine ſuum ſapere Oſius concluſerit, fiere magis libet, quàm verbis exprimere.

CAPUT XXIV.

De eo qui ſemel in qualibet Eccleſia Lector extiterit.

INſ. Africanum Concilium ſtatuit, ut quicumque in Eccleſiis ſemel legerit, ab alia Eccleſia ad Clericatum non admittatur. Et ſi hoc de Lectoribus ſtatutum eſt, quo pacto Formoſus ab Epiſcopali ſede ad Apoſtolicum thronum transferri debuit? *Def.* Hoc etenim quod de Lectore objeciſti, non intelligendum eſt, ut qui ſemel in qualibet Eccleſia Lector extiterit, ulterius jam in alia Eccleſia nullatenus ad Clerum admitti poſſit: Sed manifeſtius in Africano Concilio, ubi Epigonius pro ſuo diſcipulo, ſimulque alumno conqueritur, ſancitum eſt, ut Clericum alienum, nullus ſibi præripiat Epiſcopus, præter ejus arbitrium cujus fuerit. *Inſenſor.* Cœleſtinus Papa de Clericali electione ita delegavit dicens: Cleri, ac plebis & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur, tunc alter de altera requiratur & eligatur Eccleſia, ſi de civitatis ipſius Clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus, dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi ſunt, ut aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Habeat unuſquiſque ſuæ fructum militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem: In aliena ſtipendiis minimè alter obrepat, nec alii debitam, ſibi alter audeat vindicare mercedem. *Defenſ.* Iſtiuſmodi Papæ Cœleſtini decretum laudabile, juſtumque nemo ambigit, ſed aliquando accidit ut certa imminente neceſſitate, vel certis exiſtentibus cauſis, Epiſcopus de ſede ad ſedem transferri licenter poſſit, quod jam ſupra latius intimatum eſt. Similiter autem ad Clericatus officium ex alia Eccleſia tranſitur. Quod adeo verum eſt ut etiam Papa Siricius, Religioſos Monachos per Canonicos gradus ad Epiſcopalem celſitudinem aſcendere ſtatuerit. Hinc eſt quod S. Papa Gregorius ad Marianum ſcribit, ad ordinandum aliis Monaſteriis, ut ad Clericatus officium, Monachi cum conſenſu Abbatis ex Monaſterio tolli debent. Quod ſi Abbas ſufficienter habeat Monachos, & dare noluerit, Epiſcopus in cujus Parochia eſt, de his qui ſupra fuerint, ſolertius tollat.

CAPUT XXV.

Ut abſque neceſſitate, vel certis exiſtentibus cauſis, Epiſcopus de ſede ad ſedem tranſire non debeat.

INſ. Jam verò quid ad hæc objicere poteris? * Nicæna ſiquidem Synodus definivit dicens. Propter multam perturbationem & ſeductiones quæ fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibuſdam partibus videatur admiſſa, ut de civitate ad civitatem non Epiſcopus, non Preſbyter, non Diaconus transferatur. Quod ſi factum fuerit prorſus irritum ducatur, & reſtituatur Eccleſiæ cui fuit Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus ordinatus. *Def.* Tam magni Concilii ſententiam meæ parvitati exponere non licet. Audenter tamen dico, quod nulli unquam Nicænos Canones, rectius vel ſubtilius conſiderare atque intelligere valeant, quam Gregorius Nazianzenus quem ſupra tetigimus, nec non & Chalcedonenſe Concilium, & Beatiſſimus Papa Leo, atque Gelaſius. *Inſ.* Quod Gregorius Nazianzenus de ſede ad ſedem tranſierit, jam ſuperius objeciſti, nunc ſupereſt ut reliqua ſubjiciantur. *Def.* Ut dicere cœpi, Chalcedonenſis Synodus & Sanctiſſimus Papa Leo atque Gelaſius, præfatam Nicæni Concilii regulam ita intelligere videntur.

*lege can. 15. Nicæn.

Ex Chalcedonenſi Concilio.

CLericos in Eccleſia miniſtrantes, ſicut jam conſtituimus; in alterius civitatis Eccleſiam ſtatutos fieri non oportet, ſed contentos eſſe, in quibus ab initio miniſtrare meruerunt, exceptis illis, qui propriis amittentes Provinciis ex neceſſitate ad aliam Eccleſiam tranſierint. Si quis autem Epiſcopus poſt hanc definitionem ſuſceperit Clericum ad alium Epiſcopum pertinentem, placuit & ſuſceptum & ſuſcipientem communione privari, donec is qui migraverat Clericus ad propriam fuerit regreſſus Eccleſiam.

Leonis Papa.

SI quis autem Epiſcopus civitatis ſuæ mediocritate deſpecta, adminiſtrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem ſe plebem quacumque ratione tranſtulerit, à Cathedra quidem pellatur aliena, ſed carebit & propria, ut nec illis præſideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per ſuperbiam ſprevit. Suis igitur terminis quiſque contentus ſit, nec ſupra menſuram juris ſuis affectet & augeri.

Gelaſii Papa.

QUiſquis propriæ deſertor Eccleſiæ, nullis exiſtentibus cauſis ad aliam putaverit tranſeundum, temereque ſuſceptus fuerit, & * protervus, reverendorum Canonum, vel ipſe vel receptor ejus atque provector, inſtituta non fugiet quæ de hujuſmodi præſumptoribus ſacri Canones præfixere ſervanda. *Inſ.* Hæc capitula meis inſerviunt objectionibus. Video enim quod Chalcedonenſe Concilium ſtatuerit, ut abſque Provinciarum amiſſione, & neceſſitate, in alterius civitatis Eccleſiam demigrandum non ſit, & quod Papa Leo cenſuerit, ut Epiſcopus civitatis ſuæ mediocritate deſpecta, adminiſtratio-

* Promotus lege Gelaſii Epiſt. 9 c. 15.

nem

nem loci superioris ambire non debeat, nec per avaritiam ad majorem se plebem transferre. Gelasius quoque dicit, ut nullis existentibus causis, propriam deserere Ecclesiam nemo audeat.°Formosus qua ex necessitate aut quibus existentibus causis Ecclesiæ propriæ desertor Apostolicum thronum conscendere jussus est? *Def.* Quibus existentibus causis, vel qua necessitate Formosus effectus sit Papa, Clero & magnatibus Romanæ civitatis scire convenit, qui nec Francorum, nec alterius gentis oblatione, vel impulsu, coacti, sed sua sponte eum eligere, atque inthronizare decreverunt. Illi enim non ob aliud eum elegisse se dicunt, nisi ob Ecclesiæ utilitatem. Ipse autem se inthronizandi præbuit assensum, quemadmodum plurimi Episcoporum fecisse leguntur, quod jam paulò superius intimatum est. *Inf.* Pene omnibus notum est quod plurimorum Pontificum major sit authoritas quàm paucorum. Quapropter in hac quæstione magis observanda est Nicæna Synodus, quæ indifferenter & penitus de sede ad sedem transferendi consuetudinem amputavit. *Def.* [* videris.] **Videre* non intellexisse quod Nicæna Synodus dicit; placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa. Qualem, inquam, consuetudinem placuit amputari? Illam scilicet quæ præter regulam, hoc est absque rectitudine in quibusdam partibus videtur admissa. Nonne discretione adhibita, quæ mater est omnium virtutum, ipsum & Concilium Chalcedonense adstruere videtur, in eo quod dicit, Clericos in alterius civitatis Ecclesia, statutos fieri non oportere, exceptis illis qui proprias amittentes Provincias ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierint. Nec illud est absimile quod Beatissimus Papa Leo censuit, ut Episcopus civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambire non debeat. Inde nimirum & Gelasius dicit, ut quisquam nullis existentibus causis propriæ desertor Ecclesiæ ad aliam transire non debeat. Hoc modo etiam S. Gregorius Nazianzenus, non ignarus, nec contemptor Nicæni Concilii, de sede ad sedem translatus est. Porro qui nulla necessitate cogente, & nullis existentibus causis, sed°tantummodò avaritia, vel ambitione ad aliam sedem transfertur, ille proculdubio prævaricator rectitudinis est, & idcirco præter regulam tale quid admisisse convincitur. *Inf.* Formosus ergo tantummodò avaritia & ambitione Cathedram mutavit acrius est puniendus? *Defens.* Quod ambiguum crimen solius Dei judicio sit relinquendum jamjam supra responsum est. *Inf.* Video te sub colore cujusdam traditionis dogmatizare, quatenus Episcopalis transmigratio de sede ad sedem licenter fieri possit. *Def.* Absit ut ex meo ore procedat, quod quisquam Episcoporum tale aliquid licenter agere possit, nisi certa imminente necessitate, vel certis existentibus causis.

CAPUT XXVI.

Quod quando Formosus inthronizatus est, non id quod Episcopus erat iterum acceperit, sed augmentum Apostolicæ dignitatis, quod non habebat, susceperit.

I*Nf.* Hactenus hinc inde contractis scripturarum malagmatibus, languido capiti medicatus es; nunc autem ventum est ad insanabile vulnus, cui nulla medela succurrere valet. Formoso quando accessit ut Papa efficeretur, manus impositionem ita sibi tribui præcepit, ac si Episcopus non esset; ac per hoc, non solum Apostolicam dignitatem non acquisivit, verùm etiam id quod Episcopus erat, perdidit. *Def.* Hoccine est insanabile vulnus, cui nulla medela subvenire potest? Nonne cujus oculus, juxta Evangelicam sententiam, simplex est, in ejus manus impositionem, non vulnus, sed dignitatis augmentum conspicit, non detrimentum, sed Sacri Ordinis incrementum. Ut enim hoc liquidius pateat audi documentum. Nam quod Presbyter ipsum sit quod est Episcopus, testis est B. Hieronymus in Epistola 85. dicens. Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse Presbyteros quos Episcopos, quid patitur mensarum & viduarum minister, ut super eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguinisque conficitur? Audi testimonium: Paulus & Timotheus servi Christi Jesu omnibus Sanctis qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus. Et in Actibus Apostulorum, ad unius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur. Attendite vobis & cuncto gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Domini, quam acquisivit sanguine suo. Ac ne quis contentiosè in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium in quo manifestè comprobatur, eumdem esse Episcopum atque Presbyterum. Propter hoc reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigeres, & constitueres per civitates Presbyterus, sicut & egu tibi mandavi, si quis unius uxoris vir, sine crimine filius habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem. Et ad Timotheum: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est impositionem manuum presbyterii. Sed & Petrus in prima Epistola, Presbyterus, inquit, in vobis precor compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ quæ revelanda est. Quod autem postea, unus electus est, qui cæteris præponetur, in Schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi *irrumperet. * Huc usque S. Hieronymus. [* rumperet.] Nos autem revertamur ad id quod cœpimus. Ecce probabilibus documentis patefactum est, quod ipsum sit Presbyter quod est Episcopus. Igitur cum Presbyter manus impositiunem accipit, ut cæteris præponatur, & specialiter Episcopus appelletur, Nunquid nam in eo quod est Presbyter iterum consecratur, & non potius in ejusdem manus impositione augmentum Episcopalis * ministerii, quod non habet accipit. [* mysterii.] Sic itaque sic Formosus in illa manus impositione, non id quod Episcopus erat, perdidit, sed augmentum Apostolicæ dignitatis, quod non habebat, accepit. Hæc igitur ad ea quæ ipse de manus impositione objeceras, respondisse sufficiat. Cæterum autem interrogavimus eos qui præsentes fuerunt quando Formosus inthronizatus est; sed dixerunt, proculdubio falsissimum est quod Formosus in illa translatiooe manus impositiunem acceperit: sed quemadmodum in itinere ambulantes, precibus effusis Deum exorant: ita & nos gubernatorem omnium exorantes, deduximus eum ad Apostolicam sedem, ibique inthronizavimus eum, dantes congruam orationem.

CAPUT XXVII.

Ut qui simultates & lites inter se habent, alter eorum adversus alterum, non possit testimonium proferre.

I*Nf.* Adhuc superstites sunt idonei testes, qui Formosum non ritè inthronizatum fuisse, sed in eodem ordine quem habebat, iterum sibi manus impositionem tribui fecisse testificantur. *Def.* Hæc accusatio penitus absurda esse deprehenditur, alioquin juxta tuam sententiam non fuerunt Episcopi, qui

judicetur, qui Provinciales & à se electos debet habere judices. Audisti ô Defensor quid Pontificum authoritas super hujuscemodi accusationibus censeat. Sunt & alia quamplura ad eumdem sensum pertinentia, quæ replicare fastidium duxi. *Def.* Nullius Pontificis sententiam veraciter opponere potes, ut scripturarum veritas interrogantibus non sit narranda, & exponenda. Ista nimirum capitula illis obviare probantur, qui quoslibet Ecclesiæ præsules accusare non erubescunt, asserentes eorum crimina facta vel conficta, scilicet quod aut homicidæ aut raptores, aut adulteri sint, aut aliquid hujusmodi; non quod in decretalibus apicibus habeatur, ut veritas quæ in sacris voluminibus continetur, non sit interrogantibus proferenda; & si necesse fuerit brevitatis causa in literis assumenda. Quod autem scriptum est, ut nullus adversus aliquem præsulem scripturas faciat, nullusque doctor per scripta accusetur, miror te ita sentire velle, ut interrogantibus nos, non audeamus ea quæ respondenda sunt ex divinis libris in scedulis breviter assumere, eisque satisfacere. Aliud namque est dolosas literas adversus aliquem componere, ut eum aliquatenus lædere possit, & aliud est testimonia de scripturis in unum conferre, quatenus veritatem quærentibus, ignorantia quæ mater errorum est, nocere minimè possit. Illud namque ad fraudis deceptionem pertinet, hoc autem ad veritatis cognitionem. Me autem quo pacto adversus Patrum sanctiones repugnare asseris, qui non aliquod crimen vel vitium, cuiquam præsuli inferre præsumo, sed veritatem quam in sacris voluminibus didici, percunctantibus silentio tegere nefas æstimo; præsertim cum Psalmographus dicat ad Deum, veritatem tuam non abscondi in corde meo. Jesus quoque filius Sirach dicit. In justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia. Sanctus namque Isidorus dicit, Testis falsus & is qui vera reticet, idem sunt; attamen pejor est testis falsus qui lædit, quàm qui veritatem testificari nolit. Nam ille malignus est, iste inutilis. Ego itaque, ut dicere cœpi, neminem accusare vel ad judicium trahere nitor; sed veritatem quàm in scripturis legere potui, interrogantibus præsentibus per vivam vocem, absentibus verò per stylom replicare curabo; ne talentum, quod meæ parvitati creditum est, defossum sit, & & ab eo qui talenta confert, districtius puniar. Alioquin in cassum sancti Doctores tot libros efficere studuerunt, si recitandi non sunt, & eorum veritas asserenda non est, maximè interrogantibus. Quis hoc vel fatuus dogmatizare audeat? Præterea quod ex eisdem capitulis objicere voluisti, ut Ecclesiæ Pastor non sit arguendus à fidelibus, nisi in fide erraverit, quis non videat, quod isto te tuo gladio interficias? Ego quidem neminem arguere quæro, sed si me quis iterum baptizare voluerit, errat in fide, ait non? Manifestum est quia errat, ac per hoc sine dubio in Spiritu sancto errat per quem omnia Ecclesiæ Sacramenta sanctificantur, & credentes baptismate purificantur, Sacrisque Ordinibus per quos ipsa fides percipitur, instituuntur: Et revera quicumque in eum blasphemaverit, nisi pœnitendo se correxerit, non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. Qua de re, ut Sancto placet Augustino, blasphemia in Spiritu sancto est, quæ non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro: cor impœnitens, illius videlicet qui absque pœnitentia in suis moritur peccatis. Ergo qui in Sacris Ordinibus, ut supra declaratum est, erraverit, nisi ab ejusmodi errore pœnitendo recesserit, absque dubio non remittitur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. Ecce de Sacerdotali consecratione percontantibus veritatem, quæ in sacris eloquiis passim habetur, pro viribus aggregare curavi; quanquam peregrinus & advena, ut ipse frustra confingere non erubescis. De cætero autem jam quid aliud restat, nisi ut dominatorem omnium invocantes, dicamus cum Propheta. Exurge Domine, judica causam tuam?

CAPUT XXXII.

Quod juramentum etiam per vim datum, si ad peccandum non pertinet, irrefragabiliter sit observandum.

INf. Calcata reverentia, velut obtrectator, me perjurium incurrere asseris, in eo quod jurejurando spopondi, & secundum meum posse ordinationem quam Formosus fecit, subvertam. Fateor equidem quia violenter depressus juraveram, & secundum meum scire & posse præfatæ ordinationis defensor existerem. Sed quoniam in Apostolicis Pontificibus una est authoritas, Sicuti Papa Marinus eumdem Formosum de juramento quod invitus dederat, solvere potuit, ita & me Apostolicus Pater, ab illius Sacramenti nexu, dissolvit, & juramenti sponsione ligavit, ut eamdem ordinationem secundum meas vires ad nihilum redigam. *Def.* Scripturarum testimoniis, & Patrum documentis superius diffinitum est, ut ad malè faciendum nemo Sacramento constringi debeat; & si aliquatenus factum fuerit, non sit observandum, sed magis pœnitentiæ summittendum. Formosus enim non juravit ut cuiquam læsionem inferret, sed * nequam angustatus jurando promisit, ut Romuleam Urbem nunquam ingrederetur, ad reconciliationem sui honoris nunquam accederet, suumque Episcopatum nunquam reciperet. Hoccine Sacramentum apud Christianos cuilibet imponi fas est? Nonne contra sacram Religionem contrarium esse convincitur? Contra sacram Religionem in quod invitus juravit ut Romuleam Urbem nunquam introiret, hoc est, nunquam Apostolorum corpora Petri & Pauli adoraret. Contrarium verò in eo quod adjunxit, ut ad reconciliationem sui honoris nunquam accederet, suumque Episcopatum numquam reciperet. Rata ergo compassione Formosum à tali juramento solvere decreverunt, juxta id quod Dominus ait, Misericordiam volo magis quàm sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocaustum. Tu autem aperi oculos cordis tui, & vide qualiter in eisdem tuis Sacramentis dupliciter prævaricator existas. Jurasti enim licet invitus, ut ipse fateris, ut ordinationem illam secundum tuum scire & posse adversus æmulos defendas; quod utique non ad cujusquam calamitatem, sed ad utilitatem pertinet. Postmodum jam non invitus, sed quibusdam placere desiderans, jurasti ut eamdem ordinationem secundum tuum posse subvertas, quod proculdubio ad malum faciendum attinet. Denique in Apostolicis Pontificibus unam esse authoritatem quis ambigat? sed utique ad ligandum, quo meritò ligari debet, & ad solvendum quo meritò solvi oportet. Alioquin frustra B. Gregorius dicit, judicare de subditis nequeunt, qui in subditis suis sua vel odia vel gratiam requirunt. Unde rectè per Prophetam dicitur, mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat, & non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur. Et Hieronymus tractans illud Evangelicum, Quæcumque ligaveritis super terram, ait, istum locum non intelligentes Episcopi & Presbyteri, aliquid sibi assumunt de Pharisæorum superci-

lio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Patenter ergo intelligi datur, quod nemo te à vinculo illius juramenti, quod ad bene faciendum præbueras, solvere potuerit. Juramentum autem quod ad malè faciendum dedisti, procul dubio non est observandum, sed magis pœnitentiæ submittendum. Interrogatio super his qui primò per vim, postea voluntariè in eodem ordine consecrati sunt: Vellem scire qoid de illis congrua deliberatione censendum sit, qui primo, ut aiunt, per vim, postea in eudem ordine consecrati sunt voluntariè? Esto, primitus violentam manus impositionem acceperint, ac per hoc hujusmodi voluerunt fungi Sacerdotio; postmodum æquanimiter ministrareSacerdotium præbuerunt assensum: nunquidnam in eo ordine, in quo dudum per vim consecrati fuerant, iterum consecrari debuerunt? Nonne juxta Sanctorum Patrum definitionem, sic nimirum cavenda est secunda manus impositio, quemadmodum secundus cavendus est Baptismus? Sed aiunt, prima illiusmodi consecratio, quamvis à Catholico Pontifice, tamen violenta fuit, & propterea pro nihilo ducenda est. Dic quæso, si quispiam fortassis per vim baptizatus fuerit nolens credere in Christum, postmodum vero se in eum credere voluntate profitetur, ergone denuò baptizandus erit? Non ita sapiebat B. Alexander Patriarcha quando Sanctus Athanasius adhuc puerulus, sed nunquam baptizatus, ad oram maris quasi Sacerdos, quamquam ludendo, verè puerulum baptizavit. Quid plura? vellem, ut præfatus sum, de hujusmodi sententia ad certam pertingere veritatem. Propositam ergo quæstionem qui movit, obnixè nobis petentibus dignanter aperiat, quoniam inter illos accipiet coronam de quibus Danieli per Angelum dicitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut firmamentum; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Responsio. Hujus quæstionis sensus manifesta ratio dissolvit. Dicit, si quispiam nolens credere in Christum per vim baptizatus fuerit, & postmodum in Christum credere adquiescit, nonquid iterum baptizandus erit? Minimè. Exemplum de parvulis sume, qui alienis manibus deferuntur & baptizantur: Quantum in eis est toto annisu reluctantur, ne in baptismatis fontem mergantur: sed cum ad rationalem scientiam pertigerint, etiam si recordari nequeunt quando baptizati sunt, narrantibus tamen indubitanter credunt, & Christianam Religionem atque baptismi rationem colere incipiunt. Hinc est quod B. Papa Leo dicit. Si nulla extent indicia inter propinquos & familiares, nulla inter Clericos atque vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne manifestè pereant, quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. De his qui ex Africa & Mauritania veniunt, & nesciunt in qua secta sunt baptizati, non se baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerunt, qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur. Unde quoniam quomodolibet formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt; sed manus impositione virtutem Spiritus Sancti * quam ab hæreticis accipere non potuerunt.

T R A C T A T U S
DOMNI ABBAUDI ABBATIS,
De fractione Corporis Christi.

DOminus Jesus Christos *qua nocte tradebatur, accepit panem, benedixit, fregit, dedit, discipulis suis dicens: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Credo itaque quod panem quem accepit, benedicendo corpus suum fecit. Ideoque corpus suum fregit, & de eodem corpore suo jam benedicto & fracto discipulis dixit: *Hoc est corpus meum.* Nec minùs firmiter credo *fregit*, quàm *benedixit*, quàm *dedit discipulis*, quàm denique *hoc est corpus*. Sed fortasse quis dicit, tunc verè potuisse frangi corpus Domini, quia adhuc mortale erat: nunc non posse, quia jam est immortale. Quid est ergo quod Paulus Apostolus ait: *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?* Sed movet fortè quem, quòd non dixit, Corpus quod frangimus, sed *panis quem frangimus*. Attende quid in alio loco dicit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* ubi itaque nemo Christianus dubitat eum de corpore & sanguine dicere Christi. Lucas enim in Actibus Apostolorum, *Erant*, inquit, *perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione panis fractionis.* Intende obsecro. Certè idem panis benedicitur, sumitur, distribuitur. Et tamen Apostolus maluit dicere, *Panis quem frangimus*, quàm panis quem benedicimus, sive quem sumimus, sive quem distribuimus. Deinde cum idem panis quotidie Deo in salutem totius mundi offeratur; cur non saltem panem quem offerimus, potius quàm panem quem frangimus dixit, cùm utique convenientissimè dici potuerit? Et Evangelista æque cur non potiùs panem benedictionis, sive panem communicationis, seu panem distributionis, aut certè panem oblationis, quàm panem fractionis posuit? Nempe ubi id potiùs apostolicus sermo atque evangelicus sua auctoritate roboraret, unde citiùs dubitari posse constaret: demum fortasse quòd & magis congruebat mysterio hujusmodi pronunciatio.

Namque ipsa Dei Sapientia, quæ hoc corpus, unde agimus, animatum sibi in unitate personæ assumsit; cùm in seipsa integerrima maneat, nobis tamen frangitur, cùm exponitur: nosque illi spiritualiter communicando, veraciter vivimus Deo. Quo contra de defectu doctorum per Jeremiam plangitur: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Sed aliud est, cùm de veritate cujuslibet rei secundum proprietatem facti quæritur; aliud, cùm facti ejusdem mystica ratio allegoricè discutitur. Verbi gratià legitur in Evangelio, quod Dominus post resurrectionem clausis januis ad discipulos ingressus sit. Primo secundum proprietatem facti quæritur, quomodo verum corpus fuit, quod ad discipulos clausis foribus introduxit: deinde mystica ratio ejusdem facti subsequitur, scilicet nisi quod conclusus fuerit hortus, frustra sponsa sponsum exorabit: *Veniat dilectus in hortum suum.* Et ut apertius atque compendiosius dicatur; nisi contra mundi cupiditates fores cordis tui clausæ fuerint, spiritualis gratia

te illustrare non poterit. Verùm in hoc loco, ubi de proprietate agimus, spiritualem rationem intermiscuimus: quia sapientiam Dei, quæ disponit omnia suaviter, congruè corporalia facta secundum spiritualium rationem ordinare accipimus, Psalmista quoque attestante: *Omnia in sapientia fecisti.* Igitur secundum fidem Evangelii, quod dicit, *benedixit & fregit*; Apostoli quoque qui dicit, *Panis quem frangimus*; Lucæ etiam Evangelistæ qui dicit, *Panis fractionis*: contestante nihilominus spirituali ratione fultus, corde credo, ore confiteor ad salutem, quia veraciter corpus Christi manibus frangitur sacerdotis.

Hîc mihi fortè insultatur ab illis qui noverunt Christum à dextris Patris sedere, non utique dimidium aut debilem, sed totum integrum. Quasi verò Apostolus cum diceret, *Panis quem frangimus, communicatio corporis Domini est*, oblitus fuerit de quo totiens memoraverit, quod sedet ad dexteram Patris; oblitus fuerit de quo cum tanta constantia dicit, quod *resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Quomodo ergo de uno eodemque corpore quæritur, quod integrum maneat in cœlo, & frangatur in terra? Hic maximè apparet quod superius dixi, ideo Apostolum & Evangelistam verbum fractionis præcipuè posuisse, ut hoc sua auctoritate firmaretur, unde facilius cor humanum dubitaret. Valde enim sibi ipsi adversa videtur assertio, cùm de uno eodemque corpore prædicatur, quòd integrum maneat & frangatur. Sed has angustias non patitur humana inopia: divinæ autem potentiæ metas præfigere non valet humana infirmitas, etsi conetur temeritas. Quæ enim impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Alioquin numquid hoc solum de Christi corpore asseritur humanæ rationi contrarium, & juxta legem humanorum corporum impossibile? Nonne de eodem corpore asseritur, quòd per nativitatis suæ mysterium ad humanos oculos clauso utero Virginis exivit, & ad discipulos ejus per resurrectionem clausis januis introivit; seque ipsum & palpabile, & tamen incorruptibile demonstravit? Ecce tria, ut hoc jam non sit solum, sed quattuor eorum quæ ratio non comprehendit; fides tamen divinæ potentiæ concedit. Et alii quidem unusquisque quid sentiat, videatur: mihi autem pium & bonum est sentire, quia illud corpus, quod magna illa & nimis incomprehensibilis sublimitas deitatis suum proprium esse voluit, ineffabili quadam ac singulari atque divina potentia non solum mortalia, sed etiam immortalia ac cœlestia corpora longissimè excellat. Cæterum de illo corpore secundum legem aliorum corporum rationari velle, viventem cum mortuis quærere est. Desinat ergo homo, qui proprii corporis infirmitates investigare atque enumerare non sufficit, de Dei corpore alta sapere; discat humilibus consentire. Meminerit quòd quidam sapiens cùm de eo loqueretur, dixit: Et in pluribus operibus ejus non fueris curiosus.

Verumtamen ponamus aliquem concessisse, quòd verè non frangatur corpus Christi, ut videamus qui fructus inde nascatur. Dic ergo mihi, obsecro te, unde potero scire quòd verum loquatur Evangelista, cum dicit, *Hoc est corpus meum*, si fefellit, quando dixit, *fregit*? Identidem si mentitur Apostolus dicens, *Panis quem frangimus*, unde credam ei quòd verum dicat, quando loquitur, *communicatio corporis Christi est*? Itaque qui verè frangi corpus Christi non concedit, totam fidem tanti Sacramenti, quantum in se est, fregit. Sed absit, ut evangelica atque apostolica falsa credantur: absit ut impossibile credatur apud Deum omne verbum.

Dicat aliquis, non omnia divinæ potentiæ adscribenda; rationis acie multa investiganda. Ego cum Apostolo nunc cognosco ex parte, exspectans, ut cum in Galilæam venero, ibi eum videam facie ad faciem. Si quis tamen homile pusilli consilium non aspernatur, hoc divini corporis mysterium nullatenus ratione discutiat; sed evangelicæ auctoritati sine dubitatione credat. Abscondit hæc à sapientibus Dominus & prudentibus, & revelavit ea parvulis. *Averte*, inquit, *oculos tuos à me; ipsi me avolare fecerunt.* Putaveram & ego quondam parvulus, nullo unquam intellectu ex quantulacumque parte attingi posse, qualiter panis terrenus in corpus Christi verteretur: tantùm autem ex divina potentia firmissimè credendum, & nullatenus rimandum decreveram. Postea verò Deus meus illuminavit tenebras meas ut viderem, licet per speculum & in ænigmate, quod antequam vidissem, firmissimè crediderам. Ait enim Propheta, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ita & de hoc quod modò habemus in manibus, non video quomodo unum idemque corpus & frangatur, & integrum maneat: sed tamen certissimè credo. Potens est enim Deus facere omnia superabundantiùs quàm petimus, aut intelligimus: ut quod non video, & credo, quandoque videam & gaudeam. Beati enim qui non viderunt, & crediderunt. Verumtamen ne cui ad incredulitatem proficiat tam molesta & violenta contrarietatum dissensio, cùm unum idemque corpus frangi & integrum manere adstruatur, putetque nil tale in scripturis posse reperiri: attendat quid in Evangelio Lucæ scriptum sit. *Non est*, inquit Jesus, *mortua puella, sed dormit.* & mox Evangelista: *Et deridebant*, inquit, *eum, scientes quia mortua est.* Ecce quanta contrarietas. Si enim secundum Jesum mortua non erat, quomodo eam mortuam esse sciebant? Nam si mortuam, cum non esset, putabant: aliud est profectò putare, aliud scire. Quod si pro certo tenebant mortuam esse quæ vivebat, errare hoc erat non scire: ac per hoc aut mortua erat, & contraria veritati. Veritas locuta est, dicens, *Non est mortua*: aut Veritas verum dixit, & Evangelista falsum, *scientes*, inquiens, *quia mortua est.* Sed neuter horum recipitur. Et certè majorem contrarietatem habet, aliquem mortuum esse & non esse, quàm frangi quid, & integrum manere. Multo enim facilius est fractum reintegrare, quàm mortuum suscitare. Hoc enim hominis aliquotiens, illud verò semper solius Dei est.

Recurritur ergo ad alium Evangelii locum, ubi Dominus de mortuis loquens, *Non est*, inquit, *Deus mortuorum, sed vivorum. Omnes enim vivunt ei.* Nota quòd non dixit absolutè *vivunt*, sed *vivunt ei*: scilicet non negans hominibus esse eos mortuos, sed Deo. Æternitas enim, cui quæ futura sunt, facta sunt; cui etiam omnium rerum consummatio jam nota est, cum sibi libet; non secundum eam instabilitatem de rebus loquitur, quam nunc de naturali sua mutabilitate patiuntur: sed secundum eum statum, quem de immutabilitate Creatoris sui in æternum mutuabuntur. Bene ergo de mortuis, si tamen post resurrectionem in æternum cum Deo victuris dicitur, *Omnes vivunt ei.* quia ille immortalitatis status incommutabiliter eos manet: mors verò quæ eos nunc temporaliter tenet, aliquando non esse habet. Et puellam, quam non morti dimittere, sed vitæ reddere disponebat, non immerito mortuam negat qui semel & simul omnia fecit, quæ nec semel nec simul fieri temporis ratione permittuntur. Vide ergo ne fortè similiter dici possit, quod nobis frangitur, Deo integrum manere. Qui enim de corporibus servorum suorum locutus est, dicens, *Ca-*

pilli capitis vestri omnes numerati sunt ; & capillus de capite vestro non peribit ; cum secundum nos pœne omnes capilli perierint, mirum sit apud eum aliqua proprii corporis particula quamlibet minuta possit perire : cùm tamen idem corpus in multas partes frangendo dividatur, & à multis comedatur. Ei ergo corpus suum semper integrum est, cujus providentia nulla ejus particula perire potest. Et apud nos quidem localis divisio fractionis comprobatio est, quia membrum quod à se invicem disjunctum & localiter divisum videmus, fractum esse tenemus. Porro apud Deum, sicut veraciter dictum est, secundum tempus mille anni sicut dies unus, & unus dies sicut mille anni : ita æque veraciter dici potest, secundum locum mille, sive quot vis aut certe omnia loca, apud Deum quasi unus locus. Ei quippe, qui semper ubique totus præsens est, localis absentia nil absentare, localis longinquitas nil longinquare, localis divisio nil potest dividere. Quod ergo apud nos fractum est, quia localiter divisum est, apud Deum integrum manet, cui omnia loca unus locus est. Quòd cùm etiam de aliis rebus corporalibus dici possit, quanto magis de illo corpore, quod personaliter illi substantiæ conjunctum est, quæ semper ubique tota præsens est ? quod ob id solum, & cum frangitur integrum manere non usquequaque improbabiliter possit asseri ; quia miro & ineffabili modo unum cum illa substantia factum est, & unum cum illa etiam in ipso tempore fractionis suæ manet. quæ nullam ullo modo fractionem recipiens, semper integerrima manet ; qui est ipsa semper infracta & indivisa deitas.

Potest & ob aliud. Apud nos quippe membrum quod fractum & à corpore suo divisum est mortuum esse constat. Illius verò corporis etiam fracti quælibet particula non modo viva, sed etiam vivifica est, si quis fideliter accipit. Quod ergo vim & plusquam vim integri obtinet ; etiam cum frangitur, integrum jure dici potest. Hæc tamen non ita dixerim, ut per me tantum mysterium revelatum, tanta quæstio soluta videatur : hoc tantùm effecerim, ne ipsa fractionis & integritatis assertio omnino absurda judicetur.

Dicatur hinc meliùs à melioribus, & doctiùs à doctioribus. Utinam audirem ab aliquo certissimam tanti mysterii declarationem !

Superiùs sane fractionem dominici corporis evangelica atque apostolica auctoritate defendimus ; testimonium oculorum nostrorum interim omisimus. Re vera enim certius est testimonium evangelica veritas, quàm visio oculorum nostrorum. Faciliùs quippe concedimus, ut oculi nostri fallantur, quàm ut Evangelium mentiatur. Verumtamen ipse Dominus noster Jesus-Christus ; quando beatus Thomas de ejus resurrectione dubitavit, non tam propheticis testimoniis, quàm propriorum oculorum ei satisfecit. Non igitur penitus mihi videtur contemnendum oculorum nostrorum testimonium. Urgendus est igitur qui negat corpus Domini frangi, utrum illud, quod in altari sacramus & frangimus, credat esse corpus Christi. Si concesserit, fractioni corporis Christi non contradicit. Si negaverit, judicet quisque fidelis, si ille fidelis judicandus sit : videat ipse cui credere velit, qui nec auctoritati evangelicæ, nec propriis oculis credit. Nos verò cum discipulis cognoscamus Dominum in fractione panis.

Cogitaveram & illis aliqua respondere, qui dicunt ipsum corpus non frangi, sed in albedine ejus & rotunditate aliquid factitari ; sed recogitans ineptum esse in Evangelio Christi de albedine & rotunditate disputare, amaturis talia auribus dimovens, dialecticis aut certè pueris talia permisi. præsertim cùm quivis facilè videat, albedinem seu rotunditatem ab ipso corpore, quod vel album vel rotundum est, separari non posse : ita ut ab ipso non fracto hæc per se singulariter non frangantur. Et re vera quid opus cuique fideli in fide sua hac circuitione verborum ? Purè & simpliciter profiteatur, quisque quidem credat, utrum verè corpus Christi manibus sacerdotum frangatur necne. Rogo sane ne quis me præsumptionis judicet, quòd de tanta re tantillus scribere præsumpserim ; qui cum non rectè credere creditus sum, non potui fidem meam qualicumque sermunculo non defendere.

O B S E R V A T I O N E S.


DAmnata Berengarii hæresi, ex formula confessionis, ei per Ecclesiam in Concilio Romano proposita, de Eucharistiæ sacramento variæ exortæ sunt quæstiones & controversiæ, etiam inter Catholicos, de sensu verborum, quibus illa formula proposita est. Una ex his quæstionibus erat circa fractionem corporis Christi. Nonnulli fractionem illam tantùm in signo seu symbolo, non in ipso Christi corpore fieri sentiebant, alii contra in ipso corpore fieri contendebant propter illa verba primæ confessionis Berengarianæ, anathematizantis tamquam hæresim, corpus Christi *non posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel dentibus Fidelium atteri.* Prioris sententiæ auctores in Eucharistia post substantiæ conversionem panis species seu accidentia, in quibus fractio fieret, superesse asserebant : alii negabant, rati (quod hoc loco dicit Abbaudus) *albedinem seu rotunditatem ab ipso corpore, quod vel album vel rotundum est, separari non posse.*

Inter primos non ultimus erat Petrus Abaëlardus, quem hoc nomine, tamquam hæreticum, adortus est Walterius Abbas Victorinus apud Parisios : cujus auctoris libri quatuor extant in ms. codice Victorino contra *quatuor labyrinthos* (sic ipse vocat) *Franciæ, id est Abaelardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictavinsem, & Gisilebertum Porretanum.* Sic verò habet in lib. 3 cap. 11 in Abaelardum agens. *Ventum venit ad Berengarium. Hic enim hæreticus asserebat, in figura & in sacramento totum fieri, nihil in veritate. Postea verò convictus coram Nicolao Papa & pluribus Episcopis confessus est, etiam & juravit, panem scilicet & vinum post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi esse ; & sensualiter non solum sacramento, sed etiam veritate manibus sacerdotum tractari, & frangi, & Fidelium dentibus atteri. Ecce catholica Fides. Iste autem Scholasticus sic exponit : Verè quidem, ait, est, » sed in sacramento* tantùm. Item ait : » Sane dici potest fractio illa & partitio, non in substantia corporis, » sed in ipsa forma panis sacramentali fieri, ut vera fractio & partitio sic fiat, quæ fit non in substantia, » sed in sacramento, id est in specie. Item, Est ibi vera partio & partitio quæ fit in pane, id est in forma » Panis. Item, Fractio & partes illæ, quæ ibi videntur fieri, in sacramento fiunt, id est in specie visi- » bili. Idcoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt, ut sensualiter, non modo sacramento : sed in » veritate dicatur corpus Christi tractari manibus Sacerdotum, frangi quoque & atteri dentibus. Verè qui- » dem, sed in sacramento tantùm. Vera est igitur ibi attritio & partitio « Ecce dum catholicam fidem, nulla prorsus distinctione indigentem, solitis sibi argumentationibus distinguit, alterum se probat Berenga-*

* id est fractio, infrà.

rium. Nam sicut ille asserebat, Omnia fiunt, sed in sacramento tantùm: sic & hic. Ille verò correctus addidit sacramento & fractioni, attritioni etiam dentium, veritatem quam negabat: iste econtra in omnibus veritatem subtrahit, dum asserit omnia fieri, non in substantia, sed in specie visibili & forma panis & sacramento tantum. At sincera non est hoc in loco Walterii objectio in Abaelardum, qui verum Christi corpus in Eucharistia admittebat, sed fractionem atque attritionem non in corpore ipso, sed in specie panis fieri asserebat.

Walterii sententiæ de vera corporis Christi fractione consentit Abbaudus Abbas in hoc tractatu, quem ex ms. codice, Christiani Abbatis sermones continente, excepimus. Christianus mihi fuisse videtur Abbas monasterii S. Petri Carnutensis: at cujus loci Abbas fuerit Abbaudus, necdum mihi compertum est. tametsi is eodem quo Abaelardus sæculo, id est undecimo, vixit.



INCIPIT LIBER PRIMUS*

* Sic MS.

SANCTI LAURENTII EPISCOPI

De Muliere Chananæa.

MUlti quidem confligunt venti sæviuntque procellæ: sed vestrum conventum non dissolvit temptatio, nec studium violavit. Non cessat Ecclesia, quæ semper pugnat, & semper triumphat; temptatur & non superatur. In quantum pulsatur & premitur, in tantum prævalet & augescit: circùm sæviunt undæ, sed non movetur lapis.

Sermocinantibus nobis, somnus recessit à vobis; nox se transfudit in diem. O conventus forensis! potest enim & hic esse conventus Ecclesiæ. Fecit nox in foro Ecclesiam, & mentis vestræ strepitus armavit industriam: cessavit omnis pigritia, conquievit ignavis. Quis hoc non volvat animo, aut quis non miretur, eo quòd non solùm nostri permanserint nobiscum; sed etiam incogniti congregati venerunt, & proficit temptatio in utilitatis augmentum? Nam sicut pluvia descendens nutrit semina germinantis; sic temptatio cùm examinaverit, animam salvat. Verbum Domini est immobile, & portæ inferni non prævalebunt ad eum. Se ipsum vulnerat impugnator Ecclesiæ: plebem verò fidelem insigniorem ostendit. Vires conlidit proprias qui æmulatur Ecclesiæ: nobis verò triumphi confert dignitatem. Justus erat & antea Job: sed justior postmodum de agone emersit. Sanus validus factus est æger validior: clarus in opere factus est, in opinione præclarior. Nunquam igitur in temptatione formides. Si enim fueris in propria virtute fundatus, numquam tibi oberit tribulatio, quæ patientiæ declarat virtutem. Sicut enim fornax cùm examinat, augmentum facit in specie auri: sic temptatio addit animæ pulcritudinem. In quo enim noxia est flamma in specie auri? aut in quo humiliat temptatio patientiam, quæ tollit tristitiam, & auget lætitiam, & facit animam hominis in examinata specie refulgere?

Introduxit temptationes, ut excludat adversarios, qui me existimant inimicum. Congregati sunt maligni in unum: sed quid illi in confusione, & quales nostri in compassione? ubi sunt illi? num apparent? adspicio in foro, eo per plateas; & nullum video. Frondes fuerunt, & ceciderunt à vento: plumbum fuit, & liquefactum est; hi verò refulgent in specie auri. Quis eos quàm criminosa eorum conscientia effugavit? Sciunt enim ipsi quid fecerint. Nam & Cain cùm cœperat proprium perimere fratrem, perpetrato scelere, timens ac tremens super terram incessit. sic & isti non manibus quidem, sed mente malignati sunt: & illi quidem operati sunt necem, Dominus autem condonavit salutem. Hæc enim locutus sum propter vos, ut exsultet mens vestra in Domino, & numquam in temptationibus trepidet. Petra est immobilis. O homo, quid flatus vereris? *Super hanc*, inquit, *petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt ad eam.* Quandoquidem extranea, quandoquidem autem intestina sunt bella: sed nullus potest stabilitatem quassare structuræ. Quod autem expendo tempus, in exprobratione malorum. nec enim fas est insultare diutius inimicis, & filios dispicere scientes. Matth. 16. 18.

Igitur hesterno nobis Paulus Apostolus adornavit convivium, hodie autem Matthæus: hesterno coriarius, hodie publicanus: hesterno blasphemus, hodie raptor. Sed non in blasphemia permansit blasphemus, nec raptor in rapina permansit. Factus est enim Paulus verus Apostolus & utilis doctor; factus est enim & Matthæus Evangelii prædicator. Memorabo priora peccata, ut posteriora merita enitescant: ut discas tu quid sit converti de malo in bonum, ne aliquando desis in propria vita. Doctores igitur nostri priùs in criminibus sorduerunt, & inde conversi in meritis sunt erunt. Quid blasphemus & publicanus facti sunt? nonne caput rapinæ & lex violentiæ? Quid est publicanus? prædo sine pudore, medicus exterminii. Nonne immanior est furibus publicanus? fur namque vel timens furatur: hic autem confidenter delinquit. sed hic publicanus repente Apostolus. quomodo aut quo tenore? *Transiens Dominus vidit eum sedentem in teloneo, dixitque illi: Sequere me. & surgens secutus est eum.* O virtus sermonis! Matth. 9. 9.
venit crucis palma, & fecit militem de captivo, & lutum protinus convertit in aurum. Venit crucis palma, & surgens publicanus secutus est Christum; de profundo mæroris gurgite super omne decoris fastigium sublimatur. Nemo igitur desperans salute fruitur. non est enim malum in membris vestris naturaliter insitum: de arbitrio nos gratiam libertatemque adquirimus. Publicanus enim factus est Evangelista, blasphemus factus est doctor, latro paradisum meruit, seductor factus est verissimus adorator. Non est quicquam in criminibus, quod non pænitudine resolvatur. Et ideo Dominus ipsius criminis destruxit fastigia, ut nullus vitam suam etiam in sexta ætate desperet.

Ne dicas intra te: Peccavi, & quid faciam? habes imitabilem medicum qui resecat morbum, & sanat omnem languorem: habes medicum, qui adest gemitibus, & nutu imperat sanitatem. Ex tanta te de improviso materia finxit & vivificavit ut esses: nunc factum te & nutritum poterit oblivisci? non erat antea homo, & figuravit illum ex limo. Requiris fortè qualitatem: nescio ego, ipse scit artem suam. Numquid non eras terra? sed accepit partem terræ potens ille opifex, & fecit priùs corpus tuum, in quo disposuit & distinxit varia membra, manus &

pedes; caput etiam; in quo oculi & aures, os & odoratus, frons & genæ; & reliqua membra interiùs. Ille ergo artifex qui sic te proprio finxit arbitrio, non potest tua auferre peccata? noli sensus ejus rimari, noli nodos examinare virtutis, noli quærere quomodo fecit, sed mirare de facto.

Sed dicis: Feci peccata multa & magna. Et quis est de hominibus qui non peccet? Tu dic: Erravi super omnes homines, sufficit mihi in sacrificio ista confessio. dic tu priùs iniquitates tuas, ut justificeris, cognosce quoniam peccator es: habe tristitiam, cùm converteris: esto ac si desperatus & mæstus: sed & lacrymas compunctus effunde. Numquid aliud aliquid fuit in meretrice, quàm lacrymarum effusio? & ex hac profusione invenit præsidium, & acceptâ fiducia accessit ad fontem Dominum JESUM.

Matth. 15. Sed veniamus ad causam. quid ergo Evangelista? *Et inde transiens Jesus, venit in partes Tyri & Sydonis, & ecce mulier Chananæa.* Miram rem ait Evangelista. Ecce mulier caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, doli mater, corruptio legis antiquæ. Ecce mulier veniebat ad Dominum JESUM, mulier alienigena de gentibus, novella plantatio. mirum negotium Chananæa sequitur. Judæi fugiunt, domestici derelinquunt, alienigena hæret. Ecce mulier de finibus illis egressa clamabat dicens: *Miserere mei, Domine, fili David.* Mulier hæc Evangelista efficitur. probavit enim divini consilii sacramentum, quando & virtutem divinam obsecrat, & carnis naturam confitetur, dicens: *Miserere mei, fili David.* Considera pulcram mulieris mentem: vide quid dicit. Non est in actibus, inquit, meis, non mihi de conversatione justitia: ad misericordiam tuam confugio, ubi non resedit, nec requiritur locus salvandi. Et quomodo ausa est mulier legis ignara, tam iniqua, sic abruptè accedere ad fontem salutis? non petiit Jacobum, non rogavit Joannem, non accessit ad Petrum: sed hoc intermittens, quid dicit? Non est mihi necessarius fidejussor. suscipit in se pœnitentiæ patrocinium, & sola currit, tenet eum in voce ac dicit: *Miserere mei, Domine, fili David.* Ideo descendisti, ideo carnem suscepisti, ut & ego loquar ad te, & cum fiducia petam. Cherubim adspectu ejus tremunt in cœlo, & in terra mulier non formidat. Angeli metuunt in excelsis, & mulier non veretur: instat importunè, & voce sua exaggerat, dicens: *Miserere mei, Domine, fili David.* Non habeo opus sponsoris: per me accedo, per me obsecro, miserere mei. Quid tibi opus est? misericordiam quæro. Quid pateris? dolorem quem non suffero. Quid habes? filia mea captiva tenetur. Quid illi est? malè à dæmonio vexatur. Et quid nunc? miserere mei, Domine. Pignus meum consumitur, & pars corporis violatur. Opinio, inquam, exiit de filia mea. noli me videre peccatricem & miseram: tu es Deus qui secreta consideras. *Filia mea malè vexatur.* Quid desideras? ut liberetur de plaga. Miserabilis luctus consumsit uterum meum, & animam meam perturbat sæva tempestas. Quid faciam nescio. Patitur misera, nec sentit tormenta: nec mortem scit timere, nec vitam sperare. *Miserere mei.* Jacet confusa, & causam tormenti ignorat. Me adspice, Domine, me exaudi, vide diutina vulnera mea. Illa patitur, & ego deficio: passio ejus pavorem incutit cunctis, facta sum omnibus spectaculum. quid faciam? aut quò vadam? non possum ab illa quoquam divelli, non possum sola derelinqui. Non enim deforis venit, sed intus est expugnator, in se habet hostem & gladium, navis est quæ de se concitat tempestatem, non invenio nomen passionis ejus. *Miserere mei, Domine, fili David.* Utinam defuncta fuisset filia mea, quàm sic viveret. si enim mortua fuisset & sepulta, exacto jam tempore oblita fuissem, nec meminissem vulneris aut doloris. Nunc verò cadaver semper in domo est: causa mea, sepulcrum ejus; augetur quotidie vulnus meum, & crescit opprobrium. Quomodo? video oculis meis, istorum adspectu, torqueri manus, crinium vittas exsolvi ac spargi, spumas ex ore diffundi, dare mugitum horrendum, sævire intus invisibilem inimicum, improvisum hostem & pugnam manifestam. Miserere mei, Domine, quoniam filia mea erat, & facta est dæmonis esca. Non audeo illi proximare, non possum contingere, prohibet me pavor, expellit ipsa passio dira. *Miserere mei, Domine, fili David.* Qui ex vobis patres fuerunt, adjuvent verba mea: quæ matres, lacryment unà mecum. Non sufficio exponere dolorem, quem mulier ista sustinuit. *Miserere mei, Domine, fili David.* O prudentia feminæ! non utitur hominibus seductoribus, non secuta est vates fallaces, non quæsivit inanes ligaturas, aut ad falsa confugit præsidia: sed omnem relinquens diaboli cultum, venit ad Dominum JESUM omnium salvatorem, & dicit: *Miserere mei, filia mea malè vexatur.*

Vidisti sensum mulieris probantis sapientiam ejus: sed vide aliud novum & inexpertum negotium. Petit & obsecrat, & lamentum suum producit in clamorem: & amator omnium Deus non ei respondit verbum. Tacet fons vitæ, & pius medicus contulit medicinam, & abnegat curam. Quid est hoc, Domine? nescio, si non suscipis pulsantem mulierem! O sapientia medici! Dominus, inquit, *non respondit ei verbum.* Quapropter, nisi ut detegeret sapientia ejus virtutem? propterea dicunt Discipuli: *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Sed humanus Deus vitam mulieris virtutemque pulsabat. Et quid ait? *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierant, domus Israel.* Nihil proficiunt, nec ipsi Apostoli suggerentes. Verus medicus differt magis causam, exulcerat vulnus, & potestatem suam arte quadam excusat, ut latentia panderet sacramenta. *Non sum, inquit, missus, nisi ad oves quæ perierant, domus Israel.*

Hinc hunc considerate sermonem, & ad verba mea dirigite intellectum, quoniam profundam volo comparationem exsolvere. *Non sum missus, nisi ad oves perditas Israel.* Quid est hoc verbum? quæ est ista excusatio tua? & multa in te mysteria revelasti, ut unum tantummodo angulum liberares, & integrum relinqueres orbem? Pontum, & Asiam, & Ægyptum, Ciliciam & Capadociam, & reliquas nationes relinqueres, & de Israël tantummodo curares? relinques terram desertam, nationes despectas: & solis Judæis factus es liberator? Non vides injurias patris tui in falsis simulacris, & in dæmonum cærimoniis exerceri? Annon hæc etiam Prophetæ vulgaverunt? Quid dicit adfinis tuus David? *Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* (*Psalm. 2.*) Quid Esaias qui Seraphim oculis suis respexit? *Exsurget virga de radice Jesse, qui dominatur omnibus, & in eum fines terræ sperabunt.* (*Esai 11.*) Quid Jacob Patriarcha dicit? *Non deficiet Princeps ex Juda, nec de femoribus ejus dominator, donec veniat, cui destinatum est: & hic est exspectatio gentium.* (*Gen. 49. 10.*) Quid etiam Zacharias Propheta? *Propter vos, inquit, claudentur portæ æreæ, quoniam ab ortu solis usque ad occasum glorificabitur nomen Domini, in omni loco effundent libamina ante ipsum.* (*Zach. 2. 10. & 11.*) David ipse quid iterum dicit? *Omnes gentes plaudite manibus, quoniam Deus excelsus terribilis & rex magnus super omnem terram.* (*Psalm. 46. 1.*) Denique quando natus es in carne, quos vocasti? nonne Magos? Numquid Prophetas venisti vocare, qui ipsam salutem

gentibus

gentibus cecinerunt? Apostolos etiam cùm mitteres, quid eis dixisti? *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*
Matth. 28. 19.
Et nunc quando misera hæc mulier acribus doloribus & stimulis coartata rogat te & obsecrat pro filia sua, ut eam à funesta passione absolvas, modò dicis: *Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israel.* Venit ad te Centurio, rogans pro puero suo, & dixisti: *Ego veniens curabo eum.* Pendenti latroni paradisum reparasti, paralytico imperasti dicens: *Surge, tolle lectum tuum & ambula.* Lazarus de monumento te vocans redivivus surrexit; varia quoque languorum genera verbo sanasti; latrones liberasti; meretrices virginibus prætulisti: solam hanc miseram Chananæam respuisti deprecantem. Quid est hoc verbum miraculi inauditum? Nunc intendite, ut sciatis, quale compendium incipit revelare. Quando liberatus Israel à plagis Ægyptiorum, & à Pharaone extractus transiit populus per desertum, præcepit ei Dominus in lege, ut non communicarent Chananæis, nec convenirent cum eis: quoniam sine lege erant, idola immunda colentes. Præcepit ergo Deus in lege Judæis, ut non mercarentur cum eis, nec connubia in semine eorum miscerent, ne per hæc à suis legitimis privarentur, & profanis idolorum cultibus jungerentur. Adspice, & considera, & intende quæ dico, quia adhuc in textura est tela. Mulier ista Chananæa erat de gente immunda, quibus non licebat communicare cum eis. Quid ergo? sub lege venerat Dominus, ut adimpleret, & non solveret legem. Igitur si ad momentum audisset mulierem, dicerent, Judæi: Ideo te non audimus nec sequimur, quoniam solvis legem. Præcipit enim lex abstinere à Chananæis. Proptee hoc tacet Dominus: propter hoc non respondit mulieri. Vide quomodo servat legem, ut Judæos confunderet, dicens: *Quisnam vestrûm me arguit de peccato?* Ecce non respicio ad mulierem Chananæam; ecce clamat sine causa; ecce obsecrat, & non exauditur: ecce quomodo teneo legis formam, ne dicatis, quoniam præterivi legem. Ideo non credimus in te. Non ex me, sed ex vobis est error. Obmutescite itaque propter observantiam legis: ecce nationes ad me veniunt, ecce populus quem non novi, mihi servire festinat: nolite argumentosis occasionibus uti. Ecce à non cognoscentibus me cognitus sum, & à cognitis ignoratus: ecce alienigenæ obsecundant, & domestici sæviunt. Hæc est itaque prima causa, quòd distulit Dominus respondere mulieri.

Interea persistit in clamore mulier, dicens: *Adjuva me, Domine.* Et ipse tantùm respondit: *Non licet tollere panem filiorum, & mittere canibus.* O prudentia medici! multis difficultatibus suspendit mulierem, ut duplici postremo honore cumularet, dicens: *Non licet tollere panem filiorum, & mittere canibus.* Qui sunt filii? quos vides. Confundens eos hoc dicit, quia fuerunt filii, & facti sunt canes, de quibus Paulus dicit: *Videte canes, videte malos operarios, videte interfectores.* Nos autem qui velut canes eramus, de gentibus facti sumus filii in eorum radice, quos ita exhortatur Paulus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Accusat ergo Judæos, cum dicit: *Non licet tollere panem filiorum, & mittere canibus.*

Sed quid respondit mulier? *Etiam, Domine, potes, si volueris.* O mulier violenta! Dominus dicit: *Non licet.* Et illa dicit: *Etiam, Domine, potes, si volueris.* Oblita est verecundiæ, & intermisso pudore conatur vincere Dominum. Dominus dicit: *Non licet tollere panem filiorum, & mittere canibus.* Et illa respondit: Etiam, Domine, sum quod dicis. Canem me vocas, canis sum: agnosco nomen meum. confundis me tu; sed ego non recedo à te. canis sum, sequar te, quasi canis: porrige mihi aliquid. Non quæro panem filiorum: da mihi vel micas, quoniam & catuli manducant de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. O certamen pietatis! ô prudentia feminæ! Canem me dicis, Domine: sum ego. Ergo nutri me velut canem: non possum relinquere mensam domini mei. Canem me appellas: porrige micas. Dixisti causam meam, distulisti petitiones meas, manifestasti conditionem meam: adjuva me nunc, quoniam & *catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* O mulier! accepisti subitò laudem, & inventa es electis electior. Idcirco tacet Dominus, ideo distulit & protraxit, ut mentem tuam perpenderet, & vivam de te prodoceret vocem. Si enim, statim ut cœpisti petere, accepisses; recessisses, & nemo fidem tuam probasset, nullus mentis tuæ cognovisset arcanum. Num autem quia intellegis Dei virtutem, & sic te cognoscis ut dicas: *Etiam catuli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum*; laudo te ego & dico: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.*

Audiant hæc inertes & improbi qui dicunt: Oravimus, & non impetravimus. Quid loqueris, homo? instanter ora, importunè obsecra. siquidem pulsanti aperietur. Sed dicis: Deprecatus sum semel, iterum, & ter, & quater, & septies, & decies, & vicies: & non exaudivit Deus. O stulta inventio! & quid nunc, quia non es exauditus, jam recedis à Domino, & desistis à prece? aut non vides perseverantiam mulieris Chananææ, quomodo magis aporiata insistit, & repulsa importunius obsecrat; nec antè cessavit, quàm quod quæsivit, invenit? Sunt multi quidem qui intrant in Ecclesiam, & strepunt in oratione, confusè atque intemperata voce dispergunt verba sua, & egressi foras obliti sunt omnia. Hi sunt qui labiis binniunt, & corde non concipiunt. Si tu ipse dicta tua & preces ignoras: quomodo te exaudit Deus? Dicis, Inclinavi genua mea, & oravi. Genua tua inclinasti in terram: & mens tua foris per diversa discurrit. Corpus quidem intus; sed cogitatio foris, lingua tua pecunias numerat & usuras. Diabolus malus & invidus inimicus, quando oramus, tunc magis incumbit & obstrepit. Non nos pulsat, cùm securi jacemus in lectulis: venimus ad orationem, & ille nos cogitationum stimulis turbat.

Hujus versutias cogitantes revertimur ad mulierem Chananæam, quæ sic obsecrat: *Miserere mei, Domine, fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* dic & tu, Miserere, Domine, quia anima mea pulsatur à dæmonio. Magnus dæmon est peccatum animæ. Nam dæmon exstinguitur: peccatum verò stat, nisi satisfactionibus absolvatur. Grandis sermo est, Miserere mei, Deus; brevis quidem, sed virtute plenus. Nam etsi foris fueris, clama, & dic, Miserere mei, Deus. clama; non voce, sed mente. nam & tacentes exaudit Deus, nec tam locus quæritur, quantum sensus. Hieremias in carcere confortatur: Daniel inter leones exsultat: tres pueri in fornace tripudiant: Job nudus sub divo triumphat: paradisum de cruce latro invenit. Quid ergo si fueris in publico foro? ora intra te. noli quærere locum? locus ipse es. Ibi, ubi fueris, ora. Si fueris in balneo, ora, & ibi templum est. Si steteris ante judicem, ora: insurgit judex contra te, ora. Mare ante te est, & post te sequitur Pharao, ora. Nihil loquitur Moyses, & Dominus ei dixit: *Quid clamas ad me?* os ejus tacet, & præcordia clamant. Et tu cùm steteris ante judicem furiosum, ubi sunt crudeles ministri; ora intra te,

& turbines illi protinus resolventur. Judex contra te est: tu te ad Dominum confer. proximat te pœnis adfligere: tu ora intrepidus, & sedabitur insania. Numquid homo est Deus, ut labore quæratur per loca diversa? Deus est qui adest ubique. Si quæris hominem, dicitur tibi: Non est hîc, aut non illi vacat. Non est sic in causa Dei. hoc tantum est, ut dicas, Miserere mei, Deus; & ipse prope est, ut te liberet. & adhuc loquente te dicit, Ecce adsum.

Quid ergo Chananæa? *Utique, Domine, nam & catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Et quid Deus? O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Ubi sunt disceptatores iniqui? Numquid dixit, Exspecta mulier, donec oro Patrem meum. Sed quid dixit? Fiat tibi sicut vis. Quantum elegantior illa in fide, tantum Christus eminentior in virtute, qui gratiam suam sensibus ejus infudit. *O mulier, magna est fides tua.* Quomodo magna? non vidisti mortuos resurgentes, non vidisti leprosos mundari; non cognovisti legem, non audisti Prophetas; sed audisti inproperia, & meruisti repulsam; refutavi te, & non recessisti à me. *O mulier, magna est fides tua.*

Mortua est mulier, & laus ejus speciosa est plusquam margaritis intexta corona. Quocumque ieris, audies Christum prædicantem: *O mulier, magna est fides tua.* In Gothorum concilio, in Sydoniorum vel Persarum convivitu, clamat hodie Dominus Jesus & dixit, *O mulier, magna est fides tua.* Et quid deinde? *Fiat tibi sicut vis.* Non dixit: Sano filiam tuam; sed, *Fiat tibi sicut vis.* id est, tu ipsa sana filiam tuam; tibi eam teado; tu eam cura, in tuo arbitrio pono & medicinam: vade in pace, & pone super eam manus tuas, & fiat tibi sicut vis, cum tua voluntate à passione purgetur. Non jussit, non imperavit dæmonem ut exiret: sed fiat tibi sicut vis. Voluit enim ut ipsa mater sanaret filiam suam, & dæmonem effugaret. Ubi sunt qui dicunt, non virtute, sed prece omnia impetravit? Si minor est Patre, quomodo dicit: *Fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Veniebat enim mater deforis, sed antequàm veniret, sanata est. Intravit & invenit filiam suam ab immundo dæmone liberatam. consummata est voluntas ejus, & facta est sanitas: & pro eis omnibus gratias agamus Deo vivo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ADNOTATIONES.

LAURENTIUS Episcopus, cujus libellum seu homiliam mox retuli ex ms. codice Germanensi, is est quem laudat Sigebertus Gemblacensis Monachus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 120. LAURENTIUS MELLIFLUUS *scripsit librum de duobus temporibus, id est uno ab Adam usque ad Christum; altero à Christo usque ad finem sæculi. Declamavit etiam homilias ore quasi mellito: unde agnominatur* MELLIFLUUS. Laurentii liber *de duobus temporibus* typis vulgatus est in tomo 6 Bibliothecæ Patrum, præfixo hoc titulo: *Sancti Laurentii Episcopi Novarum homilia de Pœnitentia.* quæ homilia in exemplari nostro subjicitur superiori libro seu homiliæ cum hac inscriptione: INCIPIT LIBER SECUNDUS SANCTI LAURENTII DE DUOBUS TEMPORIBUS. *Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta, &c.* Nemo igitur ambigere debet eum esse Laurentium, qui Sigeberto cognominatur *Mellifluus*, quique utriusque libri seu homiliæ est auctor. At quis iste Laurentius Episcopus? Margarinus Binius suspicatur esse » Laurentium priorem, » qui ex Novariensi factus sit Mediolanensis Episcopus vigesimus-quintus ad annum Christi D VII, cujus » encomia videatur celebrare Ennodius Ticinensis Episcopus in dictione missa Honorato Novariensi in dedi- » catione basilicæ Apostolorum. « Binio facilè assentio, quibusdam adductus conjecturis, quæ tum ex libro seu sermone hîc edito, tum ex Ennodii dictione prima in Natali Laurentii Episcopi Mediolanensis desumuntur. Laurentius quippe in sermone de muliere Chananæa, quem de nocte in foro habuit, mentionem facit quorumdam adversariorum suorum, quorum improbitate non solùm ipse vexatus sit, sed etiam alii partium ipsius fautores. Atqui Ennodius in dictione prima Laurentium laudat ob patientiam malorum, quæ ipsi ex adversariorum factione semel & iterum contigerunt: primùm quidem cum ab hostibus expugnata civitate inter suas & populi injurias stetit infractus, tum in exilium missus, ac demum urbi suæ redditus est. deinde verò cùm Romam in Synodum accitus anno D II pro absolutione Symmachi Papæ, adversantium procellas sustinuit. Expugnatio illa & direptio urbis Mediolanensis, simulque Laurentii exsilium contigere per Odoacrem, uti Sirmondus opinatur, quando Tufa duce adversus Theodericum Ostrogothorum Regem rebellavit. Theoderico victoriâ potito, Laurentius Mediolanum redit, urbemque ex pristinis ærumnis recreavit. Tum verò superiorem homiliam de muliere Chananæa habuisse mihi videtur: cujus reditum ita celebrat Ennodius in dictione prima. *Cùm ex alto benignis oculis cælestis Dominator adspexit, Mediolanensium urbi lux est proprii reddita Sacerdotis. Tunc cùm rarus habitator, tunc cùm error in domibus, & per dulcia cubiculorum limina confusa discursio; tunc cùm ubique pavor & luctus, & Dei templa ferarum habitationi deputata sordebant; cùm marcens incuria splendidissima dudum atria situ vetusti horroris obnuberat; lætitiam cæteris uno dedisti de reditu, in regressu ad lacrymas, &c.* Mellifluì etiam nomen quadamtenus inferiùs indicat Ennodius, ubi ait Laurentium in Synodo Romana minantium impetus *blandimentorum melle* domuisse. Porro in homiliis suis Laurentius in id potissimum incumbit, ut peccatoribus fiduciam obtinendæ à Deo remissionis ingeneret; sicque de pœnitentia loquitur, quasi eam solis humani arbitrii viribus adscribere videatur.



DIONYSII EXIGUI EPISTOLA
AD EUGIPIUM PRESBYTERUM,

In versionem ab se factam libri Gregorii Nysseni, de conditione seu oppifico hominis.

DOmino sanctissimo, & à me plurimùm venerando, sacro EUGIPTO Presbytero, DIONYSIUS Exiguos. Sancto venerationis tuæ studio pro meis viribus obsecutus, beati Gregorii Nysseni Episcopi librum de conditione hominis è Græca locutione converti, triginta & uno ab eodem capitibus explicatum : in quo opere quantum sim difficultatis expertus, ex ipsa lectione probabitur. In plurimis enim juxta Philosophorum sententias immoratus, opulentiam tantam suæ eruditionis expressit, ut pæne nihil omiserit eorum, quæ ab illis doctis & otiosis ingeniis in hac parte per inextricabiles digesta sunt quæstiones. Quorum etiam nonnollas ineptias ita destruxit, ut illud propemodum nobis insinuaret Apostoli, quo Fideles instruit dicens : *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Nam sicuti quædam recta, quæ Deus illis revelavit, sapienter approbat, ita prava eorum vel ipse dirigit, vel quatenus ab aliis vitentur, ostendit : exceptis videlicet paucis, in quibus dum valde persequitor vitia, prorulit (ut fieri solet) etiam ipse vitiola.

Colos. 2. 8.

Igitor eloquentiam tanti Doctoris æmularus, enisus sum quidem disertitudinem ejus sequi, licèt adsequi nimis impari facultate nequiverim. Fidem tamen sententiarum ejus pro mea mediocritate servavi, sciens veritate nihil esse præstantius. Et quia sunt, ut dixi, aliqua, quæ possunt meritò reprehendi ; nullus lector in his meum puter obligatom esse consensum : quia officio translatoris explicui, non censoris judicio comprobavi.

Quapropter humili devotionis obsequio precor, ut sanctitas tua promissionis meæ solutionem gratissima mente percipiat : & in quibuscumque minùs eleganter videor eloquutus, veniam clementer accommodet : quia necessitate temporis à doctissimorum virorum collatione distractus, non quo debui librum splendore digessi, qui ut plurimis probatur abundare virtutibus ; ita quibusdam, ut sæpe retuli, maculis videtur adspersus. Oret ergo pro me tua dignatio, ut tantis pressus angustiis, saltem spiritalium studiorum latitudine gaudeam : nec adeo præsentibus umquam mæroribus liceat, ut nos à proposito futuræ delectationis abducant. Maximum namque solatium in hac miseria capimus, si de ventura gloria continuata meditatione tractemus. Quamvis enim quis amore cælestium ægre ferat hujus peregrinationis incummoda, & cum Propheta dolenter exclamet : *Heu me, quòd incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* & cum beato Apostolo confidenter asserat : *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* tamen à patria non procul exsulare creditur, si semper patriam desiderio consequatur.

Psalm. 119. 5.

Philipp. 1. 23.

EXPLICIT PRÆFATIO.

INCIPIT

SANCTI GREGORII EPISCOPI ad fratrem suum PETRUM Presbyterum,

De Imagine, id est de hominis conditione, quæ à fratre eorum sancto BASILIO *Episcopo in Hexaemeron sunt omissa.*

SI pecuniarum pretiis eos oporteret honorare, qui virtutibus eminent : parvus utique, sicot Salomon ait *, totus mundus divitiarum videretur, qui tuis possit adæquari virtutibus. Sed quia multo gratia melior, quàm divitiarum opulentia, quæ tuæ venerationi debetur, existit, exigit autem & sanctum Pascha caritatis munificentiam consuetam ; offerimos excellenti prudentiæ tuæ munus, ô homo Dei parvum quidem, quamquam dignum videatur tibi deferri, sed nostris impar viribus non habetur. Hoc autem munus sermo est, veluti vestimentum pauperrimum, ex inopi nostra intellegentia non sine labore contextum : sermonis verò materia forsitan audacior plurimis esse videbitur, verumtamen haud absurda vel indecens æstimatur. Solus quidem dignè creaturam Dei consideravit, qui secundùm Deum creatus est. Et verè ad imaginem Dei conditus formatusque BASILIUS, communis pater noster atque præceptor, qui sublimissimum creatoræ totius ornatum multis intellegibilem sua contemplatione perfecit, & in vera Dei sapientia formatum mundum his, qui per ejus prudentiam huic aptantor inspectioni, notissimum esse constituit. Nos autem quamvis ammirari de eo, ut dignum est, minimè valeamus ; tamen ea quæ desunt his quæ ab hoc magistro perspecta sunt, adiicienda credidimos, nullatenus occasione præsenti laboris ejus adtenuantes industriam : (nec enim fas sublime ejus eloquium nostris obumbrari sermonibus) sed ne ea quæ videtur magistro deesse gloria, discipulis imputetur. Nam cùm Hexaëmero ejus de conditione hominis expositio desit, si nullus auditorum illius aliquod afferret studium, quo minus id, quod desiderabatur ; impleret ; adversus magnam gloriam ejus vituperationi forsitan præstaretur occasio, veluti qui neglexerit ad habitum quemdam perspicacis intellegentiæ suorum discipulorum mentes imbuere. Nunc ergo juxta vires nostras id, quod minus deest, exponere aggressi, si quid tale reperitur in nostris, quod ejus doctrinæ non sit indignum, id ad magistrum jure referatur : si verò magnificentiam contemplationis ejus nostra non adæquatur oratio ; ille quidem præter accusationem manebit, qua putatur effectum dexterioris eventus noluisse suis insinuare discipulis, notam causationis effugiens. Nos autem apud eos, qui vituperationibus student, consequenter erimus obnoxii, velùti qui parvitate cordis nostri tanti ma-

* Prov. post v. 40 apud LXX.

giſtri ſapientiam capere nequeamus. Eſt autem non parva ad contemplationem propoſita nobis intentio, nec alicui eorum miraculorum, quæ in mundo ſunt, poſtponenda; fortaſſis autem & præferenda eſt omnibus, quæ notitiæ noſtræ ſubjecta ſunt. Nihil enim eorum quæ videntur, ſimile eſt Deo, ſicut eſt humana conditio: ita ut à benignis auditoribus de his, quæ dicturi ſumus, venia nobis in præſenti petenda ſit, ſi ſermo noſter inferior, quàm rei dignitas expoſcit, appareat. Oportere autem exiſtimo nihil eorum, quæ circa hominem priùs effecta creduntur, & quæ complenda ſperantur in poſterum, quæque nunc in præſenti cernuntur, indiſcuſſum prorſus omittere: ne minor promiſſione noſtra hæc expoſitio forſitan arguatur, ſi homine in contemplatione propoſito prætermittatur aliquid eorum, quæ ad cauſam pertinere monſtrantur. Sed & quæ videntur erga eum accidiſſe contraria, & cur non illa quæ ab initio facta ſunt, in ejus natura reperiuntur, per quamdam conſequutionem neceſſariam, quæ tam Scripturarum auctoritate, quàm rationis excogitatione collecta eſt, decentiùs explicantur: ita ut ſibi conſonet univerſa materia, cùm ordo ac ſeries quæ putatur adverſa, ad unum terminum eumdemque conveniat, ſic divina ope atque virtute ſpem contra ſpem & facultatem nobis ex difficultate præſtante. Manifeſtationis autem gratiâ optimum fore credidi præſentem ſermonem tibi capitulis explicare, quo poſſis in brevi totius operis effectum per ſingula cœptorum noſtrorum argumenta cognoſcere.

EXPLICIT PROLOGUS SANCTI GREGORII EPISCOPI.

INCIPIUNT CAPITULA.

ADNOTATIONES.

DIONYSIUS, cognomento Exiguus, *Monachus, Scytha natione, ſed moribus Romanus, multa ex Græco tranſtulit in Latinum, quæ utilitati poſſunt convenire Eccleſiæ*, inquit Caſſiodorus Senator in lib. de divinis lectionibus cap. 23. In his *tranſtulit de Græco in Latinum librum Gregorii Nyſſeni de conditione hominis*, teſtante Sigeberto Monacho in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 17. Hæc Dionyſii verſio primùm typis vulgata eſt Coloniæ anno M D XXXVIII, tum Baſileæ anno M D LXII. at utrubique abſque epiſtola tranſlatoris, EUGIPIO *Preſbytero* inſcripta; immo etiam abſque verſione præfationis Gregorii Nyſſeni. Utrumque, id eſt Dionyſii epiſtolam nuncupatoriam & Gregorii præfationem Latinam, ex veterrimo codice Corbeïenſi, litteris Langobardicis ante annos octingentos ſcripto, eruit noſter Michaël Germanus, ſtudiorum meorum ſocius & adjutor. Gregorii præfationem ſubſequitur in mſ. codice index capitulationum, in editis etiam omiſſus. at ſingulis capitulis ſingula lemmata, quæ in exemplari continenter exhibentur, ſeorſim præfiguntur in editis.

Quo anno condita ſit hæc verſio, non facilè definierim. Dionyſius ejus auctor vix attigit annum D XL. ſiquidem Caſſiodorus eum uti mortuum laudat in libro de divinis lectionibus, qui ſub annum D L. editus eſt. Unde mirari ſubit Joannem Leuvenklaium, qui novam hujus Gregorii Nyſſeni libri verſionem ſæculo ſuperiori adornavit repudiata Dionyſiana, in eum errorem incidiſſe, ut Dionyſium non niſi ante quadringentos annos vixiſſe putaverit. Qua in re novum interpretem jure emendavit Fronto Ducæus, qui de Dionyſii opere longè rectiùs ſenſit. Certè Eugipius Preſbyter, cui Dionyſius opus ſuum inſcripſit, vix ad annum D XXX pervenit, uti inferiùs demonſtrabo.

Dionyſius in ſuperiori epiſtola obſervat, in Gregorii Nyſſeni libro ab ſe verſo reſidere nonnulla, *in quibus dum* Gregorius *valde perſequitur vitia, protulit etiam ipſe vitioſa.* idemque aliis verbis uſque tertium inculcat. Quænam ſint illa, quæ in Gregorio Dionyſius reprehendit, facilè intelligimus ex lectione capitis 18 verſionis Dionyſianæ, quod in nova ſeptimum-decimum eſt. In eo quippe capite docetur, homines, ſi in ſtatu naturæ integræ perſtitiſſent, non uſuros fuiſſe conjugio ad propagationem generis ſui; ſed eo modo, quo Angelorum incrementum factum eſt, multiplicandos. Id enim aliorum Patrum traditioni, maximè verò S. Auguſtini doctrinæ contrarium eſt. Deinde Gregorius in cap. 22 apud Dionyſium hoc argumento reſurrectionis neceſſitatem probat, quòd cùm hominis in malum perpetuus motus, mali vero finita ſit meta; ubi homo nequitiæ ſuæ peregerit curſum, tunc demum jugis ille ſe moventis impetus ad iter bonum denuo recurret, hoc eſt ad immutabilitatem. quod certè viris doctis non facile probabitur. Neque etiam illud quod in capite ſequenti ſubdit de divino præcepto propagandi generis humani. Hæ, ut puto, *maculæ* ſunt, quibus Gregorianus liber Dionyſio judicio *adſperſus eſt*.

Ad Eugipium revertor, cui Dionyſiana verſio præmiſsâ epiſtolâ nuncupata eſt. Fuit is Preſbyter & Abbas Lucullanenſis, qui librum de geſtis ſancti Severini Noricorum Apoſtoli compoſuit, idemque qui Collectaneum ex libris ſancti Auguſtini defloravit. Huic rei probandæ affero clauſulam ſeu ſubſcriptionem, quæ dicto Collectaneo juſſu Reducis Epiſcopi Neapolitani ſubjecta eſt.

ET orationibus beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ hunc codicem excerptorum, quæ ex opuſculis ſancti Auguſtini beatæ recordationis EGIPIUS Preſbyter & Abba fecit, & eum codicem Dei aſpiratione pro amore divinarum Scripturarum adhuc in laica vita conſtitutus REDUX miſericordiâ Dei Epiſcopus conſcribi fecit, & privatu [*lege* præfatus] Redux Dei gratia faciente in eadem Neapolitana civitate à viro beatiſſimo PALAGIO ſedis Romæ Pontifice eſt Epiſcopus ordinatus: & eo jubente, ego PETRUS Notarius ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Neapolitanæ, ut potui, emendavi ſub die Iduum Decembrium, Imperatore domino noſtro TIBERIO Conſtantinopolis Aguſti anno ſeptimo, poſt conſulatum ejuſdem Aguſti anno tertio, Indictione quinta-decima, obſidentibus Langobardis Neapolitanam civitatem. Quem codicem pro memoria recordationis nominis ſui prædictus Epiſcopus devotè ſanctæ Eccleſiæ Neapolitanæ, cui præeſt, pro ædificatione populi Chriſtiani noſcitur obtuliſſe. Et obteſtor vos ſanctos ſucceſſores Eccleſiæ ſuprà ſcriptæ, Dei gratiâ ſuccedentes, in diverſis ordinibus conſtitutos, per Dei noſtri omnipotentis adventum, ut hic codex in Eccleſia Dei ſemper valeat permanere, ut quomodo Fides æterna eſt Chriſtiana, ſic hæc oblatio codicis in eccleſia jure Deo cuſtodienda,

&c. vobisque servientibus ibidem semper servetur. Testes sitis etiam vos per coofessionem meritaque beati Januarii Martyris, ut sub nullo argumento, nulla alienatione, nulla commutatione de archibo ecclesiæ, vel jure aliquo modo discedat, ne cum prædicto Pontifice Reduce in divino judicio causas reddere videamini.

FINIT. AMAN.

CASSIODORUS Senator in lib. de divinis lectionibus cap. 23 commendat *opera Eugipii Presbyteri*, quem sibi visum testatur. *Hic ad parentem*, inquit, *nostram* PROBAM, *virginem sacram, ex operibus sancti Augustini valde beatissimi quæstiones ac sententias, ac diversas res deflorans, in uno corpore necessaria nimis dispensatione collegit, & in trecentis triginta octo capitulis collocavit.* Eugipii librum excerptorum continet Bibliothecæ nostræ Germanensis vetus codex, ab annis fere octingentis exaratus: in cujus fine legitur subscriptio præmissa, quam Redux Neapolitanus Episcopus exemplari se jubente descripto apponi curavit. Hinc intelligimus codicem Germaoensem exemplum esse Neapolitani. Porro ad hanc clausulam respexisse videtur Sigebertus Gemblacensis Monachus, cujus hæc verba sunt in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 39. *Eugipius Abbas hortatu Renducis Neapolitani Episcopi deflorans libros Augustini Episcopi Hipponensis, dedit codicem magnæ utilitatis ad Probam virginem; & per manus ejusdem Renducis Episcopi obtulit Ecclesiæ Neapolitanæ. Fuit tempore secundi Pelagii, & Imperatoris Tiberii Constantini.*

Hic duo peccat Sigebertus, & quòd Eugipii excerpta Renducis seu Reducis hortatu deflorata scribit, & quòd Eugipium ait vixisse tempore Pelagii secundi, & Tiberii Imperatoris. Et quidem Reducem transcribendi Collectanei Eugipiani auctorem fuisse demonstrat superius fragmentum: at verò exemplum Reducis longè post conditum ab Eugipio librum prodiit, imma post Eugipii obitum, quippe qui in ea clausula *beatæ recordationis Presbyter* appellatur. Certè Eugipius ipse in operis sui Præfatione ad Probam, ait se ad id impulsum fuisse hortatu, non Reducis, sed Marini Abbatis, ejusque Monachorum. sic enim præfatur: *Dominæ merito venerabili, & fructu sacræ virginitatis in Christo gratia semper illustri* PROBÆ, EUGIPIUS, *omnium servorum Dei famulus, in Domino salutem dicit. Excerptorum codicem quem de nonnullis operibus sancti Augustini, cohortante domno meo Marino Abbate, vel cæteris ejus sanctis Fratribus, quomodocumque conpegeram, continuò transferri vobis sancto quo polletis studio voluistis, &c.* Ex quibus verbis corrigitur Sigeberti primum erratum, quod alteri mendæ occasionem dedit. Cùm enim Reducem Eugipio scribendi Collectanei auctorem existimaret Sigebertus, consequens fuit, ut Eugipium Reducis æqualem fuisse putaverit. At sicuti falsum est Sigeberti fundamentum, ita etiam consecutio falsa.

Eodem affectus præjudicio Rosweidus in Prolegomenis ad vitas Patrum duos distinxit Eugipios, unum Lucullanensem in Italia Abbatem, qui, teste Isidoro Hispalensi Episcopo, *libellum de vita sancti Monachi Severini composuit*, & post consulatum Importuni seu Opportuni, hoc est post annum Christi D IX claruit: alterum Abbatem Africanum ab Sigeberto laudatum, qui temporibus Pelagii Papæ secundi & Tiberii Augusti, id est sub annum D LXXX, librum excerptorum ex Augustini operibus conflaverit. Rosweidum secuti sunt Joannes Bollandus tomo 2 Januarii ad vitam sancti Severini Presbyteri, & Aubertus Miræus in Notis ad cap. 39 Sigeberti. Hanc duorum Eugipiorum distinctionem, & Sigeberti cui innititur fundamentum paucis refellere juvat.

Unum & eumdem fuisse Eugipium, & qui librum de gestis sancti Severini edidit, & qui Collectaneum Augustinianum fecit, arguunt patria, dignitas, atque ætas, utrique Auctori communis. Eugipius quippe Severini laudator Italus fuit, degitque apud Lucullanum in Campania: ubi sine dubio etiam vixit Excerptor Augustinianus, unde, tamquam ex vicino loco, Redux Neapolitanus Episcopus exemplar Excerptoris accepit. Presbyter & Abbas fuit Eugipius Severini encomiastes. Abbas quidem, testante Isidoro in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 13. Presbyter verò, ut testatur Paschasii Diaconi epistola, quæ vitæ sancti Severini præmissa est, *Domino sancto semperque carissimo Eugipio* inscripta. Utrumque nomen Presbyteri & Abbatis Excerptori asserit fragmentum nostrum. Denique Eugipio utrique (sic interim loqui liceat) eadem ætas convenit. Eugipius enim vitam sancti Severini scripsit biennio post consulatum Importuni, hoc est anno D XI, ut ipse testatur in epistola ad Paschasium Diaconum. Eodem tempore Augustiniana excerpta condidit Eugipius: siquidem opus suum inscribit Probæ virgini, quæ ineunte sæculo VI florebat. Hujus rei certum nobis argumentum suppeditat Fulgentius Ruspensis Episcopus, qui tractatus duos de jejunio & oratione eidem Probæ nuncupavit sub annum Christi quingentesimum quintum. Certè Cassiodorus Senator cùm librum Institutionum scriberet, (scribebat autem ante annum quingentesimum sexagesimum) de Eugipio excerptore non secus, quàm de mortuo agit his verbis: *Convenit ut Presbyteri Eugipii opera necessariò legere debeatis, quem nos quoque vidimus, &c.* Cùm ait *vidimus*, satis indicat Eugipium hunc jam vivere desiisse eo tempore, ac proinde longè ante pontificatum Pelagii secundi, qui sedem Romanam iniit ab anno D LXXVII, uno anno ante Tiberii principatum. Ex his omnibus certo, ni fallor, conficitur, non duos, sed unicum fuisse Eugipium, cui liber de vita sancti Severini cum Regula monastica ab Isidoro memorata, atque excerpta Augustiniana tribuenda sunt.

Jam verò ex superiori fragmento discimus, Reducem Episcopum, qui exscribendi Augustiniani Collectanei auctor fuit, non Neapolis in Africa, uti suspicatus est Chioccarellus; sed Neapolis in Campania Episcopum fuisse: ut qui in præmissa clausula oblationem suam commendat Ecclesiæ Neapolitanæ *sub obtestatione beati Januarii Martyris*, quem Neapolis Campaniæ patronum agnoscit.

Postremò ex præmissis constituitur tempus, quo Redux Ecclesiam Neapolitanam rexit, nimirum Pelagio secundo Pontifice, imperante Tiberio Augusto: & quidem mandante Reduce, librum excerptorum Eugipii scriptum fuisse Tiberii Augusti *anno septimo, post consulatum ejusdem anno tertio, Indictione quintadecima, obsidentibus Langobardis Neapolitanam civitatem.* qui characteres conveniunt in annum Christi quingentesimum octogesimum secundum. Ergo in serie Neapolitanorum Antistitum collocandus est Redux, non inter Stephanum & Pomponium, ut apud Ferdinandum Ughellum in Italiæ sacræ tomo 6, sed inter Vincentium & Demetrium. Cæterum observatu dignæ sunt præmissæ chronologicæ notæ, ex quibus intelligimus, Tiberium dictum Augustum triennio ante initum à Justini morte imperium; & Neapolim à Langobardis obsessam fuisse anno D LXXXII, qui Indictione XV præditus erat.

In fine nescio an operæ sit pretium monere, Eugipii excerpta typis edita prodiisse Basileæ anno 1542.

& Venetiis anno sequenti, cum hac inscriptione : D. EUGYPPII ABBATIS APHRICANI *thesaurorum tomus primus.* nam divisus est liber in tomos duos, qui in scriptis codicibus una serie procedit à capite ad calcem, *in trecentis triginta octo capitulis*, ut observavit Cassiodorus Senator. Fallit etiam inscriptio, ubi Eugipium Abbatem vocat *Africanum* : cùm dicendos sit Abbas Italus Monasterii Luculani prope Neapolim Campaniæ, non Africæ, ex dictis.

Postea quàm hæc scripseram, observavi superiorem clausulam à Philippo Labbeo in Addendis ad Dissertationem historicam de Scriptoribus ecclesiasticis editam fuisse cum epistola illustrissimi Petri de Marca tum Archiepiscopi Tolosani, qui fragmentum istud ex nostro Germanensi codice descriptum Labbeo submisit, erratum inde emendans Sigeberti, Eugipium ad Pelagii Papæ & Tiberii Imperatoris tempus referentis. Quo perlecto gavisus sum, me nec-opinantem in viri clarissimi sententism ac mentem convenisse : nec mihi visum est supprimendum, quod ea de re ante animadverteram.



GREGORII TURONENSIS EPISCOPI

FRAGMENTA DUO

Ex ejus Commentario in Psalmos.

Bruta ex vetustissima collectione de virtutibus & vitiis.

IN capitolo *de Compunctione.* GREG. TORONENSIS in Comm. in Psalm. Si enim disrupta fuerint vincola delictorum nostrorum, & delectata fuerit in Christo mens nostra ; tunc nosmetipsos offerimus Deo hostiam vivam & sanctam, permaneotes cum eo in cælesti Hierusalem.

In ultimo capitulo *de retributione Justorum.* GREG. in Expositione Psalmorum. Et nos igitur si io præceptis Dei aures oon obduramus, si Sanctorum monita cum innocentia exsequamur si nostrorum spinis facinorum non adfigamur, si manus ab omni sanguine immunes cum innocentibus abluamus ; honorabit nos Dominus Deus noster dignis præmiis, quibus Sancti cum ipso perpetualiter conlætantur. Ipsi gloria cum æteroo Patre & Spiritu sancto in æternum. Amen.

A D N O T A T I O.

GREGORIUS Turunensis Episcopus ab se edita commemorat Opuscula duo, scilicet, Commentarium in Psalmos, seu, ut ipse loquitur, *in Psalterii tractatum, librum unum*, itidemque librum unum de *Cursibus ecclesiasticis* : quod utrumque hactenus viri docti desideraruut. Prius duplex fragmentom reperi in vetustissima collectione *de virtutibus & vitiis*, ex Patrum sententiis constaute : cujus collectionis caput primum est de Fide, secundum de Spe, tertium de Caritate. Quis verò hujus collectionis auctur sit, deprehendere non potui : propterea quòd in Martinianæ apud Tornacum Bibliothecæ exemplari quo usus sum, folium primum avulsum est. Istius collectionis antiquitatem prubant tum ipse codex membraneus ab annis minimùm octingentis exaratus ; tum nomina Patrum, quorum sententiæ in ea referuntur, ex quibus nullus laudatur qui sit Isidoro Hispalensi Episcopo recentior. Porro in ea laudantur APPONIUS *in Cantica*, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Johannes Chrysostomus, Macarius, Effrem, Gregorius Papa primus, Isidorus Junior, & jam dictus Julianus Pomerius. Citantur etiam instituta beati Sixti his verbis : *Ne dederis multas escas corpori tuo, & non videbis in somnis visiones malas.*

Ad posterius Gregorii Turunensis Episcopi Opusculum de Cursibus ecclesiasticis quod attinet, existimavi aliquando illud ipsum esse, quod absque nomine Auctoris habetur in tomo primo Conciliorum Angliæ pag. 167. At re maturius expensa persuasum mihi est, hoc esse Auctoris Gregurio posterioris, siquidem in eo fit mentio de gestis sancti Columbani & sancti Attaiæ Abbatum Bobiensium : qui liber annis minimum quadraginta à morte Gregorii conditus à Jona est.



TAIONIS EPISCOPI CÆSARAUGUSTANI

P R Æ F A T I O

AD QUIRICUM BARCINONENSEM ANTISTITEM,

In quinque libros Sententiarum à se collectos ex operibus S. Gregorii Papæ.

DOMNO venerabili sanctissimuque viro QUIRICO Episcopo, TAIUS indignus Cæsaraugustanæ urbis Episcopus, cognomento SAMUHEL. Memor vestræ benignissimæ petitionis, nostræque devotissimæ promissionis, hujus textum libelli comtis sententiarum titulis prænotatum vestræ sanctitati malui dirigendum, ut sicut onius sanctæ caritatis vinculo nectimur, ita quoque laboris ac lectionis gratià merito participemur. Ordo namque namque rationis exposcit, ut priùs causas originum, immo potiùs calamitatum, qualiter editus, vel in quibus sit anxietatibus dissloratus atque conscriptus, brevita-

re qua possum, vestris auditibus pandam, & ita demum ad reliqua orationis sermo percurrat.

Optimè novit beatitudo vestra tempus illud, quo tortuosus anguis ore pestifero in quorumdam mentibus virulenta seminum suorum sparserat zizania, fraudulentaque deceptione à tramite recti itineris gressum removerat mentium perditarum. in quo quidam homo pestifer atque insani capitis Froja tyrannidem sumens, adsumptis sceleris sui perversis fautoribus, adversùs orthodoxum magnumque Dei cultorem Recesuinthum Principem fraudulenta prætendens molimina, superbo ad ausu Christianam debellaturus adgreditur patriam. Hujus itaque sceleris causâ gens effera Vasconum Pyrinæis montibus promota, diversis vastationibus Haberiæ patriam populando crassatur. Heu prò dolor! dicendi studium calamitatis intercipit magnitudo. Sed tandem veniendum est ad id, quod formidat oratio. Innoxius quippe multorum Christianorum sanguis effunditur: alii jugulis, nonnulli missilibus, plerique diversis jaculis sauciantur: innumerabilis multitudo captivorum abducitur, immensa spolia subtrahuntur. Templis Dei infaustum bellum infertur, sacra altaria destruuntur; plerique ex clericatus officio ensibus obtruncantur, atque inhumata canibus avibusque multorum exponuntur cadavera occisorum: ita ut septuagesimi octavi Psalmi non immeritò illi calamitati congrua videatur inscriptio.

Cum nos hujuscemodi causâ Cæsaraugustanæ urbis circumlæptus murorum ambitus contineret, adventumque suprà taxati Principis præstolaremur; omnipotentis Domini misericordiam promptissimè exorantes efflagitabamus, ut tyrannicæ jugum dominationis nequaquam cervicibus nostris sineret imponi, auxiliumque dexteræ suæ piissimo Principi contra impiissimum hostem quantocius impertiret. Sed orationes pauperum & deprecationem misericordissimi Principis protinus exaudivit Dominus. Misso igitur cælitus propugnatore fortissimo, hunc auxilio omnipotentiæ suæ sublevat; illum verò tyrannicæ superstitionis auctorem repentino casu condemnat: isti tribuens palmam victoriæ copiosam, illi verò inferens atrocissimæ mortis ignominiam. Destruxit eum dexterâ sua Deus, & evellit de tabernaculo suo, & radicem ejus de terra viventium, ut rite Domino psalleremus: *Dextera tua, Domine, percussit inimicum, & per multitudinem virtutis tua contrivisti adversarios nostros.*

In hoc igitur suprà taxatæ tempestatis turbine, licèt diebus continuis periculis circumquaque sævientibus minimè quippiam agere liceret, nec usquam progrediendi, aut alicujus ruris libera esset facultas excolendi; noctium tamen otia laborum spiritalium incrementis congessimus, ac de sacris voluminibus, scilicet sancti Papæ Gregorii Romensis, sententiarum capitula in quinque libellis discreta, uno codicis textu conclusa, auxiliante Domino, colligendo decerpsimus, atque in amaris diebus dulcium ciborum lacrymando dapes collegimus, memores Psalmistæ testimonii dicens: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos.* Sumentes igitur exordium ab omnipotentis Domini incommutabilis essentiæ Trinitate, atque ab origine mundi hominumque plasmatione usque ad hujus sæculi consummationem, quasi cujusdam longissimi funiculi studiosè liniamenta torquentes, opitulante gratia Christi, ingenio quo valuimus, discretis liniamentorum ordinibus sententiarum, ut prædiximus, titulos adnotando præstruximus. Sed quia quorumdam titulorum capitula in ejusdem sancti Papæ opusculis ad supplementum rei reperire minimè potuimus; ex libris sancti Augustini Episcopi pauca congerere curavimus, & quasi suavissimis dapibus aromatica quædam bene olentium pigmentorum venustissima flosculа superspersimus: quatinus studiosi lectoris animus, dum utrarumque rerum congestione depascitur, utrobique promptior efficiatur. Ab ipsa igitur protoplasti plasmatione, Hierusalem ac Babyloniæ cives, electos scilicet ac reprobos, virtutibus ac vitiis deditos, liber iste discreto rationis ordine profert. Hierusalem quippe visio pacis; Babylonia verò confusio interpretatur. Qui namque ad visionem pacis, vel qui ad confusionis ignominiam per hujus itinera mundi decurrant, providus lector facillima investigatione poterit prævidere. Nemo quippe prudentium dubitat Christianorum, quod cælestis Judex terribilis adveniens dicturus est sanctis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* & è contra reprobis: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus. Et ibunt hi in supplicium æternum: justi verò in vitam æternam.* Ecce ad quos finium terminos harum duarum civitatum populi perveniunt, ut hi sempiternæ remunerationis præmia cum sanctis angelis potiantur; illi verò cum diabolo & angelis ejus æternorum suppliciorum incendiis mancipentur.

Fastidiosus itaque, quem multa legere piget, aut certè quisque studiosus, qui fortasse legere mavult, & habere multorum voluminum copiam minimè potest, hujus operulæ nostræ laborem parvipendere non dignetur, & manualis hujus libelli textum legendo percurrere non moretur. Ibi namque reperiet, in quibus tenaciùs hærere debeat, & à quibus quantocius discedere studeat: quatenus ad cælestium consortia civium, sempiternarum potiturus præmia rerum, Christo Domino largiente, perveniat. Te quoque, mi venerabilis Domine, deprecor, omnesque sacratissimi fontis undâ delibutos, quibus lectio hujus libelli placuerit, obsecro per sanctæ Catholicæ Ecclesiæ unitatem, quæ Christo Domino sponso suo conjungitur fidei sanctitate, ut pro meorum abluendis cumulis delictorum ejus non gravemini poscere pietatem: quatinus infernorum ignium caream suppliciis, & in mansionibus, quamvis exiguis, æternis foveri merear refrigeriis.

Epigramma operis subsequentis.

Quisquis amas sacram, lector, addiscere legem,
Hunc nostri studii librum percurre legendo:
Repperies facilè quidquid cognoscere malis.
Florea cuncta gerit, [tum] prata virentia gestat:
Pascit amantis oves, sincera animalia, Christi.
Ostendit patriam celsam, regnumque potentem,
Tartareos ignes, & tristia non finienda.
En tibi Christus adest regnum conferre beatis,
Impiis è contra horrenda supplicia confert.
Sublimis anima, conscende ad regia cæli;
Impiger adcurre, careas ne præmia tanta,
Et picei fontis horrendas despice flammas.

INCIPIT

Liber Sententiarum primus.

Quòd Deus incommutabilis, summus, & æternus exsistat.

Solus Deus in semetipso incommutabilis est, quia solus habet immortalitatem, &c.

QUIRICI EPISCOPI RESPONSIO
AD TAIONEM EPISCOPUM.

DOMNO verè sanctissimo & unanimo atque speciali TAIONI Episcopo, QUIRICUS servulus vester. En, beatissime virorum, sancti Spiritus intentione, qua in hujus operis labore fructuoso sudasti ingenio, ut qualiter cunctorum fomenta vitiorum aut præcaveantur, ne incidatur in eis, seu etiam post lapsum tergatur ab eis; qualiterque virtutum dona appetantur, nec tamen superbiatur de eis; præmissum laboris vestri fructum patenter & perlucidè cunctis se dinoscentibus indicavit. Nam multos per vos sancti Spiritus gratia à lascivia revocavit, multos ab ira compescuit, alios etiam à superbiæ fastu removit: nonnullos à gastrimargiæ vitio abstulit: alios etenim à philargyriæ concupiscentiis removit; &, ut specialiter loquar, omnes liberè imbuit, fluxa & caduca spernenda, certa & æterna omni subtilitatis ingenio requirenda. Pro cujus operis fructu in primis refert mater communis catholica Ecclesia grates immensas: post quam ego & hii, qui mei sunt similes, per incentiva vitiorum in noctis obscuritate dormientes, quique etiam post tenebras ad lucem erupimus, multas simulque infinitas primùm Domino, cujus inspiratione id effectui contradidistis; deinde vobis gratias referimus. O verè terræ sal, quo præcordia nostra, ne possent sæculi errore vanescere, condiuntur! ô lucerna super candelabrum posita Ecclesiæ, quæ lumine veritatis irradians multos à caligine nubili erroris splendifico sermone enubilas! Nam rite vobis aptatur illud testimonium, quod quidam prudens dixit: *Ecce docuisti plurimos, & vacillantes confortaverunt manus tua.* Reddat igitur Dominus pro hujus operis studio sanctæ animæ vestræ cunctorum indulgentiam delictorum & societatem post procursum vitæ præsentis tribuat omnium habere Sanctorum. Ego denique ideo ad dirigendum eumdem codicem vestrum piger exstiti, quia eum per me offerre cupivi, simulque ut voce & lacrymis referrem gratias, quantum valerem. pro quo quia minùs utilis exstiti, ut agnoscenti culpam piè omittere digneris suggero. Nam & per meum puerulum eumdem codicem vobis volueram dirigere: sed quia devinxistis me adjuratione divini nominis, ut sine ulla retardatione eum transmitterem, ideo per præsentem direxi. De cetero salutem tam humillimam quàm sinceram, sive etiam abundantiâ caritatis refertam domino meo persolvo: & ut pro servo tuo pia sollicitudine Domino supplicare digneris, precor propter ornatum scilicet ecclesiæ vestræ: quod Deus providere jusserit, spero per me vestris adjutus orationibus exhibiturum. EXPLICIT.

ADNOTATIONES.

DE Taione seu Taio Cæsaraugustano Episcopo agitur tum in appendice ad VII. Concilium Toletanum, tum apud Rudericum Toletanum Episcopum in lib. 2 de rebus Hispaniæ cap. 20, tum apud Baronium in Annalibus ad annum 649. tum denique (ut ceteros præter eam) apud Marianam in lib. 6 rerum Hispanicarum cap. 8. Hi omnes ex vetustis monumentis commemorant, Taionem jussu Chindasuinthi Vesigothorum Regis Romam profectum, ut Gregorii Magni partem Moralium, quæ in Hispania desiderabatur, ex Romana Bibliotheca recuperaret. Martinus Papa scrinii Romani schedas omnes & tabularia excutere longum esse causatus, diem ex die ducebat, atque aliam ex alia causam nectebat: cùm Taio precibus fusis ad sepulcrum beati Petri, cœlesti monitu quo in loco essent hi libri, edoctus est; tandemque curæ & votis suis fecit satis. Hìc mirari subit pii Principis religionem, qui non solùm primam & secundam partem Moralium, quas Gregorius Leandro Episcopo non miserat, ut notat Baronius, legatione Romam directa recuperare sategit; sed etiam *alios libros sanctorum Patrum diligenter fecit perquiri*, ut ex Hildefonso scribit Lucas Tudensis in Chronico. Ad hanc verò legationem Taionem elegit, litteris apprime *imbutum & amicum scripturarum*, (sic in vetusto monumento legimus) atque tum in Gregorium Magnum, tum in Augustinum, quorum *libros semper ab ipsis cunabulis legere amaverat*, impensè affectum. Id verò perspicuum est ex quinque libris sententiarum, quorum maximam partem ex meris Gregorii centonibus Taio conflavit, supplemento ex Augustini libris petito. Hæc de rebus theologicis sententiarum collectio facta ex Patribus prima mihi videtur, ad cujus fere exemplum Petrus Lombardus, aliique alias condiderunt. In primo siquidem libro Taio agit de Deo divinisque attributis: in secundo de Incarnatione Christi & prædicatione Evangelii, deque Pastoribus & subditis: in tertio de diversis Ecclesiæ ordinibus, & de virtutibus: in quarto de divinis judiciis, tentationibus & peccatis: in quinto de reprobis & de judicio ac resurrectione. Hanc collectionem inveni in egregio codice Bibliothecæ Thuaneæ ante annos DCCC descripto, ex quo fragmentum Taionis epistolæ, quæ superiùs edita est, retuli in Præfatione secundi Sæculi Benedictini. Integram verò in his Analectis referre visum est cum responsione Quirici Barcinonensis Episcopi, cui Taio libros suos nuncupaverit. Ex hac porro epistola seu præfatione intelligimus, ejus defectionis, quam Vascones contra Recesuinthum Regem suscepisse legimus apud Rudericum Toletanum Pontificem, aliosque rerum Hispanicarum scriptores; signiferum ac ducem fuisse FROJAM quemdam, *hominem pestiferum*, qui tyrannidem usurpare tentabat. Hinc multus Christianorum sanguis effusus, captivi abducti, spoliata templa, eversa altaria, Clerici ensibus obtruncati. quæ omnia uno fere verbo exprimunt prædicti Scriptores, apud quos nulla Frojæ, si bene memini, mentio occurrit. Rem totam ita perstringit Rudericus Toletanus in lib. 2. cap. 22, agens de Recesuintho. *Hujus temporibus, eclipsi solis stellis meridie apparentibus, omnis Hispania terretur, atque incursationem Vasconum non cum modico exercitu repulit sine damno.* Quapropter superior Taionis Epistola non solùm ecclesiasticis, sed & Hispanicis rebus illustrandis non parum conducet. Quod attinet ad Quiricum seu Quiricium Barcinonensem Episcopum, cui Taio sententiarum libros nuncupavit, is ipse est, ad quem etiam Hildefonsus Toletanus Episcopus librum de perpetua B. Mariæ Virginitate transmisit, ut patet ex reciprocis Hildefonsi & Quirici litteris, editis in Spicilegii Tomo I.

INCIPIT

INCIPIT LIBELLUS ABBATIS PIRMINII,

DE SINGULIS LIBRIS CANONICIS SCARAPSUS.

FRatres carissimi Spiritus-sanctus per Prophetas, Sacerdotes & Levitas & omnes Doctores Ecclesiæ catholicæ admonet dicens: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & adnuntia populo meo peccata eorum.* Et iterum: *Si non adnuntiaveris iniquo iniquitatem suam, ipse in peccatis suis morietur, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Et Dominus in Evangelio ait: *Euntes in mundo universo, prædicate Evangelium.* Et vos Fratres qui ad ecclesiam convenitis, Dominus per Prophetam dicit: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Et iterum, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* & Dominus in Evangelio: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam,* dicit Dominus. Petimus ergo carissimi, caritatem vestram, ut quæ pro salute vestra dicuntur, attentius audiatis. Longus quidem pro divinis scripturis ordo degeritur, sed velut aliquantulum in memoria teneatis, pauca vobis de pluribus commendamus.

Cum fecisset Dominus in principio cælum & terram, & in illa cælesti habitatione fecit spiritales creaturas, id est Angelos: è quibus unus qui primus omnium Archangelus fuerat factus, videns se in tanta gloria præfulgentem, non dedit honorem Deo creatori suo, sed similem se illi dixit; & pro hac superbia cum aliis pluribus angelis qui illi consenserunt, de illa cælesti sede in aëre isto, qui est sub cælo, dejectus est, & perdita luce gloriæ suæ factus est diabolus. Similiter & illi angeli qui consentientes illi fuerunt, cum ipso de cælo projecti sunt, perdito splendore gloriæ suæ facti sunt dæmones. Reliqui autem qui subditi fuerunt Deo, in sua claritatis gloria in conspecto Domini perseverarunt, & ipsi dicuntur Angeli sancti.

Post istam ruinam angelorum, formavit Deus hominem de limo terræ, ut si præceptum Domini servasset, in loco illo cælesti sine morte succederet, unde angeli illi refugi ceciderunt: si autem prætermisset Dei præceptum, morte morietur. Videns autem diabulus quia propterea factus fuerat homo, ut in loco illius unde ipse cecidit, in regno Dei succederet; invidiâ ductus, suasit hominem ut mandata Dei transiret. Præceperat autem Deus homini, dicens: *De omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ex quo ligno contra præceptum Dei tulit homo de fructibus illius suadente diabulo, & comedit: pro qua offensa jactatus est homo de paradiso in exilio mundi istius, ubi multos labores & dolores pateretur.

Fuit autem primus homo dictus Adam, & mulier ejus dicta est Eva, quod creavit: ex istis duobus omne genus hominum propagatum est. qui obliti creatorem suum Deum multa scelera facientes irritaverunt Deum, ad iracundiam provocantes eum. Pro qua re immisit Deus diluvium, & perdidit omnes, excepto uno justo homine Noë cum suis tribus filiis, & uxores eorum pro reparando humano genere reservavit. A primo ergo homine Adam usque ad diluvium transierunt anni duo millia CCXLII. Post diluvium, iterum recuperatum est genus humanum per filios Noë: & cum cœpisset multitudo succrescens mundum implere, obliviscentes iterum homines creatorem mundi Deum, cœperunt colere creaturas, & multa alia mala opera facere, quæ dinumerare longum est.

Cum vidisset Deus tantam malitiam hominum, dedit per famulum suum Moïsen legem in duas tabulas lapideas digito Dei scriptas. In prima tabula: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est. Non adsumes nomen Dei tui in vano. Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex dies operaberis, & facies omnia opera tua; septimus autem dies, sabbatum est Domini Dei tui, non facies omne opus in eo.* In secunda tabula: *Honora patrem tuum & matrem tuam. Non mœchaberis. Non occides. Non furtum facies. Non falsum testimonium dices. Non concupisces uxorem proximi tui.* Et iterum, *Non concupisces rem proximi tui.* Etiam lege accepta, homines in ipsa prævaricati, & postmodum ad idola & culturas dæmonum reversi, in multis criminibus & peccatis detenti erraverunt.

Iterum cum vidisset Deus tantam stultitiam & duritiam humanam, quia hominem quem creavit non vult perdere, misit Prophetas suos monens eos per Spiritum-sanctum, ut de culturis idolorum vel prævaricatione legis ad cultum divinum vel præcepta Dei reverterentur. Sed nec ipsa lex, quæ per Moïsen data fuit, nec ipsi Prophetæ eos de originalibus peccatis, quæ de Adam traxerant, liberare potuerunt; quia omnis anima peccatorum & justorum exeuntes de corpore, ad infernum descendebant propter ipsa originalia peccata, quæ de Adam traxerant, pro eo quod in paradiso primus homo transgressus est mandatum Dei.

Sed quando vidit Deus quod totus mundus periret, misertus est humano generi: misit Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Descendere dignatus est Filius Dei de sino Patris, hoc est Verbum in utero sanctæ Mariæ semper Virginis. In tanta humilitate venit, ut per humilitatem vinceret diabulum mortis auctorem, & liberaret humanum genus per crucem suæ passionis. Qui cum Patre fulgebat in cælo, in terra pannis involutus in præsepio jacebat. Ille Ægypto fugatus, in corpore circumcisus: ille à Joanne quasi triginta annorum in Jordane fluvio baptizatus, & prædicavit in Judæis & gentibus omnia mala opera vel diabolica derelinquere, & pænitentiam agere, & baptismum accipere, vel præcepta sua, quod sunt quatuor Evangelia & reliqua sacra Scriptura, custodire. Et elegit duodecim Discipulos suos, ut quicquid in universo mundo prædicarent, omnes crederent in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti & baptizarent in remissione omnium peccatorum. Et illi sunt Apostoli: Petrus, Andreas, Jacobus, Johannes, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Simon Zelotes, Judas Jacobi, Jacobus Alphæi; & ille illis Dominus docuit orare. *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum super substantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: & ne inducas nos in temptationem: sed libera nos a malo.* Et ipse Christus Filius Dei de aqua vinum fecit, & de quinque panibus & duobus piscibus quinque milia populi satiavit, & super mare pedibus ambulavit, & leprosos mundavit, & dæmonia ejecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui, & paralyticos sanavit, & cæcos inluminavit, & omnem in-

firmitatem & languorem in populo sanavit. Et ipse Dominus jejunavit XL. diebus & XL. noctibus, & postea esuriit; & accedens diabolus dixit ei: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Respondens Christus dixit ei: *Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Et dixit ei diabolus: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Dicit illi Jesus: *Non temptabis Dominum Deum tuum.* Et ostendit illi diabolus omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit illi: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Tunc dixit ei: *Vade retro satanas; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Tunc reliquit eum diabolus: & ecce accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Hic ostenditur quod unus diabulus temptavit Adam & Christum, & de eadem causa temptavit eos. Adam temptavit in gula cum dixit: *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de hoc ligno?* Vanam gloriam suggessit, quando dixit: *Eritis sicut dii.* Cupiditatem suggessit, quando dixit: *Scientes bonum & malum.* & sic temptat omnem, si potest, hominem vincere, in gula cadit, in fornicatione, in luxoria, in inmundicia, in impudicitia: & si in his non cadit homo, suggerit illi vanam gloriam, unde nascitur jactantia, elatio, superbia; & si in his non peccat homo, suggerit cupiditatem; inde nascuntur inimicitiæ, contentiones, iræ, discordia, furta, homicidia, zeli. Et propterea corripiamus arma Christi, & vincamus inimicum, sicut noster Magister docuit Christus, & illum vicit.

Post hæc cum duodecim discipulis suis venit ad cænam quinta feria, quæ vocatur Jovis, & Cæna Domini, & uno ex ipsis duodecim discipulis suis, qui vocabatur Judas Scariothis, immisit diabulus per invidiam cordi sicut Judæorum, ut Christum Filium Dei ipsis Judæis consentientibus, pro triginta argenteis in ipsa nocte traderet ad crucifigendum. Et ille voluntariè, non invitus, pro nostra salute venit ad passionem: ille pro nobis obpropria sustinuit, ille irrisiones, ille sputa, ille alapas, ille flagella, ille spineam coronam: ut feria, quæ dicitur dies Veneris, in crastino de Cæna, hora sexta à Judæis suspensus in cruce; & in ipsa die tenebræ factæ sunt super universam terram à septima hora usque ad horam nonam: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Ipse Dominus pro nobis in cruce clavis confixus, aceto potatus, lancea perforatus, & in ipsa hora nona emisit spiritum; & emanavit de latere ejus sanguis & aqua. Quid per sanguinem, nisi redemptio? Quid per aquam, nisi Baptismi Sacramentum significatur?

Deinde corpus Christi jacuit in sepulcro; & dum illud sacrum corpus in sepulcro jaceret, anima Christi descendit ad infernum. Inde eripuit Adam primum hominem, & omnes Patriarchas & Prophetas & justos, qui propter originalia peccata ibidem detinebantur. unde Dominus dicit: *Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus, ô inferne.* quia Dominus noster Jesus-Christus morsus inferni fuit, quia parte abstulit, parte reliquit illos: justos abstulit, illos peccatores reliquit. Quia illa divinitas Dei, quæ impassibilis est, hoc est Verbum, cum Patre erat in cælo, & cum corpore in sepulcro; & cum anima Christi in inferno: quia sola humanitas sine divinitate mundum redimere non poterat. Deinde alligavit diabulum, & expoliavit infernum. Tertia die, quod omnes Christiani celebrant Pascha, die dominico resurrexit de sepulcro, & post resurrectionem apparuit hominibus, & per quadraginta dies usque ad ascensionem ad cælos, cum Apostolis inter homines in isto mundo ambulavit, & ostendit eis plagam lanceæ in latus, & fixuras clavorum in manus suas; & loquens eis multa de regno Dei, elevavit manus suas super eos, & benedixit illos, & dixit illis: *Euntes in mundo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Et præcepit eis ab Jerusolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris; & dixit eis: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus-sancti in vos, & eritis mihi testes.* Et cùm hæc dixisset, videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum; ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? Hic Jesus qui adsumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Et hoc actum est quinta feria, quæ vocatur dies Jovis; quod est Ascensio Domini.

Tunc ipsi Discipuli Domini reversi sunt Hierosolyma, & erant perseverantes unanimiter in oratione usque ad decimum diem, quod est Pentecusten, & dicitur quinquagesimus dies dominicus; & in ipsa die, hora tertia, factum est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, & implevit totam domum, ubi erant sedentes Apostoli. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu-sancto, & cœperunt loqui aliis [a] linguis, prout Spiritus-sanctus dabat eloqui illis; & composuerunt Symbolum. Petrus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ.* Joannes: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Jacobus dixit: *Qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Maria Virgine.* Andreas ait: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus*, Philippus dixit: *Descendit ad inferna.* Thomas ait: *Tertia die surrexit à mortuis.* Bartholomæus ait: *Ascendit ad cælos, sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Matthæus ait: *Inde venturus judicare vivos & mortuos.* Jacobus Alphæi dixit: *Credo in Spiritum-sanctum.* Simon Zelotes ait: *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Judas Jacobi dixit: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Item Thomas ait: *Carnis resurrectionem, vitam æternam.*

Deinde, sicut eis antea Christus prædixerat, dispersi sunt in universum mundum ad prædicandum omnes gentes, & baptizandum eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus-sancti. Et ipsi Apostoli benedixerunt Episcopos, Diacones, Presbyteros, & reliquos gradus Ecclesiæ catholicæ ordinaverunt, qui post discessum Apostolorum, sicut ipsi supra scripti, ordine Apostolico in populo catholico vigilanter & prudenter usque in finem mundi per successionem Episcoporum agere debeant. Et nunc tempore boni per Dei gratiam ad salvationem justorum constituuntur, & mali non secundum constitutionem apostolicam, sed per cupiditatem, sicut Simon magus; vel per alias multas malas adinventiones eorum ad ruinam populi instituuntur: qui plus volunt præesse, quàm prodesse in ecclesiis Dei. Sed considerare oportet quod scriptum est: *Quæ dicunt vobis bona, facite*; & quod absit, *si illi mala faciunt, facere nolite.* Et alibi scriptum est: Qui proficere studet, non consideret quid

a Ita in græco ἑτέραις, cùm hodie in Vulgata legatur *variis*, Actuum cap. 2. v. 4.

male alii faciunt, sed quid boni ille facere debeat, Nam illi boni, qui ecclesiis catholicis præsunt, quæ verbis recta prædicant, & operibus complent, duplicia bona populis ostendunt, adimplentes illud evangelicum præceptum, *Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui est in cælis.*

Ergo carissimi, ut Spiritus-sanctus per Prophetam dicit, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, & omnibus idolis vestris universis mundabo vos, & dabo vobis cor novum, & spiritum meum ponam in medio vestri.* & in Evangelio, *Nemo intrat in regnum Dei, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto* hoc est, nisi qui crediderit & baptizatus fuerit. Ideo Fratres ad memoriam vestram reducimus, quale pactum in ipso baptisterio cum Deo fecimus, V. G. cum interrogati singuli nomen nostrum à Sacerdote fuimus, quomodo diceremur; respondisti autem tu, si jam poteras respondere, aut certè qui pro te fidem fecit qui te de fonte suscepit, & dixit, *Joannes dicitur?* aut aliud nomen. Et interrogavit Sacerdos: *Joannes, abrenuncias diabolo & omnibus operibus ejus: & omnibus pompis ejus?* respondisti, *Abrenuntio*, hoc est, despicio & derelinquo omnia opera mala & diabolica. Post istam abrenuntiationem diabolo & omnibus operibus ejus, interrogatus es à Sacerdote: *Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ?* Et respondisti: *Credo.* Et iterum: *Credis & in Jesum-Christum filium ejus unicum. Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferna, tertia die surrexit à mortuis, ascendit ad cælos, sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos & mortuos?* Et respondisti, *Credo.* Et tertio interrogavit Sacerdos, *Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam?* Respondisti aut tu, aut Patrinus pro te, *Credo.* Ecce pactio qualis & promissio vel confessio vestra apud Dominum tenetur, & credens baptizatus es in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti in remissione omnium peccatorum, & unctus es à Sacerdote chrisma salutis in vitam æternam, & induit corpus tuum veste candida. & Christus animam tuam induit gratiam cælestem, & assignatus est tibi sanctus Angelus ad custodiendum te, & acceptum nomen Christianum in Ecclesia catholica annumeratus factus es membrum Christi, ut ait Apostolus: *Vos estis Christi corpus, & membra de membro ejus.* à Christo enim Christiani numerati sunt. Non se autem glorietur Christianum, qui nomen habet, & facta non habet. Christianus ille est, qui Christum in omnibus imitatur & sequitur, ut ait Apostolus: *Qui se dicit in Christum credere, debet ambulare sicut & ille ambulavit*; &, *Qui se dicit credere in Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Et ipse Dominus in Evangelio ait: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Oportet ergo nos, Fratres, qui baptizati sumus, & mandata Dei percepimus, custodire sicut Spiritus-sanctus per Scripturam sacram admonet facere, hoc est, divertere à malo, & facere bonum. Quid est divertere à malo, nisi diabulum cum omnibus operibus ipsius derelinquere? Mala ergo sunt octo principalia vitia, quæ demergunt homines in interitum & perditionem: cupiditas, gula, fornicatio, ira, tristitia, accidia, vana gloria, superbia: ex quibus octo vitiis plurima alia mala vitia & peccata oriuntur, quæ dinumerare longum est: tamen propitio Christo inantea aliquid breviter vobis inde habemus dicere.

Ideo, carissimi, rogamus caritatem vestram, ut intenta aure cordis vestri audiatis quid vobis de hæc vitia superscripta Dominus per semetipsum, vel per sanctam Scripturam prohibet, ut nunquam ea faciatis; & qui fecerit, quomodo debet emendare. De cupiditate autem dicit: Non concupiscere rem proximi tui. & per Salomonem: *Nihil est scelestius quàm amare pecuniam.* & per Apostolum: *Radix omnium malorum est cupiditas.* De gula verò dixit: *Cavete autem gulam, per quam primus homo Adam de paradiso ejectus est*, quia scriptum est, *Nolite seduci in satietatem ventris.* & per Prophetam: *Hæc fuit iniquitas Sodomorum superbia, & saturitas panis, & abundantia.* & Apostolus: *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* & Dominus in Evangelio: *Væ qui saturati estis, quoniam esurietis.* Nemo fornicationem faciat, quia in lege Dominus ait: *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, aut qui operatus est nefas, morte moriatur.* & Apostolus ait: *Fornicatores & adulatores* * *Deus judicabit.* Omnis enim immunda pollutio fornicatio dicitur. Et iterum Apostolus ait: *Neque fornicarii, neque masculorum concubitores, neque molles regnum Dei possidebunt.* Nullus in corde suo iracundiam contra proximum suum teneat, quia Dominus in Evangelio ait: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* & Apostolus: *Ira viri Dei justitiam non operatur.* &, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Nolite tristari pro rebus transitoriis, quia scriptum est: *Tristitia sæculi mortem operatur.* Nemo otiositatem faciat, quia scriptum est: *Animam autem nihil operantis esuriit.* & iterum: *Otiositas inimica est animæ.* Et Apostolus ait: *Qui non vult operari, nec manducet.* Vanam gloriam contemnite. Quodcumque ornandi causa, vel laudis ab hominibus fecerimus, vana gloria nuncupatur. unde scriptum est: *Quoniam Deus dissipat ossa eorum qui hominibus placent.* & Apostolus ait: *Nolite fieri inanis gloriæ cupidi.* & item Apostolus: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* & Dominus in Evangelio ait: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab hominibus, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est.* Superbiam fugite, quia *immundus est ante Deum omnis qui exaltat cor suum.* Et iterum: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* & iterum: *Qui se exaltat, humiliabitur.* Nullus homicidium faciat, quia scriptum est: *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis ipsius.* & Dominus ait: *Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio.* Et Apostolus ait: *Omnis homicida non habet partem in vitam æternam.* Nemo adulterium committat, quia in lege Dominus ait: *Non concupisces uxorem proximi tui.* & Apostolus dixit: *Neque adulteri regnum Dei possidebunt.* & Dominus ait: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.* Legitimum conjugium nullus separare præsumat, nisi ex amborum consensu propter amorem Christi, qui ait: *Qui reliquerit uxorem*, & reliqua, *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* & propter fornicationem, quia Pharisæi tentantes Dominum Jesum-Christum interrogaverunt eum, *Si licet homini dimittere uxorem suam ex quacumque causa; respondens Jesus ait: Non legistis quia qui fecit ab initio hominem, masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Dicunt illi, *Quid ergo Moyses mandavit dare illi libellum repudii & dimittere de domo sua? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis uxores vestras dimittere; ab initio autem non fuit sic.*

* l. adulteros

Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur. Unde Apostolus dicit: *Præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* & iterum: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* & alibi scriptum est: *Qui adulteram tenet, stultus & impius est.* Ubicumque igitur est fornicatio, aut fornicationis suspicio, liberè uxor dimittatur. Quod ergo sterilis est, si deformis, si ætate vetula, si fœtida, si temulenta, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si fatua, si gulosa, si vaga, si jurcadrix*, si maledica; tenenda erit istius modi velis nolis, & qualiscumque accepta habenda: cùm esses liber, sponte te subjecisti. Nemo incestis conjunctionibus se coinquinet, quia Dominus in libro Levitico, quando legem ad populum dedit, ait: *Ego Dominus: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat. Turpitudinem patris tui & matris tuæ, & uxoris patris tui, non discooperies; turpitudinem sororis tuæ, & filiæ filii tui, vel nepotis, & filiam filiæ uxoris patris tui, & sororem patris tui, & sororem matris tuæ & patris tui non revelabis; nec accedas ad uxorem ejus qui tibi adfinitate conjungitur. Turpitudinem uxoris filii, & uxoris fratris tui, & uxoris tuæ, & filiæ ejus non revelabis: filiam filii ejus, & filiæ ejus, non sumes ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est.* Et iterum ipse Dominus: *Qui dormierit cum noverca sua & cum* nore sua, uterque moriatur. Et qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, vivus ardebit cum eis: & qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, morientur.* Et alibi scriptum est, usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est: ut sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur; ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur. Ad mulierem menstruatam nullus accedat quia Dominus ait: *Ad mulierem quæ patitur menstruum, ne accesseris.* & iterum ibi: *Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit.* Et iterum ibi: *Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit.* & per Ezechiel Prophetam Dominus ait: *Ad mulierem menstruatam non accedes.* Nullus avarus sit, quia Apostolus ait: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quia advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra a tineis comesta sunt: aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo ipsa vobis in testimonium erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.* Et iterum Apostolus ait: *Neque avari regnum Dei possidebunt.* & Dominus in Evangelio: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, similiter & escam.*

* jurgatrix.

* nuru.

Usuras nullus præsumat accipere, quia Dominus ait: *Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* & iterum: *Si attenuatus fuerit frater tuus, non accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti.* & Dominus in Evangelio: *Qui petit a te, da ei, & volenti mutuare à te, ne avertaris.* Nemo mensuras duplices nec stateras injustas habeat, quia Dominus ait: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus; nec erit in domo tua major & minor modius: habebis pondus justum & verum, modius æqualis & justus erit tibi.* Et Dominus in Evangelio ait: *Quid enim proficit homini, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat?* & iterum ipse Dominus: *Prout vultis ut faciant vobis homines bona, & vos facite illis.* Similiter hominem captivare non præsumatis, quia Dominus in lege ait: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, & convictus fuerit noxæ, morte moriatur.* & iterum: *Non facies calumniam proximo tuo, neque opprimes eum.* & *Quod tibi non vis, alii ne feceris.* Furtum nemo faciat, quia Dominus in lege ait: *Non furtum facies.* & Apostolus ait: *Neque fures regnum Dei possidebunt.* & Dominus: *Non concupisces rem proximi tui.* Per fortia autem, per malo ingenio nullus aliquid alteri tollat, quia Dominus per Prophetam ait: *Per vim nihil rapueris.* & in Evangelio* Dominus: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* & Apostolus: *Neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

* immo Joannes Baptista

Nullus injustè judicet causam proximi sui, neque pro amore parentum & amicorum, vel alicujus amore; nec propter munera vel odium, nemo fraudet judiciũ suum, quia in Deuteronomio Dominus ait: *Non perverteres judicium.* & per Prophetam ipse Dominus ait: *Væ qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* Et Dominus in Evangelio: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nolite injustè injuriam facere alicui, nec malum pro malo reddere, quia Dominus per Prophetam ait: *Hominem non contristaveris.* &, Apostolus: *Nolite malum pro malo alicui reddere.* & in Evangelio Dominus: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui vos oderunt; benedicite maledicentibus vobis, orate pro calumniantibus vos.* &, *Qui te percutit in maxillam, præbe ei & alteram.* & *ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue.* &, *Qui aufert quæ tua sunt, non repetas.* Nolite injuste opprimere peregrinum, nec viduam, nec orphanum, neque pauperem, quia in Exodo Dominus ait: *Advenam non contristaveris; viduæ & pupillo non nocebis.* & iterum: *Non negabis mercedem indigentis.* & in Propheta ait: *A pauperis injuria averte manum tuam.*

Nemo perjuret, quia Dominus ait: *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.* & Apostolus: *Nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque alio quocumque juramento.* Et in Salumone: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet de domo illius peccatum.* & Dominus in Evangelio: *Non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram, neque per caput tuum. Sit autem sermo tuus; Est, est, Non, non. quod autem his abundantius est, in malo est.* Falsum testimonium nemo præsumat dicere, nec consentire, quia scriptum est: *Falsus testis non erit impunitus.* & alibi: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* Qui dicit testimonium falsum, particeps est eorum qui crucifixerunt Christum. Non blasphemetis, quia Dominus ad Moisen ait: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* & Dominus in Evangelio ait: *Qui blasphemavit in Spiritum sanctum, non remittitur ei neque hic, neque in futuro.* & Apostolus: *Omnis amaritudo, ira, indignatio, & blasphemia auferatur à vobis.* Cum omni malitia omne mendacium non dicatis. *Omne quod mendacium est, peccatum est. Os quod mentitur occidit animam.* & iterum: *Perdes eos qui loquuntur mendacium.* Fugite inhonesta verba. *Vanus sermo cito polluit mentem.* & in Evangelio Dominus ait: *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona; malus homo de malo profert mala.* Multiloquium non amate, quia in Propheta scriptum est: *Vir linguosus non dirigetur super terram.* & iterum: *Mors & vita in manibus linguæ.* & in Evangelio: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines inter se, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis tuis condemnaberis.*

Nemo sit facilis ac promptus in risu, quia scriptum est: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus præoccupat. Risum deputavi errorem, & gaudio dixi: Frustra deciperis.* & iterum: *Stultus in risu*

exaltat vocem suam. Et in Evangelio: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.*

Nullus detrahat proximum suum. Detractio grave peccatum est, unde scriptum est: *Qui detrahit, eradicabitur de terra viventium.* & Apostolus ait: *Nolite detrahere de alterutro, fratres.* Quando alteri detrahis, te ipsum discute. Numquam alium detrahit, qui se ipsum benè perspexerit. unde Dominus in Evangelio; *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Nemo maledicat, quia in Levitico Dominus ait: *Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur.* & Apostolus: *Nolite maledicere.* & iterum ipse: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Invidiam contra proximum suum nullus habeat, quia scriptum est: *Invidiâ diaboli mors introibit in orbem terrarum.* Et quia per invidiam crucifixus est Christus; & ideo qui invidiam habet proximo suo, crucifigit Christum. Nemo hominem odio habeat, sed vitia & peccata. Odium enim à regno Dei hominem excludit. unde Apostolus ait: *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & sciat quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* & Dominus in Evangelio: *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* Nolite lites & scandala concitare; fugite autem omnes inimicitias, contentiones, æmulationes, rixas, dissensiones, sectas, & reliqua his similia, ut ait Apostolus: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Nolite manducare morticinium, neque sanguinem, neque animalia, vel *apes, quas bestiæ, vel canes, vel accipiter consummaverunt, si mortua inveniuntur, quia in Levitico Dominus ait: *Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est.* Et; *Quicumque comederit illud, interibit anima ejus.* & iterum: *Morticinium & captum à bestia non comedent.* Et quatuor capitula Actus Apostolorum præceperunt abstinere à fornicatione, & suffocato, & sanguine, & idolatria. Nullus se inebriet, quia ait Apostolus: *Nec ebriosi regnum Dei possidebunt.* & alibi: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* & Dominus in Evangelio: *Videte ne graventur corda vestra in crapula, & & ebrietate, & curis sæcularibus.* Nullus alium cogat, aut importunè roget aliquem plus bibere quàm oportet quia Dominus per Prophetam ait: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperum, ut vinum æstuatis.* & iterum: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendum ebrietatem.* Et per Joel prophetam Dominus ait: *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine.* Non solum vino inebriantur homines, sed etiam ex cæteris potandi generibus, quæ vario modo conficiuntur. Unde & Nazareis præceptum est vinum & siceram omnino non bibere: utraque enim ebrios faciunt, & luxuriam carnis æqualiter gignunt.

* L. aves.

Nulla mulier potionis aborsum accipiat, ne filius aut conceptus aut renatus occidat: & nullas diabolicas potiones mulieres debent accipere, per quas jam non possint concipere. Mulier quæ hoc fecerit, quantoscumque parere potuit, tantorum homicidiorum se ream cognoscat esse.

Noli adorare idola, non ad petras, neque ad arbores; non ad angulos, neque ad fontes, ad trivios nolite adorare, nec vota reddere. Præcantatores & sortilegos, karagios, aruspices, divinos, ariolos, magos, maleficos, sternutus & auguria per aviculas, vel alia ingenia mala & diabolica nolite facere nec credere. Nam vulcanalia & Kalendas observare, laurus aperire, pedem observare, effundere super truncum frugem, & vinum, & panem in fontem mittere; mulieres in tela sua Minervam nominare; & Veneres aut alium diem in nuptiis observare; & quo die in via exeatur attendere, omnia ista quid aliud nisi cultura diaboli est? Karachares herbas succino nolite vobis vel vestris appendere. Tempestarias nolite credere, nec aliquid pro hoc eis dare. Quimpurias, quæ dicunt homines super tectus mittere, ut aliqua futura possint eis denuntiare quod eis bona aut mala adveniant; nolite eis credere, quia soli Deo est futura præscire. Cervulos & vehiculas in Quadragesima vel aliud tempus nolite ambulare. Viri vestes femineas, feminæ vestes viriles in ipsis Kalendis vel in alia lusa quam plurima nolite vestire. Membra ex ligno facta in trivios & ab arboribus vel alio nolite facere, neque mittere: quia nullam sanitatem vobis possunt præstare. Luna quando obscuratur, nolite clamores emittere. Nolite carminum diabolicum credere, nec super se mittere non præsumat. Nullus Christianorum neque ad ecclesiam, neque in domibus, neque in trivios, nec in nullo loco ballationes, cantationes, saltationes, jocus & lusa diabolica facere non præsumat. Mimaritias & verba turpia & amatoria vel luxoriola, ex ore suo non proferat. Omnia philactiria diabolica & cuncta supradicta nolite ea credere, nec adorare, neque vota illis reddere, nec nullum honorem impendere, quia in Exodo Dominus ait: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec horum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles.* & iterum: *Qui immolaverit diis, occidetur, præter Domino soli.* & in Levitico Dominus: *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* & iterum in Deuteronomio: *Ne inveniatur qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, nec pithones consulat, neque divinos exquirat à mortuis veritatem: omnia hæc abominatur Dominus.* & iterum Dominus: *Non induetur vestem virilem mulier, nec vir utetur veste feminea. Abominabilis enim apud Deum est qui hæc facit.* & iterum: *Maledictus homo qui facit sculptile.* & Propheta: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Non vos seducant prophetæ vestri qui sunt in medio vestri, & divini vestri.* Et ne attendatis ad somnia vestra quæ somniatis, quia falsum ipsi prophetant vobis: sed Deum trinum & unum adorate & honorificate.

Et ad sanctam Ecclesiam oblationes, & cereolos, & oleum, & incensum, & primitias & decimas, & elemosynas, & omnia bona vestra reddite: & tenete sollemnitates præclaras & dies Dominicos, & festa sanctorum Martyrum & Confessorum. Venite ad vigilandum & adorandum Deum, & Missas audiendum, & sacrificium, secundum quod dicit sacra Scriptura, accipiendum. Et nullus in ipsa ecclesia, vel ubi lectio divina recitatur, verbosare præsumat, sed lectiones sacras libenter audite, quia per Moisen Dominus ait: *Audi Israel, & tace.* Diem Dominicum nolite contemnere, sed cum reverentia colite. Opus servile, id est agrum, pratum, vineam, vel si quæ gravia sunt in eo, non faciatis; nec causas, nec calumnias inter vos nolite dicere die Dominico, præter tantùm quod ad necessitatem reficiendi corpusculi pro excoquendo pertinet cibo: quia ipse dies Dominicus primus creatus est, & in ipso tenebræ remotæ sunt, & lux apparuit, & in eo formata sunt elementa mundi, & creati sunt Angeli. In eo die de terra Ægypti, velut è tenebris peccatorum, quasi per fontem baptismi, per mare Rubrum populus fuit liberatus. In eo die cælestis cibus, id est manna,

hominibus primo data est. De ipso mandavit Moises ad populum : *Observabitis diem primum & novissimum.* Et de ipso dicit Propheta : *Hac est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo.* In ipso quoque à mortuis resurrexit Christus : in ipso die de cælis super Apostolos sanctus descendit Spiritus. qui ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus vel à mundi illecebris abstinentes, tantùm divinis cultibus serviamus. Ideo rogamus vos, ut dum tanta & talia sacra testimonia de ipso die proferuntur, ut ipso die, sicut decet Christianis, juxta quod scriptum est, cum magno honore & diligentia, in amore Christi, pro retributione æternæ vitæ custodiatis.

Decimas ex omnibus fructibus suis nemo teneat, quia in Exodo Dominus ait : *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis offerre.* & in Levitico : *Omnes decimæ terræ, sive de fructibus, sive de bonis arborum, Domini sunt : boves, & oves, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt ; quidquid decimum venerit sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabit. Si quis mutaverit, & quod mutatum est sanctificabitur Domino, & non redimetur.* & in Exodo : *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domo Domini Dei tui.* Quod voverit Domino, nullus tardet reddere, quia in Numero Dominus ait : *Cùm voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illum Dominus Deus tuus : & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum si verò nolueris polliceri, absque peccato eris. Observabis & facies sicut promisisti Domino Deo tuo propria voluntate & ore quod locutus es.*

Nemo cùm capitalia crimina admiserit, antequam Confessionem suam donet, & veram pænitentiam agat per consilium Sacerdotis secundum ordinem ecclesiasticum, Corpus & Sanguinem Domini communicare non præsumat, quia in Levitico Dominus ait : *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino : quia ego sum Dominus.* & Apostolus ait : *Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat : qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Nullus Christianus à corpore & sanguine Christi se abstrahere vel prolongare patiatur, quia Dominus in Evangelio ait : *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* & iterum : *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* & iterum : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ideo admoneo vos, ut quicumque Christianus post baptismum criminalem culpam fecit, puram Confessionem ad Sacerdotem donet, & veram pænitentiam agat : & post actam pænitentiam, tempore quo ei Sacerdos constituerat, oblationem suam ad Sacerdotem offerat, & corpus & sanguinem Christi communicare faciat.

Igitur, carissimi, consideremus quod scriptum est : Contraria contrariis sanantur. & quod Dominus per Prophetam ait : *Quiescite agere perversè, & discite benefacere.* & iterum : *Declina à malo, & fac bonum.* & Apostolus : *Exspoliate vos veterem hominem, & induite novum.* & rursum : *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* & iterum : *Apprehendite loricam justitiæ, & galeam salutis, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* & illud : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Deponamus itaque opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.* Ecce quomodo nos pius Dominus ammonet, ut de malo ad bona nos convertamus. Obsecro itaque vos, Fratres, ut quicumque talia quæ supra memoravimus, & his similia contra præceptum Domini fecit, de misericordia numquam desperet, quia per Prophetam Dominus ait : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.*

Sed unusquisque cum fide recta ad Sacerdotem, sicut jam supra dictum est Confessionem puram indonet & veram pænitentiam agat ; & quod malè fecit perfectè defleat, & per justis laboribus, elimosynis, & bonis operibus se emendet : & caveat ut amplius non peccet, quia scriptum est : *Lavamini, mundi estote.* & , *Qui abscondit scelera sua non dirigetur.* & , *Qui confessus fuerit, & reliquerit ea, veniam merebitur.* & illud : *Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris.* & in Evangelio : *Pænitentiam agite, adpropinquavit vobis regnum cælorum.* & Apostolus : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et ideo carissimi, dum Dominus per tanta testimonia & præcepta sua supra scripta nos admonet, ut cessemus ab omni opere malo, & convertamur ad omne opus bonum, quare tam tardi sumus ad convertendum vel emendandum, dum Domini auxilio in nostra sint potestate remedia, quia pius Dominus indulgentiam nobis in præsenti tempore, & in futuro gloriam æternam promittit ? Pensemus ergo, fratres, illud quod Dominus per Prophetam ait : *Nolite tardare converti ad Dominum, & ne differatis de die in diem : nescitis quid adferat superventurus dies, à mane usque ad vesperum mutabitur tempus.* & alibi : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et Dominus in Evangelio : *Videte ut fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.* & iterum : *Vigilate & orate quia nescitis diem neque horam.* Et Apostolus : *Quæ est enim vita vestra ? vapor est ad modicum parens,* deinceps exterminabitur.

Igitur dum dies transeunt, finis noster adpropinquabit : admonemus & supplicamus, carissimi fratres, ut qui fuit cupidus vel avarus, & alicui mala ordine dolebat, & sua injustè retinebat, sit in elimosynis largus quia Dominus in Evangelio ait : *Ne solliciti sitis de crastino.* & idem ipse Dominus : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cujus erunt ?* & Apostolus dicit : *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* & alibi : *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo ?* Et iterum Dominus in Evangelio : *Quod superest date elimosynam, & erunt omnia munda vobis.* Et iterum Dominus : *Vendite quæ possidetis, & date elimosynam. & facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Qui fuit ebriosus & gulosus, sit sobrius vel abstinens, parcus & vilis in cibo & potu, ut scriptum est : Caro nos læta traxit ad culpam, adflictata ducat ad veniam. Multari melius est parum cotidie, quàm rarum satis sumere. Et Apostolus jejunus frequenter, & Christus jejunavit, qui peccatum non fecit, & ipse dixit : *Beati qui esuriunt & sitiunt.* & iterum : *Beati qui esuritis, quoniam saturabimini.* Qui fuit fornicator vel luxuriosus & adulter, sit purus & castus vel continens, quia ait Apostolus : *Corpora vestra membra sunt Christi.* & rursus : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem.* & iterum : *Glori-*

ficute ergo Deum in corpore vestro. & iterum ipse: *Fratres vos estis templum Dei & Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Qui fuit iracundus sit patiens, ut Dominus dixit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* & rursum: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* & Apostolus: *Patientes estote ad omnes.*

Qui fuit tristis pro temporalibus damnis, vel secularibus curis, sit hilaris, gaudens pro æternis bonis & repromissionibus, quia in Evangelio Dominus ait: *Cum vos oderint homines & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter filium hominis, gaudete in illa die & exsultate. ecce enim merces vestra multa est in cælo.* & iterum: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum quod constitutum est vobis ab origine mundi:* ubi lumen indeficiens, ubi gaudium sempiternum. & Apostolus: *Gaudete in Domino semper.* & iterum ipse: *Et in omnibus semper gaudete.* Qui fuit accidiosus, quod est otiositas, sit propriis manibus operans, aut quocumque artificio bonum laborans, unde & ipse habeat, & aliis pro æterna gloria tribuat, ut scriptum est: *Honora dominum Deum tuum de tuis justis laboribus, & liba illi de justitiæ fructibus.* & Propheta: *Labore*[b] *manuum tuorum manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* & Apostolus ait: *Necessitatibus meis & eorum qui mecum fuerunt hæ manus servierunt.* & Dominus ait: *Beatius est magis dare quam accipere.*

Qui pro vana gloria vel pro laude hominum aliquid faciebat, incipiat pro æterna retributione & cælesti gloria in bonis operibus soli Deo placere, ut Apostolus ait: *Omnia quæcumque facitis ad gloriam Dei facite.* & iterum: *Nemo glorietur in hominibus.* & rursum: *Quid enim habes quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis?* & Dominus dicit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in palam.* Et alibi » scriptum est: » Nihil pro temporale opinione sed » omnia propter Deum; non propter famam sed » propter vitam æternam, « ut ait Apostolus: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu-Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Qui fuit superbus, sit humilis, ut scriptum est: Humilitas ruinam numquam incurrit, numquam ruinam passa est. Despectus esto apud temetipsum. » Qui sibi displicet, Deo placet. « Quantum es despectior ante oculos humanos tantum eris pretiosior ante oculos Dei. Cognosce quia Dominus humilis venit, quia se in forma servi humiliavit. quare ait Apostolus: *in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* & reliqua: *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus ..... ut homo. Humiliavit se ipsum, factus obediens Patri usque ad mortem,* & reliqua. & ipse Dominus dicit: *Qui se humiliat exaltabitur.* Et alibi: » Quantum humilior » fueris, tantum te sequetur gloriæ altitudo. « Et item ipse Dominus: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Qui fuit latro, sit idoneus: qui fuit somnolentus, sit vigilis: qui fuit bilinguis, sit boniloquus: qui fuit detractor, aut invidiosus, sit purus, & benignus: qui fuit in verbis otiosis, & in malis operibus intentus; sit in eloquiis bonis, & sanctis operibus perseverans. Qui aliquando in causis injustis se implicabat, & ad Ecclesiam tarde veniebat; modò frequentius ad eam recurrat, & orationibus sacris se occupet. Qui fuit incredulus, sit fidelis, ut scriptum est: *Reputatum est ei ad justitiam.* & alibi: *Fides tua te salvum fecit; vade in pace; jam ampliùs noli peccare.* Sed contra singula vitia vel peccata, quæ hic longum est enumerare, contrariis virtutibus & bonis operibus Deo auxiliante est pugnandum: quia priùs oportet derelinquere malum, deinde facere bonum.

Epilogus.

Et ut hæc quæ supra commemoravimus, cordibus & sensibus vestris firmiter inhæreant, breviter ad memoriam vestram reducimus. Credimus enim, ut quicumque fideliter audierit, & crediderit, & in bonis operibus compleverit, per Dei potentiam & misericordiam salvus esse potest, sicut jam supra dictum est. Fratres, credite in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ; credite & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu-sancto, &c. Videte, Fratres, sicut Dominus noster Jesus Christus xxx annorum passus, tertia die resurrexit à mortuis: ita & nos omnis populus in quacumque ætate mortuus fuerit, aut parvulus, aut senes, aut in utero matris vivificatus mortuus fuerit, in xxx annorum ætate resurgemus omnes ad judicium, & peccatores & justi veniemus: justi verò, & qui fuerant peccatores qui veram pænitentiam egerunt, & in bonis operibus perseveraverunt, ut in carne percipiant regnum Dei: quia justum judicium Dei est, ut illa anima & caro, quæ in præsenti vita veram pænitentiam egit, & propter Christum cruciatum sustinuit, & in bonis operibus perseveravit; ipsa caro & anima cum Christo & cum omnibus sanctis in paradiso lætetur cum Angelis sanctis, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod constitutum est vobis ab origine mundi, quia esurivi, & dedistis mihi manducare,* & reliqua alia opera bona. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Dei. Ad peccatores autem dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum; qui paratus est diabolo & angelis ejus: quia esurivi, & non dedistis mihi manducare,* & reliqua bona quæ non fecerunt. Quia & hoc justum judicium Dei est, ut illa caro & anima, quæ hic in præsente vita peccavit, & pænitentiam veram non egit, & in malis operibus perseveravit; ipsa caro & anima in inferno cruciabitur, quia Dominus in Evangelio ait: *Zizania colligite fasciculis ad comburendum.* Zizania homines peccatores sunt: de hominibus peccatoribus incendere habet infernus: *Alligate fasciculis ad comburendum,* hoc est homicidæ cum homicidis, adulteri cum adulteris, rapaces cum rapacibus: ut quicumque huic similes fuerunt in culpa, ibidem similes erunt in tormentis. Quantum majora peccata commiserint homines, tantum ferventiùs fervet in illos ignis æternus. Credite ergo, carissimi, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, unum Deum in Trinitate. Diligite eum ex toto corde & ex tota mente, & diligite proximos vestros, sicut vosmetipsos. Nullus ex vobis homicidium faciat, non adulterium[c], non fornicationem & libidinem; immunditiam & impudicitiam fugite. Furtum non faciatis[c] non concupiscetis rem proximi vestri, falsum testimonium[c] non dicetis, iram non perficietis, iracundiam usque ad noctem non reservetis, sed ante solis occasum in pacem redite. Dolum & malitiam in cordibus vestris non teneatis,

b Græce legatur τὲς πόνες τῶν καρπῶν σου, id est *labores fructuum tuorum*, in Vulgatâ, *labores manuum tuarum*.

c Hæc & sequentia desumta sunt ex Regula sancti Benedicti, cap. 4. de instrumentis bonorum operum.

falsam pacem inter vos non faciatis, non mentiaris in invicem. Nolite jurare, nec perjurare; malum pro malo non reddite; injustè & injuriam vel malo ordine nulli homini faciatis: sed si aliquis vobis injuriam fecerit, propter Deum patienter sustinete. Inimicos vestros diligite, & pro ipsis orate. Non maledicetis, & si quis vos maledixerit non remaledicetis, sed amplius benedicite; & persecutionem propter justitiam sustinete. Nullum hominem odio habeatis, sed vitia & peccata. Non sitis superbi, ebriosi, non concupiscentiæ gulam sectantes: non sitis somnolenti, non pigri, non otiositatem vacantes. Nolite detrahere invicem, nolite esse murmuriosi, multum loqui & verba varia non ametis; multum etiam nolite diligere, sed peccata & negligentias vestras cum lacrymis & gemitu ..... die noctuque in oratione Dei misericordiam deprecate, ut mala vestra præterita & præsentia vobis indulgeat, & ut inantea non peccetis custodire jubeat. Idolatria, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, rixas, animositates, provocationes, hæreses, invidiam, zelum, comessationes, nolite talia facere, quia Apostolus contestatur ut hoc non faciatis. Omnia quæ Deus per Scripturam sanctam jussit ut non faceret homo, nullus Christianus præsumat hoc facere: & quicumque contra præceptum Dei fecit, cito per puram Confessionem & veram pænitentiam cum operibus bonis & elimosynis justis se emendet, antequam mors illum subito rapiat. Omnia quæ per sacram Scripturam Deus præcepit facere, in omnibus custodite. Diligite amicos in amore Dei, & inimicos vestros diligite propter Deum. Ubicumque fueritis, ut ait Apostolus, orare sine intermissione, & in omnibus Deo gratias agite. Ad ecclesiam cum devoto animo & fide recta sæpiùs convenite: præcipuè omnibus diebus Dominicis, & cunctas festivitates preclaras, tam ad vespertinis vigiliis & matutinis, quam ad Missas celebrandas vos frequentate. Et ibi nullas causas ad judicandum audeat proferre, & negotia non faciat, & fabulas otiosas ex ore suo non proferat. Ballationes & saltationes, vel cantica turpia & luxoriosa, velut sagittam diabolicam fugite, nec ad ipsas ecclesias nec in domibus vestris, nec in plateis, nec in ullo alio loco facere non præsumatis: quia hoc de paganorum consuetudine remansit. Omnia phylacteria diabolica, præcantatores, sortilegos, karagios, aruspices, divinos, ariolos, magos, maleficos, auguriosos, tempestarios, & cuncta alia mala cum supradicta ingenia diabolica nolite credere, nec adorare, nec vota illis reddere, nec ullum honorem impendere: sed ad sanctam ecclesiam convenite, & in ipsa ecclesia cum silentio orantes & psallantes in cordibus vestris, verbum Dei & sacram Scripturam diligenter attendite ut scriptum Dei: in lege Dei meditate die ac nocte. Vota vestra bona Deo ad ecclesias; reddite.

Primitias omnium frugum vestrarum ad benedicendum ad Sacerdotes adferre, & sic postea inde manducate. Decimas ex omnibus fructibus, & pecoribus vestris annis singulis ex ecclesiis reddite, de novem partibus quæ vobis remanserint, elimosynas facite; ex ipsis peccata vestra redimite, ut scriptum est: *Elimosyna a morte liberat, & ipsa purgat peccata.* Qui est dives, & multum habet, multum donet, ut scriptum est: Cui plus creditur, plus ab eo exigitur. Et Apostolus; *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus*, hoc est victum & vestitum rationale, quantum necesse est, non quantum mala cupiditas quærit. Quod superest, in elimosynam necesse est propter vitam æternam donare. Et qui est pauperior, juxta quod potest, parvum donat: quia & vidua paupera pro duos nummos plusquam divites à Domino conlaudata est: & de calice aquæ frigidæ mercedem non perdere Dominus promisit. Et qui res non habet, unde elimosynam faciat; habeat bonam voluntatem: ipsa bona voluntas pro facto reputabitur.

Quando ad ecclesiam convenitis, pauperibus secundum vires vestras aut argentum, aut aliud aliquid porrigite. Incensum, cereolos, & oleum in luminaribus ecclesiæ, juxta quod prævaletis, ibidem date: quia Dominus ait, *Non apparebitis in conspectu meo vacui.* Oblationes, quæ in altario consecrantur offerte: & inde post pœnitentiam actam & reconciliationem secundum consilium Sacerdotis communicate. Et ante plures dies etiam à proprias uxores vestras abstinete, ut sic cum mundo corde sanctum Sacrificium accipere possitis. Sacerdotibus vestris honorem impendite, & eis secundum Deum obedite, ut Dominus ait: *Qui vos audit, me audit.*

Filius & filia honoret patrem suum & matrem suam: similiter & omnes Christiani vos invicem honorate, ut scriptum est: *Honorem invicem prævenientes.* Esurientibus date manducare, sitientibus bibere. Hospites, præcipuè pauperes & peregrinos, colligite in domibus vestris: humanitatem illis impendite, pedes illorum lavate. Nudos vestite, in tribulatione subvenite, indolentes consolate, infirmos visitate, mortuos sepelite, in carcere requirite, & de bonis vestris eis ministrate. Viduas & orphanos in tribulationes eorum adjuvate; pauperes & omnes oppressos à pravis hominibus, vel de iniqua judicia, & quantum potestis, adjutorium præstate. Judicium rectum semper & justitiam conservate; misericordiam in omnibus facite. Pacem cum omnibus, & ipsi in vobis habete; & eos qui discordes sunt, ad concordiam revocate.

Symbolum & orationem Dominicam & ipsi tenete, & filios & filias vestras docete, ut & ipsi teneant. Filios quos ex fonte suscipistis in Baptismo, scitote vos fidejussores pro eis apud Deum existitisse: & ideo eos docete semper, & corripite, & illos omnes subditos vestros, ut sobriè, & castè, & justè vivant sæpiùs admonete atque corrigite statim. Ex corde & ore proferte veritatem, castitatem & continentiam tenete; sobrietatem & parcitatem de potu & cibo haberote; jejunium amate; seniores honorate: juniores vestros in Christi amore spiritualiter diligite, & patientes estote ad omnes. Benefacite his qui vos oderunt. Caritas & gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, spes, fides, modestia, mansuetudo, continentia, castitas, dilectio sit in vobis: & hoc in bonis cogitationibus & eloquiis & sacris operibus conservate. Humilitatem tenete, omnia custodite, totam spem vestram in Domino ponite; bonum aliquid in vos cum videritis, ad Dei gloriam reputate, qui vobis hoc dedit, non ad vestram laudem. Et malum in vos cum videritis, vestræ culpæ & negligentiis vestris hoc sciatis à vobis factum. Timete diem judicii; expavescite gehennam; desiderate vitam æternam; cogitationes & verba seu opera vestra diu noctuque semper in bonum custodite. Transitum vestrum de hoc mundo, qui semper adpropinquat omni die sperate. Præcepta Dei factis quotidie adimplete, & de Dei misericordia numquam desperetis; & quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat: & prout vultis ut faciant vobis homines bona, & vos facite illis similiter. Caritatem autem, quæ est dilectio Dei & proximi, in omnibus conservate.

Nemo se circumveniat, fratres, quia omnis homo qui post baptismum mortalia crimina committit, homicidium & adulterium, fornicationem,

furtum,

furtum, falsum testimonium, perjurium, ebrietatem, vel his similia mortalia crimina perpetrarus fuerit, si pænitentiam non egerit, & eleemosynas justas non fecerit, & in bonis operibus non perseveraverit, numquam intrabit in regno Dei, nec possidebit gloriam æternam; sed cum diabulo descendet in inferno, quia Apostolus dicit: *Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.* Proinde scriptum est. » Nequaquam Deus delinquentibus parcit, quoniam » peccatorem aut flagello temporale ad purgationem » ferit, aut æterno judicio puniendum relinquit, » aut ipse in se homo quod male commisit, puniendo purgat. Ita proinde est quod Deus delinquenti » non parcet. « Et alibi scriptum est: » Nulla peccata » multa dimittit Deus, hoc est sine vindicta: « quia certè aut nos hic vindicabimus peccata nostra per pænitentiam; aut vindicat illa Deus per severitatem judicii. Et illud certissimè credite, quod omnis homo, quamvis peccator, quamvis criminosus fuisset, quanta mala perpetrasset; si veram pænitentiam egerit, & eleemosynas justas fecerit, & in bona devotione cum operibus justis mors illum invenerit; numquam descendit infernum, sed ab Angelis elevatur in cælum, & gloriam possidebit æternam. Unde Dominus dixit: *Non judicabitur homo bis in idipsum.* & Apostolus dicit: *Si nos judicaremus, utique à Domino non rejudicaremur*, hoc est ut ille qui hic in præsentem vitam seipsum per pænitentiam judicat, ad judicium iterum non rejudicabitur, qui hic in præsente vita terminabit. Unde scriptum est: » Quod si nos perfectè pænitentiam agimus, non solum nostras culpas Deus dimittit, sed post culpas « præmia promittit. «

Ideo, Fratres, festinemus jam emendare vitam nostram, ut quidquid male contra Dei præceptum fecimus, defleamus & emendemus, & ulterius non peccemus; & conservemus nos in bona voluntate & cogitatione recta cum verbis & operibus sanctis, auxiliante & gubernante Domino nostro Jesu-Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.

ADNOTATIO.

Superior libellus, in modum parænetici sermonis contextus, exstat in vetertimo codice Einsidlensi, ex quo eum religiosus vir Placidus Redingus, rogatu nostro describi curavit. Pirminius Abbas ejus auctor in fronte libelli scribitur. Hunc non dubito esse celebrem illum monasteriorum conditorem Pirminium Abbatem, qui & ipse Episcopus seu Chorepiscopus fuit. Hinc ratio condendi has paræneses, quæ etsi rudi stilo scriptæ, disciplinam tamen illius temporis nobis repræsentant, præsertim usum ac necessitatem Confessionis ac pænitentiæ ante sacram Communionem. Cetera diligens lector facilè observabit. Pirminii Acta retulimus ad annum DCC LVIII. ad quem pervenisse videtur, atque inter sanctos relatus.

CAROLI MAGNI

PRÆFATIO.

In Homiliarium Pauli Diaconi, Monachi Casinensis.

KAROLUS Dei fretus auxilio Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, religiosis Lectoribus nostræ ditioni subjectis. Cùm nos divina semper domi orisque clementia sive in bellorum eventibus, sine in pacis tranquillitate custodiat, etsi quidquam rependere ejus beneficiis tenuitas humana non prævalet; tamen quia est inæstimabilis misericordiæ Deus noster, devotas suæ servituti benignè approbat voluntates. Igitur quia curæ nobis est ut Ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam pæne majorum nostrorum desidia reparare vigilanti studio litterarum satagimus officinam, & ad pernoscenda sacrorum * librorum studia nostro etiam quos possumus invitamus exemplo. Inter quæ jampridem universos veteris ac novi Testamenti libros librariorum imperitiâ depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examussim correximus. Accensi præterea venerandæ memoriæ PIPPINI genitoris nostri exemplis, qui totas Galliarum Ecclesias suo studio Romanæ traditionis cantibus decoravit; nos nihilo minùs solerti easdem curamus intuitu præcipuarum insignire serie lectionum. Denique quia ad nocturnale officium compilatas quorumdam casso labore, licèt recto intuitu, minùs tamen idoneè reperimus lectiones: quippe quæ & sine auctorum suorum vocabulis essent positæ, & infinitis vitiorum anfractibus scaterent; non sumus passi nostris diebus in divinis lectionibus sacrorum officiorum inconsonantes perstrepere solœcismos, atque earumdem lectionum in melius reformare tramitem, mentem intendimus: idque opus PAULO Diacono familiari nostro elimandum injunximus, scilicet ut studiosè catholicorum Patrum * dicta percurrens, veluti florentissimis eorum pratis certos quosque flosculos legeret, & in unum quæque essent utilia, quasi sertum aptaret. Qui nostræ celsitudini devotè parere desiderans, tractatus atque sermones & homelias diversorum catholicorum Patrum perlegens, & optima quæque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum congruentes cuique festivitati distinctè & absque vitiis nobis obtulit lectiones. Quarum omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra etiam auctoritate eadem constabilivimus, vestræque religioni in Christi Ecclesiis tradimus ad legendum.

* *al.* studia liberalium artium.

* *al.* tractatus atque sermones diversorum Catholicorum Patrum.

PAULUS DIACONUS.	CAROLE Princeps,
Utere felix	Atque togate
Munere Christi	Arbiter orbis,
Pluribus annis,	Dardanidæque
Luxque, Decusque	Gloria gentis.
Magne tuorum	

EXPLICIT PROLOGUS KAROLI REGIS.

OPUS PRÆCLARUM OMNIUM HOMILIARUM ET POSTILLARUM VENERABILIUM AC EGREGIORUM DOCTORUM GREGORII, AUGUSTINI, HIERONYMI, AMBROSII, BEDÆ, HERICI, LEONIS, MAXIMI, JOANNIS EPISCOPI, ATQUE ORIGENIS, INTEGRALITER DE TEMPORE ET DE SANCTIS PER TOTIUS ANNI CIRCULUM, CUM QUIBUSDAM SO-

RUM SPARSIM INTERPOSITIS SARMONIBUS, HINC INDE SUIS LOCIS COLLECTIS AT COAPTATIS TEMPORIBUS, IN PARTEM HIEMALEM AC ÆSTIVALEM DIVISUM, INCIPIT FELICITER.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS DOMINI.

LECTIO sancti Evangelii secundùm Matthæum XXI. In illo tempore cùm appropinquasset Jesus Hierusalem, & venisset Bethphage ad muntem Oliveti, *&c. usque ad* pullum cum ea, & reliqua. Homilia beati Joannis Episcopi.

Puto res ipsa exigit ut quæramus. Frequenter quidem Jesus venit in Hierusalem, sicut Joannes testatur, numquam tamen sibi adscivit ministeria jumentorum: nec ramorum virentia circa se ornamenta constituit, &c.

DOMINICA SECUNDA.

SECUNDUM Lucam XXI. In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Erunt signa in sole & luna, *&c. usque* universo orbi. Homilia beati Gregorii Papæ habita in basilica sancti Petri.

Dominus ac Redemptor noster paratus nos invenire desideraos, &c.

INCIPIT COMMUNE SANCTORUM.

De Apostolis.

Sermo Fulgentii Episcopi.

DELECTAT tantorum tractare margaritas Sanctorum, delectat gemmas intueri dulcium piscatorum, nec modus, &c.

ADNOTATIO.

EPistolam hanc visum est edere, ut pote lectu dignam, & nonnulla continentem, quæ multorum, ut puto, notitiam fugiunt. Etsi enim cum Pauli Diaconi Homiliario typis edita est Spiræ apud Petrum *Drach* juniorem anno MCCCCLXXXII. & Coloniæ apud Matthæum Cholinum anno MDLVII. tamen quia rariores sunt ejusmodi editiones, operæ pretium existimavi hîc recudere pretiosum istud antiquitatis monumentum. Humiliarium hoc ab Alcuino adornatum elimavit, ac in duo volumina distribuit Paulus Diaconus Monachus Casinensis, uti Carolus in fine epistolæ testatur. Huc spectare crediderim Ansegisi Abbatis Fontanellensis testamentum, legantis Monasterio suo *Collectaneos duos super anni circulo, Pauli Diaconi volumina duo.* Insertæ sunt tamen humiliæ quædam à posteris, nempe Herici Monachi Autissiodorensis, quem mortuo Paulo floruisse constat, regnante Carolo Calvo. De Herico infrà in Poëticis.

EJUSDEM EPISTOLA

Ex Bibliotheca Augiensi.

De gratiâ septiformis Spiritûs.

KAROLUS divina misericordia Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, HILTIBALDO*, MAGINHARTO*, AGINO*, GERHOHO*, HARTRICHO*, sanctis Episcopis. Gratias agimus sanctitati vestræ, quia ad familiariter à nobis interrogata familiare nobis responsum dare voluistis: & quæ caritatis instinctu vestræ dilectioni fuere proposita, eadem dictante caritate, juxta quod vobis visum est, sunt nobis absque retractatione soluta. Sed ipsius quæ à vestra sanctitate nobis data est, responsionis ordo videndus, & apud vestram dilectionem intimi in ea sensus medulla perquirenda, ut & qualitas nostræ interrogationis appareat, & modus vestræ responsionis patentiùs elucescat. Sancti etenim Patres, qui, ut veteris testamenti serie legitur, ab initio Deo placentes hanc ultimam, sed Christi adventu felicissimam sæculi ætatem probitate morum & meritorum multiplicitate præcellerunt, sancti Spiritus gratiam absque ulla ambiguitate & accepisse, & habuisse credendi sunt. Quis enim umquam placuit Deo carens sancti Spiritus dono?

* Coloniensi. * Rotomagensi. * Bergomensi. * Eisterensi. * Tolosano.

Sed, ut vestræ responsionis textu continetur, eadem sancti Spiritus dona singula singulos sanctorum habuisse, & in Christo cuncta pleniter inhabitasse cognovimus. quæ ut firma veritatis ratione subnixa probamus: sed nequaquam arbitramur quemlibet sanctorum Patrum unius singularitate doni fuisse contentum, cùm hoc fieri non posse de ipsarum vocabulis gratiarum facillimè possit adverti. Sapientia enim & intellectus adeo sibi naturalitatis nexu conjuncta sunt, ut unum sine altero nullo pacto subsistere queat. Quomodo enim sapit qui non intellegit? vel quomodo potest intellegere, quem constat non sapere? Sapientiâ sive intellectu privatus quis umquam consilium vel sibi habuisse, vel alio* dedisse repertus est? Nam luce clarius constat, consilium nonnisi sapientium esse. Fortitudinem verò si consilio careat, fortitudinem esse putandum non est, cum omnia inconsultè gesta fortiva potiùs quàm fortia soleant nominari. Scientiam in quoquam sine sapientia & intellectu consistere posse valde est incredibile. Quid enim potest scire, qui nihil valet intellegere? Jam pietas & timor Dei qua arte sibi copulata sint, qui seipsum explorat facile cognoscit: quia nemo pius est, nisi qui judicium Dei timendo, in se peccanti dimittit proximo.

* alii.

Hæc septem sancti Spiritus dona sicut in sanctis Patribus fuisse singula, sic in Christo adunata omnia non est mirum. Quid enim illi ex omnibus bonis deesse potuit, qui omnia bona simul cum Patre creavit? Numquid magnum est si hæc in Christo mansisse dicantur, in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitare cognoscitur? Numquid magnum est, si ea quasi pro munere adscribas Domino, quæ diligenter considerans invenies in servo? Numquid his tantùm donis potest sublimari Dominus, quibus carens non est bonus servus? Absit ut his tantum gloriam ejus dicamus consummatam, cujus magnificentiam supra omne quod dicitur aut nominatur, sive in cælo, sive in terra credimus sublevatam? Neque enim sensus comprehendere, aut sermo poterit explicare, quæ & qualia, vel quanta sint quæ ejus debeant adscribi gloriæ, qui cum Patre & Spiritusancto vivit & regnat Deus sine fine. Sed ideo hæc & in Patribus singula, & in Christo simul omnia

non miramur, quia in discipulis ejus per singulos singula computari, & in Petro simul omnia possunt inveniri. Quamquam eadem in Christo longe aliter quàm in cæteris sanctis fuisse credenda sint. Nam sanctorum cuique pro varietate voluntatum quibus fragilitas humana non caret, nunc hoc, nunc illud donum accedendo vel recedendo aut adesse, aut abesse cognoscitur: Christo verò qui est Dei virtus & Dei sapientia, cuncta sancti Spiritus charismata semel veniendo accesserunt, & in eo numquam recedenda permanserunt.

Sed quid hæc de Patriarchis & Apostolis dicimus? cùm neque nunc diffidendum sit plures cotidie intra sanctæ matris Ecclesiæ sinum posse reperiri, qui vel singulis, vel pluribus sancti Spiritus donis sint ditati. Verax enim est qui in se confidentibus præsentiam suam usque ad consummationem sæculi promisit non defuturam, quo & nobiscum & in nobis semper manente, nequaquam sancto septiformis gratiæ Spiritu carebimus, qui cunctorum largitorem bonorum credendo & bene faciendo possidemus. Spiritu etenim sapientiæ regitur, qui fidem sanctæ & individuæ Trinitatis tam ad sui, quàm aliorum profectum ediscere nititur: ut per haec & hæreticis resistere, & suos valeat confirmare. Spiritum intellectus tenet, qui divina præcepta audiens, quàm necessaria sit eorum cognitio sensu cordis percipit, & juxta beatum Jacobum, *non obliviosus auditor factus*, sed operator strenuus, ea quæ intellexit mandata, studet ut à se fiant quàm integerrime custodita. Spiritu consilii viget, qui in cunctis quæ agere disponit, an hæc Deo sint placitura precogitat: melius existimans quæ & qualiter agenda sunt prius tacite considerare, quàm aliquid inconsultè inchoare, unde eum pœnitentia cogat ab incœpto desistere. Fortitudinis spiritum habet, quicumque diabolo & membris ejus, hæreticis scilicet, fidei scuto ac verbi Dei gladio armatus resistere studet, & contra vitia quibus suggestu diaboli hæc mortalis vita cotidie maculatur, quasi contra inimici jacula fortitudinis armatur. Nam spiritum scæntiæ possidet, quisquis Dominici memor præcepti simplicitatem columbæ & prudentiam serpentis habet: quique inter consimilia dijudicans, scit reprobare malum, & eligere bonum. Sæpe enim mixta bonis mala inveniuntur, quæ nisi scientia difficulter discernuntur. Spiritum verò pietatis illi inesse dicimus, qui dominica præcepta non oblitus, in se delinquenti dimittit proximo: & non tantum in alios, sed etiam in semetipsum justam exercet pietatem. quia probus quisque cavere debet, ne dum suo debitori dimittendo malum existit pius, sua non tribuendo in semetipso existat impius. Spiritu autem timoris Domini illum dicimus adimpletum, qui judicium Dei timens, non tam delectatione regni cœlestis bona facere studet, quàm timore gehennæ mala perpetrare non audet: & sic gaudet de promissione perpetuæ vitæ, ut non minùs timeat de supplicio perennis pœnæ. atque hoc spiritu compunctus devertat à malo, & faciat bonum.

Hunc sanctum septiformis gratiæ Spiritum & in Patribus & in Apostolis fuisse, & nunc in sanctæ matris Ecclesiæ filios, qui in Christo cotidie in augmentum populi sui renascuntur, divino munere credimus inspirari. In Christo verò, ut prædiximus, hæc talia non miramur, cujus immensitatem gloriæ humana mens non valet enarrare. Quæ dona qualiter in illo sint, quo nullo modo explicare valemus, restat ut nobis ea donanti laudes dicamus.

Christe salus mundi, sanctorum gloria perpes,
Sit tibi laus & honor semper in arce poli.

Item de gratia septiformis Spiritus.

SPiritus sapientiæ fuit in Petro, quando relictis retibus & navi secutus est Dominum. Spiritum intellectus habuit, quando Domino interrogante, quem homines esse dicerent filium hominis? Christum filium Dei vivi esse & intellexit, & respondit. Spiritus consilii erat in illo, quando Simoni pecuniam offerenti, sancti Spiritus gratiam vendere nolens, ipsum Simonem cum pecunia sua in perditionem ire jussit. Spiritum fortitudinis habuit, quando exempto gladio auriculam Maleo abstulit. Spiritum scientiæ possedit, cùm cæteris discipulis in navi dubitantibus Dominum esse cognovit. Spiritus pietatis cum illo erat, quando Dominum quousque fratri in se peccanti dimittere debuisset interrogavit. Spiritu timoris Domini plenus erat, quando viso piscium miraculo consternatus, ad Dominum dicebat: Exi à me Domine, quia homo peccator sum ego.

Item aliter.

SPiritus sapientiæ fuit in Andrea, fuit & in filiis Zebedæi, quando similiter ut Petrus relictis retibus & navi secuti sunt Dominum. Spiritus intellectus fuit in Thoma, quando palpatis vulneribus dominicis, ipsum Deum & Dominum suum & intellexit, & professus est. Spiritus consilii erat in cunctis discipulis, quando futurorum curiosi, Dominum de fine mundi consulebant. Spiritum fortitudinis omnibus discipulis adfuisse nemo negat, nisi qui eos pro Christi nomine mortem pati noluisse confirmat. Spiritus scientiæ erat in Joanne, qui tam distinctè de divinitate & humanitate Salvatoris in principio Evangelii sui disseruit, & non minùs discretè de septem tonitruis in Apocalypsi, quæ silenda, quæque fuissent loquenda, conscripsit. Spiritus pietatis fuit in Stephano, qui in ipso mortis articulo pro persecutoribus suis exoravit. Spiritus timoris Domini fuit in omnibus Apostolis: quia non solùm bona faciebant, sed etiam propter amorem Dei mala facere non audebant.

Explicit explanatio de gratia septiformis Spiritus.

EJUSDEM EPISTOLA
AD ODILBERTUM ARCHIEPISCOPUM.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. CAROLUS serenissimus Augustus à Domino coronatus, magnus, pacificus Imperator, gubernans Imperium quidem, & misericordiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ODILBARTO Archiepiscopo, in Domino salutem.

SÆPIUS tecum, immo & cum cæteris collegis tuis, familiare colloquium de utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ habere voluissemus, si absque molestia corporali id efficere potuissemus. Sed quamvis sanctitatem tuam in divinis rebus tota intentione vigilare non ignoremus; omittere tamen non possumus, quin tuam devotionem sancto incitante Spiritu nostris apicibus compellamus, atque commoneamus, ut magis ac magis in sancta Dei Ecclesia studiosè ac vi-

gilanti cura laborare studeas in prædicatione sancta & doctrina salutari: quatenus per tuam devotissimam sollertiam verbum vitæ æternæ crescat & currat, & multiplicetur numerus populi Christiani in laudem & gloriam Salvatoris nostri Dei. Nosse itaque per tua scripta aut per teipsum volumus, qualiter & tu, & Suffraganei tui doceatis & instruatis Sacerdotes Dei & plebem vobis commissam de baptismo Sacramento, id est cur primò infans cathecumenus efficitur, vel quid sit cathecumenus: deinde per ordinem omnia quæ aguntur. De scrutinio, quid sit scrutinium. De Symbolo, quæ sit ejus interpretatio secundùm Latinos. De credulitate, quomodo credendum sit in Dominum Patrem omnipotentem, & in JESUM-CHRISTUM Filium ejus, & in Spiritum sanctum; sanctam Ecclesiam Catholicam, & cætera quæ sequuntur in eodem Symbolo. De abrenunciatione Satanæ & omnibus operibus ejus & pompis. Quid sit abrenunciatio, & quæ opera ejus diaboli & pompæ. Cur insufflatur & cur exorcizatur. Cur cathecumenus accipit salem. Quare tangantur nares, pectus ungatur oleo; cur scapulæ signantur, & quare pectus & scapulæ lavantur. Cur albis induitur vestimentis; cur sacro chrismate caput perungitur; & mystico tegitur velamine, & cur corpore & sanguine dominico confirmatur. Hæc omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nunciare satage; & si ita teneas & prædices, aut si in hoc quod prædicas te ipsum custodias. Bene vale, & ora pro nobis.

ADNOTATIO.

HÆc Epistola Odilberto Mediolanensi Archiepiscopo inscripta, ex Mettensi codice eruta per religiosum virum Placidum Beuvillonium Congregationis sancti Vitoni, exemplum est litterarum encyclicarum, quas Carolus Magnus universis Episcopis Imperio suo subjectis direxit, ut quid de Baptismo ejusque ritibus ac cæremoniis sentirent, eorum scriptis certior efficeretur. Hinc est quòd Magnus Senonum Archiepiscopus his litteris pulsatus, Theodulfum Aurelianensem Antistitem impulit ad scribendum librum, *de ordine Baptismi*, quem librum Theodulfus eidem Magno dedicavit. Eodem spectat Alcuini epistola seu liber de cæremoniis Baptismi *Carolo gloriosissimo & excellentissimo Augusto* nuncupatus, cujus hoc exordium: *Domine mi Christianissime Imperator, misistis ad servulum vestrum inquisitiones secundùm vestram misericordiam de sacro Baptismate per ordinem interrogantes, &c.* quæ apprimè superiori epistolæ respondent.

Sirmundus in Notis ad Theodulfi librum superiùs laudatum duo potissimùm observat, unum, ex quatuor hujus libri exemplaribus, quæ in manus ipsius venerant, tria esse quæ ad Magnum Episcopum missum doceant librum, Virdunense, Divionense & Vaticanum: at quartum Corbeiense pro Magno Joannem habere, sed mendosè, uti opinatur. Verùm pace optimi viri existimo nullum esse mendum. Nam cùm epistola Caroli universis Galliæ Episcopis transmissa fuerit, non mirum, si ex variis ejus exemplis, unum Magno Senonensi, alterum Joanni Arelatensi Archiepiscopis inscripta sint.

Alterum est, librum de sacro Baptismate ad Carolum, qui liber exstat inter Alcuini opera, falsa conjectura quòd titulo careret, Alcuino adscriptum fuisse, cum auctor re vera sit Amalarius Episcopus Treverensis, inquit Sirmundus, quod ex codice Petaviano se didicisse ait. Certè quæ sub ejus libri finem leguntur, Episcopo rectè, non verò Alcuino conveniunt.

Ex Bibliothecâ Angiensi.

ODILBERTI ARCHIEPISCOPI
RESPONSIO AD CAROLUM M.

DOmino Christianissimo & à Deo conservato KAROLO, invictissimo atque piissimo Imperatori, ODILBERTUS servus servorum Dei, sanctæ vestræ Mediolanensis ecclesiæ Archiepiscopus & orator vester, perennem in Christo Domino salutem. Igitur immensæ omnipotentis Dei nostri misericordiæ sine intermissione omnibus nobis peragendæ sunt gratiæ, quæ vos in tam sublimissimam dignitatem collocavit imperii: simulque provolutis genibus omnes ejusdem Redemptoris nostri supplicamus clementiam, ut vitam vestram atque incolumitatem per multorum annorum curricula ad profectum omnium ecclesiarum Dei, sive & fidelium populorum vobis à Deo commissorum conservare dignetur. quia in vestra tranquillitate salutem nostrorum omnium adesse cognoscimus atque tenemus, qui vos sollicitudinem habentes orthodoxæ Fidei magis præ ceteris omnibus, qui ante vos Christiani Imperatores in universo mundo fuerunt devotione quique & divino zelo commoti, id est Constantinus, Theodosius Major, Martianus, & Justinianus. Hi omnes ut Christianum populum ab omni erroris macula liberarent, divinitus inspirati, quæ Domini Sacerdotes diffiniebant, illa tantum principalis auctoritas confirmabat. Quorum vos meritis & scientia præcellentes, David sanctum imitantes, qui se pro populi salute in typo nostri exhibuit Redemptoris. cujus vos strenuus cultor pro credulitate rectæ Fidei divino amore accensi de Domino nostro Jesu-Christo Dei omnipotentis filio per omnia & super omnia, qui cum sit splendor gloriæ & imago substantiæ ejus & candor lucis æternæ, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, semetipsum exinanivit, & juxta apostolicam auctoritatem vel cetera quæ sequuntur, exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. cujus abluens peccati contagium, pretioso sanguine suo redemptioni nostræ tribuens sacramenta, & peractum mysterium post ascensionem suam, qua ad Patrem ascendit, apostolica traditione nos confirmat, quam fidei integritatem universis gentibus Apostoli prædicaverunt, ut nullis ventorum flatibus & ictibus adversantium conquassetur Ecclesia Christi, sed in vero atque perpetuo fundamine permanendo constabilita persistat. Sic & nos confirmati Sanctorum Patrum spiritualibus instrumentis, & corroborati inviolata fide & illibata, de credulitate Patris & Filii & Spiritus-sancti rectam fidem credimus atque tenemus.

Sed quid religioso convenit Principi, ut super omnes polleat adversos, nisi de bonis sit semper sollicitus libenter operibus? quod vestra sincera pietas summo amplectitur studio, ut neque in qualibet

parte Eccleſia Dei vulnerum maculis torpeat, aut in ea ſanies ignorantiæ creſcendo ebulliat: ſed quod magis veſtris feliciſſimis temporibus ſacerdotum Dei corda accenſa ad ſollicitudinem evigilando vera & recta cuſtodia perſeverent, & vos pro tanti veſtri laboris certamine æterna præmia à Domino conſequi valeatis. Sed ne aliquem noſtrum exiſtimemus, qui verbis eloqui atque cogitatione capere poſſit, ut putet ſe omnia myſteria cæleſtia liquidò comprehenſa tenere. Suſcipientes nos itaque epiſtolam à pietate veſtri imperii nobis emiſſam, qua perlecta redolentiam ſenſimus nectaris ſuaviſſimi nimio fragrante odore; multimodas Deo noſtro gratias referentes, qui in corda veſtra inſpirare dignatus eſt pro ſtatu Eccleſiæ ſuæ: quod à clementia veſtra commoniti, rationem veræ Fidei, & quæque per ordinem gerimus atque docemus, à nobis cognoſcere debeatis. Itaque etſi ad id, quod dominatio veſtra flagitat, pleniùs à nobis ipſis nequimus reſponſa proponi; oportet tamen ut quanto pauperiores nos cognoſcimus eſſe in noſtris reſponſis, tanto magis in ſcripturis ſanctis convenit fieri devotiores: ut qui propriis ſermonibus minores ſumus in dicendo, ſanctorum quoque teſtimoniis adcreſcere valeamus, & de eruditiſſimorum labore, qui nihil in ſcripturis divinis obſcurum reliquerunt vel clauſum, quod ad veram non perducerent claritatem, & Davidicam clavem acceperunt ut aperirent nobis, etiam tribuendo proficerent in ſalutem, & labor ſanctorum nos inertes ſecuriores & paratos faceret ad danda reſponſa. Hæc nos verò non per prolixitatem verborum ſcribendi compendioſè tritavimus, ſed valde ſubjecti per humilitatem veram pietati veſtræ conſtringentes breviter perſcripſimus, currentes per ſanctorum Patrum exempla ad ſignificandum digniſſimæ * præſentiæ veſtræ, quæ velut mirificis floribus ex nimio rutilat ornata fragranti odore, auri ac pretioſarum devincens gemmarum, creſcente vobiſcum tate & ſapientia, & adeſſe ſemper tenemus: à quo veluti vivo fonte, & ad inſtar fluminis, ad ſingulorum irriganda corda dulcedine nimia profluente, mellis & butyri emanante longe lateque decurrens, telluris ariditatem perfuſione ſui implet. Unde petimus, ut dulcia nobis dona magnifici eloquii veſtri tribuatis: ſed ſicut ſolis radii mundum illuminans; ita ſcientia noſtra ſanctæ veſtræ doctrinæ dono circumfuſa fulgeſcat. quia quod nobis adipiſcendum pro noſtra inquiſitione laborioſum eſſe conſpicimus, vos verò pleniùs diſpenſatione Dei, ſancto affluente in viſceribus veſtris Spiritu, manifeſtare & aperire ſacramenta divina valetis. Dominus omnipotens prolixa per tempora gloriam imperii veſtri incolumen conſervare dignetur, amen.

* f. prudentiæ.

INCIPIT LIBER DE BAPTISMO.

Caput. I. *De Baptiſmi præcepto in Evangelio.*
Ite, inquit Jeſus diſcipulis ſuis, docete omnes gentes, &c.

II. *De interpretatione Baptiſmi. Iſidorus.*
Iſidorus inquit in Etymologiarum: Baptiſmum, inquit, græce, &c.

III. *De Sacramento Baptiſmi, quod ſit in verbo & aqua. Ambroſius.*
Quid enim aliud eſt, &c.

IV. *De Catechuminis, & Exorciſmis. Iſidorus.*
Catechumini ſunt, qui primum de gentilitate veniunt, &c.

V. *De ſufflatione & exſufflatione. Cæleſtinus Papa.*
Cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis, &c.

VI. *De ſalis acceptione. Iſidorus.*
Sal autem in miniſterio catechuminis à Patribus eſt inſtitutum, &c.

VII. *De Competentibus. Iſidorus.*
Poſt catechuminum enim ſecundus Competentium gradus eſt, &c.

VIII. *De ſcrutinio ſancti Iſidori.*
Fiunt enim ſcrutinia ut explorentur in eadem doctrina, &c.

IX. *De catecheſi vel ſymboli traditione. Joannes.*
Catecheſis græce, inſtructio. Inſtruitur enim eccleſiaſtico myſterio, &c.

X. *De tactu cum ſputo. Gregorius.*
Per ſalivam itaque, quæ de capite in nos labitur, ſempiternæ contemplationis irrigatio, &c.

XI. *De tactu aurium. Joannes.*
Ideo tanguntur aures eorum, quia per eas ad intellectum, &c: *item Ambroſius.* Aures à ſacerdote tanguntur, ut aperiantur ad ſermonem, &c.

XII. *De tactu naris. Joannes.*
Cum verò tanguntur nares eorum, admonentur, ut quamdiu ſpiritum naribus, &c. *Ambroſius.* Nares autem tangere eſt, ut bonum odorem accipiant, &c.

XIII. *De unctione pectoris & ſcapulæ. Joannes.*
Pectus eorum oleo conſecrationis perunctum, &c.

XIV. *De Abrenuntiatione. Iſidorus.*
Duæ ſunt quippe pactiones, &c.

XV. *Utrum pueri per ſe Confeſſionem faciant. Iſidorus.*

XVI. *De Trina merſione. Joannes.*
Nam qui in Trinitatis nomine baptizandus accedit, &c.

XVII. *De unctione Chriſmatis. Joannes.*
Sumptis dehinc veſtibus albis, &c.

XVIII. *De linteolo. Joannes.*
Ad imaginem quippe ſacerdotii, &c.

XIX. *De albis veſtibus, idem.*
Cuncti renati albis veſtibus, &c.

XX. *De communicatione corporis Chriſti.*
Dignum omnino eſt, &c.

XXI. *De impoſitione manus Pontificis. Iſidorus.*
Manus impoſitio, &c.

XXII. *De pedum nuditate. Joannes.*
Hi etiam nudis pedibus...... nihil poteſt inveniri nocivum.



LEIDARDI EPISCOPI LUGDUNENSIS

LIBER

DE SACRAMENTO BAPTISMI,

Ad Karolum Magnum Imperatorem.

DOmino Christianissimo & gloriosissimo Karolo Imperatori, felicissimo Augusto. Præcipere nobis dignati estis, ut aut per nostra scripta, aut per nos ipsos cognosceatis, qualiter nos & suffraganei nostri doceamus & instruamus sacerdotes Dei & plebem nobis commissam de Baptismi sacramento & ceteris quæ circa Baptismum celebrantur. Deinde si in hoc quod prædicamus, nos ipsos custodiamus. Quæ omnia sicut difficilia sunt & ardua ad cognoscendum, ita quoque perplexa & laciniosa ad innotescendum, præcipue nobis, quos & tenuitas ingenii angustat, & magnitudo rei ita opprimit, ut ante ruendum sit, quàm levandum. Sed quia ille jussit; qui nec falli potest tergiversatione, nec contemni silentio; aggrediendum est opus, & juxta facultatem virium exponendum quod in regenerationis sacramento percepimus tenendum. Quicquid autem secus quàm decet à nobis profertur, non est causa temeritatis, sed timiditatis: quia ei respondemus, ad cujus interrogationem tacere non audemus. Illi scientiam nostram offerimus, qui magis solet docere, quàm reprehendere: cujus reprehensio vita est saluberrima, ut magis quisque ex ea erudiatur, quàm confundatur; cujus eruditio ad sermonis sui consortium cunctos clementer invitat, injustè nullum deterret. Vestræ ergo constantissimæ modestiæ freti favore, in quantum adtingere de his rebus possumus, licet parum dignè possimus dicere, exponimus, quod nobis jussum fuisse à vobis advertimus, maximè verbis sanctorum Patrum ex diversis opusculis sumtis. Et priusquam ad cetera veniamus, libet pauca de his quæ ab exordio mundi ad potentiam Baptismi pertinentia præfigurata sunt, ponere, & nativitatis secundæ, immo in Christo primæ digerere sacramenta, ac deinceps de ceteris rebus tractare; maximè quia dicitis vos velle cognoscere, qualiter doceamus & instruamus plebem & sacerdotes.

CAPUT PRIMUM.

De significationibus sacri Baptismatis.

IGitur rudis mundus, necdum sole rutilante, nec pallente luna, nec astris micantibus, incompositam & indivisibilem materiam abyssorum magnitudine & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in aurigæ modum super aquas ferebatur, & nascentem mundum in figura Baptismi parturiebat. Inter cælum & terram medium exstruitur firmamentum, & juxta Hebraici sermonis etymologiam, cælum, id est Samaïm, ex aquis sortitur vocabulum, & aquæ quæ super cælos sunt in laudes Domini separantur. Unde & in Ezechiel crystallum super Cherubim videtur extensum, id est compactæ & densiores aquæ. Primum de aquis quod vivat egreditur, & pennatos fideles de terra ad cælum levat. Fabricatur homo, & inter manus Dei aquarum sacramenta versantur. Plantatur paradisus in Eden, & unus fons in quatuor principia dividitur, qui postea secundum visionem Ezechielis Prophetæ egrediens de templo, & contra solis ortum vadens, amaras aquas mortuasque vivificat. Peccat mundus, & sine aquarum diluvio non purgatur: statimque columba Spiritus-sancti expulso alite teterrimo, ita ad Noë quasi ad Christum in Jordanem devolat, & ramo refectionis ac luminis pacem orbi adnuntiat. Pharao cum exercitu suo nolens populum Domini exire de Ægypto, in typo Baptismatis suffocatur; & in psalmis de interfectione illius scribitur: *Tu confirmasti in virtute tua mare, contrivisti capita draconum in aquis.*
Psal. 73. 13.
Unde & reguli & scorpiones arentia quæque sectantur, in ara mutatur sacramento crucis, & LXX. palmæ Apostolorum dulcoratis legis gurgitibus irrigantur. Abraham & Isaac puteos fodiunt; repugnant Allophyli, & Bersabeæ civitas juramenti, regnumque Salomonis nomen sumit à fontibus. Rebecca invenitur ad puteum, Rachel propter aquas supplantatoris osculo salutatur, Moïses filias sacerdotis Madian aperto puteo ab injuria vindicat. *Vox Domini super aquas. Dominus super aquas multas. Dominus diluvium inhabitare facit.*
Psal. 28.
Dentes ejus sicut grex detonsarum ovium quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellos habentes, & sterilis non est in eis.
Cant. 4. 2. & 5. 6.
Michæas de gratia Baptismi vaticinatur: *Miserebitur nostri, demerget iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris peccata nostra.*
Mich. 7. 19.
Ezechiel ait: *Tollam vos quippe de gentibus, & congregabo vos de universis terris, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.*
Ezech. 36. 24.
Ipse salvator post Baptisma & sanctificatas suo lavacro aquas Jordanis, primum signum ex aquis facit; & qui ab aquis cœperat, finivit in aquis. Latus percutitur lanceâ, & Baptismi pariter atque Martyrii sacramenta funduntur. Post resurrectionem suam mittit discipulos in mundum universum, & dicit eis: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*
Matt. 28. 19.
& iterum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*
Marc. 116. 6.

Ex illo ergo tempore cœperunt Apostoli docere & baptizare; gentes autem credere & baptizari. Ergo qui baptizandus est, prius doceatur ut credat, id est instruatur fide, hoc est enim Catechuminum esse, id est instructum. Catechizare est instruere. Sic filii Israël antequam ad mare rubrum venirent, instructi sunt à Moïse de agni immolatione & ejus sanguine. Unde est ut is cui per sacerdotem, quasi per Moisen Deus primùm loquitur, Catechuminus, id est Audiens nominetur. Nam Catechuminum, & instructum, & audientem dicunt interpretari. Exorcizantur primùm, deinde salem accipiunt & unguntur. Exorcizare Græcè dicitur, latinè autem adjurare vel increpare. Per peccatum enim in primo homine lapsi sumus, & in mortis hereditatem omnes devenimus. Impleti sumus timoribus & erroribus merito peccati, cum quo nascimur. Ideo & parvuli exsufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret homines.

Non ergo Dei creatura in infantibus exorcizatur, vel exsufflatur: sed ille sub quo omnes cum peccato nascuntur. Est enim princeps peccatorum. Exorcismus autem est sermo increpationis & adjurationis contra immundum spiritum pro energumenis sive Catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima vis & inveterata malitia vel violata incursio expulsa fugetur. Hoc enim significavit lunaticus ille, quem increpavit Dominus Jesus, & exiit ab illo dæmonium. Potestas ergo diaboli exorcizatur & insufflatur in eu, ut ei renuncient; atque erepti à potestate tenebrarum, in regnum Domini sui per sacramentum Baptismatis transferantur.

Sal autem in ministerio Catechecumenis dandus à Patribus ideo est institutus, ut ejus gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant à sapore Christi; ne sint fatui, & retrò respiciant, sicut uxor Loth, quæ versa est in statuam salis; ut ejus signo condirentur hi, qui per fidem mundo & actibus, desiderisque ejus renunciant; ut affectionis pristinæ non recordeutur, neque ad sæculi inlecebras revertantur.
Unde Legis mandatum est, ut omne sacrificium salis
Levit. 2. 13. adjectione condiretur, dicente Legislatore: *Nec auferes sal fœderis de sacrificio Domini.* Propter quod
Marc. 9. 48. & Dominus in Evangelio ait: *Omnis victima sale sa-*
Ibid 49. *lietur.* Et in alio loco: *Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos.* Æstimant namque quidam, quod etiam apud quosdam gentilium antiqua erat consuetudo, ut qui fidelitatem Regibus promittebant, salem adjuratum vel consecratum in præsentia eorumdem Regum, quibus fidem promittebant, comederent. Unde in libro Esdræ scriptum est, quod Principes Samaritanorum regi Persarum, cum de ac-
Esdras. 4. 41. cusatione Judæorum scriberent, dixerint: *Memores sumus salis, quem in palatio comedimus.*

Differt sanè inter Catechumenos & Competentes. Catechumeni itaque sunt, qui primùm de gentilitate veniunt, & habentes voluntatem credendi in Christo, audiunt verbum fidei, sed nondum appellantur Fideles. Competentes autem sunt qui jam post doctrinam Fidei, post continentiam vitæ, gratiam Christi percipere festinant. Ideoque appellantur Competentes, id est gratiam Christi petentes. Illi petunt, & accipiunt; catechizantur, & instruuntur instructione sacramentorum: istis salutare symbolum traditur, quasi commonitorium Fidei & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales jam ad gratiam Christi exhibere se debeant. Hæc tota actio quæ super Catechumenis & Competentibus celebratur, à quibusdam Scrutinium nominatur, non ob aliud, ut putamus, nisi à scrutando,
Psal. 7. 10. juxta illud Psalmistæ: *Scrutans corda & renes Deus.* eo quod ibi scrutarentur corda credentium & dubitantium à sacerdotibus, ut intelligerent, quis ad Baptismum jam rite admitteretur, quis adhuc differretur. Juxta hoc & Dominus in Evangelio ait:
Joan. 5. 39. *Scrutamini scripturas.*

CAPUT II.

De tactu narium & aurium, ob quam causam secundùm traditionem ecclesiasticam ab omnibus catholicis Christi sacerdotibus fiat.

Introitus fidei & totius sanctæ doctrinæ ad animum per aures admittitur, & de auditu intellectus exoritur. Neque enim potest aliquis fidei sacramenta cognoscere, nisi audiat prædicantem, affirmante
Rom. 10. 17. beato Apostolo qui dicit: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Rectè ergo ejus sensus organa sanctificantur, sine quo fides ad animum non potest pervenire. Sciendum tamen, quòd de hac re in diversis regionibus diversus teneatur usus. Alii namque oleo sancto tangunt Catechumenorum aures & nares; alii verò sputo; alii absque sputo & oleo; alii etiam os tangunt oleo, ad exemplum dominicum. Unde scriptum est in Evangelio de surdo & muto:
Misit digitos suos in auriculas ejus. Sed sive tactu Marc. 7. 33.
olei, sive aliter, ideo sanctificantur aures, ut venturi ad Baptismum ab omni malo & turpi verbo aures suas
impollutas custodiant, sicut scriptum est: *Sepi aures* Eccli. 28. 28.
tuas spinis, & noli audire linguam nequam. & rursus:
Da in disciplinam cor tuum, & para aurem tuam ver- Ibid. 2. 2.
bis prudentiæ. Ergo sanctificatio aurium significat, ut omnes extra disciplinam sermones, quasi doctrinæ Christi obloquentes, aversentur fideles ac fugiant, seque ad sola Dei verba audienda convertant: quia auditum suum Christi eloquiis consecrarunt. Nares quoque simili tactu sanctificantur, ut hi qui ad Baptismum veniunt, admoneantur tanti mysterii sacramentum usque ad mortem inviolatum atque integrum custodire: ut quandiu spiritum vitæ hujus naribus suis adtrahunt, à Christi Domini nostri cultura & servitio non recedant. Unde & Job vir sanctus
loquitur: *Donec superest halitus in me & spiritus* Job 27. 3. & 4.
Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea loquetur mendacium. Sed adhuc subtilior intellectus in hac narium sanctificatione signatur. Ille enim tactus ad odoratum fideles provocat spiritalem, ut non corporis, sed mentis sensibus Christum inæstimabili suavitate sentire pos-
sint, & dicere ei: *Post te in odorem unguentorum* Cant. 1. 3.
tuorum curremus. Hunc odorem commendat Apo-
stolus Christianis, cum dicit: *Deo autem gratias,* 2. Cor. 2. 14.
qui triumphat nos in Christo Jesu, & odorem noti- & 15.
tiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo. Debent ergo fideles ita vivere, ut suavissimus ad Deum odor ex eorum vitæ sanctitate conscendat.

Unguntur etiam nunc Catechumeni in pectore & inter scapulas oleo exorcizato, cum abrenunciant satanæ & operibus ac pompis ejus. Quod ideo fieri arbitramur, ut habitaculum cordis ante & retro signetur, quo signo diabolus auctor perfidiæ pellatur, & Christus largitor fidei & caritatis ingrediatur. Nam cor hominis est sedes erroris & vitiorum, cùm à diabolo possidetur: & ipsum efficitur habitaculum fidei, spei, & caritatis, cùm à Christo defenditur, & inlu-
stratur. Sicut enim scriptum est, *De corde exeunt* Matt. 15. 19.
cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homi-
cidia, & cetera: ita scriptum est, *Corde creditur ad* Rom. 10. 10.
justitiam, & , *diliges Dominum Deum tuum ex to-* Matt. 22. 37.
to corde. Bene ergo in abrenunciatione diaboli unguntur corda catechumenorum, ut recedat ab eis cum omnibus operibus & pompis ejus.

CAPUT III.

De abrenunciatione Satanæ: vel quæ sint opera ejus, & pompæ.

Abrenunciatio est abdicatio & repudiatio, & cum dicimus: *Abrenuncias satanæ?* quid aliud dicimus, nisi resistis diabolo? sicut Apostolus ait:
Resistite diabolo, & fugiet à vobis, ut sequatur, Jac. 4. 7.
Adpropinquate Deo & adpropinquabit vobis. Resistendum est autem diabolo: spernenda sunt opera ejus, abdicandæ pompæ, ut non inveniat unde dominetur nobis, sed excludatur de cordibus catechumenorum, ut mundetur domus conscientiæ; mundetur autem domus, ut Christus introiens eam, mundam inveniat. In hac professione abrenunciationis, non hominibus, sed Deo & Angelis ejus conscribentibus dicitur: *Abrenuncio.* Abrenunciandum est

non solùm vocibus, sed etiam moribus; non tantùm sono linguæ, sed & actu vitæ. Postquam autem homo renunciando diabulo exclusit pessimum invasorem, introducat optimum possessorem. Differt tamen inter opera & pompas. Opera enim diaboli sunt, ritus profanus, qui idolis exhibebatur, deinde homicidium, furtum, rapina, fraus, perjurium, adulterium, inimicitiæ, discordiæ, iræ, rixæ, dissensiones, & cetera hujusmodi: ad pompam verò diaboli pertinent spectacula, insana gaudia, inverecundus lepor, variæque pestes lividorum sensuum. sic enim antiquos Patres novimus prædicasse fidelibus de pompis diaboli fugiendis. Diabolus spectacolorum insaniam, studiorum ac turpium voluptatum muscipulam quare proponit, nisi ut bis delectationibus capiat quos amiserat? Fugite, dilectissimi, spectacula, fugite caveas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. Amator est quispiam circi? quid delectat circo aurigas videre certantes? populos insana furia anhelantes? quemlibet præcedentem adversarii sui equum frangentem? Ista est omnis delectatio clamare, quia vicit in theatris. Labes morum est discere turpia, audire inhonesta. Chorus illi & cantio pantomimi inlicit auditum; sed expugnat sanum affectum. Pompæ diaboli sunt quæque inlicita desideria, quæ turpant, non quæ exornant animam; ut sunt desideria carnis, desideria oculorum, ambitiones sæculi. Ad concupiscentiam carnis pertinent inlecebræ, voluptates; ad concupiscentiam oculorum, nugacitas spectaculorum; ad ambitionem sæculi insana superbia: ubi est fumos inflatus. ut homo positus in aliqua potestate, hominem se esse non agnoscat, cum de homine judicat. Qui vult ergo vincere tria ista, vincat quæ sunt in mundo, & per hæc illum vincit etiam qui suadendo per soperbiam decepit mundum.

CAPUT IV.

De Symbolo.

SYmbolum græcè, latinè vero interpretatur Indicium vel Conlatio, hoc est quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod sensit. Indicium autem vel Signum idcirco dicitur, quia in illo tempore multi simulabant se esse Apostolos Christi, nominantes quidem Christum, sed non eum vera fide nunciantes. Idcirco posuerunt Symbolum, indicium, per quod agnosceretur is qui Christum verè secundum apostolicas regulas prædicaret. Dicessuri enim Apostoli ad evangelizandum in gentibus, hoc sibi prædicationis signum vel indicium posuerunt. Continet autem confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiæ, & omnem Christiani dogmatis confessionem. quod Symbolum fidei nostræ non reliquerunt Apostoli scriptum atramento in charta, sed in tabulis cordis carnalibus.

CAPUT V.

De Credulitate.

POst Apostolicum Symbolum certissima fides, quam Magistri ecclesiarum tradiderunt, hæc est, scilicet ut profiteatur Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum Deum invisibilem, unius essentiæ & potestatis ac sempiternitatis; ita ut singulis personarum proprietate servata, nec substantialiter Trinitas dividi, nec personaliter debeat omnino confundi. Patrem quoque confiteri ingenitum, Filium genitum, Spiritum autem sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed ex Patre & Filio procedentem; Filium à patre nascendo procedere, Spiritum verò sanctum procedendo non nasci: ipsum quoque Filium ex Virgine sine peccato hominem suscepisse, ut quem sola bonitate creaverat, sponte lapsum misericorditer repararet. Quem veraciter crucifixum, & tertia die resurrexisse, & cum eadem ipsa carne glorificata ascendisse in cælum credimus: in qua carne ad judicium vivorum & mortuorum expectatur venturus; & quod in divina humanaque substantia unam Christi gestaverit personam: quam non geminavit utriusque substantiæ integritate, sicut non confudit geminam substantiam personæ unitate.

Post incarnationem & passionem atque resurrectionem Christi, sequitur in Symbolo commendatio sanctæ Ecclesiæ catholicæ. Qui demonstratus est Deus, demonstretur & templum ipsius, quod est Ecclesia, sancta, una, vera, catholica, contra omnes hæreses pugnans, nunquam expugnanda. Hæreses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua, & portæ inferi non vincent eam.

Credimus remissionem peccatorum. Sine ista fide si quis ab Baptismum accedit, ipse contra se januam indulgentiæ claudit. Omnia prorsus delicta delet sanctum Baptisma, & originalia & propria, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem qui fecit omnia; donat delicta, qui non quærit merita; prævenit gratia etiam ipsam infantiam, ut sint liberi per Christum, qui in Adam à diabolo tenebantur ante captivi. Propter omnia peccata Baptismus inventus est. Propter levia, sine quibus esse non possumus, Oratio Dominica inventa est. Semel abluimur Baptismate, cotidie abluimur oratione. Propter scelera autem, aut aliqua facta immania, id est peccata criminalia, agenda est pœnitentia ab his qui ea commiserunt, pro quibus necesse est ut à Christi corpore separentur. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia; in Baptismate, in oratione, in humilitate majore pœnitentiæ. Tamen Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis.

Credimus etiam resurrectionem carnis, quæ præcessit in Christo, ut hoc etiam speret corpus, quod præcessit in capite. Omnis spes fidei nostræ hæc est, quoniam resuscitabimur. Resurgent boni, resurgent mali. Sed boni, ut sempiterna beatitudine fruantur: mali, ut perpetuo igne puniantur. Credimus vitam æternam, in qua incorrupti æquales erunt angelis Dei, ut vivant cum ipsis in æterna vita, in unam immortalitatem ac sempiternam patriam, in qua patria vita nostra æterna ipse Christus erit. Quid sit autem illud bonum quod promisit Deus sanctis suis, quis explicet verbis? Facilius tamen possumus dicere, in illa vita æterna quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Non est ibi mors, non luctus, non lassitudo, non infirmitas, non fames; nulla sitis, nulli æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mæstitia, nulla tristitia. De his igitur quibus Cathecumenos interrogamus, quando baptizantur, sic credimus, & sic eis post baptismum prædicamus.

CAPUT VI.

De Baptismo.

BAptismus græcè, latinè Tinctio interpretatur. Quæ idcirco tinctio dicitur, quia ibi homo spiritu gratiæ in melius immutatur, & longè aliud quàm erat efficitur. Priùs enim fœdi eramus deformitate

peccatorum:

peccatorum : in ipsa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum. Per Baptismum restauratur corpus hominis ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum ; sed non ita ut securus post Baptismum vivat. Nam ad agones producitur contra diabolum vitiorum principem dimicaturus in arena hujus mundi ; ubi spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus. Utramque enim partem, Christi scilicet & diaboli, infinita populi multitudo spectat luctantem. Duæ sunt namque pactiones credentium. Prima pactio est, in qua renunciavit diabolo & pompis ejus, & universæ conversationi illius : secunda pactio est, in qua se profitetur credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum filium ejus, & in Spiritum-sanctum ; sed non est ibi finis victoriæ. Has pactiones fideles in curiam proferunt angelicam nomine profitentium : in libro excipiunt vitæ, non à quolibet homine, sed à superiore cælitus potestate. Jam deinde tirones Dei & milites Christi arma sacramentorum suscipiunt, ut pugnam gerant adversus diabolum : sed fortissimum munimentum eorum ipse est Christus, quem in Baptismo induerunt, sicut aït Apostolus. Gal. 3. 27. *Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis :* Qui vult vincere manu, fortis inveniatur in bono opere : figat pedes, non nutent vestigia, ut possit implere victoriam.

Unde & duo sunt genera Baptismi : primum Baptismum, quo sordes peccatorum per regenerationis lavacrum abluuntur : secundum quo quis sanguine suo per martyrium baptizatur. quo baptismo Christus baptizatus est, ut & in hoc, sicut & in ceteris, formam credentibus daret, sicut aït Apostolus : 1. Pet. 2. 21 *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum.* De hoc igitur Baptismo ipse Dominus aït : Luc. 12. 50. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usquedum perficiatur ?* Filiis Zebedæi : Marc. 10. 38 & 39. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo quo ego baptizor, baptizari ?* Baptismus autem aquæ est, quæ tempore passionis de latere Christi profluxit : nullumque aliud elementum est, quod in hoc mundo purget cuncta, quod vivificet universa. Ideoque cùm baptizamur in Christo, per ipsam renascimur, ut purificati vivificemur. Fons iste origo est omnium gratiarum, fons iste similitudo est fontis æterni : aqua illa non solum sordes lavat, sed & animam à peccatis liberat.

Sanctificatur hæc per consecrationem verbi. Tolle autem verbum, & quid est aqua nisi aqua ? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Virtus verbi per aquam mundat nos. ait enim Apostolus : Hebr. 10. 22. *Accedamus ad Deum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corde à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.*

Sciendum autem quod ordo & usus baptizandi diversis temporibus aliter atque aliter fuit ; tamen una semper fides & unum Baptisma. Aliter baptizavit Joannes, aliter ipse Dominus, aliter Apostoli ante passionẽ Salvatoris & antequam ex latere ejus sanguis & aqua fluerent ; aliter postquam dictum est illi ; Matth. 28. 19 *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Apostolus quoque baptizatos dicit patres, qui ab Ægypto profecti sunt. 1 Cor. 10. 1. *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moïse baptizati sunt in nube & in mari.* Et re vera egressi de Ægypto ducuntur in manu forti & brachio excelso, & venientes ad mare rubrum antecedit Moïses famulus Dei portans virgam, quam à Domino acceperat : percutit aquas, & statim cogitur fluctus in cumulum, & unda in semetipsa repressa curvatur : soliditatem recipit liquor, & solum maris arescit in pulvere. Ingressi sunt alii salvandi, alii puniendi. Unum elementum aquarum, auctore totius creaturæ jubente, judicavit utrosque, separavit pios ab impiis. Moïses figuram habuit Domini Christi : in virga agnoscimus crucem mare rubrum accipimus baptismum Christi sanguine purpuratum ; Regem Ægyptiorum populosque ejus, auctorem peccatorum diabolũ cum omnibus ministris ejus. Sed Baptismus imago mortis Christi est & sepulturæ, sicut Apostolus testatur : Rom 6. 3. &c. *An ignoratis, fratres, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo*, morientes huic mundo ; & ab eisdem aquis à quibus emergimus in forma resurrectionis ejus, non reversuri ad corruptionem vitiorum, sicut Rex ille conversus est ad mortem.

Quidam enim senserunt trinam fieri mersionem propter Trinitatis venerationem ; quidam autem propter triduanæ sepulturæ sacramentum. Sed beatus Gregorius Papa cuidam se interroganti de trina & simpla mersione, sic respondit. Greg. lib. 1. epist. 4. « De trina verò mersione « baptismatis nihil responderi verius potest, quàm « ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ « Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod ter- « tio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta si- « gnamus : ut dum tertio ab aquis infans educitur, « resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si « quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratio- « ne æstimet, neque ad hoc aliquid obsistit bapti- « zando semel in aquis mergere : quia dum in tribus « subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse « nullatenus potest infantem in baptismate vel ter, « vel semel mergere, quando & in tribus mersioni- « bus personarum trinitas, & in una potest divini- « tatis singularitas designari. « Sed quamvis in morte Christi secundum Apostolum baptizemur, si prætermissâ qualibet Trinitatis persona baptismus detur in regenerationis sollemnitate, nihil agitur, nisi tota Trinitas invocetur : quia nonnisi in uno nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti Baptismi sanctificatur officium.

Baptismus autem non est hominis, sed Christi. Ideoque nihil interest hæreticus an fidelis baptizet : quia sacramentum tam sanctum est, ut nec homicido ministrante polluatur. Habet quidem Baptismum Christi hæreticus ; sed quia extra unitatem fidei est, nihil illi prodest : at ubi ingressus fuit, statim baptismum quod haberet foris ad perniciem, incipit illi jam prodesse ad salutem. Quia sic habent Baptismum hæretici, quomodo desertor habet characterem ; & tamen si deserto ipse correctus incipiat militare, non ei audet quisquam characterem mutare.

CAPUT VII.

De sacra Unctione.

POst lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur. Chrisma enim unctio interpretatur, sicut & Christus unctus, qua unctione efficimur genus regium. In veteri namque Testamento non solùm Reges & Sacerdotes ungebantur, sed etiam tabernaculum testimonii, quod Domino præcipiente

institutum est, sacra unctione sanctificatum est, dicente Domino ad Moisen : Exod. 40. 8. *Circumdabis atrium tentoriis & ingressum ejus, & adsumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur altare holocausti & omnia vasa ejus, labrum cum basi sua, omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum.* Non solum altare, verùm etiam omnia vasa oleo consecrantur : quia omnia membra Ecclesiæ per chrisma Christiani efficiuntur. Sacerdotes quoque, id est Aaron & filii ejus, in typo Baptismi antea aquâ lavantur, & postea unguntur, sicut Dominus ad Moisen ait : Ibid. 29. 4. *Applicabis Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium proficiat sempiternum.* In quibus verbis notandum valde est, quòd unctio illa typica in sacerdotium proficiat sempiternum, quod est Christi & Ecclesiæ. Nam sacerdotium illud Leviticum nullatenus potest dici sempiternum, quia veniente veritate figura cessavit. De hoc unguento quod in sacerdotium proficit sempiternum, & Psalmista ait : Psal. 132. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron.* Hujus ergo unctionis quæ in Christo veraciter completa est, & in membris ejus quotidie impletur, figura exstitit unctio illa, de qua in veteri testamento legimus ita : Reg. 1. 1. *Tulit autem Samuhel lenticulam olei, & effudit super caput ejus*, id est Saulis, & deosculatus ait : *Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem.* & iterum : Ibid. 13. *Tulit igitur Samuel cornu olei & unxit eum*, id est David, *in medio fratrum ejus, & directus est spiritus Domini in David a die illa & in reliquum.* In quibus quoque vobis notandum est, quòd post unctionem, immo per unctionem dirigatur spiritus Domini in David, sicut in Ecclesia credimus per chrismatis unctionem & manus impositionem dari Spiritum-sanctum. Nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur. Et hoc quod dictum est de pristina disciplina qua ungi in sacerdotium & in regnum solebant, quæ dum carnaliter fit, spiritaliter proficit ; quomodo & in ipsa Baptismi gratia visibilis quidem actus quod in aquam mergimur ; sed spiritalis effectus quod delictis mundamur : propter quod & sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur. Quod autem Presbyteris licet capita baptizatorum chrismate ungere, quod tamen ab Episcopo fuerit consecratum ; non tamen frontem signare, quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum paraclitum ; hæc causa est. Nam licet sint & Presbyteri sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent : hoc autem solis Pontificibus deberi non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verùm etiam Actuum Apostolorum lectio, quæ asserit Petrum & Joannem Apostolos Samariam fuisse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum-sanctum. de quibus etiam dicitur : Act. 8. 15. *Oraverunt pro illis ut acciperent Spiritum sanctum.* Ex quo ostenditur, quia Spiritum-sanctum accipere possumus, dare non possumus : sed ut detur Dominum invocamus. & propterea fit manus impositio, ut per orationem & benedictionem advocatus invitetur Spiritus-sanctus : & tunc ille paraclitus, post munda, benedicta & uncta corpora, libens à Patre descendit. Quæri autem à quibusdam solet, cum fons Baptismatis sine Spiritu-sancto nullatenus sanctificetur, neque sine eo peccatorum remissio donetur, cur necesse est postea fieri manuum impositionem ? Sed sciendum multis modis dari Spiritum-sanctum, non solum in Baptismo, sed etiam post Baptismum. Nam etiam ipsis Apostolis credimus in Baptismo donatum Spiritum-sanctum, ut remitterentur eorum peccata, sive per originem tracta, sive voluntate perpetrata. Iterum post resurrectionem Domini, adhuc ipso Domino in terra consistente, acceperunt Spiritum-sanctum, ut haberent potestatem vel dimittere, vel detinere aliorum peccata. sicut scriptum est ; Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum-sanctum, quorum dimiseritis peccata dimittentur, & quorum detinueritis, detenta erunt.* Tertio acceperunt Spiritum-sanctum jam Domino in cælo sedente, ut haberent dona diversa in eodem spiritu, id est gratiam sanitatum, operationem virtutum, prophetiam, discretionem spirituum, genera linguarum, interpretationem sermonum. Non solum autem ad hæc sublimia dona percipienda, sed etiam ad omne opus bonum credimus dari Spiritum-sanctum. Quicumque enim, ait Apostolus, spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Ergo in Baptismo fit remissio peccatorum, in impositione manuum conferuntur dona virtutum, sicut Petrus Apostolus ait : Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, ut accipiatis donum Spiritus-sancti.* Nam quæ sit differentia Baptismi & chrismatis, beatus Augustinus exponit, dicens : » quando exorcizantur infantes, velut frumentum moluntur ; quando baptizantur, consperguntur ; quando chrismantur, coquuntur. « Pulchra comparatio, dum moluntur per exorcismum, à potestate diaboli eruantur : dum consperguntur per Baptismum, à peccatorum sordibus emundentur : dum per chrisma coquuntur, Spiritus-sancti gratia inlustrentur & confirmentur.

CAPUT VIII.

De vestimentis albis.

BAptizati albis induuntur vestibus, ut ipso etiam habitu exterioris hominis demonstrent innovationem & emundationem interioris. Qui enim de potestate tenebrarum transfertur in regnum lucis & claritatis, consequenter utitur vestimentis albis ad exemplum Jesu non solùm filii Josedech, sed & Jesu filii Dei. Nam in Jesu filio Josedech præfiguratum est quod in Jesu filio Dei erat implendum. Ait ergo Propheta Zacharias : Zac. 3. 3. &c. *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli, qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis, & dixi : Ponite cidarim mundam super caput ejus. & induerunt eum vestibus.* Quæ licet in Domino Jesu Christo ex parte impleta sint ; magis tamen in membris ejus quotidie impletur. Erat quidem aliquo modo & Dominus indutus vestibus sordidis : quia cùm non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est, & ipse infirmitates nostras portavit, & pro nobis doluit. Tamen quia in illo nulla fuit iniquitas quæ auferretur, sed vulneratus est propter iniquitates nostras ; sordida vestimenta auferuntur à nobis, cùm nostra peccata delentur, ut resurgentes in eo, audiamus post Baptisma : Zac. 3. 4. *Ecce indui te mutatoriis.* Et illud quod in Cantico dicitur canticorum : Cant. 3. 6. *Quæ est ista quæ ascendit dealbata ?* Et postquam in capite ungimur, quasi impletur in nobis quod dicitur : Zach. 3. 5. *Ponite cidarim mundam super caput ejus, & induerunt eum vestibus*, ut audiamus : Ephes. 5. 8. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Qui per Baptismum tenebras Ægyptiorum evadit, & corpus Christi efficitur ; merito vestimentis albis induitur : quia & caro Christi mundo linteo involuta sepulta est. Qui cum Christo surgit à

morte per transitum sacri fontis, merito albis induitur: quia & testes resurrectionis illius sancti Angeli in albis apparuerunt vestibus.

Albæ autem vestes baptizatorum tres significationes gestant: unam de præterito, quæ facta est per innovationem Baptismatis: aliam de præsenti, quæ fit per candorem virtutum, sicut scriptum est: [Eccles. 9. 8.] *Omni tempore sint vestimenta sua candida.* de quibus [Apoc. 16. 15.] iterum dicitur: *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Tertiam de futuro, quæ speratur in æterna vita per claritatem immortalitatis. Unde Joannes Apostolus vidisse se dicit innumerabiles stantes ante thronum in conspectu Agni amictos stolis albis, & interrogari ab uno de senioribus, [Ibid 7. 13.] *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt?* & ab eo audisse: [Ibid. 14.] *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas in sanguine agni.* Propter has igitur dealbationes renatorum, dicuntur per Prophetam filii Sion [Thren. 4. 7.] *candidiores lacte, rubicundiores ebore pretioso.* & Dominus Angelo Laodiciæ scribi jubet per Joannem: [Apoc. 3. 18.] *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris.* Viginti quatuor quoque seniores sedere dicuntur super thronos viginti quatuor circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Et omnibus in commune victoribus promittitur: [Ibid. 5.] *Qui viceris, sic vestietur vestimentis albis.*

CAPUT IX.

De corpore Dominico ac sanguine.

OPortet renovatos per Baptismum mensæ dominicæ applicari, ut sumentes panem qui cor hominis confirmat, & vinum quod lætificat, dicere possint cum Psalmista * [* al. cum Propheta.]: [Psal. 22. 3.] *Super aquam refectionis educavit me, animam meam ibi convertit.* & post paululum: [Ibid. 5.] *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Qui enim dixit, [Joan. 3. 5.] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*, dixit: [Ibid. 6. 54.] *Nisi manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Omnis ista sententia tenet, ut sine corpore & sanguine filii hominis vitam habere non possint. Dicit iterum Dominus: [Ibid. v. 52.] *Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. Sæculi vita* nomine homines significantur, qui nascendo in hoc sæculum veniunt: ac per hoc pro hominum vita caro Christi data est, quam nisi manducaverint, non habebunt vitam. Beatus namque Augustinus in quodam loco aït: [Aug. Expos. inchoata Epist. ad Rom. n. 13.] »Optime Punici Christiani Baptismum » ipsum nihil aliud quàm salutem, & sacramentum » corporis Christi nihil aliud quàm Vitam vocant. » Unde, nisi ex antiqua (ut æstimo) & apostolica » traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, » præter Baptismum & participationem mensæ do» minicæ, non solum ad regnum Dei, sed nec ad » salutem & vitam æternam posse pervenire? Hoc » enim & scriptura testatur.« Nam quid aliud tenent qui Baptismum nomine salutis appellant, nisi quod dictum est: [Tit. 3. 5.] *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis?* quid aliud etiam qui sacramentum mensæ dominicæ Vitam vocant, nisi quod dictum est: [Joan. 6. 52.] » *Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita?* » Item Dominus in Evangelio: [Ibid. v. 56.] *Caro enim mea*, inquit, » *vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Cum [Aug. tr. 26. in Joan.] » enim cibo & potu id appetant homines, ut non » esuriant neque sitiant; hoc veraciter non præstat, » nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur » immortales & incorruptibiles facit: ita tamen, si » ante omnia hi qui sumunt impleant illud quod sequitur: [Joan. 6, 57.] *Qui manducat meam carnem & bibit meum* « *sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Nam hoc « est veraciter manducare illam escam & illum bi- « bere potum, in Christo scilicet manere, & illum « manentem in se habere: ac per hoc qui non ma- « net in Christo, & in quo non manet Christus; « procul dubio nec manducat ejus carnem, nec bibit « ejus sanguinem; etiam si tantæ rei sacramentum « ad judicium sibi manducet & bibat. « Aliud est enim Sacramentum, aliud virtus sacramenti. Salus autem & vita æterna non est exteriùs in sacramento, (nam hoc etiam infideles sumere possunt:) sed interius sumi non potest in virtute sacramenti, quæ non sumitur nisi ab his qui veraciter sunt pii & fideles & imitatores Dei, sicut filii carissimi, & ambulant in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.

Hunc panem qui vitam tribuit mundo, significavit illud manna quo aliti sunt filii Israël in deserto, & de quo Dominus aït Judæis: [Ibid. v. 59.] *Patres vestri manducaverunt in deserto manna, & mortui sunt.* Cum ergo perspicuum sit quod Dominus non de morte corporis loqueretur, quâ & nos morimur, qui panem de cælo descendentem manducavimus; sed de morte animæ: cur dicitur quod qui manducaverunt manna mortui sunt? Numquid & Moïses & ceteri Sancti qui ibi fuerunt mortui sunt? Sed illos dicit mortuos, qui sacramentum sine virtute sacramenti perceperunt. Quod autem interiùs sit virtus sacramenti, quæ invisibiliter præstat ablutionem, sanctificationem, & vitam, sicut aqua Baptismatis, unctio chrismatis, & corpus ac sanguis Domini, nullus utique ignorat fidelium. Unde intelligitur, quòd & illis antiquis partibus qui baptizati dicuntur in nube & in mari, sic datum est salvari, mundari, & sanctificari in virtute sacramentorum. Propter quod nullus esse securus debet de perceptione sacramentorum, nisi virtutem invisibiliter teneat & custodiat. Hæc igitur omnia ideo tali modo dicimus, quia nisi sumus exponere, quomodo plebem doceamus nobis commissam.

CAPUT X.

De infantibus, vel his qui pro se respondere non possunt.

COnsuetudo Ecclesiæ habet, & Doctores tradunt, ut omnino eisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus & in majoribus, Baptismi mysteria celebremus. Hinc est enim quod sacerdos eadem Sacramenta agens, non unum pro altero interrogat, id est majorem pro parvo, utrum abrenunciet diabolo, aut credat in Deum: sed ipsum quem baptizaturus est interrogat dicendo: *Abrenuncias*, aut, *credis?* Is verò qui eum suscipit, non quasi unus pro altero respondet ac dicit; Abrenunciat aut credit: sed, *Abrenuncio*, aut, *credo.* Et hæc causa est ut parvuli & pænitentes possint dici & fideles. Unde quibusdam hæc arguentibus ita à Patribus invenitur responsum. Si propterea pænitentes dicendi non sunt, quia sensum pænitendi non habent: nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur: cur non priùs etiam pænitentes habentur, cùm per eorumdem verba gestantium diabolo & huic sæculo renunciare monstrantur? Totum hoc in spe fit vi sacramenti & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ, cùm baptizantur, propter virtutem celebrationemque tanti sacramenti, quamvis suo corde atque ore non agant quod ad credendum confitendumque pertineat: tamen in numero credentium computantur. Plerisque accidit, ut catholico animo & corde ab unitate pacis

non alienato, aliqua necessitate mortis urgente in aliquem hereticum inruerent, & ab eo Christi Baptismum sine illius perversitate perciperent, & sive defuncti, sive liberati nequaquam apud eos remanerent, ad quos numquam corde transierant. Unde hoc fieri potest, ut quod unus perniciosè tradit, alter salubriter accipiat, nisi quia secundum fidem accipientium sacramentum acceptum judicatur, non secundum fidem dantis? Et propter hanc causam fit, ut hi qui surdi aut muti nati sunt, aut catholicorum aut in hæreticorum numero reperiantur. Et
Rom. 10. 14. cum Apostolus dicat, *Quomodo credent, nisi au-*
Ibid. v. 17. *dierint?* & iterum, *Ergo fides ex auditu*; miro tamen modo, sive sint surdi, sive muti, sive infantes, per corda & ora offerentium & suscipientium numero adgregantur fidelium.

CAPUT XI.

De disciplina vivendi & docendi.

DE hoc autem quod quæritur à nobis, ut similiter dicamus, si in hoc quod prædicamus, nos ipsos custodiamus; nos hactenus nescivimus & adhuc nescimus, utrum possit homo suam profiteri custodiam, quam habet erga divina mandata. Nam cùm quotidie vitæ continentiam consequi conemur, & quotidie aut oblivione, aut subreptione, aut infirmitate, aut (quod pejus est) voluntate peccemus; quomodo possumus profiteri ea quæ volentes, quando neque ea quæ no-
Psal. 55. 9. lentes agimus, intelligimus: sicut scriptum est; *Delicta quis intelligit?* Nam & si dictum est, *Deus vitam meam enunciavi tibi*, nos putamus quod de criminibus id possimus facere, non de aliis actibus no-
Ibid. 31. 5. stris, sicut scriptum est: *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino*, qualiter nos in his quæ dicamus custodiamus, qui quotidie peccamus: & si peccatum iniquitas est, confirmante Apostolo qui
Joan. 3. 4. ait; *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Ergo iniquitatem operamur, & si iniquitatem operamur, in viis Do-
Psal. 118. 3. mini non ambulamus, dicente Psalmista: *Non enim qui iniquitatem operantur, in viis ejus ambulaverunt.* Cum hæc ergo ita sint, quid de custodia mandatorũ id est qualiter nos in his quæ prædicamus, custodiamus, dicere melius possumus: nisi illud quod idem Psalmista
Ibid. v. 5. aït: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Quis enim implere potest quod nobis
Matth. 22. 37. præcipitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* & iterum; *Diligite inimicos vestros*, nisi cujus Dominus dilataverit per infusionem sancti Spiritus cor in carita-
Psal. 118. 32. te, ut ei possit dicere: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum?* Terribiliter valde Dominus in Evangelio proponit modum humilitatis &
Matth. 18. 3. simplicitatis dicendo: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælo-*
1. Cor. 14. 20. *rum.* Juxta quem modum Apostolus præcepit: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Sed quis ad tantam innocentiæ perfectionem pervenire potest, nisi is quem tanta Dei gratuita benignitas præ-
Psal. 114. 1. venerit, ut ex intimis visceribus dicere possit: *Dilexi quoniam exaudivit Dominus vocem orationis meæ,*
Ibid. v. 6. *quia inclinavit aurem suam mihi.* & post pauca: *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum & libe-*
Ibid. v. 7. *ravit me.* Ac deinde securus: *Convertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam.* Dicunt ecclesiastici Doctores, speculum animæ esse mandata divina, ut unaquæque fidelissima in eo se intuentes, deprehendat in semetipsa vel fœditatem vitiorum, vel pulcritudi-
Ibid. 118. 6. nem virtutum. Et idcirco Psalmista aït: *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* Subauditur, si direxeris vias meas ad custodiendas justificationes tuas. Sed quis nostrum absque hac con-
fusione cantare potest: *Domine Dominus noster si feci* Psal. 7. 4.
istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis? De hac igitur confusione nos Dominus
ad gaudium vult levari cum dicit: *Beati estis cum* Matth. 5. 11.
maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes,
propter me, gaudete & exultate. Et in alio loco: *Ora-* Ibid. v. 44.
te pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est. Quicumque hoc ex medullis cordis implere potuerit, ille non confundetur cùm perspexerit in omnibus mandatis Dei tamquam in
speculo. Joannes namque Apostolus aït: *Qui dicit se* 1. Joan. 2. 4.
nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.
& iterum: *Qui dicit se in ipso manere: debet sicut ille* Ibid. v. 6.
ambulavit, & ipse ambulare. Sed ad hæc quid aliud no-
bis agendum est, nisi ut ingemiscentes dicamus: *Non* Psal. 68. 16. & 17.
me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Igitur sicut supradictus Apostolus do-
cet: *Qui non diligit fratres, manet in morte.* Quæ 1. Joan. 3. 14
est autem dilectio qua fratres debemus diligere, ipse
post pauca ostendit dicens: *In hoc cognovimus cari-* Ibid v. 16.
tatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. &
iterum: *Non diligamus verbo nec lingua, sed opere* Ibid. v. 18
& veritate. Sed quia hanc tam summam dilectionem implere non possumus, & non ita diligendo fratres manemus in morte; timore perterriti, clamamus ad
omnipotentem: *Adhæsit pavimento anima mea, vi-* Psal. 118. 25.
vifica me secundum verbum tuum. &, *Domine si vis, potes me salvare.*

Sunt etenim in divinis præceptis adhuc sublimiora & difficiliora ad implendum mandata: sed si propterea quia nos ea implere non possumus, aliis non prædicaverimus, duplex, ut putamus, malum erit. Neque enim nos ambigere oportet esse in plebe, cui prælati sumus, aliquos vasa divinæ misericordiæ effectos, in quibus ostendat Deus divitias bonitatis suæ; qui solet etiam de sterquilinio proferre præclaras margaritas, ornamento supernæ civitatis aptandas, pro quibus taceri non debent scripturæ. Sciunt enim Doctores nullam esse in hominibus conditionem, nullum ordinem, nullam ætatem, nullum ingenium, unde non pereant, & unde non salventur in vitam: & hoc ex judicio justitiæ & gratuita misericordia Dei hunc humiliantis & hunc exaltantis: quia calix in manu ejus vini meri plenus mixto, & inclinat ex hoc in illud. Et propterea debent prædicari Scripturæ, debet sonare Evangelium, debent annunciari & terrores comminationum, & blandimenta consolationum: quia in plebe ecclesiastica existunt & duricordes, quibus utilia sunt tonitrua, & grando sermonum Dei, quæ primum percutiant, & postea irrigent: existunt & mites, quibus tantummodo lenis & placidus sermo verbi divini expediat. Sic enim in hoc mundo vivimus, ut semper solliciti Deo dicere non cessemus:
Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi ca- Ibid. 62. 2.
ro mea, in terra deserta & invia & inaquosa. Vascula enim sunt animæ nostræ, ergo levanda sunt ad Deum à nobis petentibus & quærentibus, & dicendum:
Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Ibid. 142. 6

Ecce hæc juxta exiguitatem sensus nostri ad interrogata respondimus breviter, significantes quomodo plebem nostram doceamus, & ea quæ docemus, qualiter nos ipsi custodiamus. Nunc autem maximas vobis referimus gratias, constantissime & gloriosissime Imperator, semper felix, optime, Auguste, qui nos pia vestra sollicitudine tamquam dormientes excitatis, &

torporem mentis nostræ excutitis, & ad sanctum exercitium provocatis, quasi cum Propheta sanctæ dicentes Ecclesiæ, pro cujus defensione vos Dominus Jesus-Christus conservare dignatur: *Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem.* ad cujus fastigium in sempiterna gloria participandum, vos ut potè carissimum membrum ejus, perducere dignetur, transferendo de regno ad regnum Rex regum & Dominus dominantium. Isai. 52. 2.

II. *Epistola Leidradi Archiepiscopi ad KAROLUM Imperatorem.*

DOmino gloriosissimo & vere piissimo Imperatori & in Christo victoriæ triumphatori invictissimo semper augusto, LEIDRADUS, licet indignus, divina tamen dispensatione, & vestra miseratione Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus. Christianissima & admirabilis religio vestra, atque in Deum ardentissima fides divina inspiratione adtacta, & piissima sollicitudine permota, jussit nuper aliquid nos de sacramentis nostræ renuvationis & regenerationis ad vestras sagacissimas inquisitiones respondere. Ad quas nos nihil condignum intelleximus, nisi quod nec respondere facultatis, nec dissimulare facultatis nostræ esse perspeximus. Tandem licet ad neutrum idonei, juxta exiguitatem tamen ingenioli fidei nostræ rationem confidenter vobis, juxta quod sensimus, patefecimus, prudentissimo utique justissimo ac piissimo dictorum judici. Vos autem consueta bonitate, auditis responsionibus nostris, quas nos absque reprehensione utique dicere non potuimus, juxta benignitatem vestram, qua cunctos mortales anteitis, tamquam vobis placitas laudare dignati estis. Nec tamen inter hæc negastis nobis affluentissimam eruditionem vestram, quominus judicaretis, quod in his ad quæ vos avidiùs audienda parabatis, nostra imperitia minime satisfecerit. Tunc demum non tam imperiali, quàm paterna ammonitione innotescere nobis dignati estis, minùs nos dixisse de abrenunciatione diaboli & earum quæ ejus sunt rerum, quàm vestra pietas optabat. Intelleximus itaque post vestram benignissimam ammonitionem, quia de operibus & pompis diaboli multipliciùs respondendum erat, quàm de ceteris rebus; quoniam per ea cupiditates, & per cupiditates scandala mundi crebescunt & crescunt quotidie, & (quod pejus est) inter Ecclesiæ rectores & reipublicæ administratores discordiæ oriuntur; & (quod adhuc horum est pessimum) inter Doctores & auditores odia se interserunt, inimicitiæ concitantur, detractiones agitantur.

Vestram itaque sapientissimam ammonitionem omni amore amplexati, valde admirati sumus profunditatem vestræ sanctæ considerationis. Inter hæc igitur cùm ingenioli nostri præpediente tarditate, non satis advertere potuissemus, utrum ista vestra laudabilis ammonitio responsionem à nobis vellet, an tantummodo nostram nobis imperitiam cognoscendam commendare: hac ambiguitate suspensi, nullum probabilius consilium (ut nobis tamen visum est) reperire potuimus, quàm ut ea quæ nos per vos cognovimus non legitimè à nobis fuisse responsa prius, juxta pusillitatem sensus nostri, in quantum videbatur, explicaremus; ac deinceps his litterulis serenissimæ clementiæ vestræ indicaremus, quæ dubitatio, vel potiùs quæ necessitas nos artaverat ad scribendum ea, quæ in prioribus responsionibus nostris minus fuisse per vos cognovimus. Deinde gloriosissimo conspectui vestro destinatis, si secundum jussionem vestram fecimus aut non, ecce adsunt in conspectu gloriæ vestræ, & ea quæ in prioribus minus fuerunt, & quare nunc ea scribere & transmittere ausi, immo coacti sumus. Quod si ea aliquatenus vestræ voluntati convenientia judicatis, secundum indeficientem thesaurum bonitatis vestræ id facitis. Sin autem vana & minus utilia, sicut forsitan sunt; nos novimus & confitemur multitudinem id promereri imperitiæ nostræ, qui vestram voluntatem & tenorem servitutis nostræ minùs advertere possumus. Quamquam etsi advertamus, nequaquam simul idonei ad respondendum vestræ tam sublimissimæ & inimitabili investigationi; tamen oramus, ut vos non lateat quæ nos causa compulerit ad scribendum de his quæ vestra nos clementia & paterna sollicitudine ammonente cognovimus minus fuisse in prioribus illis responsionibus.

II. *Responsio Leidradi Archiepiscopi.*

DOminus noster Jesus-Christus cujus egressio à summo cæli, postquam processit tamquam sponsus de thalamo suo insignitus humilitate & infirmitate substantiæ nostræ, bellum gesturus adversus principem hujus mundi, ac mundum debellaturus, Dominus fortis & potens Dominus potens in prœlio, futuris militibus suis, fugientibus mundi ac principis ejus dominatum, initia pactionis & expeditionis exponens immo proponens ait: *Qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Quod quidam audiens, aït illi: *Sequar te Domine; sed primum permitte mihi renunciare his qui domi sunt.* Sancta verò mater universalis Ecclesia non aliter suscipit in gremium ad se convertentes, nisi priùs abrenuncient diabolo & omnibus angelis ejus, operibus quoque, atque universis pompis ejus. Luca 14. 33. Ibid. 9. 61.

Discernenda sunt igitur hæc duo, quid inter se differant renunciare & abrenunciare, quorum differentia in eo vel maximè apparet, quod renunciamus rebus licitis, abrenunciamus autem inlicitis: renunciamus affectionibus, abrenunciamus autem inlecebris: renunciamus parentibus, abrenunciamus autem diabolo. Renunciat ergo omnibus quæ possidet, qui sic tenet ea quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneatur à mundo: habet rem temporalem in usum, æternam in desiderio; & exclusa cupiditate mundi, divina in eo caritas augetur atque perficitur. Ergo qui Deum vult possidere, renunciat mundo: non autem renunciat mundo, qui terrenis facultatibus ex delectatione subcumbit. Quicumque ergo volunt esse discipuli Christi, præ amore illius omnia quæ in mundo sunt, etiamsi habeant, fastidiunt; ut sint habentes tamquam non habentes: & discunt non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo qui præstat nobis omnia: sicque facultates terrenas ad sustentationem possideant, ut tamen etiam ex eis Deo serviant, cujus æterna bona desiderant. Et quia in divinis litteris cupiditas reprehenditur, non facultas; sollicita mente perpendunt, ut ea quæ habent, non habeant amore possidendi, sed necessitate vivendi. Ea autem quibus abrenunciandum est, nullo nobis pacto haberi conceduntur, quia nullo modo possunt haberi cum Deo: sed ex toto corde abrenunciandum diabolo, operibus, ac pompis ejus, ut nulla nobis cum illis communio relinquatur, ne earum actione rursus cogamur in ejus regnum relabi, cujus invidiâ mors intravit in mundum, qui erat homicida ab initio, inventor mali, conlator peccati.

Contulit namque primo homini fœnus peccati, quotidianas ab illo exacturus usuras. Creditor ma-

lus fecit sibi usuris obnoxium genus humanum, cui miser debitor solvit peccando non solùm ea quæ illo instigante didicit, verùm etiam adinventiones proprias, quas ad cumulum scelerum addidit. Et idcirco cùm per gratiam illius, qui ex usuris & iniquitate redimit animas nostras, eruimur de potestate mali creditoris, ac per hæc improbi exactoris, abrenunciandum est illi, ac denunciandum, nihil nos ei deinceps debere.

Quæ sit autem origo & initium operum atque pomparum diaboli, scriptura manifestissimè docet, quæ aït : *Initium omnis peccati superbia.* Quid apertius, quid probabilius dici potest? *Initium*, inquit, non alicujus, sed *omnis peccati superbia*, ut evidenter ostenderet, quòd ipsa sit omnium peccatorum causa : quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit sine ipsa. & ideo initium dicitur omnis peccati, quia ipsa præcessit in diabolo, per ipsam subversus est homo. Non enim ederet de ligno prohibito, nisi concupisceret; nec concupisset, nisi tentatus; nec temtaretur nisi desertus; nec desereretur à Deo, nisi priùs ipse desereret; nec desereret Deum, nisi superbiret, & similitudinem Dei damnabiliter appetisset. Fecit itaque Deus, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est Dei, cum ea quippe ab illo factus est homo : mala verò voluntas, quoniam omnia opera mala præcessit in homine, defectus potius fuit quidam ab opere Dei ad sua opera, quàm opus illius. Et ideo mala opera, qui secundum se, non secundum Deum, ut eorum operum tamquam fructuum malorum voluntas ipsa esset, velut arbor mala.

Eccli 10, 15.

Apostolus quoque ait : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Sollicite itaque considerare debemus, quare initium peccati dicatur superbia; radix omnium malorum est cupiditas. An forte sermonem propheticum Paulus Apostolus, ut solet, exposuit; quandoquidem sive initium omnis peccati, sive radix omnium malorum dicatur, unum idemque significat? Porro cupiditas atque superbia in tantum unum est malum, ut nec superbia sine cupiditate, nec sine superbia possit inveniri cupiditas. quandoquidem & diabolus in quo tenet superbia principatum, propriæ potestatis, ac perditionis humanæ cupidus fuit, & ipse homo per appetitum arboris interdictæ, ac divinæ similitudinis affectatione morbosæ cupiditatis ostendit affectum. Et de diabolo quidem quod malo superbiæ ceciderit, nullus qui ambigat. De primis tamen hominibus diligenti consideratione invenitur, quia in occulto prius mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset voluntas mala. Porro malæ voluntatis initium, quod potuit esse nisi superbia? quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? perversa enim est celsitudo, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit cùm sibi animus placet : sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi. Spontaneus autem est iste defectus, quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo inlustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret aut frigesceret, ut vel illa crederet verum dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non deferret etiam in societate peccati. Non ergo malum

1. Tim. 6. 10.

opus factum est, id est illa transgressio ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui jam mali erant. Patet ergo manifestissime non solùm in diabolo, verùm etiam in primis hominibus malum superbiæ præcessisse in abdito, ut sequeretur hoc malum quod perpetratum est in aperto. Verum est enim quod scriptum est : *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Prorsus ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifesto, dum illa ruina esse non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat, cùm jam ibi sit defectus, quo est relictus excelsus? Quis autem ruinam esse non videat, quando fit mandati evidens atque indubitata trangressio?

Prov. 16, 18

Quam primorum hominum transgressionem, si in sua quasi membra singula dividamus, non absurdè creduntur etiam cetera ibi admissa peccata. Primo superbia est illic, quia homo in sua potiùs esse, quàm in Dei potestate dilexit. Deinde avaritia, quia plus quàm illi sufficere debuit, appetivit : & sacrilegium, quia non credidit : & homicidium, quia se præcipitavit in mortem : & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est : & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest. Hoc igitur primum creaturæ rationalis malum secuta sunt ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum : quibus comites subinferuntur error & dolor : quæ duo mala quando imminentia sentiuntur, fugitantis ea animi motus vocatur metus. Porro animus cum adipiscitur concupita, quamvis perniciosa vel inania, quoniam id errore non sentit; vel delectatione morbida vincitur, vel etiam vana lætitia ventilatur. Ex his morborum non ubertatis, sed indigentiæ tamquam fontibus omnis miseria naturæ rationalis emanat, in quibus jacet, vel etiam volvitur, & de malis in mala præcipitatur.

Ecce arbor malæ voluntatis, quæ superbiæ oritur semine, & in cupiditatis convalescit radice, quales multiplicat fructus. Ideoque si volumus consummare nostri certaminis cursum, caveamus in primis cupiditatem atque superbiam, non duo mala, sed unum, à quo trahitur omnis mali actus initium. Nam sine superbia, quæ possunt saltim inchoari peccata, cùm dicatur initium omnis peccati superbia? Aut sine cupiditate omnium malorum radice, quæ possunt fieri mala, cum sine radice aut nolla genuentur, aut mortua? Deinde si quodlibet peccatum perpetrare nullus potest, nisi propriæ delectationi consentiat, quod cupiditatis est proprium, & Dei præcepta contemnat, quod est superbiæ malum : quomodo non ex cupiditate, quæ radix malorum omnium; & ex superbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum? Omnia igitur mala quæ per seminarium superbiæ de radice oriuntur cupiditatis, in his duobus complectuntur, id est operibus & pompis : neque inveniri potest ullum peccatum, quod non in aliquo horum adnumeretur. & idcirco fidelibus ad emundationem Baptismi accedentibus in his proponuntur abrenuncianda.

Et quia de operibus diaboli facilis intelligentia est, dicendum prius quæ mala ad pompas diaboli pertinere noscantur, omnia videlicet quæ de lascivia atque luxuria oriuntur; aliqua verò quæ de libidine. nam sunt multæ variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam vero non habent. Quis enim facilè dixerit quid vocetur libido dominandi? Est igitur libido ulciscendi, quæ ira dicitur; est libido habendi pecuniam, quæ avaritia est; est libido quomodocumque vincendi, quæ pervicacia; est libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur. Li-

bido est nocendi, sive per contumeliam, sive per injuriam; & utrumque vel ulciscendi causa inimico inimicus; vel adipiscendi alicujus extra commodi, sicut latro viatori; vel evitandi mali, sicut ei qui timetur; vel invidendo sicut felicitati miserior, aut in aliquo prosperatu ejus quem sibi æquari timet, aut æqualem dolet; vel sola voluntate alieni mali, sicut spectatores gladiatorum, aut irrisores, aut inlusores quorumlibet, qui lætantur cùm malè fecerint, & exsultant in rebus pessimis, disruptis limitibus humanæ societatis. Nihil enim est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas & mala voluntas, vel ut hostis interior roboretur. Omnia quoque quæ demulcent sensus corporis, & per eos irrumpunt ad vastandam mentem, ut ei liceat per latam & spatiosam viam, quæ ducit ad mortem, ingredi, corporales quærens carpere voluptates: velut cùm theatrorum moles exstruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum; cùm gloriosa est effusionis insania, & opera misericordiæ deridentur; cùm ex his quæ divitibus abundant, luxuriantur histriones, & necessaria vix habent pauperes. Per quinque sensus corporis metropolis & arx mentis capitur, aspectu scilicet, auditu, gustu, odoratu & tactu. Si circensibus quispiam delectetur; si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, si splendore gemmarum, vestium, metallorum, & cæteris hujuscemodi; per oculorum fenestras animæ est capta libertas. Rursum auditu, si vario organorum cantu & vocum flexionibus delinitur, & carmine Poëtarum & comœdiarum, mimorumque urbanitatibus & strophis, & quidquid per aures introiens virilitatem mentis effeminat; odoris autem suavitate & diversa thymiamatum, & amomum, & peregrini muris pellicula, quod dissolutis & amoribus convenit; tactus autem alienorum corporum & feminarum ardentior appetitus vitiosus, infama est. Igitur cùm per has portas quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intraverint, ubi erit libertas, ubi fortitudo ejus, ubi de Deo cogitatio? maximè cùm tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam pati, & quodammodo exercere quod non agit. Peccata namque quæ ad lasciviam pertinere noscimus commemorat Isaias Pro-
(Isai 3. 16. &c.) pheta ex voce Domini comminantis dicendo: *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, ambulabant in pedibus suis, composito gradu incedebant: decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit, in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, discriminalia & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures & anulos, & gemmas in fronte pendentes.* Quæ omnia propter superbum supercilium & impudicos ac luxuriosus actus hominum dicuntur, qui diffusi per omnia desideria, corpus du-
(Ibid 24. 7.) cunt impurum. Item Esaias pompis lasciviorum comminatur dicens: *Ingemuerunt omnes qui lætabantur corde, cessavit gaudium tympanorum quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ cum cantico, non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam, attrita est civitas vanitatis.* Nomen autem pompæ invenitur etiam in divinis litteris, sicut est
(Psal. 39. 5.) illud in Psalmo XXXIX, juxta Hebraicam tamen translationem: *Beatus vir qui posuit Dominum confidentiam suam, & non est aversus ad superbias pompasque mendacii.* quod alia translatio de Græco ita expressit: *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Ubi utique & ipsa vana oblectamenta corporalium sensuum significat. In Amos quoque Propheta, ubi ait:
Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte (Am. 6. 1. &c.)
Samariæ optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël; qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis; qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, & vitulum de armento; qui cantatis ad vocem Psalterii sicut David: putaverunt se habere vasa cantici bibentes in phialis vinum, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritionem Joseph.

Pompæ diaboli faciunt hominem lascivum & vanum, per quæ efficitur à bono mutabilis mali tenax; in verbo gravis, in animo turpis, ubique fallax, lætus ad prospera, fragilis ad adversa; inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta. Desiderio comparandæ opinionis incensus, eis operibus quibus emitur favor humanus inservit, & mutuo bona contemnit, tantumque eum ardor humanæ laudis inflammat, ut laboriosa opera quæ populus admiratur, & quibus fama diffunditur, sine labore suscipiat, ut foris, ubi potest, magnus splendeat, cùm intus, ubi solus Deus videt, squaleat.

Sunt etiam quorum vitam lingua turpis inflammat, qui inverecundos sermones aut proferunt libenter, aut audiunt. Hoc loquuntur quod diligunt; & delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus volvunt, & turpem conscientiam manifestant.
Tales enim scriptura introducit, quæ ait: *Dixerunt* (Sap. 2. 1.)
enim apud se cogitantes non recte. & post aliqua:
Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & utamur (Ibid. v. 6.)
creatura tamquam in juventute celeriter, vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum sit exsors luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra & hæc sors. Horum illecebram sub specie mulieris adulteræ & Salomon ostendit, de qua dicit, quòd vecordi juveni occurrat ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens: quæ dicit se habere intextum funibus lectum, stratum tapetibus pictis ex Ægypto, adspersio cubile myrra & aloe & cinnamomo. Hæc & alia hujusmodi de pompis scripta reperiuntur.

De ceteris verò vitiis, sive sint spiritalia, ut hæreses, schismata, jactantia, invidia, animositas, elatio, odium; sive sint corporalia, id est quæ non solo animo, sed corpore perpetrantur, ut est aviditas, ebrietas, intemperantia, fornicatio, adulterium; ecclesiastici Doctores dicunt quod de septem principalibus vitiis procedant, id est de inani gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvie, atque luxuria, quæ vitia habent matrem & reginam superbiam, cui quasi duces cum suis exercitibus obsequuntur. Hæc septem vitia significata per illas gentes, quas voluit Dominus deleri per filios Israël, Ethæos videlicet, & Gergesæos, & Amorræos, & Chananæos, & Ferezæos, & Evæos, & Gebusæos. Et re vera multas & varias per alios atque alios reges & populos Dominus aut transtulit, aut vastavit atque delevit. Has autem gentes idcirco per filios Israël voluit exstingui, ut significaret in septenario numero hæc vitia ab electis suis vincenda atque calcanda. Hinc & Samson septem funes quibus ligatus probabatur, disrupit, ut in septenario numero significarentur hæc vitia, & per hæc vitia omnia peccata generis humani, quæ Dominus noster Jesus Christus pertulit in corpore suo super lignum, ut illius vulnere sanarentur atque disrumperentur in nobis, &
consequenter illi dicamus: *Disrupisti vincula mea* (Psal. 115. 7.)

tibi sacrificabo hostiam laudis. Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos doluit, idcirco Redemtor noster ad spiritale liberationis prælium spiritu septiformis gratiæ plenus venit.

Sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. De cenodoxia, id est inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & novitatum præsumtiones oriuntur. De invidia odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga inclita nascitur. De avaritia proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obduratio cordis oriuntur. De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebitudo sensus circa intelligentiam propagitur. De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Ex quibus videlicet septem duo sunt carnalia, id est ventris ingluvies, & luxuria; quinque autem spiritalia: sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut nonnisi unum de altero proferatur. Prima namque inanis gloria gignit invidiam: quia dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Sic quoque de invidia generatur ira; tristitia autem ab avaritia dirivatur. De duobus verò quæ carnalia sunt, cunctis liquet de ventris ingluvie luxuriam nasci: quia dum unum inordinatè reficitur, alterum proculdubio ad contumelias excitatur.

Alii autem, maximè sancti patres Ægyptii, octo dixerunt esse principalia vitia, & prima posuerunt ea quæ hic carnalia dicta sunt, id est gastrimargiam, quod sonat ventris ingluvies; & fornicationem, quod hîc generali nomine luxuria nominatur. Tertium philargyriam, id est amorem pecuniæ, quod nos avaritiam nominamus. Quartum iram: Quintum tristitiam: Sextum acidiam, id est anxietatem seu tædium cordis, quod nostri inconstantiam vel vagationem nominare solent. Septimum cenodoxiam, quod nos inanem gloriam dicimus. Octavum superbiam. Prætermiserunt verò invidiam, maximam superbiæ prolem ac comitem; addiderunt autem acidiam, quod Doctores Ecclesiæ inter principalia vitia non posuerunt, sed magis illud de tristitia sive de luxuria nasci dixerunt: quia & re vera quasi proprium videtur esse Monachorum. nam generaliter in cunctis fidelibus multo minus malum videtur esse quàm invidia: quia & in divinis litteris majori detestatione notatum invenitur invidis, quam vagatio mentis. Ultimum posuerunt superbiam, quod alii causam & originem omnium vitiorum esse dixerunt. Et re vera perspicuum est non de inani gloria superbiam, sed de superbia inanem gloriam generari. Pari autem consensu utrique duplici divisione distinxerunt, id est carnalia & spiritalia: cùm tamen Apostolus simul omnia opera carnis manifesta esse dixerit. Omnium quoque vitiorum efficientiam quadripartitam esse dicunt. nam quædam nonnisi actu corporis consummari possunt, ut ventris ingluvies, & fornicatio: quædam verò sine ulla corporis actione complentur, ut superbia & cenodoxia: quædam autem commotionis suæ causas extrinsecus excipiunt, ut avaritia & ira: alia verò intestinis motibus excitantur, ut acidia atque tristitia.

Hæc & multa hujusmodi vitia, quæ dividuntur in operibus & pompis diaboli, qui est auctor & princeps peccatorum, quibus in Baptismo abrenunciamus, & (quod pejus est) ad ea iterum revertentes, earum inquinamentis sordidamur & oneribus deprimimur, ut merito dicamus: *Sicut onus grave gravata sunt super me. Putruerunt & corrupta sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Miserìis afflictus sum, & curvatus sum usque in finem.* Quarum Psal. 37. 5. & 6.
corruptione dilaniamur & sicut sani gaudemus. Propter ista comminatur nobis Deus judex justus fortis & patiens, nisi convertamur, pœnas æternas, ubi vermis noster non moritur, & ignis non exstinguitur. Propter ista adterimur, proterimur, & affligimur flagellis temporalibus in rebus humanis, bellis, captivitatibus, pestilentiis, fame, ægritudine. Propter ista incommoditas aerum, siccitas, exundantia pluviarum, inclementia frigoris, vehementia ardoris, defectio adjumentorum. Propter quæ non solùm cælitus corripimur & castigamur; verùm etiam præponuntur nobis à Deo potestates, quibus subditi esse debemus, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam: qui propter ista emendanda promulgant leges, decernunt jura, proponunt supplicia, vincula, torturas, flagella, exsilia, amputationes membrorum, amissiones rerum, diversi generis mortes: & auferri non possunt de mundo. Propter ista ecclesiasticus vigor, correptio, excommunicatio; de Ecclesia exclusio, leges pænitentiæ, anathematizatio: & auferri non possunt de Ecclesia. Constituuntur judices, instituunt officia, mittuntur ultores, ut hæc corrigantur: & ad cumulum miseriarum, quibus mortalis vita exstat plenissima, ubi statutâ justitiâ, nequitia condemnari, & innocentia absolvi putatur; ignorantia fallente, plerumque è contrario agitur, ut malitia victrix redeat, & innocentia puniatur.

Hæc prohibitio & eruditio contra eas cum quibus nascimur tenebras vigilant, & contra hos impetus opponuntur; plenæ tamen etiam ipsæ laborum & dolorum. Nam quid sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis etiam parvulorum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi? quid magistri? quid ferulæ? quid lora? quid virgæ? quid disciplina illa, quâ Scriptura sancta dicit dilecti filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus aut vix possit, aut fortasse nec possit? quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas infrenetur, cum quibus malis in hoc sæculum venimus?

Quot & quantis pœnis aliis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam & nequitiam iniquorum, sed ad conditionem pertinent miseriamque communem, quis ullo sermone digerit? quis ulla cogitatione comprehendit? quantus est metus à deceptionibus & mendaciis hominũ, à suspicionibus falsis? quanta putamus esse, quàm misera, quàm dolenda? quandoquidem hi judicant, qui conscientias eorum de quibus judicant cernere nequeunt, & cùm quis quæritur utrum sit nocens cruciatur; & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, non quòd illud commisisse detegitur, sed quòd non commisisse nescitur: ac per hoc ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis, & (quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque, si fieri potest, fontibus lacrimarum) cùm propterea judex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, ut & tortum & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret torserat. quia plerumque hi qui arguuntur, vi doloris superati, de se falsa confessi etiam puniuntur innocentes, & utrum innocentem an nocentem judex occiderit, nescit. Verum est quod ait Scriptura:
Tentatio est vita hominis super terram. & *Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut* Job. 7. 1.
araneam animam ejus. Oriuntur inter Ecclesiæ recto- Psal. 38. 12.
res

res & reipublicæ administratores innumeræ contentiones & instigante superbia, cupiditate atque invidia & clausis oculis zelamur & belligeramus ad invicem proximi quibus..... Nemini quicquam debeatis, nisi ut
Rom. 13. 8. *invicem diligatis.* Et tot ac tanta mala nobis imminentia consentimus, quibus esse non debebat adversus carnem & sanguinem conluctatio, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiæ in cælestibus. Indicta sunt nobis innumera bella principis & potestatis aëris hujus, qui operatur in filios diffidentiæ, sævit adversum nos totis viribus.

Terrores etiam divinæ comminationis intonant super nos. Severitas legum & districtio Regum invigilant ad coërcendos nos, & nihil horum adtendimus, nisi ut invicem mordeamus & comedamus, ut ab invicem consumamur. Heu prô dolor! tam securi pergimus ad tenebras exteriores, quasi ibi nobis cubicula exstruantur, cubilia sternantur, deliciæ præparentur, ministri procurentur, thesauri congerantur, ornamenta multi-
Eccle. 9. 10. plicentur, cum Scriptura dicat: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Unde in nobis tam impudens superbia, importuna cupiditas, infrunita lascivia? nisi quia ad ea quibus in Baptismo abrenunciavimus, imprudenter revertimur, & contingit nobis res veri proverbii:
2. Pet. 2. 21. *Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in*
Jac. 4. 1. *volutabro luti. Unde bella & lites;* ait Apostolus, *in vobis. nonne hinc, ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?*

Manifestum est ergo omnem contentionem inter nos ex cupiditate oriri, quoniam non est tale bonum, quod hic amamus, ut nullas angustias faciat amatoribus suis. Ideo plerumque dividimur litigando, mortiferas, aut certè mortales victorias requirendo; & cum quis vicerit, superbus extollitur. Si verò conditionem cogitans casusque communes, magis quæ accidere possunt adversis angitur, quàm eis quæ provenerint, secundis rebus inflatur. Res enim quælibet terrena simul à multis possideri non potest: quia si unus possidet, ab ejus possessione alter excluditur. Res autem divinæ, quas Deus jubet ut amemus, sic à multis possidentur, ut nulli, crescente numero possidentium, aliquid minuatur. Nullo enim modo fit minor, accedente seu permanente consorte, possessio bonitatis; immo possessio bonitas, quam tanto latiùs, quanto concordius individua sociorum possidet caritas. Non habebit denique illam possessionem, qui eam noluerit habere communem: & tanto eam reperiet ampliorem, quanto ibi ampliùs potuerit amare consortem. Quia ergo ista quæ amare debemus, negligimus; & ea quæ negligere debemus, mordinate amamus; ideo bella & lites ex concupiscentiis nostris oriuntur in nobis.

Sed sciendum nobis est, omnibus modis non posse nos ad regnum pacis æternæ transire, nisi hic eam pacem tenuerimus, quam belli hujus in quo caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, multis & variis certaminibus quærit. Hoc autem bellum numquam ullum esset, si natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta est, perstitisset: nunc verò quæ pacem felix cum Deo habere noluit, secum pugnat infelix, & cum sit hoc...... melius est tamen quàm priora vitæ hujus. Melius confligitur quippe cum vitiis, quàm cum sine ulla conflictione dominantur. Melius est, inquam, bellum cum spe pacis æternæ, quàm sine ulla liberationis cogitatione captivitas. Cupimus quidem etiam bello carere, & ad capessendam ordinatissimam pacem, ubi firmissima stabilitate, potioribus inferiora subdantur, igne divini amoris succendimur: sed si (quod absit) illius tanta boni spes nulla esset, malle debuimus in hujus conflictionis molestia remanere, quàm vitiis in nos dominationem, non eis resistendo, permittere.

Suscipiendum est igitur bellum contra vitia, & gerendum acriter, ne ad damnabilia peccata perducant. Et siquidem nondum victoriarum consuetudine roborata sunt, faciliùs vincuntur & cedunt: si autem vincere atque imperare consueverunt, laboriosa difficultate superantur. Neque id fit veraciter atque sinceriter, nisi veræ justitiæ delectatione. Hæc est autem in fide Christi. nam si lex jubens adsit, & spiritus juvans desit; per ipsam prohibitionem desiderio crescente peccati atque vincente, etiam reatus prævaricationis accedat. Nonnumquam sane apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia & quædam sibi placendi altitudo ruinosa: sed tunc victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur; quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter donat, nisi per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, qui factus est particeps mortalitatis nostræ, ut nos participes faceret divinitatis suæ.

ADNOTATIO.

TRiplex hujus libri exemplum nancti sumus, nempe Colbertinum, quod nobis V. Cl. Stephanus Baluzius ultro communicavit; Eligianum, id est monasterii S. Eligii apud Noviomum; & Andaonense, seu cœnobii S. Andreæ prope Avenionem, ex nostris. Colbertinus codex auctorem præfert Hieronymum sub hoc titulo: *Incipit explanatio super Baptismum beati Hieronymi.* Andaonensis caret titulo, sed habet inscriptionem KAROLO *Imperatori* factam, quæ in duobus aliis desideratur. Eligianus genuinum auctorem designat his verbis: *Responsio Leidradi Archiepiscopi*, quem istius opellæ scriptorem esse constat. Id probat titulus codicis Eligiani, inscriptio Andaonensis, epistola Caroli M. à nobis edita suprà, cui epistolæ hic liber respondet; ac demum ejusdem libri secunda pars, cui Leidradi altera ad Carolum M. epistola præfixa est. Posterior pars magis elaborata videtur quàm prior, in qua Carolus (bone Deus! quantus vir, quàm de re Christiana sollicitus!) aliquid desideraverat. Colbertinum exemplar pervetustum caret divisione capitum, quæ in aliis duobus exstant, in Andaonensi numero xxv. in Eligiano, quem sequimur, numero xi. Duæ ejusdem argumenti aliæ lucubrationes occurrunt, apud Theodulfum scilicet atque Alcuinum. Notior est Leidradus istius libri auctor, quàm ut hoc loco à me illustrari exigat. Missus est in Hispaniam in causa Felicis Urgellitani, Caroli M. testamento subscripsit, ac demum secessit in Suessionense S. Medardi monasterium, ubi supremos vitæ dies absolvit. Alia exstat ipsius epistola ad Carolum M. in qua agit de instauratione ab se facta cœnobii Insulæ Barbaræ prope Lugdunum.



CLAUDII EPISCOPI TAURINENSIS

PRÆFATIO

In libros informationum litteræ & spiritus super Leviticum,

AD THEODEMIRUM ABBATEM.

COgis & compellis, carissime frater Theodemire Abba, atque, ut ita dicam, stomachanti animo me reprehendis diu siluisse, nec paruisse jussioni tuæ in expositione Levitici. Biennium est quòd tibi direxi expositionum atque informationum litteræ & spiritus in Exodo libros quatuor, quibus principium est, *Post expositionem libri Geneseos*, unde ante hos octo annos ex dictis sanctorum Patrum de littera & spiritu tres edidi libros. E contrario tu respondes evenisse tibi quod provenit Jacob, qui pro Rachel servivit, & in nocte Liam accepit: ita & tu petisti expositionem libri Levitici, & accepisti Exodi. Nec in hoc facto re vera me agnosco satis errasse. Quia sicut illis non erat consuetudo ut minores priùs traderentur ad nuptias, quàm majores: ita nec mihi visum rectum fuit, ut priùs exponeretur sacrificii ritus, quàm sacrificiorum minister vel locus. Quod verò jussioni tuæ hactenus parere nequivi, non fuit pigritia vel corporis negligentia, sed Reipublicæ infestatio dira, & malorum hominum nimia perversitas. Quæ duæ res me in tantum cruciant, ut mihi jam sit tædium vivere, debilitatusque pennis virtutum, non valeo in solitudinem fugere, ubi aliquantulum requiescam, & dicam Deo: *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, & cognitum tibi faciam peccatum meum, antequam vadam & non revertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, ubi æternus horror & nullus ordo inhabitat.* Sed reptans in terram lacrimabundus & gemibundus clamo ad Deum: *Quare me repulisti, & tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

Quod enim præcipis bonum est opus, sed magnum super se habet pondus: & nescio quomodo digne possit perfici, quod non potest cogitatione comprehendi: & sicut difficile est quemquam manu posse cælum tangere, ita difficile est omnia sacramenta legis divinæ, sicut tu præcipis, explanare. Sed istud illis debueras injungere, qui habentes intra se fontem eloquentiæ, unde quicquid illis injungitur, carmine inriguo copiosiùs explicatur. Verum econtra quicumque angustæ intelligentiæ est sicut ego; nec habet affluentiam eloquii, per quam vel alios reficere, vel suæ siccitatis possit inopiam temperare; tales non solùm per se aliquid dicere appetunt, verùm etiam si quid eis injunctum fuerit pertimescunt. Quod in me recognosco, pusillum habens intelligentiæ eloquium: quia nec sæcularis litteraturæ didici studium, nec aliquando exinde magistrum habui. Quantum enim doctis necesse est loqui, tantum indoctis utile est tacere: quia illi de parvis magna sciunt disserere, ego de magnis nescio aliqua parva proferre; & ideo à me formidatur quod ab aliis quærendum est.

Quod verò sententiam uniuscujusque Doctoris in paginis adnotare præcipis in expositionibus nostris; neminem hoc fecisse legi, excepto beatissimum Bedam: quod quidem nec ille ampliùs quam in duobus codicibus fecit, in expositione videlicet Evangelistarum Marci & Lucæ. Quod ego ideo omisi facere, quia sententias quorumdam quas adnotaveram, priùs sub nomine aliorum diligentiùs perquirens, aliorum eas esse repperi postea. Quod enim optimè nosti, sicut novissimis diebus Verbum Dei ex maria carne vestitum processit in mundum; & aliud quidem erat quod videbatur in eo, aliud quod intelligebatur; (carnis namque adspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur divinitatis agnitio) ita & cùm per Prophetas vel Legislatorem Verbum Dei profertur ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis, ita hîc litteræ velamine tegitur: ut littera quidem adspicitur tamquam caro, latens verò spiritalis intrinsecus sensus tamquam divinitas sentitur. Tale ergo est quod & nunc invenimus librum Levitici perquirentes, in quo sacrificiorum ritus & hostiarum diversitas ac sacerdotum ministeria describuntur; sed hæc secundum litteram, quæ tamquam caro Verbi Dei est & indumentum divinitatis ejus, digni fortassis vel adspiciant, vel audiant indigni: sed beati sunt illi oculi qui velamen litteræ obtectum intrinsecus divinum spiritum vident, & beati sunt qui ad hæc audienda mundas aures interioris hominis deferunt.

Adgredimur igitur hoc opus annuente pietate divina Quadragesimæ tempore, sub die septimo Idus Martii, anno Incarnationis DCCCXXIII. Salvatoris Jesu-Christi Domini nostri.

EXPLICIT PRÆFATIO CLAUDII TAURINENSIS EPISCOPI.

Et præmissis capitulis libri primi.

INCIPIT LIBER PRIMUS

informationum litteræ & spiritus.

LEVITICUS liber appellatus est, eo quod Levitarum ministeria & diversitates victimarum exsequitur, *&c.*

Et in fine operis.

Hæc omnia jussisti scribere: non pro eruditione nostra, sed pro vestra dignatione præsumpsi. Vestrum verò est dijudicare veteres, & ad veram caritatem, quæ excellentior virtus omnibus virtutibus est, nos provocare exemplis. Ad hanc autem quam prædico caritatem plus me vestris orationibus, quam meis viribus posse confido. Eo, carissime frater, sicut potui, respondi quibusdam inquisitionibus tuis: pro qua re omninò deprecor, ut si quid de his rebus unde me interrogas, si quid invenisti melius, vel deinceps invenire potueris; gratissimum habebimus, si nos feceris nosse: quia ego magis amo discere, quam docere. Quia illa veritatis & sapientiæ pulcritudo (tantùm adsit perseverans voluntas fruendi, pro cujus amore hoc peregimus opus) nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur,

nec umbra intercluditur: nec sensibus corporis subjacet. De toto mundo ad se conversis, qui diligunt eam omnibus proxima est, omnibus sempiterna: nullo loco est, nusquam deest: foris admonet, intus docet: cernentes se commutat omnes in melius, à nullo in deterius commutatur: nullus de illa judicat, nullus sine illa benè judicat. Hac fide omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo & ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno. quia spatia temporis præteritis & futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, & nihil futurum est: quia & quicquid præterit, esse desinit; & quod futurum est, nondum esse cœpit. Æternitas autem tantummodo est, nec fuit, quasi jam non sit; nec erit, quasi adhuc non sit: quia sola ipsa verissimè dicere potuit humanæ menti: *Ego sum qui sum.* & de illa verissimè dici potuit: *Qui est misit me.*

Et quia ita est, non jubemur ad creaturam tendere, ut efficiamur beati, sed ad ipsum Creatorem: de quo si aliud quàm oportet, ac sese res habet, nobis persuadetur; perniciosissimo errore decipimur. Ad hoc enim pergendo quod aut non est, aut si est, beatos non facit; ad beatam vitam nequaquam quisquam poterit pervenire. Qua veritate & sapientia, quæ communis omnibus est, omnes sapientes & beati fiunt inhærendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus: quia & cùm eum imitatur ut sit, inde appetit beatus fieri, unde illum factum videt ille, scilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentia cujusdam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur: sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit. Voluntas ergo adhærens communi atque incommutabili bono, impetrat prima & magna hominis bona, cùm ipsa sit medium quoddam bonum. Voluntas autem aversa ab incommutabili & communi bono, & conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat.

Ex Augustin. Et ideo non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt non sic habentur ut tales quærant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo inluminati lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, ubicumque sint, non sunt colendi. Quod colit ergo summus Angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo: quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. Non enim aliunde sapiens Angelus, aliunde homo; aliunde ille verax, aliunde homo: sed ab una incommutabili sapientia & veritate. Nam idipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, ut naturam humanam ipsa Dei virtus & Dei sapientia incommutabilis & consubstantialis Patri & coæterna suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali & rationali colendum est. *de vera rel. cap. 55.*

Hoc etiam ipsos optimos Angelos & excellentissima ministeria Dei velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cujus contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelos beati sumus, aut umquam erimus: sed videndo veritatem, per quam etiam ipsos diligimus Angelos, & his congratulamur. Nec invidemus quòd paratiores & nullis molestiis interpedientibus perfruuntur: sed magis eos diligimus, quod & nos tale aliquid sperare à communi Deo jussi sumus. Et idcirco honoramus eos caritate, non servitute; nec eis templa constituimus: ac per hoc nolunt se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni sumus, templa summi Dei esse noverunt.

Hæc fidei nostræ munitissimum atque altissimum sacramentum, & cordi nostro firmissimum character impressum. Hanc adstruendo & defendendo veritatem, opprobrium factus sum vicinis meis, & timor notis meis, in tantum, ut qui videbant nos, non solum deridebant, sed etiam digito unus alteri ostendebant. Sed consolatus est nos Pater misericordiarum & Deus totius consolationis in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, de illo fidentes, & per illum in tentationibus non deficientes, qui nos armis justitiæ & galea salutis munit atque circumdat.

EXPLICIT.

EJUSDEM CLAUDII

PRÆFATIO

Expositionis in Epistolam ad Ephesios,

AD LUDOVICUM PIUM.

PRoprio domino meo inclito atque glorioso, mihi speciali cultu affectuque præ cunctis mortalibus diligendo, gratia Dei patri patriæ potiùs, quàm Imperatori, cujus imperii dignitas ex fonte orta est pietatis, sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ filio HLodhuico CLAUDIUS peccator. Cùm nostris temporibus tepescentibus studiis rarus quisque inveniatur cotidiana intentione promptissimus, non solùm ad disserendum quæ indiscussa sunt, sed etiam ad legendum quæ jam à majoribus disserta sunt; minimum à me opus tanta ac tam sublimis vestra exigit imperialis potestas, cùm epistolas magistri gentium Apostoli Pauli ex tractatibus majorum nostrorum disserere jubet: qui nos inluminantes è Christo in studio hujus operis affatim scientia & tempore præcesserunt. Novit namque sacratissima & mihi semper amantissima serenitas vestra; quæ piis est semper operibus intenta, & sanctis lectionibus erudita, quam sub imperiali diademate theoreticam non ambigo peragere vitam; quid de laude earumdem epistolarum in epistola sua secunda scripserit beatus porro Apostolus Petrus, in qua ait: *Sicut & carissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles homines depravant, sicut &*

ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Ecce teste beato Petro ejus coapostolo invenimus, quòd adhuc in carne viventibus ipsis Apostoli, ob difficultatem sensus illarum ab indoctis hominibus, qui eas non rectè intellexerunt, diversæ hæreses emerserunt. Quis ergo ad expositionem illarum dignè vel propriè accedere possit, quas tantus ac talis primus in carne Domini confessor & novi testamenti Ecclesiæ pastor asserit esse difficiles intellectu? Attamen, licèt non viribus meis, sed meritis vestris, adjuvante illo qui aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas: qui est fidelis in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis; qui dixit, *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis*; largiente pietate ejus, circa socordiam sensus mei epistolas beati jam dicti Apostoli Pauli, ad Ephesios atque ad Philippenses, non tam ex majorum tractatibus, quàm ex diversorum tractatorum sententiis, veluti mendicus non habens propriam segetem, sed post terga metentium ex aliorum segete congregat sibi victum, ne hiemis tempore fame periclitetur: ita & ego ex aliorum dictis, has brevi stilo comprehendi epistolas. Quam expositionem si aptam ad legendum judicaverit serenitas vestra, ad auctorem referte Christum: quia hoc ipsum, ut præfatus sum, donante Domino vestrum est. Si verò reprehensioni patuerit propter sermonis rusticitatem, remota fallacia quæ rectam fidem offendit, hujusmodi homines à nobis non pertimescendos ille ammonuit, de quo loquimur, & quem tenemus in manibus, qui regnum Dei non in sermone, sed in virtute esse perdocuit, ac semetipsum verbo potiùs quàm scientiâ imperitum esse scripsit. Funestum atque detestabile Pelagii dogma, qui ingratus divinæ gratiæ exstitit prædicator, per cælestis gratiæ gratissimum præconem beatissimum Augustinum de hac epistola, quantum potui, funditus abdicavi.

Sed & aliorum, qui ex hac ad Ephesios epistola fulciri moliti sunt hæresem suam, ubi ait, *Sicut elegit nos ante mundi constitutionem*; animas hominum ante mundi principium fuisse & coæternas Deo creatas senserunt; sive etiam in epistola ad Philippenses Deum Patrem potiorem Filio crediderunt. Hæc omnia, velut mortale præcipitium aut letale virus, Catholicis auribus denuncio fugienda: quorum idcirco reticeo vocabula, ne derogare videar, præcessores potiùs, quàm dicere veritatem.

Epistolam sanè Apostoli ad Galatas in qua anno præterito, in quantum valui, studiosissimè laboravi, nihil in ea nuper auxi: sed ita, ut antea à me comprehensa est, huic vero operi juxta ordinem suum in capite sociavi.

De ceteris verò epistolis, licèt plurima penes me teneantur excerpta, multa tamen adhuc supersunt perquirenda. Sed quia me anno præsenti, præpedientibus peccatis meis, graviter obligastis, & nimiis anxietatibus deditus, mihi vivere non libet, neque scripturas perscrutari licet. Unde obsecro clementiam vestram, ut non mihi sitis molestus exactor: quia si me adjuverit pietas divina, ego ad reddendum devotus sum debitor. Omnipotens Dominus, qui est Rex regum & Dominus dominorum, vos dominum meum inimicorum omnium superare insidias faciat; concessoque præmio sincerissimæ caritatis, ad profectum & ornatum totius Ecclesiæ, ita vivere concedat, ut finito mortalis vitæ termino, liberum à peccati conscientia suo sancto adstare faciat throno. EXPLICIT.

Incipit Tractatus in Epistola ad Ephesios Claudii Presbyteri.

EPHASII sunt Asiani. Hi accepto verbo veritatis perstiterunt in fide, hos conlaudat Apostolus scribens eis à Roma de carcere. &c.

ADNOTATIONES.

DE Claudio Taurinensi Episcopo nemo certius testimonium prodiderit, quàm Jonas Aurelianensis Episcopus tum in præfatione, tum initio libri primi de cultu imaginum adversus ipsum. *Is itaque de quo agitur*, inquit, *exortus ex eadem Hispania, ejusdemque Felicis discipulatui ab ineunte ætate inhærens, per aliquod tempus in palatio memorati gloriosissimi ac serenissimi Deoque amabilis Augusti* (Ludovici) *in officio Presbyteratus militavit. Sed ut aliorum utilitati doctrinâ prædicationis evangelicæ, quæ illi admodum inesse videbatur, consuleret, ipsius piissimi Principis clementia Præsul Taurinensis subrogatus est Ecclesiæ.* Hinc confutatur vulgatus ac communis error, qui ab annis bene multis invaluit, Claudium scilicet genere Scottum fuisse, ex Hibernia oriundum: quem in errorem etiam impegit eruditus vir Usserius Armachanus.

Theodemirus, cui prior inscripta est præfatio, Gallus Abbas fuit, præeratque centum quadraginta Monachis sub Regula sancti Benedicti, ut ipse testatur in epistola contra Claudium scripta; cujus fragmenta refert Jonas in lib. 3 operis præcitati. Abbatem in Gallia fuisse, non verò in Hispania, uti aliquando suspicatus sum, colligo ex Jonæ lib. 1, de eodem Claudio hunc in modum loquentis: *Fertur interea in suggillationem ejusdem Abbatis, totiusque Gallicanæ Ecclesiæ, tantæ prolixitatis vomisse libellum*, &c. At cujus loci Abbas fuerit, mihi hactenus incompertum.

Multa scripsit Claudius, præcipuè verò commentaria in sacros libros nempe in Genesim anno DCCC XIV libros tres; in Exodum quatuor anno DCCC XXI; & in Leviticum anno DCCC XXIII, ut patet ex priori præfatione hîc edita, quæ omnia Theodemiri Abbatis hortatu aggressus est. Præterea commentatus est Evangelium Matthæi, opusque suum Justo Carrofensi Abbati nuncupavit anno DCCC XV. Ad hæc exposuit omnes Pauli epistolas, ex quibus explanationem in epistolam ad Galatas Dructeranno Abbati Sollemniacensi dicavit: eam verò quæ in epistolam ad Ephesios elucubrata ab ipso est, Ludovico Augusto inscripsit, quæ posterior est præfatio hîc edita. Scripsit etiam quædam in cultum sacrarum Imaginum piasque peregrinationes, in quibus non rectè sensit.

Ex his omnibus sola expositio in epistolam ad Galatas typis vulgata est in Bibliotheca Patrum: fragmentum præfationis in Matthæum in lucem protulit Usserius inter Hibernicas epistolas: cetera, præter duas hasce præfationes, adhuc in tenebris latent. Expositionem in Matthæum reperi in Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ Landunensis: Commentaria verò in Leviticum penes nos habemus in codice Remigiano & expositiones super epistolas Pauli in duobus voluminibus Bibliothecæ Floriacensis.

Adversus Claudium scripsere Theodemirus Abbas, Dungalus Reclusus, & Jonas Aurelianensis Episcopus, sacrarum Imaginum cultum & peregrinationes pias libris editis defendentes.



M O N I T U M.

EXSTAT *in Bibliotheca collegiatæ Ecclesiæ S. Martialis apud Lemovicas membraneus codex, curà Ademari Monachi ex familia Cabanneusi ante annos sexcentos exaratus, continens Amalarii libros quatuor de divinis officiis, hoc titulo præfixo :* INCIPIT PRÆFATIO SYMPHOSII AMALARII CLERICI, in libros de divinis officiis, ad LUDOVICUM Imperatorem *Ex eo Codice noster Petrus Trelius, tum sancti Augustini Abbatiæ apud Lemovicas Prior Claustralis, præmissum Amalarii supplementum ad librum quartum de divinis officiis, cum subjecta clausula rogatu meo descripsit. Hujus verò supplementi auctorem esse ipsum Amalarium, probat stilus & scribendi forma ipsi auctori conveniens. Itaque hoc fragmentum vel Amalarius operi suo secundis curis adjecit, vel certè amanuenses nonnulli, quibus res monasticæ minùs cordi erant, superius additamentum pro arbitrio resecuere.*

S U P P L E M E N T U M

Ad librum IV. AMALARII de Officiis Divinis.

CAPUT XLVIII.

De Regula SANCTI BENEDICTI *præcipui Abbatis.*

QUod sanctus BENEDICTUS aliter constituerit, quàm Cleri officia dicuntur ; nec hoc vacat à mysterio. Constat enim hunc sanctissimum Doctorem omni generis virtute claruisse, in tantum, ut sublimioris propositi Ordinis institutor extiterit, qui non solùm à novi, sed etiam à veteris instrumenti Patribus arreptus est. Ut enim ita dicam, à sancto Moyse regularis vitæ trames, & ut à sancto Hieronymo, qui hujus Ordinis merito excelluit, attestatur, à sancto Helia & Heliseo ; & in novæ gratiæ diebus à Joanne-Baptista hic Ordo originem cepit : cujus sectatores Paulus & Antonius, cæterique innumeri usque in summos Apostolicos Pontifices Romanos, sanctum hoc propositum propagaverunt.

Nam, ut de cæteris sileam, post beatum Papam Sixtum, qui sub Decio martyrio coronatus est, DIONYSIUS ex Monacho ; itemque GREGORIUS excellentissimus memoriâ, gradum apostolici culminis sortiti sunt : quorum Gregorius inter cætera, quibus provexit Ecclesiam, clericalis officii maximus enituit institutor. Cujus auctoritas tanta fertur verissima relatione, ut in specie columbæ Spiritus Dei ei insidere frequentiùs sit visus : cujusque facundia & scripta inter cæterorum dicta, ut aurum purissimum resplendent. Cujus memorati sancti Benedicti gesta, sicut nullus Pontifex summus alicujuscumque, nisi rarissimè : sic ipse, palmam doctrinæ post Petrum in Ecclesia Dei consecutus Gregorius, claro stilo prosequutus est. de quo perhibet testimonium, dicens, quia vir ille Domini Benedictus spiritu justorum omnium plenus fuit. Item testimonium perhibens Regulæ Monachorum dicit : » Nam scripsit Monachorum Regulam sermone lu» culentam, discretione præcipuam.

Non ergo credendi sunt plerique, putantes hunc sanctum Doctorem populi Ecclesiam sprevisse, & ideo aliter de ordine Psalmorum scripsisse. Quia tantæ auctoritatis Doctor, Spiritu-sancto disponente, eadem ordinavit, & populi conventibus consuluisse videtur. Quomodo enim non de frequentia populi creditur simul dixisse, « Cantare autem & legere non « præsumat, nisi qui potest officium ipsum implere, « ut ædificentur audientes ; « qui de reverentia psallendi & cantandi præcipuo monitu scribit ? *Regula c. 47.*

Nequaquam itaque fatendum est, hunc talem Patrem absque mysterio cuncta disposuisse : & sicut clericale officium monastico non præjudicat ; ita reciproco actu monasticum clericale comprobat. Hinc est quod varietates anni, sicut est in Passione, in Pascha, in Pentecosten, & in quibusque cæteris, clericalem sequuntur ordinem ; & Clerus in aliquibus Monachorum. Certum autem esse probatur quodammodo ipsum sanctum Benedictum consuetum morem sancti Ambrosii in nonnullis ecclesiasticis elegisse, verbi gratiâ de Hymnis, quos Ambrosianos appellat ; & de *Alleluia*, quod usque in Dominica prima Quadragesimæ ab ea consuetudine recitatur. Providisse etiam infirmorum fragilitati in plerisque, ut de una Lectione in tempore æstatis, ac de Psalmis directaneis sine Antiphona dicendis, sed & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, quam repletus ipse spiritu divino per eumdem spiritum divinum institutam fuisse & futuram esse non ignorabat, nequaquam contempsisse, dum dicit : « Hoc præ- « cipuè commonemus, ut si cui fortè hæc distribu- « tio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius a- « liter judicaverit : dummodo omnimodis id atten- « datur, ut omni hebdomada Psalterium ex integro « numero CL Psalmorum psallatur, & in domi- « nico die semper à capite repetantur ad Vigilias. « *cap. 18.* Quamvis enim à prædecessoribus sui temporis Romanis Pontificibus quædam jam constituta forent ; necdum tamen tum temporis totus ordo psallentium in Psalterio & Antiphonario ad liquidum in ordinem redactum fuerat : quod postea Gregorius Papa excellentissimus, sanctæque memoriæ ejusdem sancti Benedicti strenuus regularis observator [a], &

a *S. Benedicti regularis observator.*] Fortè legendum *Regula observator.* Hic diserte auctor Gregorium Papam primum, cognomento Magnum, familiæ sancti Benedicti adjungit, ante scriptam à Johanne Diacono sancti Pontificis vitam, in qua luculentum est hujus rei testimonium : cujus loci occasione hic subjicere visum est Dissertationem, quam aliquando composui de hoc argumento.

monasticæ perfectionis imitator, studiosissimè ordinavit institutione sancti Spiritus.

Itaque in Provinciis, quibus ordo Romanus excolitur; ab antiquis Patribus ejus sancti Ordinis sectatoribus, præcipueque à sanctissimo domno Gregorio Papa, ut de quibusque per annum varietates Officiorum communiter observentur, decretum est. Nam beatus AUGUSTINUS Monachus, primus Anglorum Episcopus, ab eodem domno Gregorio ibi directus; itemque (ut de reliquis ejusdem provinciæ magnis & perfectissimis Doctoribus sanctæ Ecclesiæ Monachis reticeam) domnus BEDA, à pueritia ipsa in Monasterio Monachus conversatus, easdem Romanas diligenter, & posteriores ejus hodieque conservant institutiones: quia in Septuagesima nobiscum *Alleluia* dimittunt. In Passione Domini, quindecim videlicet dies ante Pascha, in Responsoriis *Gloria Patri* non dicunt, & in Cæna Domini & Parasceve ac Sabbato sancto novem tantùm Lectiones, novem Psalmos recitant, similique modo nobiscum [b] in omnibus totam Paschæ hebdomadam per tres Lectiones & tria Responsaria in dominica Resurrectionis, & per tres baptismales Psalmos festivam observant.

b

In quibusdam verò locis non ignoro in Passione Domini tribus noctibus duodecim Psalmos & XII. Lectiones cum Responsoriis agi: ubi prætermittuntur Hymni & Cantici, quippe qui pertinent ad lætitiam: ut in prima Nocturna quatuor Psalmi in solito more dicantur, & in secunda itidem quatuor, in tertia quoque quatuor: officiis tamen inchoationis ac tertium amittunt Psalmum; itemque Invitatorium, & in Theophania non recitant. item in Vigiliis dominici diei sanctæ Resurrectionis duodecim Lectiones & Responsoria cum tribus Canticis in tertia Nocturna, & duodecim Psalmos totaque hebdomada celebrant. Baptismales tamen Psalmos, qui ad diem pertinent, in numero assumunt ut nostræ pusillitati videtur: nec vituperandi sunt, sed potiùs laudandi, qui Gregorianum tenent morem. Ad quid enim hæc valeat observatio, dicit idem domnus Gregorius his verbis: » Hanc sollemnitatem rectè sol» lemnitatis nobilitatem dicimus, quia sollemnita» tes cæteras antecedit. Sicut enim in sacro eloquio » Sancta sanctorum, vel Cantica canticorum sui ma» gnitudine dicuntur: ita hæc festivitas rectè dici po» test sollemnitas sollemnitatum. « Denique manifestum est, quòd in hac sollemnitate, non solùm quæ sunt, sed etiam quæ futura sunt, recolimus. Itaque non vacat à mysterio, quòd in eo die duas amittimus Nocturnas, quæ vetera designant tempora, videlicet ante legem & in lege; solamque tertiam celebramus, quæ novum tempus, & per hoc resurrectionis futuræ nova gaudia denuntiat. Unde S. Benedictus jubet, ut in tertia Nocturna semper de novo testamento legantur Lectiones. Sic enim secundùm Apostolum expurgare præfiguramus à nobis vetus fermentum, ut simus nova conspersio: ut ad futuram resurrectionem accendamus animum nostrum, & per ipsam lætitiam recalescat fides nostra in eo quod credit. Quo fit, ut cæteros dies dominicos per annum iste dies, quo resurrectio Domini nostri proprio gaudio; & alter quo sancti Spiritus adventus recolitur, celebratur, lætitiâ festivitatis antecedat. Nam dominica in qua donum Spiritus-sancti memoratur, planè similem habet lætitiam; & ideo simili observantia habetur.

Homil. 21.

cap. 11.

Nec item reprehendendi, quin immo sunt laudandi, qui eumdem morem in eam, quam solent per continuos dominicos dies observare, transmittunt. Fortasse enim illud sanctæ Regulæ offendere timent, ubi præcipitur » ut numquam minùs à duo- « decim Psalmorum quantitate ad Vigilias noctur- « nas dicantur, excepto tertio & nonagesimo quar- « to. « itemque illud: » In Sanctorum festivitatibus vel « omnibus sollemnitatibus, sicut diximus dominico « die agendum, ita agatur. « Sollemnitates enim intelliguntur hîc esse appellatæ, quæ propriè de Domino celebrantur; sicut est Natale Domini, Octavæ ejusdem; Epiphania Domini, & Octavæ; Hypapanti Domini, Adnuntiatio Domini, sanctum Pascha, Octavæ ejusdem; Ascensio Domini, Octavæ ejus; Pentecosten, Octavæ ejus. At vero Psalmos, aut Antiphonas, vel Lectiones ad ipsum diem pertinentes instituit sanctus Benedictus recitari. unde ubi proprietas sollemnitatis in ipsis dominicis diebus invenitur, ipsa attenditur, ut puta in dominicis per Adventum quinquagesimus cum *Alleluia* non dicitur quia Antiphonæ sunt pertinentes ad ipsum diem: Psalmi etiam *Dominus regnavit* & *Jubilate* ad ipsum respiciunt tempus: quia (ut suprà dictum est) adventus Domini tripudium mundo denuntiat, non luctum afflictionis.

cap. 10.

cap. 14.

Quamvis ergo à more Romanæ Ecclesiæ in nonnullis sanctissimi Benedicti constitutio discrepet; absit à nostris mentibus, ut in aliquo à fide sanctæ atque apostolicæ Ecclesiæ eum dissentire credamus. Hic enim sanctus Domini Benedictus in omnibus sanctorum Apostolorum vestigia subtiliùs est imitatus. Cernens enim apostolicam doctrinam, quæ in initio nascentis Ecclesiæ viguit, suo tempore tantùm specie tenus observari; auctore Deo, ut alter Moyses, eamdem Apostolorum regulam roborare meruit. Unde in exordio Regulæ ex decretis pontificalibus sancti Clementis Papæ & Martyris, Petri Apostoli successoris, quædam necessaria [c], ut flosculos miri odo-

c

b *Nobiscum*, *per tres Lectiones.*] His verbis auctor se *Clericum* prodit. quo nomine afficitur in titulo mox relato codicis Lemovicensis: at in clausula *Presbyter* appellatur, tametsi Ademarus ipse, cujus studio scriptus est codex, Amalarium *Diaconum* vocat in Chronico. Verùm Amalarium ad sacerdotii gradum provectum fuisse constat ex ejus epistola ad Guntardum, vulgata in Spicilegii tomo 7. In nonnullis etiam codicibus mss. vocatur Abbas, immo & Chorepiscopus, uti notavit eruditus vir Stephanus Baluzius in Notis ad Agobardi librum adversus Amalarium. David Blondellus in Apologia pro Hieronymi sententia, eum esse censet Amalarium Episcopum, qui unà cum Halitgario Cameracensi, à Patribus Synodi Parisiensis anno DCCC XXV ad Ludovicum Augustum legatus est. Quidquid id est, Amalarius sub annum DCCC XXVII, quo Romam ad Gregorium Papam IV, ut ipse scribit in prologo ad Antiphonarium, directus est à Ludovico Augusto, adhuc morabatur in Metensi civitate. Denique apud Sigebertum in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 87, ATTULARIUS, rectiùs Amularius, *Monachus* fuisse dicitur, non alius forsan à *reverendissimo Christi famulo Amalhario*, cui Eginhardi epistola 3. inscripta est. In hac porro epistola Eginhardus Amalario mandat, ut *post sanctum Paschæ diem ad imperatoris palatium veniat cum suo comitatu ubi mandatis acceptis, & ratione legationis suæ sibi insinuata, sine mora iter aggredi valeat.* Quem locum de Amalarii Romana profectione interpretandum existimo.

c *Quædam necessaria* [Id est Regulæ caput 4 *de instrumentis bonorum operum*, quod sanctus Benedictus ex B. Clementis Papæ epistola prima desumsisse creditus est ab annis octingentis, id est post invectam pontificiarum pseudepistolarum farraginem in partes Gallicanas. Verùm, non S. Benedictus ex Clemente, sed Clementis subornator ex S. Benedicto totum hoc caput accepit. Clementinæ istius ad Jacobum epistolæ partes sunt duæ. Prior desinit in hæc verba ex versione Rufini: *Sed & nunc jam exponere quæ præcepit, incipiam.* Posterior ab eo loco in finem epistolæ extenditur. Et quidem prima pars antiqui est auctoris, quippe quam Rufinus è Græco vertit in Latinum, at pars secunda, quæ in Græco textu, & in versione Rufiniana deest, auctorem habet nuvigerulum illum Isidorum Mercatorem: eaque partim ex Bibliorum emendata per Hieronymum versione, partim ex Recognitionum per Rufinum translatarum libris, partim ex Cy-

ris & jocundi coloris, decerpit. Itaque omnia juxta morem Apostolorum in medio conferri jussit regulari præcepto, secundùm illud: *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Itemque Regulæ ejusdem æmulatores innormans ad nutum apostolicum, dicit: » Quia tunc verè Monachi sunt, si labore » manuum suarum vivunt, sicut & patres nostri, in» quit, & Apostoli. «

Act. 4.

cap. 33.

De Romana tamen ecclesiastica consuetudine secundùm uniuscujusque provinciæ morem, de varietatibus quæ ad mysterium pertinent, quòd gratum habuerit imitatores suos observare omnia, in eo opusculo, quod FAUSTUS [d] venerabilis Monachus, ejusdem sanctissimi Benedicti alumnus, à se conscriptum de vita sancti Mauri obtulit beato Papæ BONIFACIO, quodque idem sanctus Papa omni laude dignum duxit, suaque sancta auctoritate roboravit; narrat ita de obitu sancti Benedicti dicens: » Noctem » illam, quæ XII. Kal. Aprilis habebatur, & qua» dragesimum * Vigiliarum Paschæ illucescebat sab» batum, tam beatissimus Maurus, ac nos qui cum » eo ibamus, quàm sanctus Romanus cum aliqui» bus discipulis suis, jejuni pervigilem duximus, » unusquisque nostrùm secretò apud se, ut illis die» bus in Ecclesia Romana mos erat, Psalmos & ora» tionum preces devotè pro exitu ejusdem Patris no» stri dilectissimi Benedicti consummantes. Locus ubi » hæc acta sunt, fuit in Gallia pagus Autissiodoren» sis, in Cœnobio, quod Fons Rogi nuncupatur. Quibus verbis sanctum Maurum observasse Romanum morem, quem illo triduo observant, perspicitur: & quod de isto uno, sic de cæteris agendum puta.

* al. sanctissimum.

De reverentia porro corporis ac sanguinis Domini in nullo dissentire credatur idem sanctus Benedictus à scriptis beati Papæ Clementis, quibus jubetur, ut discernatur à carnali spiritualis cibus communionis: ut si quis communicat horâ tertiâ, non statim indifferenter terrenum præsumat cibum, ob reverentiam mensæ cælestis: sed exspectare debeat horam sextam. qui circa verò sextam, sustinere curet nonam, ne gustus cælestis ob terrenum vilescat. Sanctus verò Benedictus Lectorem jubet cibari ante » moram lectionis recitandæ, propter, inquit, com» munionem sanctam. quod apostolicis decretis contrarium non est. Sæcularibus enim illa sunt jussa, qui communibus cibis utuntur indifferenter, plerumque usque ad nauseam: qui honestioribus scandalum movere possunt in incuria accepti angelici panis. Et licèt panis sancti altaris animam reficiat spiritali sagma: tamen quia non sine corporeo gustu à nemine accipitur; ab honestis, ut inhonestus exemplo coerceant, per aliquot horas dignum est in terrenis epulis gustum oris non misceri. In hac horarum suspensione, credo, sanctissimus Benedictus vacationem legendi ab hora diei quarta usque ad horam sextam, qua reficiunt Fratres, constituit, ut refecti cibo cælesti, ab altari Christi mentes statim reficiant lectionis pane, & hac mora corruptibile ab incorruptibili discernatur alimento. Quin insuper illis, qui sobrietati student, honestè videtur posse concedi, non per easdem horarum moras, quibus inhonesti prohibentur, postquam communicaverint, non

Clement. pseud. epist. 2.

cap. 38.

cap. 48.

vetair: cùm propter justum lex non est posita, secundùm Apostolum. Nec vacare à mystico intellectu potest, quòd inchoationem Nocturnarum ab adjutorio divinæ invocationis volunt: nùm exordium quodcumque non sine adjutorio Domini rectè valeat caput sumere. ubi adjungitur gloria sanctæ Trinitatis: ut primus ad unitatem Trinitatis pertineat. deinde post gloriam sanctæ Trinitatis in tribus veluti personis dicatur secundus * ter. denique tertius Psalmus absque evigilatione nostra resurrectionem Domini monstrat, ac per hoc nostram: quam sequitur invitatorius. quia post Domini resurrectionem sancti Apostoli mundum ad Dominum invitaverunt. In diebus Passionis tamen tribus, & in Theophania similiter, propter mysticam non dicitur, & propter invitationem Judæorum malignam, & Herodis fictam machinationem, qui fraudulenter adorare Dominum quærens ut occideret, omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi invitans in concilium congregavit, sciscitans ab eis, ubi nasceretur Rex Judæorum. Primus quippe Psalmus in primo Nocturno *Afferte Domino*, invitationem demonstrat fidelium Magorum, ac per hoc gentium. qui prætermissus à solito ordine invitatorius in secunda dicitur Nocturna: quia Magi per stellam invitari nequaquam sunt ad impium Herodis concilium reversi: sed per aliam invitationem angelicam, videlicet per alteram viam, reversi sunt in regionem suam, id est in paradisum, ubi Christus credentes remittit.

* I. versus, *Domine, labia mea aperies.*

Tertius autem Psalmus sine modulatione Antiphonæ in directo dicitur, quia resurrectionem Christi terræ motus magnus subsequutus est. Angelus enim Domini descendit de cælo, cujus adspectus ut fulgur, vestimenta autem ut nix. Sed & futura resurrectio nostra in terræ motu magno, videlicet in tuba Dei resonante, &, ut Propheta ait, *Non solum terram movebo*, sed etiam complebitur. Terræ motus enim plus ad terrorem, quàm ad blandimentum pertinet: modulatio autem demulcere solet aures auditorum. Jure ergo sine oblectamine modulationis dicitur. Sicut sexagesimus sextus, qui primus matutinali laude dicitur, qui primam Ecclesiam de circumcisione designat: qui timore compuncti, ut dicitur in actibus Apostolorum, in Christum credentes præ terrore sibi divinitus, sicut & Saulus in terram prostratus, immisso, ad blandimentum Christianæ dulcedinis salubriter incorporati sunt. Invitatorium autem semper habet modulationem: quia oblectamento promissionum regni cælestis & miraculorum gaudiis Apostoli prædicatunt. Nec te moveat, quòd invitatorium æstivis diebus hebdomadalibus sine modulatione Antiphonæ solet dici: quia terroribus plagarum, terroribus futuri judicii, aliquando ex incredulis creduli effecti sunt.

Sequitur Hymnus, qui Christum credentes laudare Christum demonstrat. nam invitatus mundus ad Baptismum, lætitia, quæ designatur per Hymnum, plaudit, dum laudat Creatorem, quem antea ignorabat.

Duodecim Psalmi sequuntur, seni & seni per duas Nocturnas: quæ perfectionem veteris Legis sub Moyse & David demonstrant. In hac enim apostolica doctrina diffundenda, & quatuor Evange-

cilli Alexandrini adversus Theodorum Mopsuestenum scriptis, S. Benedicti Regulâ, Venantii Fortunati expositione in Symbolum, Gregorii Magni Pastorali, & Isidori sententiis conflata est, ut Blondellus observavit.

d *In eo opusculo quod Faustus.*] Odo Glanafoliensis Abbas libellum de vita S. Mauri à Fausto in Italia editum, at in Gallia ignotum, anno DCCCLXIII comparavit à quibusdam peregrinis Româ revertentibus; eumdemque libellum postea expolivit, & toti Galliæ publicavit. Amalarium ad id tempus pervenisse non puto. Alium proinde, quàm Odonis librum præ oculis habuit hoc loco, tametsi ipsissima verba refert, quæ apud Odonem reperiuntur. An Fausti libellum Amalarius Roma retulit.

lia revelanda, & quatuor mundi partes illustrandæ, quæ ostenduntur per quatuor Lectiones & quatuor Responsoria, in sensu interiori condita erat. unde & in mensa Domini, quasi in lege Mosaica, duodecim panes propositionis, quasi duodecim Apostoli, inerant, seni altrinsecus positi: quia in caritate Dei & proximi perfecti sunt.

Tertia autem Nocturna, quæ tertium tempus novæ gratiæ indicat, tria Cantica de Prophetis habet, id est lætitia mundi de cognitione sanctæ Trinitatis, quam prophetæ perspicuis prædicaverunt vocibus, & in novo tempore mundo revelata est. Unde & *Alleluia* diebus dominicis cani præcipitur, quia *Alleluia* ad gaudium & laudem pertinet.

Itaque per tres nocturnas in quarto Responsorio *Gloria Patri & Filio & Spiritui-sancto* cantare instituimur: qui per tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia, in mysterio quatuor Evangelia fuerunt, & partes quatuor mundi Christum laudaturæ, quæ sanctæ Trinitati gloriam concinunt concordabiliter. Solent etiam dici cum una solum Antiphona tria Cantica: quia unitas in sancta Trinitate intelligitur.

Dicitur *Te Deum laudamus* ante Evangelium, demonstrans laudem cælestium in Incarnatione Christi. Unde & ipso nato gratulantes laudibus concinuerunt dicentes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Dicitur *Te decet laus* post Evangelium, quod designat laudes terrestrium post prædicationem Domini auditam, & ab errore gentili gentilitatem ereptam. Unde quasi ante & post Evangelium, id est Christum, turbæ præcedentes & subsequentes Regem exclamant: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* In nocte verò Nativitatis Domini ideo mos est post Evangelium Matthæi, quod declarat genealogiam Christi, recitari ab Abbate qui ipsum legit Evangelium, *Te Deum laudamus*: quia Evangelium nativitatem Christi narrat, quo nato Angeli laudibus prorumpunt: post quas angelicas laudes, pastores adorantes Dominum, à præsepio glorificantes & laudantes Dominum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos, reversi sunt. Propterea mox ab omnibus subsequitur *Te decet laus*, quasi hoc sit laus pastorum. ubi sine mora Missa incipitur: quia ut animalia munda Dominum nostrum, qui erat invisibilis apud Patrem, in præsepio quasi intrapositum, de virgine natum visibilem adorare debemus.

Præcipit Regula Abbatem Evangelium legere, quia prædicationem Christi meliores & perfectiores arripere debent: ut ex hoc admoneatur Abbas, quanta virtutis perfectione cæteros transcendere debeat. Cum honore & timore stantes ammonet omnes: quia sermonem Dei quisque fidelis non in vacuum, non in contemptum suscipere debet. quia verò corde creditur ad justitiam, & ore confitetur ad salutem; propter fidem evangelicam exprimendam in fine respondetur, *Amen.*

Porro quòd apud quasdam ecclesias in Adventû dominico, necnon in septuagesimalibus & Quadragesimalibus diebus, à Clericis prætermittitur *Te Deum laudamus*, sicut & ad Missas *Gloria in excelsis Deo*; nequaquam à monastico Ordine hæc talis consuetudo observatur, sicut nec à quibusdam Canonicorum ecclesiis. Nam in Dominica, quæ Mediana [e] vocatur, quando in Responsoriis & Invitatorio prætermittitur *Gloria*; hymnus *Te Deum laudamus* non prætermittitur ante Evangelium, ubi divinitas Christi, antequam Abraham fieret, esse dicitur. ubi licèt Judæorum persecutio dicatur, qui tulerunt lapides ut jacerent in JESUM, necdum tamen completur Passio. Ubi enim completur Passio, *Gloria* in omnibus Psalmis & laus *Te Deum laudamus* prætermittitur. quod fit in tribus diebus ante Resurrectionem. Manifestum est enim in Passione Christi cælestes Virtutes & Discipulos Christi non gratulatos, sed mærentes fuisse, cùm sol dolore suos subtraxerit radios, mundique elementa in Domini sui humilitatem angustiarum horror obduxerit. In Dominica etiam Palmarum hymnus *Te Deum laudamus* non prætermittitur, cùm Evangelium resonet laudes turbarum clamantium Domino, *Hosanna in excelsis.* Dignum enim videtur, ut preces quæ ad Missas omnes dicuntur, in officiis diurnis & nocturnis non prætermittantur.

Nam in Adventu Evangelia, non tristitiam, sed gaudium nobis nuntiant. Unde propter ipsos triumphales lætitiæ venturæ Nativitatis dies, in laudibus matutinis *Dominus regnavit*, & qui à jubilatione incipit, Psalmi pertinent. De operariis enim vineæ à patrefamilias convocatis, deque seminum parabolis, ac de illuminato cæco, qui mundum à Redemtore illuminatum indicat, & de triumphato diabolo in tribus temtationibus à jejunante Christo; itemque de sanata filia fidelis Chananeæ, necnon & de ejecto dæmonio à muto & surdo homine obsesso; item de quinque millibus hominum quinque panibus & duobus refectis piscibus, Lectiones, quid aliud nisi Christi triumphos & gaudium Ecclesiæ denunciant? Sed & in natali Innocentum à quarumdam Ecclesiarum Clericis non dicitur *Gloria* in tertiis Responsoriis nec Hymnus suprà dictus. Monachis verò consultum videtur, & glorias & hymnum laudis non prætermittere. unde in duodecimo Responsorio, quod Hymnum antecedit, de triumpho laudis non ambigitur, dum dicitur: *Ideo regnant cum Deo & Agno, & Deus cum illis.* item Psalmi, à Domini regno & jubilo orsi, ipsis Matutinis inseruntur. Item Antiphona dicitur, *Cantabant sancti canticum novum.* Hinc & in authentico Gregoriano tantùm *Alleluia* & *Gloria* ad Missas tollitur, propter luctum matrum sive Ecclesiæ, dicente Evangelio: *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Benedictio autem, quæ post Collectam, recitante Abbate Evangelium, dicitur, & sic incipiunt Matutinos; ostendit orationes nostras debere, ut sint acceptabilia Deo, quæ præmissa sunt. Unde post duodecim Lectiones & duodecim Responsoria, quasi cum XXIV senioribus habentibus *singulas citharas*, in quibus musica modulatio quæritur; *& phialas aureas*, quæ recreant sitientem, quasi Lectiones, assolent; *plenas odoramentis, quæ sunt*, inquit, *orationes Sanctorum*, quasi duodecim Psalmorum perfectione refertas; rectè Deo post Evangelium orationem offerimus. Unde & dicitur, *Cum darent quatuor animalia*, quæ sunt Evangelia, *gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, procedebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno*, item *& cantabant canticum novum*, post oblatas citharas & plenas odoramentorum phialas. Unde & ipsa oratio post canticum Zachariæ solet repeti, ut præcedentia simili modo Deo commendet.

Porro etiam cùm in dominicis diebus alicujus Martyris, vel Sanctorum quorumdam, quibus recordationem volumus exhibere, sollemnitas fuerit, primores duas periochas ei, quod majus retinet proprietatis sive reverentiæ, videlicet diei dominico; tertiam verò periocham, quæ jam resonat novum

e *Dominica mediana*] Id est Dominica Passionis, uti explicat Ordo Romanus, & facilè ex hoc loco intelligi potest.

Testamentum, cum laudibus matutinalibus commemorationi Sanctorum contradimus, rectè fieri videtur. Etenim in potiori potioribus occupamur laudibus, tam in Psalmis, quàm in Antiphonis, & in Lectionibus ac in Responsoriis. quæ tamen antecedentia prima per intervallum diapsalmatis & finem ofucii per orationem replicare, ac Deo commendare dignû est: ut à quo caput cœpit, extremitas recurrat.

Tali modo fit etiam, dum in uno die interveniunt Sanctorum sollemnitates, in quibus celebrandis electio secundùm quamque provinciam cuique provinciæ relinquitur. Quædam enim provinciæ alium alio sollemnitate præponunt: vel quia reliquias eorum continere videntur, sive famam celebriorem, sive vicinitatem: tamen in præcipuis Dominicis in quibus eæedem ac officia lectionis absque recordatione transigi non possunt, utpita per Adventum & Quadragesimam, si excellentissimorum advenerint sollemnitates Sanctorum, in procrastinatione observantur: videlicet, ut eodem datario, quo accidit, si non potest persolvi, crastino reddatur plenarium sollemne. Sic etiam in dedicationibus quarumque ecclesiarum, cùm sollemnitas dedicationis anniversaria non possit transmutari, sollemnitas Martyris in crastinum celebratur, quæ eo die foret celebranda, nisi interjectione inevitabilis celebritatis. Porro si festivitas templi per Dominicos Adventûs sive Septuagesimales acciderit, in crastinum reservatur aptissimè. nam & Hypopanti, si quando in Dominico Septuagesimali incurrit, in secunda feria illucescente observatur, antequàm tantæ reverentiæ cultus intermittatur.

Præterea quia per privatos anni dominicales dies sanctus Benedictus Psalmum quinquagesimum *Miserere mei, Deus*, qui ad pœnitentes pertinet, cum *Alleluia* instituit canere, cùm Romana Ecclesia per omnes semper Dominicas, exceptis Septuagesimalibus, *Dominus regnavit* moduletur; sciendum mysterio agi, ut spes & timor canentibus insit. Spes tendit ad regni gaudia promissa, quam designat *Alleluia*: timor mentem, ne incautè elevetur, deprimit, qui per pœnitentialem innotescit Psalmum. Itaque in præsenti sæculo nec spes sine timore, nec timor sine spe fidelis mentem exerceat: sed timor deprimat, ne extollat; spes erigat, ne corruat. Post pœnitentialem sequitur Psalmus confessionis, qui jam mentem à timore revocans, exsultandum præcipit & lætandum, dicens: *Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus & lætemur in ea.* Sicut autem una laus sanctæ Trinitati congruit, sic hos tres Psalmos cum modulatione unius *Alleluia* solent recte dicere. Conjunctionem verò populi Judaïci in fine mundi, quam demonstrant apud Clericos subsequentes duo Psalmi cum una *Gloria*, cum gentilitate conversa; Monachi in tribus solummodo Passionis noctibus recitant: quam tamen rectè semel in hebdomada comparant in officio vespertino secundæ feriæ, quasi in fine diei, cùm in persona Synagogæ, sub Antichristo calicem salutaris accepturæ, votaque sua in conspectu omnis populi Christiani in medio Hierusalem, quæ est Ecclesia præsens, Domino redditurae in fine mundi, Psalmus à credulitate eorum incipiens, qua credituri sunt in prædicatione Enoch & Heliæ, non incongruè decantaretur; & in persona gentium credentium deputetur *Laudate Dominum omnes gentes* sub una *Gloria*. Nam in persona Synagogæ, quæ prima credidit, timore compuncta, directaneus sine Antiphonæ modulatione in inchoatione matutinalis offici idicitur, *Deus misereatur nostri*.

Ante Hymnum Zachariæ Ambrosiana laus cantatur, quæ columnas sanctæ Ecclesiæ, sanctus videlicet Patres, designat, qui post laudes quas ab Apostolis didicerunt angelicas, ore proprio novos Hymnos in figura Israelis mare rubrum exeuntis, qui carmen metricum Domino concinunt, depromere studuerunt ad laudandum auctorem, per quarum meritum laudum mane novo, id est veræ luci in æterna patria conjuncti, laudibus Prophetarum & Patriarcharum & cæterorum per novam gratiam cælo junctorum sunt adsciti. Post quas Ambrosianas odas ammonentur Monachi, ut de terrenis ad cælestia se transferant, dum per laudes, quas promunt in terra, pertingere sese non nesciant, ubi Psalmista flagrans canit: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Juxta finem officii congruenter ponuntur preces & Oratio dominica. Vir enim Domini Benedictus valde conjunctus Creatori, valde sitiens sui sectatores conjungendos Deo, hoc utile providit, ut Græcæ Litaniæ, more Ambrosiano & Orientalium, sicut in celebratione Missarum, post evangelicum hymnum ante Orationem dominicam recitentur: ut Fratres dividendi ab invicem sese Deo precibus commendent; sive quod minùs perfectum in officio paracto pro humana fragilitate persolutum est, his precibus venia imploretur *. Clericis in diebus festivis hæc observatio non est: quia antiqua consuetudo Romana etiam ad Missam nequaquam recitabat ipsas preces, quæ sunt *Kyrie eleison*, donec domnos [f] Gregorius Papa ultimum hoc fieri judicans [g] instituto usus est. Itaque velut in omnibus ipsis sollemnibus ad Missas ante sacrificium *Kyrie eleison* proclamatur: sic congruentissimè à Monachis in vespertinali & matutinali non solùm, sed etiam in Horarum cæterarum votivo sacrificio profertur in ipsis etiam sollemnitatibus festis. Dominica Oratio post preces dicitur, sicut Regula scribit, propter scandalorum spinas. Ubi intelligitur, officia à sancto Benedicto ordinata tota esse spiritualia, tota Deo acceptabilia. Sic enim puto ante fractionem sacrificii ipsa dominica Oratio dicitur propter scandalorum spinas, ut conventi per ipsius sponsionis orationem, qui communicaturi sunt, purgent se ab hujuscemodi vitio, ut pacificati in pace Christi securiùs jungantur. quod Apostoli servarunt, & domnus excellentissimus Papa Gregorius fieri dignum statuit.

* hic litura est in ms.

f

g

Cap. 11.

Porro per quinque Horas ternos Psalmos idem sanctus egregius Pater decantari voluit: ut quinque sensus nostri corporis tribus animæ virtutibus excellere ammoneantur, ut ex toto corde, tota anima, tota mente diligamus Deum. Vesperæ verò cum quatuor Psalmis modulantur ut quatuor elementa corporis nostri sanctificationi animæ ammoneantur & rationis vigori subjecti. Dies denique dominica lætitiâ est triumphalis, & virtute Dei tota ornata: ideo ad Vigilias nocturnas Psalterium incipere voluit à Psalmo, qui virtutem & lætitiam pronuntiat, dicens: *Domine, in virtute tua lætabitur Rex.* Nec movere debet, quòd sequens Psalmus, qui de Passione propriè totus pæne scribitur, *Deus Deus meus, respice in me*, decantur in die lætitiæ ad Vigilias, cùm apud Clericos ipso die ad Primam dicatur. Die tamen Paschæ prætermittitur & Pentecostes, & à Monachis ad Vigilias, & à Clericis ad Primam. Psalmi enim baptismales, ut jam fatum est, numero duodenario instruuntur, quia ad diem pertinentes sunt.

f *Domnus Gregorius.*] Hæc vox, *domnus*, Amalarii stilum sapit, sicut & aliæ plures, *in authentico*, &c.

g *Hoc fieri judicans.*] Id patet ex Gregorii epistola 64 *Analect.* lib. 7. Indictionis secundæ ad Johannem Syracusanum Episcopum, cui facti sui rationem reddit.

Ad Primam verò Monachorum *Beati immaculati*, & ad sequentes tres Horas per quotque Hebraïcas Alphabeti incisiones delegatur ob resurrectionis tripudium. Hinc pedibus metricis hic Psalmus apud Hebræos, referente Hieronymo, scanditur. Primà verò dominici diei palmâ quadrifidæ Crucis misterium exaltatur. unde quasi per quatuor partes Crucis quatuor capitula memorari Psalmi psallunt: unde & in Parasceve hic Psalmus ad Crucem adorandam modificatur. Sed & quatuor sequentium Horarum ternis continentur quantitates Psalmis: quia tres virtutes animæ mysterio Crucis roborantur, quod est prudentia, justitia, fortitudo, ac temperantia. Terna sequentia in secunda feria explicantur capitula: ut hoc modulamine sequens primus in labore septimanæ dies recordatione præteriti dominici mentibus dulcescat. Hinc finis transacti dicit: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine! super mel & favum ori meo.* Initium incipientis dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Subsequentes jam quinque dies habent Cantica graduum. Et meritò, quia in sudore vultus nostri deputantur. Ad Dominum clamant auxilium: incolatum mundi deplorant; & ut misereatur nostri Deus postulant; & ut convertatur captivitas nostra, sicut torrens in austro: ut qui seminamus in lacrymis, in exultatione resurrectionis Domini & gaudio metamus.

Ad Primam secundæ feriæ Psalterii caput initiatur: ut intrantes in laborem sæculi ammoneamur non abire in concilio impiorum; & ut in lege Domini sit voluntas nostra assidua; & serviamus Domino in timore; & ut eripiatur anima nostra, dum laboramus in gemitu præsentis sæculi.

Tertia dies rogat justum adjutorium nostrum à Domino, cujus nomen admirabile est in universa terra, qui tangit minorationem Domini paullo minus ab Angelis; & ut sit adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Quarta dies supplicat exsurgere Dominum ad judicandum pupillo & humili; prædicat oculos Domini in pauperem respicere; ne desperandum sit de divino adjutorio; & ut salvemur in defectione sanctitatis, & diminutione veritatis, quæ fit cotidie à filiis hominum.

Quinta postulat feria, ut respiciat & exaudiat nos Dominus, prædicans Dominum prospicere super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Et quis est qui non commovebitur in æternum, ut præsentiam Dei præ oculis habeamus, & sine macula ingrediamur.

Rogat sexta conservare nos, & intendere deprecationes nostras; indicat dilectionem Creatoris, ut liberetur creatura. Hi etiam tres Psalmi Passionem & mortem Domini, quæ eo die celebrata est, tangunt, sicut est, *Non derelinques animam meam in inferno.* & item, *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam.* itemque, *Circumdederunt me dolores mortis.*

Jam septima proponit spem resurgendi, nam dicit: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine.* item, *Super excelsa statuens me.* &, *Exaltetur Deus salutis mea.* item, *In sole posuit tabernaculum suum.* itemque, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Tertius canit: *Lætabimur in salutari tuo.* & item, *Nos autem surreximus & erecti sumus.* Finis Psalmi desinit in Dominum regem nostrum; & caput sequentis in crastino ad Vigilias Psalmi orditur à Domino rege nostro. Est enim in Sabbato ultimus versus: *Domine salvum fac Regem.* est primus in Dominica versus, *Domine, in virtute tua lætabitur Rex.*

Jam vespertinales primalibus concinunt Psalmis per hebdomadam. Pronuntiatur enim in Dominica ad Primam beatitudo eorum, qui ambulant in lege Domini. Pronunciatur in Vespera beatitudo eorum, qui timent Dominum, & in mandatis ejus cupiunt nimis. In secunda feria resurrectio justorum ad Primam tenetur: *Non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum, quoniam novit Dominus viam*, id est *resurrectionem mortuorum.* Dicit Vespertinus: *Non mortui laudabunt te, Domine neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Modulatur Rex constitutus à patre: modulatur Israël potestas ejus.

Tertia pronuntiat dies, *Dominus justus, fortis & patiens, numquid irascetur per singulos dies?* Respondet vespertinalis: *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?* Laus & confessio Domini jam quartâ vespertinâ resonat, cùm primalis vituperamenta Anti-Christi & callida machinamenta non taceat. Dicit Prima regnum Domini & regnum reproborum: *Dominus regnabit in æternum & in sæculum sæculi, peribitis gentes de terra illius.* Similia modulatur Vespera, *Quia magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus diis*, Percussionem Regum, occisionem Pharaonis & Ægyptiorum, id est reproborum. Dicit Prima: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer.* Resonat Vespera dissensum electorum à reprobis: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Rogat quinta Primâ, inluminari oculos nostros, ne obdormiamus in morte: patefecit Vespera, noctem ut diem inluminari; & sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus, id est in præsentibus tenebris sæculi à scientiæ lumine Christi nos inluminari. Describit pravorum perversitates, qui dicunt insipientes in corde suo, *Non est Deus*, secundus Primæ: sicut vesperalis homines malos, viros iniquos, qui cogitant supplantare gressus piorum. Narratur in tertio lucis qualitas habitatoris tabernaculi auctoris, qui non commovetur in æternum. Respondet quartus noctis studium ejus declinantis in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem, qui singulariter est inter reprobos cadentes in retiaculum laquei, donec ipsos pertranseat laqueos. Sexta mortem Domini & Passionem innuens ait Prima: *Providebam Dominum, quoniam à dextris est mihi.* Designat similiter Vespera: *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me.* Illud, quia divinitas non defuit humanitati: hoc autem, quia Judæi unanimes in Passione Christo insultaverunt, quasi ignoto. Dicit secundus de impiis: *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum, saturati sunt filiis, & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.* dicit de Electis: *Ego autem apparebo conspectui tuo, satiabor dum apparuerit gloria tua.* Respondet de impiis vespertinalis: *Quorum filii sicut novella plantationis.* adnectit & de Electis: *Beatus populus, cujus est Dominus Deus ejus.* Dicit ad Primam: *Diligam te, Domine, fortitudo mea.* consonat Vespera: *Exaltabo te, Deus meus Rex.*

Septima delicias Resurrectionis inculcat: *Vivit Dominus & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis mea.* concordat cui Vespera Sabbati, dicens lætitiam & gloriam regni Dei, cujus regnum omnium sæculorum.

Simili modo ad Vigilias nocturnas diei secundi ab exsultatione justorum, sicut in Dominica à lætitia capitis incipit. Unde sicut in Dominica ad Primam beatitudo; sic in secunda pari modo à beatitudine orditur. hinc etiam quæ remanent carminis incisiones ad Tertiam, Sextam & Nonam, eadem die re-

servantur. In Tertia Sabbati Dominus noster refugium & virtus invocatur in tribulationibus: sicut ad Primam in tribulatione laborans proclamat, *Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac.* eodem ordine ad Tertiam vox tribulantis ad Dominum clamat Antichristi pro sævitia. Quarta Prima orat dicens: *Exsurge, Domine, non confortetur homo.* proclamat nocturnalis dicens: *Deus repulisti nos & destruxisti nos.* quæ repulsio non ad temtationem, sed ad probationem Electis contra Antichristum & membra Antichristi conceditur, quibus & datur significatio, ut fugiant à facie arcus, id est dolosi Antichristi. Numquid quinta Sabbati nocturna cum Prima sua non facit concinere unâ harmoniâ? utriusque enim quasi una vox resonat, *Ut quid Deus repulisti in finem? elatus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam à me?* Nonne sibi respondent in sexta feria, *Inclina, Domine, aurem tuam, & exaudi me. Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.* Numquid non de Passione simul resonant, *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Item alter, *Non derelinques animam meam in inferno.* Dicit nocturnus, *Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt.* ait diurnus, *Inimici mei animam meam circumdederunt.* Dicit secunda Nocturna confusionem diaboli, regnum crucis, potestatem Christi: *Commoveatur à facie ejus universa terra, dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.* subauditur, à ligno crucis. Modulatur Prima: *Commota est, & contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus est eis.* De isto ac de cæteris septimanæ diebus, quomodo Psalmus Psalmo congruit, si tangere volo, modum scripturæ excedo. Sabbati Nocturnæ, sicut Psalmi Primæ, lætitiam venturi dominici diei nuntiant. Unde & quidam *Alleluia* titulo prænotantur; & quemadmodum ultimus versus Primæ, primo sequenti qui ad Vigilias in Dominico repetitur, concinit. Utrique enim de Rege qui intelligitur Christus, resonant. sic Sabbato: *Quia adstitit*, inquit, *à dextris pauperis, ut salvum faceret à persequentibus animam meam.* Continet sequens, qui crastina Vespera Dominica inscribitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Superius enim Christum pauperem pro nobis factum, pauperem ait propter humanitatem: hic autem Dominum nostrum, Dominum appellat propter divinitatem, æqualem Patri.

Dicendum de his qui post quinquagesimum duobus per hebdomadam in matutinis laudibus fiunt Psalmis. quorum unus qui est, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*, ante Canticum instituitur à sancto Benedicto. Numquid in secunda feria ambo de luce non resonant? alter enim habet, *Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam, mane adstabo tibi.* alter quoque dicit: *Et in lumine tuo videbimus lumen.*

Tertia continet feria, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* & item, *Exsurge gloria mea, exsurge Psalterium in cithara, & exsurgam diluculo.* habet quarta, *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, qui lumen mundi est. & item, *Exitus matutini & vespere delectabis.* Inseritur quintæ, *Ego ad te, Domine, clamavi, & mane oratio mea præveniet te.* habet alter, *Sit splendor Domini Dei nostri super nos.* Sexta dicit feria, *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* item, *Cùm exsurgeret in judicio Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.* Reboat, *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam & veritatem tuam per noctem.* Dicit Psalmus Sabbati, qui est solus ante canticum Moysi: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.* quem sequitur, *Audite cæli carmen*, per duas glorias divisum, quod credendum est sanctum Benedictum instituisse, ut in aliis fecit prolixioribus Psalmis, consulens tædio cantantium, quorum cordibus longitudo Psalmorum esse solet oneri. Unde in Conventibus breviandam esse memorat orationem, cap. 20.
propter aliquorum imbecillitatis segnitiem, quæ mentes deprimere infirmorum solet. Tamen hæc mediatio Psalmorum non inconvenienter potest accipi, ut gratior sit moderatio illorum, qui dividuntur, Psalmorum. Unde & diapsalma apud Hebræos in nonnullis interponitur, quod significat intervallum vocis distinguendæ. Hinc per alphabetum Hebraicum carmen beatitudinis distinctum est: quod Dominica tantùm & secundâ feria Monachi, Clerici verò cotidie per quatuor Horas psallunt, per glorias plures cùm unum sit, scinditur. Inter primam verò diem & secundam diapsalma tale unum est, interque tertiam & quartam alterum: inter sextam autem & septimam duo interponuntur, ut per has dierum tres continuationes anima nostra per suas tres partes, irascibilem, concupiscibilem, rationabilem, convenienter conjungatur suo corpori. Hoc verò fit dum irascimur vitiis, dum concupiscimus bona, dum rationе quæque agenda sunt, agimus. Quæ divisio Psalmorum non debet esse in proprietatibus sollemnitatum: ut Nativitate Domini, *Misericordias Domini in æternum cantabo*, per unam dicitur *Gloriam* apud Monachos, sicut apud Clericos. Item in Pentecostes, *Exsurgat Deus*, sub una *Gloria*. in vigilia Nativitatis Domini, *Audite cæli*, sub una *Gloria*; & in nonnullis Sanctorum festivitatibus, qui Psalmi ad ipsas de his pertinent, dicuntur sub una solùm *Gloria*. Sicut verò Monachis, qui in nostris provinciis sunt, mos est unanimiter nobiscum in Septuagesima *Alleluia* dimitti [h], & *ea die* tantùm nocte Responsoria cum *Alleluia* recitari, itemque Responsorio h
Natalis Domini, quod est *Benedictus qui venit in nomine Domini*; item in Theophania in Responsorio, *Omnes de Saba venient*, ubi mystico sensu *Alleluia* positum est, scilicet propter Nativitatis Domini gaudium, & lætitiam Magorum in figura gentium: sic nos eos solemus imitari in Ambrosianis Hymnis. Ut enim Romana consuetudo sine Hymnis officia canit Horarum: apud quasdam etiam ecclesias tempore æstatis, diebus privatis, sicut apud illos, una Lectio tantùm recitatur. In quibusdam autem Monasteriis Monachorum etiam propter consuetudinem Romanam, ne penitus ab ea discrepent, ut historiam veteris Instrumenti pleniùs in ecclesia legant, æstatis tempore feriâ tantùm secundâ, quartâ & sextâ, tres Lectiones aguntur, & aliis tribus diebus, nisi Sancti alicujus memoria fuerit, propter observationem Regulæ sancti Benedicti, unâ contentum est. Hanc autem institutionem sanctissimus Benedictus à Pascha usque ad sollemnitatem omnium Sanctorum, videlicet Kalendas Novembres, agi decrevit: in nonnullis tamen Cœnobiis ab Octobrio mense anticipantur. De quibus nihil eidem sancto Benedicto displicere putatur, si in divino cultu plura, quàm ipse instituit, accrescere maluot. Nam propter imbecillam fragilitatem quorumdam, quibus somnolentia faciliùs surrepit, sicut de Invitatorio directaneo, putandus est unam statuisse Lectionem.

h *Nobiscum, &c. Alleluia dimitti.*] Ita statutum anno DCCCXVII in Synodo Aquisgranensi cap. 30, *ut Alleluia in Septuagesima dimittatur.* Quod ait Auctor, *nobiscum*, se iterum Clericis adjungit.

A: alect

Quòd verò per dies privatos non, sicut Clerici, duodecim Psalmos simul ante Lectiones, sed senos & senos, & in medio Lectiones recitant Monachi: adstruendum est S. Benedictum non ignorasse hoc Deo acceptū esse. Unde mystico sensu bene accipitur, quasi in tribus Lectionibus & tribus Responsoriis, gubernatio S. Trinitatis in mundo: qui duodecim mensibus annum, duodecim horis diem, duodecim horis noctem, duodecim Apostolis regeneratus habet. Idem venerabilis & sanctissimus Doctor Benedictus, qualiter Ecclesiasticus imitaturos esse voluerit suos, indicat, cap. 48. dum jubetur ab ipso, ut nuntianda hora operis Dei die noctuque sit cura ipsius Abbatis, & ut nihil operi cap. 46. Dei præponatur. Terminus etiam noctium hiemis & æstatis, & super hæc dominico die maturiùs surgendum. Ubi sanctum Ambrosium secutus est, cui cap. 12. semper consuetudo fuit dominicis diebus ante horam noctis mediam surgere. quod Hymnus ejus demonstrat, *Surgamus omnes ocius, & nocte quæramus pium.* Versus etiam in Nocturna secunda dicit: *Media nocte surgebam.* Hymnus matutinalis, quasi anticipante hora diluculum, canit: *Præco diei jam sonat, noctis profunda pervigil.* Unde & nocte Resurrectionis dominicæ in Pascha apostolica consuetudo tradidit usque ad mediam noctem populum in ecclesia exspectare, nec ante mediam noctem aliquem dimittere. Figura nota est, quòd Angelus percutiens in Ægypto transierit media nocte ad interimendum Ægyptios. *Nullus*, inquit, *ex Israel egrediatur ostium domus suæ, quæ sanguine agni in liminaribus respersa erat.* Omnibus enim dominicis i Resurrectionis diebus [i] rectè à Monachis circa mediam noctem surgitur: ut imminente & transeunte media nocte in ecclesia, velut Israël in domibus inclusus, Dominum exspectantes, ammoneantur se liberari à persecutionibus malignorum spirituum, quibus ad nocendum visibiliter & spiritualiter omnibus horis intendunt. Jam in Laudibus matutinis, quasi in Vigilia matutina per columnam ignis & nubis, quod est lumen gratiæ Christi, subruatur per Christi gratiam exercitus vitiorum, ut evadentes post victoriam, in carmen horæ primæ prorumpentes, demum circa tertiam horam manna cælesti à sancto altari, videlicet pane Angelorum, reficiantur. Quo pasti ad terram promissionis, terram viventium, ubi hereditas Electis dividitur, prout quisque in præsenti bonum intendit operi, perveniant.

In omnibus igitur officiis tam Clerici, quàm Monachi persolutis, orationem Domino rectè offerunt ultimam, quæ per Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM Deo Patri commendatur: ut Deo commendantes vota præcedentia modulandi, oratione sacerdotali muniantur, quos disjungendos communiter salutans, resalutatur postea à cunctis. Congruentissimè Dominum in fine benedicentes, & Deo gratias dicentes, aptissimè dicit Sacerdos, *Benedicamus Domino.* aptissimè cuncti respondent, *Deo gratias.*

EXPLICIT LIBER SYMPHOSII AMALARII PRESBYTERI VENERABILIS de divinis officiis, quem misit ad LUDOVICUM & LOTHARIUM Reges, filios Caroli Magni Imperatoris: quem librum in hoc corpore transscribi curavit ADEMARUS indignus Monachus in honorem Dei & sancti BENEDICTI.



EPISTOLA PASTORALIS

VULFADI ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS,

Ad parochos & parochianos suos.

CIRC. ANN. 870. VULFADUS, etsi indignus atque peccator, gratia tamen Dei sanctæ matris Biturigensis ecclesiæ Episcopus, omnibus consacerdotibus & comministris, necnon universis ecclesiæ mihi commissæ filiis, in Domino salutem. Solliciti semper, dilectissimi fratres, de salute vestra & de pretio animarum vestrarum, qui in ecclesia Pastores vocamini, & gregem Domini reficere & providere debetis; rogamus vos & obsecramus, ut in his quæ ad ministerium vestrum pertinent, jugiter meditantes, lucrum animarum vobis commissarum omni intentione quæratis, & custodias super populum Domini omni tempore habere studeatis. Officium ergo ministerii nostri est, ut utilia vobis & necessaria suademus, & proficua, si possimus, ostendamus. Itaque, dilectissimi, providere debetis, ut quod nominamini, esse contendatis. Sacerdotes vocamini: sancti & mundi esse, & sacerdotium sanctum digne tenere & frequentare studete: quoniam de Sacerdotibus Dominus dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Pastores appellamini; oves consignatas sollicite regere & providere contendite. Speculatores nuncupamini: ut in altiori virtutum gradu, sanctitate & intellectu vosmetipsos erigere, ut carnalibus desideriis superatis, contra mundanos impetus & nequitias spiritales viriliter possitis pugnare. Fidem quoque rectam (quod est fundamentum omnium virtutum) corde firmiter tenete, & ore prædicate, & lectioni, prout potestis, ardentius insistite, ac meditari in Scripturis sacris & divinis præceptis contendite. Orationi & psalmodiæ vigilanter incumbite: quoniam hæc sunt arma, quibus diabolus vincitur, & minister Christi in fide & bonis operibus solidatur. Prædicationis officium plebibus vobis commissis congruenter impendite, & bene agentes ad meliora verbo & exemplo invitate. Pravos quoque & impios fortiter redarguite & repugnate, & sæculares pugnas, minas, atque terrores nullatenus formidate, & potius Deo quàm hominibus placere contendite; & quod aliis prædicatis, in vobis primo ostendite. Religionem & sanctitatem, castitatem atque munditiam præ omnibus habere corde & corpore studete: ut idoneos Christi ministros vos ipsos ostendere, ut exemplo sanctitatis & religionis ad servitutem Christi alios possitis instruere: sicque munditia, & nitor sanctæ conversationis, atque omnes in commune virtutes in vobis resplendeant, ut si minor sit in vobis doctrina quàm

i *Dominicis Resurrectionis diebus.*] Hic duæ res observandæ, nempe olim Benedictinos dominicis diebus circa mediam noctem ad Vigilias surgere solitos: & singulas anni Dominicas *Resurrectionis* dies fuisse appellatas, uti alibi notatum.

decet munda & sancta conversatio subjectos vestros ad bene agendum informet; & quod verbo & prædicatione non valetis, exemplo totius bonitatis doceatis: quoniam cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Caritatem fraternam amate, & hospitalitatem diligite, & per sæcularia negotia turpiter nolite discurrere, ne videatur in vobis ministerium sacrum vilescere. Inreprehensibiles vos in omni conversatione & acta exhibete, ne nomen Christi in vobis possit blasphemari. Quæcumque iniqua vel inhonesta, aut certe periculosa in gregibus Christi vobis commissis, in potentibus & nobilioribus, & in minoribus & pauperibus, in masculis sive in feminis conspicere & intelligere potestis, sine favore aut aliqua personarum acceptione ostendere eis contendite: & unicuique peccata & iniquitates suas absque tarditate & negligentia, vel certe verecundia annuntiate, & de omnibus sceleribus suis consilium congruum eis præbete, & sententiam Domini nobis omnibus comminantem per omnia formidate: *Si non annuntiaveris*, inquit, *iniquo iniquitatem suam, animam ejus de manu tua requiram.* & item: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem, &c.* Pænitentibus etiam, qui vagabundi per sæcularia negotia discurrunt, quasi nihil mali gesserint, peccata sua ostendite; & ut in uno loco morantes dignos pænitentiæ fructus faciant commonete, annuntiantes eis verissime, quod pænitentiam & militiam sæcularem pariter non possunt agere.

O vos quoque laïcalis ordinis viri, monere desidero, & annuntiare vobis ea quæ ad salutem vestram pertinent cupio: quoniam periculum animarum vestrarum valde formido, & pro vobis omnibus rationem Deo redditurum me esse cognosco. Sunt namque vitia & peccata, per quæ diabolus mortales seducit; & ad hoc assidue laborat, ut eos secum ad infernum detrudat, & morte perpetua damnet: id est cupiditas, superbia, homicidium, adulterium, sacrilegium, fornicatio, rapina, perjurium, falsum testimonium, invasiones rerum ecclesiasticarum, dehonorationes Sacerdotum; juramenta illicita, maledictiones pessimæ, conspirationes iniquæ, detractiones, susurrationes, discordiæ, invidiæ, odia, ebrietates, inhonesta lucra, judicia injusta, mensuræ inæquales, amicitiæ per sacramentum promissæ & violatæ, res ecclesiasticæ ab ecclesiis subtractæ, & in proprias redactæ; pecuniæ & nonæ ab ecclesiis, quibus debitæ sunt, subtractæ, & multa alia, quæ Dominus & Redemptor noster prohibet, & diabolus hostis & inimicus noster suadet. Hæc verò vitia & peccata in tantum sunt gravia, ut cùm instigante diabolo perpetrantur, homines à Deo separent, & hereditatem cælestem ac vitam perpetuam auferant, & facientibus inferni flammas & cruciatus adquirant. Et ideo, dilectissimi filii, obsecro ut recurrat unusquisque ad conscientiam suam, & diligenter requirat qualis sit, vel quæ in pueritia, in adolescentia, in juventute, in omni ætate sua gessit: & si quis se homicidam, adulterum, sacrilegum, fornicatorem, perjurum aut falsum testem viderit, ad Deum & matrem Ecclesiam confugium faciat, & Confessionem puram de omnibus iniquitatibus suis Sacerdotibus donet; & pænitentiam suscipiat, & verissime eam adimpleat: & quod inique gessit, eleemosynis, jejuniis, orationibus, abstinentia, & ceteris bonis operibus delere & redimere satagat: quoniam nisi hic, dum tempus & locum habet, emendare studuerit, regnum Dei, testante Apostolo, habere non poterit. *Nolite itaque*, ait Apostolus, *errare: Neque homicidæ, neque adulteri, neque sacrilegi, neque perjuri, neque rapaces, neque masculorum concubitores, neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt.*

Monemus & eos quorum dissensione & discordiâ hæc regio vastata, & multis miseriis afflicta, & pæne adnullata est, ut peccatum & iniquitatem suam recognoscant, & quæ impiè & crudeliter egerunt, ad mentem semper reducant, & sint eis omni tempore in lamentum & singultum & velamen oculorum suorum, & punire ea studiosissime contendant, ac redimere se eleemosynis, jejuniis, orationibus, & aliis operibus Deo acceptis satagant. Similiter & eos qui res ecclesiasticas quondam invaserunt, aut modò sine voluntate eorum, quibus debitæ sunt, retinent, ut resipiscant & pænitentiam pro sacrilegio agant; & Deo, & ecclesiis, quas læserunt, satisfacere studeant. Eos quoque monemus qui leviter plurima sacramenta jurant, & nomen Dei atque sanctorum ejus in vanum assumunt, vel sine reverentia maledicunt, ut se ab hoc peccato abstineant, & quod nimis odibile sit agnoscant, dicente Scriptura: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non recedet de domo ejus lepra.* &, sicut supra dictum est, *maledici regnum Dei non possidebunt.* Monemus etiam judices, ut juste judicent, & recta judicia terminent, & timorem Dei semper ante oculos habeant: scientes quod & ipsi Deum judicem habebunt, & ipsi à Deo pro omnibus judiciis suis, dictis, & factis judicandi sunt. Ipse enim præcepit: *Nec accipias personam pauperis, nec honores vultum potentis. Non declines ad dexteram, sive ad sinistram: justè judica proximo tuo.* Caveat etiam unusquisque, ut falsum testimonium nullatenus proferat, quia scriptum est: *Testis falsus non erit impunitus.* Audivimus quoque duplices mensuras apud vos esse, & majoribus ad emendum, minoribus ad vendendum ... quod rogamus ut corrigatis, & justam atque æquam mensuram omnes in commune habeatis secundum præceptum Domini dicentis: *Sit tibi æquus modius, justusque sextarius.* Ab usuris etiam vos abstinete, scientesque hoc non leve peccatum esse, cum dicitur in Lege: *Ad usuram non fænerabis.* Negotiationes verò quæ in mercimoniis fiunt, sine sacramentis & perjuriis satagantur; & unusquisque caveat, ne fratrem suum aliqua fraude ibi decipiat. Ipsas verò amicitias nolite per sacramenta, sicut nunc usque aliquos fecisse audivimus, firmare: quoniam illud sacramentum numquam sine peccato poterit esse. Nullum quoque sacramentum quisque alicui juret, nisi Seniori suo debitam fidelitatem secundùm consuetudinem promiserit, aut legalia & legitima sacramenta juraverit.

Sacerdotibus vestris, sicut Dei ministris, debitum honorem impendite; & si fortè illos in aliquo læsistis, satisfacere studete: si verò & ipsi aliter quàm decet egerint, nolite eis detrahere; sed aut per vos ipsos, si potestis, illos corrigite; aut magistris eorum, vel certè Episcopo vestro ea quæ de ipsis veraciter scitis humiliter nuntiate. Ecclesiam Dei, in qua Baptismum accepistis, Confessiones vestras donatis, pænitentiam suscipitis, prædicationem auditis, & alia percipitis unde salvi esse potestis, diligenter honorate, & ad ecclesiam sæpissime cum oblationibus vestris concurrite, ibique pro vobis orari rogate. Munera quoque pro ecclesiis dandis nullatenus exigere, & manere vel morari ibi cum uxoribus vestris nolite.

Conspirationes & conjurationes contra Regem aut Principes, aut certè contra vos ipsos monemus ut nullo modo agatis: quoniam & hoc grave delictum & divinis atque humanis legibus valde prohibitum est. Detractiones itaque & susurrationes inutiles à

vobis repellite, & nullate ulterius eas ullo modo agere: quoniam, sicut scriptum est, *Qui detrahit, semetipsum & audientes occidit*. Odium in corde nullo modo retinete: quoniam, sicut in epistola sua Joannes Apostolus ait: *Omnis qui fratrem suum odit, homicida est*. Invidiam & discordiam procul à vobis repellite: quoniam discordantium & invidorum oblationes & munera Deo non sunt accepta: nec aliter oblationes nostræ in ecclesiis recipi debent, nisi prius à cordibus hoc verissimè ejeceritis.

De eleemosynis quas ægrotantes vel morientes proximis, vel amicis commendant, rogamus vos ut fideliter ipsi quæ ea suscipiunt distribuant; sicut ipsi volunt ut & alii pro se faciant: & agnoscant se, si bene egerunt, remunerationem à Christo percepturos: si aliter, rationem Deo proinde reddituros. Divinum judicium terribiliter eos condemnat, qui aliorum eleemosynas fraudant. Ita enim in Canunibus legitur: Fraudatores eleemosynarum fratrum anatematizantur. Si qui vestrum cognoscant parentes suos de rebus eccle siasticis abstraxisse, aut per vim vel malum ingenium eos vel hereditates pauperum, vel munus parentum abstulisse, & suis rebus junxisse, miscreantur observo animabus eorum, & restituant ecclesiæ quod injuste abstraxerunt, & reddant heredibus quæ illis injuste abstulerunt: scientes verissimè, quod quandiu ipsæ res à se, aut à quibuscumque aliis retentæ fuerint, illi qui hæc fecerunt hereditatem in regno Dei habere non poterunt.

Monemus etiam potentes, ut familias suas proprias, vel certe ecclesias sibi commissas, secundum timorem Dei bene regere & gubernare studeant: scientes quod & ipsi, quamvis potestate minores sint, fratres eorum sint, ut & ab aliis eos defendant, & ut misericorditer eos videant, neque in mensuris, neque injustis redditibus sub aliqua occasione opprimant. Vos quoque pauperes muiùs potentes monemus, ut dominis vestris subjecti sitis, & fideliter eis serviatis, & quod debetis sine fraude in veritate eis reddatis: scientes quod & ipsi super vos à Deo ordinati sunt, & vos illis subjecti esse debetis. Monemus etiam eos qui res ecclesiasticas beneficiario jure possident, ut nonas & decimas ecclesiis reddant, ex quibus ipsæ res esse videntur, & amplius ea nullo modo retineant, ne fortè sacrilegium incurrant.

Viri uxoribus ad tempus debitum reddant, & nullatenus se aliis pollutionibus maculent. Uxores similiter viros suos diligant, eisque in omnibus placere studeant, ne (quod absit) ad alia facinora impellant. Et utrique caveant, ne per commixtionem corporalem immundi & illoti ecclesias ingrediantur. Monemus quoque de incestis, ut nullus se cum proxima sua, vel cum proxima uxoris suæ se commisceat: quoniam turpissimum & adeo prohibitum est. Illud etiam adtentissime caveat, ne pudicitiam filiæ suæ, aut neptis, aut propinquæ, maxime uxoris suæ, pro gratia alicujus mortalis hominis ad violandum tradat, aut consentiat, ut castitas earum aliquo modo aut ingenio, nisi legitimo conjugio, corrumpatur.

In tribus etiam festivitatibus anni, Nativitate Domini, Pascha, Pentecoste unusquisque mundus ad ecclesiam veniens communicet, exceptis his qui in publica pænitentia sunt: quoniam nisi his tribus sollemnitatibus communicaverit, non inter Christianos habitare debet. Videat ergo unusquisque, ut digne & munde & devote Communionem Christi percipiat: etenim qui corpus Domini & sanguinem indignè sumit, judicium sibi manducat & bibit. Consulimus itaque precamurque feminas nobiliores, & alias quascumque, ut filios suos proprio lacte nutriant, & nullatenus ancillis aliis ad educandum tradant.

Curate ergo, dilectissimi filii, ut hoc quod pro salute vestra scribimus, adtente & diligenter animo comprehendatis, & de omnibus his sollicite caveatis; & in quibuscumque vos deliquisse cognoscatis, emendare tota mentione satagatis, ne in æternum (quod absit) infeliciter pereatis. Memento ubi sunt patres vestri, ubi sunt Reges vestri, vestri Principes, vestræ potestates, & omnes qui sæculum amaverunt: & scitote, quoniam vos omnes ei issimè morituri estis, & post hanc vitam nihil boni habituri, nisi bonis operibus promerueritis. Mortem precor, dilectissimi, ante oculos semper habete, & quid post mortem facturi sitis cogitate, & ne mortem tuncatis providete: quoniam nulli bono mors nocere potest. Christum redemptorem vestrum totis viribus diligite, & proximus vestros sicut vosmetipsos amate, & Ecclesiam Dei honorate, & dictis ac prædicationibus sanctorum virorum obedite, & ad paradisi gaudium & societatem sanctorum venire festinate: ad quorum societatem divina Trinitas & indivisa unitas vos perducere, & gratuita miseratione protegere, consolari, & benedicere dignetur Deus noster, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, amen.

GERBERTI SCHOLASTICI

EPISTOLA

AD CONSTANTINUM MONACHUM FLORIACENSEM,

De Sphæra constructione.

GERBERTUS CONSTANTINO.

SPHÆRA, mi Frater, de quo quæris ad cælestes circulos vel signa ostendenda, componitur ex omni parte rotunda: quam dividit circumducta linea mediam æqualiter in LX partibus divisa. Ubi itaque constitutis caput lineæ, unum circini pedem fige, & alterum pedem & regione ibi constitue, ubi VI partes finiuntur de LX partibus prædictæ lineæ; & dum circinum circumduxeris, XII partes includis. Nam mutato primo pede, secundus pes extenditur usque ad locum, quo de prædicta linea undecima pars finitur; & ita circumducitur, ut XII partes circomplectatur. Eodemque modo adhoc pes usque ad finem quintædecimæ partis prædictæ lineæ protenditor & cir-

cumductione xxx partes habens media sphæra secatur. Tunc mutato circino in altera parte sphæræ, ubi primum pedem fixeras, attendens, ut contra statuas, prædictam rationem mensuræ circumductionis & partium complexionis observabis. Nam v solummodo erunt circumductiones, quarum media æqualis est lineæ in lx partibus divisæ. Alteru igitur istorum hemisphæriorum sumpto interius cavato, & ubi circini alterum pedem in prædicta linea ad circumducendum fixeras perfora, ut circumductio medium foraminis teneat. In capitibus quoque sphæræ, ubi primum pedem circini posuisti, singula foramina facis, ut medietas foraminum illorum terminet prædictum hemisphærium. Nam ita vii. erunt foramina, in quibus singulis singulas semipedales fistulas constituis: eruntque duæ extremæ contra se positæ, ut per utrasque, tamquam per unam videas. Ne verò fistulæ hac illac titubent, ferreo semicirculo, ad modum præfati hemisphærii secundùm suam quantitatem mensurato & perforato, utere, quo superiores extremitates fistularum coherce: quæ hoc differunt à fistulis organicis, quòd per omnia æqualis sunt grossitudinis, ne quid offendat aciem per eas cælestes circulos contemplantis. Semicirculus verò duorum digitorum ferme latitudinis, ut omne hemisphærium xxx partes habet longitudinis, servans æqualem rationem divisionis, qua perforatus fistulas recipit. Notato itaque nostro boreo polo, descriptum hemisphærium taliter pone sub divo, ut per utrasque fistulas, quas diximus extremas, ipsum boreum polum libero intuitu cernas. Si autem de polo dubitas, unam fistulam tali loco constitue, ut non moveatur tota nocte; & per eam, stellam suspice, quam credis esse polum: & si polus est, eam tota nocte poteris suspicere; sin alia, mutando loca non occurrit visui paulò pòst per fistulam. Igitur prædicto modo locato hemisphærio, ut non moveatur ullo modo; prius per inferiorem & superiorem primam fistulam boreum polum; per secundam arcticum circulum, per tertiam æstivum, per quartam æquinoctialem, per quintam hiemalem, per sextam antarticulos circulos metiri poteris. Pro polo verò antarctico, quia sub terra est, nihil cæli, sed terra tantùm per utrasque fistulas intuenti occurrit.

ADNOTATIO.

HÆc Gerberti epistola, quæ deest in editis libris, eruitur ex ms. codice Bibliothecæ nostræ S. Germani à Patris. Inscripta CONSTANTINO, Monacho scilicet ac Scholastico Floriacensi, cui Gerbertus alias direxit epistolas, nimirum 87, 142 & 161. Ejusdem etiam mentionem facit in epistola 92. Gerberto tribuendum existimo libellum in quemdam Porphyrii locum, cujus libelli præfatio ad Ottonem III. Imperatorem edita est in tomo 1. Analectorum. Opusculum istud esse Gebehardi Augustensis Episcopi conjectabar in notis ad eam Præfationem: at re maturiùs expensa, id Gerberto adjudicare visum est in addendis ad tomum 1. Analectorum. Ejusdem auctoris est sermo subsequens, quem ex ms. codice Bibliothecæ S. Martialis apud Lemovicas rogatu meo descripsit noster Petrus Trelius, à me jam laudatus. Extat ipsiusmet Gerberti geometria & rythmomachia in Bibliothecæ Thuaneæ ms. codice, signato n° 283. Plura Gerberto inferiùs ad Chronicon Auriliacense.

SERMO

GIRBERTI PHILOSOPHI,

Papæ urbis Romæ, qui cognominatus est SILVESTER,

De informatione Episcoporum.

SI quis, Fratres, oraculi reminiscatur, quo frugi famulum de reservata sibi pecunia quam
Luc. 19. 33. prærogandam susceperat, increpavit, dicens, *Tu dedisses pecuniam meam, & ego veniens cum usuris exigerem eam*; non jam otiosus auditor collatam sibi divini muneris gratiam suis tantùm usibus reservabit: sed cunctis eam communicabilem faciens, copiosiùs prærogando securiùs possidebit, ut sibi per hæc & plurimis ædificationis exhibeat fructum, & velut decora arbor, pomis referta, non infructuosa probatur occupare terram, dum vivit, cùm & ipsa suis pomis ornatur, & omnes qui ex ea fructum perceperint, saginantur, beato nos etiam Apostolo ad
1 Cor. 10. 24. hæc eadem invitante: *Nolite quærere quæ vestra*
Ibid. v. 3. *sunt, sed quæ aliorum.* & alibi: *Non quæro quod mihi utile, sed quod multis, ut salvi fiant.* Idcirco nos quibus verbi Domini credita est dispensatio, & gregem Christi alendum nutriendumque suscepimus: non sine ingentis periculi noxa nos credimus evasuros, si non modò secundùm hæc vivamus, sed etiam si minimè prædicemus. Et licèt ad hæc prædicanda nos retardet vitæ improbitas, invitat tamen præcepti necessitas. Et ut væ mihi est, si minimè prædicavero, & si susceptum thesaurum in terra defossum in meo corde diu occultavero, & lucernam divini verbi compressam sub modio retentavero, & non super candelabrum propositam cunctorum oculis manifestavero: ita si claustra humanæ imperitiæ per claves illas regni cælorum, quas in beato Petro Apostolo cuncti suscepimus Sacerdotes, minimè reseravero, ut audire per hæc merear pro linguæ meæ modulo, *Euge serve bone & fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, super multa te* Matth. 25. 21.
constituam. Unde verens his increpationibus & suppliciis sub Dei timore pæne perculsus, & amore fraterno invitatus, non jam ad subditum loquar vulgum, quos jugiter monere soleo: sed ad ipsos jam prædicatores vulgi mea conversam verba, & meis conservis, velut obediens servus, id est Episcopus Sacerdotibus, audacter prædicare salutis munia non retardabo. Nec prærogativam mihi conscientiæ, si hæc meis consacerdotibus caritatis innitu prærogem, vindicavero; aut vitæ perfectæ me esse fateor, cùm de vita perfecta alios moneo: sed potiùs cùm hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis quæ loquor audiam.

Aggrediar jam, divina ope suffultus, facultate qua valeo, & eorum precibus adjutus, ad quos noster respicit sermo desideratum iter carpam, & quasi cùm in gremio Sacerdotum positus ipsos alloquar Sacerdotes. Audite me, beatissimi Patres, &, si dignum ducitis, sanctissimi Fratres: audite me, stirps Levitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi: audite me rogantem pariter & timentem, & commodis communibus sollicitè consulentem, & honorem episcopatus demonstrare volentem: ut cùm honoris ejus prærogativam monstravero, merita etiam congrua requiramus. Nec falli possumus in opere, qui cognoscimus veritatem. Dignum est enim ut dignitas sacerdotalis priùs noscatur à nobis, & sic deinde servetur à nobis, ut Psalmographi sententia repellatur à nobis:

Psal. 48.

Homo cùm in honore esset non intellexit. comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Honor igitur, Fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus æquari. Si Regum compares infulas & Principum diademata, longè erit inferius, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. quippe cùm videas Regum colla & Principum genibus submitti Sacerdotum; & exosculatis eorum decretis, orationibus eorum credant se communiri. Quid jam de plebis multitudine dixerim, cui non solùm præferri à Domino meruit, sed ut eam quoque jure tueatur paterno, præceptis imperatum est evangelicis? Sic certè à Domino ad beatum Petrum dictum est:

Joan. 21.

Petre, amas me? & ille: *Tu scis, Domine, quia amo te.* & cùm hoc tertiò fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est ei à Domino tertiò: *Pasce oves meas.* Quas oves, quem gregem, non solùm tunc beatus suscepit Apostolus, sed & nobiscum eas accepit, & cum illo eas suscipimus omnes. Unde regenda Sacerdotibus contraduntur, & meritò rectoribus suis subditi dicuntur. quia evangelico mandato coruscante, videmus nihilo minus esse præfixum:

Luc. 6. 40.

Non est discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum: sed sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, & servus sicut dominus ejus.

Hæc verò cuncta, Fratres, ideo præmisisse nos debetis cognoscere, ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius Sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri: ut cùm dignitatem Episcopatus demonstramus, Episcoporum oculis & digni noscamur quod sumus; & quod sumus professione, actione potius, quàm nomine demonstremus: ut nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini: ne sit nomen inane, & crimen immane; ne sit honor sublimis, & vita pœnalis; ne sit deifica professio, & illicita actio; ne sit religiosus amictus, & irreligiosus profectus; ne sit gradus excelsus, & deformis excessus; ne habeatur in ecclesia cathedra sublimior, & conscientia Sacerdotis reperiatur multo humilior; ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; ne professionem monstremus ovinam, & feritatem habemus lupinam: ut dignè nobis per prophetam respondeatur à Domino:

Esa. 29. 13.

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Quia, Fratres, ut Senatorem clamys monstrat, agricultura rusticum, barbarum arma, nautam remigii peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsius demonstrat auctores: sic Episcopum non nisi episcopalis opera signat, ut ex tempore magis quàm professione noscatur, mentis Episcopus quàm nomine vocitetur: quia ut nihil esse dicimus Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sua vita Episcopus periclitetur, si Sacerdos in crimine teneatur, si Pontifex vitiorum maculis polluatur. Et ut levius est de plano corruere: sic qui ex sublimi ceciderit, grave incurrit exitium. Honor quidem coram hominibus episcopalis magnus: sed post lapsum (quod absit) dolor magnus. In Ecclesia gradus altus: sed si exinde per negligentiam delabatur, à cunctis miserabiliter denotatur. Magna sublimitas magnam cautelam desiderat; honor grandior grandiori sollicitudine indiget. Cui plus creditur, plus ab illo exigitur, & potentes potenter tormenta patientur; & scienti legem & non facienti, peccatum est illi; & servus qui novit voluntatem Domini, & non facit digna, plagis vapulabit multis.

Aliud enim ab Episcopo requirit Deus, & aliud à Presbytero; aliud à Diacono, & aliud à Clerico, atque aliud à laico: & licèt cunctorum per singula requirat opus, plus tamen ab illo exigetur, cui major est cura commissa; ampliores pœnas luet, cui numerosior regendorum populorum, si neglecta credita est, dispensatio. Et ut ipsius Episcopatus modum & formulam nostris consacerdotibus depingamus, apostolica nobis est per omnia regula revolvenda: quia de eis per singula episcopatus lineamenta distinguit. ne aliqui Sacerdotum garruli querelentur commentis se nostris in hoc opere increpatos magis, quàm apostolicis sententiis redargutos. Sic enim ad cunctos Episcopos beatus ait Apostolus: *Fidelis sermo.* ac si diceret: De quo sum locuturus, veraciter dico, ne quis me existimet fuisse mentitum. *Si quis episcopatum desideras, bonum opus desideras.*

1. Tim. 3. 1.

hoc est: Episcopus esse cupis? Magnum est quod ambis: sed opus bonum simul, si amplecteris. Ceterùm Episcopus esse non poteris, si episcopales actus aspernari volueris. Et denuo infert, & ait: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* irreprehensibilem ait, nempe si reprehenderis, culpæ deformitati subderis. Et profectò culpa ad reatum trahit, reatui pœnæ subditus pœnæ servituti obnoxius erit, servituti obnoxius libertatem amittit. Ecce quæ evenit libertas episcopalis per hos gradus, quos diximus criminales. Sed ut reprehendi non possis, irreprehensibiles per omnia actus custodi. Post hæc addit: *Unius uxoris virum.* Si ad litteram respicias, bigamiam condemnat, ne secundos noverit concubitus, qui episcopatus gradum consequi desiderat. Si verò allegoricis sentiatur sensibus, inhibet Episcopo duas habere uxores, id est, ne post catholicum dogma, sensum hæreticum sumat: sed Christianæ tantùm sinceritatis sibi associet fidem, ut unius uxoris tantùm, id est ecclesiæ, vir, Episcopus appelletur. Sequitur: *Sobrium.* Sobrium ait, hoc est non vino tantùm, sed moribus parcum, ut ne vino ampliùs indulgeat, & mente sobrius gaudeat. qui si hoc non facit, Episcopus non erit. Et adjungens sequentia ait: *Prudentem.*

1. Cor. 3. 19.

Prudentiam quippe non mundialem, de qua dicitur, quòd stultitia sit apud Deum: sed spiritualem, id est, quæ & opere circumspecta sit, & verbo perita: ut sit astutus sicut serpens, & simplex sicut columba. qui si talis non est, Episcopus non est. Et denuo infert: *Ornatum.* Si ad superficiem tantùm litteræ attendamus, non aliud Sacerdotis, quàm amictum quæremus clariorem, verbi gratiâ, castorinas quæremus aut sericas vestes: & ille inter Episcopos se credet sanctiorem, qui indumentum * habuerit clariorem. Sed sanctus Apostolus taliter se intelligi non vult, qui non carne Episcopum, sed mente ornare desiderat, ut ille Sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo. Qui verò hæc non facit, Episcopus non erit; & injusti insaniam incurrit, qui sanctum Apostolum contemnit. Et post hæc addit: *Hospitalem*; ut humanitatis intuitu hospitio recipiat non habentem hospitium, & egenum sine tecto in domum inducat suam; nec solum consumat dona Christi, quæ ei largita est bonitas Christi.

* l. vestem.

sti. *Docibilem*, id est, si polleat sapientiâ, ut non solùm creditum sibi populum sufficienter edoceat, sed & cunctarum queat hæresum contradictiones repellere: ne sua imperitia imperitos minime doceat, &
Matth. 15. 14. hujusmodi eveniat quod scriptum est: *Cacus caco si ducatum prabeat, ambo in foveam cadunt.* Qui verò talem se, ut diximus, ignorat, sacerdotium minimè appetat, ne locum alterius adimat, qui fulgore suæ sapientiæ cunctos conlustrare poterat. Item ait: *Non vinolentum.* hoc est oon multo vino deditum, ut sic potet Episcopus, ut utrum biberit, ignoretur, ne post largam potationem muliebri delectetor libidine, quia per vinum, sicut ait Apostolus, omnis enutritur luxuria. Qui si hæc non potest, Episcopus esse non potest. Demum subsequitur dicens: *Non percussorem, sed modestum.* id est, manus improbas ad cædem non habeat, & suspicionibus pravis minimè percutiat conscientias aliorum: ne dom petulans invenitur, ad cædem athleta magis quàm Episcopus judicetur. sed è diversu illatas ab aliis patienter ferat injurias, ut mentis modestiam tranquillam monstree infirma patientia. Iterum dicit: *Non litigiosum.* id est, linguam ad convicium non relaxet, ut qui Dei laudes personat, & divina sacrificia libat, litium venena non proferat: quia non potest ex Sacerdotn ore benedici Deus, & homo maledici, qui imaginem Dei noscitur possidere: nec mala sibi & bona ullatenus poterunt convenire. Qui si hæc non agit, Episcopus non erit. Et subsequitur deinceps: *Non cupidum.* hoc est, ne lucri cupidine in aliquo Episcopus superetur, & turpis lucri gratiâ delicti factus obnoxius, radicem malorum omnium enutriat avaritiam, qui stipendiis tantùm cootentos Ecclesiæ, penitus non ambiat quæ intelligit esse superflua: sed ea ipsa potiùs pauperibus Christi impertiens, cælorum sibi comparet regna. Et connectit deinceps consequentia, & ait: *Sua domui bene prapositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Domui, inquit, suæ bene præesse, scilicet ut corporis sui domum imperioso jure contineat; nec subdatur ipse à corpore, & in habenas luxuriæ infrenia nequaquam feratur & in præceps, ut suos possit filios castitatis exemplu ad pudicitiæ regulam gubernare. Qui si hæc non egerit, Episcopos dici non poterit. Deinde dicit: *Si quis domui sua praesse nescit, quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit?* hoc est nempe quod superiùs diximus, qui cordis sui domum excolere non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? & qui peccati trabem ex suo non potest eruere oculo, ex cujus oculo festucam summuvebit? Qui hoc non agit, Episcopus non erit. Item sequitur, & ait: *Non neophitum.* hoc est, qui nuper ad fidem ex gentilitate venit; aut ex militia sæculi clericali Officio est sociatus, non passim sacerdotii accipiat gradum: ne elatus *in superbiam & in laqueum incidat diaboli.* quia quod longo tempore minimè didicit, in parvo tempore servare minimè poterit: sed lapsus & inscius judicium suscipiet, quod meruit suscipere superbiens diabolus. Et concludens regulam & episcopalem formam, ad extremum incidit, dicens: *Oportet illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt*, id est hæreticis & schismaticis, qui extra sanctam Ecclesiam conventicula profana faciunt, apud quos tamen Apostolus testimonium dicit habere bonum de immacolata & sancta vita Episcopum, .·. unde occasionem accipiant obtrectandi, & infamare incipiant religionis sanctæ catholicum dogma. Qui talis esse non poterit, Episcopus quomodo esse poterit?

Ut reor, in hoc opere non à grandi fœoore persensimus liberatos, cùm nos non nostra contra Episcopos, sed Apostoli opposuimus testimonia, ne velut nubes.·. Cùm verò auctoritas nobis per singula sancti adtulerit Apostoli, Apostolorum potiùs, si ausi sunt, quàm nos reprehendere audeant.

Coartet nos licèt libelli prolixitas properare ad finem, sollicitudo tamen fraterni retardat amoris, illorum præcipuè Sacerdotum, qoi mentis torpore hebetati diffamant sacerdotalem honorem, & qui novam prodigaliter regulam hac tempestate reperisse deflentur: & Giezi leprosi & Simonis magi sectantes exemplum, gratiam Spiritus-sancti coemerunt pretio, & distraxerunt, nequaquam timentes, cùm honorem coëmerint sacerdotii, à beato se Petro Apostolo cum Simone fuisse damnatos: *Pecunia tecum sit in perditionem, qui donum sancti Spiritus sperasti te pretio possidere.* & lepram cum Giezi à sancto se suscepisse Heliseo, cùm gradum item sacerdotii pretio æstimant distrahendum. Et si cum validioribus morbis capite vitiato reliquum necesse est corpus inundatione superioris morbi letalitee irrigari: ita & isti qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo pestifero fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere, quod negligentum Sacerdotum vitiositatis non inficeret virtus. Et videas in Ecclesia passim Sacerdotes, quos non merita, sed pecuniæ provexerunt; nugacem & indoctum, sacerdotalem arripuisse gradum: quos si percunctari fideliter velis, quis eos præfecerit Sacerdotes; respondent mox & dicunt: Ab Archiepiscopo sum nuper ordinatus Episcopus, centumque solidos dedi, ut episcopalem gradum mihi conferret. quos si minimè dedissem, hodie Episcopus non fuissem. Unde melius est mihi aurum de locello minuere, quàm tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, & Episcopatum accepi. quod tamen, si feliciter vivo, recepturum illico non diffido. Ordino Presbyterum, & accipio aurum: facio Diaconem, & accipio argenti multitudinem; & de aliis nihilominus Ordinibus singulis, & de Abbatibus benedicendis & ecclesiis, pecuniæ quæstus profligare confido. Ecce aurum qood dedi, in meo locello inlibatû habeo.

Respondeo ego: nempe hoc est quod de te doleo, quia Archiepiscopus carnalitee te Episcopum fecit. Pecuniâ spiritualiter leprosum ordinavit: pecuniam dedisti, Dei gratiam comparare æstimasti, & per hoc lepram ipsam suscepisti. Item pecuniam accepisti, & Dei gratiam pretio distrahere non timuisti: simul etiam lepram tradidisti, & commercium miserabile in animarum exitio peregisti. Abbatem propter denarios super Monachos ordinasti, & leprosum hominem in mortem Monachorum exaltasti. Et nescit homines in Ordinationibus clamant vestris: *Dignus & justus est.* & conscientia misera clamat: Indignus & injustus est. Pronuntiat talis Episcopus, *Pax vobiscum.* & ipse interiùs pacem non habet secum. Oculis carnalibus videtur Episcopus magnus: & divinis obtutibus leprosus est maximus. Per pecuniam indebitum Ordinem adqoisivit, & Deum in interiore hoomne perdidit. Caro dignitatem suscipit, & anima honestatem perdit. Caro ancilla facta est domina: & anima domina facta est famula. hæc minor domioatur populis: & in illa superior servit damnosis. Carni sacerdotium comparavit: & animæ detrimentum paravit. Et quid proderit hujusmodi homini, si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Quod dedisti, cùm ordinareris, aurum fuit: & quod perdidisti, anima fuit. Cùm ordinares alium, quod accepisti, pecunia fuit: & quod dedisti, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia vestra, quæ egistis in pernicie vestra. Nota.

Interrogo tamen paulisper fratrem Coepiscopom, quia Episcopus sum, & cum Episcopo loquor. Dic mihi, fratee Episcope, cùm dares pecuniam, quid

accepisti ? Quid ? inquit. Gratiam episcopalem. Et hæc gratia cur tali vocabulo noncupatur ? Cui ? inquit. Ut reor, ab eo quod gratis datur ,' & ideo gratia vocitatur. Et si gratia gratis datur, & auro non æstimatur, cur à te pecuniâ comparatur ? Sed non mihi, ais, daretur, si nummis non emeretur : nec Episcopus ordinarer, si minimè pecuniam darem. Ut apparet ex responsionibus tuis, gratiam, cùm ordinareris, non suscepisti, quia gratuitò eam non meruisti ; & si gratiam, frater, non accepisti, quomodo Episcopus effici potuisti ? Si ad Discipulos à Domino dicitur : *Gratis accepistis, gratis date.* [Matth. 10. 8] cur gratuitam gratiam æstimasti te pretio possidere ? Ut video, & aurum, cùm dares, perdidisti, & sanctam gratiam minimè adquisisti.

Adhuc semel adjiciens, fratrem perquiro Episcopum, ne quid nos de approbamentis veridicis prætermisisse videamur. Quis dat, frater Episcope, gratiam episcopalem, Deus an homo ? Sine dubio Deus, sed tamen per hominem. Homo imponit manum, & Deus largitur gratiam : Sacerdos Deo servit supplici dextra, Deus benedicit potenti dextera : Episcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O justitia ! ô æquitas ! si homini pecunia datur, qui nihil in Ordine plus operatur, nisi solum servitium quod ei conceditur ; cur Deo totum negatur, qui ipsum Ordinem tibi largitur ? Justumne tibi videtur, ut servus honoretur, Deus injuriam patiatur ; & injustè Sacerdos accipiat pecuniam, & Deus patiatur ab homine injuriam ? Sed quia pro concesso Ordine Deus à te nihil exspectat, cur à te Sacerdos pecuniam impudenter exspectat ? Deus homini concedere voluit gratis : & Episcopus rapax pecuniam ab homine expetit ! Gratis ei Deus ut benignus donavit : Sacerdos ut malignus eum captivavit ! Quid enim habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ?

Ecce ad quæ mala devolvitur deificus Ordo. Ecce ad quæ sunt probra prolapsi, qui audire meruerunt à Judice mundi : *Vos estis lux mundi.* [Ibid. 5. 14.] Ecce quibus subjiciuntur gentes, quibus à Domino dictum est : *Vos estis sal terræ.* [Ibid v. 13] Si lux es Ecclesiæ à Domino constitutus, ut imperitiæ tenebras prædicationis tuæ eloquio rutilante conscientiarum tenebras illumines ; cur ipse tenebris palpabilibus teneris obstrictus per suprà memoratos excessus ? Et non solùm quia hæc agis, ipse dignè peris : & insuper alios tecum indignè perdis. Salis etiam si meruisti possidere saporem, ut insipientium queas arva condire ; cur infatuatus tali dedecore vitiorum inmundis te suibus conculcandum præbes, ut nec alios, nec teipsum post hæc condire possis ? Oculorum etiam in corpore officium, id est in Ecclesia, voluptuarius appetisti, ut reliquum per te corpus ducatum lucis haberet : & nunc, quia lippitudine in caligine vitiorum obtenebratus, nec ipse lucem præbes, & aliis lucem adimis. De quibus oculis in Evangelio dicitur : *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* id est, si Episcopus, qui lumen promeruit præesse in corpore, simplicitatis innocentiâ decoratur ; omnis Ecclesia splendore radiabitur lucis. *Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit.* id est, si Episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate ; quid cetera faciunt membra, quibus lux adempta est oculorum ? id est, quid sæcularis factura est multitudo, cùm voluptatibus illicitis & actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem Episcopus multitudinem provocaverit, ut nullum jam illicitum videatur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur ? Sed ipsum credunt magis cuncti laudabile, quicquid Episcopus habuerit delectabile : nec quisquam agere timeat, quod agere Pontifex minimè dubitat.

Nomen quo censeris, te ipsum arguit. Episcopus enim à cunctis indubitanter vocaris : & quid aliud Episcopus, quàm Superinspector exponitur ? Cùm in Ecclesiæ solio editiore cunctos merito respicis, & cunctorum in te respiciunt oculi, ut des illis escam in tempore opportuno : cur velut tetrum te speculum universorum obtutibus monstras, ne possint obscuritate sua te exornare ?

Sufficiat huc usque nostris consacerdotibus paululum dilatasse sermonem, in quo eorum excellentiam simul & casum monstravimus : ne confidentes in sublimitate honorum, minimè requirerent perfectionem morum ; & non crederent se Sacerdotes, si nomine tantum & non opere vocarentur. Et quamquam sciam in hac discretione plurimos mihi Sacerdotes, qui hæc amplecti negligunt, infideliter detracturos ; credo tamen pluriores qui hæc obnituntur assequi, fideliter oraturos. Sed sicut lacerationibus obtrectatorum minimè prægravamur : sic probatorum virorum orationibus adjuvamur. Age jam nunc, sanctificus Spiritus, qui nos in hoc opere divinis inspirationibus adjuvasti, Sacerdotes cunctos adjuves, ut faciant quæ in hoc opusculo ipse jussisti : ut eis meritò tribuas cælorum regna quæ promisisti, qui cum Patre & Filio unigenito in trinitate & unitate vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

G. EPISCOPI.[a]

PRÆFATIO

AD OTTONEM IMPERATOREM,

In locum Porphyrii à se illustratum.

DOmino & gloriosissimo O. C. semper Augusto Romano G. Episcopus debitæ servitutis obsequium. Cùm in Germania ferventioris anni tempore demoraremur, imperialibus constricti obsequiis, ut semper sumus, semperque erimus, nescio quid arcani divina mens vestra secum tacitè retractans, motus animi divina in verba resolvit, & quæ ab Aristotele summisque viris difficillimis erant descripta sententiis, in medium protulit, ut mirum foret inter bellorum discrimina, quæ contra Sarmatas parabantur, aliquem mortalium hos mentis recessus habere potuisse, à quibus tam subtilia, tam præclara,

a Epistola cujus Acherius meminit in Superiori Adnotatione, ea est quam hoc loco edendam curavimus.

velut quidam rivi à purissimo fonte profluentes. Meministis enim, & meminisse possumus, affuisse tunc multos novellos scholasticos & eruditos, inter quos nonnulli aderant omnium sapientia præclari & eloquentia insignes. Eorum tamen vidimus neminem, qui earum quæstionum ullam dignè explicuerit: quòd quædam minùs ab usu remotæ, nec dubitationem ante habuerint, & quædam sæpenumero ventilatæ dissolvi non potuerint. Vestra itaque divina prudentia ignorantiam sacro palatio indignam judicans, ea quæ de rationali & ratione uti diversu modo à diversis objectabantur, me discutere imperavit: quod quidem tunc & languor corporis & graviora distulerunt negotia. Nunc secunda valitudine reddita, inter rei publicæ ac privatæ curas, in hoc ipso itinere Italico positus comesque individuus, quoad vita superfuerit, in omni obsequio futurus, quæ de hac quæstione concepi, breviter describo: ne sacrum palatium torpuisse putet Italia, & ne se solam jactet Græcia in Imperiali philosophia & Romana potentia. Nostro Romano Imperio dant vires ferax frugum Italia, ferax militum Gallia & Germania; nec Scythæ desunt nobis fortissima regna. Noster es, C. Romane Imperator & Auguste, qui summo Græcorum sanguine ortus, Græcos imperio superas, Romanis hereditario jure imperas; utrosque ingenio & eloquentia prævenis. Dicemus ergo in præsentia tanti judicis, primùm quædam Scholasticorum præludia, vel potiùs sophistica; tum Philosophorum in his inventa prosequemur. Deinde finem propositæ quæstionis multiplex & sinuosa complebit Dialectica.

QUÆRITUR, inquiunt, quid sit quod ait Porphyrius, differentiam velut ad cognatam sibi differentiam prædicari, ut ratione uti ad rationale, cùm majora sæpe de minoribus prædicentur, minora de majoribus numquam: ut animal, quoniam majus est equo & homine, prædicatur de equo & homine. Quomodo igitur ratione uti prædicetur de rationali, cum majus videatur esse rationale, quàm ratione uti. Omne enim quod ratione utitur, rationalis est: sed omne rationale non videtur uti ratione, &c.

ADNOTATIO.

IN membranis nostris hæc præfatio & opusculum subsequens nomina auctoris & patroni, cui nuncupatus est libellus, initialibus dumtaxat litteris designant. At ex contextu præfationis satis intelligitur, opusculum istud OTTONI *Cæsari* eo nomine tertio, qui ex materna linea, Theophanæ scilicet Imperatricis, Græcorum sanguine ortus erat, fuisse dedicatum, ac conditum eo tempore, quo Otto in Italiam profectus est. Tres ipsius Ottonis profectiones in Italiam lego apud Hermannum Contractum & alios: unam anno DCCCCXCVI, ut scilicet coronam Imperialem acciperet alteram anno DCCCCXCIX: tertiam anno MI. Ad postremam referendum puto hoc opus: nam in duabus prioribus Otto Italiam petiit comitante exercitu, ut tradit Hermannus. quæ turbarum molestiæ non satis cum Musis conveniunt. In tertia verò Italiam lustravit cum Episcopis & optimatibus suis. In ms. Chronico Saxonico simul cum Imperatore profecti memorantur HERIBERTUS Coloniensis Archiepiscopus, Leodicensis, Augustensis & Constantiensis Episcopi. Leodicensi Ecclesiæ tum præerat Notgerus, Constantiensi Lantpertus, Augostensi Gebehardus, qui hujus opusculi scriptor mihi videtur, initiali littera G. indicatus. Fuerat is ante initam episcopalem dignitatem Abbas Elewangensis, *Abbatum egregius* dictus in ms. Chronico mox citato. De bellum contra Sarmatas seu Winidos, cujus hic mentio, ab Ottone ante annum DCCCCLXXXVIII. suscepto, agit in Epistolâ 91. Gerbertus, Theophanæ seu Theophaniæ Imperatrici familiaris, qui fortassè hujus Opusculi scriptor nonnullis videbitur.

MONITUM.

IN subjecto libello auctor, monachus utique Ratisponensis ad S. Emmerammum, suppresso nomine proprio, varias tentationes suas spiritales, variamque fortunam suam describit. Opusculum istud dividi potest in duas partes: quarum in priori varias tentationes suas, in posteriori scripta sua commemorat. In his vitam S. Nicolai, itemque S. Wolfgangi, & S. Magni se emendasse dicit. Sed & vitam S. Bonifacii Episcopi & martyris, difficili stilo editam, *faciliori reddidit rogatu Fratrum ex Fuldensi monasterio, in quod procellà nescio qua exagitatus secesserat: anno* MLXII. *Ex hoc unico opusculo (nam alia reperire, non potuimus) conjicere licet hunc esse* OTHLONUM, *qui acta S. Bonifacii novo stilo donavit, amplificavitque. Nam & tempus rectè congruit, & Othlonus ipse non ex Fuldensi, sed ex alio grege erat. Unde miratur, se hac de re à Fuldensibus fuisse interpellatum,* tot Patribus peritis tam inter vos, *ait Fuldenses ipsos alloquens,* quam circumquaque commorantibus hucusque relictis. *Quo minùs tamen huic sententiæ nimisquam fidenter inhæream, illud occurrit, quid monachus ille, quisquis est, Ratisponensis vitam S. Bonifacii* faciliori *tantùm stilo donaverit: Othlonus vero epistolis, actis Conciliorum, aliisque multum eam auxit, atque in duos libros Willibaldi unicum distinxit. Lectoris erit hac de re ferre judicium.*

Eodem tempore, quo sequentis libelli scriptor, Arnolfus ex Comite monachus ad S. Emmerammum, ex cœnobio suo in Saxoniam abire coactus est, Fratrum suorum invidiæ, nempe quòd acta S. Emmerammi depravata emendare vellet, cedendum ratus. Sed is ante conversionem, non Clericus sed Comes, non videtur esse auctor sequentis libelli, cujus exemplum nobis flagitantibus religiosus vir Anselmus Grabnerus jam supra laudatus à se descriptum nobis humanissimè transmisit. *Henr. Canis. Antiq. lect. tom. 2 pag. 7.*

Vetus codex hunc titulum præfert : INCIPIT LIBER DE TENTATIONE CUJUSDAM MONACHI. *Sed quia hic titulus non satis libri argumentum explicat, eum ita exhibemus, ut sequitur.*

ANONYMI MONACHI RATISPONENSIS LIBELLUS

De ipsius tentationibus, varia fortuna, & scriptis.

PARS I.

FUit quidam Clericus vitiis multis modis deditus, qui cùm sæpiùs à Domino commoneretur pro emendatione sua, conversus tandem venit ad monasticam professionem, nullis suorum amicorum scientibus. In eo autem loco quo Mooachus factus est, cùm plurimus diversæ qualitatis homines invenisset, quosdam libros quidem gentiles, quosdam verò sacram Scripturam legentes; ipse cœpit illum solummodo imitari, quos videbat divinæ insistere lectioni. Quanto autem frequentior erat in hujusmodi lectione, tanto magis molestias diabolicæ tentationis sentiebat sibi inolescere: sed ille in Domino confidens, gratiæque Dei se jugiter committens, eo animo quo cœpit, in sacra lectione perseverare studuit. Cumque post multum temporis ab hac impugnatione eriperetur, cogitans qualiter per ea quæ passus erat tam ipse, quàm alii ædificari possent; scripsit non solùm illatas tentationis molestias, sed etiam sacræ Scripturæ verba, quæ ea divina inspiratione sibi provenerant, ex quibus interea fraudi diabolicæ respondendo utebatur pro clypeo. sic quippe incipit scribere de tentationum suarum molestia.

Delusiones satanæ varias vigilans ac dormiens pertuli, quas licet universas nequeam promere, aliquas tamen memoriæ iositas, prout possum, volo referre: & reor hoc primùm de fraudibus his perhibendum, quod & ante monachalis vitæ professionem, & postea diu perpessus sum, quod scilicet satis stolida improvidaque etiam inesset voluntas conversionis: quia contra Scripturam quæ dicit, *Omnia fac cum consilio*, sine consilio parentum & amicorum quamque in maximo juventutis fervore positus subito vellem adire, nimisque foret inconsultum, ut hujusmodi homo quisquam tam periculosum susciperet votum. ideoque multo melius esset, ut præstolans usque ad ætatis maturioris perfectionem, tunc tandem cùm se virtus ingesserit omnis, sponte pro desiderata tractem conversione. Hæc ergo & his similia in primis etiam quasi compatiendo & consulendo intulit illusio diabolica.

Deinde verò cùm talia ad plenum voluntatis suæ effectum Dei gratia resistente non potuisset tentator nequissimus in me obtinere; ad majoris excitatus est pugnam nequitiæ. Nam arte solita ad desperationem me pertrahere studuit, inspirans scilicet mentalium, me talem velle reverti, qui tantis criminibus sum implicatus, ut non solum Principibus, sed etiam multitudini ceteræ, ipsisque simul parentibus & cognatis exosus essem. Putasne, inquit, ut tam sceleratus homo apud Deum judicem districtissimum veniam possit promereri? quandoquidem, sicut scriptum est, *Vix justus salvabitur.* Ne cupias ergo quæ non sunt cupienda, sed potiùs ad ea laboris tui studium converte, quæ amodo possis obtinere. Si enim ita, ut tu studiosissime æstimas, omnibus concessa foret hujusmodi facultas, ut scilicet ad regna cælestia tam perversus, quàm justus homo pertingere posset; nequaquam Apostolus ille excellentissimus Paulus diceret: *Non enim est omnium fides.* & iterum idem dicit: *Non omnes obediunt Evangelio.* ipseque Salvator & veracissimus Auctor hæc rudimenta suis mundoque dedit omni: *Qui potest capere capiat.* In qua procul dubio sententia innotuit, quod non omnia bona possit. Cùm ergo delusibnibus torquerer talibus, quis putas etiam tunc erat animus? nil aliud certè tunc prævalui nisi flere, & juxta Psalmistam fuerunt lacrymæ meæ panes die ac nocte. Fateor nimirum ex intimo corde, quod nullus, nisi per gratiam Domini solam, talia potest vincere.

Postquam autem insidiator callidissimus me ad desperationis illatæ consensum nequivit pertrahere, conatus est per alia fraudis suæ argumenta ad justitiæ divinæ blasphemiam me deflectere, non deterrendo & improperando, sed quasi condolendo & compatiendo afflictioni meæ, suggerens videlicet cordi meo hujusmodi cogitationes. O quàm miserande juvenis, cujus dolorem nullus hominum dignatur attendere! Quis autem hominum vel excogitare potest tanta te jam depressum afflictione? Unde nec illis debes imputare: quia quod nequeunt scire, in eo non possunt subvenire. Novit enim Dominus solus omnia. Ideoque illi soli constat imputandum, quidquid videtur ineptum & inordinatum. Cùm ergo sciat & possit omnia, quare non adjuvat te in tribulatione tua, qui pro ejus amore reliquisti & priùs seculum, & jam diu inæstimabilem sustines cruciatum? Quæ ergo ista erit ratio districtionis, quæ ad se jugiter clamantes omnibus cruciat modis? Fac quod facturus eris: depone supervacuas preces & luctus, quia ille in hac severitate, in qua hactenus erat, amodo etiam perseverat. nam nimis stultum est ea precibus attentare, quæ te scias non posse impetrare. Verumtamen noli timere, quia numquam unius potentis injustitia omnes permittit perdere. Quomodo enim posset fieri, ut homo quisquam mereretur semper affligi? vel quis mortalium sine peccato valet esse ab initio usque ad finem vitæ? aut parvuli innocentia qualiter acquiri potest in senecta? sicut Christus docet: *Nisi*, inquiens, *conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Numquid & hoc te non movet, quod Ezechiel propheta comminatur dicens: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur?* Si enim omnis qui peccat morietur, profectò nullus homo salvus erit, quia nemo absque peccato inveniri potest. Nonne similiter & illam mirabilem sententiam, quam paullo post idem Propheta dicit, tua mens attendit? Ait ergo: *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus erunt in oblivionem.* Hinc est quod ille Judas proditor Domini, cùm hoc unum traditionis crimen admisisset, post multimoda justitiæ opera damnatus est. Attende adhuc & alia duo maxima hujus rationis exempla, in quibus probari & definiri potest omnis nostra sententia. Legitur enim in Exedi libro, quia dixerit Dominus ad Moysen, *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* rursumque in Evangelio scriptum est, quia volens quidam discipulus ejus fieri, ac dicens: *Se-*

quae et quocumque ieris, repulsus est ab eodem Domino dicente: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* O indiscreta severitas! ô miseranda æquitas! quæ tantummodo voluntatis suæ arbitrium sequitur, & ad se confugientes suscipere dedignatur. intolerabilis certè talis est disciplina, nullique merito placitura. Hujusmodi quoque delusiones diu perturbaverunt cogitationes meas, in quibus satis probari valet, quantis periculis mens mea subjaceret.

Ad easdem delusiones videtur pertinere quod subsequenter volò referre. Sæpe namque contigit, ut quia matutinis horis ad signum primum, sicut Regula sancta docet, volui exsurgere, phantasmatico aliquo signo longè ante tempus surgendi excitatus, ad Oratorium venirem festinus. Hoc etiam tamdiu credidi opus esse divinum, quousque ex tempestivi soporis impedimento coactum me sentirem ad intempestivum. Patiebar & hoc per aliquot annos in nocturnis horis, ut licet admodum sanus in lectulo dormiens jacerem, cùm ad matutinas laudes surgere deberem, quasi compede quodam membrorum omnium constringerer debilitate: sicque ad ecclesiam nutanti & difficillimo gressu pervenirem.

Proferenda est adhuc tentatio & delusio una, quàm tanto difficilius intimare queo, quanto minus umquam aliquid hujusmodi legebam aut audiebam ab ullo. Postquam enim supradictis & aliis multis tentationibus (quarum quasdam minime in memoria habeo, quasdam verò, ne legentibus sim tædio, hîc proferre nolo) sum impulsus, sed per Dei gratiam à fide & spe cælestis auxilii nequaquam evulsus, tunc impugnatione tali diutius torqueri me sentiebam, per quam & de Scripturæ sacræ scientia & ipsius Dei essentia prorsus dubitare compellebar. In aliarum quidem tentationum discrimine aliquid refrigerii intervallum, aliquid spei præstabatur refugium: in istis verò per horas continuas omnis fere luminis privabar cognitione. In aliis per sacræ documenta Scripturæ aliquatenus roboratus, contra illata mortis jacula fidei speique armis decertavi: in ista autem omni dubitatione & mentis cæcitate circumseptus, si aut ulla in Scripturis sacris veritas sit ac profectus, aut si Deus omnipotens constet prorsus dubitavi. In aliis inquam, tolerabilis aliquo modo & temperata fuit impugnationis causa: in ista autem talis erumpebat violentia, ut non solùm spirituales, sed etiam corporales mei sensus vigore solito destituerentur. Videbatur enim mihi interdum, ut quasi obvelato visu & auditu nil juxta vires solitas videre aut audire possens. Interim ego quasi cujusdam mecum colloquentis & ore etiam apposito verba meis auribus susurrando immittentis audirem dicentisque, Cui labore casso tamdiu fatigaris? ubi est illa spes tua, quam usque modo retinebas in Scriptura? nonne, omnium mortalium stultissime, casibus propriis poteris probare, quia & Scripturarum testificatio, & totius rationis creaturæ imaginatio absque ratione constat & sine rectore? numquid experimentu non cognoscis, quia aliud librorum relatio divinitum, & aliud vita moresque probantur esse hominum? Putasne tot millia hominum errare, qui, ut ipse quoque hactenus cernebas, nec observare, seu nec suscipere curant documenta librorum? Cumque super his mæstus in corde tractarem sæpius, quasi interrogando & objiciendo. Si ita est, inquiens, cur tanta convenientia est in omnibus fere Scripturis divinitus inspiratis, ut ratione pari & de conditore Deo, & de mandatorum ipsius observantia enarrent? visum est hujusmodi verba iterum quasi respondendo mihi inspirari: Ideo utique, ô insensate, Scriptura in qua confidis, de Dei persona & de religione multiplici verba profert, quomodo homines illi qui Scripturæ ejusdem auctores olim exstiterunt, eodem modo quo etiam in tempore præsenti vivunt, ipsi tunc vixerunt. Modus autem vivendi in tempore præsenti, sicut tu quoque scis, constat talis, ut honestè quidem & religiosè satis homines loquantur aliter verò longè sint actus eorum, sicut scilicet expedit, & fragilitas humana permittit. Nonne ergo hæc ita esse quotidie potes probare? Unde putes, & auctores scripturarum antiquarum religiosa quidem honestaque dicta composuisse, sed non secundum eorumdem dictorum qualitatem vixisse. Igitur secundum talem modum omnes legis divinæ libros intellige conscriptos, ut videlicet religiositatis & virtutis superficiem quamdam exterius habeant, interius verò rationem aliam & intellectum exquirant. Sicut in plurimis, maximeque in divinis codicibus, facilè reperiuntur sententiæ, aliam in littera, aliam in intelligentia rationem retinentes. Hæc autem omnia ita esse uno Pauli testimonio approbo. *Littera enim*, inquit, *occidit, spiritus autem*, id est sensus, *vivificat.* Nonne satis apertè per hæc Apostoli verba doceris, quia si librorum dicta sequeris, maxima pericula patieris? Idem quoque de Dei essentia intelligendum est. Alioquin si aliqua persona aut virtus Dei omnipotentis esset, nequaquam tanta confusio atque diversitas in rebus cunctis appareret. Sed neque tibi discrimina tanta contingerent: talisque dubitatio, quam modo pateris, minimè immineret.

Cumque hujusmodi delusionibus plusquam credibile sit impugnarer, & propter inauditam ipsius impugnationis qualitatem ulli fratrum apertè indicare vererer; (nullum enim talia posse credere aut audire arbitrabar;) tunc solo prostratus, & præ amaritudine suspiria longa trahens, & vires animi colligens, emisi talem labiis & pectore vocem. O si quis es Omnipotens, & si sis undique præsens, sicut & in libris legi sæpissime multis, jam precor ostende quis sis, & quid possis, eripiens citius me à periculis imminentibus. nam sufferre magis nequeo discrimina tanta. Nulla dehinc mora: & ablata est per Dei gratiam non solum omnis illa dubitationis supradictæ nebula: sed etiam scientiæ lux tanta in corde meo emicuit ut & numquam postmodum tales dubitationis mortiferæ tenebras sustinerem, & ea quæ minùs antea cognovi, intelligere cœpissem. cujus etiam intelligentiæ gratia in tantum per idem tempus mihi augebatur, ut non eam facile possem occultare. Instinctu enim quodam ineffabili & fervore insolito succensus, aliquam laudis divinæ operam pro gratia collata assumere incitabar. Cumque eamdem intelligentiæ gratiam nec prorsus tacere, nec convenienti ratione possem perhibere; tractare cœpi, quia forsitan dictando & scribendo fervor insitus liceret proferri. Hoc itaque modo occasionem scribendi sumens, & ea quæ superius de illusione diabolica proferebam, & quæ adhuc proferre volo, de divinæ inspirationis colloquio scripsi, ita incipiens.

Quoniam igitur delusiones diabolicas peccatorum meorum causa exortas, atque contra me suscitatas aliquantulum protuli, consequens profecto & rationabile videtur, ut etiam divinæ inspirationis modos, quibus mens mea ad repugnandum instruebatur, scribendo aperiam: ne fortè aliquis delusiones easdem hic tantummodo scriptas, & non protinus cælestis adjutorii instrumenta ex lectione pari agnoscens; aut me victoriam adeptam, quæ mea numquam est, mihimet deputasse arbitretur; seu etiam,

quasi mihi defuisset protectio divina in meis, in suis pariter tentationibus idem sibi venturum vereatur. Cui suspicioni nullum dans locum, fateor me contra diaboli insidias omni modo per gratiam divinam instructum, seu desidia lasciviaque animi torpentem nullo umquam certamine debito, aut vigiliarum, aut jejunii, seu cujuscumque continentiæ pro viribus datis pugnasse. Nam ut præteream collata scientiæ liberalis dona, quæ circumspectionis instrumenta constant maxima; memini me frequenter, & maximè cùm primùm de stratu meo in matutinis exsurgerem horis, mox à quodam quasi mecum surgente, mecumque simul gradiente, per ineffabilem modum nunc increpari, interdum leniter admoneri, crebro etiam humillimo nisu obsecrari pro emendatione morum & vitiorum, eorum quidem in primis, quæ hesterno forsitan die ignoranter commiseram pro nihilo duxi: deinde verò pro eorum emendatione, quæ in quocumque tempore admisi, aut ineptè ridendo, aut incautè loquendo, seu etiam inutilia cogitando: postremo pro emendatione cujuslibet vitii, quod longè jam antea perpetratum vix memini.

Cumque hujusmodi inspiratione & instinctu circumventus ecclesiam intrassem; & ad orationis studium me suppliciter inclinassem aut prostravissem; Deus scit quod non mentior; videbantur mihi quod aliquid à me deposceret eodem studio orandi, dicens: Sicuti igitur tibi gratum est ut à me rogata consequaris: ita quoque mihi pretiosum constat, si tu precibus obedias meis. Nonne ergo tu quem sæpe rogavi, ut ne hoc aut illud vitium geras, adhuc in illis perseveras? nunquid non adhuc in te resident carnalium rerum desideria, servitutis divinæ negligentia, jactantiæ & arrogantiæ, necnon vestitus superflui studium, illius hominis odium, quem scis à te non esse odiendum, dicente Scriptura: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Si enim ille te frustra persequens iniquus est, quid ad te pertinet ut eum similiter persequaris? nonne scis scriptum: *Mihi vindictam ego retribuam, dicit Dominus?* Si verò talis est ut eum convertere possis, cur hoc negligis? nonne ad hoc unicuique ingenium liberalisque scientia à Deo præstatur, ut alios ædificare moliatur? An arbitraris ut te tantummodo in alios peccantem velim tolerare, & non similiter alios in te delinquentes usque ad pœnitentiam exspectare? quin potiùs attende, quia sicut omnium unum patientiæ, & paternitatis habeo affectum: vos autem homines hoc decet omnimodo providere, ut tanta pietatis meæ devotio vobis valeat prodesse. Ubi ergo nunc est patientia & constantia, necnon illa perfectio quam sæpe Deo promisisti, si ille te eripiens à periculis imminentibus constitueret in habitu monasterio? En Deus effecit quod mens tua sæpe rogavit: tu quoque quare tuum tardas persolvere votum? Rogasti etiam tibi talem præstari locum, in quo copiam haberes librorum. Ecce auditus es, ecce libros retines diversum dogma ferentes, in quibus æternam poteris cognoscere vitam. cur rebus variis mentem per inania spargis, & minus optatum festinas sumere donum? Ad hæc etiam rogare studuisti, ut quia te ad toleranda adversa præparatum & promptum existimasti, aliquam super te permitterem venire molestiam tentationis, per quam meruisses aliquatenus expurgari à peccatis. Ecce & hoc ita exaudivi, ut non secundùm nequissimi tentatoris vota, sed potiùs juxta vires tibi concessas ab eo fatigareris: & tamen cùm ab hujusmodi compugnantia attingeris, mox velut ignarus vel inermis victus abibis? Constat ineptus homo, qui se scit subdere neutro, nec paci videlicet, nec bello. Paci quidem, quia cum nulla adest pugna, se tamquam validum & promptum spontè offert ad pugnandum: bello autem, quia quàm primum insonuerit clangor pugnæ, mox depositis armis fugit ad solatia pacis. Quem ergo sanctorum Patrum in veteris aut in novo Testamento degentium tam gratum mihi tamque pretiosum esse umquam legisti, ut eum in tribulationis alicujus fornace noluissem probari? In quibuscumque igitur libris divinæ legis placeat hoc quod jam dixi exquirere, & invenies procul dubio mihi non in sua voluntate delicatos, sed magis in tribulatione ac persecutione probatos semper placuisse. Unde in Evangelio dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Id item Evangelica verba testantur: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Item scriptum est in Evangelio: *Ardua & angusta est via, quæ ducit ad vitam.* Hinc etiam Paulus Apostolus dicit: *Nemo coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* Cùm ergo hæc & his similia multa in Scripturis sacris scis esse scripta, quare tu, si aliquam vitæ perennis coronam vis percipere, nil tribulationis aut molestiæ pro criminibus saltem commissis cupis sustinere? Attende itaque diligenter ad ea quæ jam dicere volo, quoniam legisti talia crebro. Plurimi namque sanctorum non tantum pro emendatione seu correctione peccatorum, quantum propter probationem aut perpetuæ felicitatis compensationem tormenta in hoc mundo pertulerunt, sicut sancti Job, Daniel, Esaias, Hieremias in veteri; in novo autem Testamento omnes pæne Martyrum chori leguntur ideo magis passi, ut velut aurum in fornace probatum puriores effecti, æterna perfruerentur requie, quàm ut pro sceleribus puniti reatum persolverent illata tribulatione. Tu vero nihil horum meritò tibi vindicare potes, ut scilicet magis ad probationem quàm ad peccatorum absolutionem amodo affligaris: sed ad hoc tribulationes omnimodas tibi opus est tolerare, ne pro reatibus tuis æternas pœnas cogaris subire. Hoc quoque oportet ut jugiter recorderis, quia plurimi pro peccatis multo levioribus, quàm tua sint, justo Dei judicio aut tormentis gravibus, aut inhonesta membrorum amissione vix præsentem vitam redimere meruerunt, seu etiam (quod miserabilius est) aut gladiis, aut bestiis, aut igne, sive aquis consumpti mortem repentinam subierunt. quæ omnia licet multis criminibus sæpe meruisses, non solùm pietate divina protectus evasisti; verùm etiam ingentia dona, quæ mortalibus plurimis sunt negata, tu velut ex meritis aliquibus acquisita, ab annis puerilibus usque in præsens tempus semper tenuisti. Nonne ergo hæc tanta recordatione sunt digna? numquid ullam in Deum habes justæ querimoniæ causam? Scio utique te eo majorem pro tribulatione quacumque recenti querimoniam habere, quo minus in tempore præcedenti adversa solitus eras ulla sustinere. Ideoque contra Domini flagella peccatis tuis abolendis nimis necessaria tanto magis modò murmurare soles, quanto majore clementia patientiaque ille hactenus iniquitates tuas sustinuit omnes. Sed hæc est injustissima hominum recompensatio, ut cùm à pueritia usque ad senectutem omnigenis peccatorum sordibus involuti mira Dei pietate sustineantur, & postea ne æternis deputentur suppliciis, pro eorumdem peccatorum ablutione aliquatenus affligantur; nullas ei grates studeant impendere, aut pro exhibita compassione, aut pro emendatione. Noli ergo mirari, quia mihi placet omnes probari. nam nec sibi, nec aliis cogniti forent, nisi eos tentamenta aliqua certos ac probatos facerent. Quis enim miles nullum prœlii periculum expertus, prœliandi socius erit certus? ideoque multi in otio &

in pace inutili nutriti, quamvis fortes se esse credant, quando venerint ad bellum, continuò fugæ quærunt præsidium. Sic etiam tu arbitratus es temet ante tentationis tempus validum ad omnia: & ecce quàm infirmus sis, ex tentatione apparet illata. Numquid adhuc nescis, quantum sit noscere quid sis. Certè si necdum tentatio aliqua fortiorem, tui tamen te fecit certiorem, quia priùs te (quod non eras) credebas validum; nunc veritatem propriæ fragilitatis expertus, agnoscis te infirmum. Hæc est namque illius agnitio infirmitatis, de qua Apostolus dicit: *Virtus in infirmitate perficitur*. Igitur Deo gratias age, quia, quamvis invitum, te fecit jam tibi notum, & propriæ fragilitatis conscium: consideraque simul, quia tanto majore devotione ac fide regimini divino debes amodò obtemperare, quanto pluribus experimentis jam probasti omnia in Deo tuta esse. Sufficere namque tibi pro fide & spe retinenda deberet, quod sæpe in Psalmista legis & audis: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*. & iterum: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. itemque: *Custodit Dominus omnes diligentes se*, multaque his similia, & in Psalmis & in aliis codicibus inveniuntur scripta, ut in Esaïa Propheta, qui ex Domini persona dicit: *Convertemini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ*. & iterum idem Propheta dicit: *Derelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus; & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*. In Ezechiele quoque invenies similia verba. scribit enim: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat*. Et paulo post profert sententiam, quæ licet justis, ne de se aliquid præsumant, pavorem ingerat, injustos tamen verbis omnem humanæ clementiæ usum excedentibus consolatur dicens: *Etiamsi justo dixero, Vita vivat, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus oblivione tradentur. Si autem dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium & justitiam, vita vivet & non morietur*. In aliis etiam Prophetis invenitur scriptum, quanta Dei gratia sit super omnes qui invocant illum. Johel quoque Propheta dicit: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia*. Item Amos Propheta dicit: *Quærite Dominum, & vivite*. Non minorem quoque fidei atque spei doctrinam in Jona Propheta invenies, in quo commemoratur benignitas Dei immensa circa Ninivitas delinquentes. Eadem itaque rudimenta ac solatia in omnibus sacræ Scripturæ libris reperiuntur, sicut & Apostolus Paulus testatur dicens: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*. Item Paulus inter innumera epistolarum suarum documenta specialiter quali clementia Deus in tribulatione aut tentatione positos tueatur, profert dicens: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. illud scilicet proventum vocans, quod variis tentationibus fatigati, sed ad Dominum clamantes, liberari discimus, quanta nequitia sit diaboli nos impugnantis, quantaque Dei gratia nos exinde liberantis.

Sed si de omnibus documentis quæ jam ex Scripturis sanctis prolata sunt aliquid diffideres, aut quia ex Legis umbra, seu quia ex puris hominibus sunt dicta; saltem ea quæ dicta sunt à Domino Jesu-Christo, qui Deus & homo est, firmiter credere debuisses. Dicit enim Mathæo Evangelista narrante: *Non veni vocare justos, sed peccatores*. item eodem narrante: *Venite*, inquit *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam*. Luca enim perhibente discipulos suos pro quadam ratione increpat dicens: *Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Item per eumdem Evangelistam ait: *Majus gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia*. Joanne quoque perhibente dixit discipulis suis: *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium meum non venit, sed transit à morte in vitam*.

Quia igitur tibi datum est nosse legendo & meditando hujusmodi documenta, cur quæso non sufficiunt tibi pro fidei & spei salutiferæ constantia? Numquid pro munere parvo, aut sine causa datam tibi litterarum scientiam existimas? O quanti pretii pensarentur ista apud multos, quæ tu pro nihilo deputas. Proinde verò quia non solùm supra memorata scientiæ liberalis gratia, sed etiam ea quæ ex ingenio naturali ipsoque usu communis vitæ velut certissima de Deo prius sentiebas, nunc in oblivionem & in errorem ducto tibi minimè suppetunt, pro retinenda inter tentationis illatæ molestias fidei speique constantia, libet illa referre Dei beneficia, quæ expertus es in pueritia: ut dum hoc quod modò, licet plurimis documentis instructus, utpote in ætate maturiori constitutus ignoras, te olim in ætate puerili satis nosse probavero, aut sic confusus ad cor redeas, & de Dei misericordia patientiaque numquam diffidas, quolibet modo afflictus vulneraris, qualicumque tentatione impugneris. Diabolo enim justo Dei judicio fatigare te ad tempus permittitur: sed sollicitudo tua nisibus omnimodis hoc debet perpendere, ne ille delusione sua te valeat subvertere. Quis igitur ille erat, quem tu quondam, cùm nuper ad scholam pro litteris discendis traditus esses, & sæpe inter coævulos ac scholasticos residens ne verberibus ullis castigareris timuisses, unicè pro discendi facilitate invocasti, & exaudivit te? quem quæso tunc crediderass tam pium, ut te parvulum à virgulatum plagis defenderet, tamque potentem, ut capacitatem sensus, necnon ampliorem scientiæ facultatem concedere tibi posset? Nonne Deum solum creatorem & provisorem universorum? numquid non tuis tunc satisfactum precibus, quamvis tu necdum ad proferendas orationes sinceras existeres gnarus? Certè temetipso consentiente, nisi fortè oblivionis aut mæroris causâ impediaris, testor, quia non solum præmonstratas à Doctore, sed etiam nondum reseratas lectiones & cantica tam capaci celerique effectu didiceras, ut non parvum miraculum ceteris simul discentibus exhiberes. Quoniam igitur adhuc parvulus, & in scholis positus, tantam Dei gratiam potentiamque expertus es, cur etiam modò, cùm viriles annos retinere videaris, cùm per dona scientiæ plura, necnon per experimenta multa pietatis divinæ notitiã potiaris, dissimilia de Deo credis? O qualis vir, qui aliquantulum proficiens in puerili, ad nihilum tendit fungens ætate virili! cùm congruentior ordo humani profectus sit de puerili in virilem animum proficere, de magnis ad majora conscendere, sicut & Apostolus dicit: *Cum essem parvulus, cogitabam ut parvulus, sapiebam ut parvulus: quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli*. Attende ergo quanta pietatis divinæ experimenta teneas, & à fidei speique constantia deficere noli: sed recordare jugiter quia scriptum est: *Justus ex fide vivit*. & , *Omnia possibilia sunt credenti*. Sed & illud quod beatus Petrus Apostolus admonet dicens: *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, cui

resistite fortes in fide. Quare autem adhuc dubitas de ineffabili Dei clementia, & de præcavenda diabolicæ fraudis astutia? Hostis namque tanti insidias nullatenus vales evadere, nisi firmiter credas, quia nihil impossibile est apud Deum, & quoniam salvat omnes sperantes in eum.

Huic verò fidei licet tenacissima diaboli invidia te impediat inhærere, suggerens videlicet cordi tuo obtinendæ remissionis aut salutis difficultatem, necnon judicii divini austeritatem; tu tamen supradicta sacræ Scripturæ documenta ac pietatis divinæ experimenta sub tenaci memoria repone; & procul dubio ab omni diabolica liberaberis delusione. Diabolus enim nullo modo magis convincitur & confunditur, quàm cum ei à Fidelibus Scriptura sacra objicitur, quod etiam ex Jesu-Christi testimonio manifestissimè comprobatur. nam quamvis sibimet maxima verborum scientia inesset, tentatori tamen cum nullis aliis, nisi quæ ex sacra pagina protulit, respondere voluit dicens: *Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Inter hæc verò scire te convenit, quoniam pro causis variis tentationes diaboli perferre proderit. Primò ut illius inæstimabilis malitia & versutia detegatur: deinde ut uniuscujusque hominis tentati fragilitas & constantia agnoscatur, ac per hoc fragilis quidem & lapsus cum conversus fuerit, aliis in tentatione & fragilitate quacumque adhuc positis condolere compatique sciat, sicut de beato Petro legitur, quia idcirco in peccatum fragilitate propria urgente cecidit, ut aliis peccantibus misereri didicisset. Constans autem, & perfectus ideo in tentatione probatur, ut adhuc stantibus in exemplum, & cadentibus in venerationem assumatur, sicut & beati Job perfectio atque constantia cunctis est imitanda necnon veneranda. Ille enim ita pro Domino, & propriæ carnis ulcera gravissima, & filiorum invisam mortem, universæque substantiæ perditionem sustinuit, uxoris quoque convicia, necnon amicorum opprobria invectionesque plurimas contempsit, ut in nullo Deum offenderet, sicut de eo Scriptura commemorat dicens: *In omnibus his non peccavit labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* Nonne ergo utilis exstitit tanta beati Job tentatio, in qua & ipsius constantia, & diversa satanæ reserata est malitia? Eadem utilitatis causa, eadem pietatis cura semper fuit, & semper erit Deo super omnes quos tentari permittit, quamvis vos homines, efficiente diaboli invidia, infidelitate & desperatione obcæcati, inutilia & impia de Deo arbitremini.

Relinque igitur varium opinionis errorem, & ad susceptam monasticæ religionis fide moribusque congruis temet præpara professionem. Arbitraris namque interdum eamdem professionem te frustra assecutum esse, pro eo scilicet quia hanc & sine consilio omnium affinium parentumque tuorum, & absque consideratione fragilis ac lubricæ ætatis immaturæq; ad tantum studium aggressus fueris. Sed quàm facile dubitationem talem evadere valeas, oportet ut attendas. Et primo quidem de consilio, dehinc de ceteris aliqua promere cupio. Consilium namque in bono & in malo potest fieri: sed cùm fit in bono, hoc est propter utilitatem animæ seu corporis, omnimodo amplectendum est: ubi verò in malo, hoc est propter carnalia solummodo vota implenda, aut commoda hujus vitæ noxia acquirenda, non solùm fugiendum, sed etiam detestandum est. Unde Psalmista utriusque qualitatem insinuans postquam dixit, *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum*, illatim subjunxit dicens: *Consilium autem Domini manet in æternum.* Item de bono in Parabolis Salomonis Sapientia fatur: *Ego habito in consilio.* rurfum in eodem Salomonis libro de consilii boni qualitate dicitur: *Audi consilium & suscipe disciplinam.* Cum enim præmittitur, *Audi consilium*, ac mox subjungitur, *& suscipe disciplinam*; patet profectò, quia hoc est verum rectumque consilium, suscipere disciplinam. Sed ut vulgari etiam more de consilii qualitate disputemus, numquid tu semper amicorum aut parentum consilia quæsisti, quando aliqua flagitia perpetrare voluisti? Veritusne ergo es tunc ideo Deum offendere, quia talia sine consilio solebas facere? Ecce vides quàm superfluum sit te ex hoc arbitrari Deum offendisse, quòd sine consilio amicorum utilitatem tractares animæ: quandoquidem pro explenda carnis nugacitate nullum consilium requirens, minùs offendere putasti. Quod autem propterea animo sæpius nutanti incedis, quia in fervore juvenili immaturaque adhuc ætate positus, tam difficilem monasticæ vitæ religionem, quasi inconsiderata laboris tanti difficultate assumpsisti; scias procul dubio nihil aliud esse nisi causam illusionis diabolicæ: quia sicut expedit omnibus ad me converti, & ut tu quoque rogasti, diabolus justè permittitur te tentando fatigare, siquidem tam in juvenili, quàm in provectiore ætate debere & posse ad viam meliorem converti, testantur & exempla multorum & librorum scripta sacrorum. Dicit enim Ecclesiastes: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ.* Item in libro Jesu filii Sirach legitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* In eodem quoque libro scriptum invenitur: *Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo invenies eam senectute tua?* Hinc & Propheta dicit: *Puer autem Propheta centum annorum maledictus erit.*

Ad hæc etiam rogo, cui validior & præstantior ætas magis congruit servire? Deo, an diabolo? numquid priusquam vires defecerint corporis, nullus homo viam debet arripere perfectionis? Est & alia causa super molestia passionum tuarum tractanda, quam decet ut mente perpendas intima. Nam quanto majoribus beneficiis ditatus, & longiori patientia hactenus à me es supportatus, tanto difficiliorem conversionis viam sustinere debes. Scio namque in juventute difficillimam esse cujuslibet conversionem. Sed & te convenit scire, quàm difficile, quàm laboriosum mihi quodammodo erat per illorum scandala, qui per te depravati sunt: quòd tu plurimis in utroque homine laureatus beneficiis, pæne omne tempus præteritum consumpsisti in flagitiis. Finitis igitur signis, finitis igitur solutionibus, quas pro rebus quibusdam, in quibus dubitando laborabas, protuli; numquid adhuc, ô amator dubitationis totius, aliquid certum & definitum probatione ulla accepisti? An ignoras quoniam documenta tanta, quacumque ratione aut meditatione concepta, nequaquam adeptus es frustra? Ideoque in eorumdem documentorum cognitione stabilem mentis retine intentionem ;; & per hoc præpara animum tuum ad tentationem. Nam quanto majore inspirationis divinæ gratia jam præmonitus instructusque es, tanto validiorem tentationis molestiam patieris. Iterum atque iterum eadem repetens admoneo, ne fortè inter eos deputeris, qui, ut scriptum est, ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

Mirari itaque noli, si quid passurus es novi: verumtamen præscio quanta infirmitate & ambiguitate inter novas tentationis molestias dissolvaris, arbitratus scilicet me ipsum Deum omnipotentem non esse, & hæc omnia quæ de me percepisti apud te quasi somnia videri. Recede ergo, miser, ab hac dementia: quia, sicut sæpissime tibi patefactum est,

delusione

delusione circumvallaris diabolica. Attende, ô captive, ne tu sis ille de quo dicit Psalmista, *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Diabolus quippe satis agnoscens universos confugientes ad me veniam promereri posse, omnigenis delusionibus retrahit eos ab ipsius aditu veniæ, hoc est à fide, immittens videlicet fraude sulta hujusmodi cogitationes, ut aut indignum mihi videatur sceleratos quosque justificare; seu austeritatem tantam mihi inesse, quam nullus homo peccator, etiam si pro pænitentia semper castigetur, valeat minorare: sive ut de justorum retributione perpetua & de impiorum perenni dubitent pœna aut etiam judicia blasphemare audeant mea: seu ut Scripturæ sacræ dicta intentione subvertant sinistra: ad extremum verò ut, sicut tu quoque modò delusus privaris, de certissima substantiæ meæ priventur agnitione.

Sed quia insipientiam animi tui hucusque præ mortalibus multis sustinui admonendo & instruendo: cur etiam talia permittam contingere aliquatenus te volo instruere. Numquid ignoras, Angelos & Archangelos omnesque cælicolas, qui longè sublimiores natura constant humana, in eo voluntatis suæ arbitrio relictos, ut sive mecum, sive cum principe diabolo vellent, permanerent? Sic quoque oportuit eos probari, ut & quid in me, & quid in se essent, posset denudari. Unde cùm quidam probati sine me nihil esse, alii verò in se aliquid esse & posse crederent: hi qui in me suum tantummodo esse decernebant, electione & felicitate perpetua videbantur digni; illi autem qui se viribus propriis commendabant, ut pateficret quid sine me possent, irremediabili judicio sunt puniti, sicut in epistola beati Petri Apostoli legitur: *Deus* inquit, *Angelis peccantibus non pepercit.* & in epistola Judæ: *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium in judicium diei magni, æternis vinculis reservabit.* Nota quoque & illud, quia si iidem Angeli in exordio creationis suæ ita probati non essent, licet naturâ præclarissimâ potirentur, per se tamen aliquid posse existimantes, tanto nequius quandoque superbiendo caderent, quanto jam diutius se viribus propriis stetisse crederent: & in hujusmodi dilatione non tantùm angelicæ, sed etiam humanæ damna evenirent naturæ. quia cum districtio divina Angelis superbientibus in initio minimè resisteret, humana profectò superbia impunitatis tantæ causa magis ac magis Deum contemnens, graviori demũ supplicio prosternenda caderet. Quam ob rem quid aut angelica, aut humana natura per se possit, mox in utriusque initio apparere oportuit, ut eorum casus non tam sibi ceterisque videretur detrimentum, quam doctrinæ exemplum: & eo fortiùs postmodum starent, ubique tenacius inhærerent, quo majori experimento per semet nihil posse didicissent. Ceterum hi Angeli, qui arbitrii libertate data probati, à consortio subjectionis meæ sponte discesserunt, ideo veniæ remedium non meruerunt, quoniam extrinsecus nulla rerum necessitate, nulla intrinsecus naturæ suæ ad hoc coacti sunt imbecillitate: sed vitio tantummodo superbiæ ex ipsa libertatis claritatisque suæ excellentia inflati, potentiæ meæ præsumebant resistere. Homo autem primus licet sapientia multiplici & conditione spirituali ita esset adornatus, ut diceretur ad imaginem & similitudinem Dei factus: quia tamen compositus erat ex carne lutea, & diaboli præveniens seductione atque astutia, præcepti mei transgressione veniam meruit, ea tamen ratione, ut ejectus de paradiso voluptatis, operaretur terram de qua sumptus esset; in sudore vesceretur pane. quod scilicet & juxta litteram de corporali, ut ea quæ in hoc exilio corpori essent necessaria, cura excoleret varia; & de spirituali pane, id est Christo, potest intelligi: ut cui priùs facillimo liberi arbitrii nisu inhærere, & in quo omnia habere posset; ad eum postmodum lapsus cum sudore maximo pænitentiæ rediret: atque ejusdem arbitrii ingeniique vires, quas ante transgressionem absque sensus torpore ad cuncta bonitatis jura retinuerat, postea carnis fragilitate præpediente cum labore gravi obtineret. Cùm ergo hac ratiocinatione agnoscas, non solum eumdem primum hominem singulari conditionis humanæ primatu sapientiaque laureatum, sed etiam omnes cælicolas, quorum excellentiæ creatura nulla comparatur, absque probatione congrua non posse mihi firmiter inhærere, nec non sui meique differentiam, pervidere: quem deinceps hominum ceterorum à primi hominis prudentia insita aliquid distantium, arbitraris esse tam perfectum, ut sine tentatione meæ magnificentiæ suæque fragilitatis certum capere possit experimentum?

Quod si tentationis insolitæ molestias super te irruisse causaris; attende quoque quia tu pæne insolito more gratiam meam huc usque magis quàm alii plures adeptus sis. Nunne tibi insolitum videtur, à pueritia usque in presens omnimodis te sceleribus implicatum, non solùm pœnas condignas evasisse, sed etiam quasi vice versa hæc quæ multis denegata sunt Religiosis, & (quod non absque admiratione magna pensari valet) cum labore magno exquirentibus, ea nisu facillimo dona pietatis meæ ingentia percepisse? Recordare quæso quid tu absque labore solitu beneficiorum, & quid ceteri plures mei electi experirentur angustiarum, priusquam pacem & requiem ullam, non dico futuræ, sed præsentis vitæ obtinerent, quamvis nonnulli inter beneficia sibimet collata afflictiones varias preferrent. Et ut hæc apertiùs tuo innotescant animo, quosdam qui hujusmodi vitam ducebant, tam in veteri quàm in novo Testamento per nomina recitare cupio. Scisne quantus labores & tribulationes Jacob Patriarcha pertulerit, priusquam ullam benedictionis perceptæ à patre suo Isaac gratiam promereri potuerit? nam ut Genesis liber testatur, oderat semper Esau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: ideoque matre suadente idem Jacob propter fratris metum profectus est in exilium, ubi avunculo suo XIV annos serviens, ignobilis personæ sortitus est nrgotium: postea verò cum rediret ad patriam, in tantum adhuc fratris expavit iram, ut pro reconciliatione nuntios præmittens, non solùm jam fratrem, sed & dominum appellaret dicens: *Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus: Mitto nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.* Cùm autem advenientem fratrem procul vidisset, præ timore in terram cadens, septies adoravit donec appropinquaret. Videsne ergo quantas afflictiones ille tantus vir sustinuerit, antequam gaudia aliqua benedictionis promissæ gustaverit? At si gustavit, magnus timor hæc superavit. Eadem quoque de filio suo Joseph proferri possunt, quem cùm somnia patefacta fratres sui majorum quemdam sibique præponendum arbitrarentur mox obitu totius fraternitatis, contra eum omnimodâ succensi sunt invidiâ, adeo ut vix ab illius interfectione sese cohibentes venumdarent eum Ismaëlitis: à quibus translatus in Ægyptum, tantam ibi contritionem, pressuramque sustinuit, ut sicut de eo Psalmista commemorat, ferrum pertransiret animam ejus, donec veniret verbum ejus, id est antequam perciperet prædestinatam & revelatam potestatem, quam non solum super omni Ægypto, sed etiam super cunctis fratribus suis, ad se pro inopia confugientibus, possessurus erat. Similia etiam invenire

vales de præcipuo viro Moïse, & de famulo meo David, & de sancto Daniele: qui omnes, licet disparibus modis, ante & post susceptam dignitatem tribulationes periculaque maxima pertulerunt.

Tales etiam viri multi inveniuntur in veteri, sed multo plures in Testamento novo, qui tanto majora passi sunt discrimina, quanto non jam præsentia ulla, sed tantummodo futura & æterna desiderabant præmia. Illi namque qui ante legem aut sub lege religiosè vixerunt, licet justi sanctique essent, magis tamen ab aliis quàm à semetipsis illatas tribulationes sustinuerunt: isti autem quibus exortus est verus justitiæ Sol, id est Christus, qui dixit, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me*; & iterum, *Qui amat animam suam, perdet eam*; hujusmodi rudimentis incitati semetipsos offerabant tortoribus: & si tortor alius defuisset, sese cum vitiis & concupiscentiis semper crucifigebant. Ideoque non facilè terrenam sortiti sunt dignitatem, sed jugiter intendebant ad spiritualem: ut videlicet ipsi semet contra diabolicas tentationes fortiter munirent, aliosque exemplis suis erudirent. Verumtamen priusquam passionum propriarum victoria & pace fruerentur, aut aliquibus regendis præponerentur, plurima pertulerunt pericula, multa transierunt, tempora. Quidam etiam in spirituali dignitate jam constituti, præter afflictiones spontaneas, ægritudinis aut persecutionis variæ flagella ob humilitatis custodiam à me transmissa, usque ad finem vitæ præsentis sunt passi. Quamvis ergo hujusmodi viros innumerabiles, ut supradictum est, in Testamento novo possis invenire; aliquos tamen exempli gratia nominare volo, ut cùm hos in testimonium sumpsero, faciliùs agnoscas qualitatem ceterorum. In primis itaque Apostolos Domini Jesu-Christi attende, quid laboraverint, quid pertulerint, antequam aliquem laboris sui fructum, antequam sublimitatis percipiendæ gradum, non dico in futura, sed in præsenti tantum vita, ubi Ecclesiæ universæ præferendi erant, possederint. Dicit enim, ut evangelica verba testantur, ipse primus Apostolorum Simon Petrus ad Jesum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Quid autem in his verbis, ubi beatus Petrus se suosque Coapostolos omnia reliquisse dicit, intelligendum putas, nisi (quod maximæ difficultatis est) parentes, propinquos dulcia matrimonii jura, filios, prædia, domos, postremò voluntatem propriam, omniaque carnis desideria? Quam ob rem licet Apostoli relictis omnibus suis Dominum Jesum comitarentur jugiter & mente fideli, manifestum & tamen eosdem pro rerum suarum dimissione, necnon pro humanæ fragilitatis occasione diutius à diabolo tentari & fatigari, maximè cum & ipse Dominus tentationes ejus voluerit pati. Unde ad eosdem Apostolos dicit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Præterea tribulatione premebantur maxima, cùm ipsum Dominum, in quo omnem spem suam ponebant, comprehendi ab hominibus pessimis, & flagellari, morteque turpissima condemnari videbant. Huic autem tribulationi successit & altera, quia scilicet propter inusitatam sibique invisam tanti Magistri passionem, licet argumentis multis patefactam, vix ejus credebant resurrectionem. Inter hæc quoque nihilo minus persecutione ac metu Judæorum afficiebantur. Tantis igitur tribulationibus Apostoli sunt afflicti necnon probati, priusquam in illo, quo ponendi erant, totius Ecclesiæ fundamento collocarentur, priusquam ullum laboris sui fructum aut potestatem in animabus lucrandis meruissent adipisci.

Sed his generaliter de Apostolis omnibus prolatis, nunc libet de aliquo illorum, ceterorumque Patrum specialiter, exempli gratia mentionem facere, quid unusquisque eorum tribulationis & angustiæ ante aut post perceptam spiritualis gratiæ sublimitatem pertulerit: ut cùm tam præcipuos Patres innumeris tribulationibus afflictos agnoveris, insolitam magis gratiam, quam molestiam ullius tentationis hactenus esse tibi collatam probare possis. Attende ergo ad sanctum Paulum, & considera quot perpessus fuerit genera persecutionum. Nam sicut in libro Actuum Apostolorum & in ipsius epistolis valet agnosci, postquam Christo Jesu vocante ad conversionem venit, numquam fere sine adversantium persequentiumque periculis extitit. Ejus quoque collegam in persecutionum dumtaxat numerositate ATHANASIUM Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulem accipe, qui, sicut in historia Ecclesiastica legitur, mox post susceptam Præsulatus dignitatem, pro catholicæ Fidei defensione laborans, innumeris hæreticorum persequentium insidiis pæne usque ad vitæ suæ finem afficiebatur. Sic quippe de eo sacra scriptura refert: Hujus, inquit, tanti in Ecclesia pro Fidei integritate agones fuerunt, ut etiam de hoc dictum esse videatur, quod scriptum est: *Ego enim ostendam ei, quanta oporteat eum pati pro nomine meo.* In hujus namque persecutionem universus conjuravit orbis, & commoti sunt Principes terræ, gentes, regna, exercitus convenerunt adversus eum. Ille autem divinum illud contuebat eloquium dicens: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat prælium, in hoc ego sperabo.*

Isti igitur duo viri in exemplum humanæ persecutionis sufficiant tibi, ut non solùm nihil insolitum, nihil inauditum te aliquando ab homine quoquam pertulisse arbitreris, sed nec particulam minimam earum persecutionum, quas alii pertulerunt, te passum esse noveris. Tu enim pro eo quod aliquantulum adversitatis & persecutionis priùs in sæculo constitutus pertulisti, & nunc in monasterio positus parvissimis tentationum stimulis, quibus etiam Christianus omnis probandus erit, fatigaris; majoribus quàm alii persecutionum tentationumque periculis afflictum te frequenter arbitraris: sed hæc longe aliter quàm tibi videantur invenies, si veritatem consideres. Nam quod in persecutionibus violentia humana illatis nil simile aliis pluribus pertuleris, jam satis demonstratum est exemplis. Deinde verò oportet considerare, quantum aliis in afflictione carnis & in omni contemptu vitæ hujus sponte laborantibus succumbas. Attende itaque in duos venerandos Patres & spiritualis vitæ Doctores, sanctum videlicet ANTONIUM ac beatum BENEDICTUM, quorum tanto faciliùs potes recordari, quanto magis ex lectione assidua tibi sunt noti. Illorum ergo vitam legens citò potes cognoscere, quantam uterque pertulerit afflictionem pro Dei amore, quàm devotè, in primis cum adhuc juvenilis essent ætatis, mundana reliquerunt omnia: quantas deinde diaboli sustinuerint insidias & tentamenta. Unus namque eorum, id est beatus Antonius, à quo etiam omnis fere exorta est eremitarum & cœnobitarum institutio, tanta conversationis sanctitate pollere cœpit, ut ex hoc antiquus hostis, invidiæ facibus omnimodis accensus, non solùm spiritualibus & invisibilibus eum impugnaret insidiis, verùm etiam corporalibus atque apertis afficeret plagis. Sed & alter nihilo minùs Dei gratia repletus, maxima sanctitatis suæ monimenta tam scriptis quàm moribus reliquit. Quid multa? quidquid afflictionis, quidquid constat laboris in vigiliis & in jejuniis, aut

in solitudinis horrore, & in pretiosi vestimenti abjectione, seu in desideriorum carnalium devincenda passione; aut in omnigenis invidiæ diabolicæ dolis superandis, eosdem invenies diu tolerasse, antequam ad arcem perfectionis, qua plurimis præferendi erant, pervenirent.

Hæc igitur quæso diligenter adverte, & tantas Patrum prænominatorum afflictiones ad tuas, quas tu interdum insolitas arbitraris, confer tribulationes: & tunc procul dubio cognosces, quia parvi sunt quos modò aut unquam pertulisti dolores, quantumvis iidem Patres nullatenus, sicut tu, pro criminum capitalium pænitentia mererentur affligi. Præterea tibi in ætate primæva multo majora, quàm illis, humani solatii adjumenta; multoque plura, quàm illis, impensa sunt à me exterioris hominis solatia: quibus jure incitatus, fide atque devotione magna properare debuisses ad obtinendam interioris hominis puritatem, quæ non nisi per magnam carnis acquiritur afflictionem. Si enim illi beneficiis parvis adjoti ita sunt inflammati, ut labores maximos pro consequenda vitæ spiritalis puritate sustinerent: cur tibi, qui parvus adhuc dona adeptus es ingentia, videtur grave tribulationem saltem aliquam pro puritate eadem tolerare? Dic rogo quis tibi videris, ut nec pro subsidiis præsentibus, nec pro futura & perenni mercede molestiam ullam perferre velis? Quid ergo olim, cùm in scholis positus esses, pro capacitate magna discendi laborasti? Quod deinde in sæculari vita positus habuisti studium, ut ejus manem nostrumque evaderes lusum? Quid etiam nunc cùm ad Monasterium venires, jejunando, vigilando, orando, seu in qualicumque disciplina regulari insistendo plus aliis laboras, ut & pro præteritis criminibus consequaris veniam, & de futuris habeas cautelam? Denique qui præterita vult emendare, & futura mala cupit devitare, necesse est ut in vigiliis, jejuniis, & orationibus, necnon in aliis bonis operibus carnem studeat edomare. Sed tamen quantum conversionis novitas & laboris tui permittit exiguitas, curam assiduam tibi inesse pro his omnibus assequendis non denego. unde & ego eadem pietatis meæ beneficia, quæ hactenus tibimet exhibui, amodo non auferam à te: tu tantum viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Adhuc restat afflictio & tentatio una, id est passio concupiscentiæ carnalis diuturna, in qua quia te specialiter vexatum esse credis, ideoque in hac assumenda sunt aliquorum Patrum exempla ut in ceteris. Sed hoc inprimis pensandum est, quia is qui numquam, & qui sæpius carnis corruptionem expertus est, nulla possunt colluctatione coæquari. Quamvis enim uterque impugnatione gravi affligatur, is tamen qui hujusmodi vitio fragilitate humana devictus sæpe succubuit, tanto longiora & graviora passionum cardinalium certamina sustinebit, quanto frequentius eisdem passionibus consentiens semet subjecit. Hac igitur re considerata, aliquos jam utriusque qualitatis homines ex Scriptura sacra probatos ad exemplum assume, ut perspecta aliorum tentatione atque labore, facilius impugnationis & laboris tui quantitatem agnoscas. Et primum quidem illi qui pro castitatis intimæ perseverantia; deinde verò hi qui pro corruptionis luxuriosæque vitæ pænitentia agenda certaverunt, proponantur. Sicut ergo Dialogorum liber narrat, sanctus EQUITIUS cum in juventutis suæ tempore nimio carnalium desideriorum certamine fuisset fatigatus, ipsis suæ tentationis angustiis ad orationis studium sollertior est factus. Cumque hac in re ab omnipotente Deo remedium continuis precibus quæreret, nocte quadam assistente Angelo eunuchizari se vidit. Ecce quantum sanctus iste laboravit, qui quanto magis impugnabatur, tanto studiosius oravit ne vinceretur. In Collationibus quoque Patrum de quodam Abbate eximio, qui dictus est SERENUS, legitur, quia cum pro interna corporis & animæ castitate nocturnis diurnisque precibus, jejuniis, etiam ac vigiliis infatigabiliter insisteret, adveniens ad eum in visione nocturna Angelus Domini, ejusque velut aperiens uterum, quamdam ignitam carnis strumam de ejus visceribus avellens atque projiciens, suisque omnia, ut fuerant, locis intestina restituens, « Ecce inquit, incentiva carnis « tuæ abscissa, & obtinuisse te noveris hodierna die « perpetuam corporis puritatem, quam fideliter po- « poscisti. « Ecce vides quantus sit passus & iste labores. Quapropter ut nemo excusationem aut diffidentiam habeat, ea quæ fideliter poscit impetrare non posse; quod uterque constanter petiit, assequi meruit.

Et ut hujusmodi exempla non solum in fortiori, sed etiam in sexu habeas infirmiori; in vita Patrum narratur, quoniam Abbatissa quædam sancta, nomine SARA, XIII. annis fortiter à fornicationis dæmone sit impugnata, & nomquam rogaverit ut discederet ab ea hujusmodi pugna, sed hoc solum dixerit: « Da mihi fortitudinem Deus. « Ecce fides qualis, & quantus amor pietatis: ecce quid uterque sexus laboraverit pro virtute castitatis. de quorum omnium puritatis constantia sicut procul es effectus, ita etiam eorum laborem & impugnationem numquam fueras expertus.

Quamobrem quia perfectorum & in castitate perseverantium omnimodo discrepas meritis atque labore, videamus si aut eorum, quorum impudicitiæ & irreligiositati minus discrepare vidêris, tribulationi & impugnationi, quam pro pænitentia agenda pertulerunt, aliquatenus assimileris. Legitur quippe in supradicta vita Patrum, quia fuerit quidam vir vitam turpissimam super omnes vicinos suos ducens, ita ut opinatissimus in flagitiis haberetur. Hic aliquando Dei miseratione compunctus ad pænitentiam convertitur, & intra sepulcrum quoddam se concludens, priorum scelerum pollutiones lacrymarum fontibus diluebat. Cumque in his posito hebdomada transisset, nocte veniunt ad eum dæmones in sepulcru clamantes & dicentes: « Quid est quod agis, ô impurissime « & flagitiosissime? Postquam omni spurcitia satia- « tus es, nunc à nobis castus & religiosus effuge- « re cupis? nolo, velis, amodo unus es nobis eris. « Hæc & hujusmodi plura exprobrantibus eis ille jacebat immobilis, ne auditum quidem suum convertens ad eos, nec ullo penitus sermone respondens. Cumque illi sæpius eadem repeterent, nec ille omnino moveretur; tunc in furorem commoti dæmones, verberibus eum afflixerunt, multisque cruciatum suppliciis semivivum relinquerunt. Ille tamen tot cruciatibus nec moveri potuit à loco, in quo orationis causa jacuerat. Sequenti verò nocte dæmones iterum venientes, gravioribus eum verberibus cruciabant: sed nec tunc quidem moveri valuit à loco, melius esse dicens mortem subire, quàm ultrò dæmonibus obedire. Nihilominus tertia nocte multitudo dæmonum convenit: & absque ulla miseratione in eum irruentes, omnibus pœnis, cruciatibusque afficiunt. Cumque jam corpus defecisset in suppliciis, extremus tamen spiritus obsistebat imperio dæmonum. quod ubi viderunt, exclamantes voce magna, Vicisti, inquiunt, vicisti. Quid ergo tibi in hujusmodi impugnatione videtur? Numquid quia te supra multos occultis & manifestis tribulationibus oppressum esse sæpius æstimabas, tale aliquid umquam passus eras? Quin immo longè minoribus subjacebas tentationibus.

Sed licet exemplo satis hoc sis victus ab uno, pro eo tamen quod in occultis & spiritalibus tentationibus, maximè te vexatum arbitraris, aliud in quo spiritalis tantum impugnatio declaratur, proferre libet exemplum. Legitur namque de Maria Ægyptiaca, quoniam inter cetera quæ Zosimo Abbati de vitæ conversionisque suæ qualitate referebat, dixit: » Crede mihi, Abba, septemdecim annis feris & irrationabilibus luctabar desideriis. « Et post pauca: » Cogitationes autem quæ ad fornicationem iterum » compellebant me, quomodo tibi enarrare possum? » Ignis interim infelix corpus meum nimius succendebat & me per omnia taurebat, & ad desiderium » commixtionis trahebat. Dum ergo talis ascenderet cogitatio, prosternebam me in terram, & lacrymis eam infundens, ipsam mihi veraciter adstare sperabam quæ me fidejusserat, id est sanctissimam Dei Genitricem: & sic per septemdecim » annos periculis multis, ut dixi, luctabar. « Ecce vides quantum non solùm virilis, sed etiam femineus sexus laboraverit & pro integritatis constantia, & pro corruptionis pænitentia. Numquid ergo septemdecim annis jam laborasti pugnans contra cogitationes desideriorum carnalium? Quid autem tot annos dico, qui nec uno passus es tanta anno integro? Nondum igitur laboris viam cœpisti, & tamen velut ex labore nimio jam fatigatus defecisti. Sed & si quas tentationis & adversitatis molestias perferres, numquid propterea patientiæ & spei solatia deponere debes? Nonne & ex supra commemoratis sanctorum Patrum exemplis, & ex aliis Scripturæ sacræ sententiis agnoscere potes, utile esse ac necessarium perferre tentationes? Petrus namque Apostolus dicit: *Carissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi aliquid novi vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete.* Jacobus etiam Apostolus docet dicens: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Item Apostolus idem dicit: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Hinc & Paulus Apostolus ait: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Hujusmodi ergo documenta & in novo, & in veteri Testamento inveniuntur multa: quibus si jugiter intendis, non solùm tentationes qualibet advenientes facilius devincis, sed & majoris intelligentiæ dona consequeris. *Vir enim*, ut scriptum est, *in multis expertus cogitabit multa; & qui multa didicit, narrabit intellectum.* Cujus videlicet rei indicium in temetipso probare vales: quis nisi variâ tentationum molestiâ & curâ exercitatus esses, nequaquam tanta Scripturarum documenta aut testimonia tractare studuisses. Plura quippe priùs incognita jam indagationi tuæ sunt reserata.

Illud quoque summopere notandum tibi est, quia si absque tentatione & tribulatione aliqua diutius remaneres, graviùs periculosiusque de beneficiorum meorum largitate superbiendo caderes, quàm cum sceleribus omnimodis quondam deditus esses. Quanto enim excellentioribus quisque dotatur donis, tanto magis pulsatur vitio elationis. Unde & ille præstantissimus Angelorum non sustinens dignitatis suæ donum, eo graviùs superbiendo cecidit, quo sublimior ceteris exstitit. Saul quoque, ut liber Regum narrat, cùm ante perceptam regni dignitatem humilis mihique esset acceptus, postea verò ex eadem dignitate superbiens à me est repulsus. Ipse etiam David, licet Regum eximius & pietati meæ placitus esset, prius tamen quàm ad regni elevaretur fastigia, majori se constrinxit religionis cura. Nam antea bona pro malis, postea verò mala reddidit pro bonis: ideoque iniquitatis suæ non immemor, in centesimo primo psalmo gemebundus ad me ait: *Quia elevans allisisti me.* ac si apertè diceret: Quanto sublimiore me dignitate elevasti, tanto majoribus peccatis me implicari permisisti. Præterea quantæ ruinæ sit, qui præ ceteris elevatur, pateat, liber Paralipomenon indicat. De Joas namque Rege Juda refert, quia post mortem Joiadæ Sacerdotis, qui eum ad regnum provexit, in tantam elationem venerit, ut relicto cultu Dei à suis se permiserit adorari. pro quo superbiæ flagitio quod Regi eidem evenerit, Scriptura subjungit dicens: *Cumque volutus esset annus, ascendit contra eum Rex Syriæ, venitque in Judam & Jerusalem, & interfecit cunctos principes populi, & universam prædam miserunt Regi Damascum. In Joas quoque ignominiosa exercuerunt judicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis.* Ex quibus omnibus sentiri valet, quia nemo aut virtutis, aut dignitatis alicujus excellentiâ sublimatus, mortiferæ superbiæ ruinam absque magna contritione evadet. Sed & beatus Paulus hoc attestatur, qui patefactis quibusdam virtutibus sibi concessis subjungit dicens: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ ut me colaphizet.* Si enim tantus vir stimulis adeo premebatur carnalibus, ne pro concessis extolleretur virtutibus; putasne tibi opus est aliqua adversitate fatigari, ne de perceptis beneficiis præsumas gloriari?

Quam ob rem perpende quæso tentationis tuæ causam & ordinem, exordium & finem: ut agnoscere possis, cui postremò amariori quàm primitus & illa, quam tu insolitam vocasti tentationem, vexatus fueris. In primis namque ideo levioribus solitisque permissus es fatigari tentationibus, ut quasi per gradus quosdam ad altiora paulatim ascenderes, & disceres congredi quandoque cum gravioribus. Sed cùm in tam levi & temperata impugnatione aliquantulum proficiens, ea quæ in te gratia mea operabatur, magis ac magis viribus meritisque tuis attribueres; in talem te tandem permisi tentationem incurrere, cujus impugnationis magnitudine depressus, agnosceres cui instantem defectum, & cui preteritum omnemque laboris tui profectum debuisses imputare: ac per hoc tanto certior de gratiæ meæ beneficiis exsisteres, quanto minùs de meritis tuis præsumeres.

HOc ideo Clericus supradictus ideo scripsit, ut his qui in conversionis initio sacram Scripturam legere cupiunt, ostenderet, qualiter immensam diabolicæ fraudis astutiam, qua omnes eamdem Scripturam legentes impugnare solet, agnoscere & præcavere, qualiterque etiam divinæ inspirationis gratiam agnoscere & invocare debeant. Scripsit & idem Clericus multa alia, quædam quidem dictando, quædam autem alio modo, quæ scilicet utraque subsequente pandere volo: sed dictata priùs, post hæc quoque cetera pandam. Si ergo incipit scribere de librorum dictamine. Quia igitur alternis uti delectabile est, non solùm ob depellandam tædii molestiam, sed etiam ob recreandas animæ & corporis vires studui quondam dicta diversæ qualitatis scribere, sed nunc reserare libet quæ scripserim. Tres namque libellos diverso tempore diversoque stilo edidi in primis, quos volui in unum volumen, quasi ad unam convescentium mensam colligere, instar videlicet Pars II.

trium pulmentorum, quæ nobis sanctus Pater BENEDICTUS cænantibus largiri jubet in Regula: ut qui ex uno nequiverit refici, ex alio reficiatur. Confido itaque in Domino, quia omni spirituali cibo delectatus in aliquo illorum inveniat, per quod spiritualiter refici valeat. Sed hæc de omnibus generaliter sint dicta. Nunc verò referare cupio, quæ causa fuerit singulos scribere, ut lector aliquatenus exinde instructus noverit, me nequaquam frustrà in talibus desudasse.

Primum ergo libellum metricè prolatum, cui imposui titulum DE SPIRITALI DOCTRINA, scribere hujusmodi erat causa. Cùm enim quondam ex infirmitate maxima convalescens, ad monasticæ professionis vitam venissem, tunc in brevi, plusquam credibile sit, factus sum sospes: ex qua sospitate veritus ne aliquod damnum spirituale mihi oriretur, prece Dominum intima rogavi, ne me in tanta sospitate positum otio inutili torpescere, sed aliqua tentatione, quam mihi congruere sciret, pulsari permitteret. Post hanc orationem non multum temporis fluxit: & ecce variæ tentationum molestiæ accedentes in tantum me circumdederunt, ut & incautè me orasse, & magis ad interitum quàm ad proventum exauditum esse aliquando vererer. Sed sæpius retractans illud apostolicum, *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum ut possitis sustinere*; laboravi, non quantum debui, sed quantum fragilitate mea permittente, ipsoque Domino adjuvante potui, ne in conspectu adversariorum meorum corruerem. Ideoque in tanta molestia tentationis, quæ eo magis imminebat, quo major sospitas corporalis inerat, omnimodo tractare cœpi, quali studio, qualique labore corpus spiritui subjicerem. Nam ea quæ communiter cum ceteris fratribus in cœnobio agere ducebar, sed & illa quæ speciali devotione scribendo, aut legendo, seu etiam jejunando sponte subii, non satis affligere corpus videbantur. Cumque diu tractarem, quo potissimùm studio memet in tantis periculis constitutum aptissimè jugiterque constringerem; occurrit animo ut in dictamine me occuparem aliquo: quod & sæpe expertus sum mentem lascivam cujuslibet scholastici instructi in nullo posse magis constringi, quàm studio dictandi. NOTA.

Hujusmodi igitur occasione accepta, libellum primum scribere cœpi metrico scilicet stilo, quo maximè in sæculari vita positus me exercebam: ponens in eo varias spiritualis doctrinæ sententias, quibus me solummodo contra tentationes imminentes instruens roboravi: aut pravitatis meæ quantitatem, quam cum ceteris Clericis communiter in mundo exercebam, pertinaciamque quam specialiter præ multis ibidem retinebam, magis attenderem, atque litteris expositam majori pænitentia diluendam agnoscerem. Inserui in eodem etiam libello sermonem quemdam lamentabili stilo editum, priùs quidem disputans de diversa clericorum negligentia, necnon avaritia: deinde narrans de miserabili improbitatis meæ vindicta, tam spiritualiter, quam corporaliter patrata. Ignorabam enim tunc, si quo loco proferenda forent hujusmodi dicta, quæ licet in modo sint posita, post cetera tamen, cùm me aliquid perspicaciori intuitu agnoscere cœpissem, à me constant edita: quia metricis prolatus est verbis, quæ pueris & intrantibus ad discendas litteras à multis primitus exhiberi solent. In primis quoque ponere decrevi, ut ex hoc quilibet ad veritatis viam conversus sumat quasi prandium conversioni suæ congruum, sicque leviori cibo refectus ad lautiores dapes sacræ doctrinæ capiendas aptior accedat. Librum verò visionum, licet post duos scripserim, in ordine tamen secundum ideo posui, ut illa doctrina quæ in primo libello variis prolata est sententiis, in hoc quoque variis corroboraretur exemplis; eaque tenacius præmissa animo inhæreant verba, quæ majori testimonio tam pietatis, quàm severitatis divinæ in subsequentibus commendantur, in morem videlicet lautioris cibi, qui primò aquâ purâ coctus, deinde aliqua aceti vel etiam piperis adjectione accuratius præparatur. Sola enim lenitatis verba in docendo prolata, quasi quidam cibi in sola aqua excocti possunt intelligi: sed cum dehinc aliqua severitatis exempla admiscentur, velut amaro aceti seu piperis additamento condita fercula, ut suaviora efficiantur, non incongrue intelliguntur. Apparet igitur, quia sicut cibus tam amaris, quàm suavibus condimentis coctus avidius sumitur; ita & doctrina blandimentis quidem inchoata, sed deinde alicujus severitatis commixta exemplis studiosiùs auditur. Unde & Apostolus Doctorem quemlibet instruens ait: *Argue, obsecra, increpa*, id est blandimenta terroribus admisce.

His igitur prælibatis de secundi ordine libelli, jam verò subjungere volo, ubi & qua occasione scriptum fuerit. Cum ergo monasterium nostrum in urbe Ratisbona constitutum varia Episcoporum persecutione destrui viderem, ibique per triginta annos meliora sperans subsisterem; occulto Dei judicio longè aliter quàm sperarem evenit. Qualiter autem destructio tanta evenerit, quia nec breviter proferri valet, nec ineptias tantas hîc exponere libet, aliis proferenda relinquo: hoc solummodo enarrans, quia cùm exteriora & interiora monasterii nostri commoda penitus destrui sensissem, & contra hæc nil prævaluissem; quin immo à fratribus quibusdam juvenibus, quibus displicebam, apud Episcopum accusatus, varias mihi minas ab illo, illiusque familiaribus agi sæpius audissem; tunc petita ab Abbate licentia, ad monasterium Fuldense, quasi citò reversurus, perrexi. Verumtamen non dubito, quin tantam destructionem nemo in nos agere posset, nisi justo Dei judicio peccatisque nostris exigentibus permissus: quod scilicet exinde palam datur intelligi, quia in ipso discessionis meæ anno, qui erat ab Incarnatione Domini MLXII, miserando semperque lugendo igne combustum est cœnobium nostrum.

In Fuldensi igitur monasterio positus, & optatæ tranquillitatis atque caritatis dono ibidem potitus, frequenter tractavi, qualiter pro ejusdem tranquillitatis gratia Deo, à quo mihi data est, grates referrem. Magnum quippe mihi tunc videbatur, in eodem monasterio pacifico incessu posse deambulare. Quapropter animum ad deferendas Deo gratias omnino convertens, & si qua dictandi materia aptè occurreret diutiùs exquirens, reperi tandem quamdam dictandi occasionem, visiones videlicet, quas & ego quondam vidi, & ab aliis per loca diversa profectus audivi. Has namque ad multorum notitiam deferre ideo utile esse arbitrabar, quia credo ad omnes homines pertinere, quoties quilibet visitatur à Deo, aut per castigationem, aut per consolationem, sicut & ipse in Evangelio dixit: *Quod uni dico, omnibus dico.* Incitabar etiam ex hoc ad scribendum, quia cum olim libellos duos edidissem, tertium pro sanctæ Trinitatis honore, si ipsa Trinitas dignaretur inspirare, sæpius optavi addere. Tali itaque causa incitatus, librum visionum, de quo jam locutus sum, scribere studui. 1062. Anno Fuldam venit auctor.

Tertium verò libellum, quem ante annos XV, ut reor scripsi, cur in extremo ordine posuerim primo dicendum, deinde qua causa scriptus fuerit subnectendum. Quia enim multorum accuratis epulis cænantium mos est, ut in prima & secunda vice vilio-

ra quæque fercula (quæ non ideo viliora dicimus, quasi sint vilia, sed quod sunt optimis inferiora ;) in extrema verò lautiora, & aliqua arte præcipua cocta sibi apponere jubeant, cupientes in hoc non tam suæ gulæ, quàm aliorum, qui fortè invitati sunt ad convivium, delectationi & honori deservire : ego econtra simile aliquid moliri volui in extremo aliqua lautioris sententiæ verbula ante faciem legentium, quasi ad mensam convescentium ponere, quæ quilibet lector avidus, licet indigno stilo edita, generosæ tamen materiæ dignitatem retinentia, pro dapibus lautis potuisset gustare. Nam quæ sententia lautior & suavior valet esse quàm de gratia Dei, & cur credenda dicendaque sit gratia ; judicia quoque quàm vera, justaque & necessaria sint : sed & quantam bene agendi facultatem à Deo concessam habeamus, nisibus totis inquirere, atque pluribus testimoniis approbare ? Hæc quippe tria per trium quæstionum solutiones in illo libro, quem in tertio locavi ordine, stilo quo potui per dialogum protuli, numero scilicet & ordine tali desiderans sanctam Trinitatem venerari. Sed & in hoc eamdem Trinitatem venerari studebam, quia in tertia quæstione, quam velut fercula quædam præcipua ritu sagaci contexta, & allata in extremo ad lectionis cœnam considentibus apposui ; de ipsa sancta Trinitate & Unitate, juxta intelligentiæ meæ vires, brevi & aperta probataque (ut spero) variis exemplis & argumentis ratione disserui. Spero etiam me in eodem libello omnibus, tam in sæculari, quàm spirituali vita positis, aliqua ædificationis verba protulisse, per quæ quilibet esurientes & sitientes justitiam refici possint. Hæc quidem de libri extremi ordine sint dicta, cui titulum imposui DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS, id est de divinæ pietatis agnitione, judiciorumque divinorum diversitate, necnon de varia bene agendi facultate. Deinde verò subjungimus qua causa fuerit scriptus.

Quidam namque monachus de Augiensi cœnobio, nobilissima Alemannorum stirpe ortus, nomine HEINRICUS, cùm ab Jerusalem reverteretur, apud nos aliquandiu hospitatus est. Hic ergo quia in sacra Scriptura satis studiosus fuit, me frequenter quasi Doctorem adiit, suppliciter rogans pro quibusdam sacræ Scripturæ sententiis, ut eas sibi exponerem. Ego autem humilitatem atque importunitatem petitionis ejus attendens, prout potui, ad quæque rogata respondi. Cumque hæc collatio sæpius inter nos habita sibi placeret, postremo illud deposcere cœpit, ut eamdem collationem litteris exciperem. quod licet diu tam pro desidia, quàm pro ignorantia differrem, aggressus sum tandem, scribens quidem per dialogum, sed sine titulo auctoris & absque personarum notarum litteris, ne facile pateret cujus opus esset. Inter hæc verò ille ad monasterium suum vocatus proficiscitur, & post non multum tempus ad nos iterum revertitur. Tunc videns quæ scribere cœpi, qualiterque ea adombravi ; unicè petiit, ut & causam scribendi illustrarem prologo, & utriusque personæ, mei videlicet ac sui, memoriam patefacerem in dialogo. quod mox, ut poteram, scribens implere studebam. Hæc igitur causa dialogum me scribere fecit : quam idcirco reseravi, ne videar frustra scriptis alia addere scripta ; utque cognita caritate qua impellebar ad scribendum, quilibet in quorum manus iste liber venerit, eadem caritate incitentur ad legendum. Hæc sint dicta de supradictis libris, quos in unum componere volui. Nunc etiam libet pandere qua causa studuerim alios libellos scribere.

Cùm igitur persecutionem quam in monasterio nostro (ut supradictum est) passus eram, fugiens ad Fuldense monasterium venirem, ibique per annos quatuor cum tranquillitate magna commoratos viderer ; dictandi scribendique studium frequentare postulabar à quibusdam ejusdem monasterii fratribus ; ut sancti BONIFACII vitam, difficili stilo editam, aliquid facilius ederem. quam petitionem, licet diu denegarem, postremo tamen compulsus importunis precibus, ut potui, quod petitus eram implevi. Causa ergo tali librum sancti Bonifacii promptus scripsi : alium quoque libellum quem appellavi MANUALEM, pro admonitione clericorum & laicorum scriptum ibidem positus edidi. Item libellum Proverbiorum in eodem monasterio positus scribere cœpi. Cum autem assiduis epistolis per monasterii nostri fratres quoddam revocatus ad patriam nollem cito reverti propter illorum fratrum, inter quos tunc commorabar, petitionem, (omnimodis enim precibus ut illos non desererem efflagitabant) vix tandem ab illis remeandi licentiam obtinui.

Verumtamen ad monasterium nostrum prius pervenire nolui, quàm indiciis aliquibus explorarem, qualiter omnia agerentur ibidem. Qua de re ad monasterium *Amerbach* dictum perrexi, cupiens illic exspectare, quousque certus fierem de monasterii nostri qualitate. Cumque ab ejusdem monasterii Abbate susceptus omni humanitate & pietate retinerer, & de sacræ Scripturæ quæstionibus multis inter nos sermo assiduus ageretur, placuissetque ei sæpissime responsio mea, accidit ut juxta paschalia festa dixisset ad me : Credite mihi quod si vobis præcipere aliquid possem, absque dubio præciperem, ut in hac sollemnitate proxima sermonem faceretis ad populum. Cui ego respondi dicens : Cur talia dicitis ad me, qui nihil hujus rei scio, qui numquam consuevi populum alloqui in publico ? Illo verò eadem repetente, cœpi mox cogitare intra me dicens : Quid facerem, si aliquis, cujus jussa transgredi non præsumerem, talia mihi præciperet ? Unde hujusmodi opus assumendum est mihi sponte, priusquam ab aliquo compellar potente : ut sic probem quid facturus essem. Continuoque stilo accepto scribere cœpi in modum sermonis, sumens exordium de Psalmistæ dictis : *Dominus de cælo prospicit super filios hominum.* quæ nimirum dicta, quantum potui, multitudinum argumentis roboravi, credens per hæc aliquos ædificari. cui videlicet operi titulum imposui, QUOMODO LEGENDUM SIT IN REBUS VISIBILIBUS. Cùm autem in eodem loco unum pæne annum manerem, venerunt nuntii ex monasterio nostro missi, cum quibus exinde ad patriam reversus sum.

His igitur dictis, dicam quoque qua de causa ceteros scripserim libellos. Ex petitione namque fratrum nostrorum, vitam sancti NICOLAI, necnon sancti WOLFGANGI emendans, sicut in utriusque vitæ prologo intimatur, scripsi, antequam proficiscerer ad monasterium Fuldense. Sed & vitam sancti ALTMANNIS, unà cùm quibusdam carminibus ad eumdem sanctum pertinentibus. Postquam verò redii, vitam sancti MAGNI scripsi, compulsus fratrum duorum precibus intimis & assiduis, WILHELMI scilicet ex congregatione nostra, & alterius qui ad nos discendi causa ex monasterio sancti Magni venit ADALHAM dictus, quique nunc in sanctæ Afræ cœnobio Abbas est constitutus.

Post hæc autem cùm viderem simul & audirem undique Christianæ religionis destructionem, Rectorum & Principum negligentiam in subditos, tam in spirituali, quàm sæculari vita positos, doleremque jugiter pro talibus ; cogitare cœpi, ut quia nullus dignaretur me audire communi sermone loquentem, pro miseriaque tanta condolentem ; vel scribendo au-

qua sacræ Scripturæ verba proferrem, unde aliquos ædificare possem. Hac igitur causa scripsi librum mei quoque operis novissimum, cui titulum imposui DE CURSU SPIRITUALI. In quo videlicet libro quantum per sacræ Scripturæ, maximéque per Psalterii & Evangelii campum currere potui, scribendo protuli. Inter hæc & sermones quosdam, necnon epistolas pro communi utilitate scripsi: quas si quis fortè legere voluerit, apud nos invenire poterit. Scripsi etiam ante plures annos librum DE CONFESSIONE ACTUUM MEORUM, ut si qua infirmitas vel subitanea mors me in extremis impediret à debita Confessione, saltem per scripta patefacerem, quis ex memetipso, quis ex Dei gratia essem.

Adhuc proferre libet duarum Orationum verba. Attendens enim sæpius, quia plurimos exemplis pravis seduxi, talia Orationis verba scribere studui, in quibus unusquisque satis doceri potest, quomodo pro se & pro aliis orare debeat: quæ scilicet Orationes cum à quibusdam jam habeantur, in hoc opusculo describere nolui. Hæ autem Orationes, aliaque superiùs de dictandi dono prolata, tanto magis pietati divinæ constant referenda, quanto ampliùs notum est me vitiis plurimis quondam deditum nihil horum meruisse. Ideo autem hæc protuli, ut juxta hoc quod ipse Dominus in Evangelio cuidam dæmoniaco à se liberato præcepit dicens, *Vade in domum tuam, & narra quanta fecerit tibi Deus*; ego quoque narrarem, quanta mihi beneficia Deus exhibuerit.

Unde adhuc libet enarrare, quanta scientia quantaque facultas scribendi mihi data fuerit à Domino in primæva ætate. Cùm igitur parvus scholari disciplinæ traditus fuissem, litterasque celeriter didicissem; cœpi etiam longè ante solitum tempus discendi, sine jussu Magistri, artem discere scribendi. Furtivo enim & insolito modo, necnon sine docente nisus sum eamdem artem scribendi apprehendere. Qua de re contigit, ut pennam ad scribendum inrecto usu retinere consuescerem, nec postea ab ullo docente super hoc corrigi valerem. Nimius namque usus prohibuit me emendare. Quod cùm viderent plures, dixerunt omnes numquam me bene scripturum. Sed aliter evenit ex gratia Dei, sicut plurimis notum est. Nam cùm in pueritia, ipsoque tempore, quo tabula mihi data est cum aliis pueris, ad discendam scripturam viderer aliquid scribere nosse, miraculum non parvum præbui videntibus: deinde verò non post longum tempus tam bene scribere cœpi, tantumque affectum ad hoc habui, ut & in loco illo quo talia didici, id est in cœnobio *Tegernsee* dicto, multos libros scripsissem; & in Franciam translatus adhuc puer, ibique in tantum multa scribendo laborassem, ut inde rediens pæne visu privatus fuissem. Hæc ergo ideo proferre decrevi, ut aliquos incitarem ad similem affectum laborandi: gratiamque Dei quæ tanta mihi beneficia præbuit, aliis narrans, eos ad magnificandam eamdem gratiam Dei mecum traham. Et ut hoc amplius faciam, proferre libet quantum laboraverim scribendo postea, cùm reversus fuissem de Francia: ibi quippe fueram quando

NOTA.

obiit Cæsar HEINRICUS, & factus est Rex CONRADUS.

Postquam igitur in sancti Emmerammi cœnobium ad conversionem veni, mox quorumdam prece pulsatus, tanto iterum scribendi studio occupabar, ut rarò, nisi in festivis diebus, aut in aliis horis incompetentibus, ab hoc opere cessarem. Interea successit & alius labor. Nam pro eo quod sæpius legere, aut scribere, aut dictare videbar, scholasticorum cura mihi commissa est: ex quibus nimirum omnibus ita per gratiam Dei constringebar, ut sæpe corpus quieti necessariæ non permitterer tradere. Cumque dictandi studium inesset, ad hoc sæpissimè non habui tempus, nisi in festivis diebus, aut noctibus, constrictus videlicet & puerorum cura ad docendum, & illorum petitione, quibus scribere cœpi, ad scribendum. Ergo præter libellos à me dictatos, quos tam sponte quàm petitus pro aliorum ædificatione dandos scripsi; uno minùs XX. libros Missales scripsi, decem quidem Abbatibus aut Fratribus in monasterio nostro positis: quatuor autem Fratribus Fuldensibus, & quinque in aliis locis commorantibus; tres quoque libros Evangeliorum, & duos cum Epistolis & Evangeliis, qui Lectionarii vocantur. Ad hæc etiam scripsi quatuor matutinales libros. Postea senectus & infirmitas varia me prohibuit, maximeque inquietudo diuturna, quæ mihi ex variis curis & mærore pro monasterii nostri destructione exorto per tempora inolevit multa. Ei autem qui omne bonum præstat, & solus cuncta gubernat, quique mihi indigno concessit plurima dona, sit laus æterna, sit honor per sæcula cuncta.

Libet etiam proferre, quantum reminisci valeo, quot libros quibusdam cœnobiis aut amicis tradiderim. Et primo quidem fratres Fuldenses nominare volo, quia pro eo quod apud eos maximè laboravi, scribens libros multos, quos monasterio nostro tradebam; ideo apud nos quoque scripsi libros, quos ipsi non habebant. Tradidi namque eis, sicut memini, VII libellos, Herveldensibus autem duos libros. Cumque ex partibus illis remeassem, & ad *Amarbach* venissem, tradidi ejusdem loci Abbati unum librum. Postea verò cum fratre nostro WILHELMO profectus, dedi ei quatuor libros, inter quos erat Missalis liber satis pretiosus: Abbati de *Laureshem* unum librum, Abbati de *Ebersperg* unum librum, amicis quibusdam in Boemia positis quatuor libros, amico cuidam in Patavia posito unum librum, ad monasterium *Tegernsee* duos libros; ad Pryelense cœnobium prope nos positum volumen unum, in quo tres libri erant. Sed & filio sororis meæ ibidem posito unum librum, variasque epistolas dedi. Ad Superius * quoque monasterium tres libros, ad Inferius * monasterium unum librum dedi. Præterea multis aliis dedi aut misi aliquando sermones aut proverbia, seu aliqua ædificationis scripta. Talia autem laboris mei indicia hìc ideo protuli, ut aliquos monachos otiositati deditos converterem, & ad aliquod opus monasticæ vitæ congruum incitarem. Si enim tam magna nequeunt, faciliora agere possunt.

* *Obermunster.*
* *Nidermunster.*



JOHANNIS ABBATIS
PROLOGUS

Ad Imperatricem viduam HENRICI *Imperatoris, in opus precum variarum à se compositum ex Patribus.*

DUDUM quidem, Domina Imperatrix, tibi petere placuit, ut ex Scripturis colligerem luculentos brevesque sermones, in quibus juxta legem ordinis tui absque gravi labore discere posses normam bene vivendi. Omnis enim gradus, ætas & sexus ad informationem vitæ suæ in sacris litteris propriam habet doctrinam: ut unusquisque in vocatione qua vocatus est rectissime ambulans, pervenire valeat ad regnum in quo multæ sunt mansiones. Denique post obitum reverendæ memoriæ Domni HENRICI clarissimi sapientisque Imperatoris, quondam viri tui, laudabile propositum laboriosæ viduitatis totis amplexa es viribus. Et quamquam nobilitas, opes & ætas ad repetendum thalamum te invitarent; noluisti tamen cor tuum inclinare ad verba hominum pro veris falsa contendentium: sed erecta sursum, accinctis lumbis stetisti fortiter super pedes tuos, ut contemptis illecebris carnis & mundi servias Christo Domino in castitate, & ceteris nobilibus matronis præbeas dignum imitationis exemplum: videlicet ut per continentiam tuam ad meliora provocatæ, defunctis maritis servent fidem, eisque per cæleste sacrificium, necnon & per assiduas eleemosynas petant à Domino peccatorum remissionem. Quàm decorum & honestum est, ut Christiana mulier, post primam amissæ virginitatis palmam, sic deinceps castè & sobriè studeat vivere, quatenus unius viri uxor, opitulante Domino, & esse & dici valeat. Hanc autem omnis copulæ gloriosam virtutem, ni fallor, observandam pronunciat illa una costa, quæ tulta est de corpore viri, ex qua formata est mulier.

Cognitis itaque piis desideriis cordis tui, mox operam dedi, & nonnullas ex opusculis Patrum sententias celeriter defloravi: ut veridica ubique tecum habeas documenta, quæ rectum plenius ostendant iter, per quod fidelis vidua justè & piè incedere debeat. Insuper & alium addidi sermonem de vita & moribus Virginum, ad instruendas Sanctimoniales, quæ in tuo Monasterio congregatæ sunt. Et quia te actibus misericordiæ deditam comperi; nec illud quoque me scribere piguit, quod non Ecclesiasticis divitias multas possidentibus, sed viduis, orphanis, infirmis, peregrinis, illisque permaximè qui verè sunt pauperes Christi, procul dubio dispensandæ sunt eleemosynæ. Hæc vero omnia faciens, in laboribus meis propter multam caritatem tuam non sensi laborem.

Obmutescite, Syllæi canes, en ego obturata aure obstrepentem laccrationis vestræ rabiem pertransibo. In conventiculis vestris, ut ferunt, sonat littera hæc de nare canina. Cum profitearis te Monachum, & monasticæ Religioni tacere sit proprium, quid ergo tibi & mulieribus? Unde tibi tanta auctoritas, ut in cathedra magistrorum sedeas, & ipsas etiam feminas absque rubore conscriptis schedulis doceas? Silete miseri: ideo istud dicitis, quia cæci estis, duces cæcorum. Redite prævaricatores ad cor; & ubi torpiter jacetis, diligenter considerate. Utinam maliciosa mens vestra resipisceret, & honestarum mulierum pia opera aliquatenus imitari studeret. Nonne mulier hæc totius venerationis digna est, quæ divitiis & honoribus prætulit Christi amorem? Igitur cùm esset domina regnorum, humiliavit se & facta est serva pauperum. Taceam quòd totam ferè peragravit Italiam, devotissimè visitans Sanctorum reliquias, & offerens eis pretiosa donaria, plurimasque faciens eleemosynas in urbibus & vicis, & in omnibus locis, ad quæ orationis gratiâ properavit. Igitur quia epistolaris angustia non sinit me in ejus laudibus diutius immorari, libet & hoc præterire, quòd Galliarum partes regressa, similiter pauperes & ecclesias Dei larga consolata est manu, sicut scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

Verùm his procul amotis qui in terram sufflant, & ne se videant, pulverem in oculos excitant; ad te redeo, venerabilis Christi ancilla, ut sermo meus qui te cœpit instruere, tamquam præsens colloquendo ad extremam suscepti operis manum auctore Deo pertingat. Igitur licèt illas parvitatis meæ deflorstiunculas, quarum superiùs memini, saluti tuæ posse sufficere arbitrer; tamen quia relatione amicorum didici te desiderare & poscere, ut ipse quoque, quem de contemplatione divina Christique amore, & de illa superna Hierusalem omnium Fidelium matre editum haberi, tibi scribatur libellus; multum gaudet, fateor, cor meum, & in te magnificat datorem omnium bonorum Deum. Nisi enim Christo duce ad altiora conscenderes, ambulans de virtute in virtutem; nullo modo valeres talia petere. Quis non miretur animum tam ferventem, qui rivulos dulcium bibendo aquarum non cessat sitire? Satis stolidus est & nimis obstinatus, qui talis feminæ pias preces spernit, & votis justissimis non adquiescit. Ecce ergo libens atque ovans pro scire quod mihi dedit Deus, paratus sum, mater veneranda, tuæ in omnibus obsequi voluntati. Utinam ille in me igniculus foret, qui vaporatæ menti aliquid incrementi addere posset!

Accipe igitur tu, bona anima, præclarum sanctæ viduitatis exemplar, accipe, quæso, pervigili mente illud quod expetis meæ per Christi gratiam deflorationis opusculum: in quo videlicet reperies magna ex parte cælestis theoriæ dulcia verba, quæ reverenter legenda sunt, & cum timore debito meditanda, ne fortè de temeritate judicetur, qui tepidus & indevotus accesserit. Unde sciendum est, quòd hujus libelli lectio illis præsertim debetur, qui mentes suas carnalibus desideriis & terrenis concupiscentiis obtenebrari non sinunt. Quando autem ista leguntur cum lacrymis & devotione nimia, tunc mitis lector ipso cordis palato sapit quid dulcedinis intus lateat. Si ita est, immo quia ita est, eloquiorum divinorum arcana & sublimia verba tangere non præsumat superba & fastidiosa mens, ne fortè labatur in errorem: quia cæcis oculis lumen intueri non potest. Hinc etenim actum est, ut plerique per hæresim in damnationis æternæ baratrum ruerent, alios secum in mortem trahentes: quia sacræ Scripturæ mysteria, quorum radices in cælo sunt, nemini perfectorum hîc tota patent. Illi verò soli secundùm Deum sapientes, qui profunda pollent humilitate, tantum

capiunt,

capiunt, quantum eis Spiritus-sanctus revelare dignatur. Hæc ergo frequenter lege, & tunc præcipuè cùm mentem tuam cælesti afflatam desiderio vides. Justum namque est, ut tu quæ in actuali bene conversaris vita, contemplationis pennas assumas; & sursum volitans, de fonte supernæ dulcedinis haurias, dicens cum Propheta: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Domine, dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ.* Similiter & illa quæ in amoris Cantico leguntur, ubi anima quæ solum Deum amat, loquitur Christo dilecto suo dicens: *Unguentum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec adspiret dies, & removeantur umbræ.*

Inter hæc autem scire oportet, quod illa summa & incommutabilis essentia quæ Deus est, in hac terra morientium mortalibus oculis nullo modo conspici valet, nec aliquando visa est ab ullo mortalium, ex quo primus parens de paradisi amœnitate in has ærumnas expulsus est. Hinc namque est quod contemplativa vita hîc incipit, sed illic perficitur, ubi Deus facie ad faciem cernitur. Mens etenim mitis & simplex, cùm in speculationem attollitur, & carnis angustias superans cælestia rimatur; retrahente eam mole carnis ad ima, diu super se stare, nequaquam permittitur. Sed licèt ipsa superni luminis immensitate reverberata celeriter ad se revocetur, magna tamen proficit virtute ex eo ipso, quod divinam dulcedinem prælibare potest: quia mox amore nimio accensa ire super se festinat, & sublevata cernit, quia videre non possit hoc quod ardenter diligit; nec tamen ardenter diligeret, nisi aliquatenus inspiceret. Sunt aliqui minùs proficientes, qui Deum sibi imaginaliter fingunt: quia in hæc temporalia deformiter sparsi illam mitam & incircumscriptam lucem contemplari intellectualiter nesciunt. Quid istis aliud est oculus contemplationis, nisi laqueus perditionis? Ammonendi quippe sunt tales, ut solius activæ vitæ exercitiis contenti, contemplationis montem non præsumant ascendere, quia, sicut scriptum est, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei; & sapere secundum carnem, mors est.* Humanus enim animus nisi exteriorum desideria à se repellat, interna non penetrat: quia tanto subtiliùs invisibilia conspicit, quanto perfectiùs visibilia contemnit. Idcirco quamvis invisibilis & incomprehensibilis in natura sua sit Deus, tamen per mentem mundam & sanctam quæ solis supernis inhiat, hîc sine adspectu cernitur, sinè sono auditur, sine motu suscipitur, sine corpore tangitur, sine loco retinetur. His ita necessariò præmissis, rogo dilectionem tuam, ut si quoslibet inveneris, qui libellum hunc velint habere; moneas eos & diligenter transscribere, & scriptum frequenter relegere, usque adeo ut aliquid addi, vel subtrahi, aut immutari non patiantur in eo. Hoc autem dicimus propter incuriam librariorum, qui non solùm veritatem corrumpunt, sed etiam mendacia mendaciis jungunt. Sit Deus tecum, & confortet te manus ejus, ut tamquam pennatum & oculatum animal effecta, per dies singulos in utrisque proficias vita, modò cum Martha in activa serviens Christo in membris suis, modò cum Maria in contemplativa sedens ad pedes Domini, & intentè audiens verbum ex ore ejus: quatenus bene operando & purè contemplando, ad illam beatissimam pervenias visionem, ubi palàm de Patre loquitur Filius. Ad hanc autem pro pietate & bonitate sua perducere dignetur servos & ancillas suas, ipse, qui descendit ad hæc ima, ut nos ascenderemus ad illa summa; qui inclinavit se, ut nos erigeret; qui infirmatus est, ut nos fortes faceret; qui suscepit vitam nostram, ut nobis donaret suam. Unigenitus quippe est omnipotenti Patri coæternus, qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum Amen.

Ego JOHANNES ultimus servorum Christi, & qui mecum sunt Fratres, beatitudinem tuam salutamus in Christo, pia mater pauperum, & nobile decus viduarum. Vale.

Conservet te in voluntate sua semper omnipotens Trinitas.

INCIPIT LIBELLUS,

De scripturis & verbis Patrum collectus, ad eorum præsertim utilitatem, qui contemplativæ vitæ sunt amatores.

Psalm. Deus misereatur nostri.

SUmma Trinitas, virtus una, & indiscreta Majestas, Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego ultimus servorum tuorum, & exiguum membrum Ecclesiæ tuæ. Confiteor & honorifico te debito sacrificio laudis, pro scire & posse quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia cordis oblatio in conspectu tuo pretiosior est; ideo ea quæ in me sunt vota laudationis ex dono misericordiæ tuæ ecce libens atque ovans offero tibi de fide non ficta & conscientia pura. Credo igitur te toto corde, Rex cæli & terræ domine, & ore te confiteor Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, in personis trinum, & in substantia unum, verum Deum omnipotentem, unius, simplicis, incorporeæ, invisibilis & incircumscriptæ naturæ. Nihil in te majus aut inferius habentem: sed per omnem modum sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio veritatem, sine loco ubique totum, sine situ ubique præsentem, sine extensione omnia implentem, sine contradictione ubique occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu intra omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem, sine tui initio omnibus initium dantem, sine tui immutatione omnia mutabilia facientem; in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum, erga delinquentes patientissimum, erga pænitentes pium; semper idem ipsum, æternum, ac sempiternum, immortalem atque incommutabilem: quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coartant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit; nec mæsta perturbant; nec læta demulcent: cui nec oblivio tollit, nec memoria reddit, nec præterea transeunt, nec futura succedunt: cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit; sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula in æternum vivis, & est tibi perennis laus & æterna gloria, summa potestas, ac singularis honor, perpetuum regnum, & sine fine imperium per infinita & indefessa & immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Huc usque omnipotens Deus, Trinitas, cordis mei inspector & scrutator confessus sum omnipotentiam majestatis tuæ, & majestatem omnipotentiæ. Nunc autem qualiter humano generi in fine sæculorum subvenire dignatus es, sicut corde credo ad ju-

Desinit: Nec casus finem dabit, sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula in æternum vivis, & est tibi perennis laus & æterna gloria, *&c.*

Pars secunda.

De humanitate Domini nostri Jesu Christi, *qui nos redemit pretio sanguinis sui.*

Psalm. Cantate Domino 2.

Hucusque, omnipotens Deus. Trinitas, cordis mei inspector & scrutator, confessus sum omnipotentiam majestatis tuæ, *&c.*

Desinit: Ubi est dies æternus & unus omnium spiritus, ubi tu cum illo, & ille tecum in communione Spiritus-sancti æternaliter vivis, *&c.*

Pars tertia.

In qua mens devota nimio amore flagrans, Christo inhians, Christo suspirans, Christum quem solum amat, videre desiderans; nihil dulce habet; nisi gemere & flere, nisi fugere, tacere & quiescere, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.

Spes mea, Christe Deus . . . . Te deprecor, supplico & rogo, ut te rectore, te duce, per te ambulem, ad te perveniam, in te requiescam; qui es via & veritas & vita. Deus meus, una spes & prægrandis misericordia mea, esto mihi in domum refugii & in locum munitum, *&c.*

Desinit: & temporaliom sempiternæ vivunt rationes, æternæ sapientiæ confiteor, & nomini tuo laudem dico. Tibi benedictio & claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus & fortitudo Domino Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

ALIÆ ORATIONES.

I.

Isti versiculi ad excitandum cordis compunctionem de Scripturis collecti sunt.

Heu homo! Heu homo! Heu te, miser homo! cur vivis eqoom, cui non est intellectus, *&c.*

Desinit, ad cælum cum Rege suo ibunt Sancti. Gloria tibi, Christe, *&c.*

II.

Oratio.

De vitiis & virtutibus.

Christe virtus salutis nostræ Deus, lux de luce, illumina me quæso lumine gratiæ tuæ. Concede pro pietate & bonitate tua, ut hæc me semper inhabitet, & ubique regat, *&c.*

Desinit: Ad vitam perveniam æternam, te miseraote & donante, qui cum Patre, *&c.*

III.

Apologetici sermonis brevis & vera responsio.

Multa igitur sunt contemplationum genera, quibus anima tibi, Christe, devota delectatur & proficit: sed in nullo earum ita gaudet mens mea, sicut in illa quæ cunctis remotis, in te solum Deum attollit simplicem puri cordis intuitum.

Desinit, omnia bona nostra opera tu operatus es nobis.

Analect.

IV.

Humilis confessio peccatoris & indigni laudatoris.

Ignosce, Domine, ignosce, pie, & noli me tanquam temerarium reprobare.

Desinit, in sæcula sæculorum laudabunt te.

V.

Quid sit jubilum.

Jubilum dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur.

Desinit, sufficit lingua dicentis.

VI.

Oratio.

Ante Missarum celebrationem dicenda.

Summe Sacerdos & vere Pontifex, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram, *&c.*

VII.

Oratio.

Domni Willelmi Abbatis.

In Commemoratione sancti Augustini ante consecrationem Missæ dicenda.

Memento, Domine, animæ famoli tui Patricii, *&c. inferius edita.*

VIII.

Confessio humilis

Peccatoris in tempore angustiæ & infirmitatis.

Miserere, Domine, miserere, pie, miserere mihi miserrimo peccatori, indigna agenti, & digna patienti.

Desinit, scis omnia, potes omnia.

IX.

Incipit oratio decora.

Compilata per contemplationem, vel meditatio theorica.

Spes mea, Christe Deus . . . . qui es via, veritas & vita. Sed quia in hoc magno hujus vitæ diluvio, ubi circumflantibus agitamur procellis, non invenitur fida statio, & locus eminentior, ubi pes columbæ valeat requiescere; nusquam tuta pax, ousquam secura quies, *&c.*

Desinit, gloria Patri qui fecit nos, gloria Filio qui redemit nos, gloria Spiritui-sancto qui sanctificavit nos. Sit laus, sit benedictio, *&c. Oratio prolixa est & devota.*

X.

Alia oratio.

Domine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, *&c.*

Desinit, secundùm multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Jesum-Christum, *&c.*

XI.

Gratiarum actiones

Pro beneficiis misericordiæ divinæ.

Spes mea, Christe Deus . . . . Te deprecor, supplico & rogo, ut perficias in me cœptum opus miseri-

cordiæ tuæ. Ego enim ultimus servorum tuorum, non immemor beneficiorum miserationis tuæ, quæ mihi peccatori conlata sunt: gratias tibi ego qui me indignum pro tua sola clementia per aquam sacri baptismatis, & renovatione sancti Spiritus ab originalibus vinculis expedisti ∴. Tu Pastor & rector omnium, Christe Deus, qui nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ vocasti patvitatem meam ad hoc pastotale officium, propter te & nomen tuum sanctum, fac me idoneum ad hoc ministerium, ut sapienter domum tuam regam, & in omnibus secundùm voluntatem tuam gregem tuum pascere valeam. Concede propter honorem nominis tui, ut cum multo bono fructu fraternæ societatis pervenire merear ad gloriam tuam ∴. Scio & certus sum, quòd tu vales fructus bonos & magnos facere de grege tuo, per me exiguum & infirmum. Parvulus quippe sum & nullius virtutis homuncio, nihil habens in me quod expeti debeat, vel quod dignum sit tanti officii. Idcircò desperans de parvitate mea, non respiro, nisi in sola misericordia tua. sed licèt sis magnus in magnis; gloriosiùs tamen operatis magna in minimis. Erit certè laus tua dulcior, & copiosior more hominum, cùm per me tantillum operari dignatus fueris magna de grege tuo ∴. Da mihi cælestia & terrena subsidia ad omnem sufficientiam, ut habeam unde gregem tuum possim pascere & sustentare, tam spiritaliter, quàm corporaliter, atque venientes in tuo nomine suscipere absque ulla hæsitatione, simulque loca commissa ordinare, & præparare ad quietem & salutem Francorum, sicut decet & oportet ∴. Duo à te pero, unum horum pro tua clementia non deneges mihi. Rogo te per omnes miserationes tuas, da mibi consolationem tuam cælestem in multis tribulationibus meis! pondus enim istud gravissimum quod impositum est super infirmas cervices meas, ferre non valeo, deponere timeo ∴. Gratias tibi ago, Domine, qui me etiam à vano hujus mundi consortio separasti, & ad tuum servitium sanctum perdusisti, &c.

X I I.

ORATIO.

Ad sanctam Mariam.

Virgo mundo venerabilis, humano generi amabilis, &c.

X I I I.

Ad Christum.

Domine JESU-CHRISTE, redemptio mea, misericordia mea. &c.

X I V.

Ad sanctum Benedictum.

Sancte Benedicte; quem tam opulenta benedictione virtutum superna gratia ditavit, &c.

X V.

Pro amicis.

Domine JESU-CHRISTE, qui exhibuisti caritatem qua majorem nemo habet, &c.

X V I.

Pro inimicis.

Omnipotens & pie Domine JESU-CHRISTE, quem opto propitium amicis meis, &c.

X V I I.

Alia Oratio.

Terret me vita mea. Namque diligenter discussa apparet mihi aut peccatum aut sterilitas fere tota vita mea, &c.

X V I I I.

Ad sanctam Mariam.

Sancta Maria, & inter Sanctos post Deum, &c.

X I X.

Ad sanctam Mariam.

Maria, tu illa magna Maria, tu illa major beatarum Mariarum, &c.

X X.

Ad sanctum Joannem Baptistam.

Sancte Joannes, tu ille Joannes qui Dominum baptizasti, &c.

X X I.

Ad sanctum Petrum.

Sancte Petre, benignissime & fidelis pastor ovium Dei, &c.

X X I I.

Ad sanctum Joannem Evangelistam.

Sancte & beate Joannes, altissime Evangelistarum Dei, dilectissime Apostolorum Dei, &c.

A D N O T A T I O N E S.

Hæc omnia, quorum specimen hactenus exhibui, integra exstant in vetusto codice Mettensis Monasterii sancti Arnulfi, quem codicem, annuente R. P. Priore ejus loci, mihi transmisit Domnus Placidus Beuvillonius, jam non semel à me laudatus. Ideo verò prolixum hoc specimen exhibere visum est, quod interesse putem Reipublicæ Christianæ, ut præmissa Opuscula accuratè discutiantur. Quam ob rem quatuor aut quinque res hîc examinandæ sunt, scilicet codicis Mettensis ætas seu antiquitas; tum Imperatricis, cui prior libellus nuncupatus est, nomen; dein Auctoris item nomen ac dignitas; ad hæc, Opuscula ipsa in codice contenta: quæ demum cum libro Meditationum sub nomine Augustini vulgato comparanda sunt; postremò cum Alcuini Confessione Chiffletiana.

I.

Codex Mettensis oblongus, optimæ notæ, sine dubio scriptum est sub finem sæculi XI, id est circiter annum MLXXX, ut probat ipsa scripturæ forma modusque scribendi illi ævo conveniens. Quippe minores litteræ r oblongæ, litteræ *A* majores absque lineola transversa, aliaque id genus in eo codice complura, quæ facilius est capere oculis, quàm verbis exprimere, post sæculum XI in usu esse desierunt. Ad hæc modus scribendi qui in eodem libro servatur, illis temporibus apprime respondet. Exemplo sint syllaba & uno contextu in vocabulorum compositione inserta: *intellego, neglego, inmensus, inperfectus*; ubi posteri scribunt *intelligo, negligo, immensus, imperfectus.* Postremò in eo codice primaria manu descripta legitur

Oratio Willelmi Abbatis, in festo sancti Augustini ante Missam dicenda, quam inferiùs referam post epistolas Willelmi Abbatis Mettensis, cui hanc Orationem tribuendam puto. Florebat verò Willelmus iste pontificatu Gregorii VII. quo tempore Johannis codex exaratus videtur, exceptis nonnullis, quæ recentiori manu adjecta sunt.

II.

Quatuor indiciis designatur Imperatrix, cui prior libellus inscriptus est: nimirum quòd relicta fuerit *reverenda memoria Domni* HAINRICI *clarissimi sapientisque Imperatoris*: quòd *post primam amissæ virginitatis palmam*, secundis nuptiis nuncium remiserit: quòd *actibus misericordiæ* debita, *viduis, orphanis*, aliisque indigentibus facultates suas dispensarit: quòd *totam fere peragrarit Italiam, devotissime visitans Sanctorum reliquias, & eis offerens pretiosa donaria*; idque ipsum *in Galliarum partes regressa* præstiterit.

Atqui hæc nullatenus conveniunt Mathildi Henrici primi uxori: tum quia Henricus iste sollemni more Imperator coronatus non est: tum quia Mathildis post conjugis obitum reliquum vitæ in Saxonia exegit. Neque conveniunt Cunegundi Henrico secundo nuptæ: quippe quæ in conjugio virginitatem servasse memoratur, & post anniversarium mariti obitum in Consugiensi Monasterio usque ad mortem delituit. Certè hæc omnia in unam conspirant Agnetem Augustam, quæ Willelmi Comitis Pictavensis filia, Henrico III Imperatori nupsit; eoque mortuo (quod anno M LVI contigit) totam Italiam devotionis causâ perlustravit, maximè Fructuariense Monasterium, atque adeo Casinense, ubi per sex menses demorata est, pretiosis donariis sancto Benedicto oblatis. Eadem verò elogia, quæ in superiori Præfatione ipsi tribuuntur, commemorat Petrus Damiani in epistola *Agneti Augustæ Imperatrici* directa, à Baronio relata ad annum M LXII, qua Agneti in Italia tum degenti salutaria monita præscribit Petrus. Ejusdem hortatu Agnes ex Germania, quò per aliquot peregrinationis annos receperat se se, reversa est Romam; ubi supremum vitæ absolvit diem anno M LXXVII, quo anno Baronius ejus epitaphium refert. Exstat in Bibliothecæ Sebusianæ centuria 2 cap. 77, ejusdem Imperatricis eximia epistola, Alberto, non Andreæ, Fructuariensi Abbati directa, cujus fragmentum huic loco illustrando adducere non erit otiosum.

A. Imperatrix & peccatrix A. Patri bono & Fratribus in Fructuario congregatis in nomine Domini, servitutem ancillæ, cujus oculi in manibus dominæ suæ sunt. Conscientia mea terret me prius omni larva omnique imagine. Ideo fugio per Sanctorum loca, quærens latibulum a facie timoris hujus, me minimum desiderium est mihi veniendi ad vos, de quibus comperi quia vestra intercessio certa salus est: sed nostra profectiones in manu Dei sunt, & non in nostra voluntate. Interim vero mente adoro ad pedes vestros. &c.

Agnetis varia in Italiam itinera distinguit Baronius: primum, post susceptum quidem velum, anno M LXII, cui itineri fere triennium insumsit: alterum anno M LXVI, cui sex annos: tertium anno M LXXIII: quartum denique anno M LXXIV. Itaque libellus precum, qui ipsi post Italicam peregrinationem, regressumque in Galliarum partes, nuncupatus est, conditus fuit eo temporis intervallo, quod ab anno M LXVI ad M LXXV effluxit.

III.

Ex his intelligimus tempus, quo vixit istius libelli scriptor: de cujus nomine atque dignitate tertio loco agendum est. Utrumque in fine Præfationis, quæ titulo caret, exprimit his verbis: *Ego* JOANNES *ultimus servorum Christi, & qui mecum sunt Fratres, beatitudinem tuam salutamus.* Ergo hic Joannes Abbas erat, id quod clariùs explicat in gratiarum actionibus, quas Deo refert pro beneficiis acceptis, ubi orat hoc modo: *Ego ultimus servorum tuorum, non immemor beneficiorum miserationis tuæ, quæ mihi peccatori collata sunt, gratias tibi ago. &c. Tu Pastor Pastorum, & rector omnium Christe Deus, qui nullis meis meritis; sed sola dignatione misericordiæ tuæ vocasti parvitatem meam ad hoc pastorale officium, &c. . . . . . Parvulus quippe sum & nullius virtutis homuncio, nihil habens in me quod experti deleat, & quod dignum sit tanti officii. Ideirco desperans de parvitate mea, non respiro nisi in sola misericordia tua.* Et infrà: *Da mihi cælestia & terrena subsidia ad omnem sufficientiam, ut habeam unde gregem tuum possim pascere & sustentare, tum spiritualiter, quam corporaliter, atque venientes in tuo nomine suscipere absque ulla hæsitatione; loca commissa ordinare, & praparare ad quietem & salutem Fratrum, sicut decet & oportet.* Certè hæc oratio ejusdem videtur esse auctoris, ac libellus precum.

Ex his colligitur, Johannem libelli conditorem Abbatis dignitatem præditum fuisse, cui non unum, sed plura Monasteria *commissa* sint. At quis tandem ille fuerit, cujusve Monasterii Abbas, jam inquirendum.

Duos invenio Johannes Abbates eo tempore clarissimos, & quidem Italos ambos: nempe Johannem Gualbertum Vallumbrosani Ordinis institutorem, cujus nulla scripta invenio, & Johannem Abbatem Fiscamnensem, cui potius quàm alteri præcitatum libellum tribuendum existimo, his adductus conjecturis. Primò siquidem Auctor se identidem *homuncionem, homunculum, parvum pusillumque* dicit: Joannes verò Abbas Fiscamnensis statura pusillus erat, ab exilitate corporis *Johannelinus* appellatus. Deinde, non uni, sed pluribus monasteriis præfectus erat, scilicet Fiscamnensi aliisque Fiscamno subjectis; simulque Abbatiæ, quæ in loco *Erbrestin* dicto sita. Ad hæc Henrico III ia acceptus fuit, ut argumento est præfectura Erbresteusia, quam concedente Henrico in Suævia obtinuit. Hinc illa familiaritatis occasio cum Agnete, quæ ob eam causam Fructuariense Monasterium, utpote à Guillelmo Divionensi Abbate, Johannis institutore conditum, excoluisse videtur. Porro quantæ doctrinæ ac virtutis fuerit, testatur Johannes Chronographus Divionensis Cœnobii, (ubi Monachus fuerat Johannes Abbas) de eo tum superstite agens in hunc modum: *Hic Italiæ partibus Ravennæ ortus, litteris eruditus, ac medicinali arte per ipsius Patris jussionem edoctus, religiosæ conversationis vitæ, doctrina quoque, ac omnium virtutum ipsius præ cunctis aliis exstitit imitator studiosus. Qui ab exilitate* JOHANNELINUS *diminutivo nomine est dictus: sed humilitatis, sapientiæ, discretionis & cæterarum virtutum tanta in eo refulsit gratia, ut, sicut sanctus refert Gregorius in libro Dialogorum de Constantio Presbytero, ita in hoc mirum esset intuentibus, in tam parvo corpore gratia Dei tanta dona cumberaro. Sed quia adhuc domum habitat luteam, sufficit hoc tantum dixisse.*

Hactenus Johannes Chronographus de æquali ac cognomine suo Johanne, qui primùm (ut dixi) Monachus in Cœnobio Benigniano, tum Fiscamni Prior à Willelmo Abbate constitutus; dein eodem ce-

dente Abbas anno M XXVIII, post anno M LII in locum demortui Halinardi suffectus in Abbatia, quæ dicitur *Erbrestein*; tandemque vitâ decessit anno M LXXVIII, qui annus ab obitu Agnetis Augustæ proximus est. Hæc constant ex duobus Chronicis, Divionensi scilicet sancti Benigni, & Fiscamnensi, editis in Bibliothecæ Labbeanæ tomo primo, ubi etiam in catalogo Abbatum Fiscamnensium Johannes, *Dalie* cognominatus, Hierosolymam profectus, ibique diu detentus in carcere, postmodum ad Monasterium redisse dicitur. Hæ conjecturæ meæ de prioris libelli scriptore, cujus alia opuscula nunc investigare necesse est.

IV.

Johannes in superiori Præfatione de quatuor aut quinque Opusculis suis mentionem facit. Primum est de institutione viduæ: 2 de vita & moribus virginum: 3 de eleemosynarum dispensatione: 4 de forsan etiam: 5 de divina contemplatione, & de superna Hierusalem. Tria priora desunt in codice Mettensi, in quo alia reperiuntur, quæ an Johanni tribuenda sint, dispiciendum est.

Quæ in Mettensi codice reperiuntur, aliâ manu prima, alia secunda descripta sunt. Prima quidem libellus prior Johannis ac posterior cum orationibus subsequentibus usque ad duodecimam: quæ, sicut & sequentes, secundaria manu exarata est.

Quæ primi generis sunt, omnia (si Willelmi Abbatis orationem, quæ Auctoris sui nomen præfert in codice, excipias) Johannem auctorem habere mihi videntur: ceteras verò orationes secunda manu scriptas sancto Anselmo tribuo. In his orationibus tres inveniuntur ad sanctam Mariam, quas esse puto eas, de quibus mentionem facit Anselmus ipse in lib. I epistola 20 ad Gundulfum. Orationem XVII incipientem ab his verbis, *Terret me vita mea*, memorat tribuitque Anselmo Durandus Abbas in ejusdem libri epistula 61. An verò oratio ad sanctum Johannem Evangelistam eidem Anselmo tribuenda sit, dubium me reddunt hæc verba: *Si agnoscis nomen tuum, rogo te per ipsam dilectionem, agnoscam in tanta necessitate auxilium tuum. Johannes, Johannes*, &c. Ex quibus verbis aliisque consimilibus conjectura est Auctori nomen fuisse Johanni.

Ad Johannem pertinere videntur, ut dixi, non solum libellus prior, cui Johannis auctoris nomen adscriptum est: sed etiam libellus posterior, tum etiam subsequentes orationes usque ad duodecimam, excepta oratione Willelmi Abbatis.

Et quidem libellus posterior *de divina contemplatione*, indubitanter Johanni auctori tribuendus est, in cujus fronte hic titulus legitur in codice ms. *Lege & istam aliam orationem, quæ simili modo de divina contemplatione edita est. Nam multa repperiuntur in ista, quæ in illa superiore non sunt.* Idem quippe tractandi modus, idemque ordo in hoc posteriori libello servatur, ac in priori. Posterior enim, uti & prior, dividitur in tres partes, quarum prima est de Divinitate ac Trinitate: altera de Christi Domini humanitate: tertia pars est de Christi amore. In his omnibus ad singulas partes in titulo præscribitur aliquis Psalmus, uti in priori libello. quæ omnia eumdem arguunt auctorem. Id disertè confirmat posterioris hujus libri editio Parisiis anno M D XXXIX. apud Vascosanum adornata, atque in tres partes, sicut in Codice Mettensi, distincta sub hoc titulo: CONFESSIO THEOLOGICA TRIBUS PARTIBUS ABSOLUTA. Cujus confessionis auctorem Vascosanus, aut alius quispiam, ex marginalibus quibusdam velut fugientibus veteris sui exemplaris adnotatiunculis deprehendit fuisse dictum Johannem. quod de Johanne Cassiano perperam interpretatus est.

In Oratione secunda *de vitiis & virtutibus*, quæ libello posteriori subjuncta est, Auctor à Deo postulat mentis puritatem, uti sibi corporis integritatem concesserat *ab ipso pubertatis tempore*. Huc sententias quasdam refert ex oratione sexta, quæ ante Missam dicenda præscribitur, & in consequentibus se se Monachum prodit.

Oratio tertia incipit ab his verbis, *Multa igitur sunt contemplationum genera*, &c. quibus consimilia leguntur in Alcuini Confessione Chiffletiana sub finem partis primæ, & apud Anselmum: at post tres aut quatuor versus nulla est cum istis auctoribus convenientia.

Oratio sexta ante Missam dicenda, cujus exordium, *Summe Sacerdos*, nullum auctoris nomen præfert in codice Mettensi. Hanc alii Ambrosio tribuunt, alii Anselmo: mihi verò Johanni tribuenda videtur. Certè ex ea identidem sententias adducit Johannes in libello posteriori, in oratione secunda, undecima & in aliis: & apud Anselmum prolixior est ea oratio post illa verba, *in commemoratione tua pro salute nostra*. Nam quæ sequuntur apud Anselmum & in aliis editis libris usque ad hæc, *Peto clementiam tuam, ut descendas super panem & calicem*, &c. apud Johannem desunt, videnturque alterius esse auctoris, qui episcopalem Fidelium curam habuerit. Superiora enim singulari numero, uti & posteriora, profert auctor: hæc verò intermedia in pluralem vertit interpolator, *oramus, rogamus*, &c. Ad hæc pro singulis hominum generibus sibi commissis, pro cunctorum necessitatibus orat, ut Episcopus. Ergo hæc oratio auctorem habet Johannem, aut certè alium ætate superiorem: amplificatorem verò forsitan sanctum Anselmum; ob idque Anselmo à posteris adscripta. Neque verò Anselmo indigna res putanda est, ut Johannis orationem auctiorem fecerit. Non enim eam sibi propterea vindicavit; & ejusmodi orationibus manualibus & quotidianis cuique tamquam suis uti licet, sive addendo, sive subtrahendo quod fuerit opportunum. Accedit quòd in ea oratione pleraque alia differunt à codice Johannis, ex quibus duo tantùm notare juvat. Primum ad illa verba, ubi legitur in editis, *Mundo corde valeam tibi offerre*; Johannis codex habet *mundo corde contritione valeam tibi offerre*. Alterum est sub finem orationis, quæ hoc modo desinit in editis: *ad regnum tuum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo & Patri*, &c. Sic verò apud Johannem: *ad regnum tuum perveniam, ubi facie ad faciem te videbimus. Interim hoc agendum, hoc certè frequentandum commendasti Ecclesiæ, quousque venias in fine sæculi, quando erit Sanctorum requies; non adhuc in Sacramento, quo in tempore consociantur membra tua, quandiu bibitur quod de latere tuo manavit: sed jam in ipsa perfectione salutis æternæ, cùm tradideris regnum Deo & Patri, ut in illa perspicua contemplatione tui incommutabilis veritatis, nullis mysteriis egeamus. Tunc enim me de te satiabis*, &c. Ceterum non facilè in animum induxerim, Johannem, qui ex antiquis Patribus, maximè ex Augustino, scripta sua derivat, quidquam delibasse ex Anselmo, qui Johanne sene juvenis erat. Quippe Anselmus annorum XXVII factus est Becci Monachus anno M LX, post biennium Prior in quindecim annos: Abbas dein anno M LXXVIII, qui Johannis Abbatis Fiscamnensis obitum præcessit. Ex quibus veri similius efficitur, Anselmum quædam à Johanne homine sene mutuatum

fuisse, quam Johannem ex Anselmo juniori. Et quidem Prologus decem Meditationum apud Anselmum, ordine tantisper immutato, acceptus est ex Johanne in libelli posterioris parte tertia, uti & caput primum earundem Meditationum ex parte prima ejusdem libelli: tametsi etiam in Alcuini Confessione Chiffletiana reperiuntur. At verò Johannes in locis præcitatis ex hac oratione sexta hinc inde versus interserit, uti solet ex propriis. quod argumento est eum hujus orationis sextæ esse conditorem.

Oratio nona, quæ prolixior, piis affectibus referta est, & multa repetit ex Johannis libello priori; maximè verò hæc verba, quibus se deflóratorem probat. *Unde mihi valde libet de te loqui, de te audire, de te legere, de te scribere, de te conferre: ut sub dulcem umbram sinceritatis tuæ ingressus, ab hujus sæculi æstibus in tui refrigerii temperamento abscondar. Hujus rei gratia umbrosum montem & condensum adscendo, amœna prata perlustro, viridissimas sententiarum herbas legendo carpo, frequentando rumino, exarando congrego, ut suavitatem dulcedinis & caritatis tuæ reponam in alta sede memoriæ meæ.* His consimilia scribit Johannes in parte secunda libri prioris. *Libet sanè de te loqui, de te audire, de te scribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria cotidie legere, & lecta sæpius sub corde revolvere: ut vel sic possim ab hujus mortalis & peritura vitæ ardoribus, periculis & sudoribus sub tua vitalis auræ dulce refrigerium transire, & transiens in sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululum reclinare. Hujus rei gratia sanctarum scripturarum amœna prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoriæ sede repono: ut tali modo tua dulcedine degustata, minus istius miserrimæ vitæ amaritudines sentiam.* Ubi vides auctorem Orationis nonæ ex imitatione prioris libelli hæc verba usurpare, ut se exceptorem & deflóratorem probet: at non ita esse verbis libelli prioris addictum, ut ea de verbo studiosè referat. quod argumento est, eumdem utriusque esse auctorem, non verò alterutrum hac in parte quasi alieni operis deflóratorem: cujus officium est syllabas & verba aliorum ad numerum referre. Eadem observatio etiam aliis orationibus adhibenda est, in quibus simili modo eædem sententiæ ad sensum, quæ in duobus libellis exstant, non semper ad verba studiosè repetuntur.

Oratio undecima in codice Johannis pro gratiarum actione de beneficiis divinis, incipiens ab his verbis, *Spes mea, Christe Deus*, &c. habetur quidem apud Anselmum, estque Alloquium XII. At certè Johanni potiùs tribuenda est, quàm Anselmo. In ea siquidem auctor gratiam à Deo postulat *loca commissa*, id est Monasteria regendi. (nam Abbas erat quisquis ille fuit, ut ex orationis serie liquidò colligitur.) At verò Anselmus unum Beccense Monasterium, Johannes duo administravit Abbas. Sed cùm fere æquales fuerint Johannes & Anselmus, facilis error. quæ alterius erant, nec auctoris præferebant nomen, alteri supponi potuere.

V.

Jam verò si tam priorem Johannis libellum, quàm sequentia opuscula conferamus cum libro Meditationum, qui sub nomine Augustini vulgatus est, eadem in utrisque de verbo repetita inveniemus. Itaque operæ pretium me facturum putavi, cumque harum adnotationum fructum mihi proposui, ut uter auctor ab altero hæc mutuatus sit, aperiam. Atqui in libro Meditationum Augustiniano manifesta apparent plagiarii consarcinatoris indicia. Nimirum hic liber pluribus constat partibus malè cohærentibus & confusis: quæ quidem singulæ præclaræ sunt juxta ac piæ, at simul collegatæ corpus malè contextum compactumque efficiunt. Nam diversa inconcinnè in unum congeruntur, quæ apud Johannem rite in partes distributa sunt. Deinde in Meditationibus nonnulla intermiscentur citra delectum, cum superioribus ac subsequentibus malè cohærentia, quæ Johanni desunt. Ad hæc quæ continua serie apud Johannem leguntur, mediis resectis obtorto collo conjungit consarcinator. Denique exemplaria Meditationum nulla inveniuntur supra Johannis ætatem, sed omnia posteriora.

Liber Meditationum pluribus constat partibus à sese divulsis. Prima pars est à capite I ad X, quæ quidem reperitur apud Anselmum; eademque est cum X oratione apud Johannem, nonnullis versibus rejectis post illa verba, *in odorem unguentorum tuorum dulciter*, quibus alia subdit codex Johannis, quæ Meditationum consarcinator imperitè detraxit.

Secunda pars Meditationum est à capite XII (nam XI quatuor dumtaxat versibus constans, glorificationem tantum Trinitatis continet) usque ad cap. XXXIII, exhibetque duas priores partes & primum articulum tertiæ partis prioris libelli, quem Johannes Agneti Imperatrici nuncupavit, excepto hymno *de gloria Paradisi*, quem consarcinator post caput XXV inseruit.

Tertiam partem Meditationum definio capite XXXIV, quod idem est cum oratione IV, quæ in codice Johannis libro posteriori adjuncta est.

Quarta pars Meditationum complectitur caput XXXV cum duobus subsequentibus: quibus respondent articuli secundus, tertius, quartus & quintus tertiæ partis libelli prioris apud Johannem, exceptis fine articuli quarti ab his verbis, *Dormiat memoria mea*; & initio sequentis, quæ Meditationum consarcinator rescidit.

Quinta pars Meditationum constat capite XXXVIII, estque oratio octava in codice Johannis.

Sexta pars continet capita XXXIX & XL Meditationum, quæ desunt apud Johannem, præter versus non paucos capitis XL, quibus consimiles leguntur in Johannis oratione secunda.

Denique septima pars complectitur caput XLI Meditationum, estque eadem cum Mettensis codicis oratione XV, quæ Anselmo in libris editis tribuitur.

Ex hac collatione manifestè conficitur id, quod hactenus demonstrandum suscepi, scilicet Meditationum collectorem ex variis Johannis opusculis unum corpus Meditationum compegisse, exceptis uno & altero capitulis; ac proinde Johanne esse posteriorem. Itaque sic res processisse videtur. Johannes ex Patribus, maximè ex Augustino & Alcuino, sententias decerpendo, libellos precum duos aliasque orationes composuit. Hæc ut ad manum haberet, continua serie malè digesta in unum collegit aliquis consarcinator. quæ collectio, quia Augustini genium sententiasque referebat, Augustino à posteris adscripta est. Qua in re nescio quo fato id Johanni accidit, quod ne accideret studiosè præcaverat in Præfatione libri prioris, Agnetem Augustam obtestatus, uti daret operam, nequis librariorum scripta sua vitiaret, sive aliquid addendo, seu subtrahendo, aut immutando. quæ nihilo minus omnia passus est à Meditationum compilatore.

At quis tandem ille compilator? certè non facile est definire. Lovaniensium censura hæc est: *Auctor est, vel beatus Augustinus, vel qui ejus libros non indiligenter legit.* Atqui jam superiùs demonstravi, hanc

collectionem fere integram conflatam esse ex opusculis Joannis Abbatis, qui Augustini sententiis identidem usus est. Non ergo Augustinus harum Meditationum auctor: sed aliquis alius Johanne posterior. Anselmo eam tribuit Theophilus Rainaudus, hac adductus ratione, quòd nonnulla ex Anselmi genuinis libris desumta sint. Verùm neque hæc ratio id evincit, neque tam Anselmi, quàm Johannis Abbatis scriptis constat hæc collectio. Neque sanè crediderim, Anselmum, hominem tantum, ex meris auctorum æqualium plagiis librot consarcinasse, qui ex propriis ingenii sui fontibus propria condere natos erat: aut, si id tentasset, tam malè rem executurum fuisse. Quisquis verò collector ille sit, certè Monachus fuit. cujus rei argumentum est, quòd in cap. VI Meditationum, ubi Johannes babet *cum veris & perfectis servis tuis*; collector reposuit, *cum veris & perfectis Monachis, quorum vestigia imitari nequeo*, &c.

Ceterum si quis has Meditationes & auctiores & emendatiores, atque adeo meliori ordine digestas babere voluerit; consulat codicem Metteosem, in quo habentur opuscula Johannis Abbatis (ut quidem puto) Fiscamnensis, cujus epistolas tres inferiùs referam.

Nunc, quoniam tum in opusculis Johannis, tum in Meditationibus Augustinianis reperiuntur permulta, quæ itidem extant in Confessione fidei, sub Alcuini nomine non ita pridem vulgata, juvat exponere hoc loco, quæ ipsi Confessioni illustrandæ assequi mibi licuit.

ROBERTI ABBATIS

PROLOGUS

In Cantica Canticorum.

SERVO Dei dilectissimo suo ANSFRIDO, quondam filio & amico modò divina favente cui voluerit gratia Patri & domino, frater RUBERTUS hominum minimus, vitam, gaudium & gloriam, quæ verè gloria est. Multis jam nunciis inertiam meam fervor tuus in Deum sollicitat, ut tibi librum quem ante hos dies quàm plurimus super Cantica canticorum scripsi, mittam. Vix igitur nunc mitto, quem à nemine videri vellem, si omnibus abscondere possem. Quem enim rudis & impolitus artifex fecerit anulum, ab aliis videri formidat, omnes inspectores non laudaturos, sed judicaturos exspectat. Et ostendit itaque, & metuit. quia sibi & de opere suo minimè credit, & de alterius judicio non confidit, dum id quod soli sibi ante examen perfectè non placet, in examine displicere pluribus timet. Sic ostendentis, & sic paventis accipere opusculum amici tui: judica quod placuerit, & rescribe quod judicaveris. Videor fortitan pluribus, quod & tibi videri timeo, hoc opus præsumptione perfecisse: si tamen perfectum est dicendum, quod à doctioribus, melioribusque est adhuc viris examinandum, & utique corrigendum. Mihi quippe, fateor, cum maxima indignatione fieri videtur, ut ego tam rudis studio, tam stolidus ingenio, tam sordidus peccatis, in tam antiquum, tam doctum, tam nitidum opus proruperim, ut Salumonis verba exponerem, qui de Salomone nihil habeo, nisi fortitan quod de illo abominabile lego; scilicet, cùm senex factus fuerit, tunc sapiens esse desiterit.

Mihi tamen amico tuo crede, quòd hunc quem tibi mitto, multis rudendum libellum rogatus cœpi, multotiens ammunitus perfeci. Rogavitque domnus ANASTASIUS dilectissimus frater & domnus meus; admonuerant verò cum illo & alii multi, non tantum censantes mihi innatam stultitiam, quantum amantes verborum tam secretorum qualemcumque sibi clarere peritiam: quamvis nonnulli alii, & maximè domnus Beda, in hoc eodem laboraverint, secreta patefecerunt, posterisque lectionem utilissimam reliquerunt. Sed non omnes omnia inveniunt. Tu ergo, serve Dei, humiliter lege quæ inveneris: &, si placuerit, transscribe quæ legeris.

Rogo verò ut in duo principia hoc opus dividas: quia dictamen illud, dum à seipso variatur, turpe est si sub uno principio universum concludatur. Dum enim ego in cella solitaria positus Cantica Canticorum exponerem, contigit ut me quidam amici mei supervenientes exponentem invenirent. Cumque ea quæ jam exposueram, per partes legerent; laudaverunt quidem opus, sed quod canonicorum librorum exempla non inserueram, quibus quæ dicerem probarentur, hoc minus inesse dixerunt. Ex illo mox tempore quæ memoriæ occurrerunt, pro re quam agebam, exempla apposui, quamvis non necessaria esse mihi viderentur. Maximè enim compunctioni in expositione intendens, non probanda, sed interiùs inserta dixeram. Unde postea exempla colligens, dum brevitati studeo; strictiùs exposita, minùs suavia legenti videntur. Dictaminis itaque varietas, quæ exemplorum insertione fit; ibi notatur, ubi dicitur: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Huc dicto & exposito finiatur primus liber: incipiatque servulus, sic oriens: *Tota pulcra es, amica mea, & macula non est in te.* Pargamenum autem si tibi defuerit, mittam quantum sufficiet.

Lege igitur, frater amicissime, sapientissimi verba Salomonis, Cantica canticorum, quæ ob reverentiam secratissimi sensus, ob excellentiam nuptialis amoris, ob sponsi & sponsæ suavissimam conglutinationem, non solùm Cantica, sed etiam Cantica canticorum vocantur. In horum expositione si quid tibi displicuerit, ora pro ignarantia mea: si quid tibi placuerit, ora pro peccatis meis, qui bene loquor, & malè operor. Quòd si librum illum tibi scribere libuerit, non ita in marginibus, sicut hîc habetur, scribas: sed continuum in paginis, sicut aliæ expositiones scribi solent. Hæc verò epistola volo ut ponatur in capite.

TRIBUS nominibus vocatus est Salomon; Salomon, id est, pacificus; Edida, id est, dilectus. Ecclesiastes, quod est Coelet, id est, concionator, quòd ecclesias congreget. Is juxta numerum vocabulorum suorum tria volumina edidit. Proverbia, id est, Masloth, Ecclesiastem, Cantica canticorum. In Proverbiis parvulum docens, & quasi de officiis præsentibus erudiens. In Ecclesiaste, maturæ ætatis virum instituens ne quicquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca & brevia omnia quæ cernimus. Ad extremum, jam consummatum virum, & calcato sæculo præparatum in Cantica canticorum sponsi jungit amplexibus: quia nisi priùs relinquamus vitia, & pompis sæculi renunciemus, non possumus

possumus dicere : *Osculetur me osculo oris sui.* Hoc ordine & Philosophi sectatores erudiunt, ut primùm Ethicam doceant, deinde Physicam : & quem in his profecisse perspexerint, per Theoricam ad Theologicam usque perducant. Hoc notandum est. Titulus enim in Proverbiis adnotatur : *Proverbia Salomonis, filii David, Regis Israel.* In Ecclesiaste verò : *Verba Ecclesiastis filii David, Regis Jerusalem.* In Cantica canticorum nec filius David, nec Rex Israel sive Jerusalem præscribitur : quia ad incipientes & paterna dignitas, & regni proprium nomen sufficit : & æqualis magister est, & nescit se esse Regem. Pacificus Dei Patris, & Ecclesiastes noster Christus est, qui medio pariete destructo, & inimicitias in carne evacuans, fecit utraque unum. *Pacem meam do vobis.* De quo Pater ad discipulos : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene placuit, ipsum audite,* quia est caput Ecclesiæ.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

OSCULETUR *me osculo oris sui.* Os sponsi, inspiratio Christi. Osculum oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo sponsa desiderio æstuans, & in amplexum sponsi sui inardescens : *Osculetur me osculo oris sui.* ac si diceret : Ille quem super omnia, immo solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat : quia cùm ejus osculum sentio, subita mutatione me relinquo, & in ejus similitudinem ilico liquefacta transformor. Fastidit quippe mens sancta, &c.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

TOTA *pulcra es, amica mea, & macula non est in te.* Cùm scriptum sit : *Nemo vivit sine peccato, nec infans cujus vita est unius diei super terram* ; quid est quòd sponsa tota pulcra esse dicitur, in qua macula non habetur, *&c.* Sed dum anima à peccatis quotidianis se per pænitentiam mundat, dum quotidie peccata minora cum lacrymis abluit, & à majoribus se observat ; quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pænitentiam, munditiam suam assiduè servat, &c.

ADNOTATIO.

QUIS sit hujus Commentarii auctor, discimus ex Orderici Vitalis lib. 8 ad annum 1087, ubi agens de Monasterio sancti Vigoris, quod situm est juxta murum urbis Bajocarum, scribit Monachis inibi institutis *religiosum & sapientem* ROBERTUM DE TUMBALENIA *Patrem* fuisse præpositum : *qui inter reliqua*, inquit, *peritiæ suæ monumenta, brevem & luculentam, sensuque profundam, super Cantica canticorum expositionem dimisit in Ecclesia.* Fuerat is Monachus in Monte sancti Michaelis de periculo maris, ut scribit idem auctor ad annum 1094, profectusque tandem Romam, *à Gregorio VIII Papa detentus honorifice, usque ad mortem Romanæ fideliter servivit Ecclesiæ*, uti legitur in priori Orderici loco. Ausfridus, cui Robertus opus suum nuncupat, videtur esse Ausfridus Abbas Pratellensis, alias Aufridus dictus, cujus epitaphium refert Ordericus in loco posteriore mox citato : aut certè Aosfridus Abbas tertius Monasterii sancti Salvatoris Constantiensis.

Quis verò sit Anastasius ille, cujus rogatu id aggressus est, necdum compertum habeo. Forsan is est Anastasius, cujus Epistola de Corpore & Sanguine Domini exstat in Notis ad Vitam Lanfranci, Geraldo Abbati inscripta. Hujus Commentarii præfationem Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis JESU Theologus eruditus, eruit ex ms. codice Balernensis Monasterii Ordinis Cisterciensis in Comitatu Burgundiæ, ac nostro Acherio transmisit : quo in codice mutila est expositio à medio capite septimo Cantici canticorum.

ALGERI SCHOLASTICI

ELOGIUM

Auctore NICOLAO Leodiensi Canonico, ejus æquali.

ALGERUS Leodiensis ad ipsa infantia totum se litterarum studio tradens, sub clarissimis viris, quorum scientia & honestis moribus tunc temporis Leodiensis fulgebat Ecclesia, & Francia illustrabatur, nobiliter floruit, adeo ut nulla ei Christianæ fidei regula videretur incognita, nulla liberalium artium aliena.

Et ut de moribus ejus aliquid memoriæ tradamus ; primò in ecclesia sancti Bartholomæi Apostoli, quæ est in suburbio Leodii, Deo militavit, professione & habitu Clericus, gradu Diaconus, officio Scholasticus. Procedente verò tempore in majorem ecclesiam sanctæ Mariæ sanctique Lamberti ab OBERTO Episcopo honorabiliter translatus, & à prioribus gratanter acceptus, usque ad obitum felicis memoriæ FRIDERICI Episcopi annis fere viginti pro ecclesiasticis negotiis ad diversas personas & ecclesias multas insignes conscripsit epistolas, quæ à plerisque summo conservantur & leguntur studio.

Et quoniam ei in omni vita sua aurea mediocritas familiaris exstitit, in appetenda divitiarum excellentia prorsus ab omni ambitione alienus apparuit. Nam cùm à nonnullis Episcopis Saxoniæ seu Germaniæ ob egregiam tam in Philosophis, quàm in sacris litteris famam expeteretur, & copiosis possessionum redditibus, & magnis ecclesiasticis dignitatibus invitaretur ; privatum quem tenebat locum sublimiori prætulit, dicens illud Salomonis : *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.*

Erat autem subtilis ingenio, facundus eloquio, in consilio prudens, in dispensatione rei domesticæ diligens ; in commisso fidelis, in proposito stabilis ; &, quod his omnibus est pretiosius, æstimabatur, & erat, tam fide, quam doctrinâ Catholicus.

Antiquam dignitatem Leodiensis Ecclesiæ relatione & scriptis majorum adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam ad subsidium memoriæ scriptam posteritati relinqueret, ne quorumdam Clericorum se-

ditionibus, qui novis rebus student, aliquando labefactaretur, aut veniret in dubium, quod propter communis concordiæ bonum ad majoris Ecclesiæ spectat privilegium.

Hic itaque post obitum Friderici Episcopi cùm rebus abundaret, & firmo corpore & integris sensibus plurimum valeret; ordinatis rebus suis, nudum Christum nudus sequens, artiorem, & ideo feliciorem vitam sub sancti BENEDICTI Regula aggressus est in Cluniacensi Cœnobio, ubi nunc usque superesse dicitur non sine magno sanctæ conversationis & doctrinæ præconio.

Inter cetera ingenii sui monimenta, in Clericatu adhuc positus, duos tractatus edidit ecclesiasticis negotiis & catholicæ Fidei certè valde utiles: quorum primum intitulavit *De misericordia & justitia*, Auctoris nomine humilitatis gratia suppresso, quem tribus divisit particulis: quarum prima temperando justitiam misericordia, sufficienter agit de malorum tolerantia: secunda de ecclesiasticis peccatoribus, & eorum canonica correctione: tertia verò de his qui extra Ecclesiam sunt, & eorum sacrilega communione. Horum quatuor sunt species, excommunicati, damnati, schismatici, hæretici. Prologi ejus initium sic se habet: *Quisquis sim, non pondus vel momentum temporis, quod Jethro Moysi, pro modulo suo omnibus Catholicis.*

Alium verò tractatum edidit tanto nobiliorem, quanto sublimiorem, utpote de re mirifica & necessaria, de sacramento scilicet corporis & sanguinis Domini, de quo varii errores variæque proveniebant hæreses: quod quidem mysterium, ut in præfatione ejusdem operis invenitur, quamvis sit incomprehensibile, non tamen Fidelibus videatur incredibile, quod non humana ratione, quæ ad hoc non suppetit; sed ipsius Christi, Sanctorumque suorum testimoniis, quibus Ecclesia roboratur, affirmat & adstruit. Hoc opus in tres partes dividitur: prima expeditè agit de veritate & virtute corporis Christi, continens viginti duo capitula: secunda de ipsius sacramenti variis quæstionibus, distincta decem capitulis: tertia, quæ ad investigandum videtur difficilior, sub quatuordecim capitulis agit de ministris extra-ecclesiasticis peccatoribus, hæreticis scilicet, vel schismaticis; si vera, si rata sint, quæ celebrare videntur sacramenta, an potius vocentur & sint sacrilegia.

Complectamur igitur summo desiderio præclari ingenii opus laudabile, in quo nihil invenitur Sanctorum dictis dissonum, nihil catholicæ Fidei contrarium.



ALGERI PRÆFATIO

IN LIBRUM

De Misericordia & Justitia.

QUisquis sim, non pondus vel momentum temporis, quod Jethro Moysi, pro modulo suo omnibus Catholicis. Perpendens sanctæ Ecclesiæ statum variis erroribus variisque schismatibus concuti, pro eo quòd præcepta Canonum à pravis vel nesciuntur, vel negliguntur; à simplicioribus verò vel non suo intellectu, vel non sua discretione non capiuntur, prout votis meis adspiravit gratia, ita omnibus deduxi ad medium, ut discretione veritatis bonorum adjuvaretur devotio, & canonicæ auctoritatis evidentiâ perversorum vinceretur contentio. Quia enim præcepta canonica alia sunt misericordiæ, alia justitiæ, adeo discreta variis ordinibus, personis & temporibus, ut nec misericordia omnino remittat justitiam, nec justitia omnino dissimulet misericordiam; qui per discretionem nesciunt tam diversa temperare, putant ea sibi per contrarietatem discorditer obviare: non attendentes hunc esse modum ecclesiastici regiminis, seu indulgendo, seu puniendo, eamdem intentionem caritatis, eamdem operationem servare salutis. Ideoque canonicis regulis non canonicè utentes, sic præcepta præceptis diverberant & impugnant, ut aliquando per intemperatam justitiam suum misericordiæ locum auferant.

Quia igitur præcepta canonica variis personis, euntibus temporibus, vario ordine, varia discretione, contemperanda sunt, ut aliter hæreticus, aliter peccator; aliter subditus, aliter prælatus; sed & aliter & aliter arguendus sit quicumque varia intentione, vel operatione, vel conditione discretus; ad hæc, quantum Deus dedit, discernendum elaboravi, ut in Canonibus adeo intentionis, utilitatis, veritatis eluceret unitas, ut nullam contrarietatis discordiam pararet aliqua eorum diversitas. Cùm enim universæ viæ Domini sint misericordia & veritas: quia pœnitentibus venia, induratis debetur vindicta; quò sua discretione altera non præjudicet alteri, ipsis Canonum sacrorum auctoritatibus conatus sum exponere, prout potui, ita ut quod pium est, nonnisi justè; quod justum est, nonnisi piè dispensandum esse comprobans: non istius illi, non illius isti, sed suum cuique modum pro hæresi vel crimine, pro persona vel tempore, non confuso jure vel ordine distinguerem ad judicium vel gratiam. In tanta autem rei evidentia æqua auctoritate Sanctorum facta, sicut etiam edicta posui: quia sicut eorum præceptis obediendum est, sic etiam & facta eorum imitanda sunt. quia cùm etiam Dominus JESUS priùs cœpisset facere quàm docere; quis eos aliter credat docuisse quàm fecisse?

Tres igitur particulas divisi, ut in prima agam de gratia, quomodo scilicet, & quamdiu tolerandis malis sit exhibenda. In secunda de justitia, quo scilicet tempore, vel ordine, vel discretione contra eosdem sit exercenda. In tertia verò de variis hæresibus, quomodo scilicet in sua suorumve sacramentorum differant damnatione, aliquo modo quidem à Catholicis, aliquo autem à seipsis.

Sed quia, ut ait Augustinus ad Hieronymum, « poterit fieri, ut tibi aliud videatur, quàm habet « veritas; dum tamen abs te aliud non fiat quàm « habet caritas; » si fortè minùs discretè Sanctorum dicta distorsisse videor, ut errori meo, si quis est, nullam defendam auctoritatem; caritati tamen suam reposco vicissitudinem: ut quia fraternæ utilitatis causa hoc opusculum composui, si negligitur quid negligenter; non saltem negligatur, si quid ergo tantillus Sanctorum decretis salubriter adstruere potui. Ut enim ait Augustinus in epistola sua ad Bonifacium: Non quorumlibet disputationes, quamvis catho- « licorum & laudatorum virorum, velut scripturas « canonicas habere debemus; ut nobis non liceat, « salva honorificentia quæ illis debetur, aliquid in « eorum scriptis improbare vel respuere, si fortè in- «

» venerimus, quòd aliter senserint quàm habet ve» ritas divino adjutorio vel aliis intellecta, vel nobis. « Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. « Item Isidorus ad Mesanum Episcopum capitulo decimo. » In fine autem hujus » epistulæ hoc adjiciendum putavi, ut quotiescum» que in gestis Conciliorum discors sententia inve» nitur; illius Concilii magis teneatur sententia, cujus » antiquior & potior extat auctoritas. « Cum ergo tanti talesque viri sua vel aliorum scripta, vel etiam quorumlibet Conciliorum sententias, aliorum discretioni reliquerint examinandas vel corrigendas; quis ego sum, ut meis correctoribus succensere audeam; dum non propter me mea, si qua sunt, bona respuentes sibimet noceant? Suis ergo titulis quaslibet sententias annotare curavi, ut eis studiosis promptiores essent ad inveniendum, tardis sereniores ad intelligendum. Inter quas & quasdam quia ex abundanti admiscui, quæ & his quasi à latere subserviunt, & suis plena fronte suam vicem defenderent.

ADNOTATIO.

HOc Algeri elogium, quod Nicolaus Leodicensis Canonicus ipso Algero etiam tum superstite composuit, præfationis vice appositum est in fronte libri, quem Algerus edidit *de misericordia & justitia*, uti apparet ex codicibus mss. Clarevallensi & Albensi, in quibus refertur cum hoc titulo: *Incipit præfatio Domni Nicolai Leodiensis in libros magistri Algeri.* Superfluum fuerit hîc alia de ipso Algero adtexere, cujus præfationem in librum ipsius *de misericordia & justitia* huc retuli in prægustum futuræ ejusdem libri editionis.

ALULFI MONACHI PROLOGUS

In librum qui dicitur GREGORIALIS.

POst restaurationem Cœnobii sancti Martini Tornacensis, quæ facta est anno millesimo nonagesimo secundo Dominicæ Incarnationis, cùm ego Frater ALULFUS, ejusdem loci Monachus, beatissimi atque Apostolici Gregorii dicta sæpius lectione percurrerem, & in libris ejus legendis aliquantum intentus & avidus essem propter luculentissimam verborum ejus satisfactionem; quiddam in eis repperi sine comparatione potissimùm, quod mirabiliter meum excitavit & accendit animum. Dum enim divinus sancti viri, hoc est beati Job historiam, abstrusis multorum opacitatibus tritam, sub triplici, id est typica, morali, atque historica, studuit expositione discutere, ac repulsu ignorantiæ nubilo, in aperto cunctis luce clarius patefactione serena monstrare; pæne totam veteris ac novi Testamenti seriem rerum explanandarum necessitate coactus est exponere. Nam ubi nimis occultæ rei dilucidandæ necessitas incumbebat, ne aut obscurum, aut apud audientium animos remaneret, quod ipse non liquidissima satisfactione obscuritatis interna ad lucem videretur ciere; non solùm disertissimis verborum affectionibus quod clausum erat aperuit, sed etiam ne prolati quoque testimonii non intellecta (si forsitan mellet) rei obscuritas rei explanandæ augeret potiùs caliginem, quàm auferret; id quoque testimonium studuit additæ expositionis explanatione differere. In quibusdam namque locis in expositione etiam testimonii non solam verborum satisfactionem sufficere sibi posse judicavit, nisi alterius iterum deducti ad medium testimonii interpretatione evidenti latiùs edoceret. Actumque est ut hac occasione, sicut præfatus sum, veteris Testamenti tota pæne series occulta patesceret, quæ divinitatis adspiratione reserata, nostræ fanis esurienti superni pabuli copia satiaret.

Hujus ergo rei desiderio nimis ardenti sum provocatus. Dehinc etiam à Domno ODONE nostri Cœnobii fundatore & primo Abbate, qui postea Pontifex Ecclesiæ Cameracensi præfuit, & apud Aquicinctum sepultus requiescit, verbis sualoriis sum rogatus, quatinus testimonia de libris Salomonis de prædicti Pontificis opusculis extraherem, & de multis collecta voluminibus, uno volumine coartarem.

Quæ igitur PATERIUM, beati Gregorii discipulum, ejusdem jussu Præsulis opus simile fecisse cognoveram, cujus quidem principium super Genesim libentissimè legeram, sequentes autem libros nequaquam invenire poteram; gratanter & ardentiùs Abbatis mei hortamentum & imperium suscepi: & hujus occasione præcepti, quo valui studio, non solum Salomonis, sed etiam totius veteris ac novi Testamenti de omnibus opusculis beati Gregorii in unum testimonia congesta collegi. Quæ dum dispersè, sicut reperta fuerant, in schedis suis relata transcurrerem; licèt laboris esset non modici, uniuscujusque tamen rei testimonia, juxta quod in suis ex ordine sunt sita codicibus, per libros suos ordinando composui: quatinus studiosi lectoris desiderium ad elucidandam sibi quam velit obscuritatem, invento libri titulo quem requireret, nihil moræ vel ad parum aliquomodo præpediret. Præterea ad unumquodque testimonium, in quo opere vel in quo libro positum legeretur, in ejus tituli prænotatione signavi. Dehinc etiam, ut ex qua re ortum esset sciretur, paulo altiùs incœpi: & ut ad ipsum copiosius descendendo venirem, quædam prætermittendo transilivi; nonnulla verò transposui; quædam etiam decerpendo verbis brevioribus transmutavi. Sciendum etiam quòd in quibusdam locis, quia sic satisfactionis norma poscebat, hoc idem beatus Gregorius de eodem testimonio retexuit, quod dudum explanasse legitur. Alicubi autem quædam quæ de eo minùs pridem dixerat, inter repetita addens verba supplevit. Quod ego de jam dictis excerpens, eidem testimonio, ubi poposcit locus, inserendum aptavi: quia res non erat, quæ poni separatim utiliter potuisset, dum ex præcedentibus, quæ dicta jam fuerant, subsequentibusque penderet. Si igitur expositionis, unde hæc excerpta sunt, recurrens ordinem, plus in quibusdam operis hujus locis aliquid, quàm in textu libri positum est, minusve aut aliter repereris; scias quòd hæc causæ fecit ratio quam præmisi.

Perpendens autem quod si utriusque Testamenti

* *Al. al. ci.*

vellem in unum testimonia redacta colligere, & magnitudo voluminis normam excederet, & legentis desiderium impediret; in tribus hoc voluminibus Domino cooperante disposui, ut duo veteris, tertium novi dicta contineat. Quartum etiam, quod his tribus superaddidi, non jam testimonia sed sententias diversas & non inutiles habeat. Et quoniam hoc opus, quod in partes dividitur, ex opusculis tantòm Gregorii Papæ constat esse defloratum; justè tanti Pontificis nomine est insignitum, & à beato Gregorio nomen ei GREGORIALIS est impositum. Quicumque igitur hoc opus legerit, & in eo laboris nostri cura placuerit; humili eum obsecro prece qua valeo, ut ad Dominum pro me dignetur esse intercessor: quatinus hoc pondere corruptionis exutos, à meorum inveniri merear vinculis peccatorum absolutus. Amen.

ADNOTATIONES.

GRegorii Magni opera tanti semper fecit Ecclesia, ut in iis legendis, meditandis, colligendisque partem sapientiæ atque religionis ejus æquales & posteri collocasse videantur. Hinc ex sancti Pontificis dictis & sententiis Paterius ipsius discipulus commentarios in universam Scripturam; libros sententiarum quinque Taïus Cæsaraugustanus Episcopus contexuere: hinc sanctus Odo Cluniacensis Abbas libros Moralium in compendium redegit; idemque præstitere Adalbertus Levita, & Lathcen, uterque hactenus, si non fallor, ignotus. Prioris collectaneum Hartmanno Presbytero dicatum reperi in Bibliotheca Præmonstratensi: posterioris in codice Corbeïensi pervetusto, cum hoc titulo: *Egloga, quam scripsit* LATHCEN, *filius* HAITH, *de Moralibus Job, quas Gregorius fecit.* Defloratio sic incipit: *Inter multos sæpe quæritur*, &c.

Paterii exemplum secutus est Alulfus, qui ex scriptis Gregorianis novum vetusque Testamentum commentatus est. Is ante monachatum Clericus, Sigeri Præcentoris Tornacensis filius: diu reclamante patre tandem Odoni Monasterii sancti Martini instauratori socius adjunctus est. Dein *Armarii seu Cantoris officium* XLVII *annis tenuit: omnesque libros beati Gregorii sæpius relegens, imitatus Paterium, universas tam veteris quàm novi Testamenti sententias ab eo expositas excerpens, tres exinde codices composuit, & quartum de diversis & valde utilibus sententiis superaddidit; eisque* GREGORIALIS *nomen indidit: sicque* XLVIII *conversionis suæ anno in bono proposito vitam terminavit.* Hæc Herimannus Monachus in historia restaurationis Monasterii sancti Martini Tornacensis, quæ recèns typis edita est in Spicilegii tomo XII. Gregorialis sola secunda pars vulgata est Parisiis anno M D XVI.

Alulfi vestigiis insistens Willelmus, (ut id obiter observem) ejusdem Abbatiæ Monachus, selectas sancti Bernardi Abbatis Claravallensis sententias in communes locos scitè distribuit, opusque suum BERNARDINUM inscripsit, tametsi in editis titulus est *Flores sancti Bernardi*, absque nomine Auctoris. Id verò mihi suggessit Cisterciensis codex, in quo Willelmi Collectaneum hunc titulum præfert: *Incipit Prologus Domni* WILLERMI *Monachi sancti Martini Tornacensis in Bernardino, quem idem excepit, & compilavit de libris & dictis sancti Bernardi Claravallis.* Tum incipit Prologus: *Cum non essem alicui exercitio magnopere occupatus*, &c. Willermus sæculo XIII. floruisse videtur.



HUGONIS A S. VICTORE OPUSCULI DE STUDIO LEGENDI.

CAPUT ULTIMUM,

DE INGENIO.

MULTI sunt, quos ipsa adeo natura ingenio destitutos reliquit, ut ea etiam quæ facilia sunt, intellectu vix capere possint, & horum duo genera esse videntur. Nam sunt quidam, qui licèt suam hebetudinem non ignorent, eo tamen quo valent conamine ad scientiam anhelant; & indesinenter studio insudantes, quod minus habent effectu operis, obtinere videntur affectu voluntatis. Ast alii quoniam summa se comprehendere nequaquam posse sentiunt, minima etiam negligunt; & quasi in suo torpore securi quiescentes, eo amplius in maximis lumen veritatis perdunt, quo minima quæ intelligere possent, discere fugiunt. Unde Psalmista: *Noluerunt*, inquit *intelligere ut bene agerent*. Longè enim aliud est nescire, atque aliud nolle scire. Nescire siquidem infirmitatis est: scientiam verò detestari, pravæ voluntatis. Est aliud genus hominum, quos admodum natura ingenio ditavit, & facilem ad veritatem veniendi aditum præstitit: quibus etsi par sit valetudo ingenii, non eadem tamen omnibus virtus aut voluntas est per exercitia & doctrinam naturalem sensum excolendi. Nam sunt plerique, qui negotiis hujus sæculi & curis supra quàm necesse sit impliciti, aut vitiis & voluptatibus corporis dediti, talentum Dei terra obruunt, & ex eo nec fructum sapientiæ, nec usuram boni operis quærunt. qui profectò valde detestabiles sunt. Rursus aliis rei familiaris inopia & tenuis census discendi facultatem minuit. quos tamen plenè per hoc excusari minimè posse credimus: cum plerosque fame, siti nuditate laborantes, ad scientiæ fructum pertingere videamus. Et tamen aliud est cùm non possis, aut (ut veriùs dicam) non facilè possis discere, atque aliud posse & nolle scire. Sicut enim gloriosius est, cùm nullæ suppetant facultates, sola virtute sapientiam apprehendere: sic profectò turpius est vigere ingenio, divitiis affluere; & torpere otio.

ADNOTATIONES.

IN vulgato Hugonis Victorini opusculo, quod *de studio legendi* inscribitur, hoc caput ultimum deest; quod in ms. codice Monasterii S. Taurini apud Ebroicas aliquando deprehendi.

De Hugonis Victorini patria qui hactenus scripsere, eum origine Saxonem fuisse tradunt. Verùm potiùs accedo auctoritati veteris codicis Aquicinctensis, in quo hæc de eo leguntur: *Anno ab Incarnatione Domini* M C XLII *obiit dominus Hugo Canonicus S. Victoris*, III *Id. Febr. qui ex Iprensi territorio ortus, à puero exulavit, & hæc & plura alia sui ingenii monumenta reliquit.* Tum subditur vulgatum *Epitaphium Magistri Hugonis Theologi:*

Dormit in hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo, &c.

Hunc locum si legisset eruditus vir Aubertus Miræus, sanè correxisset id, quod ad Henricum Gandavensem adnotavit, Hugonem natione Saxonem fuisse: quin potiùs eum Belgicis Scriptoribus accensuisset pro magno patriæ suæ ornamento. Ne quis verò vetustis membranis auctoris nomine destitutis integram non habeat fidem, alium testem adhibeo, Robertum scilicet de Torinneio, Abbatem in Monte sancti Michaëlis de periculo maris, qui auctor in cap. 5 tractatus de immutatione Ordinis Monachorum agens de Parisiensi Monasterio S. Victoris, ait multos Clericos nobiles in illum locum convenisse: *Inter quos*, inquit, *Magister Hugo Lotharienfis, & scientia litterarum, & humili religione maximè effloruit.* Erat ergo Hugo *Lotharienfis*, testante auctore ejus fere æqualі, id est de regno Lotharii, quod fluvio Scaldi dividebatur à Flandria, in quâ Ipræ, atque adeo territorium Iprense, continebantur. Quapropter Robertus Lotharii regnum largè usurpasse dicendus est, eique territorium Iprense, quod conterminum erat, tribuisse.

MONITUM.

A*BO, seu Abbo, Floriacensis Abbas, hujus canonum collectionis auctor, qualis quantusque fuerit, docet Aimoinus ejus Monachus in libro de ipsius vita: quo in libro ejus necem anno* M IV. *contigisse memorat. Varias Abonis lucubrationes recenset is auctor, nempe de compoto, deque solis, lunæ, ac planetarum cursu; Collectaneum defensionis contra Episcopum Aurelianens. Apologeticum ad Hugonem & Rotberium Reges, metricam epistolam ad Ottonem Imperatorem, libellum super calculum Victorii, alium item libellum de capitulis evangelicis ad Odilonem Abbatem Cluniacensem; ad hæc complures epistolas. quibus commemoratis subdit Aimoinus in cap.* 13 Existunt & alia ad alios hujus sancti Patris scripta, quæ ne lectori fastidium generent, nunc interim tegantur per silentium. *In his omnibus nullam superioris collectionis mentionem facit; neque etiam Sigebertus Monachus de Abone ita loquens in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap.* 139. Abbo Abbas Floriacensis quantum valuerit in utraque scientia, ostendit, cùm super calculum Victorii commentatus est. *Præter canonum collectionem, omisere etiam ambo isti auctores librum de vita S. Eadmundi Anglorum Regis, cujus tamen libri, uti & prædictæ collectionis, parentem esse Abonem indubium est.*

Liber canonum, quem ex Bibliotheca collegiatæ apud Lemovicas S. Martialis ecclesiæ noster Petrus Trelius eruit, mihi visus est luce haud indignus: tum quia ad restituendas veterum canonum lectiones & lacunas non parum conducere potest: tum quia quo in statu Francica Respublica eo tempore esset, ex his canonibus facilè elicitur, quos medendis Regni malis ac infortuniis collegit Abo, & Hugoni Regi, atque Rotberto ejus filio cùm patre regnanti obtulit ante annum DCCCCXCVII. *qui Hugonis supremus fuit. Accedit, quòd nullas è suppositiciis Romanorum Pontificum epistolis collector adducat, tametsi per id tempus ejusmodi subditiciæ litteræ cæca religione admitterentur. Hæc canonum collectio inter Capitularia Regum Francorum non immeritò censeri potest: cujus inscriptio, quam ex membraneo codice fideliter exhibui, rectiùs instituenda videtur hoc modo:* INCIPIUNT CANONES ABONIS ABBATIS AD HUGONEM ET ROTBERTUM EJUS FILIUM, FRANCORUM REGES.

INCIPIUNT CANONES DOMNI ABONIS ABBATIS, ET REGIS HUGONIS, ET ROTBERTI FILII EJUS FRANCORUM REGIS, EXCERPTI DE ALIIS CANONIBUS.

PRÆFATIO.

DOminis meis gloriosissimis Francorum Regibus, HUGONI, filioque ROTBERTO, speciem gerenti dignam Imperio, humilis Floriacensium Rector ABO, perpetuæ salutis munus in Christo. Postquam divina providente clementia Regni fastigium suscepistis; ad probationis emolumentum multa infortu-

nia, occulto, sed non injusto Dei judicio, perpessi estis. Nec id ab externis gentibus, sed à Regni primoribus[a], ut vestri Imperii primordia fermentarentur. Sed quia de omnibus vos eripuit omnipotens Dominus, recordamini bonitatis & pietatis Dei: recordamini prædecessorum vestrorũ bonorum Regum; recordamini judiciorum justorum: ac semper habetote in animo, parcere subjectis, & debellare superbos. Certè, serenissimi Domini, quia vos in nostrum Ordinem benevolos comperi, capitula inferiùs scripta ex canonum legùmve libris, partim meis, partim aliorum sententiis, uno tenore digessi; & vestro nomini consecrans, postquam contra æmulos Apologetico[b] usus sum, uno tomo breviter collecta explicui: in quibus & vestri ministerii summam expressi; & qualiter vobis fidem servare debeant optimates Regni, non tacui. Ad defensionem quoque monastici Ordinis plura congessi: qui Monachorum senatum[c] semper salvum esse & volo, & volui, quorum etiam vos piissimi Defensores & Advocati[d] estis. Unde simul cum Monachis vestri ABONIS misereamini, ut det vobis Deus suam invenire misericordiam hîc & in perpetuum cum Regibus sanctis. Valete.

CAPITULA.

I. *De honore Ecclesiarum vel Monasteriorum.*
II. *De Defensoribus Ecclesiarum.*
III. *De ministerio Regis.*
IV. *De fidelitate Regis.*
V. *De privilegiis Ecclesiæ & possessionum ejus.*
VI. *De præceptis regalibus vel imperialibus.*
VII. *De differentia testamentorum & precariæ.*
VIII. *De eo quod necessitas excludat leges & canones.*
IX. *De differentia legis & consuetudinis.*
X. *De eo quod Sacerdotes mandatum ad gentem extraneam non mittant.*
XI. *De Clericis electis ab ædificatoribus Ecclesiarum.*
XII. *De ordinatione vel degradatione Presbyterorum.*
XIII. *De eo quod absque pecunia Episcopi debeant ordinari.*
XIV. *De electione Abbatis.*
XV. *De Ordinatione Abbatis, & de accessu Episcopi ad Monasterium.*
XVI. *De Abbate, quòd Sacerdos esse debeat.*
XVII. *De accusato Abbate quid agendum sit.*
XVIII. *De Monachis & Sanctimonialibus, ut regulariter vivant.*
XIX. *De Abbate ad Regem pertinente.*
XX. *De Rectore Floriacensi.*
XXI. *De sacerdotio Monachi.*
XXII. *De Monachis non servantibus propositum.*
XXIII. *De Clericis qui Monachi fieri volunt, & de insolentia Episcoporum in Monachos.*
XXIV. *De Clericis qui propter vanitatem efficiuntur Monachi.*
XXV. *De possessionibus Ecclesiæ, in quibus Clerici ædificant.*
XXVI. *De Sanctimoniali vel Monacho in jus vocato.*
XXVII. *De his quæ offeruntur Ecclesiis.*
XXVIII. *De Episcopis invasoribus prætermissa Synodo.*
XXIX. *De tricennali præscriptione.*
XXX. *De dote Ecclesiarum.*
XXXI. *De Episcopo quid habere debeat de Ecclesia.*
XXXII. *De rebus Ecclesiæ & de proximis fundatorum ejus.*
XXXIII. *De provisione suffragiis Episcoporum.*
XXXIV. *De indigentia eorum qui res suas obtulerunt Ecclesiæ.*
XXXV. *De avaritia Sacerdotum.*
XXXVI. *De injuste excommunicatis.*
XXXVII. *De Ecclesiis & earum Presbyteris.*
XXXVIII. *De eo quod Episcopus tertiam partem Ecclesiæ potest dare cui voluerit.*
XXXIX. *De sanctitate vitæ Clericorum.*
XL. *De filiis Sacerdotum, vel ministrorum.*
XLI. *De rebus Ecclesiæ dispensandis.*
XLII. *Ut nullus Episcopus sibi eligat successorem.*
XLIII. *De Eucharistia.*
XLIV. *De accusatoribus Sacerdotum.*
XLV. *De Episcopis in judicium testimonii causa evocatis.*
XLVI. *De his qui contra Episcopum habent causam.*

a *Regni primoribus.*] De his primoribus, qui Rotberto Regnum ineunti infesti fuere, agit Glaber Rodulfus in Historiarum lib. 3. cap. 2.

b *Apologetico usus sum*] Istius apologetici fragmenta refert Aimoinus in cap. 2 & 9 de Abonis vita, & Baronius initio XI tomi Annalium. In hoc opere purgat se auctor ab æmulorum calumniis, qui etiam ejus vitæ insidiabantur: ipsumque opus nuncupavit Hugoni & Rotberto Regibus, quos ad hæreticam pravitatem, maximè simoniam, è regno suo propellendam cohortatur. *Ad ulteriùs*, inquit Aimoinus, *sui non ignorans multis displicere scripta, Regibus se se commendat, præcipue Domno Rotberto, quem scientem litterarum, ac idcirco diligentem fore noverat studiosorum scribens in hæc verba: „ Præterea Dominos meos cum „ familiariter alloquens bonis studeo, multorum animos scio „ contra me concitare, juxta illud Comici,* Obsequium amicos, „ veritas odium parit. *De quorum animositate non multum „ moveor, dulce decus meum* ROTBERTE, *quem atavis Re„ gibus editum divina pietas perduxit ad Regni fastigium*, „ &c. " Ubi Abo Horatium imitatus, Rotbertum *atavis editum Regibus* prædicat: quòd Glaber Rodulfus explicat in lib. 1. cap. 2. & sequentibus, ac initio lib. 2. fusius V. Cl. Hadrianus Valesius in notis ad Carmen Adalberonis Episcopi Laudunensis. Ad hæc Carolus, cognomento Simplex, in litteris Utrecensi Monasterio concessis, Hugonem Comitem, qui Rotberti avus fuit, *consanguineum* suum vocat. Ceterùm etsi Rotberto Regi tantopere acceptus erat Abo, eum tamen ob illicitam cum Bertæ copulam increpare non dubitavit, teste Helgaldo Monacho in libro de vita Rotberti: nec ea libertas piissimi Principis animum ad iracundiam, sed ad pœnitentiam provocavit.

c *Monachorum senatum salvum esse volo*] Hinc traducendi vexandique Abonis materiam arripuere conjurati Monachorum ejus temporis osores, uti Abo ipse in Apologetico conqueritur apud Aimoinum. *Corrodit, me,* inquit, *canino dente æmulorum supplantatrix calliditas, circumlatrat adversariorum frequens acerbitas. nec aliud contra me immurmurant, nisi quòd Monachorum senatum salvum esse velim. Nostra Reipublicæ augmentum quæsivi, ac cavillationi insidiantium auctoritate qua valui contradixi. Nec abscondi omnino misericordiam & veritatem à consilio multo. Pro hujusmodi mihi meo insidiantur sanguini; me succenturiatis insequuntur odiis, adeo ut nec regia majestas eos deterreat, quin me clanculum insidient, si eis locus tempusve arrideat.* Rem facto probat Aimoini liber de Abonis vita cap. 8.

d *Defensores & Advocati estis.*] Quanto studio in S. Benedictum ejusque Ordinem affectus fuerit Hugo Rotberti pater, testatur Helgaldus Monachus, qui morientis Hugonis extrema ad Rotbertum filium verba refert, *spectabiliter inculcantis, ut nullo pacto ducem omnium Patrem Benedictum à se divelli pateretur.* Propensam hanc in S. Benedictum voluntatem testatus est Hugo, cùm non solùm pleraque Monasteria, pridem à sæcularibus occupata Canonicis, restituit Monachis; sed etiam liberam eligendorum Abbatum potestatem. Hugonis studium imitatus est Rotbertus, qui *Patri Benedicto & suis semper fuit addictissimus præcordiis*, inquit Helgaldus. adeo ut Adalbero Laudunensis Episcopus, poëtica usus licentia, id Regi exprobraverit.

I.

De honore Ecclesiarum & Monasteriorum.

Ecclesia quæ est templum Dei vivi, quo honore habenda sit, testatur ipse Dominus in Evangelio quo dicit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (*Matt. 16, 18.*) Quia igitur ipsa est oratorium, de quo beatus Pater Benedictus dicit, (*S. Benedict. Reg. cap. 52.*) » Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quidquam » aliud agatur aut condatur; » providendum est, ne cui Christus fundamentum est, in usus sæcularium transferatur propter rapinas suarum rerum. quia perhibentur Christiani intus vel foris violentiam ingerere atriis domus Dei. Unde Theodosius & Valentinianus Augusti libro nono legum, capitulo XXXIIII, Antiocho præposito: (*Cod. Theod. lib. 9. tit. 45.*) » Pateant, inquiunt, summi Dei templa timentibus, nec sola altaria & oratorium templi circumjectum, quæ * ecclesias (* *al.* qui.) quadripertito intrinsecus parietum sæptu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita: sed usque ad extremas fores ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse præcipimus; & aditum pariter templi, quem parietum descripsimus cinctu. Et post loca publica januas primas ecclesiæ quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis & balneis, areis atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendo eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere: neque * ausus sit, (* *al.* ne qui hoc.) cùm discrimen suum videat, ad expendendam opem ipsi quoque confugiant. Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo & sacro-sanctis altaribus confugientium quemquam mane vel vespere cubare vel pernoctare liceat, ipsis hoc Clericis religionis causâ vetantibus. «

Interpretatio. Ecclesiæ sunt loca Deo dicata. Et ideo reos, qui ibidem compulsi timore confugerint, ita tueantur, ut nullus locis sanctis ad direptionem rerum vim aut manus afferre præsumat: sed quidquid spatii vel in porticibus, vel in areis ad ecclesiam adjacentibus pertinet; velut interiora templi præcipimus custodiri, ut reos timoris necessitas non constringat circa altaria manere, & loca venerabilia polluantur. Sanè si qui ad sancta loca confugerint, arma si qua secum portaverint, mox deponant: nec se æstiment magis armorum præsidio, quàm sanctorum locorum veneratione defendi. Quòd si deponere arma noluerint, & Sacerdoti vel Clericis non crediderint, sciant se armatorum viribus pertrahendos. Si verò aliquis extrahere de locis sanctis quemlibet reum quacumque ratione temptaverit, capitali supplicio esse damnandum.

II.

De Defensoribus Ecclesiarum vel Monasteriorum.

Defensores ecclesiarum qui dicuntur hodie, contra auctoritatem legum & canonum sibi defendunt quod fuerat juris ecclesiarum: sicque violentiam Clericis & Monachis ingerendo, res ecclesiarum seu Monasteriorum usufructuario diripiunt, colonos in paupertatem redigunt, possessiones ecclesiarum non augent, sed minuunt: & quorum defensores esse debuerant, eos vastant. Patet rerum copia cunctis hostibus prædæ, nec parant saltem vel verbis obviam ut resistant. qui se putant non jam Advocatos, sed dominos: dum post abscessum hostium, consumunt quidquid fuerit residuum, juxta illud propheticum: *Residuum erucæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit locusta.* (*Joel. 1. 4.*) Denique ideirco videmus ecclesias destructas, Monasteria quædam diruta, quædam ad summam inopiam redacta, quæ bonorum virorum eleemosynâ aliquando floruerunt in magna gloria: quia multi se ultro offerentes sub advocationis obtentu, de possessionibus, de reditibus, de oblationibus maximam portionem intercipiunt, quam Ecclesiastici capere debuerant. Unde ut talis præsumptio cessaret, ita cautum est in Concilio Affricano capi. LXIIII. » Placuit etiã ut petant ex nomine provinciarum omnium legati perrecturi, Vincentius & Fortunatius, à gloriosissimis Imperatoribus, ut dent facultatem defensores constituendi scholasticos, qui in actu sunt vel in munere defensionis causarum: ut more Sacerdotum provinciæ id ipsi, qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda ingredi judicum secretaria. «

III.

De Ministerio Regis.

Quale ministerium Regis sit, & ipse sui officii nomine prodit, & totius Regni suscepta cura innotescit: nec magis ulla sententia animum Regis ad bene agendum subrigit, quàm diversorum Principum clementia proposita sub exemplis. quia & Constantini Imperatoris mansuetudo laudatur inter dissidentes Episcopos, & Marciani pura fides inter hæreticos & orthodoxos. Sed de externis quid loquor, & loquendo immoror? cùm ad dispensationem Reipublicæ & utilitatem ecclesiarum tanta fuerit pietas ac prudentia Caroli, & filii ejus Hludovici. Certè utrique pro tempore ac ratione noverant parcere subjectis, & debellare superbos. Unde ex libris, qui ex Conciliis sui temporis effecti sunt cum subjectione Episcoporum, quanta facile est reperiri, expressum libro II cap. 1. post aliqua. (*Concil. Paris. VI. lib. 2 c. 1.*) » Justitia Regis est, neminem injustè per potentiam opprimere; sine acceptione personarum inter virum & proximum suum judicare; advenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & perjurantes vivere non sinere, ecclesias defensare; pauperes eleemosynis alere; justos super Regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere; magorum & ariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere; iracundiam differre, patriam fortiter & justè contra adversarios defendere; per omnia in Deo vivere; prosperitatibus non elevare animum, cuncta adversa patienter ferre; Fidem catholicam in Deum habere; filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibum. *Væ enim terræ, cujus Rex est puer, & cujus Principes mane comedunt.* (*Eccli. 10. 16.*) Hæc Regni prosperitatem in præsenti faciunt, & Regem ad cælestia regna meliora perducunt. «

I V.

De fidelitate Regis.

CUm Regis ministerium sit totius Regni penitus negotia discutere, ne quid in eis lateat injustitiæ; quo modo ad tanta poterit sublistere, nisi annuentibus Episcopis & primoribus regni? Et cùm Apostolus dicat, *Deum timete, Regem honorificate*; qua ratione sui ministerii vices exercebit in contumacium perfidia, si ei primores Regni auxilio & consilio non exhibeant debitum honorem cum omni reverentia? Ipse enim solus non sufficit ad omnia Regni utilia. Idcirco partito in alius onere, quos dignos credit honore, honorandus est & ipse sincera devotione, ne quis ei contradicat quomodocumque: quia *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Siquidem ut melius est non vovere, quàm pòst votum non reddere: ita melius est electioni Principis non subscribere, quàm post subscriptionem electum contemnere vel proscribere. quandoquidem in altero libertatis amor laudatur, in altero servilis contumacia probo datur. Tres namque electiones generales novimus, quarum una est Regis vel Imperatoris, altera Pontificis, tertia Abbatis. Et primam quidem facit concordia totius Regni, secundam verò unanimitas civium & Cleri; tertiam sanius consilium cœnobialis congregationis. Et unaquæque non pro sæcularis amicitiæ gratia vel pretio, sed ad suam professionem pro sapientia vel vitæ merito. Porro ordinatus Rex ab omnibus subditis fidem sibi sacramento exigit, ne in aliquibus Regni sui finibus discordia generari possit. Hinc habes scriptum in Concilio Toletano cap. LXXV. « Post instituta quædam ecclesiastici ordinis vel decreta, quæ ad quorumdam pertinent disciplinam; postremò nobis cunctis Sacerdotibus sententia est pro robore nostrorum Regum & stabilitate gentis, pontificale ultimum sibi Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium, ut fama est, tanta exstat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam Regibus suis servare contemnant, & ore simulent juramenti professionem, dum retinent mente perfidiæ impietatem. Jurant Regibus suis, & fidem quam pollicentur, prævaricant: nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio super eos, qui jurant in nomine Domini mendaciter. Quæ igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? quæ fides ultrà cum aliis gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ in hostibus jurata sponsio permanebit, quando nec ipsis propriis Regibus juratam fidem conservant? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu propria desecet? Illi, ut notum est, immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos suosque Reges proprias convertendo vires. Et cùm Dominus dicat, *Nolite tangere Christos meos*; & David, *Quis*, inquit, *extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* illis nec vitare metus est perjurium, nec Regibus suis inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. id est si bello fides valet, quanto magis in suis servanda est? Sacrilegium quippe est, si violetur à gentibus Regum suorum promissa fides: quia non solùm in eis fit pacti transgressio, sed & in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipsa promissio. »

1. Pet. 2.17. — *Rom. 13. 12.* — *Conc. Tol. IV. c. 75.* — *Psal. 104. 15.* — *1. Reg. 26.*

V.

De privilegiis.

ROmanæ & Apostolicæ Sedis auctoritas Christo Domino propitiante refulget per universalem totius orbis Ecclesiam. nec mirum, cùm ejusdem Sedis Pontifices beati Petri, qui Princeps est totius Ecclesiæ, videantur vices gerere. A Christianis quoque Imperatoribus hanc eamdem obtinuerunt singularitatis excellentiam, ut fundatis episcopalibus ecclesiis, virorum seu Sanctimonialium Monasteriis, legem quam semel sub excommunicationis anathemate imposuissent, numquam, nisi necessitas impediret, deinceps perderent. Unde ita habes scriptum in Concilio Nicæno capl. VI. « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis. » Item Gregorius Johanni Episcopo, « Grave nimis & contra sacerdotale constat esse propositum, cujusquam Monasterii privilegia olim indulta confundere, & ad irritum quæ sunt pro quiete disposita, niti deducere. Questi itaque sunt nobis Monachi tuæ diœceseos, quia suo Monasterio quædam contra ea quæ à prædecessoribus vestris permissa, ac longa consuetudine servata sunt, festinetis inducere. & antiquam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare. Proinde de his fraternitatem vestram hortamur affatibus, ut, si ita est, ab ejus se molestia sine aliqua excusatione contineat, & quæ ei sunt diutius custodita, nullius occasionis temptet usurpatione convellere: sed cuncta illibatè & sine ulla studeat refragatione servare; & plus sibi in eodem Monasterio, quàm prædecessoribus suis licuit, noverit non licere. » Item in legibus capl. o x. « Possessiones ad religiosas domos pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad constructionem viarum vel pontium ædificationes: ita tamen, si habuerint possessiones intra territorium constitutas illius civitatis, in qua desideratur descriptio. Habeant autem immunitatem, sordidis muneribus extraordinariis, & lucrativorum descriptione. »

Greg. lib. 7. ep. 33. Ind. I.

V I.

De preceptis regalibus vel imperialibus.

GLoriosissimorum Regum potentia stabile firmumque esse voluit, quidquid verbo vel opere præcipiendo constituit, maximè quod ad utilitatem Ecclesiæ suorum procerum suggestionibus ratum esse judicavit. Quapropter qui præceptis regalibus contradicit, se Regem non diligere, nec timere ostendit: præsertim cùm priscorum virorum fulcitur assertione, quam authenticam non ignorat esse. Nam Dominus dicit: *Si quis diligit me, sermones meos servabit*. Qui ergo Regem odit, odit præceptum illius; sermones etiam irreprehensibiles reprehendere quærit. Sed unde hoc contingit, nisi ex nimia mansuetudine Regis? Omnia enim nimia nocent. Propterea denique jubemur habere simplicitatem columbinam ac serpentinam astutiam: ne ad utramque partem sit vehementior animus, qui nescit servare modum plus æquo anxius. Siquidem non de imperiali præcepto, sed de indiculis epistolarum suarum hoc CAROLUS proposuit edictum in libro IV capitul. suorum. « Si quis litteras nostras despexerit, id est tractatoriam, quæ propter Missos recipiendos dirigitur; aut honores quos habet, amittat; »

Joan. 14. 23.

aut

» aut in loco in quo prædictos Missos suscipere de- » buit, tamdiu resideat, & de suis rebus legationes » illuc venientes suscipiat, quo usque animo nostro » satisfactum habeat. Qui verò epistolam nostram » quocumque modo; jussu nostro ad palatium ve- » niat, & ad voluntatem nostram congruam stulti- » tiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber, » id est ministerialis Comitis, hoc fecerit, hono- » rem, qualemcumque habuerit, sive beneficium; » amittat: & si servus, nudus ad palum vapulet, & » caput ejus tondeatur.

V I I.

De differentia testamentorum, & precariis.

QUoniam testamentorum alia fiunt dotis nomine. alia hereditatis donatione, alia de rebus ecclesiæ, quas abalienari est difficile, & dicuntur precariæ. Exceptis his, sunt præcepta regalis, id est imperialis, jussionis auctoritate roborata, quibus consentiunt Romanorum Pontificum privilegia sub excommunicationis anathemate decreta. At verò precariæ, quæ ex conventione fiunt, & precibus obtinentur, aliæ sub quolibet personis censualiter retinentur usu fructuario; aliæ per commutationis emphyteosim, id est contractum: quæ fit eo modo, quo habetur in libro Conciliorum tertio[e] capl. XXII. » Præcariæ à » nemine de rebus ecclesiasticis fieri præsumantur, » nisi quantum de qualitate conventi[*] datur ex pro- » prio, duplum accipiatur ex rebus ecclesiæ, in suo » tantùm qui dederit nomine, si res proprias & ec- » clesiasticas usu fructuario tenere voluerit. Si autem » res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus eccle- » siasticis fructuario usu in suo tantùm quis nomine » assumat: quia sic eas quemcumque tueatur opor- » tet, ut alienarum dispensatorem, non propriarum » largitorem. Et à nulla potestate quis cogatur face- » re precariam de rebus Deo & Sanctis dicatis: cùm » ratio & usus optineat, nemiuem qui non vult, » contra utilitatem & rationem præstuum de proprio » facere beneficium. Præcepta autem regalia super » præcariis ecclesiasticis fieri; nec ratio sinit, nec au- » ctoritas quolibet modo permittit: quoniam præ- » cepta in jure ecclesiastico firmare indignum judi- » cet necesse est majestas regia, nisi ab ecclesiastico » Rectore pecantur. Iisdem autem custos Ecclesiæ » sollertissimè caveat, ne sui ordinis & ecclesiasticæ » communionis fortè immemor, contra auctorita- » tem præceptum regium pro quacumque assentatio- » ne fieri petat. qui etsi fecerit, non audiatur: si au- » tem & optinuerit, regia discretione & episcopali » judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro » Principis injusta suggestione dignè corripiatur.

[*] al. convenienti.

V I I I.

De eo quòd necessitas excludit leges & canones.

ECclesiasticæ regulæ, quas Græci canones vocant, à sanctis Patribus sunt inventæ idcirco, ut absque ullo erroris anfractu per justitiæ semitam gradiamur. Nec differt qua canonum institutione quis imbuatur ad competentem Christianæ fidei professionem, dum tamen inoffenso vestigio viam veritatis ingressus, per ducatum Evangelii non recedat à divinis oraculis. Non enim omnis inventio necessitatem comitatur, ut alio modo, fieri impossibile sit, quod aliquis utiliter invenit. Sicut in Concilio Affricano plura tractat Osius Cordubensis ad placitum, quæ libenter suscipit Ecclesia pro verissima institutione canonum. Unde considerandus est terrarum situs, qualitas temporum, infirmitas hominum, & aliæ necessitates rerum, quæ solent mutare regulas diversarum provinciarum. Potestate etiam multa mutata sunt pro communi utilitate ecclesiarum, quæ nemo reprehendit Fidelium. Et quid mirum? cùm nonnumquam inveniantur canones sibi contradicentes: & quod in altero Concilio præcipitur, in altero prohibetur. nec enim id frustra factum existimant, qui pro temporalis vitæ commodo numquam cupiunt declinare à virtute ad vitia, nec à veritate ad mendacium. Nam in decretis Pontificum eadem ratio exsistit, quorum tanta auctoritas est, ut sententiæ plurimorum unius Romani Pontificis exspectent judicium. Semper igitur in talibus præponderat utilitas & honestas, non illecebrosa, quam sancti viri fugiunt, desideriorum voluptas. Sed ne incassum talia dicere videamur, exempla proponimus. Transmigratio Episcoporum prohibita est in Nicæna & Calchedonensi Synodo: necessitate vel utilitate concessa est in Antiocheno Concilio. Et necessitate quidem propter frigus scilicet, quod ejus debile corpus ferre non poterat, Silvanus ab Attico ex Philippopoleos in Trojam mutatus est. Potestate quoque Romani Pontificis Perigenes in Petris ordinatus est Episcopus, nec[*] receptus inthronizatus in Corinthio, defuncto ejus Episcopo. Nec de his mirandum, cùm odio habendam Christus docuit, quam Apostolus uxorem nos diligere præcepit. Gregorius quoque ab aliis Episcopis damnatos suæ auctoritatis privilegio pristinis gradibus reformabat, Episcopus nuvat, successores Episcopis dabat. Salonitanæ civitatis Episcopum, nomine Maximum, quia pecuniis ordinatus simoniacam hæresim incurrerat, Gregorius excommunicavit. qui excommunicatus Missas celebravit; tamen post VII annos pænitentiâ ductum suæ sedi restituit, & pallio donavit, accepto sacramento de interdictis super corpus sancti Apollinaris.

[*] f. necnon.

Greg. lib. 3. epist. 20.

lib 7 epist. 82. Ind. II.

I X.

De differentia legis & consuetudinis.

SIcut Rex à regendo dicitur, ita & lex à legendo. Quapropter legum promulgatio Regum edictis extenditur, & unusquisque infra sui Regni fines Imperium Christianum pietate exsequitur. Cui consuetudo paret: quæ si publicis utilitatibus non impeditur ipsa pro lege succedit. Nam Cicero in Rhetoricis harum similitudinem ac differentiam ita definitione pandere non supersedit. » Consuetudinis jus esse pu- » tatur id, quod voluntate omnium sine lege vetu- » stas comprobarit. » Jura verò legitima ex legibus » cognosci oportebit, & à vulgari intelligentia remotiora sunt: ad similitudinem verò aliquam, aut ad rem amplificandam sæpe sunt inferenda. Quocirca si bene memini, lex & mos species sunt juris. Nam lex est Principum constitutio scripta: mos verò consuetudo vetustate probata, nec tamen scripta. At vetustas adeo sibi consentit in malo, ut morum disciplinam nullus velles aliquando? Sed hoc numquam gentium didicimus, omnibus hominibus bonum naturæ etiam malè agendo amantibus. Omnes igitur homines bonis legibus, aut bonis moribus uti necesse est. Porro quosdam comperimus, qui nec bonis moribus per consuetudinem, nec ullis le-

Cic. lib. 2. de invent.

e *in libro Conc tertio.*] Id habetur in cap. 22. Concilii Meldensis anno DCCC XLV. habiti, quod decretum ex capitulis Synodi Belvacensis desumtum est, relatum à Reginone in lib. 1. de ecclesiasticis disciplinis cap. 363, a Burchardo item & Gratiano. Cùm verò ex libro Conciliorum tertio id citet Abo, innuit fortasse Concilium Meldense suo tempore in codicibus mss. habuisse rationem libri tertii inter Concilia, quæ à Caroli Calvi principatu ad eum annum celebrata fuerant.

gibus se subditus arbitrentur : & qui sine lege vivunt, sine lege peribunt.

X.

De eo quòd Sacerdotes mandatum ad gentem extraneam non mittant.

Conc. Tolet. IV. c. 30.

EX Toletano Concilio cap. xxx. Confinitimi hostium Sacerdotes, præter eos qui regia potestate licentiam acceperunt, qoodlibet ad gentem extraneam mandatum occultè accipere vel dirigere nun præsumant. Qui autem deprehenditur atque convincitur, denunciatus Principi apud Concilium, magna animadversione & condigna moltabitur.

XI.

De Clericis electis ab ædificatoribus venerabilium locorum, vel heredibus eorum.

IN legibus cap. ccccLVI. Si quis oratoriam domum ædificaverit, & ipse vel heredes ejus Clericos in ipsa domo consecrare maluerint ; sumptus administrantes ejusdom domûs audiantur, si dignos nominaverint Clericos : sio autem illi tales sint, ut divinis canonibus non comprobentur, ad Episcopum pertinebit alios Clericos idoneos eligere.

XII.

De ordinatione vel degradatione Presbyterorum.

Hispal. Conc. II. c. 6. ** al. Compertimus Fragitanum Cordubensis Ecclesiæ.*

EX Hispalensi Concilio cap. v.·. * Ecclesiæ Presbyterum à Pontifice suo injustè olim dejectum, & innocentem exilio condemnatum, quem rursus per subscriptiooem nostram decrevimus, ut justa priscorum Patrum synodalem sententiam nullus virorum sine Concilii examinatione dejicereo dum quemlibet Presbyterum vel Diaconum audeat. Nam multi sunt qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canooica damnant ; & sicut nonnullos gratiæ favore sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant, & ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimina non approbant. Episcopus enim Sacerdotibus ac ministris solus bonorem dare potest, auferre non potest. Si enim hi qui in sæculo à domiois suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutis nexum non revolvuntur, nisi publicè apud proceres tribunali foro fueriot accusati : quanto magis his qui divinis altaribus consecrati hunore ecclesiastico decorantur ? Qui profectò oec ab uno damnari, nec unu judicante poterunt honoris sui privilegiis exui : sed præsentati synodali judicio, quod canoo de illis præceperit definiri.

XIII.

Ut nullâ pecuniâ [f] datâ Episcopi ordinentur.

EX libro legum [g] cap. cccc xxx. Ante omnia illud observari sancimus, ut nemo sub præstatione auri vel alterius rei Episcopus consecretur. Quòd si tale aliquid admissum fuerit, seipsos & suas animas perdunt hi qui pecunias accipiont vel præstant ; & mediatores earum secundùm divinas regulas & sacros canones condemnationi sobjiciuotur. Eapropter hoc & qui dat, & qui accipit, & qoi mediator factus est, sacerdotio vel clericatûs honore removeatur. Quod pro ea causa datum est, ecclesiæ vindicetur illi, cujos voluit sacerdotium emere. Si aotem laïcos erit, qui pro hac causa aliquid accepit, vel mediator rei factus est ; ea quæ data sont, in duplum ab eo exigantoc, ab ecclesia vindicanda. Non solùm aotem ea quæ data sunt, vindicari præcipimus ; sed & omnem cautionem, & omnem aliam qoalemcumque actionem cessare sancimus : ut ille qui promissionem accepit, non solùm cautionem reddere, sed & aliud tantom, quantum, cautio continet, cooveniat Ecclesiæ dare.

Item ex Concilio Calcbedonensi cap. II. Si quis Episcopos per pecuniam fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam qoæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in Clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, vel quemquam qoi subjectus est regulæ ; pro suo turpissimo lucri commodo, is qui hoc adtemptasse probatos fuerit, proprii gradus periculo subjacebit : & qui ordinatos est, nihil ex hac ordinatione vel promotiooe, quæ est per negotiationem facta, proficiat ; sed sit alienus à dignitate vel sollicitudine, qoam pecuniis quæsivit. Si quis verò mediator tam torpibus & nefandis datis, vel acceptis extiterit ; siquidem Clericos fuerit, proprio gradu decidat : si verò laïcus au Monachus, anathematizetur.

XIV.

De electione Abbatis.

IN legibus cap. cccc LXXX. Restat ut de Monachis dicamos. Igitur sancimus, ut Abbas sive Archimandrita in singulis Monasteriis præponator, non secundùm gradum Monachorum, sed quem cuncti Monachi, vel melioris opinionis constituti elegerint : propositis sanctis Evangeliis diceotes, quòd non propter amicitiam, vel gratiam, sed scientes eum fidei rectæ & vitæ castæ, & administratione dignum & potentem ad Monachorum disciplinam & omnem Monasterii statom utiliter custodire, cum elegerint. Et si sic electus fuerit, modis omnibus confirmetor ab Episcopo, cui Mooasterium subjectom est. Quæ autem de Monasteriis Monachorum diximus, eadem teneant & in Monasteriis & Architeriis mulierum.

XV.

De Abbatis ordinatione, & de accessu Episcopi ad Monasterium.

Greg. lib. 7. ep. 18. Indict. 1.

GREGORIUS Mariniano Episcopo Ravennæ. Quàm sit necessarium Monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetoa securitate tractare, antè actom vos officium, quod in regimine Monasterii exhibuistis, informat. Et ideo quia Monasterium beatorum Joannis & Stephani, quod in Clasitana civitate est constitutum, cui communis filius CLAUDIUS Abbas præesse dignoscitur, multa à decessoribus vestris præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimos ; oportet

f *Ut nulla pecunia.*] Grassabatur per id tempus simoniæ crimen, in qaod stilum exeruere Abo ipse ad Bernardum Abbatem Bellilocensem apud Aimoinum in ipsius vita cap. 10, & Glaber Rodulfus in Historiarum lib. 2. cap. 6, aliique eorum temporum auctores : quibus prævit Gerbertus in sermone superiùs edito, ubi malum hoc suo ævo revixisse, hoc est invaluisse, conqueritur. Lege Liutprandum Ticinensem Diaconum in Historia sui temporis.

g *Ex lib. legum.*] Harum legum nomine Abo intelligit librum Novellarum : is verò locus habetur in Novell. 6. cap. 8, & Novel. 123. cap. 8.

ut fraternitatis vestræ provisio eorum de futura quiete salubri ordinatione disponat: quatenus conversantes illic in Dei servitio, ipsius quoque gratia suffragante, mente libera perseverent. Sed uoex ea quæ magis emendanda est, consuetudine quisquam illic quolibet tempore quicquam molestiæ præsumat inferre; necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimos, ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Nullus igitur ultrà audeat de reditibus, rebus, vel chartis dicti Monasterii, vel de locu aliquo, qui ad eum pertinet, quocomque modo, qualibet excusatione minuere, nec machinationes dolosas aliquas facere: sed si qua forte caosa inter Ravennatem Ecclesiam & prælatum Monasterium evenerit, & pacificè non potuerit ordinari; apud electos à partibus timentes Deum, sine voluntaria oblatione medius sacrosanctis Evangelus finiatur. Defuncto verò Abbate, non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate congregatio elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Neque venienti Abbati quæcumque persona qualibet occasione in suo Monasterio opponatur, nisi forte exstantibus criminibus, (quod absit) quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, ut invito ejusdem Monasterii Abbate ad ordinanda alia Monasteria, aut ad Ordines sacros vel ad Clericatus officium tolli exinde Monachi non debeant: sed si abundantes fuerint, qui ad celebrandas Deo laudes, vel utilitates Monasteriorum complendas sufficerint, Abbas com devotione de his qui supersunt, offerat, quos dignos eorum putaverit. Quod si sofficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas Episcopos ad ordinanda alia Monasteria de his qui supersunt, tollat: ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem Abbas loci admonitus propria voluntate optulerit. Quisquis autem ex prædicto Monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem aliquam, nec liceotiam habeat habitandi. Observandum est quoque, ut descriptio rerum aut chartarum ejusdem Monasterii ab Ecclesiasticis fieri non debeat, si quando res exigit: sed Abbas loci cum Abbatibus aliis rerum inventarium faciat. Quoties autem pro utilitate sui Monasterii ad Pontificem Romanum Abbas venire vel transmittere fortè voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cùm Episcuporum adventus desideranter à Monasteriis debeat exspectari; quia tamen hospitandi occasione prædictum Monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nunciatum est prægravatum, oportet, ut hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, ut visitandi exhortandique gratiâ ad Monasterium, quoties placuerit, ab ejusdem civitatis Antistite accedatur; sed sic caritatis officium illic Episcopos impleat, ut gravamen aliquod Monasterium non incurrat. Vestram verò fraternitatem prædictus Abbas non metuit ad Monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscit, sciens quòd per vos substantia Monasterii omnino gravari non possit.

Et rursus eidem in alia epistola post aliqua. » Hortamur ut omni mora omnique excusatione summota, ita Monasteria Ravennæ à vestru vestrorumque Clericorum studeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis Clerici, vel hi qui in sacro Ordine sunt constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causâ, accedendi licentiam: aut si forte ad peragenda sacra Missarum fuerint invitati mysteria. Sed ne vel procujoslibet Monachi aut Abbatis promotione, onus aliquod fortasse sustineant, studendum vobis est, ut si quispiam Abbatum aut Monachorum ex quocumque Monasterio ad Clericatus officium vel Ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam (ut diximus) habeat ulteriùs potestatem, ne Monasteria hujus occasionis velamine, ea quæ prohibemus sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam secundò commonita sanctitas vestra non differat. *Lib. 6. ep. 40.*

Item Gregorius Johanni Episcopo de Urbe vetere. » Agapitus Abbas Monasterii sancti Georgii insinuavit nobis plurima se à vestra sanctitate gravamina sustinere, & non solùm in his quæ necessitatis tempore aliquod Monasterio possint ferre subsidium, verùm etiam in eodem Monasterio Missas prohibeatis celebrari: sepeliri etiam mortuos interdicas. Quod si ita est, à tali vos hortamur inhumanitate suspendi, & sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Missas nulla ulteriùs habita contradictione permittas: ne denuo querelam de his quæ dicta sunt, prædictus vir venerabilis deponere compellatur. *Lib. 1. ep. 12.*

XVI.

De eo quòd Abbas Sacerdos esse debet.

EUGENIUS Papa [h] cap. XXVII. Abbates per Monasteria tales ordinentur, qui sibi subjectos bene regere possint: Sacerdotalem quoque sint honorem adepti. *[h] Eugen. II. in Syn. Rom c. 27.*

XVII.

De accusato Abbate quid sit agendum.

GREGORIUS Lupo [i] Abbati. Quoniam multæ occasiones in deceptionem religiosarum personarum à pravis illic, ut dicitur, hominibus exquiruntur; Presbyterum prædictæ Ecclesiæ nullo modo privandum deponendumque censemus, nisi causa specialiter criminis exegerit. Unde necesse est, ut si qua contra eum hujusmodi querela surrexit, non solùm Episcopus civitatis causam examinet, sed adhibitis sibi Coepiscopis subtili hac investigatione perquirat: quatinus cunctis concorditer judicantibus judicio canonicæ districtionis censura aut reum ferire, aut innocentem possit absolvere. *[i] Gregor lib. 11. epist. 18.*

h *Eugenius Papa.*] Nempe in Synodo Romana anno DCCCXXVI celebrata: cujus Synodi verba ad amussim non refert Abo, sed contracta, tum in hoc capite, tum in capite 57. Hinc verò patet Abonis tempore quosdam Ordinis nostri Abbates sacerdotii expertes fuisse, quales erant Nicolaus de Normannia Cœnobii S. Audoeni apud Rotomagum Abbas sub finem sæculi XI, qui tantùm Diaconus erat, uti & Goffridus Abbas Vindocinensis, qui non nisi post acceptam Cardinalatus dignitatem Presbyter ordinatus est. Lege sis observationem XXXIII. in Præfatione prima Sæculi tertii Benedictini.

i *Greg. Lupo Abbati.*] In editis *Lupon. Presbytero & Abbati*, nempe Monasterii S. Martini in suburbio Augustodunensi. Eamdem epistolam laudat etiam vetus auctor, qui libellum de vita S. Hugonis ejusdem loci Monachi edidit: tametsi ejus epistolæ auctoritas à nonnullis impetitur, uti & duarum præcedentium, propterea quòd in eis pro quaidam Regibus, Episcopis & aliis auctor intermittuntur, quas à Gregorii mente alienas esse putant. Frodoardus tamen, uno fere sæculo Abone superior, in historiæ Remensis lib. 4. cap. 27., laudat Xenodochii Augustodunensis privilegium, ad cujus formam epistola, quæ Luponi inscribitur, dictata est.

XVIII.

De Monachis & Sanctimonialibus, ut regulariter vivant.

Ex Conc. Vernensi I. c. 5. » MOnasteria tam virorum, quàm puellarum, quæ contempserint secundum ordinem regulariter vivere, ab Episcopo in cujus parochia esse videntur; emendentur. Quod si non potuerit Episcopus emendare, Metropolitano innotescat. Quod si nec ipse emendare poterit, ad Synodum publicam exinde veniant: & si publicam Synodum contempserint, aut honorem suum perdant, aut excommunicentur ab omnibus Episcopis; & talis in loco ejus in ipsa Synodo constituatur voluntate domini Regis, vel consensu servorum Dei, qui regulariter ipsam congregationem regat.

XIX.

De Abbate ad Regem pertinente.

Ibid. c. 10. » EX Concilio Verni palatii. In alia Synodo nobis perdonastis, ut illa Monasteria, ubi Monachi, vel Monachæ vivunt regulariter, eis res dimitterentur, unde vivere possent. Exinde si regalis esset locus, ad dominum Regem fecisset rationes Abbas vel Abbatissa: si Episcopalis, ad illum Episcopum.

XX.

De Rectore Floriacensi.

k » IN Concilio Tullensi [k] cap. XII. Tandem postulavit generalis Synodus se ad terram usque prosternens ante CAROLUM gloriosum Regem & RAOULFUM Bituricum Archiepiscopum, obsecrans & adjurans per crucem & sanguinem Christi, ut privilegium Monasterii sancti Benedicti, quod annuente præfato Rege firmaverat, quodque idem Radulfus subscripserat, ratum & inconvulsum servare studerent. Quòd si Abbas negligens, & sacris regulis non conveniens per directos Missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius qui dignus repertus fuerit, substituatur; & privilegii auctoritas in eodem Monasterio quacumque occasione non destituatur.

XXI.

De sacerdotio Monachi.

Greg. lib. 10. ep. 54. * al. Lucido » GREGORIUS Lucio * Episcopo. Filius noster Johannes Abbas Presbyterũ sibi in Monasterio suo ex congregatione eadem petiit ordinandũ. Ideoque fraternitatem vestram præsenti auctoritate duximus adhortandam, quatinus virum quem vobis de congregatione sua ad ordinationem obtulerit consecrandum, sicut est consuetudo, quæque sunt discutienda, subtiliter perquiratis: & si nihil in eo repertum fuerit quod ei possit obviare, canonicè, sicut mos est, consecretur. Nihil autem aliud ei privilegii concedentes, nisi ut in congegatione sua quotiens opportunum fuerit, sacra Missarum debeat tantummodo celebrare mysteria. « Et sanctus Benedictus in Regula sua, cap. LXII. » Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ab Abbate suo ei præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum, &c. «

XXII.

De Monachis non servantibus propositum.

IN legib. cap. CCCC XC. Si quis Monasterium suum reliquerit, aut ad aliud Monasterium transierit; res ejus priori Monasterio in quo antè intraverat competant. «

Item cap. XVI. Si quis in Monasterio se collocaverit, & postquam vestem religiosam vestitus est, è Monasterio recesserit; omnia bona ipsius quæ in Monasterium introduxit, ad ipsum Monasterium pertineant. Idem est ex alia constitutione: etsi nón introduxit. Omnes enim res cum ejus domino Monasterii sunt. «

Item cap. XVIII. Si quis introierit in Monasterium, & post religiosam vestem recesserit, vel militaverit, vel simpliciter laïcus factus fuerit; spolietur cingulo militari, & vitâ liberâ non potiatur, sed officio Præsidis provinciæ servire cogatur. Substantia autem ejus in Monasterio maneat. «

Item exempla Siricii Papæ ad Himerium Episcopum Terraconensem cap. VI. » Præterea Monachorum quosdam atque Monacharum sive Monialium abjecto proposito sanctitatis in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut priùs clanculo, velut sub Monasteriorum prætextu illicita, ac sacrilega se contagione miscuerint: postea verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint: quod & publicæ leges, & ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatinus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pænitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltim solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire. «

XXIII.

De Clericis qui Monachi volunt fieri, & de insolentia [l] Episcoporum in Monachos.

CAp. LII * ex Toletano Concilio. » Clerici qui Monachorum propositum [m] appetunt, quia « l Conc. Tolet. IV. c. 50. * l. L. m

k *In Conc. Tullensi.*] Nempe apud Saponarias, qui locus est Tullo Leucorum suburbanus. In hujus Synodi cap. 11. quod Aboni duodecimum est, hoc decretum habetur, cujus verba quædam perimit Abo de more, nam canones de verbo plerumque non adducit.

l *De insolentia Episc.*] Durior videri posset hæc inscriptio, nisi Toletani Patres in Concilii Toletani IX. cap. 2. in eodem argumento priùs usi fuissent *insolentiæ* vocabulo, quorum exemplo forsan adductus Abo, qui eumdem locum inferiùs refert in cap. 51, eamdem vocem adhibuisse videtur, quamquam titulum rectiùs temperasset hoc modo: *De insolentia quorumdam Episcoporum in Monachos.* Certè Regino in prima appendice collectionis canonum cap. 33, ubi idem Concilii Toletani IV caput ei adducit, hunc titulum apposuit: *De discretione potestatis Episcoporum, quam in Monasteriis habere possunt.*

m *Clerici qui Monachorum propositum.*] Hunc Toletanæ Synodi locum si præ manibus habuisset Lupus Abbas Ferrariensis, opportunè admodum eo usus fuisset in Epistola 29 ad Guenilonem Senonensem Episcopum, qui duos parochiæ suæ Presbyteros à monastica professione retrahere conabatur, negans eis copiam relinquendi *suos Titulos*, nisi Lupus id *absque vitio fieri posse*, auctoritate comprobaret. Quod aggressus est Lupus, tametsi id numquam in controversiam vocatum, vel audisse se, vel legisse fateatur. Ejusdem ferè argumenti est Gregorii Magni Epistola 39 lib. 10 ad Desiderium in Gallia Episcopum, qui, cùm Pancratium Clericum olim suum, postea Monachum factum, in Ecclesiam, cui mancipatus antea fuerat, revocare vellet: ut ne id temerè pergeret, admonitus à Gregorio est. Insignis etiam ea de re Epistola exstat Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis ad Attonem Episcopum Trecensem in lib. 2 Epistola 30.

meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eos ab Episcopo in Monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

Item cap. xi. » Nunciatum est præsenti Concilio, quòd Monachi episcopali imperio servili operi mancipentur, & jura Monasteriorum contra statuta canonum illicita præsumptione usurpentur: ita ut pæne omnis ex Cœnobio *, atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque perveniat. Quapropter monemus eos, qui ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant: sed hoc tantùm sibi in Monasteriis vindicent Sacerdotes, quod præcipiunt canones, id est Monachos ad conversationem sanctam præmonere, Abbates ad aliqua * officia instituere, atque extra regulam facta corrigere. Quòd si aliquid in Monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quippiam de Monasterii rebus temptaverint; non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerint ab illicitis.

* l. pæne ex Cœnobio possessio fiat, atque.

* al. Abbates, aliaque

XXIV.

De Clericis, qui propter vanitatem efficiuntur Monachi.

Concil. Cæsar. sub Damas. cap. 6.

» EX Concilio Cæsaraugustano cap. vi. » Si quis de Clericis propter luxum vanitatemque præsumtam de officio sponte discesserit, ac se, velut observatorem legis, Monachum se videri maluerit esse, quàm Clericum; ita de ecclesia repellendum, ut nisi rogando & obsecrando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur. Ab universis Episcopis dictum est: Ita fiat.

XXV.

De possessionibus Ecclesiæ.

» EX alio Toletano Concilio cap. iv. » Si quis sanè Clericorum agellos vel vineolas in terris ecclesiæ sibi fecisse probatur sustentandæ vitæ causâ, usque ad diem obitus sui possideat. Post suum verò de hac vita discessum, juxta priorum canonum institutiones jus suum ecclesiæ restituat, nec testamentario ac successorio jure cuiquam heredum proheredumque relinquat, nisi forsitan cui Episcopus pro serviriis hac præstatione ecclesiæ largiri voluerit.

Greg. lib. 7. ep. 39. Ind. I.

Gregorius Johanni Episcopo. Questi sunt Monachi tuæ diœceseos, te quædam de Monasterio sub exenii quasi specie abstulisse. & ideo necesse est, ut si quid indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas: ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga Monasteria sacerdotalis magis debuerat munificentia demonstrare. Questi quoque sunt Monachi, Abbatem suum terram tibi donationis concessisse sub prætextu fabricandæ ecclesiæ Et ideo præter id quod circumdant parietes ecclesiæ, volumus ut in jura Monasterii sine aliqua difficultate revertatur. quia nec mundanarum legum, nec sacrorum canonum statuta permittunt, res Monasterii de jure ejus quolibet titulo segregari. Quapropter donationem ejusdem terræ quæ contra rationem facta est, sine aliqua restitue contradictione.

Item in legibus cap. cccl iv. » Si quis mala fide res alienas possidens vendiderit eas, vel donaverit, vel alio modo alienaverit; is autem qui se dominum earum putat, sciens hoc testatione denunciaverit; ei qui res cepit intra decennium inter præsentes, vel inter absentes intra vicennium, res firmiter apud emptorem, vel qui donationem excepit, vel alio modo alienationes nactus est, permaneant. Quòd si ignorante domino mala fide possessor alienaverit, non aliter hoc præjudicet domino, nisi triginta annorum spatium transactum sit, quamvis is qui emit, vel alio modo alienationes nactus est: bonæ fidei possessor fuerit. «

XXVI.

De Monacho, vel Sanctimoniali in jus vocata.

Novell. 79. c. 1.

EX Constitutione II, cap. lxxiv. » Si quis cum Monachis vel Sanctimonialibus habeat litigium, non audeat eos ad civilem judicem accusare, vel trahere in archisterio vel Monasterio constitutos: sed magis adeat civitatis Episcopum. Ille enim æstimabit, utrum repræsentari principalis persona debeat; an per Defensorem, Egumenum vel Apocrisiarum defendi cum omni scilicet honestate: ita ut Episcopus legibus & canonibus consentaneam sententiam proferat. De temeratoribus, cap. iv. Si quis hanc constitutionem violaverit, in magistratu quidem positus x librarum auri pœnâ multabitur; executor autem litium constitutus, in decanicis ecclesiarum recludatur competentes pœnas luiturus: & postea non concedatur officium executoris habere. «

XXVII.

De his quæ à fidelibus in basilicis offeruntur.

Conc. Aurel. I. cap. 15.

EX Concilio Aureliacensi cap. xi. » De his quæ parochus in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum statuta serventur, & omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen quæ in altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur. «

XXVIII.

De Episcopis invasoribus prætermissa Synodo.

Conc. Afric. seu Carthag. c. 87. sub Bonif. I. & Celest. I.

EX Concilio Carthaginis, cap. lxvi. » Placuit ut Episcopi quascumque Ecclesias vel plebes, quas ad suam Cathedram existimant pertinere, non ita repetierint, ut causas suas Episcopis judicantibus agant; sed alio retinente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicumque jam hoc fecerint, si nondum est inter Episcopos finita contentio, sed adhuc contendunt; ille inde discedat, quem constiterit prætermissis judicibus ecclesiasticis invasisse. Nec sibi quisquam blandiatur, si à Primate, ut retineat litteras, postulant *. Sed sive habeat litteras, sive non habeat; conveniat eum qui tenet, & ejus litteras accipiat; ut appareat pacificè tenuisse ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices causa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinus cum consulto Primatus * elegerint. «

* al. impetrarit.

* al. ex consensu delegerint.

XXIX.

De triennali præscriptione.

Conc. Calched. c. 17.

EX Concilio Calchedonensi cap. xvii. » Singularum ecclesiarum rusticas parochias, vel in possessionibus manere debere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maximè si per tricennium eas absque vi obtinentes, sub dispensatione rexerunt. Quòd si intra tricennium facta fuerit de his, vel fiat altercatio; licere eis qui se læsos asserunt, ad sanctam Synodum provinciæ certare. Quòd si quis à Metropolitano læditur,

apud Primatem diœceseos aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur, sicut superiùs dictum est. Si qua verò civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus innovetur; civiles dispositiones & publicas ecclesiasticarum parœchiarum quoque ordinationes subsequantur.

XXX.

De dote ecclesiarum.

Conc. Tolet. III. c. 19. EX Concilio Toletano cap. xix. Multi contrà canonum constituta sic ecclesias quas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem ejus ecclesiæ censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere. quod factum & in præteritum displicet, & in futurum prohibetur: sed omnia secundùm constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

XXXI.

De Episcopo quid debeat habere de ecclesia.

Conc. Bracar. III. can. 5. EX Concil. quo suprà cap. II. Placuit ut nullus Episcoporum suas diœceses perambulans, præter honorem Cathedræ suæ, id est duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in ecclesiis parœchialibus requirat. sed illa tertia pars pro luminaribus ecclesiæ, vel recuperatione servetur: & singulis annis Episcopo exinde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen & sarta tecta abstulit ecclesiæ. Similiter & ut parœchiales Clerici servili more in aliquibus operibus Episcopis servire non cogantur. Quia scri-

1. Pet. 5. 3. ptum est: *Neque ut dominantes in Clero.*

XXXII.

De rebus ecclesiæ, & de proximis fundatorum ejus.

Conc. Tolet. IX c. 1. EX Concilii Toletani cap. I. Omnis itaque rei ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum rite præparat fraudatori. Et ideo nullus Sacerdotum vel Ministrorum ex rebus ecclesiæ, quæ in quibuscumque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat; vel juri suo, aut Cathedræ propriæ utilitati convertat. Devotio enim uniuscujusque, sicut gratanter votum contulit Domino, ita definivit, quòd plenitudo votorum conservaretur in loco: in quo velut si conlata tenentur, manet gratia offerentis; ita si frustrantur, imminet pernicies defraudantis. Verùm ut rei hujus potior soliditas habeatur, condignis filiis vel nepotibus honestioribusque propinquis ejus qui construxit vel ditavit ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere sollertiam, ut si Sacerdotem vel Ministrum aliquid ex conlatis rebus providerint defraudare; aut commonitionis honesta conventione compescant, aut talia Episcopo vel judici corrigenda denuncient. Quòd si talia Episcopus agere temptet, Metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant. Ipsis tamen heredibus in eisdem rebus non liceat quasi juris proprii potestatem præferre; non rapinam, non fraudem ingerere, non violentiam quamcumque præsumere: sed solùm in eo salutarem sollicitudinem adhibere, quòd in nullam noxam operationis attingat, aut vel in multam, vel in aliquam partem salutaris merces adsumat. Si quis autem deinceps hæc monita temerare voluerit; & malè rapta cum confusione restituat, & excommunicationis annuæ sustinebit sententiam.

Item, cap. II. Cùm sæpe sit solitum etiam illa quæ non debentur, prece supplicationis, & vi quodammodo extorquere doloris: quantò magis sine obstaculo non cedi debent exquisita simul & ordine juris & dolore compassionis? Quia ergo fieri plerumque cognoscitur, ut ecclesiæ parœchiales vel sacra Monasteria ita quorumdam Episcoporum vel insolentiâ, vel incuria horrendam incidant in ruinam, ut gravior exoriatur ædificantibus mæror, quàm in struentibus * gaudii exstiterat labor. Unde * pia compassione decernimus, ut quamdiu earumdem fundatores ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, & sollicitudinem ferre præcipuam, atque rectores præcipuos vel idoneos in eisdem basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos. *Ibid. c. 2.* * *al.* construendo. * *al.* Ideo.

In legibus cap. CCCCLVI. Si quis oratoriam domum ædificaverit, & ipse vel heredes ejus Clericos in ipsa domo consecrare maluerint, sumptus administrantes ejusdem domus; audiantur, si dignos nominaverint Clericos. Sin autem illi tales sint, ut divinis canonibus non comprobentur, ad Episcopum pertinebit alios Clericos idoneos eligere.

XXXIII.

De provisione suffragii Episcoporum.

CAp. XXXVII. Quicumque Episcopi suffragio cujuslibet aliquid ecclesiasticæ utilitatis providerint, & pro eo quodcumque modicum in remuneratione promiserint; promissi solutionem eis exsolvere oportebit, ita ut id ad Concilium comprovinciale deductum eorum conniventia confirmetur. quia, sicut Apostolus Paulus ait; mercedem suam accipient. *Conc. Tolet. IV. c. 37.* *1. Cor. 3. 8.*

XXXIV.

De indigentia eorum, qui res suas contulerunt ecclesiæ.

CAp. XXXVIII. Præbendum est à Sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, & maximè his, quibus restituenda vicissitudo est. Quicumque ergo Fidelium de facultatibus suis ecclesiæ aliquid devotione propria contulerint; si fortè ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, de eadem ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. Si enim Clericis, vel Monachis, seu peregrinis, aut quibuslibet necessitatem patientibus pro solo religionis intuitu in usum res ecclesiasticæ largiuntur; quantò magis his consulendum est, quibus retributio justa debetur? *Ibid. c. 38.*

XXXV.

De avaritia Sacerdotum.

CAp. XXXIII. Avaritia radix cunctorum est malorum: cujus sitis etiam Sacerdotum mentes obtinet. Multi enim Fidelium in amorem Christi & Martyrum in parœchiis Episcoporum basilicas construunt, oblationesque conscribunt: Sacerdotes autem auferunt, & in usus suos convertunt. Inde est quòd cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium ædificia basilicarum non reparantur: quia avaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est à præsenti Concilio, Episcopos, ita diœceses suas regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre: *Ibid. c. 33.*

sed juxta priorum auctoritatem Conciliorum tam de oblationibus, quàm de tributis ac fructibus tertiam consequantur. Quòd si amplius ab eis præsumptum extiterit, per Concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum, si jam illi à sæculo decesserunt. Noverint tamen conditores basilicarum, in rebus quas eidem ecclesiæ conferunt, nullam potestatem babere: sed juxta canonum instituta, sicut ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere.

Greg. l. 7. ep. 8. Ind. I.

Gregorius Leoni Episcopo. Volumus ut quidquid ecclesiæ tuæ ex reditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundùm Dei timorem Presbyteris, Diaconibus ac Clero, ut tibi visum fuerit, discretè dividere, & unicuique, ut meritum laboris exegerit.

Gelasii Decr. c. 27.

Quòd quatuor fieri debeant portiones de rebus ecclesiæ, Gelasius in Decretalibus cap. xxvii. Quatuor autem, inquit, tam de reditu, quàm de oblatione Fidelium, prout cujuslibet facultas ecclesiæ permittit, sicut dudum est rationabiliter decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda ecclesiæ.

Simpl. Papa Decr. c. 2.

Simplicius Episcopus Florentino, Equitio, & Severo Episcopis. De reditibus ecclesiarum vel oblationibus Fidelium quid deceat, nescienti nihil licere permittat: sed sola & ex his quanta portio remittatur, duæ ecclesiasticis fabricis & erogationi peregrinorom & paoperum profuturæ à Bonagro Presbytero sub periculo sui Ordinis ministrentur. Ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur.

XXXVI.

De injustè excommunicatis.

EX Concilio Africano [n] cap. c. Quamdiu excommunicato communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis convincere non potest.

Item ex Concilio Coloniæ [o] cap. lvi. Ut nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa, commonione privet ecclesiastica. Anathema autem sine consensu Archæpiscopi & Episcoporum prælata etiam evangelica ammonitione nulli impooat, nisi unde canonica doceat auctoritas. quia anathema æternæ mortis est damoatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine; & illi qui aliter non potuerit corrigi.

Item in legibus cap. cccc xli. Nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus eum excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommunicatus est, majoris Sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ excommunionis redeat: is autem qui non legitimè excommunicavit, in tantum abstineat à sacra commuuione tempus, quantum majoris Sacerdoti visum fuerit: ut id quod injustè fecit, ipse justè patiatur.

XXXVII.

De ecclesiis & earum Presbyteris.

Conc. Tolet. III. c. 20.

EX Concilio Tolet. cap. xx. Multorum querela hanc constitutionem exegit, qua cognovimus Episcopos per parœchias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire: &, dum scriptum sit, *Forma estote gregi, neque ut quasi dominantes in Clero*, exactiones diœcesis suæ vel damna infligant. Ideoque censemus, excepto quod veterum constitutiones à parœchiis habere jubent Episcopos, ut illis alia quæ huc usque præsumpta sunt, denegentur. Hoc est, neque in angariis Presbyteros, aut Diaconos, neque in aliquibus fatigent indictionibus, ne videantur in Ecclesia Dei exactores potiùs, quàm Dei Pontifices nominari. Hi verò Clerici tam locales, quàm diœcesani, qui se ab Episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant: qui Metropolitanus non moretur ejusmodi præsumptiones coercere.

1. Pet. 5.

Synodus Rom. Eugen. II. c. 21.

Eugenius Papa, cap. xxi. Monasteriom vel oratorium constructom canonicè, à domino constructoris invito non auferatur: liceatque illi Presbytero cui voluerit, cum consensu sui Episcopi, ne malus sit, commendare; ita ut ad placitum Episcopi Sacerdos obedienter recurrat.

Item cap. xxiv. Episcopi in propriis suis ecclesiis Presbyteros ordinent. Quòd si quilibet alius homo in sua basilica infra trium mensium spatium, ab Episcopo monitus, Presbyterum non miserit, Episcopus Principi suggerat, ut hoc emendet.

Item cap. xxv. Si destructæ ecclesiæ de propriis rebus rædificari non potuerint, à populo plebis auxilæntur.

Item cap. xxvi. Nullus Episcopus à nullo sibi subjecto Clerico donationes ultra statuta Patrum exigat nec angariis.

XXXVIII.

De eo quòd Episcopus habeat tertiam partem ecclesiæ, & possit dare cui voluerit.

ex alio Concilio.

CAp. vi. Opportunè duximus decernendum, ut Episcopus tertiam, quam de rebus ecclesiæ sanctione Patrum debitam sibi novit, aut ipsi ecclesiæ cujus res esse patebit, ut alteri ecclesiæ, cui elegit, conferre decreverit, ut licitum maneat, & irrevocabile robur cujus sententia ferat.

Conc. Tolet. III. c. 3.

Item ex Toletano Concil. cap. iii. Nulli Episcoporum licest res alænare ecclesiæ, quoniam & antiquioribus canonibus hoc prohibetur. Si quid verò quod utilitatem non gravet ecclesiæ, pro suffragio Monachorum vel ecclesiarum ad suam parœchiam pertinentium dederint, firmum maneat: peregrinorum verò vel Clericorum & egenorum necessitati salvo jure ecclesiæ præstare permittuntur pro tempore quæ potuerint.

[n] *Ex Conc. Africano cap. c.*] Deest hoc caput in editis Concilii Africani seu Carthaginensis. quæ collectio est diversorum capitulorum numero centum ex Conciliis Africanæ provinciæ, quibus capitulis alia quinque subduntur de nonnullis Episcoporum epistulis. In novissima Conciliorum editione pro capitulo centesimo adducitur conclusio Concilii ex sententia Aurelii Episcopi sic loquentis: *Juxta statuta totius Concilii congregati, & meo mediocritatis sententiam, placet facere rerum omnium conclusionem, &c.* quod nullo modo respondet lemmati capituli centesimi, quod initio Concilii præmittitur: *Ut non temere quemquam communione privet Episcopus.* Optimè verò lemmati quadrat caput istud apud Abonem, hoc ex loco in editis supplendum.

[o] *Ex Conc. Coloniæ cap. lvi.*] Non habetur hic locus in editis. Videtur autem esse decretum Concilii Coloniensis, quod anno dccc lxx in causa ecclesiasticæ disciplinæ celebratum est. Hinc verò colligimus multa fuisse ejus Concilii decreta, cujus caput 56 Abo producit.

XXXIX.

De sanctitate vitæ Clericorum.

Siric. Decret. c. 7.

Siricius Papa in epistola cap. vii. Plurimos Sacerdotes Christi atque Levitas post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus propriis, quàm etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento Sacerdotibus ac Ministris generandi facultas legitur attributa. Sed illi per successionem generis eligebantur de sola tribu Levi, quibus Deus dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Unde & procul à suis domibus anno vicis suæ in templo habitare jussi sunt, ne cum uxoribus possint carnale exercere commercium. Nos verò omnes Sacerdotes atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus & corpora: dummodo per omnia Deo nostro in his quæ cotidie offerimus, sacrificiis placeamus. Qui ergo ignorantiâ lapsos se esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent: si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Qui verò exemplo veteris sacerdotii quasi licito conjugio utuntur, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigni usi sunt, Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse divina attrectare mysteria deinceps ullâ nostra indulgentiâ, sive sit Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus.

Levit. 19.

XL.

De filiis Presbyterorum, vel Episcoporum, vel Diaconorum.

Conc. Tolet. IX. c. 10.

Ex Conc. Tolet. cap. x. Quicumque verò Clericorum ab Episcopo usque ad Subdiaconum deinceps vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio, in honore constituti filios procrearint; illi quidem ex quibus geniti probantur, canonicâ censurâ damnentur: proles autem alienata * pollutione non solùm parentum hereditatem numquam accipiet, sed etiam in servitutem ejus ecclesiæ, de cujus Sacerdotis vel Ministri ignominia nati sunt, jure perenni permanebunt. * Filii autem Sacerdotum, qui ante sacerdotium nati sunt, spectacula sæcularia non exhibeant; sed nec spectent, licèt hoc Christianis omnibus interdictum sit: & ubi blasphemiæ sunt, non accedant, sicut habes in Concilio Carthaginensi, cap. xv.

* al. tali nata.

ex Conc. Carthag.

XLI.

De rebus Ecclesiæ dispensandis.

Ex Concilio Orientalium Episcoporum cap. xiv, de præsumptione Episcopi in rebus ecclesiæ. Si quis Episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo Clero, aut ubi fortè non est Presbyter, de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere; res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, & in judicio Episcoporum dejiciatur inauditus, & tamquam furti aut latrocinii reus à suo honore privetur.

Item cap. xvi. Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiæ, ut dispenset necessitatem patientibus cum omni reverentia & timore Dei: participare eum oportet quæ necessaria sunt: si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquid, aut necessitatem ullo modo patiantur, secundùm sanctum Apostolum dicentem: *Habentes victum & tegumentum, his contenti sumus.* Si autem res ecclesiasticas Episcopus in suas voluntates usurpare voluerit, & lucra ecclesiæ & fructus agrorum non cum Presbyterorum vel Diaconorum consilio intaminaverit, aut fratribus vel filiis vel quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos res lædantur latenter; hunc oportet obnoxium esse Concilio. Similiter Presbyteros & Diaconos, si eadem faciant, corripi oportet.

1. Tim. 6. 8.

XLII.

Ut nullus eligat sibi Episcopum successorem.

Conc. Antioch. sub Julio P. I. c. 23.

Ex Concil. Antioch. cap. xxv. Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licèt ad exitum vitæ perveniat. Quòd si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi constitutum. Servetur autem jus ecclesiasticum id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum Synodo & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus exstiterit, promovere.

Gregor. lib. 9. ep. 41.

Item Gregorius Anatolio Constantinopolitano Subdiacono. Nusquam canones præcipiunt, ut pro ægritudine p Episcopo succedatur. Et omnino injustum est, ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus: atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum animæ meæ ex ejus depositione veniat. Sed suggerendum est, ut si is qui est in regimine, ægrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit ejus curam omnem agere, & locum ejus in regimine ecclesiæ, ipso non deposito, ac in custodia civitatis implere: ut neque Deus omnipotens offendatur, neque civitas inveniatur esse neglecta. Si verò isdem reverentissimus Johannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab Episcopatus honore debeat vacare; eo petitionem scripto dante concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo non valemus. Quòd si hoc petere noluerit; quod piissimo Imperatori complacet, quidquid jubet facere, in ejus est potestate. Sicut novit, ipse provideat: nos tantummodo in depositione non faciat permisceri. Quod verò ipse Imperator fecerit, si canonicum est, sequimur: si verò canonicum non est, in quantum sine peccato nostro possumus, portamus.

XLIII.

De Communione.

Auctor dogmat. eccl. c. 53.

Augustinus in ecclesiasticis regulis q cap. xxiii. Cotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen diebus dominicis communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Nam

p *Pro ægritudine.*] Plura ejus rei statuta refert Burchardus in Decretorum lib. 1 cap. 88 & 1 quentibus. Huc spectant Concilia Meldense anni dccc can. 47, Suessionense II. anni dccc lxii can. 2, & Epistola Nicolai Papæ I. ad Wenilonem Senonensem Archiepiscopum de Herimanni Episcopi Nivernensis infirmitate.

q *Augustinus in Ecclesf. Regulis*] Librum de dogmatibus Ecclesiasticis intelligit auctor, qui liber sæculo nono ineunte à nonnullis Augustino falso adscriptus, eidem protinus abrogatus est à viris doctis, maximè à Clero Lugdunensi de Gothescalci causa scribente adversus Johannem Scottum, qui hujus libri, quasi esset Augustini, auctoritate abutebatur.

habentem

habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptioni, quàm purgari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem; & communicaturus satisfaciat lacrymis & orationibus. Hæc cùm fecerit, confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia peccata non gravant. Nam quem mortalia post baptismum commissa premunt, hortor primùm publica pœnitentiâ satisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum Communioni sociari, si vult non ad judicium vel condemnationem Eucharistiam percipere. Sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu: ut religionis studio per vitæ correctionem, & jugem, immo perpetuum luctum, miserante Deo, veniam consequatur, ita dumtaxat ut contraria prohis quæ pænitet, non * agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis supplex usque ad mortem percipiat.

*al. desit non.

Greg. in resp. 10. ad interrog. Augustini.

Gregorius. Sanctæ Communionis mysterium mulier percipere menstruo tempore non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna non præsumit percipere, laudanda est. Sed si perceperit, non judicanda. Bonarum quippe mentium est, ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est: quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Unde etiam cùm esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis actum est ut esuriamus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet quæ naturaliter accidit: sed tamen quòd natura ipsa vitiata est, ut etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, ex culpa venit vitium, in quo seipsam, qualis per judicium facta sit humana natura, cognoscit: ut homo qui culpam sponte perpetravit, reatum culpæ portet invitus. Atque ideo feminæ seipsas considerent, & si in menstrua consuetudine ad Sacramentum dominici corporis & sanguinis accedere non præsumant; de sua recta consideratione laudandæ sunt: dum verò ad percipiendum ex religiosæ vitæ consuetudine ejusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendæ (sicut prædiximus) non sunt. Et infrà. Vigilanti verò mente pensandum est, quòd in monte Sina Dominus loquuturus populo, prius eumdem populum abstinere à mulieribus præcepit. Et si illic ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei reciperent, mulieribus mixti non essent: quanto magis mulieres, quæ corpus omnipotentis Dei accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterii magnitudine graventur? Huic etiam ad David de pueris suis per Sacerdotem dicitur, ut si à mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent, quos omnino non acciperent, nisi eos David mundos esse fateretur. Tunc autem vir post admixtionem conjugis: si aquâ lotus fuerit, etiam sacræ Communionis mysterium valet accipere, cùm ei juxta præfinitam sententiam etiam ecclesiam licuerit introire. Item de pollutione somnii. Hunc quidem testamentum veteris legis pollutum dicit, & nisi lotum aquâ, usque ad vesperam intrare ecclesiam non concedit. Quod tamen aliter populus spiritualis intelligens, sub eodem intellectu accipit: quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aquâ, ut culpas cogitationis lacrymis abluat, & nisi prius ignis temptationis recedat, reum se quasi ad vesperam recognoscat. Sed est in eadem illusione valde necessaria discretio, quam subtiliter pensare debeas, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cùm ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnino hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quàm fecisse. Cùm verò appetitus gulæ ultra modum in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur; habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterii, vel Missarum sollemnia celebrandi, cùm fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quòd Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta à perceptione sacri mysterii prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis positus turpi imaginatione non fœdetur. Qua in re unum ibi ostenditur, quòd ipsa mens rea non sit tunc, sed suo judicio libera, cùm se, etsi dormienti corpore, nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidisse. Sin verò ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo reatus suus. Videt enim à qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens.

cap. 11.

Quando Monachi & alii pænitentes communicare debent, manifestat sanctus Eucherius [1]. Detur pœnitentia sæculari, cujus adhuc cervix sub jugo dependet sæculi, & huic pro immanitate peccati sive delicti terminetur tempus, qui adhuc tempori servit. Cæterùm abrenuncians sæculo & ejus

[1] *Sanctus Eucherius.*] Non reperi hunc locum in editis Eucherii Lugdunensis Episcopi scriptis, neque in sermonibus nomine Eusebii Emysseni vulgatis, quos Eucherio Lugdunensi tribuendos esse non immeritò viri docti arbitrantur. Eucherius hoc loco discrimen statuit inter eos qui monasticam vitam arripiunt, & alios pænitentes: quòd ab his pænitentia exigenda sit ante Communionem, non ab illis. Nimirum *abrenuntiantis sæculo*, inquit, *pænitentia publica non est necessaria, quia conversus ingemuit, & cum Deo æterno pactum iniit.* Cùm enim ad hoc potissimùm instituta sit pænitentia ante Communionem, ut pænitentis probetur voluntas, an scilicet à peccandi affectu aliena sit; nullum ejus rei dubium relinquitur in illis, qui sæculo nuntium remittentes, ardua vitæ monasticæ exercitia ex animo profitentur in probatis Cœnobiis. Sic namque *cum Deo æterno pactum ineunt* divinæ justitiæ faciendi satis per totum vitæ suæ decursum. *Ex illo igitur die*, ait Eucherius, *non memorantur ejus delicta quæ gessit in sæculo, ex quo facturum justitiam de reliquo promiserit Deo.* Hujus loci occasione recurrit in mentem id, quod legere memini apud Petrum Damiani in Opusculi XIII cap. 6 & 7, adversus nonnullos Monasteriorum Rectores, *qui plus tribuentes monasticæ Regulæ, quam expediat, quoslibet à sæculo venientibus, etiamsi graviter lapsi sint, aliam pænitentiam non imponunt, nisi ut communem Monasterii ordinem servent* quod quidem Petrus improbat hac ratione, quòd *murmurare possint & juste conqueri, tam ii qui in puerili ætate, quam qui in gravitate custodiæ ad conversionem veniunt, si eumdem vivendi modum tenere tam his qui criminibus gravati sunt, compelluntur.* Attamen huic doctrinæ adversatur factum sancti Bernardi Abbatis Claravallensis, qui homicidi reo, extremis pœnis ab se liberato, non aliam pænitentiam imposuit, quàm vitæ monasticæ in Claravalle professionem. Et sane si in omnibus Monasteriis ita esset vita instituta, quemadmodum eo tempore apud Claravallenses; quibusvis pænitentibus, quantumvis graviter lap-

„ militiæ, spondensque se cunctis diebus servitu„ turum Deo; cur pænitentiam moretur, quilibet „ et cletus velut onager sectatur eremi vastitatem? si„ cut ait Job: *Quis dimisit onagrum liberum in de-* „ *serto? à leone fortiter caveat, & arentibus herbis* „ *poculo exiguo alatur in tremo.* Erigat in aëra ca„ put, & sic flagrantem nimium sitis ardorem san„ cti Spiritus aura restringuat; ne dum valde desiderat amœna virentia, nimiis deliciis præpeditus pe„ riculum salutis incurrat. Igitur abrenuncianti pæ„ nitentia publica non est necessaria: quia conversus „ ingemuit, & cum Deo æterno pactum initi. Ex „ illo igitur die non memorantur ejus delicta quæ „ gessit in sæculo, ex quo facturum justitiam de reli„ quo promiserit Deo. Ergo chirographum, de quo „ se Monachus debitum ex tota fide promiserit im„ plere, etsi fidelis factus peccavit in sæculo, post „ abrenunciationem suam iterum factam, domini„ cum corpus non dubitet accipere, nec occasione „ humilitatis nimiæ prolongetur à corpore ejus & „ sanguine, cui se junxit, ut unum corpus efficere„ ret. Communicare ergo non desinat, qui peccare „ quievit: tantum ne de reliquo peccet. Nam si„ cut ignis sile visibilis duas in se quaidam effica„ cias habet, id est comburere fragilia, & illumina„ re tenebrosa: ita igneum illud dominicum corpus, „ quando cum metu & reverentia grandi fuerit sum„ ptum, corporis quidem delicta consumit, animæ „ verò sensum illuminat. Et ideireo communicare fre„ quentiùs debet. Si verò fuerit, sicut scriptum est, le„ pra in pelle, immunda erit, id est peccatum in Mona„ cho, quia pellem esse Monachum Scriptura signifi„ cat, mortificantem membra sua super terram. Ci„ nis ossibus adhæsit, caroque immutatur propter „ oleum, & jejunio infirmatur, & genua velut fenum „ arescunt. Ergo si in hac pelle visa fuerit lepra, im„ munda erit, & nisi fuerit hyacinthina, aut rubra „ pura, ad ornatum tabernaculi non erit apta.

Job. 39. 8.

Hæ sunt sanctorum Patrum sententiæ, discretionis plenæ, quibus monentur viri ac feminæ, quando, vel quales debent accedere ad communionem Eucharistiæ. Peccatorum enim quibus abstinere jubemur ab Eucharistia, alia nos trahunt naturæ vitio etiam invitos, alia voluntarios. Nam invitus lege peccati ducebatur, qui ingemiscens querebatur: *Video utique aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Unde Gregorius discretionis & eloquentiæ singulariter magnificus, indulgendo infirmitati humanæ, accessum ecclesiæ & communionem Eucharistiæ talibus tribuens, dolentem consolatur: quia aliquando invitus & vir polluitur nocturno somnio, & mulier suomenstruo. cujos auctoritate discimus, quòd solus sibi conscius in peccati opere, solus sibi erit judex, etiam post confessionem, in percipienda corporis & sanguinis Christi communione. Qui verò peccati lege voluntarius rapitur, hunc peccatorum recordatio non tantum contristat, quantum delectat: quia ex consensu peccare deliberat. Ac ideirco sicut Augustinus dicit: « Communione » Eucharistiæ magis credendum est gravari, quàm » purgari. « quandoquidem totus in affectu peccandi consistit. Omne enim peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Sciendum itaque est de eo, qui vel in se, vel in alterum peccat libenter, quòd à Communione arceri debet, ne videamur margaritas nostras ante porcos ponere, esse participes & perditionis alienæ. Attamen Christi exemplum occurrit, qui Judæ proditori intinctum panem porrexit, de quo scriptum est, quia *post buccellam introivit in eum satanas.* Sed ille, ut secretorum non ignarus, ad ostensionem perditi Discipuli panem porrexit: nos verò peccatorum nostrorum conscii, non ad ostensionem, sed ub commemorationem Christi, Eucharistiam præbeamus fratri. Unde Augustinus: « Quid miraris, si datus est « Judæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cùm videas è contrario datum Paulo ange- « lum diaboli, per quem perficeretur in Christo? ita « & malo bonum obfuit, & bono malum profuit. « Scriptum est: *Quicumque manducaverit panem,* « *aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Hic igitur si corripitur « qui non dijudicat, hoc est non discernit à cæteris « cibis dominicum corpus: quomodo damnatur, « qui ad ejus mensam, fingens se amicum, accedit « inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia « convivantis: qua pœna percutitur venditor invitantis? Quid autem erat panis traditori datus, nisi « demonstratio, cujus gratiæ fuisset ingratus? Intravit ergo post hunc panem satanas in Domini traditorem, ut sibi jam traditum pleniùs possideret, « in quem priùs intraverat ut deciperet. «

Rom 7. 8.

Aug. tract. 61. in joan.

1. Cor. 11. 27.

XLIV.

Qualiter Sacerdotum accusatores examinandi sint, vel si scriptis inter partes sententia recitata est.

Gregorius Johanni Defensori inter cetera. Quia igitur Stephanus Episcopus in odio « suo quædam ficta, & de falsis se capitulis queritur accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed injustè se asserit condemnatum; diligenter quærendum est, primùm, si judicium ordinabiliter est habitum, aut, si alii accusatores & alii « testes fuerint. Deinde causarum qualitas est examinanda, si digna exsilio vel depositione fuit; aut si « eo præsente jurejurando contra eum testimonium « dictum est, seu scriptis actum est, vel si ipse licentiam respondendi & defendendi se habuit. Sed & « de personis accusantium & testificantium subtiliter quærendum est, cujus conditionis cujusve opinionis, aut ne inopes sint, aut ne fortè aliquas « contra Episcopum inimicitias habuissent: & utrum « testimonium ex auditu dixerint, aut certè specialiter se scire testati sint: vel si scriptis judicatum « est, & partibus præsentibus sententia recitata est. « Quòd si fortè hæc sollemniter acta non fuint, neque causa probata est, quæ exsilio vel depositione « digna sit, in ecclesiam suam modis omnibus revocetur: hi verò qui eum contra Dei timorem & « statuta canonum condemnaverunt, excommunicati in Monasterium ad agendam pænitentiam in « sex mensibus sunt mittendi, ita sanè, ut si cui « eorum mortis contigerit imminere discrimen, Viatici benedictio non negetur. Ipse autem qui eo vivente locum ejus temerariè ambiit, privatus sacerdotio ab omni ministerio ecclesiastico repellatur, « atque eidem dilectissimo fratri & Coepiscopo nostro « tradatur, ut eum ecclesiastico judicio aut ipse ad nos « transmittat, aut apud se in custodiam habeat. « Episcopi verò qui eum ordinare præsumserunt, vel « perversæ ordinationi ipsius præbuere consensum; «

Greg. lib. 11. ep. 52.

sis, justus esset is pænitentiæ modus. Neque verò alia quondam à sacerdotibus aliisque personis in graviora crimina lapsis pænitentia exigebatur, quàm in Monasterium retrusio. Etsi enim alii nocentes fiut in Cœnobiis, alii innocentes; utrisque tamen idem pænitentiæ modus competere potest: siquidem quod illi ex debito, præstant ex solo amore justitiæ.

» communione privati in sex mensibus ad agendam pœnitentiam in Monasterio deputentur. Si autem Episcopi in præjudicio condemnatum vel depositionis memorati Stephani se metu judicis consensisse, ac talia fecisse non sua sponte professi fuerint; tempus eis abbreviandum est, & modus pœnitentiæ temperandus.

Lib. 2. ep. 30. » Item de quodam Episcopo in crimine accusato, & utrum noceat, si sit extorta confessio, Gregorius Constantio Mediolanensi. Relectis epistolis quas ad nos per Marianum latorem præsentium transmisistis, gratam nobis sollicitudinem vestram fuisse rescripsimus, quòd ea quæ ad vos de fratre & Coepiscopo nostro Pompeio, qui adhuc ita nominandus est, pervenerit, dissimulare minimè pertulistis. Sed si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex eo quod de eo dictum est, fuisset ambiguum: sed utrum verum, an esset compositum, patuisset: quia jam contra ipsum dudum in Sicilia apud reverendæ memoriæ fratrem nostrum Maximianum talis quæstio, ut cognovimus, mota est. Sed quia causa ipsius subtili omnino investigatione quæsita est, inventus est innocens, qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur quoniam illa, quæ contra eum dicta sunt, non sub illa quæ decuit districtione quæsita sunt: & gesta quæ exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem ejus probantur posse sufficere; non levis res agitur, ut incautè vel in transcursu debeat definiri. Nam grave est satis & indecens, ut in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc quidem gesta esse poterant ad definiendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur. Si tamen eamdem confessionem subtilitas examinationis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret: quæ frequenter hoc agit, ut noxios se fateri cogantur etiam innoxii. Nam postquam præfatus Episcopus, ut dicitur, cruciari custodiâ cremaræque fame se asserit*, scire debetis, si ita est, utrum noceat, si sic fuerit extorta confessio. Numquid quando sententiam tales causæ suscipiunt, & ad Sedem Apostolicam appellatur; nonne & persona quæ judicatur, præsens est; & districtissimè atque ab omni latere veritas quæritur, ut tunc si debeat manere sententia, decernatur? Necnon & si prædictus Episcopus ad Sedem Apostolicam appellare voluerit, causa ipsius interiùs & cum omni diligentia est perscrutanda. Et ideo postquam & persona absens est, & gesta quæ ad nos transmisisti, nobis, sicut præfati sumus, idonee satisfacere non videntur; temere aliquid de Episcopi persona decernere non debemus, nec possumus: ne (quod absit) reprehensibiles inveniamur in nostris, quibus aliorum jure competit retractare sententias.

Item de Episcopo quem redarguit, quòd non utiles viros in causam suam misceat, & quòd sacramento præstito in gratiam redeat, Gregorius Maximo Episcopo Salonitano. Lib. 11. ep. 53. » Alia quidem scripta ad fraternitatem tuam antea feceramus: sed & tempore quo homines tuos quos ad nos misisti, relaxare voluimus, scripsisse te quibusdam nostris comperio, quod Veteranum Presbyterum, atque Optatum Defensorem tunc minimè in causa transmiseritis; & ideirco ea quæ cum ipsis acta sunt, non debere subsistere. Sed Thomas, ecclesiæ tuæ Defensor, non hoc verbum à te dictum perhibuit. Ex qua re jam nec præsentium portitoribus judicamus esse credendum, ne de ipsis quoque post hos similiter diceretur. Quia ergo hæc nos valde fecit ambigere, & cautos esse debere præmonuit; si causam vultis dicere instructam de cetero, personam cum mandato legaliter facto tua ac Presbyterorum seu Diaconorum & testium subscriptionibus roborato, gestisque ex more indito transmittite: ut quidquid pro re actum fuerit, possit jure subsistere. Nam nos non solùm tibi, sed etiam omnibus quod justum legitimumque fuerit, parati sumus, Deo juvante, per omnia custodire. tantùm, ut tu quod lege præcipitur, facere non omittas. «

Item Gregorius Castorio Notario & Chartolario Ravennæ. » Quantum credi tibi à nobis, & necessarias vides causas injungi; tanto te magis strenuum debes & sollicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus præstito sacramento firmaverit se simoniaca hæresi non teneri; atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, innoxium se responderit, & de inobedientia sua pœnitentiam, sicut deputavimus, egerit: volumus ut ad consolandum eum epistolam, quam ad eum scripsimus, ubi ei & gratiam nostram & communionem nos reddidisse signavimus, experientia tua dare debeat: quia sicut in contumacia persistentibus severos esse nos convenit, sic iterum humiliatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. « Lib. 7 ep. 81. ind. II.

Quidam Episcopus per sacramentum purgavit se crimine ante corpus beati Petri. Gregorius ad Justinianum*. » Proprium hoc habet antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum perpetratione Deo sibi resistente decipere non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre & Coepiscopo nostro sinister rumor adsperserat, utrum vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquirere; & nullam in eo de his quæ dicta fuerant, culpam invenimus. Sed ne quid videretur omissum, quod nostro potuisset corpi dubium remanere; ad beati Petri sacratissimum corpus fecimus sacramenta præbere: quibus præstitis magna sumus exultatione gavisi, quòd hujuscemodi experimento innocentia ejus evidenter enituit. Pro qua re gloria vestra prædictum virum cum omni caritate suscipiat, ac reverentiam ei, qualem Sacerdoti decet, exhibeat, nec quædam cordi remaneat de his, quæ purgata sunt, dubietas: sed ita suprascripto vos Episcopo devotissimè oportet adherere in omnibus, ut congruè decenterque Deum in ejus persona videamini, cujus minister est, honorare. « lib. 2. ep. 21. *al. Justinum

XLV.

De Episcopis in judicium testimonii causâ evocatis.

EX Constitutione cap. ex. Nullus Episcopus cogatur ad judicium venire dicendi testimonii causâ: sed judex ad Episcopum mittat ministros suos. ut propositis sanctis Evangeliis, quod scit Episcopus, dicat secundùm hoc quod Sacerdotibus honestum est. «

XLVI.

De accusatis Episcopis.

CAp. x. Nullus Episcopus neque pro civili, neque pro criminali causa apud quemvis judicem, sive civilem, sive militarem, producatur vel exhibeatur, nisi imperialis jussio processerit. Magistratus enim qui hoc jubere ausus fuerit, amissione cinguli & xx librarum auri condemnatione plectatur, ut istæ xx libræ ecclesiæ addicantur, cujus Episcopus produci vel exhiberi jussus est. Li-

tis autem exsecutor post cinguli amissionem, tormentis subjiciatur, & in exilium mittatur.

XLVII.

De his qui contra Episcopum habent causam.

CAP. XXXVII. Si Clericus, vel si quis alius contra Episcopum propter qualemcumque causam audiri maluerit; priùs Metropolitanus eorum secundùm sanctas regulas & nostras leges discernat: & si quis judicatis contradixerit, ad Patriarcham illius regionis res referatur, & ille secundùm canones & legem finem ei præbeat. Si contrà Metropolitanum adire quispiam velit, regionis illius Patriarcha discernat negotium. Quicumque Episcopus apud quemvis judicem accusatur, omnino nullam fidejussionem neque promissionem pro litigio facere compellatur. sic tamen ut operam det intentiones & causas actoris dissolvere.

XLVIII.

De testimoniis Clericorum.

CAP. XXXIII. Presbyter & Diaconus in causa pecuniaria si talsum testimonium dixerint, in tormentis non subjiciantur: sed per tres annos separentur à divino ministerio, & Monasterio tradantur. Pro criminalibus causis si falsum testimonium dixerint, clericatus honore nudati legitimis pœnis subjiciantur. Cæteri autem in minore gradu Clerici, pro quocumque falso testimonio, ordine ecclesiastico nudati, legitimis coercitionibus subjiciantur. Si quis contra Clericum, vel Monachum, vel Diaconissam, vel Monasterium vel archisterium habeat aliquam actionem, adeat priùs religiosissimum Episcopum cui eorum unusquisque subjectus est: ille autem rem in ipsos decernat. Quòd si unus ex litigatoribus contradixerit judicatis, & ex imperiali vel judiciali jussione Episcopus videat, ad Imperatorem vel judicem qui jussit, referatur. Si de judicio ecclesiastico idem canonica causa emerserit, non Magistratus, sed religiosus Episcopus secundùm sacros canones imponat negotio finem.

XLIX.

Quantum prosit frequens oblatio sacrificii.

GRAGORIUS in homelia Evangeliorum XXXVII. Pensate, fratres, quàm benignum sit, quòd is qui adventu suo valet opprimere, tardat venire. Mittamus ad hunc legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se surgens à mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Cujus rei exemplum idem Doctor subintulit, cùm de quodam in captivitate vincto, quoties solveretur, expressit. Ejus, inquit, uxor putans eum esse mortuum, singulis hebdomadibus pro eo offerebat sacrificium: &, ut ipse dominum reversus post modum agnovit, toties solvebatur, quoties pro ipso salutaris hostia offerebatur.

L.

De militantibus.

AUGUSTINUS de verbis Domini homelia XIX. Militare non est delictum: sed propter prædam militare, peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est: sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potiùs augeas, videtur esse damnabile. Propterea autem providentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, præda grassetur. Illud autem quale est, cùm ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis, cur ebrius fuerit, cur res alienas pervaserit, cædem cur turbulentus admiserit; statim respondeat: Quid habebam facere homo sæcularis & miles? Numquid Monachum sum professus aut Clericum? Quasi omnis qui Clericus non est, aut Monachus, possit ei licere quod non licet.

LI.

De stipendiis militum.

Dicitur secundùm Evangelium, interrogaverunt Johannem & milites: *Quid faciemus & nos?* ait illis Johannes: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: sed contenti estote stipendiis vestris.* Luc. 3. 14.
Hic jam cognoscere se debet qui militat. Non enim tantùm de his militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur: sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atque hæc sententia potest dici verbi gratiâ militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus. Quicumque enim stipendia sibi publicè decreta consequitur, si ampliùs quærit, tamquam calumniator & concussor Johannis sententiâ condemnatur. Usque adeo autem hoc insolevit malum, ut jam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit: & nulla jam causa possit esse sine causa.

LII.

De militantibus Clericis; & eorum stipendiis.

HÆc sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiam ad Clericos retorqueri: quia etiamsi non militare videantur sæculo, tamen Deo militant, sicut ait Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* 2. Tim. 2. 4.
Videmur, inquam, non militare remissis ac fluentibus tunicis: sed habemus militiæ nostræ cingulum, quo castimoniæ interiora constringamus. De quo cingulo Dominus ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc. 12. 35.
Nam & catholicus Clericus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario Domino jubente consequitur; sed exercet mercimonium, f intercessiones ad Dominum vendit, viduarum munera libenter amplectitur; hic negotiator magis potest videri, quàm Clericus. Nec dicere possumus: Nemo nos invasores arguit violentiæ, nullus accusat. Quasi non interdum majorem prædam viduis blandimenta alliciant, quàm tormenta. Nec interest apud Dominum, utrum vi, an circumventione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum.

f *Exercet mercimonium*] Sic illa fere habet Hieronymus in epistola ad Nepotianum contra Clericos negotiatores atque avaritiæ deditos, & contra eos, qui propudiosis obsequiis viduarum hereditati obsidiabantur.

CONCILII CARTHAGINENSIS FRAGMENTUM.

Oportet enim in nullo Monasterio quemlibet Episcopum cathedram collocare: aut qui forte voluerint habere, nequaquam permittantur, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam, facere, nisi Clericorum, si voluerint habere. Esse enim debent Monachi in Abbatum suorum potestate: & quando ipsi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum eligendi sunt, judicio Congregationis eligantur, nec officium hujus electionis sibi vindicet aut præsumat Episcopus. Si qua verò contentio, quod non optamus, inter Monachos exorta fuerit, Abbatum aliorum consilio sive judicio finiatur: aut si scandalum perseveraverit, ad Primates uniuscujusque provinciæ universæ causæ Monasteriorum judicanda perducantur. Inter sacrificia verò ordinatus suos tantummodo idem Episcopus plebium, ubi Monasteria sunt, recitet: hoc enim convenit paci. Confirmetur etiam ab hoc sancto Concilio, ut sine bono testimonio Abbatis vel concessione nullus Monachum in aliqua Ecclesia teneat ad Clericatum, vel promoveat ad honorem.

ADNOTATIO.

Hoc fragmentum Concilii Carthaginensis, sub Reparato Episcopo anno Christi DXXXIV habiti, partim ineditum est, partim editum in Spicilegii tomo VI. &c. in nova Conciliorum editione Labbeana, ubi prolixius fragmentum Feliciano Zactarensi Episcopo suffragium in Synodo ferenti tribuitur. Editum, inquam, est nostrum hoc fragmentum à primis verbis usque ad hæc, *judicio finiatur*; sed cum nonnullis mendis & omissionibus. Insignior est hæc verba, *aut si qui forte voluerint habere, nequaquam permittantur.* in quorum loco hæc leguntur apud Labbeum, *aut qui forte habuerint, habere*, vacuo penitus sensu. Alia est in his verbis, *inter Monachos exorta fuerit*: ex quibus duo priora vocabula expungit editio Labbeana. Has verò emendationes & supplementum quod a verbo (*finiatur*) hîc à me adjectum est, excepi ex Virdunensis Monasterii sancti Vitoni codice ms. cujus copiam mihi fecit religiosus ac eruditus vir Bartholomæus Senocus, tum in eodem Cœnobio Theologiæ Prælector.

FRAGMENTUM HISTORICUM DE CONCILIO AQUIS-GRANENSI.

Tempore Lodovici Pii de Roma ad Palatium Aquisgranense venit Gregorius IV. [ibique habitum est] Concilium de fere omnibus Prælatis Orientalibus & omnibus Occidentalibus, ubi statuta quamplurima utilia Gallicanis Ecclesiis statuerunt, confirmante Pontifice Romanorum. Statuerunt pro Canonicis, qui tunc sub Præpositis vivebant, quia Præpositi temporalia malè tractabant, & nobiliores fortioresque Canonici possessiones usurpabant; ut quilibet Canonicus, personis ad certum numerum redactis, suum temporale proprium possideret, & ut de communi camera cuilibet distribueretur, prout in choro divinis officiis resideret.

In illo tempore Monachis Gallicanis est indultum, ut femoralibus, laneis camisiis, pelliciis, botis, caperonis de pellita, almuciis, coopertoriis, auriculariibus; & pro infirmis, culcitris uti possent. Indultumque est illis, ut magnis sollemnitatibus plurima habeant fercula cum panis formulis & phialis pigmenti propter honorem sollemnitatum & nobilitatem Francorum; non propter ingurgitationem ventris, sed ad reparationem virtutis. Et quia oleum olivarum non habent Franci, voluerunt Episcopi, ut oleo lardino utantur. Voluerunt insuper, concordante Illustrissimo Ludovico, ut Monachi suis monasteriis, quæ villis, castris, burgis & civitatibus habent, absque conturbatione maneant laicorum; statueruntque Episcopi, concordante domino Papa, ut Monachi à gravi opere & labore propter honestatem sacerdotii cessent, & loco laboris ad horas psalmos quosdam nominatos pro vivis & defunctis fidelibus cantent cum orationibus ordinatis: volueruntque ut Monachi in Pascha & Pentecoste consuetudinem in servitio divino teneant Romanorum.

De libertate domorum Canonicorum.

His temporibus Ludovicus Pius concessit Canonicis, concordante domino Papa, habere in domibus libertatem & judiciariam potestatem: & voluit ipsos vestiri griseis & variis, quia adeo crescebat Ecclesia in Galliis, quòd Reges, Duces & Barones habebant filios & fratres, avunculos in ecclesiis Canonicorum & Monasteriis Monachorum, & se supponebant obedientiæ humilium fortiores.

ADNOTATIONES.

Etsi hoc fragmentum nonnulla contineat dubiæ fidei, plura tamen habet notatu digna. Dubium est quod legitur de adventu Gregorii Papæ Aquisgranum. Accessit quidem Gregorius IV. anno DCCCXXXIII in Gallias, Ludovicum Augustum cum filiis reconciliaturus: at Imperatorem convenit in locum, qui dicitur *Campus-mendacis, qui est inter Argentariam & Basileam*, inquit Theganus; atque inde inviso Aquisgrano Romam recessit. Item dubium est, an ea quæ de Concilii Aquisgranensis decretis referuntur; pertineant ad Concilia Aquisgrani habita annis DCCCXVI & DCCCXVII, pontificatu Stephani & Paschalis; an verò ad alia duo, quæ tempore Gregorii ibidem celebrata sunt annis DCCCXXVIII & DCCCXXXVI. Denique

nescio an dubium sit id quod dicitur de mercede Canonicis divino Officio adsistentibus distribuenda, quod recentiorum esse temporum forsan quis reputaverit. Quamquam meitæ (*merraux* vulgus appellat) eo tempore jam in usu erant, ut patet ex Statutis Adalhardi Abbatis Corbeïensis. Lege acta S. Tetrici Episcopi Autisiodorensis.

Ceterum observatu digna sunt, quæ de divisione mensæ, ut vocant, Præpositi à mensa Canonicorum, deque eorum habitu referuntur. Item quæ de usu pinguedinis Monachis permissi. Nimirum in Synodo Aquisgranensi anni DCCCXVII, ut patet ex capitulis XXII & XXXVII. quod postre... statuit. *Ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta sexta feria, & diebus octo ante Natale Domini, & à Quinquagesima usque ad Pascha.* Id permissum Monachis Francis propter defectum olei, iidem tradunt anonymus Auctor in vita sancti Meinwerci Paderbornensis Episcopi, & Ordericus Vitalis in Historiæ lib. 8 pag. 712. Feriam sextam aliosque pænitentiæ dies excepêre Patres, tametsi eo tempore pinguedo feria sexta in usu erat, testante Monacho Sancti-Gallensi in lib. 1 de vita Caroli Magni cap. 17, cujus verba hîc apponam. *In eadem profectione inopinatò venit* (Carolus) *ad quemdam Episcopum, in loco inevitabili constitutum. Cùmque ipsa die carnes quadrupedum aut volatilium comedere noluisset, quia sexta erat feria; Pontifex ille juxta facultatem loci illius, cum repente pisces invenire nequisset, optimum illi caseum, & ex pinguedine carnium jussit apponi.* ubi malè in editis legitur *ex pinguedine canum.* Abusus iste, utendi scilicet pinguedine feria sexta, derivatus est ad Cluniacenses nostros, postmodum à Petro Venerabili sublatus.

ADDITAMENTUM

AD CONCILIUM TUSIACENSE,

Post caput V. *quod in editis habetur tomo* III. *Sirmondi pag.* 162. *post verba,* sub disciplina eorum maneant.

HÆc, fratres & carissimi consacerdotes nostri, quæ unanimi vobis intentione secundùm sententiam XL Episcoporum promulgatam tenenda omnino & conservanda sunt. videlicet ut omnes raptores Sanctimonialium virginumque atque viduarum, cujuscumque etiam rei prædones, incestos, perjuros, oppressoresque pauperum, invasores per vim ecclesiasticarum rerum, usurarum exactores, hos videlicet qui judicantes magis pauperes compellunt reddere, quàm acceptum fuerat in prima donatione: necnon subtractores decimarum...

ADNOTATIONES.

HOc additamentum eruimus ex ms. codice Bibliothecæ S. Mariani apud Autisiodorum, in quo habetur vetus collectio canonum. Ex hoc autem fragmento discimus, Episcopos dumtaxat XL interfuisse Concilio Tusiacensi anno DCCCLX. tametsi ei subscribunt Episcopi octo & quinquaginta. Quod accidit duabus ex causis, nempe quia ejusdem sedis Episcopi duo interdum subscripserunt, scilicet Episcopi Noviomenses duo, Rainelmus, & Immo ejus successor: duo item Autisiodorenses, Christianus, & Abbo. Ad hæc subscripsere etiam absentes nonnulli, ad quos ejusdem Concilii exemplum transmissum est. Moris quippe tum erat, ut in gravioribus negotiis Conciliorum decreta sigillo suo confirmarent, non solùm præsentes; sed etiam absentes Episcopi; immo etiam ipsorum successores. cujus rei luculentum habemus exemplum in prædicto Concilio Tusiacensi.

Injuriâ proinde Critici nonnulli vetera diplomata falsi postulant hoc nomine, quòd iis duo ejusdem sedis Episcopi nonnumquam subscripsisse deprehendantur. quales sunt litteræ Geilonis Episcopi Lingonensis, quibus subscribunt tres Episcopi Lingonenses, Lugdunenses duo, duo itidem Æduenses apud Perardum in monumentis Burgundicis, pag. 50 & 51. Alia ejusdem rei exempla consule apud eumdem pag. 55, apud Acherium nostrum in Spicilegii tomo 1 pag. 414. apud Chiffletium in probationibus Historiæ Tornutiensis pag. 217 & 218 præsertim verò pag. 280 & 326. Sed antiquius habemus ejusdem rei exemplum in Testamento sancti Audomari Morinorum Episcopi pro Monasterio Sithiensi, cui Testamento duo tresve Morinenses Episcopi subscripsere.

CAPITULARE

DE MONASTERIO SANCTÆ CRUCIS,

Quod est situm intra Pictavensem urbem, quod piissimus Imperator LUGDOVICUS fieri præcepit; atque ut idem ab omnibus observaretur, glorioso filio suo PIPINO commisit.

I.

UT à nemine prædictæ Sanctimoniales opprimantur injustè, vel condemnentur, ab ipso Domino PIPINO Rege provideatur.

II.

Ut à nemine temporale servitium exterius ullo modo quæratur, nisi quantum ab eis quæsivi, postquam eas sub regulari norma vivere constitui.

III.

Similiter ut res Monasterii, quas modò habent, non prius ab ullo auferantur, quàm aut ante Dominum PIPINUM, aut ante Comitem palatii illius præfata ratio reddatur.

IV.

Ut temporale servitium in opere femineo ab eis ad partem dominicam nullatenus quæratur. quia si hoc fieri cœperit, omnino Ordo regularis stare non poterit.

V.

De ceteris verò quæstionibus, quas aut alii ab ipsis, aut ipsæ quærunt ab aliis, secundùm consuetudinem ante Comitem vel Vicarios ejus justitiam reddant, & accipiant: tantum ut juste fiant.

VI.

Ut omnino caveatur, ne ultra centenarium numerum Congregatio illa per cujuscumque petitionem multiplicetur.

VII.

Ut omnino provideatur, ne Clericorum numerus plusquam XXX augeatur: & ipsi per omnia ad dictam congregationem sanctæ Crucis honestè & perfectè obedientes sint atque subjecti. . . . sin autem, liber discedat. Colonus autem vel servus ad naturale servitium, velit, nolit, redeat.

VIII.

Item si quando necesse fuerit, per jussionem Domini PIPINI Regis RAMNULFUM specialiter Missum habeant. Quando verò necesse fuerit, Advocatus earum per se justitiam faciat, & accipiat.

ADNOTATIONES.

HOc Capitulare desumtum est ex libro ms. Parthenonis sanctæ Crucis, cui titulus est, TESTAMENTUM S. RADEGUNDIS: quo in Capitulari hæc pauca observo.

In articulo secundo testatur Ludovicus, se ejus Monasterii Sanctimoniales *sub regulari norma vivere constituisse*, id est revocasse ad Regulæ sancti Benedicti observationem, quæ temporum lapsu ibi defecerat. Etsi enim Radegundis ejus loci Virginibus sancti Cæsarii Regulam initio præscripserit; procedente tamen tempore Regula sancti Benedicti istic admissa est. Exstat apud Frodoardum in Historiæ lib. 3 cap. 26 præclarum fragmentum epistolæ, quam Hincmarus Remorum Archiepiscopus ROTRUDI *Deo sacratæ & ceteris Sororibus Monasterii sanctæ Crucis & sanctæ Radegundis* scribit *pro electione Abbatissæ ipsius Monasterii*: qua in epistola Hincmarus eas ad concordiam & caritatem hortatus ex præscripto Regulæ, *quam professæ* erant, nimirum Benedictinæ, cujus verba refert ex cap. 13.

Articulis quarti intelligentia pendet ex Capitulari, quod Ludovicus Augustus de Monasteriis Regni Francorum edidit anno DCCCXVIII. ubi Monasteria distinguit in duas classes: una, quæ *dona & militiam* Regi debebant; alia, quæ *nec dona, nec militiam dare* tenebantur, *sed solas orationes*. quo in genere, commemorando Aquitaniæ Monasteria, accenset *Monasterium sanctæ Crucis Puellarum*, quod à donis Regi faciendis & à militiæ oneribus immune esse jubet, solas ab eo exigens orationes pro salute Imperatoris & Regni.

In articulo septimo cavetur, ne *Clericorum numerus* ultra tricenarium augeatur: qui Clerici, sive tum sæculares fuerint, sive Monachi, incolebant basilicam sanctæ Mariæ, quæ postea sanctæ Radegundis ab ejusdem Reginæ tumulo dicta est. Constat verò in eadem basilica olim fuisse Monachos cum Abbate, testante Baudonivia Sanctimoniali in supplemento Vitæ sanctæ Radegundis, his verbis: *Postquam inde vir venerabilis* ARNEGESILUS *Abbas basilicæ beatæ Reginæ cum suis Monachis exivit*, &c. Conjicio tamen Ludovici Augusti principatu Canonicos sæculares eo loci degisse: de quibus statuit Imperator, ut Congregationi sanctæ Crucis *honestè & perfectè per omnia obedientes sint atque subjecti*. Moris quippe ab initio fuit, ut qui Sanctimonialibus adjuncti erant, sive Monachi, sive Clerici; Abbatissæ & Sanctimonialibus obsequerentur & obedirent. quod de Monasterio Streanesbalensi disertè scribit Beda in Historiæ lib. 4. cap. 23.

Ex articulo octavo intelligimus, Advocatos Monasteriorum sub Missis Dominicis justitiam dixisse. quod etiam aliis ex locis illustrari potest.

INCIPIT

ORDO OFFICII IN DOMO * S. BENEDICTI ANTE PASCHA.

* *In Domo.*

IN primis in Dominica quæ est ante Palma, id est quindecim dies ante Pascha, non cantant responsorium parvulum cum *Gloria*, & secunda feria iconias velant.

Item in Dominica quæ est in olivæ benedictionem, cantant Tertiam in S. Petro residentes. Omnes legunt lectionem secundum consuetudinem. Post lectionem verò sequitur Introitus & lectio Apostoli, & gradalis ad ipsam diem pertinentes, & Evangelium de ramis palmarum: & benedicuntur olivas, & incipiunt antiphonam, *Hosanna filio David*. Post hæc *Ecce quam bonum*, & intraot in S. Benedictum, & dicta oratione incipiunt aliam antiphonam, *Turba multa*. Sequitur Letania, & cum ipsa intrant ad Missam majorem. Ad ipsam legunt lectionem de Apostolo, gradalem & tractum, Evangelium, passionem Domini secundum Matthæum. Completâ Missa, vadunt cum psallentio in refectorio.

Item post Palma tantùm tres noctes faciunt nocturnum. Quarta autem feria, id est in vigilia Cœnæ Domini, hora nona expleta intrant ad Missam: legunt lectiones duas, & cantant graduales duos, unumquemque cum quinque versiculis. Sequitur Passio Domini secundum Lucam. Post Completorium verò ad ipsas vigilias signum non tangunt usque ad Missam in sabbato sancto; nec lectores benedictionem petunt, nec in fine consueta dicunt. Similiter ad mensas agatur.

Congregati omnes in Oratorio versum non dicant, nec vocatorium*, nec Presbyter compleat; nec

* Invitatorium.

orationem dicant, nisi tantum simpliciter incipiant antiphonam. Novem psalmi dividantur in tres vices, tres, tres, tres, cum novem responsoriis majoribus, & novem lectionibus de Lamentatione Jeremiæ, & Tractatu de passione Domini. Ita agatur usque in sabbato sancto.

Item in Cæna Domini agatur Missa ad Vesperum. Ita intrantes in refectorio, accipiant singulas biberes & panem, & quicquid eis appositum fuerit. Exeuntes verò lavat Abbas pedes omnibus, & post Mandatum cænant.

Et in nocte de Cæna Domini, quod est Parasceve, incipientes Matutinum, per singulas antiphonas exstinguunt candelas singulas. Item in sexta feria ad Tertiam legunt Passionem Domini secundum Matthæum, ad Sextam secundum Marcum: hora verò nona legunt lectionem de Osee Propheta; sequitur gradalis cum quinque versiculis, *Domine audivi.* Deinde lectio de Exodo & tractus, *Qui habitat in adjutorio.* Post hæc Passio Domini secundum Johannem sequatur. Deinde Sacerdos fundat orationes XII cum totidem letaniis. Hæc omnia expleta, adorant sanctam Crucem. Acta vespera vadant ad reficiendum.

Sabbato verò post horam nonam, pulsato signo intrent in Oratorio. Dicta oratione incipiunt Lectiones XII cum IX orationibus totidemque gradalibus, & sequuntur benedictiones, & benedictio cerei & aquæ. Exeuntes verò cum letania procedunt ad S. Petrum. Finita ibidem ipsa letania, dicta oratione procedunt inde ad S. Benedictum cum alia letania: & illa ibidem finita, similiter dicta oratione incipient aliam, & cum ipsa procedunt ad Missam majorem. Post Missam, peractâ vesperâ vadunt cum psallentio in refectorio.

Item Dominico die vadunt cum antiphona & aqua sancta per singulas mansiones. Finita omnia & completa, procedunt in refectorium cum psallentio. Secundâ feriâ eunt cum Cruce & patrocinia *, & aqua sancta per singulos labores: redeuntes agunt Missam in sancto Petro.

Tertiâ verò feriâ procedens jusо *, jungentes se invicem, & salutantes se mutuo ad S. Petrum in civitate: incipientes letaniam, intrant in ecclesiam, legunt lectionem Actus Apostolorum, gradalem, *alleluia*; sequitur Evangelium. Dicta oratione incipientes antiphonam procedunt in cellam ad sancto Salvatore. Peracta autem Missarum sollemnia, incipientes antiphonam eunt in refectorio. His ita omnibus expletis, secunda & tertia feria faciunt octo lectiones; reliquis diebus usque in octaba sexta & usque in Pentecosten omni nocte tres lectiones; & ad matutinum * *Dominus regnavit*, & *Jubilate Deo.*

In his festivitatibus fiunt XII lectiones, & dicitur *Dominus regnavit*, Pascha, Ascensio Domini, Pontecosten, S. Johannis Baptistæ, S. Petri, S. Laurentii, S. Mariæ, S. Martini, Nativitas Domini, Epiphania Domini, Octabas Domini, Octabas Epiphaniæ, Purificatio S. Mariæ, Nativitas S. Faustini, & Jovitæ, & depositio S. Benedicti Abbatis, & S. Gregorii Papæ, & S. Germani Episcopi. In his autem festivitatibus in vigilia non processio, nec jejunium ad vesperum, videlicet octaba Domini, octaba Epiphaniæ, & Purificatione sanctæ Mariæ. In reliquis autem sanctorum festivitatibus VIII lectiones.

* id est reliquiis.

* id est, deorsum seu inferius.

* Laudes.

ADNOTATIO.

PRæmissus Ordo habetur in codice bibliothecæ sancti Udalrici apud Augustam Vindelicorum, scripto ab annis fere nongentis. Hunc conjicimus esse Ordinem antiquum ecclesiæ Frisingensis, quæ etiam sancto Benedicto sacrata erat, monachis à sancto Corbiniano Episcopo primitus commissa, ut alibi ostendimus. Illud observatione dignum, quod Passio Domini triplex in Parasceve legenda præscribitur.

In eo codice præmittitur alia manu vetus Kalendarium seu breve Martyrologium; deinde Regula sancti Benedicti, in cujus fine legitur: *Faciemus hac vita erit æterna.* Tum sequuntur versus, *Qui leni juga, &c.* Deinde ordo legendi libros sacros in ecclesia Romana: postea Ordo, quem mox edidimus, cum hymnis ecclesiasticis. Item breve scriptum *de ponderibus* absque auctoris nomine, ubi hæc verba: *Unciæ* XII *libram efficiunt. . . . . Libra una & semis heminam facit: dua hemina sextarium reddunt.* XXIV. *sextaria modium faciunt, quindecim modia gomor, duo gomor corum.*

Hunc Ordini, propter argumenti affinitatem, subjicimus ex pervetusto codice sancti Galli antiquas Consuetudines in monasteriis nostris olim servatas. Deinde verò epistolam seu rescriptum Casinensium ad litteras monachorum Teutonicorum de ritibus Cluniacensibus: quam epistolam in opusculo cujusdam codicis publicæ bibliothecæ Basileensis invenimus.



ANTIQUÆ CONSUETUDINES

Monasteriorum Ordinis S. Benedicti.

PAtres cœnobiorum studiosè sanctam Regulam observare cum summa cura decertant, ut fratribus suis necessaria alimentorum & indumentorum secundum statuta sanctæ Regulæ præbeant: ut omnem eis mundanæ curæ occasionem tollant, & peculiaris alicujus atque murmurationis mortiferum virus excludant, suæque professioni idoneos reddant. Nam eleemosynarum largitionem, seu quamlibet oblationem, sive possessionum suarum reditus maxime in hoc expendunt, ut fratribus suis necessaria, non superflua præbeant, quatenus ab eis liberiùs sancti propositi observationem requirere valeant: curasque & sollicitudines rerum terrenarum postponunt, & secundum præcepta Regulæ lucrandis animabus studiosè invigilant.

I. In Oratorio summum silentium, summam psallendi reverentiam, temperamentum elevatiùs canendi, & ordinatissimum modum in choro standi; in omnibus agendis temperatam modulationem, ablata in omnibus festinatione confusa, ac celerrimum ad omnia signa conventum.

II. In sacrario magnum silentium, & nitidissimam administrationem, & vestimentorum sacerdotalium honestam & ordinatam valde distributionem,

& ſignorum valde distinctum ſonum.

III. In hoſpitali hoſpitum Monachorum honeſtiſſimam ſuſceptionem, ſegregata dumo ſuſceptionis aliorum hoſpitum.

IV. In refectorio ſummum ſilentium, & ordinatiſſimam atque mundiſſimam cibi & potus amminiſtrationem, atque ſecundum Regulam æqualem in omnibus pro neceſſitate diſtributionem, in omnibus providentes, ne modom Regulæ uſquam excedant.

V. In clauſtris bora lectionis ſummum ſilentium, & ſummum ſtudium lectionis ab omnibus haberi: ſemper tamen in illorum habitationibus ſilentium & humilitas ſtudioſè obſervatur.

VI. In dormitorio ordinatiſſimam lectorum poſitionem, & æquam ac ſimilem ſtramentorum diviſionem: ubi nihil pictum vel variatum atque lineum vidimus, ſed neque in dormitorio hoſpitum.

VII. Omnigenam jurationem inter eos nec audiri, nec præſumi à quoquam: & nocturnum ſilentium ſemper ab eis cuſtodiri, ſive intus, ſive foris ſint, quouſque in Capitulo verſum dicant.

Ordinem Regularem apud eos qui in arce Regulari pollent, iſtum meminimus.

I. IN primis ut à veſpertinis uſque in Capitulum, quod fit poſt Primam, ſummum ſilentium teneatur: & poſt matutinas horas non redeatur ad lectulos, niſi quando plenarium officium celebratur: vel contingat ante horam ſurrexiſſe, excepto infirmis vel præ laſſitudine non valentibus, quorum imbecillitas à Priore conſideranda eſt.

II. Poſt lectionem autem Capituli exeundum eſt ad opus quod præcipitur à Priore cum ſumma cautela in Pſalmorum modulatione vel ſpiritualium rerum conlocutionibus, ne verba otioſa ſubripiant, ut juxta regularem auctoritatem uſque ad interrogationem non loquantur. Iſta interrogatio à ſapientibus conſideranda eſt, ut paucis comprehendant.

III. Poſt opus, & Tertiam, & Miſſam, pleniter conveniatur ad lectionem in locum deputatum ab omnibus, excepto his qui in variis officiis deputantur: ſed de his qui poſſunt occurrant, quorum conſcientia ſibi teſtis eſt, utrum poſſint, cuſtodito ſummo ſilentio in intentione lectionis, niſi jubeat Prior alicui doctiori, minus doctis fratribus vel doctrina indigentibus lectionem tradere, de cujus moribus ſecurus ſit.

IV. His ita compoſitis, frater qui ſignis horarum præeſt, accedat ad coquinam ad videndum, ſi jam parata ſunt quæ parantur fratrum uſui neceſſaria. His paratis moveat ſignum prolixiùs, dum fratres omnes in eccleſiam concurrere poſſint. His in unum poſitis ſignum ſecundum pulſet brevius. Finito officio, ſtet Abbas vel ſecundus ab illo, ſi ipſe non adeſt cum fratribus; & ſenior Decanus accedat propere ad ſignum refectorii pulſandum, quo audito, Abbas præcedat, ſic ſequantur reliqui fratres honeſtiſſimè, ut nullius vox vel muſſitatio ibi audiatur.

V. Poſt cibum autem citiùs redeunt ad ſtratus ſuos, maxime juvenes vel negligentes, quorum mores notantur. Si qui ſunt de quibus bene præſumitur & volunt, liceat illis aliquantulum, ſed tamen breviter, vacare orationi in eccleſia. In clauſtro autem vel prohibito loco nullus inveniatur, ne fortè (quod abſit) aliquis fabulis vacet vel otio. Sed nec hoc prædicti Patres ſaltim concedunt.

VI. Item ſigno Nonæ priore pulſato prolixiùs, ſuſtineatur à ſecundo eo modo, ſicut ſuperius; & cetera omnia quæ ſuperiùs diximus de hora Sexta, compleantur. Sunt qui verſum volunt dicere poſt potum Nonæ, ſicut priùs in Capitulo, ad ſolvendum ſilentium, quod cautè cuſtodiunt uſque ad illam horam. Sed videat Abbas, utrum hoc obſervare voluerit. Poſt Nonam autem, ſicut jam præfati ſumus, in opere cuſtodiantur omnia.

VII. Vidimus etiam de adoleſcentioribus fratribus maximam curam haberi, & ad hanc curam deputatos duos, quorum probatiſſima vita habebatur in monaſterio; nec declinari adoleſcentes ab eorum adſpectu, ſive in die, ſive in nocte, umquam auſos fore.

VIII. Circatores etiam duos, qui omnibus horis, dum fratres vigilabant, circuibant monaſterium, ne quis frater deeſſet proprio loco: ſi autem defuiſſet, ſtatim in tabulis notabatur, & in conventu fratrum adſpectui Abbatis præſentabatur, & juxta propriam temeritatem regulari diſciplina corripiebatur. Sed & multa alia, quæ brevitas hujus ſchedulæ coercet, & ore conloquentis edocentur melius, ab his Patribus cuſtodiri.

IX. De modis autem pænitentiæ cautiſſimè decernunt, quos modos eſſe ſeptem dicunt regulares. Primus, ammonitio ſemel & iterum atque tertio. Secundus, correptio publica coram omnibus, abſque excommunicatione. Tertius, excommunicatio pro levioribus culpis. Quartus, excommunicatio pro gravioribus culpis. Quintus, verberum vindicta vel corporis caſtigatio. Sextus, oratio communis ab omnibus. Septimus, expulſio de Monaſterio, ſi rite recordor. Inveniuntur tamen & alii modi pænitentiæ in regulari diſciplina: ſed hi excellentiores.

X. Vidimus etiam & aliud obſervabile. Si quis ad perfectionem taciturnitatis venire deſideret, quod nullus fratrum in quolibet loco loqui aliquid præſumebat, præter duo ad hæc deputata. In eccleſia nullus præter officium divinum & verba orationis: ſi aliquid cuilibet loqui neceſſitas erat, tacto veſtimento Abbatis vel cujuſlibet fratris annuit ad illa loca: expoſitiſque pauciſſimis verbis vel rationabilibus, ſtatim abſceſſerunt, timentes ne propter neceſſaria verba, in nociva & inutilia inciderent.

XI. Prædicti circatores hoc obſervabant; ſi aliquem ridentem vel aliquid ſuſurrantem conſpexerant, ſtatim tabulis notabatur, & benigniſſimè corripiebatur tempore oportuno.

XII. Inter ſe namque tanta caritate ardebant, ut ſi cuilibet contigiſſet, propter communem utilitatem longiùs abeſſe, quod tanta dilectione deſiderabatur ab omnibus, ut nulla mater amplius unicum filium deſiderare potuiſſet, uſque dum rediret. Reddito propriis, ſtatim ſuper collum ejus in oſculum ruebant fraterno affectu, implentes illud quod Dominus dicit in Evangelio: *Tunc vere diſcipuli mei eritis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.*





SCRIPTUM
FRATRUM DE MONTE CASINO
Ad Fratres ejusdem Ordinis, scilicet S. Benedicti, in Alemaniam & Franciam, &c.

De ritibus Casinensium, & Cluniacensium.

PRofessionis monasticæ Patribus & Fratribus Teutoniensibus, suorum justa consuetudinem priorum hactenus innitentibus Patris nostri Benedicti institutis, Casinensea in incepto fine tenua perseverare, ut salvari mereantur communi cum Patre. De quibus nobis paternitas vestra scripsit, scilicet ut aliquid vobis de nostræ conversationis ac institutionis consuetudine rescriberemus, dominum nostrum Abbatem consulere operæ pretium dusimua: cujua præcepto & fratrum consilio ista remandamus. Magistram in omnibus Regulam sequimur, beati BENEDICTI Patris nostri præcepta servamus: neque pro aliqua aliena novaque consuetudine volumus à tantæ veritatis tramite deviare, illud Apostoli Pauli attendentes: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* & quod item in alio loco: *Si quis evangelizaverit vobis præter quod evangelizavimus, anathema sit.* Et item: *Suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Quis igitur monachus novitatis inventor, sanctæque Regulæ Patris nostri transgressor, rectè in monasterio vivere videtur? cùm tantæ sanctitatis vir, cujus doctrinâ tota redolet Ecclesia, beatus scilicet Papa Grrgorius, ejus miracula scribens, de eo diceret: Scripsit autem & monachorum Regulam discretione præcipuam sermone luculentam. Laudamus equidem si aliquid in monasterio tolerabile additur: sic tamen ut institutio Regulæ non amittatur. Scilicet sicut apud nos & ubique terrarum, quarum ad nos fama pervenit, multæ variæque consuetudines, cum Regula non discordantes, ex utraque parte maris recipiuntur. Aliam enim Teutonici monachi, aliam Italici, aliam Franci, aliam alii ex ista parte maris habent complurimi. Similiter ex illa parte, aliam jam Constantinopolitani, aliam Antiocheni, aliam Alesandrini, aliam illi & illi: omnes tamen bonæ sunt & utiles. Unde non parum miramur, cur aliqui per insolentiam superbiæ fastu inflati, temerariè per unam, etsi bonam, aliam non minùs bonam, vel forsitan meliorem destruere videantur.

De quibus tamen præ ceteris specialius nobis scripsistis, de tonsura scilicet & habitu Cluniacensium, breviter respondere possumus, quia nec nobis placent, nec cuiquam, qui regulariter vivere voluerit, jure placenda sunt. Videntur enim omnino contra Regulam. Si verò de nostra tonsura & habitu quæritis, nos in utroque vobis concordare sciatis. Nostrum igitur vobis, si placet, quod Apostolus in commune dat, tam vobis quàm nobis, & nos dabimus consilium: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Consuetudines vestras & institutiones, tantùm ne Regulæ dissentiant, pro nulla alia mutare studeatis. Quia ad montem fortitudinis quæstiones vestras retulistis, quia de ipso fonte haurire desiderastis, quia tabulis testamenti leges vestras firmari voluistis, quia caritati vestræ quidquam negare non possumus; hæc vobis de communi scribere studuimus. Et re vera etiamsi, ut paternitas vestra mandavit, consuetudines nostras & institutiones scribere possemus de integro, mensis spatio nihil remaneret, etsi omnia seriatim comprehendere vellemus. Quasdam autem partes, quæ vobis utiliores videntur, quasi quosdam flores decerpendo colligere non minor ferè difficultaa essee, cùm partium electio nisi toto diligentius perfecto fieri non possit. Verumtamen si in vestro perseverare volueritis desiderio, nostrum qualecomque vobis non displiceat consilium. Plerique nostræ consuetudinis, nostræque conversationis cupidi, de suis quem cognoscunt ingenuum, unum huc transmittunt, quo non solum auditu, verùm etiam ipso visu pro quibus mittitur perspiciat; eoque modo, quasi unus ex nobis, hîc quidam per integrum annum, quidam etiam diutius manent, tandem omnibus perspectis ad sua certus cum gaudio redit. Hoc idem non ab re nobis videtur, si vobis placeat, consilium: sic tamen ut honori vestro consulentes, hujus loci, cùm nostri, tum etiam hujus rei causa commodo & honori provideatis. In Christo valeatis, vigeatis, sine fine vivatis.



PROLOGUS
IN LIBRUM CONSUETUDINUM HIRSAUGIENSIUM,
Auctore WILLELMO *Abbate.*

POstquam ego Frater WILHELMUS Dei ordinatione & Fratrum Hirsaugensium electione ejusdem loci Provisor sum constitutus, indidi eis in primis, quas à puero didiceram in monasterio sancti Emmerammi regularis vitæ consuetudinea. Sed quia multa in eis erant, quæ paulatim succedente desidiâ à monastico rigore, & ab illius partæ conversationis nobilitate videbantur degenerasse; statui apud me, ut ubicumque aliquid informandis fratrum moribus proficuum visu vel auditu, vel certè lectione sacrorum librorum perciperem, totum hoc quasi vivos lapides ad spiritualis structuræ fabricam conferrem. Quod propositum meum dum es, qui replet in bonis desiderium fidelium suorum, sedulis precibus commendarem; Deo omnia mirabiliter ac misericorditer disponente, venerabilis vir ac bonorum omnium memoriâ dignus BERNARDUS Abbas Massiliensis, apostolicæ sedis legatione functus ad nos devenit,

integrumque ferè annum difficultate conficiendi itineris quod volebat inhibitus, nobiscum exegit. qui ubi sollicitè Fratrum conversationem, & monasterii nostri statum pervidit; quodam die inter cetera spiritualis vitæ colloquia sic me compellavit. « Ut video, Frater carissime, locus iste admodum aptus est conversationi monasticæ, & ipsi Fratres justè ac sanctè vivendi ardentissimo videntur flagrare studio. Sed nosse velim quos potissimum vestræ institutionis magistros habeatis, & à quo præcipuè monasterio derivatas consuetudines observetis. Nostri, inquam, est studii quoslibet religiosos hujus vitæ viros pro posse nostro imitari; sed si nos in aliquo deviantes dignamini ad viam reducere, procul dubio quocumque nos sapientis consilii manuducitis, promptissimè subsequemur. Ad hæc ille: Vestra, inquit, conversatio, quantum nostri ingenioli acumine perspici potest, & Deo acceptabilis, & omnium sanè sapientium admiratio videtur. sed si adhuc gloriosior esset, & apostolicis, ut ita dicam signis & virtutibus illustrata clarescet; his tamen, qui sincerè monasticam sectantur perfectionem, non adeò grata, acceptaque erit, nisi aliis regulariter institutis monasteriis in habitu & tonsura, ceteris consuetudinibus assimilata fuerit. Sed inter omnia Cisalpinæ Galliæ monasteria, si nostram requiritis sententiam, Cluniacense cœnobium potissimùm vobis suadeo eligendum: ubi & perfectissimorum monachorum auctoritate, & temporis antiquitate monastica eo roboris & gloriæ excrevit religio, ut si qua adhuc sanctitatis vestigia in aliis videntur monasteriis, non dubium sit ex hoc, quasi ex vivo quodam & inexhausto fonte, singulos emanasse rivulos. » Dum his & hujusmodi monitis vir prædictus, ut dici solet, stimulos currentibus addidisset, peracta legatione pro qua venerat, redit; & in redeundo Cluniacum transiens, ipsi Patri monasterii nos intimè commendavit, & ad pristinum (si quid hujusmodi ab eo peteremus), satis benevolum reddidit.

Circa idem tempus Udalricus senior quidam Cluniacensis, nutu Dei, pro causâ monasterii in Alemaniam missus, aliquandiu nobiscum mansit: & quia nobis olim erat familiarissimus, longâque jam experientiâ in Cluniacensibus disciplinis exercitatus, rogavimus eum, ut suas nobis consuetudines transscriberet. Annuit; spopondit, & ut promiserat, duos de prædictis consuetudinibus libellos nobis conscripsit. Postea considerantes in eisdem libellis multa deesse ad plenariam earumdem consuetudinum scientiam capessendam, primò duos ex nostris fratribus, atque iterum alios duos, tertiò nihilo minus duos Cluniacum direximus: qui tam diligenti examinatione omnia illius Ordinis secreta rimati sunt, ut ipsi eorum Magistri, in quorum audientia scriptas consuetudines recitabant, affirmarent, numquam aliquos illius spiritualis scholæ discipulos, vel pleniùs, vel veraciùs suæ institutionis artem comprehendisse. Illis tandem redeuntibus, & tam fructuosi operis manipulos cum gaudio reportantibus, accepimus per eos mandatum à domino Hugone venerabili Cluniacensium Abbate, ut suâ freti auctoritate, coadunato seniorum nostrorum consilio, prout ipsa dictaret ratio, secundum morem patriæ, loci situm, & aeris temperiem, de eisdem consuetudinibus, si quid esset superfluum, demeremus; si quid mutandum, mutaremus; si quid addendum, adderemus. quod sagaci studio communiter insistentes, & pauca quidem mutantes, multo autem pauciora recidentes, totas illas consuetudines in duos libros distinctis per sua capitula sententiis digessimus. Hac autem intentione & hac mercedis compensatione tam sumptuosum opus elaboravimus, ut & vos Fratres carissimi, reverendi Patres ac domini, & quibuscumque inest amor & studium secundum vos instituì, hæc observando vitam æternam promereri valeatis: dumque vos nostro labore ad bene vivendum adjuvari gaudetis; nos quoque ad semper cum Christo beatè vivendum, vestris orationibus adjuvetis.

Hilari ergo animo, & obviis (ut dicitur) manibus suscipite parvula quidem, sed multo labore exsudata Patris nostri xenia, & ad perpetuam paulò post morituri senis memoriam, amplectimini, servate & observate, atque in intimis reponite sensibus: ut quàm sincero amore viventem dilexeritis, in horum observatione innotescat omnibus per succedentia tempora futuris. Hinc etiam operi proposito manum applicantes, congruum arbitramur à Novitiorum susceptione, eorumque institutione omnium quæ dicenda sunt exordium facere.

ADNOTATIO.

Willelmi Abbatis libros duos de ritibus monasterii sui repetimus in quibusdam Germaniæ monasteriis, ut in Weingartensi, unde superiorem Prologum depromsimus. Liber primus constat capitibus LXIV, secundus LXXII. Parum differunt à Cluniacensibus ritus Hirsaugienses, in quibus eadem verba eædemque sententiæ passim leguntur. Quia verò Willelmus in superiori Prologo mentionem facit de illis, *quas in monasterio sancti Emmerammi didicerat regularis vitæ consuetudines*, hîc eas subjicere, prout in codice Emildensi à nobis repertæ sunt, prima lectione visum erat. Sed ne hujusce libri moles nimium cresceret, has in aliud tempus reservandas duximus.

FORMULÆ OBLATIONIS PUERORUM.

I. *Formula Oblationis Pueri in Monasterio Saviniacensi.*

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi Filii Dei Patris, ego Agenaldus neputem meum Gutefredum post Dominum ut eum ambo sequamur, mecum trahens, traditionem rerum nostrarum omnium donatione legali facio monasterio Saviniacensi in honore beati Martini constructo, quicquid communiter habere videmur in pago Forensi, loco qui dicitur Vernionus, & ego per me in pago Lugdunensi loco dicto Lusinangus, quæ jure hereditario possideo, absque scilicet supradicto nepote meo Gotefredo, in terris aratoriis, silvis, in vineis, in pratis: ut ex his quicquid utilitatis amodo & usque in æternum exire potuerit, sumant quicumque paupertatem Christi diligentes, in ejus honore communem vitam degentes, in præfato monasterio deserviunt atque deservituri sunt. Si verò aut ego ipse (quod absit) aut

alter quispiam hanc donationem removere tentaverit, aut eam infringere velit, x libras auri monasterio sancti Martini cogatur inferre, & nullatenus quod repetiee vindicare permittatur. Ego Agenaldus qui donationem facio subter assigno. S. Berardi, S. Folcherii, S. Othgerii, S. Aledonis, S. item Otgerii. Hanc donationem Widu vocatus scripsit jubente domno Abbate BAOINO.

Alia Formula GUILIELMI *&* GARSINDIS *uxoris ejus offerentium* GERALDUM *filium suum sancto Willelmo Gellonensi, & cum eo Ecclesiam S. Martini de Lundris.*

IN nomine summi Dei Patris omnipotentis. & Filii ejus Domini nostri Jesu-Christi, & Spiritus sancti, ego Ademarus Guillelmi, filius Guidueldis, & uxor mea Garsindis, & filii mei, videlicet Raymundus, & Ugo, Guillelmus, atque Rostagnus, Petrus, Ademarus & Bertrandus, donamus nos prænominati scilicet Ademarus, & conjux mea Garsindis, & filii nostri præscripti simul cum filio nostro Geraldo, ecclesiam sancti Martini de Lundras, cum decimis & primitiis, & omni cimiterio & cum omnibus ad ecclesiam pertinentibus, sicut melius visus sum habere vel possidere, vel homo vel femina per me & quicquid habere potui vel debui ad proprium alodem altari sancti Salvatoris Gellonensis cœnobii, & Dominicæ Cruci, & sancto Confessori Christi Willelmo, & Abbati Berengario, universisque monachis præsentibus & futuris, sine ullo malo ingenio vel sine aliqua pecunia. Hanc verò donationem facimus nos supradicti Ademarus & uxor mea Garsindis pro remedio animarum nostrarum, vel parentum nostrorum, & pro filio nostro Geraldo, quem tradimus ad monachalem habitum eo modo, ut jam dictus Geraldus semper monachus exsistat: & si ipse mortuus fuerit, & nostra voluntas fuerit, pro hac ipsa donatione alius filius loco illius subrogetur; & sic unus succedat alteri, donec aliquis Missam cantet ex his sub monachali habitu jam dicto loco serviens. Hæc verò donatio vel scriptio facta est præcipiente & firmante Ademaro & uxore sua Garsinde, & fratre suo Petro Guillelmo, & Berengario de Va.... & Pontio Raymundo de Podio Aboue & Guillelmo-Petro, & Guillelmo Ricardo, ut semper firma ista & stabilis permaneat, nulloque tempore scindatur. Anno M LXXXVIIJ regnante Philippo Rege Francorum, sub die kalendarum Maii, Luna VJ facta est hæc donatio.

III. *Oblatio* PETRI *Pueri, posteà Episcopi Pampilonensis, in Monasterio Conchensi.*

COgnitum sit omnibus, tam præsentibus, quàm & futuris, quod dominus Dsoo de Andoca, offerens Deo & beatæ Fidi de Conchis unicum filium suum, nomine PETRUM, postea per Dei gratiam factum Pampilonensem Episcopum, insuper etiam cum uxore sua STEPHANA monasticum suscipiens habitum, dedit sancto Salvatori & sanctæ Fidi gloriosæ virgini locum & ecclesiam de Plantas, ac alodium pro remedio animæ suæ & omnium parentum suorum in perpetuum possidendum. Quapropter ego RAYMUNDUS Vidiani, qui sum de pertinentia ipsius, dono Deo & sanctæ Fidi ecclesiam de *Fornils* cum fevo presbyterali, & cum tota mea parte de decimis, quam ego tenebam in dominio, exceptis fevalibus. Hoc autem facio pro salute animæ meæ & omnium parentum meorum, & pro amore senioris mei Petri Pampilonensis Episcopi; & pro hac donatione debeo suscipi & procurari sine ulla occasione cum uxore mea, & in morte, & in vita in ipso loco de Plancas. Et hoc donum facio in manus domini BONIFACII Abbatis, coram Deo & omnibus sanctis fratribus. S. D. PETRI Pampilonensis Episcopi. S. Domni AMBLANDI monachi. S. Willelmi. S. Guidonis nepotis Episcopi. S. Petri Hugonis. S. Raymundi Poterii. Facta carta anno ab Incarnatione Domini M C X regnante Ludovico Francorum Rege.

IV. *Oblatio alterius Pueri apud Canonicos Ecclesiæ S. Justi Narbonensis.*

IN Redemptoris mundi nomine pateat cunctis hanc scripturam audientibus vel legentibus, me BERNARDUM Geraldi, & uxorem meam, nomine GUILLELMAM, Domino Deo sanctisque martyribus Justo & Pastori; in manus domni RICARDI Narbonensis Archiepiscopi, nostrum filium, nomine GERALDUM, ad Canonicum regularem faciendum, cum omnibus nostris decimis atque ecclesiasticis in Canonica ad possidendum jure perenni dedisse. Concedimus ibi omnem nostram partem, quam habemus in ecclesia de Pipuinis, tam in decimis, quàm in ecclesiasticis, videlicet octavam partem omnium rerum; in Opiniano verò tertiam partem omnium rerum; & *Martiz* quartam partem omnium rerum; in Malliaco quartam partem omnium rerum; in Puteolis omne illud quod in pignore habemus; in Rubiano omne illud quod in pignore habemus & habere debemus. Quidquid autem in Pagumano & in Serillano habemus vel habere debemus, similiter donamus. Illud verò quod in Terciano habemus vel habere debemus, similiter donamus. Omnem enim honorem prænominatum cum ratione nostri juris ego Bernardus Geraldi & uxor mea, nomine Guillelma, donamus atque concedimus prædictis martyribus in Canonica sine retinamento ullo ad possidendum perpetuo jure. Quod autem in villa Pagumani & ejus terminis habemus, & homo vel femina habent per nos, similiter donamus, sicut superius scriptum est, quantum habemus in villis prædictis & in earum terminis, & homo habere vel tenere per nos debet, sic donamus unà cum filio nostro, nomine Geraldo, præfata Canonica perpetuali possessione. Si autem filius suprascriptus mortuus fuerit, liceat patri suo alium filium canonicare, si vult; & recipiant eum per eamdem convenientiam superius nominatam. Si autem homo vel femina contra hujus nostræ donationis &c. Hæc carta fuit facta x Kal. Martii anno Dominicæ Incarnationis M C XIIJ regnante LUDOVICO Rege. S. BERNARDI Geraldi & uxoris ejus qui hanc cartam scribere jusserunt, & hos testes firmare rogaverunt. S. Petri Richardi Canonici. S. Petri de Vilario. Arnaldus rogatus scripsit die & anno quo supra.



OBSERVATIONES.

De oblatione puerorum in Monasteriis.

ANtiquus est offerendorum in ecclesiis & monasteriis puerorum mos atque ritus, ex Oriente, ut pleraque alia, in Occidentem invectus. In exemplum præivit in veteri testamento factum Annæ matris Samuëlis, quem mater necdum conceptum Deo addixit. Hæc forma inde in Christianos manavit, & primùm quidem ad Græcos, ex quibus Gregorius Nazianzenus id testatur de se ipse in Oratione prima, *se ab ipsa juventute accitum, atque ad Deum à vulva ipsa projectum, & ex materna pollicitatione donatum fuisse.* Idem de aliis liberis suis præstitit Nonna ejus mater, quos illa, *etiam ante ortum, Deo promisit, atque in lucem editos statim consecravit*, ex oratione 19. Oblatio hæc ex voto parentum in ecclesia fiebat: eaque traducta est ad monasteria, Basilio institutore in Regulis fusius disputatis interrog. 15. *Prorsus ad eos qui nos accedunt admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum judicamus, vel ipsius adeo teneræ atque incuntis, ut videlicet qui orbati parentibus sunt, eos nostra sponte ipsi assumamus: qui autem sub parentibus sunt, eos ab ipsis ad nos adductos, multis adhibitis testibus recipiamus.*

2 Hunc ritum ex Basilio mutuatus est S. Benedictus, qui in Regulæ suæ cap. 59 sancit, ejusmodi pueros à parentibus offerri *coram testibus*, eorumque manum involvi in *palla altaris*. Sed unum addidit sanctissimus Pater, quod Basilius liberum reliquerat, nempe tollendo pueris facultatem revertendi ad sæculum. Hanc sanctionem postea comprobavit Ecclesia variis in Conciliis, & primùm quidem in Concilio Toletano IV can. 49. & can. 55. Hinc Isidorus in Regulæ cap. 1. *Quicumque à parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum*, & quidem Samuelis, quod mox subdit, exemplo. Sed quia durior visa est, ante qualemcumque rationis usum, nullo puerorum exspectato voto, inducta necessitas; hanc obligationem ad decennes redegit Concilium Toletanum IV can. 6. *De iis qui in parva ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt, quoniam usque huc dissoluta operationis effectus interdum mutare fecit honestum constitutionis edictum.... parentibus sane filios suos religioni contradere non amplius quam usque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit esse.*

3 Hæc tamen moderatio ubique non obtinuit. nam apud Anglos quinquennes, septennes, immo bimuli & anniculi offerebantur. qualis fuit Elfleda, à patre Oswi *unius tantùm anni devota*, testante Beda. Idem receptum in Gallia: sed tamen Abbates in Synodo Aquisgranensi anno DCCC XVII hoc statutum condiderunt cap. 36, ut quem pater aut mater tempore sacrificio obtulerant altari, facta pro eo coram laicis testibus petitione, hanc oblationem *tempore intelligibili ipse puer confirmaret.* Id postea invaluit passim apud nostrates. Unde Anselmus apud Eadmerum in lib. 1. de vita ipsius oblationem puerorum distinguit ab eorum professione, cùm de Osberno, qui ipsi post mortem apparuerat, ita loquitur. *De peccatis etiam, quæ post oblationem parentum ante suam professionem fecerat, illum accusavit: & de peccatis, quæ post professionem ante obitum suum egerat.* De hac item professione post oblationem facienda manifesta est auctoritas apud Lanfrancum in Decretorum cap. 17. Sed tamen hæc professio non ita pendisse videtur ex eorum arbitrio, ut integrum eis esset à voto parentum resilire: sed erat ex ejus professionis genere, quæ apud recentiores monachos professionis ac votorum renovatio appellatur. Unde *Benedictio* nominatur ab Udalrico in lib. 3. consuetudinum Cluniacensium cap. 8.

4 Germanis nonnullis displicuit hæc ex oblatione parentum imposita pueris necessitas. Unde quidam hac in re sancti Benedicti Regulam carpere ausi sunt, quos Rabanus libro singulari refutavit. Accessit etiam in causæ patrocinium Wormatiensis synodus anni DCCCLXVI can. 22. *Si pater vel mater filium filiamque intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderit disciplina, non liceat eis postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi & matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum est: quia nefas est ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur.* Quæ verba desumta sunt ex epistola Gregorii Papæ II: ad Bonifacium.

5 Neque verò tantùm apud Monachos ejusmodi oblationes in usu erant, sed etiam in ecclesiis Canonicorum regularium. Has inter censenda est illa, quam quarto loco superiùs retulimus, facta Narbone in ecclesia sancti Justi, ubi tunc erant Canonici regulares. Trimulos vel quadrimulos admittit Petrus de Honest. in Regulæ Clericorum lib. 1 cap. 9. Immo etiam ad Canonicos sæculares hic ritus derivatus est aliquando, ut in Turonica sancti Martini ecclesia collegiata: cujus rei exempla legimus.

6 Verùm, ut omnia honestis ac piis nata principiis in malos usus degenerant, violata est hæc sancta institutio parentum cupiditate, qui levandæ familiæ causa, si quos gibbosos, deformes, stupidos, & sæculo ineptos habebant filios, eos monasteriis includebant, injecta quasi in eorum collum oblationis ceu legis catena. Unde Udalricus in prologo ad consuetudines Cluniacenses, Willelmum Hirsaugiensem Abbatem laudat, quod ejusmodi pueros, per quos monastica disciplina tantum detrimenti passa erat, à monasterio suo penitus exclusisset. Item in Cassinensibus laudat Petrus Damiani in Opusculi 6. cap. 16. censens, puerorum scholas *rigorem sanctitatis sæpe enervasse.* Idem visum est Guiberto Abbati de Novigento in lib. 1 de vita sua cap. 8. Quam ob rem Guido, Cartusiæ Præpositus generalis quintus, pueros non recipiebat, *quia per eos monasteriis multa*, inquit, *contigisse dolemus. & magna spiritalia simul & corporalia pericula formidantes.* Eodem tempore Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis simile statutum edidit, in editis trigesimum sextum, quod postea Hugo Abbas eo nomine quintus confirmavit. Excepti ab ea lege sex pueri, qui etiam nunc in habitu monastico apud Cluniacenses deserviunt, ex Udalrico in lib. 3. cap. 8. Non tamen sanctus Anselmus ita affectus fuit in pueros, quin conquerenti cuidam Abbati, quòd indociles sustineret, respondit id non tam ex prava puerorum indole, quàm ex mala Præpositorum institutione oriri, teste Eadmero in lib. 1 de vita ejus. Sed demum sæculo duodecimo in desuetudinem penitus abire cœpit hæc puerorum oblatio, ejusque obligatio sublata est decreto Clementis Papæ III. cap. *Cum simus*, ac tandem Concilii Tridentini decreto penitus abrogata.

7 Jam verò quo ritu quove pacto ejusmodi pueri Deo offerrentur, considerare juvat. Ritum describit Sanctus Benedictus in jam laudato Regulæ suæ capite 59. Sed alios subinde ritus plerique monasteriorum Præpositi de novo addiderunt. Lanfrancus in Decretorum cap. 17. *Offerendus puer, facta; ei prius corona,*

V iij

manibus portans hostiam cum vino, sicut mos est; post Evangelium sacerdoti, qui Missam celebrat, à parentibus offeratur: qua oblatione à sacerdote suscepta, involvant prædicti parentes manum pueri in palla, qua altare coopertum est, & cujus pars anterius pendet, & tunc suscipiat eum Abbas. Quo facto, præfati parentes coram Deo & sanctis ejus statim promittant, quod per se aut à se suppositam personam susceptum Ordinem puer numquam relinquat; neque se ei scienter aliquid daturos, unde puer (quod absit) perire possit. Hanc promissionem priùs scriptam coram testibus verbis ibi prius edicant, & postea super altare ponant. Formulas harum promissionum, præter superiores, apud Acherium nostrum in Notis ad Lanfrancum, in Chronico Novaliciensi, & apud Smaragdum in commentario Regulæ legere licet. Addit eo loci Lanfrancus. *His expletis benedicat Abbas cucullam: & exuens puerum cappa vel pellibus, vel aliqua hujusmodi chlamyde, dicat:* Exuat te Dominus veterem hominem, *ut supra: & induens eum cuculla, subjungat:* Induat te Dominus novum hominem, &c. *Dehinc ducatur ad radendum & vestiendum, sicut noster Ordinis consuetudo est. Cum vero adultæ ætatis factus professionem fecerit, fiant ei cetera, quæ superiùs debere fieri converso jam diximus. Hoc enim quod modo factum est, iterari non oportet.* Paullo aliter hic ritus describitur apud Udalricum in lib. 3. Consuetudinum Cluniacensium cap. 8, & in ms. cæremoniali Aniniensi. Conversos hoc loco intelligit Lanfrancus, qui ex adultis ad religionem accedebant.

8 Ex hac oblatione sollemni inducebatur in pueros vitæ monasticæ obligatio. Neque eam in Roberto consanguineo suo negat in epistola 1 sanctus Bernardus aliam ob causam, quàm quia *petitio quam Regula præcipit, pro eo facta non erat à parentibus, nec manus illius cum ipsa petitione involuta pallio altaris, ut sic offerretur coram testibus.* Petitionem illam à promissione numquam à monasterio retrahendi puerum, distinctam fuisse aliàs probavimus in Præfatione 1 ad Sæculum quartum num. 53. Hinc patet ratam Bernardo futuram fuisse Roberti apud Cluniacenses oblationem, si sollemnes ritus observati fuissent. Quamquam ea oblatio non impediebat, quo minùs pueri ad districtiorem locum convolare possent. qua ratione Thomam de sancto Audomaro, à Benedictinis ad Claræ-vallenses transire volentem, non esse prohibendum ducet Bernardus ipse in epistola 324 quippe cum sic *votum parentum integrum maneret; & oblatio eorum non esset exinanita, sed cumulata.*

9. Hic quærunt nonnulli, an alii præter parentes, id est patrem & matrem, impuberes possent Deo consecrare. Res palam est ex formula 1 superius adducta, quâ Agenaldus nepotem suum Gotefredum offert Deo in monasterio Saviniacensi diœcesis Lugdunensis. Quin etiam monachi vice parentum pueros aliquando se offerebant, teste Udalrico. Sed scire interest, an oblatio patre & matre mortuis per alios consanguineos facta, pueros ligaret. Et quidem ita videri possit: tum quia *parentum* nomine passim apud antiquos consanguinei designantur: tum quia veteres formulæ camdem propinquis tribuunt hac in re potestatem, quàm patri & matri. Cæremoniale Anianense ms. *Si quis desiderat habitum monachalem & religionem assumere, veniat ad monasterium cum patre si habet; vel si non habet, cum uno vel duobus de propinquis suis: & mane inter Primam seu Tertiam adducatur in veste sæculari ante altare sancti Salvatoris præsente Abbate & conventu: & tunc ibi à parentibus offeratur Deo, & involvatur manus ejus in palla altaris*, &c. At ex Smaragdi commentario in Regulam certum est, hanc vel utrique parenti, vel eorum alterutri reservatam esse absolutam potestatem. nam prolato Samuelis à parentibus oblati exemplo *Hinc datur intelligi*, inquit, *quia parentes, non alios quàm patrem aut matrem, qui eum genuerunt, dicit: quia Anna Samuelem quem genuit, ipsa, & non alius eum servitururum in templo Domini obtulit.* Eadem est sententia Hildemari vetustissimi commentatoris. Cùm ergo impuberum oblationes à propinquis factæ leguntur: id intelligendum de eis, qui per rationis usum jam quasi sui juris facti, se postulabant offerri à propinquis ad supplendum ætatis defectum.

10. Qui puerum offerebant, nobiles vel mediocres, aliquid monasterio ex rebus suis dare consueverant, idque in litteris promissionis passim exprimebant. Bernardus in epistola 1 ad Robertum. *Ostenditur deinde terrâ, quæ cum illo & pro illo dicitur data fuisse.* Quidam tamen in aliud tempus eam donationem differebant, qualis fuit ille, de quo epistola Rodulfi Abbatis sancti Trudonis extat in tomo 2 Analectorum.

11. Ita porro nonnumquam parentes in nuncupando voto comparati erant, ut si filius eorum oblatus ante viriles annos decessisset, alium se subrogaturos promitterent. Sic Ademarus Guillelmi unà cum uxore sua in formula secunda, qua filium suum Geraldum monasterio Gellonensi devovent, id faciunt eo pacto, ut si ipse mortuus fuerit ante adeptum sacerdotii gradum, *alius filius loco ipsius subrogetur, & sic unus succedat alteri, donec aliquis Missam cantet ex his sub monachali habitu jam dicto loco serviens.* Confer formulam quartam.

12. Ceterum pueri illi ita, ut diximus, Deo oblati, sic disciplinæ regularis legibus tenebantur, ut abstinentiam à carnibus more adultorum servarent. Unde Synodus Aquisgranensis anno DCCC XVII statuit cap. 37. *Ut infantes oblati carnem nonnisi causa infirmitatis manducent.* Alicubi tamen cum eis hac in re dispensatum. In habitu nihil à ceteris differebant, præterquam in capello & interula. Udalricus. *Eodem modo quo quilibet Novitius vestitur, præter quod ei non stamineum,* id est camisium laneum, *sed pro stamineo camisia linea datur. Cum visum fuerit domno Abbati, capellum de froccho ejus jubet auferri, & cucullam ei dandam benedicit.* Froccus seu (ut alii scribunt) floccus cum capello una ipsum est, quod rochetum appellabant. Hoc ergo primùm recipiebant pueri, tempore opportuno cucullam suscepturi. De puerorum oblatione, tametsi eruditè scripserunt non pauci, in primis Menardus noster in Concordiæ Regularum cap. 65, & H. ætenus; hæc observare visum est occasione superiorum formularum, quæ historiæ nonnihil lucis afferre possunt.



VARIÆ LITTERÆ
AD INEUNDAM SUFFRAGIORUM SOCIETATEM.

I. GAUFREDI *Abbatis Vindocinensis Epistola ad Cluniacenses, ad ineundam suffragiorum societatem.*

EGo frater GAUFRIDUS Vindocinensis monasterii qualiscumque Abbas, veniens ante præsentiam domini HUGONIS venerandi Cluniacensis Abbatis, petii ab illo dari mihi societatem & loci confraternitatem sui totiusque gregis à Deo sibi commissi: ut qui de propria perfectione minus præsumebam, eorum suffragiis æternam valerem acquirere vitam. quod ille clementer suscipiens, & libentissime complens, decrevit generali præcepto, ut quamdiu vixero, si in ejus absentia venero Cluniacum, Capitulo & meosæ totique Ordini vice illius præsim: & cum hac à luce migravero, ita per omnia in ipsius loco pro requie animæ meæ agatur in orationibus & eleemosynis, sicut pro uno Abbate illorum professo vel Monacho, cum adjectione tricenarii Missarum: Brevium quoque missione, ac Regulæ annotatione.

II. PETRI *Abbatis Cluniacensis Epistola ejusdem argumenti ad Venetos Senatores.*

DIlectissimis nobisque plurimum devotis dominis L. V. D. B. Petro L. atque Basilius germanis fratribus Fr. P. C. F. S. indignus cum omni congregatione Cluniacensi totius salutis, totius bonitatis, totius benedictionis plenitudinem. Bonorum omnium inspiratori cunctorumque omnipotenti largitori Deo, qui vestris cordibus tam devotum erga nos nostramque Congregationem tam ardentissimæ caritatis inspiravit fervorem, grates immensas reddimus. Etenim, cùm apud Venetiam orationis beati Marci & Visitationis fratrum gratia essemus, non valemus vestræ devotionis vestrique obsequii largitatem exprimere. Sed quoniam valde inhumanum est tanti beneficii esse immemores, ut cetera omittamus, illud dicere & memoriæ mandare volumus, qualiter vestræ dilectioni statuere & confirmare placuit, ut vos annuatim centum libras candidi incensi Deo & beatis ejus Petro & Paolo atque eorum Cluniacensi ecclesiæ ob vestrorum dectis remissionem peccatorum. Quam ob rem nos constituimus propter vestrorum qui decesserunt, tam marium, quàm feminarum parentum indulgentiam peccatorum, ut omni anno in crastinum transitus sancti Benedicti fiat generale officium cum Missa, atque ab omnibus sacerdotibus Missa cantetur, & à ceteris Psalmi secundum morem nostri Ordinis. De cetero omnipotens Deus vos benedicat, & ad vitam perducat æternam.

III. *Ejusdem* PETRI *Abbatis Cluniacensis Epistola ad Cartusienses.*

EGo frater PETRUS, humilis Cluniacensium Abbas, nota facio cunctis ista lecturis quæ sequuntur. Fratres Cartusienses quàm signatæ & famosæ religionis fuerint semper, innumeris per orbem diffusis miraculis clarum est. Ea de causa à primis promotionis nostræ ad hoc officium annis, & etiam antea, adhæsit anima mea illis, & super omnes religiosæ professionis congregationes, exceptis commissis nobis, semper eos & dilexi & veneratus sum. Non minorem autem ipsi jam ante annos XXX dilectionem, & ubi eis possibile fuit, operis vicem nobis rependerunt. Unde à nobis assensu fratrum in Capitulo Cluniacensi constitutum est, ut obeunte fratre Cartusiensis Ordinis, fiat pro ipso apud Cluniacum officium & Missa in conventu: singuli autem sacerdotes unam Missam, alii VII psalmos vel septies *Miserere mei Deus* dicant: in ceteris verò Prioratibus Cluniacensis Congregationis officium publicum cum Missa persolvatur Statotom est etiam, ut nomina eorum, postquam defuncti fuerint, post fratres nostros defunctos in memoriali defunctorum scribantur; tam in Cluniaco, quàm in ceteris locis nostris.

IV. *Cartusiensium Epistola ad Cluniacenses.*

NOs indigni & humiles pauperes Christi qui in eremo Cartusiæ propter amorem nominis Jesu consistimus, & ceteri præpositi nostri Priores cum fratribus suis, nota facimus posteris ista quæ sequuntur. Domnus PETRUS Cluniacensis ecclesiæ Abbas, à primis promotionis suæ annis quantum nos dilexerit, quanta caritate nobis astrictus fuerit, & nos experti sumus, & multis manifestum est. Fratres quoque ejusdem sanctæ Congregationis, tam antiquiores, quàm moderni, ex quo domus Cartusiæ sumsit exordium, semper nos dilexerunt, & in Christo Jesu multum venerati sunt, pluribusque beneficiis nostram paupertatem sustentaverunt. Unde ne ingrati simus tantæ dilectioni, pro modulo nostro (pauci enim numero sumus) ut aliquid tamen secundum possibilitatem nostram & morem nostrum offeramus; congregatis nostris quibuscumque præpositis Prioribus, & recitatis litteris quas præfatus Abbas noper detulerat, ex voluntate & animo, & sententia ipsorum in communi Capitulo constitutum & confirmatum est hoc quod sequitur. Pro domino Petro Abbate Cluniacensi, quando eum obire contigerit, in cunctis nostri Ordinis domibus, excepto anniversario, quod in nostro Martyrologio scribitur, idem & par officium fiat, quod pro Priore vel professo fieri consuevit. Pro ceteris verò totius Ordinis Cluniacensis defunctis, præter privatas orationes semel in anno generale officium, tam de Missa, quàm de agenda in conventu celebrabitur: à singulis quoque sacerdotibus pro eisdem defunctis singulæ Missæ, à non sacerdotibus pro eisdem defunctis unum psalterium, à laicis treceentæ orationes Dominicæ persolveotur.

V. *Littera communionis, inter Monachos S. Remigii & S. Benigni.*

TAlis est modus societatis, quæ inter nos monachos sancti Benigni Divionensis & monachos sancti Remigii Remensis habetur. Cùm aliquis illorum ad nos venerit, quamdiu apud nos manere voluerit, erit sicut unus ex nostris: similiter & nostri apud illos. Pro defunctis verò illorum faeimus, si-

cut pro nostris, excepto quòd Breves non mittuntur, nec in Kalendario inter nostros ponuntur. Cum Brevis illorum ad nos delatus fuerit, statim post recitationem fiat officium, & in crastino Missa cum tractu, deinde septem officia, & septem Missæ in conventu. Ab unoquoque sacerdotum Missa una pro eis dicetur: ab his qui Missas non cantant, quinquaginta psalmi vel quinquagies *Miserere mei Deus*, aut *Pater noster*, si aliud nescierint. *Verba mea* triginta diebus post matutinos, præbenda una in refectorio totidem diebus, sive unus, sive plures fuerint, & in Kalendario cum familiaribus scribentur. Hæc societas confirmata est in Capitulo Divionensis die festivitatis sanctæ Crucis, præsidentibus Abbatibus PETRO sancti Remigii Remensis, & PHILIPPO sancti Benigni Divionensis, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo septuagesimo quarto.

O B S E R V A T I O N E S.

1. VArias spiritualis societatis formulas huc retuli, tum quia pleræque illustrium virorum sunt, tum ut sumto inde argumento, ejusmodi societatum originem, progressum, ritusque illustrarem. Etsi enim rem attigerint nonnulli auctores, quædam tamen observatu haud indigna prætermisisse mihi videntur, de quibus hîc agere aliquod operæ pretium duxi. Fluxit verò mos iste ex persuasione ecclesiasticæ communionis, & ex usu dyptychorum, quæ olim in sacris obtinebant, ut symbolum istius communionis. Duplex in eis ordo erat, vivorum & mortuorum, quorum nomina inter sacra recensebantur. Dyptychorum exemplo inventum est apud Monachos Necrologium seu liber de mortuis, in quo adscripta sunt nomina Fratrum, benefactorum, & eorum, qui ex condicto in societatem admissi erant. Hi ex nomine, quo quisque mensis die obierant, recitabantur post martyrologii & Regulæ lectionem ad Primam. Dicebantur *conscripti in Regula*, seu *in Martyrologio*, aut *in libro vitæ*. Hinc dicti *Fratres conscripti* apud sanctum Gallum.

2. Ritus iste invaluit apud nostros jam inde ab ineunte sæculo sexto. Testes litteræ Theodilanæ seu Theodetrudis matronæ, quæ ob donationes Dionysiano cœnobio factas postulavit, ut *nomen suum in libro vitæ conscriberetur*, anno XLIII Chlotharii Regis. Idem eodem tempore postulat Bertchramnus Episcopus Cenomanensis in suo testamento hîc edito. Insignis hac de re locus eodem ævo exstat apud Bedam in epistola ad Eadfridum Episcopum & ad congregationem Lindisfarnensium monachorum, prosaïcæ S. Cuthberti vitæ præfixa, in qua præmioli vice sibi viventi orationes deposcit, insuper hæc addit. *Sed & me defuncto pro redemtione animæ meæ, quasi pro familiaris & vernaculi vestri, orare, & Missas facere, & nomen meum inter vestra scribere dignemini. Nam & tu, sanctissime Antistes, hoc te mihi promisisse jam retines: in cujus etiam testimonium futuræ conscriptionis, religioso Fratri nostro Gudfrido mansionario præcepisti, ut in albo vestræ sanctæ congregationis meum nunc quoque nomen apponeret.* Ita rogatu Caroli M. Alcuinus ab Episcopis Synodi Francofurtensis in communionem suffragiorum admissus est.

3. Hæ singulorum hominum societates erant: sed quando primùm congregationes seu Monasteria cum aliis perpetuas ejusmodi societates inierint, non adeo liquet. Mihi verò nihil super his occurrit antiquius, quàm epistola 24 S. Bonifacii ad Aldherium Abbatem, in qua petit orari *pro dormientium fratrum animabus, quorum nomina gerulus harum*, inquit, *litterarum demonstrabit*. Duæ sunt aliæ ejusdem argumenti epistolæ inter Bonifacianas, quarum una Cineheardi Episcopi ad Lullum, numero 74, altera est Dodonis Abbatis Hornbacensis ad eumdem Lullum seu Lullonem Moguntinum Antistitem, quæ epistola inter Bonifacianas est ordine 84. in qua Dodo cum sua S. Petri congregatione Monachorum ita loquitur. *Igitur cum salutationis officiis humili prece deposcimus, ut istam familiam Christi & sancti Petri in vestra commemoratione semper habeatis: & ipsi pro omnibus amicis vestris, tam Episcopis & eorum Clero, quàm Abbatibus & eorum Monachis, seu Abbatissis & Deo dicatis, in ista congregatione S. Petri oratores vestros, tam vivos, quàm defunctos, in vestra mercede commemorare faciatis, ut in sacris orationibus illorum eam assiduè memorare debeant, quatenus per illorum suffragia olim optatam adire mereamur patriam paradisi. Similiter vos deprecamur, ut omnium amicorum vestrorum nomina, tam virorum, quàm defunctorum, per præsentem fratrem nostrum Suganaldum, per Breve ad nos dirigere faciatis, ut ipsos, sicut de aliis fratribus nostris facimus, ita in nostris assiduis orationibus ipsos memorare debeamus.* Hisce litteris instituta est spiritualis orationum societas cum ecclesia Moguntina, & cum iis omnibus, quos ipsa in suam communionem cooptaverat, & quidem non modò in gratiam mortuorum, sed etiam vivorum.

4. Brevia seu Breves illi, de quibus agit epistola, rotuli erant, in quibus sociorum nomina ultro citroque per gerulos mittebantur. Horum Brevium exempla suppeditat Haëftenus in Disquisitionum monasticarum tom. 2, pag. 793. Generales unius anni Breves illi erant, id est unius anni mortuos continentes: sed quando itineris difficultas non obstabat, singulares pro unoquoque mittebantur. Moris verò erat, ut ex iis, ad quæ ejusmodi schedulæ mittebantur, monasteriis remitterentur versus lugubres in funus personarum maximè insignium, qui versus *Tituli* appellabantur, ut *Titulus S. Remigii* &c.

5. Itaque à sæculo maximè octavo vulgata est in ecclesiis ac monasteriis ejusmodi orationum communio, qualis est una in Spicilegii tomo 4, inter Monachos Dionysianos ac Remigianos anno XXV Ludovici Pii eo pacto inita, ut *talis inter eos fervor caritatis & tanta vis dilectionis maneret, ac si in uno (si fieri possit) conversarentur loco.* Deinde ut *quando aliquis ex ipsis corporis nexibus absolutus a sæculo migrasset, unusquisque eorum infra triginta dies psalterium pleniter compleret, ac Sacerdotes Missas eidem psalterio congruentes pro eo celebrare studerent; & tres vigilias, id est primo & septimo atque tricesimo die, communiter pro eo peragerent. Si vero quidam ex eis*, inquiunt, *aliqua corporis incommoditate occupatus fuerit, mox ut nobis nuntiatum fuerit, omni die, quousque convalescat, aut ab hac luce discedat, unusquisque quinque psalmos pro eo sollicitè compleat.* Denique *ut nomina defunctorum illorum inter nomina nostrorum defunctorum inserantur, ut sicut pro nostris, ita etiam pro illis quotidie Deo sacrificium offeratur.* Præter hæc litteræ societatis inter Gallenses & Augienses monachos tempore Caroli Magni initæ addunt *semel in anno commemorationem omnium defunctorum pro annali singulorum*, & quidem XVIII *Kalend. Decemb.* quo die etiam nunc à nobis celebratur, præter sollemnem omnium defunctorum memoriam, quæ S. Odiloni originem suam refert acceptam.

6. In superioribus omnibus formulis hæc fere pro unoquoque mortuo persolvuntur: Missæ, vigiliæ seu

agenda

agenda mortuorum, psalmorum aliquot per certos dies recitatio, vel orationis Dominicæ; præbendæ seu annonæ in pauperes erogatio, sive per totum annum in dies, sive per continuos triginta dies. Nihil de oratione seu salutatione angelica, nihil de communione sacra. Quippe needum ita tritus erat salutationis Angelicæ usus, nec prorsus communionis in gratiam multorum, quæ his temporibus ubique recepta est. Quidni verò id fieri possit, quando operum merita in alium conferri possunt? Unde Gregorius Nazianzenus cum Eulalio scripta schedula paciscitur, ut Eulalius secum jejunii, Gregorius cum Eulalio silentii meritum communicaret. Neque porro quisquam infitias ire debet, uberiorem meriti portionem refundi in eum, qui ex condicto suffragiorum communionem obtinuerit, quàm in alium, qui pro generali ratione ecclesiasticæ communionis eadem participat. Sicut orationis, quam quilibet ab alio impetraverit, virtutem peculiariùs meretur, quàm qui pro unitate corporis mystici ejusdem orationis fit particeps.

7. In litteris societatis inter Monachos sancti Remigii & sancti Benigni illud observandum, quòd nomina eorum vice versa non adscribantur inter suos, sed inter familiares. Sic verò dispositum est sancti Benigni vetus Necrologium, ut in duplici aperti codicis pagina iidem dies utrimque repetantur, & in uno quidem loci Fratres, in alio familiares recenseantur.

8. In cathedralibus ecclesiis ejusmodi societates etiam in usu erant. Moguntinæ ecclesiæ exemplum superiùs retulimus. Fulbertus Carnutensis Episcopus aliud de sua ecclesia addit in epistola 110 ad Lexoviensem Pontificem, ex qua eum ad relaxandas circadas hortatur his verbis. *Optamus etenim potiùs, non parvo tuæ ipsius utilitatis amore ducti, in albo felicis ordinis benefactorum nostrorum te recenseri: ut cum pro illis, tum etiam pro te juge Domino sacrificium offerentes, ac humanitatis tua beneficia coram illo recitantes, dignum te libro quoque vitæ cælestis inseri prædicemus.* Sed præ ceteris insigne exemplum est in actis Aldrici Episcopi Cenumannensis, qui in Synodo anni DCCC XL orationes pro se instituit, ejusque exemplo qui synodo aderant, *pro suis confratribus in anno duodecim cantare Missas cum oblationibus & reliquis orationibus* singuli promiserunt: *& quandocumque*, inquiunt, *nostrum unusquisque decesserit, Decanus nomina de suis junioribus conscripta in nostra per singula tempora Synodo deferat, & unusquisque nostrum pro illis Missas compleat duodecim cum oblationibus & reliquis orationibus, & vigiliam cum novem psalmis & totidem lectionibus & responsoriis, unà cum matutinali synaxi* (Laudes vocamus) *fideliter pro defunctis fratribus peragat.* Hæc in tomo 3 Miscellaneorum Baluziano, pag. 148. Deinde subsequuntur Missæ tam pro vivis, quàm pro defunctis: ubi in secretis orationibus mentio fit de dyptychis vivorum ac mortuorum.

9. Denique prætermittendum non est id quod legere memini in litteris societatis, anno DCCCC XXVIII initæ inter Canonicos ecclesiæ Laudunensis & sancti Remigii monachos, *eo videlicet rationis tenore, ut cùm quilibet utriusque congregationis divina vocatione hominem exuerit, omnes hoc audito mox ad tactum signorum ecclesiam adeant, communiterque exitum pro illo decantent, ac veluti ibidem præsens frater obierit, animam ipsius Deo precibus commendent. Postea verò quatuor vigilias ejusdemque numeri Missas, primi scilicet, tertii, septimi, ac trigesimi diei, decantent, omnesque simul integrum canendo psalterium. Nomen quoque fratris in catalogo defunctorum annotetur, sacro altari tempore sacrificii superponendum.* Hæc erant dyptycha, quæ ob oculos sacerdotis tempore sacrificii in memoriam ponebantur.



R I T U S
PROBATIONIS PER AQUAM FRIGIDAM,
Ab EUGENIO Papa II. institutæ.

CUm homines vis mittere ad probationem, ita facere debes. Accipe illos quos voluntatem habes mittere in aqua; duc eos in ecclesia, & coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cùm autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos cum conjuratione ita dicens: Adjuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Filium Dei, & per sanctam Trinitatem, & per sanctum Evangelium, & per istas reliquias, quæ in ista sunt ecclesia, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si vos hoc fecistis, aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, & nullus hoc dixerit, accedat Sacerdos ad altare; & communicet eos. Postea verò dicat ad illos quos communicat: Corpus hoc & sanguis Domini nostri JESU-CHRISTI sit vobis ad probationem hodie. Expleta Missa, faciat aquam benedictam, & accipiat Sacerdos ipsam aquam, ibique ad illum locum, ubi homines probabuntur. Cum autem venerit ad ipsum locum, det illis bibere de aqua benedicta, dicens ad unum quemque: Hæc aqua fiat tibi ad probationem. Postea verò conjuret aquam ubi illos mittit. Post conjurationem aquæ, exuat illos vestimentis eorum, & faciat eos per singulos osculare sanctum Evangelium & crucem Christi. Et postea super unumquemque adspergat de aqua benedicta, & projiciat singulos in aqua. Hæc omnia facere debes jejunus; neque illi ante manducent qui ipsos mittunt in aqua.

Conjuratio Hominis.

ADjuro te homo N. per invocationem Domini nostri JESU CHRISTI, & per judicium aquæ frigidæ. Adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per Trinitatem inseparabilem, & per Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM, & per omnes Angelos & Archangelos, & per diem tremendi judicii, & per quatuor Evangelistas Matthæum, Marcum, Lucam & Johannem, & per duodecim Apostolos, & per duodecim Prophetas, & per omnes Sanctos Dei, & per Principatus & Potestates, per Dominationes & Virtutes, & per Thronos, Cherubin atque Seraphin, & per tres pueros Sidrac, Misach, & Abdenago, & per centum qua-

draginta quatuor milia, qui pro Christi nomine passi sunt, & per illum baptismom, quo Sacerdos te regeneravit: ut si de hoc furto scisti, aut vidisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus exinde fuisti, aut si habes cor incrassatum vel induratum, evanescat cor tuum, & non suscipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc prævaleat, sed manifestetur. Propterea obnixè te deprecamur, Domine JESU-CHRISTE, fac signum tale, ut si culpabilis est hic homo, nollatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem, Domine JESU-CHRISTE, fac ad laudem & gloriam per invocationem nominis tui, ut omnes cognoscant, quia tu es Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad aquam benedictam.

SUppliciter te, Domine JESU-CHRISTE, deprecamur, tale præsentialiter facere dignare signum, ut si iste quod ei obicitur est in aliquo culpabilis, non suscipiat eum hæc aqua, sed evanescat ipse, & nullatenus modò intro recipiat. Hoc autem, Domine JESU-CHRISTE, fac ad laudem & gloriam ad invocationem nominis tui † ut omnes cognoscant quia tu es Deus verus, & præter te non est alius, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus-sancti per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Hoc autem judicium creavit omnipotens Deus, & verum est, & per Domnum EUGENIUM Apostolicum inventum est, ut omnes Episcopi, Abbates, Comites, seu omnes Christiani per universum orbem eum observare studeant, quia à multis probatum est, & verum inventum est. Ideo enim ab illis inventum est & institutum, ut nulli liceat super sanctum altare manum ponere; neque super reliquias vel Sanctorum corpora jurare.

ADNOTATIO.

DE variis probationum generibus multi multa scripsere. Probationem aquæ frigidæ hoc idcirco refero, quòd ab Eugenio Papa instituta memoretur in Remigianis membranis pervetustis sæculo IX exaratis, ex quibus superiora desumsi. Suffragatur vetus collectio Canonum in Monasterio sancti Mariani apud Autissiodorum adservata, in qua forma judicii per aquam frigidam refertur cum hoc titulo: *Hoc judicium atque examinationem misit Domnus Apostolicus in Franciam, ut non violarentur sacra altaria Sanctorum, sed per hanc adjurationem & judicium aqua frigida possit patescere veritas.* Tum subjicitur adjuratio in hæc verba: *Adjuro te, homo, per Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, &c.* Et tamen Ludovicus Augustus in Capitulari Aquisgranensi anni DCCCXXVIII §. 7 cap. 12 statuit, *Ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à missis nostris interdicatur, ne ulterius fiat.* Quod decretum condidit Ludovicus post Eugenii constitutionem, nempe anno proximo post obitum Eugenii Papæ secundi. Non tamen ritus iste purgationis decreto Ludovici penitus sublatus est: siquidem Hincmarus Remorum Antistes ab Hildegario Meldorum Episcopo ea de re interrogatus, multis judicium aquæ frigidæ argumentis approbavit. Missam in probationis articulo celebrari solitam nobis exhibet vetus codex Uticensis.

FORMA EXCOMMUNICATIONIS.

Hæc est excommunicatio, in qua fuit sanctus THEUTBALDUS *Viennensis Archiepiscopus, &* ISARNUS *Gratianopolitanus Episcopus.*

QUicumque habitantes Arelati hanc scripturam legeritis, ammoneo, precor & adjuro per Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, per unum Deum & creatorem omnium, & per beatam Mariam Dei genitricem, & per omnes Sanctos Dei præsentiæ assistentes, ne dimittatis, quin omnibus palam annuntietis, nec sit aliquis qui tollat eam desuper altare beati Stephani, nisi dum lecta fuerit & audita, donec audiatis persecutores Dei Ecclesiæ, pro quibus res agitur, ad satisfactionem venire. Noverit itaque omnium fidelium Dei prudentia, qualiter ego AIMO Valentinensis sedis Gratia Dei humillimus Præsul, proclamaverim me ante præsentiam GONORADI Regis senioris nostri, quod AICARDUS terram beati Apolinaris egregii confessoris Christi, atque beati Cypriani gloriosi martyris injusto ordine tenebat, & contra Deum & Sanctos ejus crudeli temeritate possidet. Et quoniam nulla ratione ipsum ad rectitudinem faciendam invitare potui, dignum duxi, ut judicium æterni Regis Domini nostri postularem, & ejus ineffabilem misericordiam exorarem. Veraciter enim scimus, quia gladius & ignis cælestis Imperatoris contra filios diffidentiæ vindictam operatur. Hac igitur necessitate imminente, protegente Domino salvatore nostro, consilium & juvamen à senioribus nostris Episcopis circa nos morantibus deprecari sumus, quorum mercedem & consecuti sumus secundùm animi voluntatem. Habemus enim excommunicationem Domni THEUTBALDI Viennensis Archiepiscopi, Domni AMALARII Lugdunensis Archimandritæ, Domni WIDONIS Aniciensis Præsulis, Domni ISARNI Gratianopolitanæ sedis Antistitis, necnon Domni GIRAUDI Gebennensis Episcopi: quorum in re hujuscemodi una est sententia atque consensus. Et quoniam Arelas caput est & esse debet istius Galliæ; proclamationem nostram ante præsentiam Rectoris ejus deferre decrevimus, quatinus ne dedignetur merces ejus tantis patronibus prælibatis assensum accommodare. Sint itaque excommunicati tam Aicardus crudelis Ecclesiæ Dei repervasor, quàm omnes illi consentientes in re tam injusta, auctoritate Patris & Filii & Spiritus-sancti, omniumque Sanctorum Dei & Angelorum atque Archangelorum præsentiæ Dei astantium, & omnium Episcoporum auctoritate, quoad usque ad satisfactionem veniant. Sint super eos omnes maledictiones, quæ in veteri & in novo Testamento leguntur, ita ut pereant gladio Dei velociter, & deducantur ad infernalem locum, ubi exstincta sit lucerna eorum in perpetuum, nisi ad emendationem venerint. Amen.

ADNOTATIO.

VAriasexcommuoicandi formolas sæculo nono usitatas vide sis apud Reginonem Abbatem Prumiensem in lib. 2 de ecclesiasticis disciplinis cap. 407 & sequentibus. Hæc verò excommunicatio facta est sub finem sæculi insequentis. quo fere tempore excommunicationem subiit Ragenardus Comes Senonensis cum Gauzfrido & Gelone Canonicis Senonensibus: cujus excommunicationis exemplum priorò typis editum est in tomo x Spicilegii, tum apud Stephanum Baluzium in appendice ad Reginonem.

****

MONITUM.

HOC Kalendarium Sanctorum, quos olim Carthaginensis Ecclesia quotannis recolebat, Africanum dicere licet, omnium quæ hactenus typis vulgata sunt, ut quidem puto, antiquissimum & rarissimum. Repertum à nobis est felici casu in quodam veterrimo codice celebris monasterii Cluniacensis, continente beati Hieronimi Commentarios in Isaiam, immo in codice, sed codicis ligneo operculo, tineis ac vermibus corroso, affixum. Operæ pretium fuit vetustissimam & semesam membranam à ligno carioso divellere. Operculi pars antica Kalendarii principium, postica reliquum continebat. Scriptura Romana est, litteris majusculis exarata, sæculo septimo non inferior.

Antiquius est Kalendarium cùm in eo nulli sancti, nedum Fulgentius Episcopus, reperiantur iis posteriores, qui in Vandalorum persequutione sub Hunnerico Rege passi sunt. Qui tunc in Africa annuo cultu honorabantur sancti, plerique erant populares: quidam tamen ex Italia & ex Hispania, præter Apostolicos viros, Nullum Deiparæ festum, de qua nullus apud Augustinum tractatus seu sermo. Annus à xiij *Kal. Maii incipit, nempe post Pascha: definit in* xiij *Kal. Martii. Nullum festum per totum Martium mensem, id est per totam Quadragesimam. Hæc universim admonere visum est. Titulus veteris membranæ hoc modo conceptus est.* Hîc continentur dies nataliciorum Martyris, & depositiones Episcoporum, quos Ecclesia Carthagenis anniversaria celebrant.

KALENDARIUM
ANTIQUISSIMUM
ECCLESIÆ CARTHAGINENSIS.

* Sic titulus in codice manus.

* *Hic continentur dies nataliciorum Martyrum, & depositiones Episcoporum, quos Ecclesia Carthagenis anniversaria celebrant.*

xiij KAlend. Maïas martyris Mappalici. a
xiij Kal. Maï. martyris Pudentis. b
ij Kal. Maï. martyris Claud. c
iij Non. Maï. depositio Grati Episcopi. d
ij Non. Maï. Marini & Jacobi martyris. e
Nonas Maï. depositio Genecli Episcopi. f
v Idus Maï. sancti Majuli. g
iij Idus Maï. martyris Secundiani. h

a *xiij Kalend. Maias martyris Mappalici.*] Is ipse quem cum sociis celebrat Lucianus in epistola ad Celerinum, quæ est epistola 22. apud Cyprianum: & Cyprianus ipse in epistola 25 ad Martyres & Confessores & in epistola 9 ad clerum Romanum, ubi hæc inter alia. *Vox plena Spiritu sancto de Martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos Proconsuli diceret. Videbis cras agonem. & quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit: Dominus implevit.* Tum suos ad martyrum Mappalici exemplo hortatur idem sanctissimus Antistes, *at quos*, ait, *vinculum confessionis & hospitium carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis & corona cælestis.* Apud Adonem qui hæc verba refert, & in veteri Romano apud Rosweydum Martyrologio, atque apud Usuardum & Notkerum, Mappalicus laudatur xv Kal. Maii. Wandalberti metricum consentit. Nudum ejus nomen legitur in Aprilis Bollandiani tomo tertio.

b *xiij Kal. Maï martyris Pudentis.*] Non quidem ille Pudens senator Romanus, cujus in epistola 2 ad Timotheum Paulus meminit, pater Novati, itemque Praxedis & Pudentianæ virginum, cujus domus in Viminali posita, conversa est in ecclesiam, quæ deinceps Pastoris titulum accepit: sed potiùs *Pudens miles optio præpositus carceris, qui nos*, ait sancta Perpetua in suis ipsius ac sanctæ Felicitatis Actis, *magni faciebat, cæpit intelligere magnam virtutem esse in nobis, qui multos ad nos admittebat, ut & nos & illi invicem refrigeraremus.* aut certè Pudens Alexandriæ martyr, cujus memoria fit ipsa die apud Bollandi continuatores.

c *ij Kal. Maï martyris Claud.*] Incertum quis iste Claudius, nisi qui hac die in quibusdam Hieronymiani Martyrologii exemplis inter alios martyres Alexandrinos Claudius censetur, apud Bollandi socios.

d *iij Non. Maï. depositio Grati Episcopi*] Carthaginensis, qui Sardicensi Concilio cum aliis Africanis Episcopis interfuit, præfuitque Synodo Carthaginensi primæ anno ccc xlviij. in qua Donati conatibus se objecit, suscepta insuper ad Constantem Imperatorem legatione. Nihil de eo hac die apud Bollandi continuatores.

e *ij Non. Maï. Marini & Jacobi Martyris*] Marianum vocat Baronius ex actis, quæ ex Aprili Surius describit ad annum 261 à num. 34 Passi sunt in Numidia sancti illi Martyres eodem anno, qui ejus persecutionis ultimus censetur. Pridie Kalend. Maii in Martyrologio Romano memorantur, atque in veteri Rosweydi, & apud Adonem, qui eorum acta perstringit. Eodem die à Surio illa referentur, & apud Bollandianos.

f *Nonas Maï depositio Genecli Episcopi.*] Is haud dubiè Genethlius, quem *beatæ memoriæ Carthaginensem ante Aurelium Episcopum* dicit Augustinus in epistola ad Eleusium, &c. quæ est 44 novæ editionis. Nihil de eo Bollandiani socii.

g *v Idus Maï. sancti Majuli*] De eo Notkerus hac die. *In Africa Majoli, Victorini, fortunati, & aliorum militum.* Consentit vulgatum Hieronymi martyrologium apud Acherium nostrum in Spicilegii tomo quarto, & Maii Bollandiani tomus secundus, pag. 625.

h *iij Idus Maï martyris Secundiani.*] In vulgato Hiero-

i ij Idus Maï. ſanctae Felicis, Cecili, & comitum. [i]
k xj Kal. Junias ſanctorum Caſti & Emili. [k]
l x Kal. Jun. ſanctorum Luci & Montani. [l]
m viij Kal. Jun. ſancti Flaviani & Septimiae. [m]
n ij Kal. Jun. ſanctorum Timidenſium. [n]
o iij Non. Jun. ſancti Perſeveraoti martyris. [o]
p Nonas Jun. ſancti Syſti. [p]
q iij Idus Jun. ſancti Galloni. [q]
r xiij Kalend. Julias ſancti Gervaſi & Protaſi martyrum. [r]
r viij kalend. Jul. ſancti Johanois Baptiſtae. [ſ]

ſancti . . & Rogati martyris. [t] t
... Jul. ſancti E.... martyris. [u] u
... Jul. ſanctorum.....Apoſtolorum. [x] x
... Jul. ... [y] y
Idus Julias ſancti Catolini martyris. [z] z
xv... Kal. Aguſtas ſanctorum Scilitanorum. [a] a
xiij Kal. Ag. depoſitio ſancti Aurili Epiſcopi. [b] b
xj Kal. Ag. ſanctorum Maxulitanorum. [c] c
.... Kal. Ag. depoſitio ſancti Capreoli Epiſcopi. [d] d
iij Kal. Ag. ſanctarum Tuburbitanarum, & Septimiae. [e] e

nymi martyrologio & apud Notkerum pridie Maii memorante *in Africa natalis ſancti Secundiani, Quarti, Victoriani, &c.* quædam exemplaria apud Bollandianos habent, *Secundiani Epiſcopi & martyris*. Fuit & alter Secundianus Epiſcopus loci in Thambeis dicti, qui in Synodo Carthaginenſi de hæreticis rebaptizandis à Cypriano habita memoratur. Ejus quoque meminit Auguſtinus in lib. 7 de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 44. Porro Thambes mons in extrema Numidiæ parte locatus eſt, ab aliis *Thabeis* dictus, unde forſan *Thavena civitas* apud Cæſarem, & quæ apud Ptolemæum *Tabba* nomen ſumſit.

i *ij Idus Mai. Sanctae Felicis, Cecili, & comitum*] Id eſt ſancti Felicis, cui Cecilius cum aliis martyrii ſocius adjungitur in tomo 1 Maii Bollandiani, ſed Nonis Maii, pag. 136.

k *xj Kal. Junias Sanctorum Caſti & Emili.*] Appoſitè hoc loco Bedæ, Rabani, & Notkeri Martyrologia: *xj Kal. Junii in Africa Caſti & Æmilii, qui per ignem paſſionis martyrium conſummaverunt, ſcribit beatus Cyprianus in libro de lapſis*. Idem habet Uſuardus; quibus conſentiunt Uvandalberti metrici faſti. Auguſtinus ſermonem, inter diverſos editum, *de die natali martyrum Caſti & Æmilii*, recitavit, teſtante Poſſidio in capite 9. Alius fuit Caſtus Diaconus in actis Cirtenſibus interrogatus, apud Baronium ad annum 303 num. 26.

l *x Kal. Jun. Sanctorum Luci & Montani.*] Lucio & Montano Africanis Martyribus adjuncti Flavianus, Julianus, Victorius, & alii confeſſores, Cypriani diſcipuli quorum epiſtolam & paſſionis acta poſt Surium Baronius ad annum 262 publicavit. Hac ipſa die martyrologia Hieronymi & Notkeri. Montanus laudatur in epiſtola Calerini ad Lucianum, quæ eſt 21. apud Cyprianum: Lucius in epiſtolis 68, 69, 78 & 80.

m *viij Kal Jun ſancti Flaviani & Septimiae*] Non dubium quin iſte Flavianus idem ipſe ſit, qui ſanctorum Lucii & Montani ſocius illuſtris martyrii, altero poſt ipſos die mortem oppetiit. Nullum enim aliam ejus nominis Africanum martyrem invenias; & ex ipſis Lucii & ſociorum actis conſtat, Flaviani necem amicorum rogatu biduo dilatam fuiſſe, ut vel ſic invicta Martyris patientia frangeretur. quod ſecus accidit. At undenam Septimia martyr? In martyrologio Hieronymi *vij id. Maii* laudatur Romæ inter alios multos *Septimia martyr*: ſed aliam hac quærimus.

n *ij Kal. Jun. ſanctorum Timidenſium.*] Timidenſium martyrum acta, ſi extitere uſpiam, exciderunt. Forſan ex eorum numero fuit præclarus ille *Confeſſor* Fauſtus à Timida-regia, memoratus etiam ab Auguſtino contra Creſconium lib. 7. cap. 22. qui Fauſtus in Synodo Carthaginenſi ſub Cypriano habita ſententiam dixit in hæreticorum baptiſmi fautores. In Proconſulari Africæ provincia ſita fuit Timida-regia, cujus Epiſcopus, Benenatus nomine, ab Hunnerico Rege in Corſicam inſulam eſt deportatus.

o *iij Non Jun. ſancti Perſeverantis martyris*] Perſeveranti martyris Terracinæ meminit Hieronymianum Martyrologium Kal. Novembris: alium non invenio.

p *Non. Jun. ſancti Syſti.*] Videtur Epiſcopus fuiſſe: at cujus loci, haud liquet; diſtinguendus utique à Xyſto Pontifice paullo poſt ſubjecto.

q *iij Idus Jun. ſancti Galloni*] Hieronymo tributum martyrologium *Gallonem* incerti loci martyrem laudat xiv Kal. Martii; & *Galonem* ex Africa martyrem xvij Kal. Decembris.

r *xiij Kal. Julias ſancti Gervaſi & Protaſi Martyrum.*] Quorum paſſio cultuſque celebris apud Mediolanum, inde in Africam forſan invectus per Auguſtinum, qui inventionis eorum corporum per ſanctum Ambroſium factæ teſtis fuit, ex lib. 9 Confeſſionum, cap. 7.

ſ *viij Kal. Jul. ſancti Johannis Baptiſtae.*] Hinc ſermones duo ſancti Auguſtini de ejus nativitate, præter alios aliorum Patrum.

t *.·. ſancti .·. & Rogati martyris*] Inter Alutinenſes claviſſimos martyres Rogatus numeratur apud Baronium ad annum 303 num. 26.

u *.·. Jul. ſancti E.·. martyris*] Mutilum eſt hoc loco Kalendarium. Forſan legendum, *ſancti Elaſi martyris* in Africa, qui iv kal. Julii notatur in vulgato Hieronymi martyrologio, cum Sabiano, Felice, & aliis.

x *.·. Sanctorum .·. Apoſtolorum*] Haud dubiè Petri & Pauli, qui iij kal. Julii in omnibus martyrologiis locum merentur. Poſſidius in Indiculi capitibus 9 & 10 memorat Auguſtini tractatus in eorum natali.

y *Jul.·.*] Mancum item hoc in loco Kalendarium: religio eſt divinare.

z *Idus Julias ſancti Catulini martyris*] Non aliunde notior eſt Catulinus martyr Africanus, quàm ex Auguſtini ſermone de diverſis, *per natalem Catulini* peroratio. *Catum* inter Africanos martyres adſcitum lego, errore librarii, pro Catolino, cujus mentio ad hanc diem in martyrologiis Hieronimi & Uſuardi Hieronimo, *In Africa, civitate Carthagine, natalis ſanctorum Catolini Diaconi, & reliquorum martyrum, qui requieſcunt in baſilica ſancta Fauſta*. Ado & Uſuardus, *in baſilica Fauſti*, & ſocios enumerant. Apud Victorem Vitenſem iterum atque tertio legitur *baſilica Fauſti*, nempe in libro ſecundo bis, & ſemel in tertio de perſecutione. *Fauſta* non rarò ſcribebant veteres imperiti pro *Fauſti*, ut ſupra *ſanctae Felicis*, & ſimilia paſſim in hoc Kalendario.

a *xv .·. Kal. Auguſtas ſanctorum Scilitanorum.*] Scilitani martyres, vel ut habent editi libri, Scyllitani, anno Chriſti cc ij capti, xiiij Kal. Auguſtas, quemadmodum acta eorum apud Baronium præferunt, mera quattuordecim ſunt conſumti. Poſſidius in Indiculi cap. 9 Auguſtini ſermonem habitum notat *per natalem ſanctorum martyrum Scyllitanorum*. An is ipſe, qui in editis ſermo ſextus de verbis Apoſtoli dicitur? qui in manuſ. codice Romani ſanctæ Crucis in Jeruſalem monaſterii Ciſtercienſis, fertur *habitus in baſilica ſanctorum martyrum Scilitanorum*. Omnino duodecim recenſet cum actis Uſuardi martyrologium xvj Kal. Sextiles, quo die *apud Carthaginem natalis ſanctorum martyrum Scillitanorum, Sperati, Nartzalis, Cythini, Veturii, Felicis, Aquilini, Lætantii, Januariae, Generoſae, Beſſiae, Donatae, & Secundae ſub Saturnino praefecto: qui poſt primam confeſſionem in carcerem miſſi & in ligno confixi, deinde gladio decollati ſunt.* Totidem martyres enumerant acta, ſed paullo immutatis nominibus, uti & in martyrologio Bedæ, ubi *Scilitani* martyres undecim; & Hieronymi, ubi tantùm ſeptem numerantur. *Duodenum plebem* appellat Wandalbertus. De his mentio apud Victorem in lib. 1. *Et ut de neceſſariis loquar, baſilicam majorem, ubi corpora ſanctarum martyrum Perpetuae, atque Felicitatis ſepulta ſunt, Celerinae, vel Scillitanorum, & alias, quas non deſtruxerunt, ſua religione licentia tyrannica mancipaverunt.*

b *xiij Kal Ag depoſitio ſancti Aurili Epiſcopi.*] Carthaginenſis, viri celeberrimi, Auguſtini æqualis, cujus nomen in Martyrologiis non invenio.

c *xj Kalend Ag ſanctorum Maxulitanorum.*] Maxulitana civitas Africanæ Proconſularis provinciæ, Martyrum agmen tulit, quorum acta excidiſſe dolendum eſt. Inter editos Auguſtini ſermones habentur duo *de ſanctis martyribus Maſſilitanis*, nempe 42 & 43 de diverſis; quo forte loco *Maxulitanis* reponendum. Nec abnuunt mſſ. codices. Attamen Victor Vitenſis in lib. 1 ſcribit *Maſſilitanum littus*. Carcadius Maxulitanus Epiſcopus ab Hunnerico relegatus in Corſicam, in Notitia provinciarum & civitatum Africæ perhibetur.

d *.... Kal. Ag. depoſitio ſancti Capreoli Epiſcopi.*] Is poſt Aurelium, intermedio Quodvult-Deo, Carthaginenſis Epiſcopus, ſcripſit epiſtolam ad Epheſinos patres, editam in Conciliis; itemque aliam ad Vitalem & Conſtantium ſeu Tonantium Hiſpanos, quam vir ſummus Jacobus Sirmundus ex codice Herivallenſi publicavit.

e *iij Kal. Ag. ſanctarum Tuburbitanarum, & Septimiae.*] Tuburbum aliud majus, aliud minus. *Tuburbitana civitates*

kal. Ag. sanctorum Macchabeorum. f
viij Idus Ag. sancti Systi Episcopi & martyris Romae. g
iiij Idus Ag. sancti Laurenti. h
iij Idus Ag. de sanctos Marinus. i
Idus Ag. sancti Hippolyti. k
... kal. Sep. sanctorum Massae Candidae. l
... kal. Sept. sancti Quadrati. m
... kal. Sept. sancti Timothei. n
... kal. Sept. sancti Genesi mimi. o
iiij kal. Sept. depositio Restituti & Agustini Episcopi. p
iij kal. Sept. sancti Felicis, Evae & Regiolae mart. q
... Idus Sept. sancti Ampeli. r
xviij Kal. Octo. sancti Cypriani Episcopi & martyris Cartag. s
xvj Kal. Oct. sanctae Eufimiae. t
... Cal. Oct. sancti Januarii martyris. u

martyris meminit Victor Vitensis in lib 3. Tuburbum minus in Zeugitana, cujus Episcopus Victor in Collatione Carthaginensi, & Maximus ejus adversarius. Tuburbum majus Africæ proconsularis civitas erat, cujus Episcopus Benenatus in Notitia Africæ. Locum ubi martyres passi sunt, Nockerus *Tuburbo-Lucernariam* vocat. Tuburbitanarum agmina sanctarum duo notare solent plerique; cùm veteres, tum recentiores: Perpetuam videlicet, Felicitatemque passas Nonis Martii: ac Maximam, Donatillam & Secundam virgines, quæ hocce *iii Kalend. Aug* die Tuburbi martyrium consummarunt. Posteriores hoc loco passas nemo infitiatur: eas verò hîc designari constat unanimi veterum consensu, qui hoc die nomina earum dyptychis sacris inserуere. At etiam Perpetua & Felicitas Tuburbi in Mauritania, an Carthagine sanguinem fuderint, dubitationi locus est. Auctores veteres utroque trahunt. Pseudo-Beda, Notkerus, Usuardus, & ceteri qui eos secuti sunt, Tuburbum habent. Prosper in Chronico Labbeano, Beda in libro de sex ætatibus, Freculfus, Regino & Hermannus, Rabanus & alii Carthaginem præferunt. Posteriorem sententiam amplexus est clarissimæ memoriæ Henricus Valesius, qui in præfatione ad earumdem martyrum acta Lutetiæ Parisiorum edita, libratis utrimque momentis, eas Carthagine potiùs, quàm Tuburbi cæsas gravibus sanè probat argumentis. Res ipsa conficeretur ex hujus kalendarii auctoritate, siquidem Martium mensem (quo passæ Martyres sunt) uti alios menses complecteretur. Nullus enim dubitet, quin eas Nonis Martii, quemadmodum alia Martyrologia, notaret. Sed quoniam tunc temporis in Africa toto Quadragesimali tempore festisque Paschalibus nulla martyrum celebrabatur memoria, unde fit ut à xiij Kal. Martias, ad xiij Kal. Maias nullius sancti nomen hîc insertum, nedum Perpetuæ & Felicitatis, habeatur: quæ an ad iij Kal. Augustas sint dilatæ, & cum virginibus Tuburbitanis natale festum acceperint, aliorum esto judicium. Certè sermones beati Augustini de duabus illis martyribus perlegenti palam fit, eas speciali festo cultuque fuisse celebratas. Tuburbitanis martyribus Maximæ, Donatillæ & Secundæ alios sexdecim adjungit martyrologium Hieronymo subjectum, quos inter numeratur Septimia hîc laudata.

f *Kalend. Ag sanctorum Macchabeorum.*] Vel hinc patet antiquissimum esse in Ecclesia Macchabæorum festum, cujus rationem reddit sanctus Bernardus in epistola 98. Præ his antiquiores sunt de ipsis Macchabæis homiliæ Patrum, Gregorii Nazianzeni, Johannis Chrysostomi, & aliorum subsequentium.

g *viij Idus Ag. sancti Systi Episcopi & Martyris Romae*] Ejus memoria præ sanctis Stephano & Cornelio inde forsan pretiosa fuerit apud Africanos, quòd is controversiam de baptismo hæreticorum composuerit. Unde Pontius in vita sancti Cypriani eum *bonum & pacificum Sacerdotem* appellat.

h *iiij Idus Ag. sancti Laurenti.*] Incliti martyris Romæ, quem hac die laudant omnes; & Augustinus inter Patres sermonem habuit *per natalem sancti martyris Laurentii.* Possidius in Indiculi cap. 9.

i *iij Idus de sanctos Marinus.*] Quis iste Marinus, dubius hæreo. Inter Traditores Episcopos ab Optato memoratos, Marinum ab Aquis Tibilitanis invenio, qui an sanctorum numero adscriptus, an (ut ita res habeat) hîc designatus sit, divinare non ausim. Novi & Marinum Arelatensem Episcopum, qui synodicæ ad Silvestrium Pontificem epistolæ primus subscribit in causa Donatistarum. An hic eam ob rem locum obtinuit?

k *Idus Ag. sancti Hippolyti*] Martyris Romani percelebris, de quo inter alios Prudentius in hymno xj *περὶ στεφάνων*.

l .... *Kal. Sept. sanctorum Massae Candidae.*] Trecenti numerantur Massæ Candidæ Africani martyres, quorum nobile martyrium describit Pontius in actis sancti Cypriani, & Prudentius in hymno 13, Augustinus in Psalmum 49. & in sermone 112 de diversis, quem Possidius in indiculi cap. 9. notavit. Memorantur in Martyrologiis ix Kal. Septemb. at in vulgato Hieronymi xv Kalendas easdem.

m .... *Kal. Sept. sancti Quadrati.*] Quadratum invenio Christianæ religionis vindicem Hadriani Augusti tempore post Publium Atheniensium Pontificem. Eum in Africano Kalendario notatum haud existimem. Possidius in cap. 9 Augustini sermonem indicat habitum *per natalem martyris Quadrati*, qui sermo needum inter vulgatos notus, à Beda in sincera Pauli epistolarum expositione ex variis Augustini operibus contexta (qualis à nobis in bibliotheca Sithiensi reperta est) fuit decerptus. Ejus rei fragmentum à Beda relatum, propediem in nova Augustini editione proferetur in lucem. Sed inde non liquet, quis ille Quadratus fuerit Episcopus tum ab Augustino, tum in Kalendario nostro celebratus. Quadratum Episcopum, qui Collationi Carthaginensi interfuit, huc adducere non licet, quando is Augustino vivente needum inter cælites relatus esse, nedum sermone ab eo celebrari potuerit. In vulgato sancti Hieronymi martyrologio ad xij Kal. Sept. numeratur inter alios *natalis sancti Quadrati Episcopi*, qui forsasse hoc loco intelligendus. Nec obstare debet, quod Quadratus istic xij Kal Sept. memoretur, cum Massæ Candidæ martyres ix Kalend. Septembris in Martyrologiis passim notati sint. Neque enim ex Kalendarii nostri fugientibus numericis litteris quotus dies iis assignatus sit, expiscari potuimus: & Timotheus, qui xj Kal. ubique locatur, hîc positus est post Quadratum, nedum post Massæ Candidæ martyres.

n .... *Kal Sept. sancti Timothei*] In Martyrologiis vetustis, etiam in Bedæ sincero, laudatur xj Kal. Septemb Timotheus Martyr, qui Antiochiâ Romam profectus Melthiade Pontifice, ibidem capite plexus est.

o .... *Kal Sept. sancti Genesi mimi.*] Romæ Genesius mimus, seu *mimicæ artis magister* Diocletiano Imperatore, in plerisque Martyrologiis memoratur cum Genesio Arelatensi viij Kal. Sept. at in martyrologio Hieronymi notatur Genesius Arelatensis die sequenti, etiam Prudentio laudatus in hymno 4.

p *iiij Kal Sept depositio Restituti & Augustini Episcopi.*] In martyrologio Romano v Id. Decembris mentio fit de sancto Restituto Carthaginensi Episcopo & martyre. Sed qui hunc martyrem dicant, auctorem non habeo: Augustinum, cujus tractatus inscribitur *de depositione Restituti episcopi*, apud Possidium in cap. 10, absque nomine Martyris. De eo vide Baronium ad annum 303 num. 73. De alio Restituto Presbytero Calamensi mira prædicat Augustinus in lib. 22 de civitate Dei, cap. 24. Plures item ejus nominis Africanos Episcopos lego, tum in epistolis Conciliorum Carthaginensis, tum in Notitia provinciarum Africæ: sed nihil ad hunc locum, cùm hic agatur de Restituto, qui Augustino præponitur, atque adeo ætate eo superior fuit.

q *iij Kal. Sept. sancti Felicis, Evae & Regiolae Mart.*] Alutinenses illi martyres in Numidia fuerunt, pluribus aliis conjuncti, quorum acta profert Baronius ad annum 303 num 55 ubi *Eva* errore typographico in quibusdam editis pro *Eva* scribitur. Dies ignotus ex actis: sed constat eum esse post v Kal. Aug. quo die apud Augustinum in Breviculo collationis diei tertiæ cap. 27 passi dicuntur *Consulibus Diocletiano novies & Maximiano octies, pridie Idus Februarii*, tametsi in Martyrologiis memorantur iiij Idus; hîc iij Kalend. Septembris.

r .... *Idus Sept sancti Ampeli.*] Inter Alutinenses quoque martyres Ampelius quartum locum obtinet; qui nescio an idem sit cum Ampelio hîc recensito, qui martyr neutiquam appellatur. Inter Concilii Carthaginensis Patres bis Ampelius nominatur, seu cùm scribunt illi ad Innocentium Pontificem, seu cùm ad illos responsum mittit Innocentius: at cujus sedis Episcopatum tenuerit, needum assequi licuit.

s *xviij Kal. Octobr. sancti Cypriani Episcopi & Mart. Cartag.*] Cujus nomen, doctrina, & sanctitas in pretio, & merito quidem, apud omnes, sed maximè apud Africanos. Duas egregias amplasque sub ejus nomine basilicas apud Carthaginem suo tempore exstitisse tradit Victor Vitensis in lib. 1. *Unam, ubi sanguinem fudit: aliam, ubi ejus sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur.*

t *xvj Kal. Octob. sanctae Eufimiae.*] Euphemia virgo & martyr Calchedonensis, anno 311 passa xvj Kal Octob. quam *sub a veste & pallio Philosophiam* profitente inductam Asterius describit. Dies huic loco quadrat.

u ....*Kal. Oct. sancti Januarii Martyris.*] Januarium hîc notatum puto martyrem Africanum, qui anno ccc 13 unà

X iij

x ... Kal. Oct. sancti Sossi. [x]
y vj Id Oct. sancti Quintusi. [y]
z iiij Id. Oct. sancti Luce Evangelistae & martyris. [z]
a xvj Kal. Nov. sanctorum Volitanorum. [a]
b ... Kal. Nov. sancti Leuci & Victurini martyr. [b]
c ... Kal Nov. sanctae Victuriae. [c]
d iiij Kal. Nov. sancti Feliciani & Vagensium. [d]
e Kal Nov. sancti Octavi. [e]
f ... Id. Nov. sanctorum Capitanorum. [f]
g Idus sancti Valentini. [g]

... Kal. Dec. sancti Clementis. [h] h
... Kal. Dec. sancti Crysgoni martyris. [i] i
.. Kal. Dec. sancti Andreae Apostoli & martyris. [k] k
Nonas Dec. sanctorum martyrum Bili, Felicis, Potamiae, Crispinae, & comitum. [l] l
iiij Id. Dec. sanctae Eulaliae. [m] m
iij Id. Dec. sanctorum martyrum Eronensium. [n] n
xvj Kal. Jan. sanctorum martyrum Felicis, Clementiane, Honorate, & Massariae. [o] o
x... Kal. Jan. sancti Nemessiani. [p] p

cum Paulo, Gerontio, & aliis sex martyrii coronam accepit. Nisi si Januarius hic Beneventanus Episcopus, sub Maximiano Neapoli in Campania passus xiij Kal. Octobris cum Sosio martyre, de quo mox Kalendarium.

x ..., *Kal. Oct. sancti Sossi.*] Anno 305 Sossius, Misenatis ecclesiæ Diaconus, unà cum Januario Beneventano Pontifice & aliis ternis, sub Draconzio præfecto, post varia tormenta capite plexus est, & in veteri Romano Rosuveydi martyrologio ix. Kal. Oct. memoratur. An qui in Hieronymiano iij Kal. Octob. his verbis: *Et alibi Januarii, Sosii*, &c.

y *vj Idus Oct. sancti Quintasi.*] In eodem Hieronymi martyrologio vj Id. Octob. notatus inter alios Quintasius hoc modo: *In Africa Aracli, Dionysii, &c. Et alibi Casti, Quintasi, &c.* cujus dies huic loco respondere videtur. Epistolæ Patrum Arelatensium Silvestro Papæ datæ complures subject sunt Episcopi, quos inter, non paucos ex Africa istuc convenisse non dubium. His quintasius accensetur, cujus sedes nobis incognita. Ad hæc inter Mauritaniæ Cæsariensis Episcopos, qui cum ceteris ab Hunnerico Carthaginem acciti sunt, Quintasius Muceitanus locum obtinet.

z *iiij Id. Oct. sancti Luce Evangelistae & Mart.*] Duo hic cum ceteris non conveniunt, nempe dies, & martyris nomen: cum Lucas xv Kal. Nov. notari solitus sit, nec martyris nomen passim obtineat. Quamquam id insinuat Gregorii Nazianzeni Oratio i in Julianum, & apertè dicunt Paulinus & Gaudentius. Martyrii modum describit Nicephorus in lib. 2 cap. 43 ubi habet, Lucam ex olea arbore fuisse suspensum, quòd ancti ligni, ea quo crux fieret, copia non adesset. Locum apud Patras Achaiæ civitatem designat Gaudentius in sermone 17 seu tractatu de dedicatione basilicæ sanctorum Quadraginta Martyrum.

a *xvj Kal. Nov. sanctorum Volitanorum.*] Volitana, vel, ut alii scribunt, Bolitana civitas provinciæ proconsularis, Bonifacium habuit Episcopum sub Hunnerico Rege, à quo is in Corsicam est relegatus. Ibi Martyrum agmen occubuit, quos Augustinus simpliciter *martyres Bolitanos* vocat in titulo sermonis 13 de verbis Apostoli, quem *in basilica Gratiani die natali sanctorum Martyrum Bolitanorum* habuit.

b ..., *Kal. Nov. sancti Leuci & Victurini Martyr.*] Lucii, Victorici & aliorum in Africa martyrum gesta seu præclaram eorum epistolam refert Baronius ad annum 222. quo fere nullum reperias ejus temporis insignius monumentum. Victorici duobus in locis meminit Cyprianus, nempe in epistolis 14 ad Cornelium, & 68 ad Hispanos, eumque Pamelius à *Thobruca* vocatum observat. In Martyrologio Hieronymi xv Kal. Novembris fit memoria *in Africa Lucii, Victoris, Dasi, Leuci, Victorici*, &c. At in martyrologio Romano vj Kal. Martii.

c ....*Kal. Nov. sanctae Victuriae.*] Alurinensibus Victoria martyr adjungitur, sed ejus hic natalem scribi non puto. Cur enim ab Eva & Regiola superiùs memoratis divelleretur? In martyrologio Hieronymi fit mentio inter alios plures de sancta Victoria martyre apud Mauritaniam xvj Kal. Novemb. & pridie easdem Kalendas alterius Victoriæ in Africa. Duas item alias Victorias ex Africa legimus in martyrologio Hieronymi iv Kal. Octobris: duas item xvj Kal. Decemb. Has inter non dubito quin dandus sit inclytæ illi Victoriæ locus, quæ testante Victoris Vitensis libro 3 in civitate Culusitana *catenus suspendio cremata est*, sed ab Angelo curata. In duobus codicibus mss legitur sermo quidem Augustino adscriptus *in natale sanctæ Victoriæ*, qui ex duobus aliis de sancta Perpetua & Felicitate consarcinatus est. Si tamen Augustinum haberet auctorem, non ad Victoriam Culusitanam, quæ post Augustinum passa est, sed ad aliam referendus esset.

d *iiij Kal. Nov. sancti Feliciani & Vagensium.*] Felicianum Acolythum in Cypriani ad Cornelium epistola de Fortunato & Felicissimo memoratum lego: alium item Maximianæ partis Episcopum Mustitanum, quem sede pelli Titianus Advocatus porrecto libello rogavit. Vagenses martyres nusquam alibi (quod sciam) noti. Notius Bagaitanum seu Vagaitanum Donatistarum Concilium. Fulgentium Vagadensem in Numidia Episcopum Notitia Africana commemorat. Civitas Vaga à Ptolemæo & aliis è regione Cirthæ collocatur. Forte Vagenses seu Bagaïenses Catholici à Donatistis furore abreptis necati, martyrum loco habiti sunt. nam ibi tumultuatos fuisse Donatistas eorum acta satis indicant.

e *Kal. Nov. sancti Octavi.*] An is qui in duplici apud Augustinum epistola nominatur inter Concilii Carthaginensis Patres, qui Innocentio Papæ adversus Pelagium & Celestium scripsère, nempe in epistolis 175 & 181 novæ editionis.

f .... *Idus Nov. sanctorum Capitanorum.*] Qui Capitani Martyres, qui Capitanorum sit locus, nobis non liquet. De loco nihil propius occurrit, quam civitas *Capsensis* seu *Capsitanorum* à Plinio, itemque à Cypriano in epistola 53 memorata. *Capensem*, teste Pamelio, mss codices efferunt vel certè *Carpitana*, cujus loci Felix Episcopus provinciæ Proconsularis ab Hunnerico relegatus est in Corsicam, ut docet Notitia provinciarum Africæ. Vide Augustinum contra Donatistas. An quatuor Coronati martyres Romæ hic intelligendi, de quibus martyrologia vj Id. Novembris. An potius Æracitas, Dionysius, Sepromia cum aliis passi in Africa ipsamet die ex Martyrologio Hieronymi.

g *Idus sancti Valentini.*] Celebre est in Conciliis Valentini Episcopi Arelatensis nomen, quem tamen hic notatum esse nequaquam veri similis est: sed potiùs Valentinum Castelli-Medianensis Antistitem in Mauritania Cæsariensi, quem Notitia provinciarum Africæ nobis suggerit.

h ..., *Kal. Dec. sancti Clementis.*] Papæ & martyris.

i .... *Kal. Dec. sancti Crisgoni Martyris*] Romæ celeberrimi, qui in variis martyrologiis memoratus viij. Kal. Decembris.

k ..., *Kal Dec. sancti Andreae Apostoli & martyris.*] Diem legere nequivimus. Eum facilè suppleas ex aliis Martyrologiis, quæ diem prid. Kal. Decemb. assignant.

l *Nonas Dec. sanctorum martyrum Bili, Felicis, Potamiae, Crispinae, & comitum.*] Morbacensis Cluniacensis diserte habet *Beli* nomen, cujus loco vetera alia monomenta *Juli* seu *Jusii* præferunt. Passi sunt priores hi tres martyres Thaguræ in Numidia. Crispina vero, cujus Augustinus persæpe meminit, Thebaste in eadem provincia martyrium subiit. Illustrissimus Cardinalis Baronius ejus acta quasi deperdita conquestus est. Viveret vir summus, haberet unde nunc de eorum recuperatione nobiscum gratularetur. Hæc enim suppeditat perantiquus codex monasterii sancti Theoderici prope Remos, qualia hic à nobis in lucem eduntur. De Crispina hac die Usuardus & Ado cum aliis Maxima, Donatilla, & Secunda, Crispinæ sociæ, in ejus actis laudantur.

m *iiij Id. Dec. sanctae Eulaliae.*] Eodem, quo mox laudati martyres, anno 304 Eulalia virgo Emeritæ in Lusitania passa est, quam Prudentius hymno suo celebravit, nempe hymno 3.

n *iij Id. Dec. sanctorum martyrum Eronensium.* Hi nobis incogniti. An ex Eronia urbe Archiepiscopali sub Patriarcha CP.

o *xvj Kal. Jan. sanctorum martyrum Felicis, Clementiane, Honorate, & Massariae.*] Id est, *Clementiani, Honorati, & Massariæ.* Inter multos in Africa Felices martyrio affectos, duo cum S. Cypriano passi sunt; Felix cum collegis à Valeriano damnatus ad metalla: Felix Episcopus Tibaritanus, quod noller libros tradere factus martyr: alter cognominis, ut Felicem & alios septem Numidas martyres omittam. Inter eorum omnium collegas Clementianum, Honoratum, Massariamve nusquam lego; ut eorum acta periisse, easque cum Felice ignoto jam loco vitam fudisse facilè in animum inducam. Forsan ex illorum martyrum sunt numero, quos hac die memorat Hieronymi Martyrologium, *In Africa, Victoris, Victoriani ... & aliorum triginta unum simul.*

p *x.. Kal. Jan. sancti Nemessiani*] Nemesianus in Numidia Tubunarum Episcopus, is ipse ad quem Cyprianus tres direxit epistolas: cujus etiam ac Dativi, Felicis & Victoris Episcoporum, qui cum ipso ad metalla damnati erant, epistola ad Cyprianum superest, quæ inter ipsius Cypriani epistolas ordine 78 reperitur. Nemesianum

viij Kal. Jan. Domini nostri Jesu-Christi, filii
q Dei. [q]
r vij. Kal. Jan. sancti Stefani primi martyris. [r]
vj Kal. Jan. sancti Johannis Baptistae, & Jacobi
f Apostoli, quem Herodes occidit. [f]
v Kal. Jan. sanctorum Infantum, quos Herodes oc-
t cidit. [t]
Nonas Jan. depositio sancti Deogratias & Eugeni
u Episcoporum. [u]
x viij Id. Jan. sanctum Epefania. [x]
y vj Idus Jan. depositio Quodvuldeus Episcopi. [y]
z iij Idus Jan. sancti martyris Salvi. [z]
a avuj Kal. Feb. sancti Felicis Nolensis. [a]
b xvj Kal. Feb. sanctorum Rubrensium. [b]
aiij Kal. Feb. sanctorum Tertullensium & Ficariem-
sium. [c] c
aiij Kal. Feb. sancti martyris Sivastiani. [d] d
xij Kal. Feb sanctae martyris Agnes. [e] e
aj Kal. Feb. sancti martyris Vincenti. [f] f
viij Kal. Feb. sancti martyris Agelei. [g] g
Kalend. Feb. sanctorum Luciani & Vincenti mar-
tyr. [h] h
iiij Non. Feb. sanctorum Carteriensium. [i] i
Nonaa Feb. sanctae martyris Agatae. [k] k
v Idus Feb. sanctorum Filicis, Victoris, & Janua-
rii. [l]
aiiij Kalendas Mart. sanctorum martyrum Macrobi, l
& Lucillae, Nundinari, Caecilianae, & Petren-
sium. [m] m

persecutioni superfuisse, & in pace ecclesiastica obiisse credidetim, quòd hic martyris titulo minime donetur. Tametsi in quibusdam hujus Kalendarii locis etiam desideratur martyris nomen in eis, quos martyres fuisse aliunde constat.

q *viij Kal Jan. Domini nostri* JESU-CHRISTI *Filii Dei*] Nempe Nativitas.

r *vij Kal. Jan. sancti Stefani primi martyris.*] Inde apparet, jam inde ab antiquis temporibus sanctum Stephanum hac ipsa die honotatum ab Ecclesia fuisse.

f *vj Kal Jan. sancti Johannis Baptista, & Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit.*] Notandum *Baptistæ* nomen: cujus loco Joannem Evangelistam hac die colit Ecclesia prisco more. An hic scribæ error?

t *v Kal Jan. sanctorum Infantum, quos Herodes occidit.*] Ex hoc loco patet antiquitas hujus festi. sed longe antiquior ejus mentio apud Origenem in homilia 3 in Matthæum Illustrissimus Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum varios memorat Augustini sermones in festo Innocentium, ex his duos sermones in eorum Octava habitos, citatque Possidii indiculum. Et quidem Possidius in cap. 10 recenset Augustini *tractatus duos de Octavis infantium.* At eos habitos fuisse constat in Octava Paschæ, quæ Octava infantium recens in Paschate baptizatorum dicebatur. Ex his tractatibus unus est sermo pro Dominica in Octava Paschæ, qui est sermo 160 de tempore, in cujus sermonis cap. 2 hæc leguntur: *Hodie Octava dicuntur infantium* &c. Huc sine dubio respexit Possidius.

u *Nonas Jan depositio sancti Deogratias, & Eugenii Episcoporum*] Ambo sub Genserico & Hunnerico Carthaginenses Episcopi, meritis ac confessione celebres, de quibus præter alios Victor Vitensis, nempe in libro 1 de Deogratias, in duobus aliis de Eugenio ejus successore.

x *viij Idus Jan. sanctum Epefania*] Celebre apud Afros qui teste Victore Vitensi in libro 1 ipso die *benedicebant fontes, ut baptizarentur accedentes ad fidem.* Augustinus *habuit de Epiphania tractatus septem*, testante Possidii indiculo in cap. 10.

y *vj Id. Jan. depositio Quodvultdeus Episcopus*] Non dubium quin & ipse Carthaginensis Episcopus expulsus à Genserico, apud Victorem Vitensem laudatus in libro 1, Deogratias Episcopi decessor. Alios ejusdem nominis Episcopos vide apud Augustinum in epistola ad Innocentium, & in Notitia Provinciarum Africæ.

z *iij Id. Jan. sancti martyris Salvi*] Membresitani Episcopi. Eximia de illo contra Cresconium, itemque adversus Parmenianum scribit Augustinus, qui & sermonem habuit *per natalem sancti martyris Salvii*, ex Possidii cap. 3. & tractatum unum *de natali sancti Salvii*, ex cap. 10.

a *xviij Kal. Feb sancti Felicis Nolensis*] Non in Africa solum, sed etiam ubique gentium notissimi, in cujus natali Augustinus sermonem habuit in Psalmum 127. uti Aloni visum est.

b *xvj Kal. Feb. sanctorum Rubrensium*] Eorum gesta me fugiunt. An passi in Rubicariensi Mauritaniæ Cæsariensis civitate, cujus Episcopus Paulinus in Notitia provinciarum Africæ recensetur. In martyrologio Hieronymi memorantur hac die in Africa *Mica, Victor, Mysteriaanus*, cum aliis. Ams *Muum* dicitur apud Bollandum hac die, ubi *Rufinianus* alius adjungitur ex ms. Hibernico. An Rubrenses inde dicti? Ex loco aliquo potiùs tractum nomen existimo. Rubrensem lacum in Gallia lego, sed quid ad hunc locum?

c *xiiij Kal Feb. sanctorum Tertullensium & Ficariensium*] Hos esse puto, quos Notkerus hac die commemorat. *In Africa Pauli, Quinti, & plurimorum martyrum.* Hæc forsan prima classis Tertullensium. tum, *Carthagine Picaria, Pia & aliorum viginta &c.* Hæc altera, forsan ex Ficaria, insula parva Sardiniæ adjacente, an ex Ficarensi civitate provinciæ Mauritaniæ Sitifensis, cujus Abus Episcopus legitur in Notitia Africæ.

d *xiij Kal. Feb. Sancti Martyris Sivastiani*] Vel suo nomine notissimi. Dignus eo nomine fuit Sebastianus Comes in Africa tempore persecutionis Vandalicæ apud Victorem Vitensem in libro primo.

e *xij Kal. Feb. sanctæ martyris Agnes.*] Sic flecti solet apud veteres illustris martyris nomen, alias *Agna*, ut apud Prudentium in hymno 14

f *xj Kal. Feb. sancti martyris Vincenti*] Hispanici, quem nemo non novit. Et hic alter ex Hispania sanctus cultus est in Africa post Eulaliam, de qua supra. Augustini tractatus duos *de natali sancti Vincentii* indicat possidius in capp. 9. 10.

g *viij Kal. Feb sancti martyris Agelei.*] Augustinus *per natalem sancti Agelei* sermonem ad populum habuit, teste Possidio in cap 9 Cave Agelium hunc esse putes illum Novatianæ sectæ Episcopum apud Constantinopolim, quem ætate decrepitum anno CCCLXXXIV occubuisse refert Socrates. quis verò poster iste Ageleus fuerit, non invenio.

h *Kal. Feb. sanctorum Luciani, & Vincentii martyrum.*] Non constat an Lucianus martyr ipse sit, quem Cyprianus in epistola 23 nonnihil reprehendit, *quòd circa intelligentiam dominicæ lectionis minùs peritus, & facilitate sua molestus* ipsi esset, nempe lapsis veniam passim concedendo: an potius Lucianus Cypriani successor, aliusve, qui martyrio coronatus cum Vincentio, de quo nihil adducere possumus. an Vincentius, qui cum Cypriano scripsit epistolam 68 ad Hispanos

i *iiij Non. Feb sanctorum Carteriensium*] Cartennæ Mauritaniæ Cæsariensis civitas, cujus Episcopus Lucidus in Notitia Africæ. An Carterienses inde dicti martyres isti, an à Carteia Hispaniæ Bæticæ urbe, apud Ptolemæum, quæ Holstenio Carthagena. an denique à Carteria prope Smyrnam insula, ex Plinio? Africanos dicere malim, quos in Africa celebres extitisse Possidius docet in Indiculo, ubi sermonem Augustini *per natale Carteriensium* habitum indicat in cap. 9. Plures hac die Africæ martyres laudat martyrologium Hieronymo adscriptum Allatius in animadversis ad martyrologium Romanum: *In Africa Victoris, Honorati.*

k *Nonas Feb. sanctæ martyris Agata.*] Quæ notior est, quàm ut illustrari hoc loco possit, aut debeat.

l *v Idus Feb. sanctorum Felicis, Victoris, & Januarii.*] Vulgatum Hieronymi martyrologium hos martyres cum aliis septem notat iij Idus Februarii. Adi Bollandum ad diem decimum istius mensis.

m *xiiij Kalendas Martii sanctorum martyrum Macrobi & Lucilla, Nundinarii, Cæciliani, & Petrensium.*] Macrobius & Lucilla cum aliis multis recensentur hac die in Martyrologio, quod Hieronymi appellatur: aliorum ibi nomina desiderantur. In Macrobii Candidi area sepultus est Cyprianus: an verò Macrobius iste martyr fuerit, inquirimus. In actis Cirtensium Nundinarius & Lucilla nominantur; sed absque martyrii titulo. Petrenses an ex Petra Palæstinæ aut Arabiæ, an ex Petris Italiæ insulis, quæ Ptolemæo Sirenusæ? Alii melius divinabunt. Hactenus Kalendarium Carthaginense, cujus exemplar primùm quidem in Cluniacensi Bibliotheca hoc anno inspeximus, deinde illud ipsum inde accepimus beneficio R. P. Joachimi Le-Sinois, sacri istius loci Prioris humanissimi, cui multa alia debemus sed saltem unum hoc scire interest reipublicæ literariæ

VETERES LITANIÆ ANGLICANÆ,

à mille annis editæ.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Christe audi nos.
Christe audi nos
Christe audi nos.
Sancta Maria, or.
Sancta Maria, or.
Sancta Maria, or.

De Angelis.

Sancte Michael, or.
Sancte Gabriel, or.
Sancte Raphaël, or.
Omnes sancti Angeli, Orate.
Omnes sancti Archangeli, orate.
Omnes sancti chori novem Ordinum cælestium, orate pro nobis.

De Apostolis.

Sancte Petre, ora.
S. Paule,
S. Andrea,
S. Jacobe,
S. Johannes.
S. Thoma,
S. Jacobe,
S. Philippe,
S. Bartholomæu,
S. Matthæu,
S. Juda,
S. Barnaba,
S. Mathia,
Omnes sancti chori Apostolorum, orate.

De Martyribus.

S. Stephane, II ora pro nobis.
S. Luca,
S. Marce,
S. Barnaba,
S. Timothæu,
S. Tite,
S. Philimon,
S. Clemens,
S. Syxte,
S. Felix,
S. Laurenti,
S. Corneli,
S. Cypriane,
S. Sebastiane,
S. Gervasi,
S. Protasi,
S. Vincenti,
S. Georgi,
S. Dionysi,
S. Maurici,
S. Victor,
S. Johannes,
S. Paule,
S. Donatiane,
S. Rogatiane,
S. Agustine,
S. Colma,
S. Damiane,
S. Romane,
S. Cæsari,
S. Marcelline,
S. Pancrate,
S. Nazari,
S. Benigne,
S. Symphoriane,
S. Hermes,
S. Felicissime,
S. Abdo,
S. Senes,
S. Tiburti,
S. Beate,
S. Candide,
S. Bonifaci,
S. Nicomedis,
S. Menna,
S. Magne,
S. Ruphine,
S. Nabori,
S. Juvenalis,
S. Beatrix,
S. Iacincte,
S. Martiniane,
S. Dremore,
Omnes sancti chori Martyrum, orate pro nobis.

De Confessoribus.

S. Leo,
S. Silvester,
S. Donate,
S. Gregori,
S. Augustine,
S. Hieronyme,
S. Benedicte, II
S. Hilari,
S. Martine,
S. Samson,
S. Brioce,
S. Melore,
S. Branwalatre,
S. Patrici,
S. Brindane,
S. Carnacbe,
S. Gilda,
S. Paterne,
S. Petrane,
S. Guinwaloee,
S. Courentine,
S. Citawe,
S. Guoidiane,
S. Munna,
E. Serwane,
S. Serecine,
S. Guinnave,
S. Tutwale,
S. Germane,
S. Columcille,
S. Paule,
S. Judicaile,
S. Mevinne,
S. Guoidwale,
S. Direille,
S. Bachla,
S. Rawele,
S. Racate,
S. Loutierne,
S. Riacate,
S. Toninnane,
Omnes sancti chori Confessorum, orate pro nobis.

De Virginibus.

Sancta Maria, III ora pro nobis.
S. Felicitas,
S. Perpetua,
S. Agatha,
S. Cecilia,
S. Agnes,
S. Anastasia,
S. Petronilla,
S. Eufemia,
S. Savina,
S. Scholastica,
S. Eugenia,
S. Sussanna,
S. Appra,
S. Columba,
S. Tecla,
S. Ninoca,
S. Ticiawa,
S. Genufefa,
S. Justina,
S. Cristina,
S. Crispina,
S. Crispiniana,
S. Corona,
S. Benedicta,
S. Senentina,
S. Margareta,
S. Blandina,
S. Martha,
S. Menna,
S. Mathitia,
S. Perpetua,
S Concordia,
S. Julitta,
S. Sinclita,
S. Soffonia,
S. Crescentia,
S. Donata,
S. Juliana,
S. Portuna,
S. Victoria,
S. Tarsilla,
S. Emiliana,
S. Trifina,
S. Brigida,
Omnes sancti chori Virginum, orate pro nobis.

Omnes Sancti, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Angeli, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Archangeli, intercedite pro nobis.
Omnes sanctæ Virtutes, intercedite pro nobis.
Omnes sanctæ Potestates, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Principatus, intercedite pro nobis.
Omnes sanctæ Dominationes, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Throni, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Cherubim, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Seraphim, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Prophetæ, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Apostoli, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Martyres, intercedite pro nobis.
Omnes sancti Confessores, intercedite peo nobis.
Omnes sanctæ Virgines, intercedite pro nobis.
Omnes sancti, intercedite pro nobis.
Ut per vestras orationes adipiseamur sine fine regnum cælorum Domino volente per omnia sæcula sæculorum.

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Libera nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni immunditia cordis & corporis, Libera nos Domine.
A morbo malo, Libera nos Domine.
Ab hoste malo, Libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli, Libera nos Domine.
A persecutione inimici, Libera nos Domine.

A periculo

A periculo mortis, Libera nos Domine.
A ventura ira, Libera nos Domine.
Per adventum tuum, Libera nos Domine.
Per Nativitatem tuam, Libera nos Domine.
Per Baptismum tuum, Libera nos Domine.
Per Passionem tuam, Libera nos Domine.
Per Crucem tuam, Libera nos Domine.
Per Resurrectionem tuam, Libera nos Domine.
Per Ascensionem tuam, Libera nos Domine.
Per descensionem Spiritus-sancti, Libera nos Domine,
Peccatores, Te rogamus, audi nos. III
Ut pacem nobis dones, Te rogamus, audi nos.
Ut vitam atque sanitatem nobis dones, Te rogamus audi nos.
Ut nobis in bonis operibus perseverantiam dones, Te rogamus, audi nos.
Ut nos in vera Fide & religione conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut Ecclesiam Catholicam conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut Regem & Episcopum nostrum conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut vitam & sanitatem eis dones, Te rogamus, audi nos.
Ut populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut fructum terræ nobis dones, Te rogamus, audi nos.
Ut cœli serenitatem nobis dones, Te rogamus, audi nos.
Ut pluviam oportunam nobis dones, Te rogamus, audi nos.
Ut caritatem nobis dones, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis veram pœnitentiam concedas agere; Te rogamus, audi nos.
Ut Clerum & plebem Anglorum conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut universalem congregationem Sanctorum conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut eam in vera Fide & religione conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis misereri digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus, audi nos.
Fili Dei, Te rogamus, audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Dona nobis pacem.
Christe audi nos. III
Kyrie eleïson. III
Christe eleison. III
Oremus, Pater noster.

Hac Oratio post Litaniam canitur.

MAGNIFICIS mirificisque orationibus atque meritis recensitorum Patriarcharum, Prophetarum atque Apostolorum, plurimorumque Martyrum, vel electorum, atque Confessorum omnium, petimus & oramus, ut quemadmodum eorum nomina vel memoriam in hoc sæculo memorari & recitare frequentamus; ita atque ipsi pro nobis in regnis cælestibus affectuales ac privatas preces fundere dignentur, ut à Deo veniam & indulgentiam impetrare atque obtinere, & eorum desiderandam & aspiciendam speciem & gloriam in regno Dei videre, & congaudere mereamur, præstante Domino nostro JESU-CHRISTO, cui est honor, & potestas, & imperium, unà cum Patre atque Spiritu-sancto in sæcula sæculorum. Amen.

ADNOTATIONES.

VEteres hasce Litanias, quæ unà cum libro Psalmorum in membraneo codice Remigianæ apud Remos Bibliothecæ continentur, hîc subjicere visum est operæ pretium, tum quia Sanctos exhibent plerosque ignotos, qui apud Anglos antiquitus publico honore colebantur: tum quia argumento à me inde pro monachatu Gregorii Magni superiùs adducto faciunt fidem. Anglicanas dicere non vereor, non solùm ob veteris codicis characteres semi-Saxonicos, & nomina Sanctorum plurimùm Britannica seu Anglicana; sed maximè propter aliam obsecrationem, quæ adhibetur sub finem Litaniarum, *Ut Deus Clerum & plebem Anglorum conservare dignetur.*

Earum antiquitatem probat in primis vetustas Remigiani codicis ab annis prope nongentis exarati. Deinde Sanctorum ætas, quorum suffragia postulantur: ex quibus nullus est medio sæculo septimo inferior. Ad hæc, quòd multi Sancti apud Anglos, sub finem sæculi septimi & initium octavi maximè celebres, in ipsis Litaniis omittuntur, scilicet Cuthbertus, Wilfridus, Aidanus, Aldhelmus, Ethildrita, ut taceam Mellitum, Laurentium, Paulinum, Columbanum, Biscopum, Ceolfridum, Theodorum, Hadrianum, Bedam & alios. Ex quibus infero, Litanias istas labente sæculo septimo in Anglicana Ecclesia usitatas fuisse. Unum huic sententiæ objici potest, nimirum Augustinum proximo post Gregorium loco nominari. quod videtur emanasse ex decreto Concilii Cloveshoviensis anno DCCXLVII celebrati: in cujus capitulo 17 constitutum est, *ut dies depositionis sancti Augustini Archiepiscopi*, qui ad gentem Anglorum à Gregorio prædicationis gratià missus est, *ab ecclesiasticis & monasterialibus feriatus haberetur*; ejus nomen *in Litaniæ decantatione post S. Gregorii vocationem semper diceretur.* Ego verò concedo, sanctum Augustinum, qui in prædictis Litaniis memoratur, non esse magnum illum Ecclesiæ Doctorem, sed alium cognominem, Gregorii Magni discipulum, & Anglorum Apostolum, quem in Litaniis Anglicanis omissum fuisse nequaquam veri simile est. At nihil vetat, Augustinum hunc sæculo septimo in publicis Litaniis apud pleraique Anglorum ecclesias invocatum fuisse: tametsi nullum ejus rei decretum præcessisset. Sic enim in Ecclesiæ ritibus usu venire solet, ut quod priùs in quibusdam ecclesiis usurpatum est, communi dein Episcoporum decreto confirmetur, totique uni provinciæ sive regno approbetur. Denique etiam permisso hunc Augustino locum in præmissis Litaniis tributum fuisse ob decretum Concilii Cloveshoviensis; repono, id nihil detrahere earumdem Litaniarum antiquitati, prout à me superiùs asserta est. Cùm enim scriptor amanuensis veteres Litanias sæculo septimo usitatas paullo post Concilium Cloveshoviense describeret; nil mirum, si Augustinum post Gregorium inseruerit, Concilii statuto hac in re obsequutus. Neque par est ratio de Cuthberto, aliisque celebrioribus Sanctis superiùs laudatis: qui etsi publico tum cultu honorarentur, nulla tamen Anglicanæ Ecclesiæ lex exscriptorem adegit, ut vetustis ac pridem receptis Litaniis recentiores Sanctos pro arbitrio suo adscriberet.

Ex his porro validissimum argumentum pro Benedictinæ Regulæ in Anglia propagatione, quæ invictis aliunde testimoniis demonstrata est, deduco. siquidem in publicis Anglicanæ Ecclesiæ Litaniis unus ex omnibus monasticæ vitæ institutoribus sanctis laudatur Benedictus, non Antonius, non Pachomius, non Basi-

itus, non Augustinus, non Cæsarius, non Æquitius, non Aurelianus, non denique Columbanus. Unde consequens est, sæculo septimo desinente vitæ monasticæ fundatorem apud Anglos unum audisse Benedictum, cujus nempe Regulam Augustinus in eam insulam invexerat. Accedit, quòd in dictis Litaniis sancti Benedicti nomen bis repeti præscribitur, magnâ sanè singularis honoris ac venerationis prærogativâ, quæ nulli alii Sancto, præterquam S. Stephano & beatæ Mariæ virgini usque tertiò laudatæ concessa est. Hic verò tam singularis S. Benedicti apud Anglos cultus sine dubio processit ex commendatione tam Gregorii, quàm Augustini, qui ambo S. Benedictum præceptorem ac institutorem suum venerantes, eumdem sibi subditis affectum inspirarunt.

Neque dici potest, Augustinum aliâ quàm S. Benedicti Regulâ in Andreano Gregorii Cœnobio informatum fuisse, sed tamen ei ad Anglos in Britanniam abeunti Gregorium præscripsisse, ut S. Benedicti Regulam in Monasteriis institueret. Nam præterquàm quòd hoc gratis & sine fundamento adduceretur, ac naturali consecutione legitimè inferri debeat, Augustinum non secundùm aliam, quàm quæ ab ipso in Anglia propagata est, Regulam in Cœnobio Gregoriano vixisse; illud præterea hoc argumento validissimè revincitur, quòd si alium à S. Benedicto vitæ religiosæ institutorem Romæ habuisset Augustinus, ejusdem (ut fit) cultum ac venerationem etiam apud Anglos non neglexisset. quod, puto, facilè concedent æqui rerum æstimatores. Cùm ergo inter vitæ monasticæ auctores unius S. Benedicti cultum Anglicanis Ecclesiis præscripserit, uti & Regulam Monasteriis; nullus jam dubitationi locus relinquitur, eum sub eadem Benedicti Regula Romæ duce Gregorio militasse. Hæc dixerim, non animo revocandi controversiam jam satis fusè agitatam; sed illustrandi argumentum, quod ex his Litaniis strictiùs ac breviùs in Dissertatione mea exposui.

De aliis Sanctis, qui in his Litaniis memorantur, plerisque fere ignotis, plura hîc observare non vacat. Illud tantùm adverto, Columcillum eum esse, qui Columba Hiensium Abbas fuit. & S. Margaretam, cujus in his partibus non adeo antiqua memoria videbatur, in præmissis Litaniis locum habere.

LITANIÆ CAROLINÆ.

KRiste audi nos.
Sancta Maria, ora pro nos.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabrihel, ora.
Sancte Rafahel, ora.
Sancte Orihel, ora.
Sancte Raguhel, ora.
Sancte Tobihel, ora.
Sancte Cherubim, ora pro nos.
Sancte Seraphim, ora pro nos.
Nomina Apostolorum.
S. Petre, ora pro nos.
S. Paule,
S. Andrea,
S. Jacobe,
S. Johannis,
S. Thomas,
S. Philippe,
S. Bartholomei,
S. Mathei,
S. Symonis,
S. Judas,
S. Tathei,
S. Lucas,
S. Marci,
Nomina Martyrum.
S. Stephani, ora.
S. Christe,
S. Laurenti,
S. Appoliti,
S. Clementis,
S. Corneli,
* f. Pancrati. S. Cypriani,
S. Darie,
S. Cosme,
S. Damiane,
S. Lucie,
S. Quintini,
S. Crispini,
S. Crispiniani,
S. Rufini, ora.
S. Valerie,
S. Eugenie,
S. Vitalis,
S. Gervasi,
S. Protali,
S. Nazari,
S. Juliane,
S. Celse,
S. Symforiane,
S. Speusippe,
S. Eleusippe,
S. Meleosippe,
S. Antonne,
S. Polycarpe,
S. Georgie,
S. Christofori,
S. Errice,
S. Mauricii,
S. Victor,
S. Felix,
S. Exuperi,
S. Candide, cum sociis vestris sex milibus sexcentis ac sexaginta quatuor validos, intercedite prome peccatore in conspectu Domini mei Jesu Christs.
S. Dionysi,
S. Eleutheri,
S. Rustici,
S. Saturnini,
S. Victuri,
S. Praeati *,
S. Thimothei,
S. Apollinaris,
S. Irasmi,
S. Quiriaci,
S. Longini,
S. Marine,
S. Eustatie,
S. Agrippie, ora.
S. Theospis,
S. Theagenis,
S. Visencie,
S. Babille,
S. Asclas,
S. Patrocli,
S. Fructuosi,
S. Eulogie.
S. Trisse,
S. Leuce,
S. Grillinice,
S. Magne,
S. Maccelline,
S. Feriole,
S. Mammes,
S. Juste,
S. Felicis,
S. Theofile.
S. Theoderite,
S. Leudegarie,
S. Nicostrate,
S. Claudie,
S. Egias,
S. Juvenalis,
S. Landeberte,
Omnes Martyres Domini mei Jesu Christs, intercedite pro me nimiùm peccatore.
Nomina Confessorum.
S. Helari, ora.
S. Martini,
S. Honorati,
S. Bricii,
S. Albini,
S. Aniani,
S. Sulpicii,
S. Austrigisili,
S. Silvester,
S. Remedii,
S. Germani,
S. Divitiani,
S. Medardi, ora.
S. Gildardi,
S. Vedasti,
S. Amandi,
S. Elegi,
S. Mammü,
S. Audomari,
S. Richarii,
Sancte . . .
S. Firmini,
S. Lupi,
S. Paulini,
S. Donati,
S. Fursei,
S. Gregorii,
S. Hieronymi,
S. Ambrosii,
S. Cæsarii,
S. Augustini,
S. Basilii,
S. Frontoni,
S. Bantaridi,
S. Auduini,
S. Benedicti,
S. Columbani,
S. Vodoali,
S. Leodardi,
S. Drauscii,
Omnes Cõfessores Christi, intercedite pro me.
Nomina Virginum.
Sancta Eugenia, ora.
S. Eulalix,
S. Agathe,
S. Agnes,
S. Cecilia,
S. Lucia,
S. Dorothea,
S. Theudosix,
S. Columba,
S. Cristina,
S. Marina,

S. Tecla, ora.
S. Eufimia,
S. Eufraaia,
S. Brigida,
S. Anastasia,
S. Genovefa,
S. Reparata,
S. Perpetoa,
S. Felicitas,
S. Scolastica,
S. Susanoa,
S. Spes,
S. Fides.
S. Caritas.
S. Petronilla,
S. Medrisma,
S. Solempnia,
S. Balbina,
S. Eugamioa,
S. Poteotiana,
S. Romola,

S. Posinna, ora.
S. Magra,
Nomina Sanctarum.
Saocta Anna, ota.
S. Helisabeth,
S. Helena,
S. Baula,
S. Radegundis,
S. Nadalia,
S. Abrit,
S. Soffia,
S. Marionilla,
S. Concordia,
S. Susanna,
S. Augusta,
S. Leonilla,
S. Jonilla,
S. Claudia,
S. Pelagia,
S. Theospita,
Sancti Angeli, orate pro me.

Sancti Archangeli, orate pro me.
Sancti Throni, orate pro me.
Sanctæ Dominationes, orate pro me.
Sancti Principatus, orate pro me.
Sanctæ Potestates, orate pro me.
Sanctæ Vittutes, orate pro me.
Sauctæ Chetubin, orate pro me.
Sanctæ Seraphim, niate pro me.
Oomes Patriarchæ, orate pro me.
Omnes Prophetæ, orate pro me.
Omnes Evangelistæ, orate pro me.
Omnes Apostoli, orste pro me.
Omncs Martyres, orate pro me.
Cmnes Confessores, orate pro me.
Omnes Sanctorum, orate pro me.
Propitios esto, Libeta nos Domine. III
Propitius esto, Parce nobis Domine. III
Ab omni malo, Libera nos Domiue. III
Peccatores, Libera nos Domine. III
Ut pacem dones, Te rogamus, audi uos.
Te precamur, Pater sancte, audi nos.
Miserere, Pater sancte, audi nos.
Pro Sacerdotibus, Te precamus.
Pro omni gradu Æcclesiæ, Te rogamus, audi nos.
Iodigoi sumus, JASU-CHRISTA, audi nos.
Pro omni populo catholico, Te precamus, audi nos.
Filius Dei, Te precamus, audi nos.
Agous Dei qui tollit peccata mundi, Christe audi nos.
Kyrie eleison, III
Christus vincit, Christos regnat, Christus imperat, III
Eaaudi Christe.

ADRSANO summo Poutifice & universale Papæ vita.
Redemptor mundi, tolo juva.
Sancte Petre, tulo juva.
Vel alius Sanctos, quales voloeris.
Eaaudi Christe.
KAROLO excellentissimo & à Deo coronato, magno & pacifico Rege Francorum & Langobardocum, ac Patticio Romanorum vita & victoria.
Salvatot mundi, tulo juva.
Sancte Johannis, tulo juva.
Vel alius Sanctus, qualis voloeris.
Eaaudi Christe.
PIPINO & KAROLO nobilissimis filiis ejus vita. Sancti illius, quales volueris, eulo juva.
Eaaudi Christe.
PIPINO Regē Langobardorum vita.
Saocti Maurieii, tulo juva.
Vel alius Sanctus, quales volueris.
Eaaudi Chrste.
CHLODOVIO Rege Aquitaoiorum vita.
Sancte Martine, tulo jova.
Vel alius Sanctus, quales volueris.
Eaaudi Christe.
FASTRÆUANÆ Reginæ salus & vita.
Alias Virgines Christi, qoales voluetis.
Exaudi Christe.
Omnibus judicibus vel cuncto exercitui Francorum vita & victoria.
Sancte Remegii, tulo juva.
Christus vincit, Christus tegnat, Christus imperat.
Kyrie eleison, Christe eleison.
Pater de cælis Deus, miserere nobis.
Filius Redemptor Deus, miserere nobis.
Spiritus-sanctus Deus, miserere nobis.
Qui es trinus & unus, miserere nobis.
Ipse idemque benignus.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Maria, ora.
Sancte Petre, ora.
Saocte Paule, ora.
Sancte Andreas,
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Gratiam tuam nobis concede, Domine.
Gaudium & pacem dona nobis, Domine.
Vitam & sanitatem concede nobis, Domine.
Ab inimicis nostris tuere nos, Domine.
Dona nobis, Domine, peccata nostra, parce nobis Domine.
Filius Dei, miserere nobis.
Kyrie eleison, Christe eleison.
Tu mihi, Christe, concede sororem, nomine ROTRUDAM, esse beatam, ut tibi semper serviat illa

ADNOTATIONES.

HAs Litanias superioribus ob argumenti & temporis affinitatem adjunxi. Carolinas voco, quòd principatu Caroli Magni, Hadriano summo Pontifice, sctiptæ sint, in Parthenone (ut quidem puto) beatæ Mariæ apud Suessionas. Conjecturam ejus rei hanc habeo, non solùm quia sanctos ejus urbis Episcopos, Bantaridum & Drausciuin, dicti Parthenonis auctorem primum, celebrent hæ Litaniæ: sed maximè quia sanctos Vodoalum & Leodardum; quorum ille Reclusus, hic Pistor in eodem Cœnobio vixit ante sæculum oonum. Eatamen has Litanias ea mss. codice Vesontionensi cacepit, atque Acherio nostro transmisit vir doctus ac religiosus Petrus Franciscus Chiffletius Societatis Jesu. Quod de Rotrude Caroli Magni (ni fallor) filia in fine subditut, additamentum est fratris ejus aut sororis. In his Litaniis barbaram Romanam linguam, qualis illo ævo in familiari usu recepta erat, observare licet in his vocibus, *Tulo juva*, *Tulos juva*, ubi dicere solemus, *Tu illum*, *Tu illos*.

In recensione Sanctorum unum tantùm observo, nempe inter sanctos Angelos invocari ORIALAM, RAGUELEM, ac TOBIALAM: quæ *nomina*, non *Angelorum*, sed *dæmonum*, esse definivit Zacharias Papa in Concilio Romano, quod contra Clementem & Adalbertum anno DCC XLV coactum est. Huc spectat erudita viri Johannis Baptistæ Thiersii epistola Dissertationi *de retinenda voce* PARACLITUS, præfixa.

INCIPIT PASSIO SANCTORUM SCILLITANORUM,

quod est XVI. *Kal. Augusti.*

IN diebus illis præsidente bis Claudiano Consule, XVI Kal. Aug. Kartagine in Secretario impositis SPERATO, NARTHALO, & CATTINO; DONATA, SECUNDA, VESTIA; SATURNINUS Proconsul dixit: Potestis indulgentiam Domini nostri Imperatoris promereri, si ad bonam mentem redeatis. Speratus dixit: Numquam male fecimus; iniquitati nullam operam præbemus; numquam maledeximus, sed male accepti gratias egimus. Propter quod Imperium nostrum * observamus. Saturninus Proconsul dixit: Et nos religiosi sumus, & simplex est religio nostra: & juramus per ingenium Domini nostri Imperatoris, & pro ejus salute supplicamus. quod & vos quoque facere debetis. Speratus dixit: Si tranquillas præbueris aures tuas, dico mysterium. ...

* f. vestrum.

ADNOTATIONES.

OPtandum esset, ut hæc acta Sanctorum Scillitanorum integra essent in codice Augiensi ex quo superiora descripsimus. Sed nescio quis folium sequens detrahendo, præclarum hoc monumentum nobis invidit. Exstant quidem acta integra apud Baronium ad annum 202. at cum non levi discrimine ab hoc fragmento. sic apud Baronium. *Existente Claudio consule, quarta decima Kalendas Augustas, Carthagine metropoli, statuto forensi conventu, praeceperunt magistratus adstare sibi Speratum, Narzalem, Cittinum, Donatam, & Vestinam. Et adstantibus eis Saturninus Proconsul dixit: Potestis veniam a Dominis nostris Imperatoribus Severo & Antonino promereri, si bono animo conversi fueritis ad Deos nostros. Speratus dixit: Nos minime aliquando malum fecimus; neque iniquitatem sequentes, in peccatis egimus aptrationem; nec aliquando cuiquam maledeximus: sed male suscepti a vobis, gratias egimus semper. Quam ob rem Dominum verum & Regem adoramus. Saturninus Proconsul dixit: Et nos electi sumus, & mitissima est elegantia nostra: & juramus per genium Domini nostri Imperatoris, & pro salute illius intercedimus. quod & vos facere debuistis. Speratus dixit: Si tranquillas adhibeas mihi aures tuas, dicam mysterium, &c.* Hæc referre visum est ad excitandam apud studiosus aliorum actorum inquisitionem.

INCIPIT PASSIO SANCTI DEMETRII MARTYRIS,

Per ANASTASIUM S. R. E. Bibliothecarium.

DOMINO piissimo Imperatori KAROLO semper Augusto ANASTASIUS exiguus coronam & regnum cum Christo. Beati Demetrii Thessalonicensis Martyris passionem atque miracula hortantibus fratribus, & maximè viro peritissimo JOHANNE Diacono, vestræ fidei puritate ac scientiæ claritate notissimo, nuper de Græco in Latinum transtuli sermonem. qui præfatus Johannes hujus Martyris, in domô quidem sua, miræ antiquitatis & pulcritudinis oratorium habebat: tamen qualis iste Martyr Christi esset ignorabat. Ego verò, sicut expertus sum apud Thessalonicam, ubi preciosum corpus ejus conditum redolet, & splendore miraculorum refulget, innotui ei per ordinem. Sed quia Imperium vestrum tanti Agonistæ fraudari notitia novi; vobis quoque idipsum oportune mittere procuravi: quatinus vestra magnitudo cum intercessionibus Sanctorum & amicorum Dei, istius quoque prece apud Deum obtinere gratiam valeat, & perfrui mereatur gloria sempiterna. Rex Regum & Dominus dominantium regnum vestrum dextera sua protegat, & de temporali ad æternum transferat regnum.

CUM Imperator MAXIMIANUS in Thessalonicensium degeret civitate, homo superstitiosus piæ religionis auditores persequebatur, & interficiebantur ab eo. Inter quos erat beatus DEMETRIUS, manifestum faciens semetipsum absque ullo timore, qui à juventute & bona egerat opera, & alios docuerat. Docebat enim, qualiter divina Sapientia descenderat ad terram de cœlo, ut hominem qui mortuus fuerat peccato, vivificaret sanguine proprio. Cùm hæc & alia multa prædicaret, quidam ministri Imperatoris, qui ad capiendos Christianos fuerant deputati, tenentes sanctum Demetrium Imperatori obtulerunt Maximiano. Contigerat enim ire Imperatorem ad stadium civitatis propter eos, qui ad singulare certamen fuerant congressuri. Illic enim parabatur per quasdam tabulas circulus circumsæptus; ubi suspecturus erat eos, qui ex adverso invicem theatricè se impugnarent. quia delectatio erat ei adspicere humani sanguinis fusionem. Verumtamen non sine cura & sollicitudine habebat quod esse sibi delectabile cernebatur. Flagrabat autem desiderio circa quemdam, Lyæum nomine, monomachum, qui jam multos, virtute ac mole corporis abusus, extinxerat, occidendi experimentum per meditationem & consuetudinem possidens. Hunc eo quòd omnes formidarent, & nullus ei qui resisteret videretur, inter primos Maximianus habebat, & diligebat, & libenter in eum respiciebat. Laudabat autem & mirabatur, & quasi super magna re in superbia viri gloriabatur. Porro cum prope stadium per-

venisset, tunc adducunt ei qui cœperant, beatum Demetrium. Audiens autem Imperator quod Christianus esset, quia se totum ad præsentiam spectaculi contulerat; beatum Demetrium jussit ibidem juxta stadium exsistere, & penes publicum balneum custodiri. Ipse verò Imperator residens, Lyæo introducto interrogabat, quis singulare cum eo vellet inire certamen, dona promittens & proponens. Et quidam adolescens nomine Nestor, à superioribus exsiliens gradibus, adversus Lyæum stabat, singularem conflictum arripere cupiens, ita ut obstupescens Maximianus vocaret ad se Nestorem, qui ad hoc exsilierat, illique daret consilium dicens: Novi quod te pecuniarum egestas ad tantum phantasiæ fecerit elevari, ut aut superans divitias repentinas adquiras; aut voto fraudatus, cum vita molestante careas egestate. Ego autem tibi ob miserationem quam adornaris ætatis, dabo etiam pro solo ausu condigna & sufficientia dona, & vade, habeas cum vita etiam dona. Lyæo verò temetipsum ne objicias, quoniam multos te potentiores devicit. His Nestor auditis, nec recipit monita Imperatoris, neque formidavit de virtute Lyæi. Imperatori autem respondit: Nec pecuniis, ut adseruistis, ad hunc agonem veni, sed ut meliorem Lyæo memetipsum reddam. Mox ergo tam Imperator, quàm hi qui circa erant, Lyæo faventes, in iram dictis Nestoris consurgunt, jactantiam ejus non ferentes: Imperator vero confortabat Lyæum, & fidum eum reddebat. At ille dignum se Imperatorio judicio festinabat ostendere. Cumque facta fuisset congressio, mortalem Lyæus suscepit ictum, & protinus mortuus est, & extremam fecit Imperatori confusionem. Unde nec ullis pactis & repromissis pecuniis Nestori recompensans, sed mox in suo solio resilivit, & tristis ad palatium reversus est. Cùm autem ei quidam de Demetrio suggessissent, statim in ira permotus in ipso loco in quo fuit retentus, jussit eum lanceis perforari. Ita beatus Demetrius bonæ confessionis martyrium consummavit. Corpus verò ejus ab interfectoribus parvipensum est: sed quidam religiosi viri noctu latenter venerunt, & sumentes illud ex ipsis in quibus projectum fuerat pulveribus, & comportata terra, quantum potuerunt, abscondere curaverunt, ne læsionem ab aliquo de trucibus & cruentis animalibus sustineret. Nulli autem post hæc curæ fuit transferre corpusculum Sancti, sed manebat sub signo. Porro ut modicùm celebraretur, non pauca in eodem loco facta sunt virtutum ac sanitatum insignia his, qui fide eum invocabant. Cùm jam fuisset meritum Martyris divulgatum, Leontius quidam Deo amabilis, vir adornans thronum Illyricorum præfecturæ, domum, quæ sanctissimum continebat Martyris corpus, cum humillima esset & undique obruta & coangustata porticibus publici balnei ac stadii, universa nocentia mundavit & expurgavit, prædusque amplioribus dilatavit eam, & erexit ibi oratorium in honore sancti Martyris Demetrii ad laudem Domini nostri Jesu-Christi, cum quo est Patri & Spiritui-sancto gloria, honor & imperium in sæcula sæculorum.

Marianus quidam, unus de Senatoribus, ab Imperatoribus jussus est dominari gentibus, quæ in Illyrico erant more Præfectorum. qui veniens Thessalonicam piè præfecturæ gubernabat habenas, Deoque & hominibus erat acceptus. Tunc diabolus invidens ejus opibus, uti Job expetiit eum ut tentaret. Et in primis cœpit eum tentare septem vitiis. At ille gratia Dei suffultus, cuncta ejus machinamenta superavit. Cumque nec sic proficeret Diabolus, cunctas illi hujus mundi divitias abstulit; & nec sic vincere potuit. Supernum enim cum illo erat auxilium. Ad ultimum ergo diabolus permittente Deo tam gravi eum percussit infirmitate; ut de nullo membrorum habebat potestatem, nisi solius linguæ, de qua Deum assiduè laudabat. Cumque diu hanc infirmitatem cum patientia sustinuisset, venit diabolus in civitatem in specie hominis ferens membranam quamdam in manibus, & dixit uni servorum ejus: Si hanc super se tulerit dominus tuus, ab infirmitate liberabitur sua. At ille ingressus ante dominum suum dixit ei: Quæ est tua patientia? audi ergo me, & sanaberis. Est homo ignotus in civitate quamdam habens membranam, qui dicit, quòd si eam super te ferre volueris, ab infirmitate liberaberis. At ille inquit: Quid scriptum habet? Nescio, ait, sed nomina Deorum Angelorumque dicit. Marianus dixit: Deus, absque cujus nutu nihil fit, potest me sanum reddere sine carta. habeat quod suum est, de me fiat voluntas Dei. His dictis, confestim somno corripitur præ dolore & tristitia. qui cùm obdormisset, apparuit ei beatus Demetrius dicens: Surge, & servis tuis impera, quòd te deferant in domum Demetrii. nam ibi juvante Deo recipies sanitatem. Cumque evigilans, à circumstantibus domum Demetrii Martyris requireret, ait quidam: Est domus vilissima prope stadium, in qua dicunt jacere Demetrium, qui dudum lanceis interfectus est jussu Maximiani Imperatoris. Tum ille: Illuc me ferte, quia in visu dictum est mihi, illic sanitatem me posse recipere. Tunc famuli tulerunt dominum suum, ubi jussi fuerant: & jussit se ponere solummodo in pavimento. Cumque jaceret, somno subito arripitur. & ecce beatus Demetrius iterum apparuit ei dicens: Per me sanari potes, sed timeo ne fortè post sanitatem curis hujus mundi te implices. At Marianus: Tu scis, Domine, quia numquam hoc egi, nec agere cupio. Et ille: Christus te sanat qui erigit elisos. Et evigilans Marianus cœpit narrare visionem. Cumque ad hoc ventum fuisset, ubi Martyr dixit: Christus te sanat qui erigit elisos, sanus surrexit gratias agens Deo cum omnibus qui illic aderant, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Fuit item quidam Præfectus Thessalonicæ civitatis, qui fluxum sanguinis patiebatur; & velut mulier, quæ tactu fimbriæ vestimenti Domini sanata est, pæne omnem censum in medicos expenderat, & à nemine sanari poterat. Tandem ergo inspiratus divina clementia, quadam die ait servis suis: Portantes portate me ad domum Protectoris nostræ civitatis. At illi cum timore respondentes dicunt ei: In cujus protectoris domum jubes ducere te? Dicit eis, Primi. Qui aiunt: Cujus primi? Dic nobis, domine, nomen. Ille verò intuitus eos dixit: Prô dolor, ego semivivus jacens illum cognosco, & vos cùm sani sitis, ignoratis eum? Nescitis quòd multos protectores habet hæc civitas, sed unus supereminet cunctis, qui pro ea semper alacriter pugnat; quem ut murum inexpugnabilem non solùm civitas, sed & habere tota promeruit regio? Deferte igitur me in domum ejus. aut enim visitans miserebitur mei: aut certè, cùm illic defunctus fuero, suscipiet animam meam, & in futura me horrendi tribunalis Christi præsentia intercedens, eripiet ab æterno supplicio. Quibus illi auditis, intellexerunt quod de sancto diceret Demetrio, qui frequenter sanitates infirmis reddebat: & celeriter elevatum tulerunt eum illuc. Quæ autem lingua, Fratres carissimi, hunc martyrem dignis laudibus potest venerari, qui tantam operatus est virtutem, ut illum quem multiplices & varii non poterant sanare medici, sub unius horæ momento redderet sanum? Nam ut fores ejus ecclesiæ intravit, non solùm corporis, sed & animæ promeruit sanitatem per virtutem Domini nostri Jesu-

Christi qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Amicum veritatis, scilicet summum Sacerdotem, audivimus narrare de Demetrio Martyre, quæ Deo adjuvante in subsequentibus edisserere satagemus. Contigit, inquit, incendi noctu ciborium, quod in sancto ejus fuerat templo totum ex argento splendidum, ita ut totum solveretur. Sanctissimus ergo Episcopus satagebat fabricare prædictum ciborium, & non inveniebat integrum pondus argenti, quod conflatum fuerat ad consummationem tanti operis. Meditabatur namque apud se, ut argenteum thronum, qui in eodem erat venerabili templo, dissolveret, & inde opus perficeret. Cumque hoc statuisset apud se, alio nemine sciente consilium, apparet in somnis Christi Martyr Demetrius Presbytero cuidam viro optimæ vitæ, Demetrio nomine, dicens: Vade, dic Episcopo civitatis, Ne præsumas thronum domus meæ destruere. Cùm hoc Presbyter Episcopo retulisset, primò quidem Præsul miratus est pro eo quòd sua cogitatio erat manifestata: deinde potivit eum aliqua suspicione hæc finxisse, qui erat dispensator templi venerabilis Martyris. Et dixit ei Episcopus: Numquam ex me hoc audisti, frater. Post multos verò dies iterum scrutatis cautis, nulloque reperto consilio, ex quo perficeretur opus ciborii, consilio primo se confirmavit, quòd de throno faceret ciborium. Cùm verò jussisset argentarium vocari, ut præciperet ei tollere thronum; renunciavit ei quidam dicens: Demetrius Presbyter ad sanctitatem tuam ingredi postulat. Qui cùm intrasset dicit ei: Demetrius Martyr, qui priùs apparuit mihi peccatori, iterum in visu apparuit mihi tristi quodammodo vultu, & præcepit nunciare beatitudini tuæ hæc verba: Propter caritatem ne contristes me in destructione throni. At ille audiens indignatus est adversus Presbyterum, putabat enim illum fingere talia. Quem & austeriùs à se dimisit, & manifestam suam fecit intentionem, dicens: Abunde dari judicas quod argenti minus est ponderis. Ne temere judices, philosophatus in aliorum tribulationes. Tunc ille Presbyter confusus exivit. Nondum quippe dixerat ei Sanctus quid fieri oporteret, sed tantum: Meum ne dissipes thronum. In ipsa autem nocte apparuit sanctus Demetrius Presbytero Demetrio, & dixit ei: Vade, dic Archiepiscopo, Noli curare de meo ciborio, ego enim illud perficiam per memetipsum. Implevit namque Presbyter jussa Martyris, & suo hæc dixit Præsuli. Hoc cùm audisset Præsul, laudes reddidit Deo & sancto Martyri Demetrio. Dum adhuc de his loquerentur ad invicem, ecce ostiarius advenit dicens: Sancte Præsul, prædives Mennas stat ante januam tuam cupiens tecum loqui. Dicit ei: Veniat. Veniens prædictus Mennas obtulit ei LXXV libras argenti in adjutorio ciborii. Et deinde venit Johannes, scilicet dulcedo pauperum, offerens ei quadraginta librarum pondus argenti: & cives advenientes, prout poterant, offerebant, ut ciborium restrueretur. Taliter restructum est opus sæpe nominatum meritis sancti Martyris, auxiliante Domino nostro Jesu-Christo, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Sed nec illud omittendum credimus quod à sanctissimo Archiepiscopo audivimus. Referebat enim de quodam Mansionario templi Martyris Demetrii, nomine Honesiphoro. Cùm pergerem quodam die ad ecclesiam prædicti Martyris, inveni præfatum Honesiphorum Mansionarium jacentem ante sancti Martyris ostium semivivum. Cumque turbatus lamentarer pro amici infirmitate, in se reversus Honesiphorus me flere videns, ait: Quare tristaris propter me, Domine Eusebi? si me diligis, noli turbari, sed præcipe monumentum meum præparari, & me in eo vivum obrue. Qua re turbatus mæstus dixi ei: Cujus rei causà, frater? Ille respondit: Quia irritavi mea culpa ad iracundiam sanctum Martyrem. Apparuit mihi peccatori sanctus namque Martyr in somnis, & dulci voce locutus est ad me: Frater Honesiphore, non placet mihi quod operaris. Placet mihi magis animæ salus, quàm milia pondera auri. An nescis quia cereus qui offertur pro peccatis, quanto apparet ardens, tanto Sanctus manet pro peccatoribus ad intercedendum. Sine igitur cereos majores & minores ardere, quia oportet omnino cereis resplendere domum meam. Ego autem infelix, expergefactus æstimavi me phantasiam videre, & dixi apud me: Sanctus non apparet peccatoribus. Bis verò & ter eadem monita in somnis suscepi, & hæc custodire volui, & usque in finem conservare desidero. In hac verò nocte venit quidam devotus vir ad ecclesiam magnos cereos offerens. Post orationem suam recessit de ecclesia. Cogitavi ego ut extinguerem illos, oblitus decretum sancti Martyris. Cumque impetum fecissem ut cereos extinguerem; sanctus Demetrius de argenteo cubili suo voce magna & terribili clamans ad me dixit: O cupide! & iterum, ô cupide! Ego verò miserrimus, nimis perterritus, ad terram elisus, extra valvas Monasterii ejectus, ubi invenisti me, jaceo pæne mortuus. Hæc quidem sæpe enarravit Pater noster Archiepiscopus. Nos autem obaudire oportet ea, quæ à Sanctis ejus divina auctoritate præcipiuntur. Eorum namque benignitas nos semper custodiat, & in præceptis Christi perseverabiles reddat. Amen.

Accidit habitatoribus Thessalonicæ civitatis, pro peccatis videlicet suis, ut gens barbarica eorum deprædaretur terram, domos illorum ardebat, & vineas stirpabat, filios & filias, equos & asinos, oves & boves in captivitatem transferebat, frumentum & vinum & oleum in obsidionem civitatis devastabat. Persecutioni subsecuta est fames valida in tota regione illa. Quapropter primates civitatis miserunt legatos ad Imperatorem, ut ab obsidione barbarorum & ab imminenti fame liberaret civitatem. Interea gloriosissimus Martyr Demetrius ita, ut in imaginibus pingitur, apparuit in parte insulæ Chyi cuidam nauclero, nomine Stephano, onus frumenti ducentorum modiorum ad urbem regiam ducenti, & dixit ei: Audi me, & Thessalonicam celeriter naviga. Qui cùm esset factus velut in excessu mentis propter Martyris visionem, vix loqui valens ait: Domine, audivimus eam captam fore à Barbaris. Sanctus respondit: Illoc ergo naviga, & navibus tibi occurrentibus nuncia, quòd miseratione Dei salvata sit Thessalonica. His dictis, cœpit Sanctus præire Stephanum ambulans per maria. Stephanus autem navigans Thessalonicam, quibuscumque obviavit, visionem Martyris narravit. Prævenit autem cum multis negotiatoribus Legatos, quos ad Imperatorem cives direxerant, convertens luctum civitatis in gaudium, narrans etiam qualiter illi Martyr apparuerat. Nam divino terrore perterriti hostes, paulò antè ab obsidione discesserant.

Omnes nostis famem, quæ dudum facta est, non solùm in hac Thessalonica civitate, sed etiam pæne ubique, in tantum, ut ipsam quoque civitatum reginam occuparet, non solùm frumenti, sed etiam aliarum rerum. Cùm ergo tanta afflictione famis premeretur civitas, ille sanctus Martyr Demetrius divino nutu ex multis diversisque regionibus naves plenas variis frugibus, humidis scilicet & siccis, atque omni bonitate ciborum humanorum refertas illis transmisit, ita ut statim spes illorum de necessita-

tibus dirupta esset, qualiter jam audietis. Vir erat quidam constitutus à suo domino super insulam Chyum, ut frumentum quod naves adferebant, illuc emeret. Cùm autem naves minimè inveniret, & gravi mærore teneretur, audivit vocem dicentem sibi: Quid anxiatis? scito quòd Demetrius ante omnes arras tribuit, ut Thessalonicam mittat. Qui surgens perrexit ad ecclesiam sanctorum Victoris & Isidori, volens discere à rusticis, quis iste esset Demetrius. Cùm autem hoc quæreret, & nullum indicium posset invenire; suspicabatur aliquem hominem fore missum, Demetrium nomine, à Præfecto civitatis Thessalonicæ. Qui statim misit epistolam suo domino, narrans qualiter à Demetrio frumenta emerentur. Hæc eadem Dominus retulit Imperatori: qui scrutatis caussis, invenit nullum fore missum à Præfecto Thessalonicæ, nec etiam habere hominem Demetrium nomine. Cognovit autem tam Imperator, quàm populus, quia nullus alius prædicto homini apparuit, nisi Martyr Demetrius. Et cuncti qui audierunt, glorificaverunt Deum, qui per merita Martyris liberavit civitatem Thessalonicam à periculo famis.

Præfectus quidam civitatibus Illyricensibus præerat, cujus nomen non opus est dicere, quia in opprobrium sempiternum permanet. Qui superbia inflatus, quibusdam qui civitati Thessalonicæ præerant, accersitis, exigebat ab eis quamdam dispositionem fieri. At illi genibus ejus provoluti, dicebant se non posse ejus parere jussis. At ille illos fingere dicebat. Tum illi inquiunt: Si nos non creditis, ante sancti Demetrii sepulcrum jurabimus non posse hoc à nobis impleri. At ille in blasphemiam Martyris irrupit, dicens delusionem quamdam concivibus suis de glorioso Martyre. At illi blasphemiam non ferentes, obturatis auribus exierunt. Post duos autem dies tanto languore corpus Præfecti correptum est à planta pedis usque ad verticem, ut nec à medicis posset infirmitas agnosci, in qua infirmitate octo mensibus permansit. In octavo verò miser in hanc venit miseriam, ut dimidia pars corporis ejus solveretur, ita ut haberet quidem visu omnia membra, sed licentiam movendi non haberet. Mira est potentia Dei quæ per servos suos talia operatur.

Eusebius Thessalonicæ civitatis Archiepiscopus visionem vidit, quam narrare cupio vobis. Antequam super civitatem Thessalonicam barbarici irruerent nimbi, vidit se prædictus Pontifex in somnis sedere in theatro civitatis cum magna turba famulorum. Cumque hæsitaret cujus rei gratia in tam obsceno loco sederet, & surgens proficisci vellet; vidit tragœdum stare in logio, ubi fabulæ recitantur, dicentem sibi: Exspecta, quia te & filiam tuam habeo lamentari. Qui dixit ei, Ne labores. Ego enim neque filiam habeo, neque in me est lamentum. At ille: Verè & filiam habes, & multorum filiorum matrem; & oportet te illam lamentari. Tunc intellexit Præsul, quòd civitatem diceret filiam ejus, & ait: Adjuro te per Deum, ut non me nec illam lamenteris. Cumque tertiò repetere vellet lamentum, & ab Episcopo non sineretur; à somno excitus, intellexit tragœdiam non bonam habere significationem. Paucis verò interpositis diebus, innumerabilis barbarorum multitudo Thessalonicam circumdedit: & cognovit Episcopus veram esse quam viderat visionem. Cùm Thessalonicensem, ut suprà vidimus, pagum gens barbara devastaret, ob illorum persecutionem fame premebantur incolæ per proxima. Ad ultimum verò mortuis habitatoribus pæne tam gladio quàm fame, inito barbari consilio, subitò irruunt super civitatem, putantes illam vacuam præsidiis hominum, quod se res habebat, & fame desolatam. Nam nos pauci eramus: illi verò locustarum excedebant numerum. Tunc ædificatis aggeribus, machinis, arietibus ferreis, balistis, ingentibus testudinibus, cuncta pellibus boum & camelorum cooperuerunt, nè à civibus igne immisso destruerentur. Insistebant autem civibus tam graviter, ut nemo spem vitæ haberet. Tamdiu autem obsederunt civitatem, quousque cuncta cibaria dissiparent, tam hominibus quàm jumentis apta. Inito autem consilio ut futura die primo mane unanimiter debellarent civitatem, undique circumdederunt illam cum instrumentis bellicis. Cumque jam capienda foret urbs, visum est illis quasi examen apum multitudinem armatorum egredi de civitate, quam præcedebat quidam juvenis rufus, pulcherrimus adspectu, signum crucis ferens in manibus, quem ferebat equus albus, & cum impetu irruere super illos. qui terrore concussi relicta civitate, præsidium arripiunt fugæ. Pauci tamen fugere non valentes, permanserunt illic semivivi: qui à civibus comprehensi, quæsitum est ab eis, cur tanta multitudo absque ulla re fugeret. Tunc barbari: Multitudo virorum, quam occultastis, cum duce fortissimo nostrorum fugavit catervas. At illi intellexerunt ducem esse Demetrium Martyrem, cum exercitu Angelorum hostes effugantem. Tunc collectis hostium spoliis conglobati ad ecclesiam beati Demetrii immensas Deo gratias retulerunt, qui per ejus intercessionem eorum ab hostibus liberavit civitatem. Cùm plures plura loquerentur de barbarorum fuga, exsurgens quidam ex nostris Fratribus dixit nobis: Cùm quadam nocte hujus hebdomadæ post matutinos perstarem in templo sancti Demetrii Martyris, & orarem ante sanctum sepulcrum ejus; invasit me sopor nimius, ita ut nec omnino dormirem, nec ex toto vigilarem. Et ecce duo viri visu terribiles apparuerunt, & dixerunt custodi templi: Ubi est dominus hujus templi? Respondit: Sub illo ciborio manet. At illi: Vade, dic illi quia ad eum sumus missi. Ivit ille, & isti secuti sunt eum. Et vocavit eum dicens: Sancte Demetri, adsunt duo milites à domino suo ad te missi. Et statim apparuit ab intus sanctissimus Christi Martyr, & stetit juxta januas, & mihi quoque indigno apparuit. Ego verò corrui in faciem, non ferens intueri angelicum vultum ejus. Erat enim species ejus, non juxta speciem quæ in antiquioribus ejus imaginibus est depicta, sed sicut sol facies ejus radios emittebat. Quamvis pronus jacerem, tamen diligenter intendebam quæ loquerentur ad invicem. Audivi namque quia salutaverunt viri benignè Sanctum. At ille dixit ad eos: Gratia Dei vobiscum. Cur autem missi estis ad me? Dicunt viri: Dominus nos misit ad sanctitatem tuam, hæc tibi denuncians. Celeriter exiens veni ad me, civitas enim inimicis tradetur. Ego verò cùm audissem turbatus præ dolore sermonis surrexi super manus meas, & suspiciens sursum paulisper, vidi faciem piissimi Martyris nimis mæstam. Et cùm præterisset hora, vidi lacrymas ab oculis ejus decurrentes super genas ipsius. Tunc dixit custos templi ad duos juvenes, quos introduxit: Cur dominum meum tribulastis? Si verè præscissem vestram intentionem, non vos ad eum deduxissem. Deinde Sanctus Dei dixit ministro: Hii servi mei sunt, & quæ jussa sunt eis, hæc & mihi annunciaverunt. Deinceps inquit sanctus Martyr alta voce: O Domine Jesu-Christe, tu dixisti, *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* & item, *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pænitentiam agente.* Nam & tu cùm esses dominus omnium Angelorum, dedisti animam tuam pro redemptione hominum iniquorum. Tu, Domine, commisisti mihi civitatem istam & concives ejus, ut habitarem perenniter cum eis, custodiens illos. Quomodo ergo

possum derelinquere illos in tanta necessitate ? aut quo vultu contemplabor excidium patriæ meæ ? Quæ autem vita mihi erit perditis civibus meis ? sicut epulantibus eis spiritaliter eram cum illis, sic periclitantibus eis non desero illos. Quidquid eis dignum pati fuerit, mollor etiam ego pati cum ipsis. Sed tu, omnipotens & misericors Deus, qui exaudisti Jonam de ventre ceti, & tres pueros de camino ignis ardentis, & Susannam de falso crimine; exaudi populum tuum, & libera eum de interitu barbarorum. Et ilico audita est vox missa à Domino: Fiat eis secundùm voluntatem tuam. Et continuò cum magno gaudio salutavit duos juvenes ad se missos, gratias agens Deo, quia exaudivit eum. Sine dubio sciatis, quia per istum Sanctum vitam & victoriam recepistis, auxiliante Domino nostro JESU-CHRISTO, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Miraculum quod temporibus nostris gessit sanctus Martyr Demetrius, inter cetera miracula & hoc inserere volo. Erat quidam Episcopus de regione Afrorum, nomine CYPRIANUS, veri sacerdotii sollicitudinem & vitam Deo dignissimam ducens. Procuravit ire ad reginam civitatum Byzantium, urgente quoque causa rei necessariæ. Cumque navigassent multis diebus, & jam partibus Græciæ appropinquassent, à ferocissimis Sclavis capta est cum omnibus suis. Quos captivos inter se cùm divisissent, simul cum eis & prædictum Episcopum in servitutem sibi diviserunt. His ita gestis redeuntes ad propria loca, prout quisque barbarus voluit suo captivo onus servitutis imposuit. Episcopus namque Cyprianus cophinum domini sui servabat, per providentiam sapienter cibos ejus distribuebat, vitamque suam in orationibus, vigiliis & jejuniis laudabiliter confortabat. Considerans absentiam populi sibi commissi, Dominum principem Pastorum deprecabatur, ut ejus regimine salvaretur. Dicebatque ad Dominum: Cùm essem sine aliquo merito, Pastorem gregis tui me constituisti. quomodo nunc communicatus sum, ut à tali ordine ad servitium barbarorum sim deputatus ? Sed reminiscor quia pro peccatis meis hoc accidit mihi, & ideo hac tribulatione irretitus retineor. Quis ovibus meis indicabit, quod pastor earum à barbaricis bestiis captus sit ? Hæc & horum similia deflenti adstitit adolescens pulcher & forma decorus, militarem speciem & habitum ferens, dixitque ad eum: Si vis à servitute qua detineris liberari, & à barbaricis eripi, surge & sequere me. Observa autem apud te ambulantibus nobis, ne omnino loquaris mihi: sed silentio studentes utrique iter agamus in mente Deum orantes. Tunc Episcopus respondit ei: Quis es tu, & unde egressus huc advenisti ? At ille dixit ad eum: Demetrius dicor, & miles sum Imperatoris magni: domus autem mea in medio Thessalonicæ civitatis consistit, ad quam si me secutus fueris, sine dispendio te ducam. Surgens ergo secutus est eum, & incedebant ambo tacentes. Noctibus quidem iter agebant, per diem autem quiescebant. Porro recedebat Demetrius mane ab Episcopo, & iterum adpropinquante vespere regrediebant, deferens secum ex diversis arboribus fructum cum oleribus herbarum, unde alebat socium suum, & sumto cibo carpebant iter. Post dies octo cùm adpropinquassent muros jam dictæ civitatis, sistens Demetrius Cyprianum ante portas civitatis disparuit. Cùm autem fidelem ductorem & comitem bonum Episcopus requireret, & non inveniret, ingressus est civitatem. Requirebat verò ab eis qui obviàm sibi veniebant & alloquebantur, ubi esset domus Demetrii militis. Cumque multos faterentur esse in civitate Demetrios, & ipsos militari ordine fungi; ille perhibebat: Ejus, inquiens, qui requiritur à me domus est in medio civitatis. Ergo cùm omnes hæsitarent cum eo, is qui quærebatur, nusquam inveniebatur. Habitatores verò civitatis deduxerunt Episcopum ad Martyris ecclesiam. Ut autem introivit, statim se in orationem dedit, & laudes gratificas Salvatori Deo retulit: & surgens sursum extensis manibus cum obtutibus oculorum, vidit Imaginem Demetrii Martyris in habitu sui comitis & conductoris. Tunc coram omnibus clamavit, affirmans absque dubio ipsum esse Demetrium, qui duxerat atque salvaverat eum: & hanc esse domum Martyris, quam mihi apparens ab initio ipse manifestavit. Tunc enim Episcopo civitatis præsentia viri denunciatur, & quæ illi acciderant nota efficiuntur. qui statim susceptum comministrum in episcopio suo recepit, & benignè tractabat eum. At ille nec ad horam passus est ab ecclesia sancti Martyris separari: sed omni tempore quo in civitate mansit, commoratus est in eadem ecclesia. Cum illic hiemasset, & tempus navigationis exspectasset, ilico dum tempus advenit, adscendit in navim sumta secum imagine Martyris Demetrii, navigavitque prospere ad urbem Constantinopolim: & negotio suo aptè disposito, cooperante victoriosissimo Martyre Demetrio, suæ se regioni & gregi deinde remeans dedit, copiosum ex his quæ acciderant promittens Martyri cultum. Porro rationem inde reddere cogitans, & pro libertate gratiam tribuere satagens, templum dedicare in civitate sua collegæ suo & Martyri Demetrio cœpit. Desiderium autem habebat simile ciborium & similem ambonem, quem vidit, construere, cum marmoreis columnis, in honore sancti Demetrii Martyris. Inde erat valde sollicitus: quia horum apparatum, qualiter & unde hoc faceret, modis omnibus ignorabat. Quadam deinque nocte, cùm fatigatus esset ob nimiam incursionem cogitationum Episcopus, sopor invasit eum, & continuò obdormivit. Et ecce adstitit ante eum sanctus Martyr Demetrius, dicens illi: Quare contristaris, Frater ? nonne audisti Dominum JESUM dicentem discipulis suis: *Amen dico vobis, si quis dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei ?* ubi est fides tua ? O homo, noli sollicitus esse columnarum vel amboois causa. Navigium quippe hodie à pelago descendit, omnia quæ ad præparationem templi opus habere videris portans. Est namque Episcopus in Galliarum partibus in civitate Massilia, populum sibi commissum conservans, quo ædificat templum in honore sancti Martyris Victoris nostri consocii vel fratris, & cupit ei ædificare ambonem & ciborium, sicut tu in mea domo. Quapropter misit navigium cum servis suis ad montem porphyreticum, ut emerent ei columnas & tabulas sectis porphyreticas; ad opus sancti Martyris Victoris perficiendum. Sed intercedente jam sancto Martyre jam adinvenit prædictus Episcopus infra civitatem columnas, & tabulas porphyreticas miro ordine depictas, in terra dudum repositas. Navigium cum columnis & tabulis porphyreticis emtis suis legatis Christi Martyr transmittit nobis, ut ex eis facias opus, quod mihi facere cupis. Exsurgens denique à lectulo Præsul, retulit per ordinem suis Clericis visionem. Hujus rei gratia misit eos ad portum maris. Qui cùm navigium invenissent, & cum nauclero locuti fuissent, rogaverunt quatinus dignum precium pro columnis & marmoreis tabulis reciperent, desideriumque Episcopi adimplerent. Sed nauclerus & qui cum eo erant, abnegatores effecti sunt; nihil penitus eorum asseverantes se habere quæ quærebantur. Nuntiantes autem Clerici hæc qui missi fuerant suo Episcopo, tristem eum inde

reddiderunt,

redderunt, & mærens incedebat frustratus consilio. Iterum namque Martyr sanctus Demetrius apparuit ei in visione, dicens: Vade tu ipse ad prædictum nauclerum, & dic ei: Noli esse mendax, in propria enim navi habes instipatum ambonem & reliqua marmora absconsa. Nihil verò dubites ad hæc mihi tribuenda propter Episcopum qui misit te ad hæc perquirenda. Frater enim meus invenit in civitate Massilia, qualiter proprii oratorii perficietur opus. Cumque abisset Episcopus, & hæc dixisset nauclero, & narrasset has mirabiles visiones; persuasit ei, quatinus precium pro marmoribus datum reciperet ab eo. Et ita factum est. Dedicavit igitur Episcopus templum, quod sancto Martyri Demetrio construxit, cum ambone & ciborio ad laudem Christi & gloriam Martyris sæpe dicti. Per orationes ejus si quis infirmus in eodem templo devotus advenerit, si perunctus fuerit de oleo lampadis ejus, ilico sanabitur per Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM; qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIT PASSIO SANCTI DEMETRII MARTYRIS.

ADNOTATIO.

PRæcedens Vita, cujus meminit Vincentius in Speculi historialis lib. 12 cap. 150, ab Anastasio scripta est anno DCCCLXXVI, utpote. Carolo Calvo tum Imperatori nuncupata. Scripta verò est hortatu Johannis S. R. E. Diaconi, in cujus gratiam idem Anastasius Collectanea Græca Latinè reddidit, à Sirmondo edita, ut scilicet Johanni ecclesiasticam historiam meditanti adjumento esse possent. Is est Anastasius, quem *fidissimum Fratrem & religiosum Abbatem* vocat Hincmarus in epistola quadam ipsi directa. qui quidem Anastasius nepos erat Arsenii Ortensis Episcopi, Nicolai Papæ Legati & Consiliarii, uti Anastasius ipse auctor est in epistola encyclica de morte Nicolai Papæ primi. quæ epistola in editis Adoni Viennensi Archiepiscopo inscripta est. Porro apud Surium ad diem 8 Octobris habetur libellus de Passione sancti Demetrii Martyris à Metaphraste editus: verùm Anastasii lucubratio & auctoritate præstat, & rerum singularium commemoratione.

ACTA SANCTÆ CRISPINÆ
VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ex manuscripto codice cœnobii sancti Theoderici prope Remos.

DIocletiano II, & Maximiano Augusto Consulibus, die Nonarum Decembrium, apud Coloniam Thebestinam, in secretario pro tribunali adsidente Anulino Proconsule, Commentariense Officium dixit: Thagarensis CRISPINA, quæ legem dominorum Principum contempsit, si jusseris audiatur. Anulinus Proconsul dixit: Inducatur. Et inductâ beatâ Crispinâ, Anulinus Proconsul dixit: Præcepti sacri jam cognovisti sententiam? Beata Crispina respondit: Quid præceptum sit nescio. Anulinus Proconsul dixit: Ut omnibus diis nostris pro salute Principum sacrifices secundum legem datam à dominis nostris Diocliciano & Maximiano piis Augustis, & Constantio nobilissimo Cæsare. Beata Crispina respondit: Numquam ego sacrificavi, nec sacrifico nisi uni Deo & Domino nostro JESU-CHRISTO filio ejus, qui natus est & passus. Anulinus Proconsul dixit: Amputa superstitionem, & subjuga caput tuum ad sacra deorum nostrorum. Beata Crispina respondit: Cottidie veneror Deum meum, præter quem alium non novi. Anulinus Proconsul dixit: Dura es & contemptrix, & incipies vim legum invita sustinere. Beata Crispina respondit: Quicquid emerserit pro Fide mea quam teneo, libenter patiar. Anulinus Proconsul dixit: Vanitas est animi tui, ut jam non dimissa superstitione sacra Nomina venereris. Beata Crispina respondit: Cottidæ veneror, sed Dominum meum, præter quem alium non novi. Anulinus Proconsul dixit: Ego sacrum præceptum offeram quod observes. Beata Crispina respondit: Præceptum observo, sed Domini mei Jesu-Christi. Anulinus Proconsul dixit: Perdes caput, si non obediens fueris jussis Imperatorum dominorum nostrorum, quibus deservire cogeris subjugata. quod & omnis Africa fecit, nec tibi dubium est. Beata Crispina respondit: Numquam sit illis bene, ut me dæmonius faciant sacrificare: sed sacrifico Domino, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Anulinus Proconsul dixit: Ergo isti dii non sunt à te accepti, quibus exhibere cognosceris * famulatum, ut salva pervenias ad devotionem. Beata Crispina respondit: Nulla devotio est, quæ opprimi cogit invitos. Anulinus Proconsul dixit: Sed utinam devota sequaris, ut in templis sacris flexo capite diis Romanorum thura immoles. Beata Crispina respondit: Hoc non feci aliquando ex quo nata sum, nec novi, nec facio usquequo vita vixero. Anulinus Proconsul dixit: Sed fac, si vis à legum severitate immunis evadere. Beata Crispina respondit: Quod dicis non timeo, hoc nihil est. Deum autem qui in cælis est si contempsero, sacrilega ero, & semel me perdet, ut non inveniar in illo die venturo. Anulinus Proconsul dixit: Sacrilega non eris, si sacris obtemperes jussionibus. Beata Crispina respondit: Quid vis? ut sim sacrilega apud Deum, & apud Imperatores non sim? absit. Deus magnus, qui fecit mare, & herbas virides, & aridam terram; homines autem facti ab ipso, quid mihi possunt præstare? Anulinus Proconsul dixit: Cole religionem Romanam, quam & domini nostri invictissimi Cæsares, & nos ipsi observamus, Beata Crispina respondit: Deum novi tantùm. nam illi lapides sunt, & figmenta manuum hominum facta. Anulinus Proconsul dixit: Blasphemiam loqueris. nam non prosequeris quæ saluti tuæ conveniunt. Et adjecit Anulinus Proconsul, & Commentariense Officio dixit: Ad omnem deformitionem deducta, à novacula ablatis crinibus decalvetur, ut ejus primùm facies ad pompam perveniat. Beata Crispina respondit: Loquantur ipsi dii, & credam. ego si salutem non quærerem audiendam, ante tribunal tuum non essem. Anulinus Proconsul dixit: Diu vivere desideras, aut mori in pœnis, sicut & ceteræ consortes tuæ MAXIMA, DONATILLA, & SECUNDA. Beata Crispina respondit: Si mori vellem, & in interitum animam tradere, & in ignem æternum; tuis dæmoniis darem voluntatem meam. Anulinus Proconsul dixit: Caput tibi incidam, si deos venerabiles adorare dispexeris. Beata Crispina respondit: Gratias ago Deo meo, si hoc fuero consecuta. Caput meum perdo semel: sed si turificavero idolis... Anulinus Proconsul dixit: Et omnino in isto sensu tuo stulto persistis? Beata Crispina

* f. cogeris.

respondit : Deus meus qui est, & qui fuit, ipse me jussit nasci ; ipse dedit mihi salutem per aquam baptismi ; ipse mecum est, ut anima mea, sicut tu vis, non faciat sacrilegium. Anulinus Proconsul dixit : Quid pluribus sufferimus impiam Crispinam ? Acta ex codice quæ dicta sunt relegantur. Et cùm relegerentur, Anulinus Proconsul sententiam de libello legit : Crispina in superstitione indigna perdurans, quæ diis nostris sacrificare noluit, secundum Augusti legis mandata à cælesti...locum tendit, eam gladio animadverti jussit. Beata Crispina respondit : Christo laudes ago, benedico Dominum, qui sic me de manibus tuis dignatus est liberare. Passa est beata Crispina apud Coloniam Thebestinam die Nonarum Decembrium, imperante Anulino Proconsule, regnante Domino nostro Jesu Christo in unitate Spiritus-sancti in sæcula sæculorum, amen.

INCIPIT PASSIO S. MAMMARII MARTYRIS, IN AFRICA.

* l. Galerio.

SUB MAXIMIANO, & GALLIENO* Imperatoribus talis exstitit persecutio per regiones & civitates, ut qui Christianus fuisset inventus, ignibus traderetur. Tunc ANULINUS Proconsul [illegible]XANDRIUM Comitem cum militibus Numidiæ direxit, ut nomen Christi colentes ferro vinctos ante tribunal Præsidis adduceret. Cumque venisset in civitatem Vagensium, nuntiabatur ei de venerabili Mammario quod esset Christianus, & jubet eum sibi ferro vinctum præsentari. Qui cum adduceretur, dixit ad eum : Tu es Mammarius, sceleratorum malorum auctor, qui homines aggregasti, & à sacrificiis deorum prohibuisti ? tamen quod nomen habes, aut quot annorum es primitus dic ? Sanctus Mammarius dixit : Quod primum nomen est Christianus sum. Et si cupis ætatem meam scire, ego annorum sum circiter nonaginta trium. Comes dixit : Quare insanis, & non obedis Imperatori offerre sacrificium diis nostris ? Sanctus Mammarius dixit : Numquam sacrifico dæmoniis, sed uni Deo, qui fecit cælum & terram.

Comes dixit : Habes tecum alios ? Sanctus Mammarius dixit : Sunt viri Christiani, qui mecum baptizati sunt in civitate Lambese, unde & ego natus sum. Comes dixit : Jubeo ut nomina eorum mihi in foro scriptis dicas. Sanctus Mammarius dixit : In domibus suis eos invenies ; non sunt occultati. Tunc jubet Comes militibus triginta in civitatem Lambesem. Qui venientes in locum, qui dicitur nomine Ad-centum-arbores, & ibi eos invenerunt, FELICEM diaconum, ALBINUM, VIVIUM, DONATUM, & ligaverunt eos ferro. Et ingressi in civitatem Lambesem, invenerunt alios nomine VICTORIANUM diaconum in sancta ecclesia Dei, unà cum LIBASO Priore civitatis, & ligaverunt eos ferro, & ante Comitem adduxerunt eos. Tum Comes interrogans eos dixit : Christiani estis, aut pagani Deos colentes ? Felix diaconus dixit : Omnes enim quos vides ferro vinctos, una voce respondemus, quia Christiani sumus. Comes dixit : Quis est auctor inter vos ? Sancti Dei dixerunt : Primo Dominus : secundùm verò creaturam carnis, est qui tibi pro nobis respondeat Mammarius Papa noster qui nos redemit ex aqua & Spiritu-sancto. Comes dixit : [illegible] mori vultis, quàm vivere ? Sancti Dei dixerunt : Non mori, sed vivere in vita æterna.

Comes dixit : Sunt aliqui qui vestram religionem colant ? Sancti Dei dixerunt : Sunt in Tanugadi. Comes dixit : Quæ sunt nomina eorum ? Sanctus Mammarius dixit : Ibi invenies eos. Sanctus Felix Diaconus dixit : Noli, Pater bone, occultare oves de thesauro Christi. dic nomina eorum. Sanctus Victorianus dixit : LAURENTIUS, FAUSTINIANUS, ZIDDINUS, CRISPINUS, LEUCIUS. respondit ita ut diximus : In domibus suis eos invenies. Tunc Comes jubet milites viginti ad eos dirigi. Qui venientes, in eodem loco ab eis comprehensi sunt. Et cùm ducerentur, in Tigisi ingressi sunt. Et invenerunt beatam FAUSTINAM, quæ & se offerebat dicens : Christiana sum. Et ipsam ligaverunt cum eis qui Christum confitebantur. Et venientes in civitatem Vagam, repræsentati sunt ad Comitem. Comes autem dixit eis : Cujus religionis estis ? Christiani, aut diis servientes ? Sancti Dei dixerunt : Religio nostra à Patre nostro Mammario inquiritur. Comes dixit : Ergo cum eo cupitis perire ? Sancti Dei dixerunt : Non perire, sed vivere in æternum. Comes dixit : Miseri, nolite in vana istius hominis mala sperare, quia ex multo tempore vitæ ipsius jam delirat. Sancti autem Dei quasi ex uno ore responderunt : Tu deliras. nam iste semper bonum nos docuit, & docet in domino Jesu-Christo, & in ipsius arbitrio pendet quid de nobis agi debeat. Comes dixit : Ergo parastis vos magis ad mortem, quàm ad vitam ? Sancti Dei dixerunt : Fac quod vis. Nos jam olim parati sumus tua supplicia sustinere.

Comes dixit : Ergo dirigo vos ad Anulinum proconsulem, ut ipse de vobis consultum ferat. Sancti Dei dixerunt : Festina. quid nos detines ? & nos tamen festinamus ad coronam illam pervenire. Tunc jubet Comes gestis scriptis eos ad Anulinum proconsulem, cum multitudine militum, vinctos ferro ad Vagam civitatem deducere. Et ecce beata FAUSTA unà cum sponso suo FAUSTINO clamantes atque dicentes : Et nos Christiani sumus. Tunc milites tenuerunt eos : & alligaverunt ferro unà cum sanctis ; recluseruntque in carcere Vagæ civitatis, usquedum audirent de eo in civitate *Bosetb* Ansoraria esse. Deduxerunt eos ad eamdem civitatem. Tunc nuntiatur Anulino proconsuli, & jussit eos in ipsa carceris recludi.

Post dies autem aliquot, jubet præcones per regiones & civitates, ut ad spectaculum sanctorum venirent. Audientes autem universi populi præ timore pœnarum undique ad spectacula veniebant ; & qui venire nolebant, ab Officialibus urgebantur. Die autem quinto Idus Maias, lucescente quinta feria, jubet Anulinus sibi tribunal præparari. Cumque sedisset, statim jubet sibi sanctos præsentari. quibus dixit : Quid estis, aut quo genere orimini, aut quam colitis religionem ? Sancti Dei dixerunt : Quod sumus audi, vel quo genere orimur agnosce. Religionem colimus cum Patre nostro Mammario, unum Deum, quia nos non possumus tibi loqui ante eum. Anulinus proconsul dixit : De quo dicitis ? Sanctus Mammarius dixit : Ego sum de quo dicunt. Anulinus proconsul dixit : Quot es annorum ? Sanctus Mammarius dixit : Annorum sum circiter nonaginta trium, mensium sex. Anulinus proconsul dixit : Hodie complentur, nisi sacrificaveris. Sanctus Mammarius dixit : Nos omnes Christiani sumus. multam

substantiam hujus sæculi derelinquentes, substantiam quærimus in cælo. nam genus nostrum ut quid tibi inquirere? Anulinus proconsul dixit: Cui vos miseri spopondistis sacrificare? diis nostris? aut in religione vestra permanere videmini? Sanctus Mammarius dixit: DOMINO JESU-CHRISTO SACRIFICAMUS, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: huic Deo credimus & servimus.

Anulinus proconsul jussit eos equuleo suspendi, & lampades ad latera eorum applicari, & corpora eorum unguibus dissipari, ut vel sic possint ad deorum converti culturam. Cumque hæc paterentur, una voce clamabant: Domine Jesu-Christe, miserere nobis in tribulatione, quam pati nos vides & cruciari. qui tuâ operâ sumus fabricati, imaginem & veritatem tuam portamus: sed secundum nostram, talia tormenta patimur, quia numquam bonum egimus in hoc sæculo terreno. Statimque audita est vox eorum, & equulei comminuti sunt, & lampades exstinctæ: manus militum duratæ sunt & sancti Dei sine læsione in medio paruerunt. Anulinus dixit: O maleficiorum articula, ut talia in conspectu meo faciatis. Sanctus Mammarius dixit: Nos non hæc fecimus, sed Dominus noster Jesus-Christus, qui te supplantavit cum patre tuo diabolo & angelis ejus in igne devorationis, ubi est fletus & stridor dentium. Anulinus proconsul dixit: Ergo nobis est ista pœna præparata? Sanctus Mammarius respondit: Vobis & qui idolis sacrificant. Anulinus proconsul dixit: Jubeo sceleratos capitis cute excoriari, & super plagaa eorum cassides reponi, & dentes eorum evellere. Cumque jussa Præsidis implerentur, sancti Dei cum gemitu & dolore exclamabant, dicentes: Intende Domine vulnera nostra, quia male torquemur in pœnis his.

Anulinus verò proconsul jubet eos in carcere recludi, & eis tormenta in quo deficerent præparari. Cumque recluderentur in ima carceris, Angelus Dei visitavit eos, & ubi erant tenebræ, facta est lux immensa: & ubi odor miserrimus, odor suavitatis inventus est. Et psallebant Domino dicentes: Deus laudem nostram ne tacueris, quoniam os peccatoris & dolosi super nos apertum est, & debellaverunt nos gratis, pro eo ut nos diligerent detrahebant nobis. Tu Domine spes nostra, ne confundas nos, quia in te speravimus. Tu es adjutor noster & refugium nostrum, miserere nobis Deus in die necessitatis. Post dies autem multos, jussit Anulinus proconsul tribunal iterum præparari, & sanctos Dei educere de carcere. Cumque adducerentur, dixit ad eos: Quid circa vos cogitastis, ut salutem à me recipiatis, & indulgentiam Imperatorum? Sancti Dei dixerunt: Indulgentiam nos petimus à Domino, ut accipiamus in futuro vitam æternam. Anulinus proconsul dixit: Videtis qualia vobis tormenta præparantur, in quibus male deficiatis? Sancti Dei dixerunt: Fac quod nobis præparasti. noli nos verbis intimidare. Anulinus proconsul dixit: Quanti estis? Sancti Dei dixerunt: Sedecim sumus in uno collecti, Dominum nostrum Jesum-Christum colentes. Anulinus proconsul dixit: Ergo mori magis cupitis, quàm vivere? Sanctus Mammarius respondit: Si vitam non exquireremus à Deo, non ei essemus consecrati.

Anulinus proconsul dixit: Jubeo sceleratos istos in ima carceris iterum recludi, donec iterum nova eis tormenta præparentur. Et jussit thermas septies succendi quàm solebant. Cumque jussa implerentur, jussit eos de carcere educi. quibus ait: Cupitis vivere, aut non vultis? Responderunt: Si mori non cuperemus, olim tibi adquiescerumus, & non corpus nostrum dilaniares tormentis. Tunc Anulinus proconsul jussit eos ad thermas educi, ut ibidem igni cremarentur. Georgius autem & Menas Priores Officiorum, dum aperirent vas thermarum, igni exsiliente spiritum emiserunt. Et Sancti Dei cum triumpho ingressi psallebant in medio ignis. Anulinus autem fremens in eos jussit obcludi, ut ab igne consumerentur. Cumque hoc factum esset, Sancti Dei evaserunt ab igne, per triduum psallentes. Cum autem audiret Anulinus eos psallentes, jubet eos iterum sibi præsentari. Milites autem qui venerant invenerunt eos orantes, & lumen magnum circumfulserat illos; & ubi erat candor, factum est magnum refrigerium. Et milites videntes mirabilia quæ facta sunt, & ipsi crediderunt.

Audiens autem Anulinus quod hi essent seducti, direxit alios, & jussit Sanctos adduci. Cumque adducti fuissent, sedente eo pro tribunali, dixit ad eos: Quod articulum scitis maleficiorum, ut hos seduceretis? Sancti dixerunt: Nos malefici non sumus, tu potius seductor malorum es. Audiens autem Anulinus, ita repletus jussit eos in craticula assari. Cum ergo hoc actum esset, Sancti una voce responderunt: Gratias tibi agimus Domine Jesu-Christe, quia in nobis impletum est, quod in libro Psalmorum scriptum est: *Transivimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium.* Mortuus autem quidam ducebatur per plateam, & jussit Anulinus ut corpus ad se adducerent. Et dixit ad Sanctos: Si verum Dei Filium confiditis, quem vos dicitis magnum esse, in nomine ipsius mortuum resuscitare. Sancti Dei dixerunt: Ipse Dominus dixit, *Pe[te] & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Et nos petimus & oramus, & quodcumque voluerimus statim exaudiet servos suos. Anulinus proconsul dixit: Quid verbis mecum loquimini? manifestate mihi, & probabo sermones vestros. Tunc Sancti genua flectentes, orationem faciebant dicentes: Domine Jesu-Christe exaudi nos orantes, ut in tuo nomine adolescens resurgat, & videant omnes & mirentur, quia tu es Deus solus permanens in sæcula sæculorum. Et completa oratione omnes dixerunt, Amen. Et statim commotus est locus, & mortuus resurrexit. Et dixit ad Sanctos: Orate pro me, quia magnus est Deus Christianorum, & non despicit quærentes se.

Tunc Anulinus hæc audiens dicit: O malorum articula, qui vos docuit ut tanta faciatis? Dii nostri nihil vobis possunt nocere. Sancti dixerunt: Dii vestri lapidei manu hominum sunt facti, unde & cum eis peribitis in æterno igne sine fine. Hæc cùm dicerent Sancti; diabolus in aëre clamabat: O, inquit, Sancti, per vos hinc ejicior de hac civitate; & contra eos qui Christo credunt prævalere non possum. Anulinus autem in ipso momento turbationis diaboli exspiravit, & corpus ejus à volucribus comestum est.

Tunc assessor ejus jussit Sanctos in carcerem trudi, & Imperatoribus gesta eorum intimavit, eo quod essent Christiani, & religionem eorum non colerent. Audiens hæc Maximianus, jussit Maximum ordinari in eodem loco. Sedente autem eo pro tribunali loco *Boseth* civitatis, jussit Sanctos sibi præsentari dicens: Quid cogitatis? cupitis vivere juxta Imperatorum præcepta, ut indulgentiam habeatis? Ecce mors & vita præparata sunt vobis. quod vultis eligite. Sancti dixerunt: Fac quod tibi præceptum est: nos tamen nullo modo seducere potes. Maximus præses dixit: Videte quantum vos patior, & in quantis sustineo; & illudere me non potestis. Sancti responderunt: Fac quod tibi videtur in nobis. Noli adversus servos Dei dubitare. Tunc Præses jussit eos

tundi, & nervis crodis cædi, quousque viscera eorum effunderentur. Et cum hoc factum esset, nihil eos potuit nocere. Et jussit eos in carcerem recludi. Sancti verò cum recluderentur, orabant dicentes: Ad auxilium nostrum tu intende Domine, ut liberes nos de his tormentis.

Post aliquantos autem dies, jussit Præses sibi tribunal præparari, & Martyres Dei suis conspectibus præsentari quibus ita dixit: Quid cogitastis apud vos? Sancti verò una voce responderunt: Multa dæmonia in te apparent. Nam nullo modo nos seducere poteris. Per nos enim Deus benedicitur; per te autem & ministros tuos diabolus colitur. Maximus dixit: Jam enim sacrificata diis nostris, & nolite Deum vestrum nominare, sed deos nostros. Sancti dixerunt: Numquam tibi sit hoc, qui putas nos posse immutari à cultura Christi. Maximus præses dixit: Nescitis quia tormenta pejora vobis præparantur, in quibus deficiatis? Sancti responderunt: Noli nos verbis illudere. Præpara quod vis, parati sumus magis sustinere pœnas, quàm sacrificare idolis tuis. Maximus autem jubet digitos abscidi à corpore eorum, & maxillas contundi lapide. Illi autem orantes una voce dicebant: Gratias tibi agimus Domine Jesu-Christe, qui nos lætificare dignatus es, ut portemus supplicia inimici.

Maximus præses dixit: Quare non estis sensati de animabus vestris ut non cruciemini? Sancti dixerunt: Nos non cruciamur, sed corpus nostrum, quia scriptum est: *Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Ipse est qui mortificat & vivificat Deus noster. Præses dixit: Quid prosunt vobis verba? sacrificate diis. Sancti dixerunt: Uni & vero Deo sacrificamus, qui te, impie & scelerate & omnis malitiæ princeps, perdet. quid nos dæmoniis cogis sacrificare? Præses autem jussit in carcerem recludi, & aculeos in pedibus eorum infigi, quousque eis tormenta præpararet.

Postera autem die jussit eos sibi applicari, quibus & dixit: O auctores maleficiorum, sufficere enim jam vobis debet tantam facere nequitiam. Sancti Dei dixerunt: Nos iniquitatis auctores non sumus, unum habemus Deum & Filium ejus Jesum-Christum natum de Spiritu-sancto. nam vos dæmones colitis, & principem dæmoniorum: Principem verò vestrum despicitis, qui vobis spiritum & animam plasmavit, & potestatem honoris dedit, & adhuc eum blasphematis. Præses dixit: Ergo Deus vester ista omnia fecit quæ dicitis? Sancti dixerunt: Non intelligis, inimice, quia Deus cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt fundavit, & terminum eis posuit? nam dæmonia quæ colitis, nec cælum, nec terram fundaverunt, aut mortuum suscitaverunt, aut cæcum illuminaverunt, aut abyssum plasmaverunt, aut stellas firmaverunt. Quod enim colitis, sunt lapides & figmenta à manibus hominum fabricata. Præses dixit: Nolite jam multum delirare, quia non proderunt vobis verba illa. Sancti dixerunt: In isto sæculo non prosunt, in futuro autem proderunt nobis ad vitam æternam. Præses dixit: Si non sacrificaveritis, morte moriemini. Sancti verò dixerunt: Non est mors, sed vita æterna & corona perpetua, ad quam desideramus nos omnes venire.

Tunc Præses jussit eos equuleo suspendi, & exungulari, & super plagas eorum sal & calcem & acetum superaddici, ut in pœnis deficerent, & per eos metum haberent alii, & nomen Christi non colerent, sed præceptis Imperatorum obedirent. Cumque hæc Sancti paterentur, & eis omnia supplicia applicarent, una voce exclamaverunt dicentes: Domine Jesu-Christe Fili Dei vivi, exaudi nos orantes in oratione quam expetimus à te, & da nobis fortitudinem contra tyrannicam & diabolicam potestatem: quia tu es misericors, & exaudi nos in tribulatione quam patimur ab impio isto scelerato, quia non agnoscit nomen tuum, Rex regum & Dominus dominorum! Tu es in cælo sursum, & in terra deorsum. Tunc jussit eos deponi & dixit: Jam isti incipiunt sentire tormenta, quæramus & alia in quibus plus deficiant. Sancti Dei loquiunt, Petimus à Domino ut numquam deficiamus, sed fortes in pœnis, quas nobis præparas esse valeamus. Maximus Præses fremens dixit: Si istos non perdidero ex hac urbe, multos separabunt à sacrificio deorum nostrorum. Et cum hoc dixisset, jussit ex tabella recitari sententiam, dicens: Qui Imperatorum præcepta contempserunt, gladio animas eorum interfici placet. Sancti dixerunt: Deo gratias, quia hodie in cælis coronamur. Tunc Sancti ducti foris civitatem *Bosetb.* Amphoriaria, ad milliarium semis; in media enim segete cecidit beatus Mammarius, & ibi eadem hora decollatus est. Tunc FELIX diaconus, FAUSTINUS, ALBINUS, VIVUS, DONATUS, LIBOSUS, ZIDOINUS, VICTORIANUS diaconus, LAURENTIUS, FAUSTINUS, FAUSTINA, CRISPINA decollati sunt in loco montuoso, hora sexta, IIII Id. Junias. Tunc MAXIMILLA senatrix & LUCIANUS presbyter occulte sepelierunt eos, unà cum Mammario beato in pace, in cimiterio uno, benedicentes Dominum, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

OBSERVATIONES.

ILlustris fuit in primis Africana Ecclesia, tum præstantium Episcoporum religione, doctrina & sanctitate: tum eximiorum Martyrum constantia, & numero pene infinito. Verùm exciderunt, magno sanè detrimento, acta plurimorum Martyrum, qui in eadem provincia passi sunt: propterea quod nulla provincia, inquit Baronius ad annum 302, adeo externorum incursionibus, perinde atque Africa, patuit. Hinc est quod non solum acta, sed etiam nomina ipsa multorum ejusdem Ecclesiæ Martyrum in tabulis ecclesiasticis desiderentur: quos inter censendus est Mammarius, cujus ne nomen quidem hactenus scriptoribus ecclesiasticis notum fuit. Hanc verò notitiam nobis suppeditavit codex bonæ notæ ex bibliotheca sancti Galli, quo ex codice hæc Acta rogatu nostro descripsit Hermannus Bibliothecarius, vir si quis alius, ad ejusmodi bona officia natus. Mammarius ejusque socii, ab Anulino Proconsule interrogari cœperunt *die quinto Idus Maias, lucescente feria quinta.* ac proinde eo anno, quo littera Dominicalis A currebat; fortasse anno CCC IV. Anulinus Proconsul notissimus ex Optato Milevitano, Augustino, & ex actis sanctæ Crispinæ, Martyrum Abitinensium, & aliorum. Optatus Milevitanus in lib. 3 scribit, judicem contra Christianos in Proconsulari ante annos LX & quod excussit Anulinum fuisse, in Numidia Florum. Haud scio an probaturi sint viri docti, quod de Anulini mortis genere hic narratur. Waga, Lambesa; Tamugada, *Bosetb*, quæ Anforasia seu Anforiaria his in Actis semel & iterum appellatur, urbes erant in Africa episcopales. In Collatione Carthaginensi *Palatinus Episcopus Bosetensis* in cap. 126, & in cap. 202 *Felix Episcopus Vositanus* laudatur. Bosetum eruditi quidam in Proconsulari locant.

Episcopi Lambesæ, Vagæ, Tamugadæ interfuerunt Synodo Carthaginensi, sub Cypriano. quæ Synodus ex Episcopis Africæ propriè dictæ, id est Proconsularis, Numidiæ, & Mauritaniæ conflata erat. Bagaïn à Vaga diversum esse constat.

Quæras forsan aliquis, an Mammarius Episcopus fuerit, qui Papa *his in actis appellatur. Deinde an probandum sit, quod Christianos occultos Proconsuli Martyres nostri prodiderint: cùm Cyprianus magnus id nefas esse judici suo respenderit. Tertio an genuina Martyrum nostrorum verba sint,* Domino Jesu-Christo sacrificamus, *quæ verba fidem de Christi divinitate ante Arrii hæresim probant.*

Ad primum, non videtur Episcopus fuisse Mammarius, quem titulum passionis scriptor haud omissurus fuisset. Papæ *seu* Papatis *nomen tribuitur quidem Cypriano in ipsius actis: sed ad significandam Patris ac Doctoris, non Episcopi (ut quidem existimo) dignitatem. Certè in actis sanctorum Juliani & Basilissæ antiquissimis Amonius Presbyter hoc nomine afficitur, sic enim ad eum Præses:* Tu es Antonius, quem Papam suum isti testantur? Constat ergo te hujus magicæ artis esse auctorem. Beatus Antonius Presbyter respondit, &c. Papatem *habet vetustissimum lectionarium Luxoviense, non* Papam, *ut apud Bollandum. quæ prior lectio etiam actis Cypriani adhibenda videtur.*

Jam verò quòd Mammarii socii Christianos prodiderint contra factum Cypriani; id oritur ex diverso agendi modo Confessorum: quorum alii id sibi interdictum credebant, ne delatoris culpam incurrerent: alii id licere arbitrantur ex zelo profitendæ religionis. Quemadmodum alii se ipsi judicibus offerebant. cùm Cyprianus ipse in suis actis dicat, disciplina prohiberi, ut quis se ultro offerat. *Et Mammarius quidem nolebat Christianos indicare: sed socii ejus id præstiterunt.*

Denique verba illa, quibus Martyres nostri se Christo sacrificare profitentur, genuina esse probant similia verba sanctæ Crispinæ in superiori tomo. Favet Pontius in Cypriani vita, ubi eum Christi & Dei Pontificem *vocat. Pontificis verò est, teste Apostolo, offerre sacrificium, quod uni Deo debetur.*

P A S S I O

S A N C T I M A X I M I L I A N I.

Anno 295. — TUSCO & ANULINO Consulibus, IV Id. Martii, Teveste * in foro inducto * FABIO VICTORE [* al. Tebeste, in Africa.] [* f. inducto.] unà cum MAXIMILIANO; & admisso POMPEIANO Advocato; idem dixit: Fabius Victor Temonarius [a] est constitutus cum VALERIANO QUINTIANO præposito Cæsariensi; cum bono timone Maximiliano filio Victoris. Quoniam probabilis est, rogo ut incumetur *. DION [b] Proconsul dixit: Quis vocaris? [* inscribatur.] Maximilianus respondit: Quid autem vis scire nomen meum? mihi non licet militare, quia Christianus sum. Dion Proconsul dixit: Incumetur. Cumque incumatus fuisset, ex Officio recitatum est: Habet pedes [c] quinque, uncias decem. Dion dixit: Ad officium signetur. Cumque resisteret Maximilianus, respondit: Non possum militare. Dion dixit: Milita ne pereas. Maximilianus respondit: Non milito; caput mihi præcide; non milito sæculo, sed milito Deo meo. Dion Proconsul dixit: Quis tibi persuasit? Maximilianus respondit: Animus meus, & is qui me vocavit. Dion ad Victorem patrem ejus dixit: Consiliare filium tuum. Victor respondit: Ipse scit consilium suum, quid illi expediat. Dion ad Maximilianum dixit: Milita, & accipe signaculum. [d] Respondit: Non accipio signaculum: jam habeo signum Christi mei. Dion Proconsul dixit: Statim te ad Christum tuum mitto. Respondit: Vellem modò facias, hoc & mea laus est. Dion ad Officium dixit: Signetur. Cumque reluctaret, respondit: Non accipio signaculum sæculi; & si signaveris, rumpo illud, quia nihil valeo *. Ego Christianus sum, non licet mihi plumbum collo portare, post signum salutare Domini mei Jesu-Christi filii [* f. valet.] Dei vivi, quem tu ignoras, qui passus est pro salute nostra, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Huic omnes Christiani servimus; hunc sequimur vitæ principem, salutis auctorem; Dion dixit: Milita & accipe signaculum, ne miser malè pereas. Maximilianus respondit: Non pereo, nomen meum jam ad Dominum meum est, non possum militare. Dion dixit: Attende in juventutem tuam, & milita, hoc enim decet juvenem. Maximilianus respondit; Militia mea ad Dominum meum est; non possum sæculo * militare, jam Christianus sum. Dixit [* ita supra.] Dion Proconsul: In sacro comitatu * dominorum [* comitatu.] nostrorum Diocletiani & Maximiani, Constantii & Maximi, milites Christiani sunt & militant. Maximilianus respondit: Ipsi sciunt quod ipsis expediat. ego tamen Christianus sum, & non possum mala facere. Dion dixit: Milita, ne contemptâ militiâ, incipias malè interire. Maximilianus respondit: Ego non pereo; & si de sæculo exiero, vivit anima mea cum Christo Domino meo. Dion dixit: Sterne * nomen ejus. Cumque steratum fuisset, Dion dixit: [* id est dele.] Quia indevoto animo militiam recusasti, congruentem accipies sententiam, ceterorum exemplum. Et decretum ex tabella recitavit: Maximilianum eo quod indevoto animo sacramentum [e] militiæ recusaverit, gladio animadverti placuit. Maximilianus respondit: Deo gratias. Annorum [f] fuit in sæculo XXI, & mensium trium, dierum & XVIII. Et cum duceretur ad locum, sic ait: Fratres dilectissimi, quantacumque potestis virtute, avida cupiditate properate, ut Dominum vobis videre contingat, & talem etiam vobis coronam tribuat. Et hilari vultu ad patrem

a Qui nimirum præfectus erat præstationi tironum, quos *temones* appellabant. Unde infra *cum bono timone Maximiliano*, pro quo ms. codex *, timare*.

b Ille, ut videtur, Cassius Dio, qui ante quadriennium cum C. Junio Tiberiano Consul fuerat, & post annum præfectus Urbi.

c Nempe Romani metiri solebant tirones, quos militiæ adscribebant, *ita ut senos pedes, vel certè quinos & denas uncias habentes inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur*, teste Vegetio in lib. 1. cap. 5.

d Puncta & *στίγματα* in manibus, inscriptio nominis Imperatoris, prætetea monile plumbeum, de quo infra, hæ tesseræ erant militis adscripti.

e Nempe quod veteranorum filii militare cogerentur. Hæc carpsim ex Notis editionis Oxoniensis. Nulla in his actis mentio de causa Christianæ religionis. Quamquam Maximilianus putabat, se salva fide non posse militare: Maximiliani hujus nomen non invenio in Martyrologiis, nisi si is est Maximilianus Martyr, de quo in Martyrologio Adonis IV. Idus Martii, absque designatione loci.

f *Ab anno decimo nono* ad militiam eligebantur, ex Vegetio in lib. 1. cap. 4.

suum sic ait : Da huic spiculatori vestem meam novam, quam mihi ad militiam præparaveras. Siceum centenarius numero * te suscipiam, ut simul cum Domino gloriemur. Et ita mox passus est : & Pompeiana matrona corpus ejus de judice meruit, & imposito in dormitorio suo produxit ad Carthaginem,

* *f.* fueris.

& sub monticulo juxta Cyprianum martyrem secus platum * condidit : & ita post tertium-decimum diem eadem matrona discessit, & illic posita est. Pater autem ejus Victor egressus est domui suæ cum gaudio magno, gratias agens Deo, quòd tale munus Domino præmisit, ipse modum * securus.

* *f.* platanum

* *f.* modò.



INCIPIT PASSIO

BENEDICTI MARTYRIS MARCULI

III * *Kal. Decembris.*

* *al.* die VIII Kal.

QUoniam multorom Martyrum passiones & gloriæ in sublimem memoriam eximio olim sermone digestæ ad magnam utilitatem proficiunt populorum, dum ad incentivum virtutis & laudis Ecclesiæ semper auribus recitantur; idcirco me quoque & honor martyria tauti, & communis omnium devotionis profectus accendit, ut passionem MARCULI gloriosi, sacerdotali etiam honore fulgentem *, Traditorum nuper scelere consummatam, indigna licet, sed plena amoris oratione decurrerem. Justum enim ac satis dignum est, ut antiqnorum testium laudibus recentium quoque martyrum virtus adjuncta glutinetur. Sicut enim illos gentilis sævitia diabolo parens destinavit ad regnum, sic & hos Tiaditorum rabies antichristo serviens misit ad cælum. Et quia prætermittendus non est superioris vitæ memorabilis cursus; de virtutibus Marculi gloriosis, etsi propter multitudinem nequeunt omnia, propter testimonium tamen vel panca dicenda sunt.

* *al.* fulgentis.

Ille namque olim prælectus & prædestinatus à Domino, mox ubi primùm beatæ Fide rudimenta suscepit statim mundanas litteras respuens, forense exercitium & falsam sæcularis scientiæ dignitatem suspensa ad cælum mente calcavit, & à calumniosis tribunalium sæptis ad sanctissimam Ecclesiæ transiens scholam, dum verum magistrum elegit Christum, sic inter principales Christi discipulos meruit bonorari. quæ verò in illo fuerit probitas conscientiæ, quæ inlustrium morum innata verecundia, quæ gratia spiritalis in vultu; non arbitror diu multumque laborandum, cùm superiorem ejus vitam illa res probet, quòd meroit sacerdotium. Sacerdotium verò qualiter gesserit inde fit clarum, cui pro præmio Dominus dignatus est præstare martyrium.

Igitur dum in his officiis cælestium præceptorum laudabiliter converiatur, dum summus Pontifex constitutus cum ceteris sanctis bono & sacerdotio sun fruitur; ecce subito de CONSTANTIS Regis tyrannica domo & de palatii ejus arce pollutum Macarianæ persecutionis murmur increpuit : & duabus bestiis ad Africam missis, eodem scilicet MACARIO & PAULO, execrandum prorsus ac dirum Ecclesiæ certamen indictum est; ut populus Christianus ad unionem cum Traditoribus faciendam nudatis militum gladiis, & draconum præsentibus signis, & tubarum vocibus cogeretur. Sed Macarius qui ex his duabus bestiis tætrior fuit, cùm hoc negotium sanguinis in reliquis provinciis per subtilitatem dimattentasset, in Numidia tamen, & erga Marculum gloriosum aperta crudelitatis barbaræ & inauditæ feritatis indicia publicavit. Nam tùm ad eum antiquissimorum patrum sanctissimus chorus, & adunatum concilium sacerdotum decem è numero suo probatos Episcopos legationis causa misisset qui salutaribus monitis aut à tanto scelere revocarent, aut certe (quod contigit) priores ipsi ad devotissimi certaminis campum & ad fidei aciem prosilirent; sic divinitus gubernata est nobilium cura pastorum, ut quæcumque illa erat crudelitas quæ ovibus impendebat, ante ipsorum membra laniaret.

Inter hos igitur & sanctissimus Marculus venit: qui cùm eum in quadam possessione reperissent, cui Vægeselæ nomen est, statim hac ejus qui sacrilegæ unitati præerat bumanitate suscepti sunt, ut ad columnas singulas vincti, nudatis publicè sacerdotalibus membris, acerbis furnium ictibus cæderentur. Hic jam constautiam Marculi gloriosi quis enarrare sufficiat? quis eloquentiæ viribus explicare prævaleat, aut inauditam persecutoris insaniam, aut Christi Domini circa martyrem suum præsentem stupendamque tutelam? Inde enim contra eum acrior sævitia immitis feritas concitata est, quòd & diabolum futuri jam martyris invidia stimularet, & Spiritum-sanctum præcursoris antichristi nequitia non lateret. Qui cùm animum divina constantia roboratum sustinere non posset, fragilitati corporis certamen doloris indixit. Circumdant igitur Christi fortissimum bellatorem eruentæ latronum manus, & barbaræ militum classes in carnifices repente mutatæ. Cumque eum ad columnam duris nexibus conarentur adstringere; promtè ille continuo occasionem tantam ostentandæ Dei virtutis adripuit. nam in columnam ipsam ita ultro vinculis brachiorum & digitorum nodis instrinxit, ut eum inde nulla valeret pœna divellere, nulla posset crudelitas separare. Quo facto intelligere potuit persecutor, Dei servum pro ejus nomine exoptare potius quàm timere tormenta; nec dolorem corporu posse sentire quorum Spiritus complectitur Christum, & spes jam possidet regnum.

Sæviebat itaque contra unum multiplex carnificum numerus, & sacratos confitentis artus dura fustium pœna laniabat, ac reciprocante tormento, in quantum supplicii ictus infligebat à tergo, in tantum pectus columnæ duritia retundebat. Pulsabat corpus ex omni parte crudelitas, nec quicquam, nisi Dei laudem, inlustris lingua proferebat. Anhelabat rabies : jam lassitudine tortorum, & perseverentiâ patientis feritas victa languebat. Tale denique illic tunc miraculum Christus Martyris sui membris indutus ostendit, ut ad eum non solum dolorem adire non sineret; verum etiam ab ejus corpore universas sævitiæ notas atque omnia carnificinæ signa tergeret. Quo prœlio victus ac subactus inimicus, nulla jam pœnarum crudelitate * contentus, atrocissimæ, quantum sibi videbatur, sententiæ, & passiom eum manifestissimæ destinant. Tunc eum secum per aliqnas Numidiæ civitates quasi quoddam crudelitatis suæ spectaculum ducens, nesciens feritas & gentilibus * stuporem, & Christi bostibus confusionem, & fidelibus Dei servis incentivum gloriosi certaminis exhibebat.

* *al.* carnificii.

* *al.* gentibus.

At verò postquam exquisitum atque truculentum

genus mortis invenit, statim eum secum ad castellum Nuvæ-portæ, quod ardui montis præcipitio & nomine & vicinitate conjunctum est, sub artissima militum prosecutione perduxit. Quo in loco tantam martyri suo Dominus lætitiam præstitit, tantum gaudium de vicina passione concessit; ut quatriduum illud, quod illic à corona impendente dilatus est, jam non inter ærumnas sæcularium pressurarum, sed inter triumphos regnorum cælestium deberat numerari. Quantum enim exsultare poterat, qui post laboriosam peregrinationem carnis & mundi ad videndum Deum & Christum completo itinere festinabat, qui proficiscens ad Angelorum consortium, Sanctorum quoque complexum pæne jam Paradisi limen intrabat?

Erat illi assidua ac jugis oratio, erat continua de devotione meditatio; habebat in sermone Evangelium, in cogitatione * Martyrium; & tam voce quàm sensu divinis virtutibus deditus, hoc proferebat ore quod inclusum gestabat in pectore. Adhuc etiam spiritalem justitiam sitiens, & promerendo Deo totus inserviens, ultimum quatridui illius diem jejunio terminavit, scilicet ut illucescente Dominico, in quo erat & ipsius passio consummanda, ad offerendum geminum sacrificium acceptior Deo fieret devota animi Sacerdotis: ut summus Pontifex non solum ab illecebris sæculi, verum etiam à cibis ejus alienus, ad imponendas Christi altaribus hostias tam purus accederet, ut fieri pro Christo hostia ipse mereretur. Denique tantum apud Dominum illud jejunio potuit, tantum purificatione illa Christi in se præsentiam provocavit; ut ei revelatione cælesti ante passionem suam præmium fuerit passionis ostensum. Nam ubi majora noctis spatia exacta sunt, & vicinum luci tempus advenit, cujus opportunitas inde semper orationibus atque omnibus divinis rebus accepta est, quod jam & nascenti adscribitur diei, tamen adhuc humana opera & negotia conquiescunt. In hoc igitur tempore ad celebranda Sacramenta Sacerdos exsurgens, non tam à somno expergefactus, quàm ad orandum Deum gaudio recentis visionis incensus, prius tamen quàm ad ipsa mysteria veniretur, quid ei divinitus esset ostensum, in gaudium præsentium fratrum fideli sermone patefecit. Videbam, inquit, tria hæc mihi munera de æternis thesauris Domini largientis oblata, ex nitidissimo argento poculum factum, & coronam auro rutilo refulgentem, & sublimissimam palmam, quæ plena lætitia antecedentium numerum triumphorum expleret. Magnam, Fratres, Martyri suo Dominus imminentis gloriæ fiduciam præstitit, magnam veritatem futuræ circa ipsum suæ dignationis expressit. Neque enim aliquid est quod obscurum, aut ambiguum in hac revelatione videatur, in qua accepit calicem, quem fuerat in passione bibiturus; in qua sumsit coronam, quæ ei peracto martyrio debebatur; in qua meruit & palmam, per quam victoriam sperans, esset jam de congressione securus.

Post hæc peractis ex more sollemnibus, dum adhuc aliqua noctis momenta superessent, subito cum Macarii feralibus jussis pervigilis nequitiæ nuntius supervenit, qui crudelissimæ mortis manifestam sententiam gestans, & innumeras Martyris glorias, & execrandum persecutorum facinus consummaret. Qui cùm clausas adhuc fores custodum cura reserasset, agnovissetque quid ejus tam immaturus pertulisset adventus, continuò in planctum eorum corda conversa sunt. O quanta fuit illius viri gratia, quàm generalis circa ipsum amor omnium, quàm commune desiderium, ut in passione ejus ad pias lacrymas etiam custodum immanitas & militaris duritia flecteretur. In quo quidem fletu ac perturbatione cunctorum solus ipse perseverabat intrepidus, qui consummationis suæ horam adpropinquasse gaudebat. Neque enim vel conturbatus poterat esse vel tristis, quem gaudentem fides, & pacatum fecerat divina revelatio.

Illic tunc unus ex ipsorum militum numero tæterrimus carnifex, & qui tamquam cæteris ad perficiendam illustris viri mortem solus esset à diabolo præparatus, factum suum sermone præcurrens, enarrare martyrium audientibus cunctis * cœpit, cujusmodi somnium etiam ipse vidisset. Cùm nocturna, inquit, quiete detinerer, videbam subito apparuisse te mihi durissimis veluti nexibus vinctum, ac gravibus omnino vinculis onustatum, atque eadem postmodum vincula mea manu esse resoluta, propter quod spera veniam & indulgentiam secuturam. Non incongrua igitur visione absurdum somnium quod carnifex vidit, nec sine causa utique quod viderat retulit, Caiphæ scilicet sacrilegi secutus exemplum, ut qui ipse interfecturus fuerat Dominum ipse de ejus passione prophetaret. Nam alligatum rectè viderat martyrem eum, qui adhuc in habitatione corporea constitutus, & gemino carcere mundi & carnis inclusus, temporalis vitæ angustiis stringebatur. Ille enim corporis vinculum, ille mundi carcerem sentit, qui ejus tentationibus agitatur. Resolutum quoque à se esse non irrationabiliter somniaverat, cujus crudelibus manibus oportebat eum interventu mortis à corpore separari; qui ei post gravissimos nexus sæcularium pressurarum ad regnorum cælestium libertatem iter fuerat in passione facturus. Magnis enim nos vinculis relaxari, cum liberati de hoc mundo ad Dominum properamus, Apostolus probat dicens: Dissolvi & cum Christo esse multo melius est. Quod simili ratione etiam Symeon ille justissimus demonstravit, qui securitate vicinæ mortis accensus, evasurum se vitæ hujus molestias lætabatur. Nunc dimittis, inquit, Domine servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Qui numquam utique dimittendum se cum omni gaudio testaretur, nisi qui conditione corporis, quasi quibusdam vinculis tenebatur.

Nulla denique mora, nullum spatium temporis intercessit, quin statim crudelissimus carnifex antelucano latrocinio adgrederetur implere quod viderat. Nam continuo infestus urgebat, ut productus de custodia Dei testis, ad præruptam naturalis petræ celsitudinem atque asperrimæ rupis præcipitium duceretur. Hoc enim immanissimum genus mortis elegerat & cruentus ac barbarus profanæ unitatis exactor, & detestanda omnibus sæculis sævitia Traditorum. Egrediebatur itaque de domo Marculus gloriosus, custodum excubiis ac militum classe circumdatus, atque ab ipsis persequentibus honoratus. Egrediebatur constantiâ Christiani vigoris erectus, hospitia jam humana relinquens, & ad mansiones properans Angelorum. Egrediebatur vultu lætus, hilarius incessu, non tam præsentem pœnam, quàm futuram cogitans gloriam. Iter quoque ipsum quo ad supplicium ducebatur, tale illi fuerat procuratum, ut exstructis undique versum terræ molibus, ac paulatim in altum aggeribus elevatis, ad passionis suæ insigne fastigium perveniret, ipsa montis famulante natura: ut primò humilia collis juga, dehinc arduos vertices calcans, velut per gradus quosdam in sublime conscendens, etiam cum ipso corpore cælo ac sideribus propinquaret: ut adhuc in mundo positus esset celsior mundo; & quicquid pretiosum, quicquid electum videtur in sæculo, sub plantis suis jacere gauderet. Mox ubi verò ad ipsum Petræ culmen accessum est, inde universi milites partim me-

* al. contradictione.

* al. omnibus.

tu, partim dolore secedentes, tam inaudito facinori etsi conscientiâ intererant, vel opere interesse noluerunt.

Tunc immanissimus carnifex, qui duplici crudelitate, & præcipitio armatus & ferro, geminam mortem gestabat in manibus, crudeli dextera in præceps impulit martyrem, & eum in tætrum chaos demersisse credidit, cui cælorum sublimitas debebatur. Sed enim sacrosanctum corpus terræ soliditate subducta à celsitudine alma descendens, per vacua liquidi aëris spatia ferebatur, neque quicquam offensionis in illa inanitate reperiens, velocitatem sui cursus ipso impetu duplicabat. Qua pernicitate itineris spacia* vertigo nutrita est inter commoti aëris concitos strepitus tanta divinitus moderatio procurata est, ut immunia cunctis asperitatibus membra supra ipsam saxorum duritiam, velut super mollissimos thoros ac sinus placidissimos ponerentur. Tunc victrix anima naturali cursu velocius cælum petit, quàm descenderat corpus ad terram; ut scilicet passione perfecta utraque substantia antiquissimi originis suæ principiis redderetur omnipotentis Dei manibus, circa totum martyrem suum clementer operantibus: qui & spiritum ejus adjuvantibus Angelis ad æternas sedes jussit imponi, & corpus intactum auris blandientibus cinctum, à famulantibus ventis leniter subportatum, in media petrarum crepidine collocari.

Confusa sunt igitur virtutibus Christi persecutorum exquisita ingenia, & Traditurum iniqua consilia, quia ad hoc tale supplicium cogitaverant, ne unquam in testimonium eorum à populis Dei memoria Martyris posset honorari. Putaverant enim in illo præcipitio corpus per frusta discerpi, & acutis cautibus laniari, ut cui ademerant vitam, nec sepultura superesset. Putaverant nihil pervenire usque ad terram posse, quod collectum pia fraternitas sepeliret. Cum per illa montis ardui confragosa singulæ rupes singula sibi membra tenuissent, vel certe cum semel integrum corpus inter fissuras petrarum aut rimosas latebras scopulorum hiatu aliquo fuisset absorptum, ecce consecratis artubus dura saxa & rupes asperæ pepercerunt; & quem Traditores occidere non timuerunt, montes lædere timuerunt. Exceptis enim ipsis, Creatorem suum omnis creatura veneratur; nec in hac causa ad promerendum Deum deesse poterat montibus sensus, quibus ad ejus laudem etiam vocem Scriptura concessit.

Interea Marculum gloriosum beatam certaminis sui perfecisse victoriam intra solas militum conscientias celebratur. Ita enim nocturno silentio furtivum consummaverant scelus, ut nec vel in castello, in quo fuerat adservatus, tam de extraneis quàm de fratribus sciri potuisset, nisi rem gestam divinæ virtutes & cælestia signa prodidissent. Nam ubi primum diei albescentis ingressus pallorem globi noctis infudit, & discolorem cæli faciem tenebrarum ac lucis discordia variavit, continuò sub ejusdem montis gremio splendida nubes apparuit, quæ interdum fulgure prominicante conscium se de martyris corpore blando lumine testabatur. Neque enim illa matutinis roribus gravida fusco tegmine vividos* obumbraverat colles; sed candido vellere tota præfulgens sic membra felicia contegebat, ut cessantibus paullisper humanis officiis amictum quodammodo sæpulturæ ipsa interim exhibere videretur; quæ ad hoc interdum tumulo fine discissa, per fluxuosos hiatus corusco igne vibrabat, ut aut tantæ passionis ignaros stupendis magnalibus admoneret, aut quia adhuc erat aliqua de vicinitate noctis obscuritas, inveniendi corporis viam devotè quærentibus demonstraret.

* al. subitos.

His igitur admirabilibus Dei admonitus fraternitatis fervor* exarsit, totusque ille subito locus exultanti clamore completus est, ac religioso discursu vota invicem communia nuntiaverunt. Tunc derelictis domibus raptim omnis sexus atque ætas egressa ad montem pariter ac nubes desiderio martyrii convolabat: nec ullam illic animam poterat aut senectutis debilitas, aut pueritiæ infirmitas, aut sexus fragilitas retardare. Omnes enim unius fidei ardor accenderat. Cùm verò ad illa loca quæ præcipitio subjacebant, festinans turba venisset; quos conglobatos fecerat intentio, una currendi mox per totum montem quærendi corporis cura dispersit. Erat illic cernere divisa per singulos officia pietatis. Alii enim condensos duris stirpibus sentes manu celeri pertractabant, alii tortuosis petrarum dehiscentium foveis testes oculos inserebant: alii, ne fortè festinatio esset inlusa, sollicitis luminibus etiam quæ jam respexerant saxa lustrabant. Postremo, quia & hoc sine Domino esse non poterat, desideratum ab omnibus locum quæ ad hoc missa fuerant fulgura prodiderunt, & exoptatum fratribus corpus index nubis candor ostendit. Qui tunc illic fuit omnium mixtus cum gaudiis fletus, qui circa inlustria membra complexus? Vix denique à cunctis satietate percepta, suprema ingenti obsequia fratrum lætitia celebrata sunt, & religiosus* sepulturæ honor cum triumphis maximis restitutus est. Totum enim in gloriam nominis sui repræsentaverat Dominus, quidquid fraudare temtaverat inimicus. O memorabile beati Marculi atque insigne martyrium! ô ad petendum devotis omnibus inconcussæ virtutis exemplum! ô necessarium universis ecclesiasticis gradibus documentum, quo ejus laudabilis vitæ meritum pervenit ad palmam, in primordiis fidei renuncians mundo, in tirociniis dignam se exhibens Sacerdotio, in Sacerdotio munera honorata martyrii, in martyrio divinarum virtutum testimonium.

* al. ardor.

* al. gloriosus.

Explicit.

ADNOTATIONES.

UT suos Ecclesia Catholica Martyres, sic Donatistæ & suos se habere gloriabantur. Hos inter insigniores fuerunt Donatus Bagaiensis Episcopus, & Marculus Presbyter, quem à Macarianis seu Traditoribus (sic illi Catholicos appellabant) ex abrupti montis supercilio actum in præceps, necatumque jactabant. Res ita se habet. Constans Imperator super deploratissimo Africanæ ecclesiæ stato à Grato Carthaginensi Episcopo pulsatus, Paulum & Macarium *primitus non ad faciendam unitatem misit* teste Optato Milevitano in lib. 3, *sed cum eleemosynis, quibus sublevata per ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas.* Hi duo dum munere suo egregiè fungerentur, *& pauperes ubique dispungerent, & ad unitatem singulos hortarentur*: restitêre in primis Donati duo, alter Carthaginensis, Bagaiensis alter, Donatistarum factionis Antistites. Et ille quidem ipsi Imperatori contumelias ingessit: hic *Agonisticos* (quos vocabat) seu Circumcelliones adversus Paulum & Macarium armavit. Legati verò à Taurino Comite militem armatum, qui eorum furorem comprimeret, impetrarunt. *Occisi plurimi, detruncati multi*, quos pro Martyribus Donatistæ habuerunt. Ex his unus est Marculus, de quo Dativus Episcopus Novapetrensis Donatista in Collatione Carthaginensi, cap. 188. *Adversarium non habeo*, inquit, *quia illic est dominus Marculus, cujus sanguinem Deus exiget in die judicii.*

Catholici apud Augustinum sub finem tractatus II in Johannem negant Marculum à se præcipitatum : Sed se ipsum præcipitem egisse dicunt. *Proferunt Donatistæ nobis nescio quos in persecutione suos Martyres. Ecce Marculus de petra præcipitatus est : ecce Donatus Bagaiensis in puteum missus est. Quando potestates Romana talia supplicia decreverunt, ut præcipitarentur homines? Quid autem respondent nostri? Quid gestum sit nescio. Tamen quid tradunt nostri? Quia ipsi se præcipitaverunt, & potestati infamaverunt.... Sed illi qui se mortuos coli voluerunt, famosiorem mortem non invenerunt.* Optatus in lib. 3 id ipsum significare videtur his verbis. *Sic invenit Donatus Bagaiensis unde contra Macarium furiosam conduceret turbam : ex ipso genere fuerunt qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant. Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes, se præcipites dabant.* quibus verbis Marculum indicare videtur Optatus. Attamen in consequentibus idem auctor non inficiatur, Marculum & Donatum à militibus Macarianis occisos. *Invitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo, hominum facere mentionem, quos vos inter Martyres ponitis : per quos, tamquam per unicam religionem, vestra communionis homines jurant. quos quidem vellem silentio præterire, sed ratio veritatis se silere non patitur. Et ex ipsis nominibus contra unitatem inconsiderate latrat invidia, & aspernantes aliqui accusandam aut fugiendum æstimant unitatem, quod Marculus & Donatus dicantur occisi & mortui. Quasi omnino in vindictam Dei nullus mereatur occidi*, &c. Denique idem martyris titulum prædictis abrogat, quòd *Christianorum nullum senserint bellum* : quòd non amaverint pacem, *in qua prima sunt fundamenta martyrii* : quòd nullam habuerint caritatem, sine qua inane est martyrium.

Nihilo minùs cùm hæc acta in bibliotheca sancti Galli reperissemus, ea in lucem dare amicorum consilio statuimus ad illustrandam antiquitatem. Alium codicem, in quo eadem acta continentur, nobis pro sua benevolentia utendum commodavit vir doctrina & eruditione clarus, idemque antiquitatis ecclesiasticæ, maximè Africanæ, studiosissimus Antonius Faurus, Doctor Sorbonicus : qui codex ab Adelelmo Episcopo ecclesiæ Laudunensi concessus est anno DCCCC XXI. In eodem codice exstat Macrobii epistolæ fragmentum de Isaac & Maximiano martyribus Donatistis, his actis mox subjiciendum. Ceterum Marculi acta legerat Rabanus, qui Martyrologio suo eum adscripsit ad diem VII *Kal. Decembris* cum horum actorum brevi compendio. Variat dies in codicibus mss. Sancti-Gallensis habet, III *Kal.* Laudunensis VIII *Kal.* ejusdem mensis. Annum CCCXLVIII his Macarianis turbis Baronius assignat.

In additionibus Molani ad Usuardum ex notho Bedæ Martyrologio, fit mentio de quodam Marcello ad VI *Kal. Decembris* his verbis. *In Nicomedia beati Marcelli sacerdotis & martyris qui temporibus Constantis * tyranni persecutiones maximas pertulit : ad extremum ab alta rupe præcipitatus est.* Idem auctor in Appendice Usuardi secundum editi suspicatur, hunc esse Marculum pseudomartyrem Donatistam. Baronius id negat in notis ad Martyrologium Romanum, in quo ad eumdem diem hæc leguntur. *Nicomedia sancti Marcelli presbyteri, qui Constantii tempore ab Arianis e rupe præcipitatus martyr occubuit.* Quidam vir doctus Molani conjecturæ favens opinatur, pro *Nicomedia* legendum, *In Numidia* ; deinde *Marculi* nomen retinendum : & pro *ab Arrianis*, scribendum, *a Macarianis*. quod veri simillimum est. Attamen in additionibus ad Bedæ Martyrologium apud Bollandi socios, fit mentio non semel de Marcello martyre in Nicomedia ad V *Kal. Decembris*. Primùm quidem ex duobus codicibus in hæc verba : *In Nicomedia Marcelli, Petri, Serena, Victorini.* Deinde ex duobus aliis, *Nicomedia natale sanctorum Petri, Marcelli, & Sereni, quorum alter pro fide Christi crucifixus, alter fuit capite plexus.* ubi in uno è duobus mss. deest *Marcelli* nomen. At in duobus aliis tres omnino leguntur his verbis : *Nicomedia Petri, Marcellini & Sereni.* Verisimile est, Marcellum quemdam Nicomediæ passum esse. Sed cùm Marculum Donatistam eodem fere die necatum quidam legerent, eumdem cum Marcello esse putaverunt : adeoque Marculi genus mortis Marcello tribuerunt.

FRAGMENTUM

EPISTOLÆ MACROBII DONATISTÆ

De passione MAXIMIANI & ISAAC Donatistarum ad plebem Carthaginensem.

.... tamen cessit, qui velut alienus sui corporis de omnibus triumphavit. Sic illic bellum gestum est inter corpus & pœnas, inter sacrilegos & devotum, inter animæ vires & laniantes, inter militem Christi & militem diaboli, inter patientem & judicem, & unus sufficit afflictus contra tantam dimicare suppliciorum hostiumque gloriosius multitudinem, ut in uno certamine non unam victoriam reportasset. Posset illic adipisci supremi cruciatûs examen qui cum triumpho mittit ad mortem, sed oportebat ut interim retardasset ad eum quem Christus illi delegarat comitem. Nam tunc illic inlustris ISAAC de loctamine sui socii non retinens gaudium, inter fraternos populos publica exultatione sancti Spiritus ferebatur, qui plenus cælesti constantia liberius proclamabat : Traditores, Venite, salvate vestræ unitatis insaniam. Cujus ad vocem Proconsul furibundus auctorem clamoris instanter Officium conturbabat inquirere.

Sed non deerant Traditores qui milites præcessissent : ex quibus statim ministri ipsi sacrilegi de uno minime satiati, & alterum tradiderunt propriis manibus similiter victimari ; ut Patrum illorum mensura super illos manifestius posset impleri. Continuò judex vehementer incensus, remoto illo, quem paullo ante torquebat, in hunc contorsit acriùs quod furebat. quasi qui unam necdum digesserat, & alteram conciperet iracundiam. Repetebant iterum tortoriam defatigati tortores, quorum lassa jam brachia faciebat sola crudelitas fortiora. Licebat identidem classis illa carnivorum violentiam plumbatarum, & totus vires imponderans egestis nisibus gementi rabie grassabatur, quasi ipsa quod irrogave-

Ana'r :   A a

rat pateretur. Qualis fuerat sustinentia patientis, ubi gemebat grassatio sævientis! Sed nec in secundo permissus est diabolus superare, quia victoriam Christi quæ fervebat fas non erat in aliquo posse succumbere. Denique sic rursus postquam plumbatis nihil valuere, tormenta similiter admovit immanitas furiosa, ut in nullo dispari genere tolerantiæ discreparent cælestes armigeri, & in nullo videretur hostis leniori supplicio mitigari.

Laniabatur Isaac, nomen scilicet victimæ, virgis rumpentibus, patientiam sui nominis imitatus, & cæsoribus iterum atque iterum repetitis, inconcussa permanebat devotio confitentis. Patuerant omnes compagines ruptis conjunctionibus madidatæ; & quasi per tot vulnera exitum reperiret, vox illa videbatur confessionis præconia resonare. Nemo enim putet pro levi castigatione plagas tunc fuisse virgarum, quæ pro certo laniciam vicerant ungularum. adeo ab ipso judice ungulæ fastiditæ sunt. Jam non erant vulnera, sed secreta corporis denudata; nec ab ullo dici poterat cæsus, qui madentibus frustis fuerat enervatus. Jam virgarum cesserant fasces, detonderentur pæne si tantos comminuerent bipennes aut falces. Jam truces ministri ægris dudibus victæ feritatis hiatus languidos anhelabant, & adhuc esurientia membra mandendi ac devorandis pœnis omnibus inhiabant. Tunc ille insultavit cruciatibus corpus, mens læta sævientibus tot torquentibus unus & tortus ac judici judicatus nulla protinus mora sententiam retardavit, sed ambos judex pari sorte conjungens ad exilium religavit: quibus in carcerem trusis, Isaac statim martyrii consummavit effectum; &, quod plus est, semel omnes carceres & corpus nimiit & mundum, ne in aliquo visionis ejus revelatio falleretur. Sic enim cuncta per ordinem percucurrerit, ut & in ipsa revelatione propemodum quod passus ejus fuerat ante jam passus sit. Nam cum quietis sopore paullulum teneretur, videbatur sibimet cum ministris Imperatoris habere certamen, non aliunde scilicet, quàm unde sustinuit passionem. Et hoc plane non fuerat aliud illi devotionis indicium, ut quod vigilans desiderio rectractabat etiam dormiens pateretur. ut quod propheta de se professus est in eodem compleretur. *Ego*, inquit, *dormio, & cor meum vigilat.*

Vigilabat ergo devotio illa jam certamina virtutis exercens, & ministros nequitiæ cum jussionibus Regis constantiùs repellebat audacius repugnantes. Quos cùm diuturno certamine superaret, ipsum quoque Imperatorem respexit subito venientem: qui cum ad complendam jussionem ab eodem cogeretur, fortior refutabat sacrilegæ jussionis imperium, & minantis sæva supplicia. Ipse quoque oculum se illi pariter eruturum frequenti comminatione terribilis promittebat. Cùm his diu certationibus inter semetipsos ferociùs dimicarent, non passus est tantum se differri victorem: sed injecta fortiter manu moram suæ comminationis irrupit, & oculum violenter eliciens, viduata facie sedem luminis evacuavit. De cujus victoria protinus juvenis miræ claritudinis visus est triumphare, & coronam subinde radiatam capiti ejus imponere: quibus radiis multæ fratrum atque sororum facies ejus videbantur infixæ, quam cum illi pro præmio traderet gaudens, adversarium quoque magnis exprobrationibus ludificabat irridens. Tunc hostis vehementi dolore compulsus jussit eum pœnis sævientibus laniari, ut quasi pœnam suam posset ulcisci. Sed ille jam victor cernebat se gestantium manibus ad superiora subduci, & volantem celerius ad cælorum sublimia sublevari: quo cum lætus ascenderet, Tenis cujusdam vociferantis audiebat vocem desuper dicentem: Væ tibi sæcule quia perisli. Hoc clamore ter iterato, visionis pervenit ad metam, & iteravit postmodum faciendo quod viderat.

Quid igitur hac visione manifestius? quid agi per diem posset expressius, quando in actibus digestus est visus? Nunc oppugnasse se contra ministros Regis sic in nocte sibi soli conspexit, sicut per diem nobis postmodum demonstravit: sic lumen Imperatoris eruisse, sic eum habebat vincendo cæcasse, sic præmia coronæ sortitus est, sic & publicè coronatus est; sic coronæ radiis plurimus inhærere viderat vultus, sicut passioni ejus universus populus fuerat excubaturus: sic volavit ad cælum, sicut propere meruit adipisci martyrium. Hoc solum plane de dictis ejus adhuc usque restitisse cognoscitur, quod mundo prophetavit interitum, quod cum, omnes siquidem scimur non fuisse sententium, aliquis fortasse de fratribus expavescat, & MAXIMIANUM imparem dicat, quia prior confessor, superstes est modico tempore reservatus. Absit fratres videantur, quia æquali prælio pugnàverunt. nam si per diversas horas venientes ad vineam Dominus de pacto mercedis æquavit, quomodo dispares judicat quas uno tempore laborantes invenit. Sed quod Isaac prior videtur excedere, inde magis eos dico Dominum comparasse: ut sicut ille huic confessionis incitamento suggesserat, sic eum & hic provocaret pariter ad coronam. Ambos voluit Dominus sibimetipsos esse Doctores, ut de vicissitudine documenti fecisset æquales; ne unus in omnibus antecederet, & unus in omnibus videretur se ipse sequentem. Nunc verò ambo se invicem præcesserunt, & ambo se invicem consecuti sunt.

Sed reclusis interim custodiis carceris, navis scilicet ad exilium præparatur. quod non humano consilio credo fuisse dispositum, quia claruit superna dignatione provisum. Ad hoc enim si voluit eos Dominus sibimet unius diei dilatione concludi, ut secundum visum martyris sui faceret populorum excubationibus honorari, non consummato Isaac perfecti martyrii nuntius cunctorum aures impleverat. Ad cujus corpus universa continuò fraternitas lætis cursibus properaverat, quibus cum sepultura corporis à criminibus negaretur, excubias omnes, ne inhumatum corpus abjiceretur; cum magna exultatione tenuerunt, una tota die cum nocte populi triumphantes, psalmis, hymnis, canticis in testimonium cunctis gloriæ Domini decantabant: & omnis ætas ac sexus interesse tantis gratulationibus ardenti cupiditate gaudebant. Quale fuit illud, fratres, quod Dominus suis martyribus ad honorem dignatus est procurare, ut xviii Kalend. Septembris die sabbato ad instar Paschæ permitteretur populus vigilias celebrare. Sic ergo peractus est dies, & nox consumta est. Mox ubi dies alter exortus est, exspectabatur Proconsul quid de corporis humatione jussisset, quid forsitan concederet mitior, quod negasse nec homicidis nec adulteris ullus judicum solet, nisi è contra Traditorum sæva pernicies ad crudelitatis capienda consilia vigilarent! quorum suggestione Proconsul tunc coactus protinus à carcere jussit expelli vivum pariter cum defuncto, & marinis fluctibus mergi, ne quasi permitteret eos dignitatem Martyrum venerari.

Quam stulta crudelitas, quæ corpora voluit nostris manibus abnegare, quasi venerationem nobis de mente posset auferre: aut si illi non sepelirentur in terra, non possent aliter regna intrare cælestia? Sed accessit illis ad felicitatis augmentum, ut & defuncti post terrena supplicia pro Christo marinis quoque vexationibus quaterentur, ne ullus locus remaneret in mundo, ubi non sentirent inimicum. Hoc

illis ad cumulos triumphorum providerat Dominos, ut & in majori odio sæculi laborassent, & in defunctis corporibus posset sicut & in vivis exhibere virtutem. Venerant ergò ad carcerem militum cuncti * & trivarii fustibus onerati, & via cædis populos repellentes, cunctos pæne fecerant vulneratos. Tantum enim debuit Martyrum dignitati concedi, ut pro sepultura eorum mererentur & alteri confiteri. Postea quia vix valuerunt universos excludere defunctum pariter & superstitem, ex utroque latere non paris militum numerus deducebat. Delusit se nesciens immanitas vana, ut ipsa illis præbuisset obsequia, quibus negavit aliena. Jam litus accesserat maris, jam navis acceptos martyres vehebat ut mergeret. Ast ubi profundi æquoris altitudinem perniciter introivit, non segnius satellites satanæ celerabant jussa complere, devinctos scilicet funibus, & binas orcas arena contectas singulorum cervicibus pedibusque nectentes, intervallo non modico ab invicem separatos demergente pondere dimiserunt. Quos sinu pelagus projectos ut agnovit, continuò quasi flammis tutum cælestibus ureretur, sacrosanctos artus tenere non potuit: sed convolutis deorsum desuper fluctibus, ad ejicienda corpora detrusas arenas funditus abradebat, & ab imo fundo ad superiora terga subvertens undis resilientibus removebat. Mergebantur scrutantes fluctus de summis cumulis ad inferiora rapienda vasto impetu descendentes ad fundum, & tempestivum mare de inferioribus repulsum egesto potiori iterum citabatur parturiens membra sanctorum, donec impulsibus rapidis undarum turbo depressos artus excussit, & immensum pondus eliciens, corporibus raptis victor tandem fluctus evasit. Erigebantur proinde violentius cumuli solidatis aquarum montibus elevati, ut congeries conglobata securiùs onerosa membra subveheret, ne victa iterum laborassent, & sub adunatis undique molibus pelagi facta testudine pugnabat unda cum pondere; ne oneri violento valida maris terga contigere aperiret.

* f. cæsi.

Sed adhuc restabat alterios laboris opus scilicet & conamen, ut intervallo infinito discretos, in quo quinquies unum celeri congregatione colligeret, ne alienum sacrilegium ejus negligentiæ remaneret. Ducebant hinc aquæ, hinc geminis cornibus volumina sinuantia, & pari sibimet coïtione subvecta corpora comminus inhiabat. Jam venientis occursus ex utraque cornuum brevi æquiperant medium, & utraque per partes propinquante, conventu intervalli longitudo decrescens venerat in angustum: cùm semel utrique plenus spatiis exemptis tota intercapedo consumpta est, & redactis omnibus simul & undarum corporumque celebrata concordia est. Obsidebantur hæc igitur à fratribus litora, quasi jam certius adventantes Martyres ulla præcederet fama, & diebus noctibusque sollicitè præmonita, defixis oppautibus* sperabatur quod credebant quandoque de Dei solito virtute venturum. Cum subito post bis ternos dies ad exemplum uncte * scilicet geminatum templa Christi venire gaudebant, & occurrentes cuncti, quomodo poterant, oculis exsultante alacritate pendebant: quorum extensis manibus optata membra cum tropæis suis unda festinans velut in gaudium resonans tradidit, & compoti desiderio devota fraternitas cum amplexibus lætis accepit.

Sic beati Martyres sepulturam debitam receperunt, & optatum reddiderunt fratribus obsequium, & frustrata Christus exhibuit consilia Traditorum, ne aut insepulta tantorum corpora remanere permitteret, aut devotionem populi ex parte ulla fraudasset, aut nefandos vota crudelitatis implere cum blasphemia sui nominis immotus adspiceret.

Lugeat nunc demensa sævitia perfidorum, quæ Dominicarum noluit recordari virtutum: non timuit eum posse de mari corpora liberare, quem novit ab inferis etiam animas posse eruere: aut si nihil aliud vel nec cetus qui se vomisset acciperet, perdidit misera crudelitas quo credebat magnum se comperisse consilium, cui nec mare voluit ferre consensum. Male commendavit desideria sua, quæ contra creatorem suum pelagus negare non potuit. Quo agit humana jam rabies, ubi mare non persequitur mortes? Quid agit sceleratorum feritas, sæva ubi maria revocant ad sepulturam? aut quales à persecutoribus judicantur, quos & ipsa elementa violare timuerunt? ô beatæ passionis memorabilis gloria, in qua dignatus est Christus tot exhibere magnalia! ô felix exitus, qui talibus contigit, quem pro illorum meritis tantis virtutibus decuravit! In devotione constantia, in passione tolerantia, in morte victoria, magnalibus in sepultura.

Ad vos nunc, fratres, cuncta jam redeunt, quæ vos ad regna cælestia deduxerunt. Vos exempla ista compellunt, quæ illos primo per vos ad has glorias compulerunt. Magistros vos illis confessionum frequentia crebris opinionibus fecerat, & ipsi nunc vobis de martyrio suggerunt. Similiter documenta vestra vos adhortantur quæ alios adhortata sunt. Tendunt ad vos è cælo jam brachia, operientes tempus quo vobis occurrant. Properate naviter, concurrite pertinaciter: exspectant vobiscum simul capere dignitatem. Eia, agite, fratres, accelerate quantocius, ut & de vobis non aliter gaudeamus. Inveniat apud vos reditus noster onde glorietur, sicut & de his secessio nostra sortita est gaudia gloriarum. Sed euntes ad tropæa vestra veniamus: ut sicut vobis horum victorias nuntiavimus, sic postmodum vestras huc ad Kartaginem secuturis ceteris nuntiemus.

Explicit epistola beatissimi Martyris Macrobi ad plebem Kartaginis de passione Martyrum Isaac & Maximiani. Deo gratias, amen.

INCIPIT PASSIO

THEODORITI PRESBYTERI ANTIOCHIÆ

TEmpore bonæ memoriæ Constantini Imperatoris, JULIANUS cum esset adolescens, & ejus odio viveret; confugiens ad ecclesiam Antiochensem lectoris fungebatur officio. Recepto verò de corpore Constantino, Julianus transgressus est Fidem, & prævaricator effectus, idola colens imperii regnum suscepit. sicque omnes Christianos non vi, nec minis, sed præmia & dignitates promittens persuadebat ad sacrilegam legem. Cumque avunculus ejus JULIANUS & ipse devians immolasset, accepto jure gladii, Comes factus est Orientis, qui statim restituit idola. Audiens verò ecclesiam Antiochensem multitudinem auri & argenti habere, quædam opponens, clericos effugans, clausit ecclesiam Dei. qui verò dispersi erant, unusquisque Deo ubi poterat serviebat.

Sanctus vero THEODORITUS, supra memoratæ ecclesiæ presbyter, non discedens de civitate, sed congregans sibi quosdam fratres, sine cessatione collectam faciens, acceptabiles Deo fundebat orationes. Audiens verò Julianus hunc facere collectam, volens placere Imperatori, sedens in secretario, eum sibi jussit exhiberi. Introducto ergo Theodorito, ligatis de post manibus, Julianus dixit: Tu es Theodoritus qui tempore Constantini Imperatoris prohibebas deos coli, & aras & templa destruebas; & ecclesias ædificabas & sepulcra mortuorum? Theodoritus dixit: Ego, in quantum potui ecclesias & basilicas ædificavi Martyrum: idola verò & aras dæmoniorum destruxi, ut animas errantium liberarem. Julianus dixit. Da ergo diis honorem, quia ista confessus es. Theodoritus respondit: Tempore Constantini Imperatoris me ista fecisse cognoscens, nec ab eo umquam fuisse aliquando prohibitum. De te nunc miror prævaricatore, dæmoniorum vindicem apparuisse. Julianus dixit. Cædatur in plantis, quo modo idola deos negat esse. Theodoritus respondit: Peccas Juliane, transgressus Fidem; & acquiris tibi perpetuam mortem. Julianus dixit: Cædatur & in faciem palmis insipiens, ut non blasphemet. Theodoritus respondit: Noli errare, & me vera dicentem injuriis agere. Julianus dixit: Nunc vapulans indignaris? Subsequentur verò te tormenta quæ non speras, si non sacrificaveris. Theodoritus respondit: Et paullo ante dixi tibi, & nunc dico, noli peccare dicendo deos qui sunt opera manuum hominum, sed depone hanc temporalem superbiam, & recole quid amiseris. Julianus dixit: Noli mihi verba composita & emeditata loquaris, quibus miseris hominibus persuades. Theodoritus respondit: Quando Deum colebas, confitebaris veritatem, & mendacium abominabaris! nunc verò elatus superbia, idola deos dicis, & veritatem mendacium putas esse. Julianus dixit: Disertaris, sacrilege, tamquam ab Athenis nuper veneris. Theodoritus respondit: Ego neque ab Athenis neque ab Oratore, sed divinæ scripturæ initiatus, Spiritu-sancto tuis respondeo interrogationibus, optans te iterum ad meliora reverti.

Iratus Julianus, jussit eum in contis fortius tendi. Cumque funibus quibusdam & trochleis fuisset extensus, in tantum tendebantur nervi ejus, ut octo pedum videretur sanctus Dei Martyr. Julianus dixit: Sentis tormenta, Theodorite? recede ergo à mortui doctrina, & sacrifica, & vive. Theodoritus verò ingenti voce & hilari vultu respondit: Oblitus es quia dixi tibi opera manuum hominum dixeris deos? sed recognosce Deum qui fecit cælum & terram, & Jesum Christum Filium ejus, cujus precioso sanguine fueras liberatus, crucifixum, mortuum & sepultum pro nostra salute. Ipsum prædico resurrexisse à mortuis, per quem facta sunt omnia, qui est Verbum & sapientia Patris, quem tu quando sapiebas, recte cognoscens adorabas, si tamen aliquando sapere potuisti. Julianus dixit: Vel nunc time deos, & fac quæ ab Imperatore sunt jussa, quia scriptum est, *cor Regis in manu Dei.* Theodoritus respondit: Cor Regis cognoscentis Deum scriptum est esse in manu Dei, non cor Tyranni adoranti idola. Julianus dixit. Stulte tyrannum vocas Imperatorem? Theodoritus respondit. Si talia jubet, ut dicis, & talis est; non solùm tyrannus dicendus est, sed miserrimus omnium hominum.

Repletus ira Julianus, jussit eum torqueri. Cumque diu torqueretur, ut nimius sanguis de ejus fluaret lateribus; vultus ejus ridebat. Julianus dixit: Vel nunc cognoscens deos sacrifica. Theodoritus respondit: Ego non cognosco deos manufactos, nisi unum Deum qui fecit cælum & terram. Tu verò qui speras in eos, eorum particeps inveniaris. Julianus dixit: Nec dum, ut video, sentis tormenta. Theodoritus respondit: Non sentio, quia Dominus mecum est. Julianus rursus jussit eum vexari, dixitque ad eum: Audivi te fisci esse debitorem, & ideo mori desideras, ne reddas quod debes. Sacrifica ergo & noli vereri. ego suggeram Imperatori, & omnia tibi donabuntur. Theodoritus respondit: Argentum & aurum vestrum vobiscum sit in perditionem. ego nullius sum debitor, nisi soli Deo, cui puram exhibens conscientiam, oro ut promissionibus suis me copulare dignetur.

Julianus dixit: Convertere ab stultitia, & lucrare animam tuam. Theodoritus respondit: Tu magis convertere ad Deum vivum à quo recessisti, ut salves animam tuam quam perdidisti. Iterum jussit eum vexari, dixitque ad eum: Infatuasti cor tuum magis obedire mortuo Crucifixo quàm Regi. Theodoritus respondit: Infelicissime! & te, & tyrannum tuum Crucifixus quem dicis, in die judicii, ut ipse optime nosti, habet mittere in gehennam. Julianus dixit: Interim ego igni te tradam, postea verò quid fuerit? Sic jussit duas lampadas ardentes ejus apponi lateribus. Appositis verò lampadibus, elevans oculos suos ad cælum dixit: Domine Deus omnipotens qui fecisti cælum & terram & omnia quæ in eis sunt, salvator mundi repromissam spem famulo tuo qui propter nomen tuum hæc patitur, dare dignare, & iniquis ostende tuam virtutem, ut cognoscant omnes quomodo gratiam timentibus te præstas, & tormenta denegantibus te: ut glorificetur nomen tuum quod est benedictum in sæcula. Et subito ceciderunt carnifices in faciem suam cum lampadibus.

Turbatus est verò Julianus cum adstantibus militibus, & jussit carnifices elevari, dixitque ad eos: Applicate iterum lampadas ejus lateribus. At illi responderunt: Alios jubeat nobilitas tua, nos verò hoc facere non possumus, quia vidimus quatuor Angelos in veste candida adstantes, & loquentes cum eo. & ideo in faciem nostram cecidimus. Julianus verò iratus, jussit eos in pelagum mitti. Et cùm ducerentur, Theodoritus dixit: Præcedite fratres. ego verò superans inimicum sequar vos ad Dominum, qui mihi palmam victoriæ dare dignatus est. Julianus dixit: Quis est inimicus? vel quis dabit victoriam? Theodoritus dixit: Inimicus est diabolus qui per vos operatur: victoriæ verò palmam dat Dominus Jesus-Christus Salvator mundi. Julianus dixit: Miserrime hominum, quem omnes norunt, ante trecentos plus minus annos ex muliere natum, tu creatorem & remuneratorem dicis esse. Theodoritus respondit: Quamvis indignus sis ad audiendum verbum Dei, propter adstantes autem servos Dei ne me putes superatum, audi quod amisisti. Deus qui fecit omnia per Verbum suum, misertus est generi humano, quos transgressos à fide idolis videbat servire, mittens Verbum suum super Virginem carnem suscepit humanam, quia Divinitas videri non poterat. & sic sponte passus, salutem quam amisisti dare nobis dignatus est.

Julianus dixit: Perseverantem te video in argumentis verborum tuorum. audi me & sacrifica, ne gladio te percuti jubeam, quia tormenta contemnis. Theodoritus respondit: Ego renuntiavi diabolo patri tuo. Oro autem ut cursum consummem in conspectu Domini, nec inveniam gratiam ante tyrannum. Julianus dixit: Quanta vis dic, ego verò te non interficiam. Theodoritus respondit: Tu quidem Juliane malis cruciatibus in lecto tuo morieris: nam tyrannus tuus qui sperat in paganos victoriam facere, non poterit vincere; sed ita occidetur, ut ne quis cognoscat

à quo fuerit interfectus, & nec in terram Romanorum revertetur.

Timens verò Julianus ne alia graviora diceret, data sententia eum gladio percuti præcepit. Theodoritus dixit: Deo meo gratias ago, qui mihi tolerantiæ finem daredignatus est. Cum fuisset percussus, & se Julianus recepisset, inquietam habuit noctem. Alia verò die procedens ad palatium, & adorans secondo Imperatorem dixit: Quantus modus auri & argenti inventus in ecclesia, illatusque tuis thesauris fuerit, ostensis ratiocinus perviceat tua clemeotia. Nam & hoc cognosce quod impiissimum Theodoritum presbyterum, quem propter ministeria ecclesiæ inquirebas, comprehensum adhibitis tormentis gladio percuti jussi. Audiens verò hæc Julianus Imperator contra suum propositum esse factum, exclamavit dicens: Quod mihi erat contrarium, hoc egisti. Ego enim multis argumentis legem Galilæi conabar destruere, ut neque sui facta * aliquem eorum interficerem. To verò male fecisti, dedisti enim occasionem Galilæis, ut multa adversum me conscribant, sicut & præcessoribus meis fecerunt, qui interfectos maleficos Martyres vocant. Vide enim neminem eorum occidas, & aliis manda ne faciant.

Videns hæc Imperator, quia confusus & velut mortuus factus est Julianus, volens eum animare, dixit ei: Nunc euntes sacrificemus diis, ut adspersus sacrificiis sanus efficiaris. Euntibus verò eis, cor Juliani tristitia erat repletum. Offerentibus verò Sacerdotibus idolorum volatilia & alia multa, extrahentes se de igne obtulerunt Juliano Imperatori: & cùm manducasset, dedit avunculo suo Juliano. Ille autem verecundia faciente vel timore, parum gustavit, & recessit in prætorio suo, pæniteus in malis quæ gesserat, nec se gratiam apud Imperatorem invenisse cognovit, nihilque accipere voluit. Vespere ergo facto comprehendit eum dolor ventris, & acriter torquebatur. Nam sacrificium quod acceperat particnlatim disrumpebat ejus ficotum*, & ejiciebat per os foras: ille verò masticans parum projiciebat, parum verò deglutiebar. Et cùm jam sufferre non posset, intuens rogabat Imperatorem ut ecclesias aperire juberet. Mandans verò Imperator, ego nec claudi, nec aperire præcipio. Iterum mandavit ei. Propter te inquit Imperator ista patior, & male consumor. Iterum remandans ei Imperator dicit: Incredulus inquit fuisti diis: ob hoc ista pateris tormenta multis diebus. Infelix quidem Julianus multis diebus cruciatus, diversas accipiens escas, suo tantum pastus est ficoto; secundum prophetiam beatissimi Martyris totus à vermibus comestus mortuus est. Audiens verò Julianus Imperator dixit: Quia non fuit fidelis diis, ideo ista perpessus est.

* id est, jecur.

Nam post paucum tempus Julianus profectus ad bellum adversus Persas, non valuit superare eos. Et cùm omnia se obtinuisse putasset, subito ei irruit multitudo exercitus Angelorum. Et timore perterritus, suum exercitum armari præcepit, nesciens infelix, quod cælestis militia apparuerat ei. Et subito veniens sagitta de aëre percussit eum mamilla. Cumque sanguis influeret, aspiciens putavit se Dominum Jelum videre, implens manum suam de sanguine, jactavit in aëra dicens: Usque in agonem Galilæe persequeris? etiam hic denegabo. Satia te de cetero Christe, quia superasti me. Et sic veniens in quamdam civitatem, crudeliter mortuus est. Et tota prophetia beati martyris Theodoriti impleta est. Nos qui Antiochiæ in palatio eramus, & cum ipso in Persida fuimus, licet peccatores servi Dei, hæc quæ gesta sunt circa famulum Dei Theodoritum decima Kalendas Aprilis vera conscripsimus: ut legentes nos memores esse dignentur, & ejus edocti exemplis, passionique participes inveniamini in laudem & gloriam Domini nostri Jesu-Christi, cui gloria & potestas in sæcula sæculorum, amen.

ADNOTATIONES.

APud Socios Bollandianos ad diem 23 Martii notatur inter prætermissos Theodoritus Antiochiæ Presbyter, cujus acta mox retulimus ex membraneo codice Einsidlensi, ex quo ea rogatu nostro descripsit religiosus & eruditus vir Placidus Redingus. Hæc auctoritatem habent ex Johannis Chrysostomi oratione contra gentes, in qua Juliani Orientis Præfecti infestatio in Dominicum aureum (sic Antiochena ecclesia vocabatur) & in Theodoritum Presbyterum ejus custodem describitur; simulque cælestis de Juliano vindicta, qualis à Theodorito prædicta fuerat. Quod verò de Juliani Imperatoris interitu hîc legitur, narrat Theodoritus in historiæ ecclesiasticæ lib. 3. cap. 20. tametsi Ammianus aliique auctores, etiam Christiani, rem aliter commemorant.



INCIPIT PASSIO
SANCTI PHILIPPI EPISCOPI,
in Andrianopoli Thraciæ, quod est XI. *Kal. Novembris.*

BEatus itaque PHILIPPUS diaconus primùm, mox presbyter, aliquot laboribus probatus ecclesiæ, & stipendiorum suorum devotione laudabilis, conscientiæ bonis lætus, & vitæ honestate securus, consensu omnium tandem decus episcopale suscepit, nullo mirante, quòd dignus: aliquantis stupentibus fortè, quod seriùs. Statim Apostolum Paulum prædicationis ornavit eloquium in epistulata * est, in qua inter cetera illud adjectum est: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Tunc discipulos suos SEVERUM Presbyterum, & HERMEN Diaconum frequenti ad doctrinam disputatione confirmans, similes non solùm animo, sed etiam passione sibi fecit: ut quos habuerat in gloriosi illius mysterii traditione consortes, haberet etiam in confessione collegas.

* f. in epistola ad Timotheum.

Diligens itaque divina præcepta talem gloriosissimos senex agebat ætatem, victimam se offerens Deo in Adrianopolitana civitate passurus: qui ut peritus & optimus gubernator, fluctibus navem frequenter opponens, resistendo aliquotiens, aliquotiens & cedendo, omnem procellam moderaturus magister excindit: aut quasi peritus auriga, nunc relaxando habenas, nunc retinacula stricta cohibendo, nec plus

justo vagari equos patitur, nec segnes nimio tempore retineri.

Ad hujus similitudinis modum beatus PHILIPPUS populum cælesti gubernavit imperio, & episcopali amore servabat. Sed cùm duræ persecutionis immineret excidium, non est mente turbatus, ac suadentibus multis, ut à civitate proficiscens pœnam tantæ crudelitatis effugeret, exire detrectans, docuit hæc expetenda esse potiùs quàm cavenda, dicentes: Compleatur cæleste mandatum. Itaque de ecclesia non recedens, & ad tolerandi patientiam singulos fratres docta oratione confirmans, hujusmodi verba profudit. Prædictum jam, si creditis, fratres tempus advenit. Nutantis sæculi extrema volvuntur: imminet pertinax diabolus, & potestate paullisper accepta servos Christi non venit perdere sed probare. Epiphaniæ dies sanctus incumbit: quæ res admonitionem nobis præstat ad gloriam. Nullæ ergo impiorum minæ, nulla tormenta vos terreant. nam & patientiam perferendi, & mercedem tolerandi doloris militibus suis Christus indulget. Credo enim quod incassum omnis illorum procedit intentio.

Hæc adhuc beato Philippo disserente ARISTAMACHUS Stationarius civitatis advenit, ut Præsidis jussu impressis cera signis ecclesiam clauderet Christianis. Homo stultæ persuasionis & frigidæ, qui habitare omnipotentem Deum in parietibus magis, quam in hominum corda credebat, Esaiæ sancti dicta non retinens qui dixit: *Cælum mihi sedes est, terra verò scabellum pedum meorum quam domum mihi ædificabitis?* Postero die Stationarius ministeriis * omnibus ecclesiæ inventis atque signatis, egrediebatur mærore. Tunc omnes fratres instantem luctum atque angustias civitatis agnovimus. Beatus Philippus cum Severo & Herme & ceteris cogitabat attentius, quid fieri necessitas ista mandaret, & Dominici * foribus innixus, à sede sibi credita non patiebatur abscedere: futura tractabat, ac meditabatur singulos in dolore, ut medici Doctores inutile in ægris quodcumque resecando auferunt putria, & quæ adhuc aliquid prosperitatis habent medicamine malunt curare quàm ferro: alia verò resecare solent, ne attactu inutilis carnis ac rancidæ, vicina etiam quæ sanitate non indigent, corporis membra solvantur. Itaque ne vitientur incolumia, inciduntur infirma. Sic eo tempore beatus Philippus secernens ab optimis malos, ut meliores fierent cogebat imperio; illos, ne mutarentur, dulci hortabatur eloquio, medicinam ægris, incolumibus præbendo consilium.

* id est sacra supellectile.

* id est ecclesiæ.

Postea cum in Heraclea ad Dominicum convenissent, Philippum cum ceteris ecclesiæ foribus adstantem Præses BASSUS invenit. qui cùm judicaturus solito more resedisset, inductis ad se omnibus, ait Philippo & ceteris: Quis ex vobis Christianorum magister aut est Doctor ecclesiæ? Respondit Philippus: Ego sum ille quem quæris. Ait Bassus: Legem Imperatoris audistis, jubentis nusquam colligere Christianos, prorsus ut in toto orbe terrarum hujus sectæ homines aut ad sacrificia convertantur, aut pereant. Vasa ergo quæcumque vobiscum sunt aurea, vel argentea, vel cujuscumque metalli aut artis insignis; scripturas etiam per quas vel legitis, vel docetis, obtutibus nostræ potestatis ingerite, ne hæc eadem, si dubitandum putaveritis, post tormenta faciatis. Ad hæc Philippus sanctus eloquitur: si te nostra, ut dicis, tormenta delectant, paratus est animus ad ferendum. Corpus ergo istud infirmum, cujus potestatem habebis, qua volueris crudelitate dilacera. tantùm ne quid tibi in animam potestatis adscribas. Vasa verò ea quæ postulas, quæcumque apud nos sunt, mox accipe. Facile enim quæ à vobis petimur, ista contemnimus. Non enim pretioso metallo Deum colimus, sed timore: nec ornatus ecclesiæ Christo plus potest placere, quàm cordis. Scripturas verò nec accipere tibi, nec dare mihi convenit.

Ad hæc sancti Martyris verba carnifices mox præses jussit adduci. Tunc ipsius naturæ expers, atque humanitatis ignarus Mucapor ingreditur. Mox SEVERUM Presbyterum intromitti Præses jussit. qui cùm investigari facile non posset, Philippum affligi præcepit injuriis. Sed cùm diutino pænæ adficeretur incommodo, propter assistens HERMES sanctus edixit: Etsi omnes scripturas nostras, dure inquisitor, acceperis, ut nulla prorsus in orbe terrarum vestigia veræ hujus traditionis appareant; posteri tamen nostri & paternæ memoriæ & suæ animæ consulentes, majora voluminum scripta conficient, & vehementius timorem qui impendendus Christo sit edocebunt. His dictis, diu ante verberatus, ingressus est ubi vasa omnia & scripturæ latebant. secutus est eum PUBLIUS Adsessor Præsidis, homo furandi avidus, & rapiendi ardore devinctus. Itaque cum vasa aliqua ab inventorum numero callidus occultator auferret, pænæ inscius imminentis, contradicentem sibi, ut id auderet, Hermen, fracta facie, effuso etiam aliquanto cruore fœdavit. Quibus cognitis Bassus, & vultu ejus aspecto, iratus est Publio, & curari præcepit Hermen. Inventa verò vasa & scripturas omnes tradi jussit Officio. Philippum & ceteros vallatos hinc inde custodibus ad forum præcepit adduci, ut & populum juvaret spectaculum, & videntes ceteros qui negassent terreret exemplo.

His itaque ad forum euntibus, Præses scripturas omnes militibus imposuit. Tunc ad palatium magna festinatione tendebat, cupiens nudare ecclesias omnibus qui essent ubique cultoribus; ipsud etiam Dominici tectum devoluto omni tegularum fraudabatur ornatu. Hi ipsi quoque qui hæc agebant, ne ad diruendum segniores essent, cogebantur verbere. Bellum itaque domesticum & seditio subita fuit ac privata confusio: igne subposito, adstantibus etiam peregrinis civibusque collectis, Scripturas omnes divinas in medium misit incendium. Tanta subito ad cælum flamma præcessit, ut stantes singulos formido ad spectaculo tanti ignis arceret.

Quidam verò circa beatum Philippum in foro sedebant, ubi venale quodcumque proponitur: ad quos cùm pervenisset hinc nuncius, præsentibus exponebant dicentes: Viri qui Heracleam incolitis, Judæi, pagani, vel cujusque religionis aut sectæ, jam nunc extremi temporis futura cognoscite, Paulo Apostolo commonente qui dixit: *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum*, & in Sodomis, & ideo venit ira justa propter injustitias eorum, ut excidio domorum timeant judicium, & injustitiam fugiant, & quærentes qui sit qui hoc facit judicium, ad eum convertantur ex vanis lapidibus & sint salvi. Quare his quibus per orientem in Sodomis ignis apparuit, signum judicii, & indicium fuit iræ cælestis. Ac ne in solo oriente prius se ignis ostenderet, in Sicilia quoque atque in Italia visa est res digna miraculo. Ex Sodomis enim per Angelos cum filiabus suis Lotb sanctus expulsus est, quia immunis videbatur à crimine, & longè à civitatis ejus vitiis abhorrebat. In Sicilia quoque aquarum copiis divini crateris alveo clausa dissiluit; & statim peccatorum ultrix è cælo flamma descendit: ubi crematis omnibus, duæ tantùm virgines pæne effugêre discrimen, habentes in ipsa etiam trepidatione consilium. Patrem namque senectute & debilitate confectum piis manibus abstulerunt: quem dum eripere conabantur incendio, dulci onere tardatæ, crepitantis flammæ coronâ cir-

cumdatæ, necessitatem sub ro desperatæ salutis haduerant. Sed omnipotens Christus affectum tantæ clementiæ perire non passus est, filiabus Patrem, Patri filias præsenti majestatis suæ favore concessit; ut possit intelligi, illis omnibus quas flamma consumit, non Deum defuisse, sed meritum. Statim itaque immunis à pœna via est facta virginibus; & quo ire cupiebant, fictus agger apparuit. Colludium quoddam ipsius videres incendii, sic se omnis ardoris anhelitus contrahebat, sic venientibus locum blandiens flamma faciebat, ut earum crederetur arbitrio cuncta vegetari. Tantum itaque sanctarum virginum meritum fuit, virtus tanta pietatis, ut ignem non sibi tantùm, sed ipsi etiam loco per quem evaserant mererentur innoxium. Qui locus nullo tunc vastatus ardore, vocabulum sumsit ex merito: PIORUM enim adhuc hodie nuncupatur, ut hæc posterius probet non solum lectione, sed nomine. Hic erit ignis ille divinus justus factorum omnium & optimus judex, qui ad terram defluens quodcumque inutile invenitur exurit. Hic Herculem, incensos fieri Deos putans, in amorem expetendæ mortis impegit, qui infelix in Ygiæ monte combustus est; & Scolapium medicum in monte Cynasuridos fulminatum consecrationem mereri à gentibus fecit, non aliqua potestate, sed pœna, proprio infelix commendatur exitio. Minus credo putaretur valere si viveret. Hic exussit eum quem Ephesini Deum habere se credunt. Hic Romanæ Urbis & capitolium incendit & templum. Hic Eliogabalum pari cremavit incendio: nec in Alexandria Serapis pepercit hospitio. Arsit namque cum templo. Quis rogo ab his speret auxilium, qui se nec possunt servare, nec facere. Fit ab illo quo colitur: & si incensus subito non fuerit, pervigili artificis cura nocte reparatur. Numquam his itaque numen deesse poterit, si hæc ligna facientibus suggerantur aut saxa. Arsit libenter in Athenis Liberi Patris habitaculum, sciens Deum suum fulmine consecratum. Arsit & armata Minerva. Nihil illam gorgoneum pectus, nec defendit ille picturatus splendor armorum, melius inscia si penia tractasset. Similiter Delphicum Apollinis templum primùm afficit turbo nescio quis, post ignis incendit. Nulli hæc ignis gratia intercedente colludit. Sic probatur justus, ut exponatur injustos. Itaque bonis non flamma, sed lux est.

Tum hæc longo sermone meditantur, viso CAZAPIRONTU Sacerdote, & ministris ceteris infelices epulas & profana sacra portantibus, sic ad circumstantes se Hermes edixit. Cœnam istam, quam cernitis, diabolica invocatione pollutam nobis constat allatam. Cui Philippus ait: Fiat illud quod Domino placet. His dictis forum Præses Bassus ingressus est cum multitudine diversi sexus & ætatis. Tunc ut se semper vulgus ostendit, alios tristes sanctorum pœna faciebat, alios major accendebat insania, ut dicerent servos Dei omnes ad sacrificium debere compelli: specialiter tamen Judæos, juxta scripturarum ordinem. Dicit enim Spiritus-sanctus per Prophetam: *Sacrificaverunt dæmoniis, & non Deo.* Tandem Philippum sic Præses interrogat dicens: Immola victimas numini. Respondit Philippus: Quomodo possum lapides colere Christianus? Ait Bassus: Dominis nostris sacrificia rite solvenda sunt. Respondit Philippus: Docti sumus parere majoribus, & obsequium Imperatoribus exhibere, non cultum. Ait Bassus: Civitatis saltim sacrifica fortunæ: aspice quàm pulcra, quàm læta est, quàm ad obsequium suum omnem plebem libenter admittit? Respondit Philippus: Vobis debet placere qui colitis; me verò non poterit ars hominis ad cælestem honorem subtrahere. Ait Bassus: Moveat te vel præsentis Herculis tam pulcrum ac tam immane simulacrum. Respondit Philippus: Heu miseros & deflendos, qui divinitatis sacrosanctum numen ignorant! heu infelices vos, qui ad cælestia terrena transfertis, & veritatis ignari invenitis & facitis quod colatis! Quid aurum, argentum, æs, ferrum, vel plumbum? nonne ex terra & nutriuntur & constant? Ignoratis Christi numen, quod nec comprehendere æstimatio, nec quantum sit potest humana mens capere; & habere aliquid illa asseritis potestatis, quos faber oscitans aut vinolentus effecerit? si diligentius subito expressit effigiem, continuo simulacro illi & potestas adscribitur & numen aptatur. Domuum vestrarum sive villarum ædificia tot sunt numina. Cotidiana ergo vobis sunt blasphemia, cotidiana peccata. Nam cum ad usus domesticos lignum aliquod incenditur, Dei vestri corpus exuritur. Qua te enim in hoc crimine excusatione defendis? Dicis enim lignum illud non erat Deus. Respondebo tibi: sed esse poterat, cùm placuisset artifici. Necdum quidem in quibus sitis tenebris perviditis. Bonus lapis parius, numquid si sculptus est, bonus poterit esse Neptunus? Bonum ebur, numquid pulcrius illud expressus in eo Jupiter fecit? Hæc bene cupidi artifices invenerunt, ut cuicumque metallo vultus aptatus pretium majus efficeret, non potestatis gratia, sed æstimatione mercedis. Ex terra ergo sunt omnia, quæ calcare, non adorare debemus. Nobis enim illa ad possidendum Deus fecit: vobis, ut video, deos illa generavit.

His cognitis Bassus Philippi constantiam vehementer admirans, victus à primo, ad Hermem se convertit iratus dicens: Vel tu sacrificium solve numinibus. Respondit Hermes, non sacrifico, Christianus sum. Ait Bassus: Cujus sis conditionis expone. Respondit Hermes: Decurio sum, & Doctori meo in omnibus obsecundo. Ait Bassus: Si Philippus ad sacrificium fuerit adductus, sequeris auctorem? Respondit Hermes: Nec ego sequar, nec ille vincetur. Par enim nobis & virtus & animus est. Ait Bassus: Traderis incendio, si in hoc furore permanseris. Respondit Hermes: Flammam mihi levis illius minaris ardoris, quæ deficit pæne antequam surgat, ignorans violentiam illius perennis incendii, quod sine remissione semper exæstuat & discipulos diaboli longa tabe consumat. Ait Bassus: Sacrifica vel dominis & Imperatoribus nostris, & dic, Valete Principes magni. Respondit Hermes: Festinamus ad vitam. Ait Bassus: Sacrificate ergo si quæritis vitam, & horridas catenas ac sæva vitate tormenta. Respondit Hermes: Numquam nos, judex impie, ad ista perduces. Istæ enim minæ aliquid nobis ad fidem virtutis, non ad perfidiam timoris merentient.

Tunc Bassus truci vultu & oratione terribili recipi eos jussit in carcerem. Quibus pergentibus, protervi quidam ex assistentibus viris impulsu crudelis dexteræ Philippum solo sæpe fundebant, ut ne illo quidem tempore quo ibat ad carcerem, vacuus esset à pœna: sed quasi nihil passus sanctissimus senex erigebatur à terra, læto vultu, ut nec indignationem ostenderet nec dolorem. Stupor omnium corda pervaserat. mirabantur singuli tot acerba à sene contenta mente tolerari. Tunc psalmum dicentes Domino, qui eos fecerat fortiores, lætos se dedere custodiis. Paucis in carcere diebus effectis, divinæ majestatis auxilio Pancratii cujusdam vicina domus complacuit, in qua sub custodia reciperentur hospitio. In ea ut diximus, commanentes, multos ad se fratres certatim hinc inde venientes libenter exceptos divinæ legis docebant sacra mysteria. Quæ cum diabolus pervideret, dolens auferri à se omnes illorum

vel traditione vel fabulis. denuo eos remitti fecit in carcerem. Erat vicinus theatro carcer circulo cameræ cohærens, & ad clausum undique theatrum ex carcere secretus ingressus. In ea spectaculi ordine sedentes suscipiebant convenientem ad se turbam. Tanta autem cupiditate currebatur à singulis, ut nec nox à salutatione cessaret: prostrati quotidie solo, Philippi vestigia sancta lambebant, scientes quantum in eo divini esset auxilii.

Dum hæc aguntur, Basso præsidi annuus successor advenit JUSTINUS quidam nomine, sed mente perversus, qui nesciret Deum vel intelligere vel timere. Hæc res fratres vehementer adfecit. Mitior enim fuerat Bassus, & ratione sibi reddita vincebatur, eo quod uxor ejus Deo aliquanto jam tempore serviebat. Tunc ZOILUS magistratus illius civitatis populo militibusque circumdatus ad tribunal eum Præsidis jussit adduci quo introducto, Justinus ait: Tu es Episcopus Christianus? Respondit Philippus: Ego sum, negare non possum. Justinus dixit: Domini nostri jubere dignati sunt Christianos omnes ad sacrificium, si noluerint sponte, necessitate compelli; negantes pœna affici. Parce ergo ætati tuæ, ne necesse habeas juvenibus etiam non ferenda sufferre. Respondit Philippus: Vos accepta à similibus vobis hominibus præcepta servatis pœnæ brevis timore: quantu magis nos Dei jussis obtemperare debemus, qui merentibus tribuit sine remissione supplicium? Justinus dixit: Imperatoribus parere nos convenit. Respondit Philippus: Christianus sum; ideo hoc quod dicis facere non possum. jussus es punire, non cogere. Justinus ait: Nescis quæ te tormenta circumstent. Respondit Philippus: Potestis torquere, non vincere. nam ad sacrificium nemo me perducet. Justinus ait: Per mediam urbem trahere pedibus; & si vixeris, ad renovanda supplicia recipieris in carcerem. Respondit Philippus: Utinam velles confirmare quæ dicis, & satisfacere impiæ voluntati.

Tunc Justinus trahi eum vinctum pedibus jussit. qui acceptis tot silicum offensione vulneribus, & per singula corporis membra laceratus, rursus ad carcerem fratrum manibus reportatur. Sed paullo post admodum seragarentium * contulerunt. Grandi præterea inquisitione & magnis agebatur excubiis, ut SEVERUS Presbyter inveniretur, qui se occultioribus latebris ab hac inquisitione subtraxerat. quem cum investigare non possent, impulsu sancti Spiritus in medium ipse prorupit. Nec enim diu latere poterat quem passio ipsa poscebat. Cùm ergo ad judicium fuisset adductus, Justinus ait: Jam nunc moneo te, ne seducaris insania, quâ Doctor vester Philippus irritatus, pœnam proprio furore sibi peperit: sed magis jussis Imperatoris obtempera, parce corpori, vitam dilige, & bona sæculi hujus lætus amplectere. Respondit Severus: Me necesse est tenere quod didici, & in perpetuum servare quod colui. Justinus dixit: Omnem & pœnæ & salutis rationem animo concipe, & intelliges sacrificium tibi illud optandum. Cumque ille nomen ipsud sacrificii iratus horreret, jussu Præsidis etiam ipse receptus in carcerem est. Tunc Hermes exhibito Justinus ait: Hos quos Imperatoria constat neglexisse mandata, videbis cito quæ pœna contineat. Ne ergo cruciatibus eorum etiam ipse jungaris, memor salutis propriæ, memorque filiorum, effuge mala omnia sacrificando numinibus. Respondit Hermes: Numquam hoc poteris impetrare quod postulas. In hac fide crevi, hanc mihi ab ipsis cunabulis veritatem sanctus magister impressit: ab hac claudicare non possum, nec aliqua ratione discedere. Tu ergo, Præses, quemadmodum vis lacera confitentem. Justinus ait: Securum te facit ignorantia futuri mali. nam cùm subjacueris pœnæ, pœnitentia sera torqueberis. Respondit Hermes: Quamvis graves dolores à te impositos per Angelos suos nobis pro quo patimur Christus imminuet.

Itaque cum Justinus fidem ejus firmissimam cognovisset, etiam ipsum recipit in carcerem. Duobus sanè diebus jussit eos in hospitio custodiri, paullulum à sua severitate discedens. quem statim diabolus inflammat. Jubet enim ut iterum mittantur in carcerem, & septem continuos menses in illo custodiarum pedore conficiant. Tunc Adrianopolim eos præcipit adduci. quibus egredientibus fratres mæror subito invasit, quippe qui tanti magistri doctrina fraudarentur & visu. Ut infantes vixdum adhuc cunabulis violenter abstracti, dulcibus nutricum uberibus inhærentes, auferri sine lacrymis à grato sibi lacte non possunt: sic discipuli salubrem pastum perdere se credentes, solatia capiebant fletibus, quia remedia impetrare non poterant. Sed cùm Adrianopolim pervenissent, in Sempori cujusdam suburbano usque ad præsentiam Præsidis servabantur. Tandem Præses advenit, statimque alio die publicè in thermis sedens Philippum præcepit induci, & ait illi: Quid huc usque tractasti? nam dilatio ista ad mutandum tibi fuerat permissa consilium. Sacrifica ergo si vis liber effugere. Respondit Philippus: Si in illo carcere in quo huc usque permansimus, voluntate non necessitate perreximus, concessum nobis breve hoc tempus adsignas. Sin verò pœna fuit potiùs quàm voluntas, cur ad veniam tempus imputas quod posuisti? Ego verò & ante jam dixi: Christianus sum, & hoc quotiescumque interrogaveris respondere curabo; nec simulacris umquam satisfaciam, sed æterno Deo quem cœpi exhibeo famulatum. Tunc Præses spoliari eum jussit iratus. Cumque ei etiam ipsa linea corporis fuisset ablata, ait Præses: Facis quæ jussimus, an recusas? Respondit Philippus: Numquam me sacrificaturum jam ante testatus sum. His Justinus auditis, virgis præcepit eum verberari. Qui cum omnia contente mente toleraret, stans super Petram Christi robusta mole solidatam, ipsos quoque per quos pœna mandabatur exterruit. Erat incredibile portentum. Nam pars lineæ, quæ honestum pectus velabat, inlæsa permansit: illa verò quæ dorsum tegebat, per partes rapta discesserat. Omnes artus virgarum ictibus vehementer incisi penetralia ipsa corporis atque intestina patefecerant. Securus tamen Christi perdurabat athleta: cujus animum Justinus expavit, & recipi eum jussit in carcerem.

Tunc vocavit Hermes. cui cùm minas judex; consilium verò Officium ejus ostenderet: nec terreri metu potuit, nec persuasione perduci. Diligebatur enim tam ab apparitoribus judicis, quàm ab omnibus viris. Nam magistratus ante jam fuerat; & obsequiis suis Officium sibi Præsidis obligarat, qui occasione redhibendæ gratiæ pro ejus salute trepidabant. Sed his omnibus victis atque prostratis, quasi ad quemdam portum quietis refugit ad carcerem: ubi gaudium immane celebratum est. Agebant autem gratias Christo, & tropæa gloriosa ex diaboli eversione referentes, principio ipso passionis elatis, majus robur ad futura tormenta capiebant. Beatus itaque Philippus, qui tactu ipso antea corporis habebatur semper delicatus ac mollis, nulla nunc sentiebat incommoda ope tectus Angelica. Ecce post triduum Justinus solitum judicantibus tribunal ascendit, & eos jussit adduci: quibus exhibitis, ait Justinus ad Philippum: Cur tanta temeritate aptatis, ut salute contempta, Imperatoris detrectes obedire mandatis? Respondit Philippus: Ego non vitio

temeritatis

temeritatis inflammor, sed Dei qui fecit omnia, qui judicaturus est vivos & mortuos, amore & timore compellor. Hujus mandata prȩterire non audeo: Imperatoribus verò per singulos annos parui, & cum justa imperant parere festino. Præcepit enim Scriptura divina: *Reddite quæ sunt Dei Deo & quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Inculpabiliter itaque huc usque servivi. Jam superest ut relictis sæcularibus blandimentis cælestia festinem præferre terrenis. Repetita itaque sæpius verba cognosce, quibus me Christianum assero, & diis vestris sacrificare detrecto.

Tunc relicto eo Hermen Justinus adloquitur: Si hunc senectus victoa jam morti cogit bona hujus lucis horrere; tu sacrificando securiora non neglege. Respondit Hermes: Breviter tibi, & his qui adsistunt, ô Præses, dilucideque monstrabo quod ex vanitate miserabili facta est odiosa tibi pietas. Nam inde est ut veritatem falsitas, innocentium malivolentia, postremo humo hominem festinet appetere? Quid enim simile homini Deus aliquando formavit? sed conatus est diabolus opus cæleste violare. Invenit illa quæ colitis, & servos juris sui sacrificando vos fecit. Nam ut subito equi ferventes insaniâ, non obtemperantes lupatis, auriga contemto, relicto salubri camo, mortis ignari ad præcipitia festinant: ita vos ipsos præcipitastis insania, & prætermisso Dei verbo, consilia diaboli scelesta tenuistis. Hæc est itaque cælestis vera sententia, ut bonos ac pios gloria, malos persequatur infamia; atque ut illis merces, ita istis pœna succedat. Sic Propheta Zacharias eloquitur dicens: *Increpet in te Dominus Satanam, increpet in te qui elegit Jerusalem.* nonne hic torris ambustus abstractus de flamma est? Quæ ergo adhuc hominibus est cupido, qui ad lignum obtusum ac letiferum confugistis? Cumque pariter ardeatis, licet brevissimum infirmæ lucis circulum sic transigere, ut ad bona lucis æterna veniamus. Vos autem qui cum ingenti inluvie vestis & corporis, capillis sordidis ac dimissis, quibus tumulos & templa observatis & carceres, videmini mihi Deos vestros non colere, sed lugere, & ante judicium, pœnam jam sustinere peccati. Quid hæc videntes in cæcitate consistitis, nec ad Liberatoris vestri auxilium convolatis? Canes dominum odore vestigant; & audito rectoris sibilo equus quem ignarus paullo ante projecit, inquirit; prælepe agnito bos currit ad Dominum, & asinus stabulum postessorem invenit: Israël Dominum ignorat, juxta quod lectum est: *Israel non me cognovit omnium Dominum, nec timuerunt judicium justi.* Per undam pereant sicut sub Noe; aliorum verò in solitudine genua sunt soluta, alios ignis exussit, ideo quod præcepta nemo servabat.

Hæc audiens Justinus à beato Herme, ictus exclamat: Tu sic loqueris, quasi me possis facere Christianum? Respondit Hermes: Non te solum, sed circumstantes singulos opto fieri Christianos. Ceterum me sacrificaturum esse ne credas. Tunc Præses à fortissimis Dei victus athletis, communicato cum participibus & adsessore consilio, talem edidit sævo ore sententiam, & ait: Philippus & Hermes, qui præceptum Rumani Imperatoris negligentes, alienos se ab ipsa etiam Rumani nominis compellatione fecerunt, vivos jubemus incendi: ut ceteri facilius agnoscant quanto constet exitio Imperialia contemsisse mandata. Tunc egressi ibant gaudentes ad flammam, quasi gregum principes gemini arietes, omnipotenti Deo quasi sanctum quoddam munus oblati. Beatus autem Severus solus in carcere, quasi navis in pelago fluctuabat gubernatore deserta, aut quasi ovis relicta in solitudine, perdito pastore trepidabat. Gaudio tamen attollebatur immani, quod eos dixei ad dulce & expetendum sibi passionis munus audierat. Tunc inflexis genibus orabat cum gemitu magno dicens ad Dominum: Omnium fluctuantium quies, portus placidus, spem sperantibus tribuens, salvator ægrorum, auxiliator egentium, dux cæcorum, misericors in eos quos pœna circumstat, fatigatorum torus, tenebrarum lumen, fundator terræ, ordinator pelagi, & totius distributor elementi, cujus verbo cælum, astra & cuncta perfecta sunt, qui servasti Noë, & Abrahæ divitias obtulisti; qui liberasti Isaac, & parasti pro eo victimam, qui cum Jacob exercititus es palæstra dulcedinis, & eduxisti Loth ex Sodomis de terra maledicta, qui visus es Moysi, & Jesu Nave prudentem fecisti, qui cum Joseph iter habere dignatus es, & eduxisti populum ejus de terra Ægypti ad terram repromissionis adducens, qui auxilio fuisti tribus pueris in camino, quos sancto majestatis tuæ rore perfusos flamma non attigit, qui leonum ora clausisti, vitam Danihêli & cibum tribuens, qui Jonam nec maris profundo, nec morsu ceti crudelis exceptum lædi passus es aut perire; qui Judith armasti, qui liberasti Susannam à judicibus injustis; qui Hester gloriam dedisti, qui Aman perire jussisti, qui eduxisti nos de tenebris ad lumen æternum, Pater Domini nostri Salvatoris Jesu-Christi, qui es lumen invictum, qui donasti mihi signum crucis & Christi, ne indignum me censeas Domine ab hac passione quam mei obtinuere collegæ; sed da mihi partem coronæ, ut sim cum illis junctus in gloria, quibus eram junctus in carcere; habeam cum illis requiem, cum quibus nomen tuum venerabile confessus tormenta judicis sæva non timui.

Hac itaque oratione completa, tantum fidelia verba potuerunt, ut postero die id quod postulabat acciperet. Itaque & ipse ut fortis Athleta cum illis cum quibus viserat confessurus ingreditur, & voti compos, non solum quod poscebat obtinuit, sed etiam cito quod quærebat invenit. Beatus verò Philippus manibus portabatur ad flammam. Dolor enim pedum aliter eum ire non passus est. quem tardo passu beatus sequebatur Hermes simili pedum dolore constrictus. Sed Hermes iter suum hoc sermone mulcebat dicens Philippo: Doctor optime, festinanter pergamus ad Dominum. Nulla nos cura pedum sollicitet, quibus jam nullus eorum futurus est usus. Saturata sunt enim ministeria terrena, cùm ad cælestia fuerit regna perventum. Tunc ad multitudinem quæ sequebatur adjicit. Hoc me passurum Deo ac Domino jam ante annuntiante cognoveram revelatione certissima. Nam cum dulci sopore devinctus jacerem, columba mihi visa est niveo candore perlucida cubiculum illum ingressa, subito in medio capite consedisse: quæ & inde descendens in pectus, escas mihi gratissimi cibi offerens, statim cognovi quod me Dominus vocare dignatus est, & dignum habuit passione.

Dum hæc loqueretur, ad locum illum in quo pœnæ parabantur adveniunt. Tunc ex more carnifices beati Philippi pedes homo usque ad genua texerunt, religatas post tergum manus clavis in fuste configunt. Similiter & Hermes descendere jubetur in fossam. qui fuste sustinens trepida hinc inde vestigia, risu nimio sic locutus est dicens,: Neque hîc me, diabole, potes sustinere. Et statim super pedes ejus ministri congerunt terram. Ante tamen quàm supponeretur incendium, Hermes sanctus quemdam ex fratribus Christianis ibi adstantem vocavit VELOGIUM, quem magna per Dominum Jesum-Christum adjuratione constrinxit, ut ad filium meum * PHILIPPUM patris mandata perferret, diceretque ei, ut redderet omnibus quod debere. Nam & mundi

bujus Imperatoris similia sunt præcepta. Præcepit enim singulos ut si quid ab aliis susceperint sine contradictione redhiberi. Reddat itaque singulis quæ debentur, ne mihi aliquem scrupulum doloris incutiat. Hæc autem dicebat de illis quæ à multis tutè sibi credita redditurus acceperat. Addidit etiam hoc amore pietatis & ait: Juvenis es, debes victum laborè tibi quærere, ita ut patrem fecisse meministi, quem scis cum omnibus bene esse versatum. Hac voce completa, ligatur & ipse post tergum. Tunc à ministris flamma subponitur: quibus ardentibus quamdiu sermo duravit, gratiæ reddebantur, & in ultima gratiarum, *amen* dulce resonavit.

Sic beati Martyres testimonium vitæ impleverę, felices Christi discipuli, ejus secuti vestigia, per quem illis fuit concessa victoria, comitati etiam doctrinam Apostolorum, & eorum Martyrum qui Apostolos sunt secuti, quorum jam exutæ à labe terrena animæ ad cælestia regna properarunt. Extensæ beati Philippi manus, ut in oratione fuerant, inveniuntur: in corpore & ipse ex sene juvenis reparatus, in pœna & in agone coronandus, quasi adversarium provocans repente conspicitur. Similiter & beatus Hermes facie florens, & colore pretiosus, lividis paullisper auriculis, quasi ex certamine quodam post illud omnibus monstratur incendium. Tunc omnipotenti Deo gratiæ omnium ore funduntur, qui dat gloriam in se sperantibus & coronam.

His tamen diabolus contentus esse non potuit: mox Justino Præsidi audaciam furoris menti injecit, ut forti sanctorum corpora Hebro juberet immergi: ut quibus abstulerat injusta persecutione vitam, ipsam etiam invideat sepulturam. Quòd cùm fuisset effectum, Adrianopolitanæ civitatis veridicos Dei cultores urgebat tanta crudelitas, perafpecta apparant retia, navigia conscendunt; si cui piscanti eveniat sanctorum corporum grata captura. quibus orantibus non negatur. nam mox inlæsæ reti reliquiæ involutæ retibus extrahuntur. Tunc grata ornatio & auro pretiosior & omni decore gemmarum duodecimo ab ea urbe lapide per tres dies celabatur in villa, quæ sermone patrio *Ogetistyrea*, interpretatione verò latinæ linguæ *locus possessorum* vocatur. Ea possessio & fontibus abundabat, & nemore ornata, messibus, & vineis. Tunc omnibus Dei est probata majestas, famulos ejus latere non posse quos etiam fluminum profunda restituunt; nec in trepidatione sentire pœnam, sed festinare potiùs ad coronam, amen.

ADNOTATIONES.

ET hujus Philippi passionem ad principatum Juliani referunt. Id non satis exprimunt acta, quæ exstant in veteri codice, qui olim fuit ecclesiæ Laudunensis. Martyrium pertulit Philippus eo tempore, quo Bassus Præsidis officio in Thracia fungebatur: cùm Christianorum ecclesias claudi, sacramque supellectilem expilari ab Imperatore mandatum est. quod Juliani temporibus rectè quadrat tum ex superioribus actis, cum ex aliis historicis etiam profanis.

INCIPIT VITA
SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI
Auctore (ut videtur) GENNADIO.

HIeronymus noster in opido Stridonis, quod à Gothis eversum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, Patre EUSEBIO natus est. Vestem Christi puer Romæ suscepit, ibique litteris græcis ac latinis à primævo eruditus est. In arte quidem Grammatica DONATUM habuit præceptorem, in Rhetorica autem VICTORINUM oratorem. Postquàm verò omne studium mundanarum litterarum adeptus est; probatissimorum quoque monachorum habitum factumque imitatus est. Cupiditatem siquidem animæ jugi sinceritate calcans, voluptatemque corporis perenni frangens jejunio, plerosque bonorum religiosorum meliores fore suo docuit instituto.

Quodam igitur tempore, dum ex more idem Hieronymus, divina ad legendum pandit volumina, & mortalem bibliothecæ suæ auctorem Tullium recordatur. Mox cælitus ne tales quandoque revolveret libros, salutifero castigatus est verbere. Ita enim ipse de se ad Eustochium virginem scribens adserit. « Cùm « ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, & (quod his difficilius est) consuetudine lautioris cibi propter cælorum me regna castrassem, & « Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, « quam Romæ cum summo studio & labore confeceram, carere non poteram, Itaque miser ego lecturus « Tullium jejunabam, post noctium crebras vigilias, « post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio « peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plato sumebatur in manibus. Si quando in memetipsum reversus prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus, &.quia lumen cæcis oculis non videbam, « non oculorum culpam esse putabam, sed solis. Dum « me ita antiquus serpens inluderet, in media ferme « Quadragesima medullis infusa febris corpus meum « invasit exhaustum, & sine ulla requie (quod dictu « quoque incredibile sit) sic infelicia membra depasta « sunt, ut ossibus vix hærerent. Interim parabantur « exsequiæ, & vitalis animi calor toto frigescente jam « corpore in solo tantùm tepente pectusculo palpitabat: cùm subito raptus in spiritu ad tribunal Judicis pertrahor, ubi tantum luminis, & tantum erat « ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in « terram sursum adspicere non auderem. Interrogatus « conditionem, Christianum me esse respondi. Et ille « qui præsidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non « Christianus. ubi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. « Ilico obmutui, & inter verbera, (nam cædi me jusserat) conscientiæ igne magis torquebar, illum mecum versiculum reputans; *In inferno autem quis « confitebitur tibi?* Clamare tamen cœpi & ejulans « dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. hæc « vox inter flagella resonabat. Tandem ad Præsidentis genua provoluti qui adstiterant precabantur, « ut veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum « pænitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego qui tanto constrictus articulo vellem «

» etiam majora promittere, dejerare cœpi & nomen ejus obtestans dicere: Domine si umquam habuero codices sæculares, si legero; te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus revertor ad superos, mirantibus cunctis, oculos aperio tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerent ex dolore. Nec verò sopor ille inanis fuit, ut vana somnia quibus sæpe deludimur. Teste est tribunal ante quod jacui; judicium teste quod timui, ita mihi numquam contingat talem incidere quæstionem. Livientes me habuisse scapulas, plagas sensisse per somnium, & tanto dehinc studio divina legisse, quanto mortalia antea non legeram. «

Interea Hieronymus Romanæ ecclesiæ presbyter, os Damasi Sacerdotis, sacræ bibliothecæ scrutator*, divinorum dissertor voluminum, dum per triennium continuum carus acceptusque popularibus veneratur, omniumque judicio dignus esse summo sacerdotio decernitur, quidam ex clericorum monachorumque ordinibus pro petulantia proque ingluvie discursantes ad effugandum Urbe Hieronymum, qui utrorumque eorum vitia scribens deprehenderat, insidias paraverunt. Verùm enimvero, hunc ego felicem dixerim, hujus fugæ eventum coreigentis, Christi judicio dispensatum, quia pravorum hominum persecutionibus pacatum fore existimo: scilicet ut Romana ecclesia Petri instituta regimine, omniumque veteris Testamenti librorum edocta veritate, Christo Deo volente, & Hieronymi speciali studio desudante, Hæbraicam quoque habeat veritatem; & Græcorum quorumdam levitas, quæ sibi Romanos à se omnes scripturas divinitus inspiratas accepisse plaudebat, eos habere quod non habet recognoscat.

* al. servator

Igitur Hieronymus Roma egressus, ad Orientem tendens, profectus est ad Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanæ urbis Episcopum: ubi ita proficere studuit, ut sanctarum scripturarum studiis erudiretur. Supplex docibilisque discipulus adiit præceptorem, eumque Constantinopolitana urbe observabat. Hoc discipulatu Hieronymus peracto, in Syriam perrexit: & dum in possessione Evagrii Presbyteri moraretur, Malcum monachum & aliquando captivum repperit: percunctatusque eum, omnem ejus captivitatis accepit historiam, quam postea edidit, scriptam & Romanis fidelibus misit, hæc in hujus historiæ prologo interserens. » Scribere, inquit, disposui, si tamen Deus vitam dederit, & si vituperatores mei saltem fugientem me & clausum persequi desierint. « Ad deserta deinde loca, ad quæ olim ad agendam inibi pænitentiam properare cupierat, ita lætus accinctusque accessit, ut volasse eum magis quàm isse* crederes. Quomodo verò per quadriennium continuum Christi potitus auxilio pænituerit, idem Hieronymus quæ sponte pertulerit, ipsius Dei adfuisse gratiam verbis hujusmodi indicavit. Quotiens in » heremo constitutus, & illa vasta solitudine quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum, putavi me, inquit, Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, squalida cutis situm æthiopicæ carnis* adduxerat. Cotidie lacrymæ, cotidie gemitus: & si aliquando repugnantem somnus imminens oppressisset; nuda humo vix ossa hærentia collidebam. de cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes ibi aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuriæ sit. Ille igitur ego qui ob metum gehennæ tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejunio, & mens desideriis æstuabat: in frigido corpore, & ante hominem suum jam carne præmortua sola libidinum incendia pullulabant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ subigebam.* Non erubesco infelicitatis meæ, quin potius plango non esse quod fuerim. Memini me clamantem diem crebro junxisse cum nocte. nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm à Domino rediret imperante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam quasi cogitationum consciam pertimescebam: & mihi iratus & rigidus solus deserta penetrabam, sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi me in oratione miserrimæ carnis ergastulo locabam; & (ut mihi testis est Dominus) post multas lacrimas, post cælos oculos inhærentes, nonnumquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum & lætus gaudensque cantabam: *Post te in odore unguentorum tuorum curremus.* «

* al. measse.

* al. cutis.

* al. subjiciebam.

Quadriennio itaque dedicatæ pænitentiæ exacto, ad Bethleem opidum Hieronymus remeavit, ubi prudens animal ad præsepe Domini sese obtulit permansurum. Bibliothecam suam, quam sibi summo studio ipse condiderat, clausam, omniumque librorum orationes quas pene memoriter retinebat, iterum relegens, diem jejunans ducebat ad vesperam. Plures ad eum religiosorum, quibus vitæ ejus fama comperta erat protinus confluxerunt: bonumque Doctorem parvo adhuc sub tugurio boni observavère discipuli: nec multum post cellulam sibi ob discipulorum copiam & propter frequentiam adventantium ad Bethleemiticam portam, quæ ad Occidentem conspicit, & egredientibus ad Septemtrionem videatur, parvulum habitationis locellum construxit.

Interim Hieronymus dum eximiorum eremitarum, monachorumque humilia subterraneaque peragrans habitacula contemplatur, vitasque eorum supplici voce sciscitans, scribensque veritatem exponit, multaque alia libellis suis, epistolisque suo in monasterio conficiens edisserit; beatus Damasus, Romanæ urbis ecclesiæ eloquentissimus pontifex, ut ad suam idem Romanæ urbis ecclesiam, ad scribenda mittendaque volumina assiduo opere non desisteret, hujusmodi verbis exhortatus est. » Dilectissimo filio Hieronymo Damasus. Dormitantem te, & longo jam tempore legentem* potius quàm scribentem, quæstiunculis ad te missis excitare* disposui, non quo legere non debeas, hoc enim velutt cotidiano cibo alitur & pinguescit oratio, sed quod lectionis fructus* ut iste, ut scribas. Itaque quoniam & tabellario ad me remisso, nullas te jam habere epistolas dixisti, exceptis quas in eremo aliquando dictaveras, quasque tota aviditate legi atque scripsi; & ultro pollicitus es, furtivis noctium operibus, aliquas si velim posse dictare: libenter accipio ad offerente, quod rogare volueram etiam si negasses. Neque enim* ullam puto digniorem disputationis nostræ consabulationem fore, quàm ut de scripturis inter nos sermocinemur, idest, ut ego interrogem tu respondeas, qua vita nihil in hac luce puto jocundius, quo animæ pabulo* omnia mella superantur. *Quam dulcia*, inquit Propheta, *gutturi meo eloquia tua! super mel ori meo.* Nam cum idcirco, ut ait præcipuus Orator, homines à bestiis differamus quod loqui possumus: qua laude dignus est, qui in ea re ceteros superat, in qua homines bestias antecellunt? Accingere igitur, & mihi quæ subjecta sunt edissere, servans utrobique moderamen, ut nec proposita solutionem desiderent, nec epistulæ brevitatem. Fateor quippe tibi, «

* al negligentem.

* al. sciscitar.

* al. finis.

* al. verò.

* al. epulo.

» quia libros quos mihi de fide Lactantii dederas, » ideo non libenter lego, quia plurimæ epistolæ ejus » usque ad mille versuum sapientia tenduntur, & raro » de nostro dogmate disputat: quo fit ut & legenti » fastidium generet longitudo; & si qua brevia sunt, » scholasticis magis sunt apta quàm nobis. De metris » & regionum situ & disputando Philosophis dispu- » tans, quid sibi vult, quod in Genesi scriptum est. *Omnis qui occiderit Cain, septem vindictas solvet.* Sed etsi Deus omnia fecit bona valde, quare ad Noë de mundis & immundis animalibus mandat, cùm immundum nihil bonum esse possit: & in novo Testamento post visionem quæ Petro fuerat ostensa dicenti: *Absit Domine quia commune & immundum numquam introivit in os meum*, vox de cælo respondit: *Quod Dominus Deus mundavit, tu ne commune dixeris.* Cur Deus ad Abraham loquitur dicens. Quod quarta progenie filii Israël de Ægypto essent reversuri; & postea Moyses scripsit, *Quinta autem generatione vel progenie exierunt filii Israel de terra Ægypti*, quod utique nisi exponatur videtur esse contrarium. Cur Abraham signum circumcisionis suscepit? cur Isaäc justus & Deo carus, non illi cui voluit, sed cui noluit deceptus errore benedixit?

Nunc quibus ausibus quantisve laboribus solus omnium Romanorum hieronymus Hebraicam linguam litterasque, immo Chaldæam linguam didicerit, sicut ipse perhibuit, subnectendum est. » Dum » essem, inquit, juvenis, & solicitudinis me deser- » ta vallarent; incentiva vitiorum ardoremque ferre » non poteram. quem cum crebris jejuniis frange- » rem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad » quem edomandum, cuidam fratri qui ex Hebræis » crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quin- » tiliani acumina, Ciceronis fluvium, gravitatem- » que Frontonis & lenitatem Plinii, alphabetum » discerem, stridentia anhelantiaque verba medita- » rer: Quid ibi laboris susceperim *, quid difficul- » tatis sustinuerim, quotiens desperaverim quoties- » que cessaverim, & contentionem discendi rursum » inceperim, testis est conscientia mea, quid pas- » sus sim, quam eorum qui mecum vixerunt vitam » sustinui, scio & gratias ago Domino, quod de a- » maro semine litterarum, dulces fructus capio.

al. insumserim.

Porro librum Danæl * Hebraicis quidem litteris, sed Chaldaico sermone conscriptum, cùm Hæronymus verteret in Latinum, hunc qui subter adnexus est habuit præceptorem. » Memini me, in- » quit, ad intelligentiam hujus voluminis Liddeum » quemdam præceptorem, qui apud Hebræos pe- » ritus habebatur, non parvis redemisse nummis, » si ejus doctrina aliquid profecerim, nescio: hoc » unum scio; non potuisse me nisi quod ante intel- » lexeram interpretari. « Quo vero Labore sudoreque Chaldæam linguam didicerit, idem Hæronymus ita scribens atque adfirmans dicit. » Ego adulescen- » tulus post Quintiliani & Tullii lectionem ac flores » rhetoricos, cùm me in linguæ hujus pristinum re- » clusissem, & multo sudore multoque tempore cœ- » pissem anhelantia stridentiaque verba resonare, & » quasi per cryptam ambulans rarum desuper lumen » aspicere, impegi novissime in Danælem, & tanto » tædio affectus sum, ut desperatione subita omnem » veterem laborem voluissem contemnere. Verùm » adhortante me Hebræo, & illud mihi sua lingua » crebrius ingerente, Labor omnia vincit improbus, » qui mihi videbar sciolus inter eos, cœpi rursus » esse discipulus Chaldaicus, & (ut verius fatear) » usque in præsentem diem magis possum sermo- » nem Chaldaicum legere & intelligere quàm sona- » re.

Job.

Christi itaque gratia Hieronymus fidem adeptus, litterisque Græcis ac Latinis atque Hebraicis doctus, cuncta Hebræorum volumina, quæ in Canone continentur ex veteri Testamento, vera editione in linguam Latinam vertit, eaque omnia commentatus est: Danielem quoque Chaldaico sermone locutum Romano stilo descripsit. Psalterium videlicet à Sophronio postulatus Hieronymus ex Hæbræo canone latinæ modulatione canendum, verbum ad verbum exposuit, eumque breviter disseruit, & Enchiridionem appellavit. Duos libros Salomonis explanavit. Cantica verò canticorum ex Origenis interpretatione, sicut & de Spiritu-sancto Didymi videntis librum in Latinam transtulit linguam. Matthæi nihilominus Evangelium ex Hebræo fecit esse Romanum; quodque compendiosa potiùs quàm fastidiosa explanatione studiosis lectoribus interpretatus est. Sedecim quoque Prophetarum volumina seu vaticinia à nullo quandoque Romanorum vel meminisse, vel scribere inchoasse reperta disseruit, quatuor & septuaginta libris editos commentatus est. Plerasque præter ea Pauli epistolas, & Johannis revelationem disseruit. Inter has itaque numerosas operis sui paginas suis ..... præfationibus prænotatas, quinque & centum triginta virorum inlustrium ecclesiasticos scriptores à passione Christi úsque ad quartum decimum Theodosi Imperatoris annum, in ordinem digessit, omnesque qui de Scripturis sanctis memoriæ aliquid tradiderunt, breviter exposuit. Verùm & contra Celsum Porphyrium & Julianum Augustum, rabidos adversus Christum canes, & contra insectatores Ecclesiæ, vel eos qui putant Ecclesiam nullos philosophos & eloquentes habuisse doctores, magno sudavit ingenio: ut sciant quanti & quales viri eam fundaverint, exstruxerint, adornaverint, & desinant Fidem nostram rusticæ simplicitatis arguere, suamque potiùs imperitiam recognoscere.

Tanta denique lassitudine fatigatus est, ut etiam in strato suo jacens, funiculo trabem suspenso, supinisque manibus apprehenso erigeretur, ut scilicet officium monasterii prout poterat exhiberet, transeuntes in squalore corporis, vocisque tenuitate dies plurimi. Dehinc Hæronymus librorum abundantia fultus dictis suis sancto Spiritui dedicatis immobilem catholicæ Ecclesiæ turrem contra perfidorum jacula consummavit. Nam contra Helvidium, contraque Pelagium & adversus Jovinianum evidentissima volumina, catholicaque correptione roborata, magno scripta acumine laxavit, ad juris quoque consultos singularem sonantemque edidit librum. Plerorumque * Eremitarum Patrumque vitas insignium veracissimo eloquio texuit historiæ. De mansionibus quoque Israëlitici populi scripsit librum unum. Namque de frugi & luxurioso filio eleganter exposuit Evangelii historiam, ita consolatoriis dissertionibus declaravit, ut unicam fore arbitretur, » Plurimi quippe, ait, qui me dicunt hoc opus inflammatum invidiæ facibus scribere, breviter respondebo, numquam me hæreticis pepercisse, sed omni egisse studio, ut hostes Ecclesiæ mei quoque hostes fierent. « Pergunt itaque ad visitandum, consolandumque Hæronymum, dum in labore esset, identidem catholici seniores. Ad beatum quoque Augustinum episcopum secum quidem animo in Ecclesia catholica cooperantem, corpore autem in Africa scribentem, sic inter cetera scripsit. » Nostra « habuimus tempora, & cucurrimus quantum po- « tuimus: nunc te currente & longa spatia transmit- « tente, nobis debetur otium. « Igitur Hieronymus, quam Christo Deo adolescens voverat, hanc perfectam eidem jam corpore senex obtulit vitam suam, castam, placibilem, unicam in eremo pænitentiam Bethleemiticam. Libris præterea suis per sex

* Plerasque.

& quinquaginta annos sine ullo otio apud Bethleemiticos, totum teplevit orbem, spiritali opere irreprehensibilites consummatis, octavo & octogesimo ætatis suæ anno in Domino requievit. Bethleem eum alma tenes, itetum venturo Domino offerendum. Dormivit autem beatus Hieronymus anno imperii Theodosii Junioris XII. Omnes autem anni vitæ ejus sic colliguntur. Ordinatus est Romæ Presbyter xxviii annis, tribus vivit apud Bethleem, in proposito suo annis quinquaginta & mensibus sex. Omne vitæ suæ tempus implevit annis LXXXVIII, & mensibus sex.

[Dormivit in Domino pridie Kal. Octobris.]

Explicit vita Adusque beati Hieronymi Presbyteri.

ADNOTATIONES.

SUperior Hieronymi vita, quæ ab auctore antiquissimo scripta est, nobis se se obtulit primo in duobus codicibus pervetustis, uno Lusoviensi, altero sancti-Gallensi. Deinde vero eamdem in quibusdam codicibus segius invenimus. Optandum esset, ut auctor ad singulasia facta tanti Doctoris magis descenderet. Sed quod antiqua tulerunt tempora, nobis mensuisse sat est. Hieronymi breve elogium retulimus in tomo a Analectorum ex Gennadio, quem hujusce vitæ auctorem uti & breviatorem esse existimamus.

Huic vitæ aliam paulo inferius subjicere visum est, quæ est sancti Aredii Abbatis Atanensis, Gregorio Episcopo Turonensi in vetustissimo codice sancti Galli, ea quo eam in nostri gratiam excepit amicus noster Hermannus Bibliothecarius. Aliam ejusdem Abbatis vitam edidimus in Sæculo I Benedictino; sed hæc amplior & probabilior est. Nullum de Aredii patre debet restare dubium, quin Jocundus fuerit appellatus. Sic enim vocatur in suo ipsius testamento & in subjectis ipsius vitæ actis. Et verò apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. a de mirac. S. Martini cap. 39. ubi Rinosciudus Aredii *pater* legitur, non *pater*, sed *frater* dicitur in optimæ notæ codicibus, quos vidimus, mss.



INCIPIT LIBER GENNADII PRESBYTERII MASSILIENSIS DE VIRIS ILLUSTRIBUS.

CAPITULUM PRIMUM.

De Beato HIERONYMO *Presbytero.*

HIERONYMUS noster, litteris Græcis ac Latinis Romæ adprime eruditus, Presbyter quoque ibidem ordinatus est. Porro ad Bethleem oppidum juvenis advenit, ubi prudens animal ad præsepe Domini se se obtulit permansurum. Inter cetera operum suorum opuscula usque ad THEODOSII XIIII imperii annum, à beato PATRO sumens exordium, usque in semetipsum, de viris inlustribus scripsit. Innumeris præterea libris Apostolorum, Prophetarumque constructionibus editis, immobilem Catholicæ turrem Ecclesiæ contra perfidorum jacula consummavis. Litteris quoque Hebraïcis atque Chaldaïcis ita edoctus, ut omnes veteris Testamenti libros ex Hebræorum scilicet codicibus verterit in Latinum: Danielem quoque Prophetam Chaldaico stilo locutum, & Job justum Arabico, in Romanam linguam, utramque auctorem perfecta interpretatione mutaverit. Matthæi nihilo minus Evangelium ex Hebræo fecit esse Romanum. Namque mentis corporisque virginitatem & dictorum * pænitentiam prædicans atque custodiens, solus omnium Romanorum omnes XVI Prophetarum commentatus est libros. In cunctis præterea librorum suorum prologis ita se luculentissimum interpretem, & in immensa epistularum suarum volumina nervosum catholicis exhibet lectoribus, ut nec perfidis quandoque pepercisse, nec invidis cessisse videatur. Nonagenarius ferme (ut perhibent) postea in Domino requievit: quem Stridon oppidum genuit, Roma inclita erudiit, Bethleem alma tenet, spiritum aula cælestis suscipit. Amen. Claruit maximè sub THEODOSIO Principe, & filiis ejus ARCADIO & HONORIO.

* f. delictorum.

II.

JACOBUS, cognomento Sapiens, Nisibi urbis nobilis Episcopus, modò verò Persarum civitatis, unus ex numero sub MAXIMIANO persecutore Confessorum, & eorum qui in Nicæna Synodo Arrianam perversitatem ὁμοουσίου oppositione damnavit, &c.

ADNOTATIONES.

IN pervetusto Corbeïensi codice, litteris Langobardicis ab annis bene nongentis scripto, qui modò in Germanensi Bibliotheca nº 14a adservatur, simul compacti habentur Hieronymi liber de viris illustribus ecclesiasticis in CXXXV capitula distinctus; itemque Gennadii Presbyteri Massiliensis libellus de eodem argumento, ab editis multum diversus. In nostro quippe exemplari non divisis libris, sed continua capitulorum serie Gennadii opus subjicitur Hieronymi libro, hac tantùm inscriptione præmissa: HUCUSQUE CATALOGUS BEATI HIERONYMI PRESBYTERI: CETERA QUÆ SEQUUNTUR, A GENNADIO SUNT ADJECTA PRESBYTERO. Tum subditur præmissum Hieronymi elogium, quod in editis (ni fallor) omnibus deest. Succedit Jacobi Episcopi Nisibeni elogium, quod primum est in vulgatis.

Nec minor etiam discrepantia tum in capitulorum numero & ordine, tum in ipsa Gennadii lectione. Utriusque auctoris, Hieronymi scilicet & Gennadii, opus capitulis CCXIII in vetusto exemplari absolvi-

tur. Capitolorum series ab editis penitus diversa. Auctorum nomina non rarò immutata, ut pro VICTORE Cartennæ Mauritanæ civitatis Episcopo, qui in vulgatis cap. 77 laudatur; in scripto codice MAURUS legitur cap. 203. & ubi in editis memoratur cap. 95 HONORATUS *Constantinæ Africæ civitatis Episcopus*: in scripto vocatur HONORATUS ANTONINUS *Constantiæ civitatis Episcopus*.

In contextu operis magna etiam dissimilitudo apparet in utrisque: in cujus rei specimen affero elogium sancti Augustini, quale in editis habetur, cum membranei codicis lectione ex adversa collatum.

Ex libris editis.

A*ugustinus Afer, Hipponensis oppidi Episcopus, vir eruditione divina & humana orbi clarus, fide integer, & vitâ purus, scripsit quanta nec inveniri possunt. Quis ergo glorietur se omnia illius habere? aut quis tanto studio legat, quanto ille scripsit? Unde & multa loquenti accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus-sanctus:* In multi loquio non effugies peccatum. *Edidit tamen senex, quos juvenis cœperat, de Trinitate libros* XV, *in quibus, ut Scriptura ait, introductus in cubiculum Regis & decoratus veste multifaria sapientia Dei, exhibuit Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, vel aliquid hujusmodi. De Incarnatione quoque Domini idoneam edidit pietatem. De resurrectione etiam mortuorum simili cucurrit sinceritate; licet minùs capacibus dubitationem de abortivis fecerit. Catholicus permansit tamen, & error illius sermone multo, ut dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit. Egregio ingenio & excellenti studio Ecclesiæ serviens, Juliani hæretici libris, inter impetum obsidentium Vandalorum, in ipso dierum suorum fine, respondit: & in defensione Christianæ sapientia perseverans moritur, Theodosio & Valentiniano regnantibus.*

Ex codice Corbeiensi.

AUgustinus, discipulus beati Ambrosii, Hipponæ Regiæ Africæ oppidi Episcopus, vir eruditione divina & . . . . universo orbe clarus, fidè integer, vitâ purus, scripsit quanta nec inveniri possunt. Quis enim glorietur se omnia illius habere? aut quis tanto studio legat, quanto ille scripsit? Edidit jam senex, quos juvenis cœperat, de Trinitate libros XV, in quibus, ut Scriptura ait; introductus in cubiculum Regis, & decoratus veste multifaria sapientiæ Dei, exhibuit Æcclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi. De Incarnatione quoque Domini idoneam edidit pietatem. Resurrectionem etiam mortuorum simili cucurrit sinceritate. Hic egregio ingenio, excellenti studio Æcclesiæ serviens, Juliani hæretici libris, inter impetum obsidentium Wandalorum, in ipso dierum suorum fine respondit: & in defensione Christianæ sapientiæ perseverans moritur; Theodosio & Valentiniano regnantibus.

Ex hac collatione quantum veteres Gennadii libri ab editis discreperent, studiosus Lector intelliget; idque hoc loco visum est observare, ut si quis novam hujus auctoris editionem moliatur, ad fontes recurrat quos indicamus. Nec prætermittenda varietas, quæ ab initio ejusdem Gennadii libri apparet in Jacobi elogio, cujus priores versus ex ms. codice superiùs retuli, paullo emendatiores quàm in editis, qui sic habent: *Jacobus, cognomento Sapiens, Nisibenæ nobilis Persarum modo civitatis Episcopus, unus ex numero sub Maximino persecutore Confessorum fuit, &c.* tametsi rectiùs in editis legitur *Maximino*, sicut in Martyrologiis Usuardi & Adonis, quàm *Maximiano*, ut in codice Corbeiensi & in Martyrologio Romano.

Ceterùm quid intersit inter vulgatum Hieronymi de viris illustribus librum, & exemplar Corbeiense, nihil ad alia festinanti advertere integrum non fuit. Suspicor tamen multum esse discriminis, conjecturam faciens ex ejus libri capite ultimo, quod de Hieronymo inscriptum est. In eo enim, ubi habent editi libri, *in Ezechielem homiliæ Origenis* XXVIII, Corbeïensis codex habet XXXVIII. Tum paullo infrà hæc verba, *in epistolam ad Ephesios Commentariorum libros tres*, quæ Marianus Victorinus ex Sophronio & Florentinis codicibus reposuit, desunt in exemplari Corbeïensi, uti & postrema istius capitis verba, *adversus Jovinianum libros duos & apologeticum, & epitaphium.* Ad hæc sub finem hæc verba: *Vitam Malci captivi Monachi & vitam beati Hilarionis*, restituit codex noster, quæ in editis suppresso *Malci* nomine habentur. Hæc satis ad acuendum Lectoris studium.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI

Incipit Prologus Sancti Gregorii Turonici Episcopi, de Vita Beati ARIDII Lemodicini Abbatis.

QUotiens Sanctorum gesta narramus, & in eorum actibus & exemplis mentem figimus, vel imitatores esse desideramus, ne in hujus exilii ærumna laqueo capti teneamur. Tantum igitur à supernâ gratiâ illustramur, quantum humiliato corde ad alta Dei contemplatione conscendere valemus. Ideoque libere non audemus cum possimus sermone vel tenui ædificationis pandere historiam plebi: præsertim cùm apostolica admonemur auctoritate de sanctorum vita seu virtutibus nonnulla commemorare, ut scriptum est, *Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi ut sit memoria eorum in benedictione, & nomen illorum permaneat in æternum.* & illud: *Memoria sanctorum cum laudibus.* Cùm ergo anniversario curriculo sanctorum sollemnia celebramus, aliqua ex eorum gestis ad ædificationem convenientibus Christianis in laudibus Christi recitare debemus. Quomodo igitur omnium pæne miracula Confessorum, & multiplices Martyrum victoriæ jam monimentis litterarum habentur inditæ; nos modò juxta qualitatem ingenii, vel exiguum aptare tentavimus hunc libellum: in quo de ortu, vel vita, seu & de glorioso sancti ac beatissimi ARIDII Confessoris obitu, adjuvante gratia Christi, explicare cura-

mus : ut cujus est vita cum Christo, memoria ejus cum gloria celebretur in mondo. Sancti scilicet Patres nostri studuerunt in sæculo nihil amare, ut legaliter ac perfectè proximos diligerent, ut in una caritate conglobati coheredes Christi efficerentur & participes. Plerique verò à primæva ætate, nonnulli in adolescentia, vel in juventute, multi in senectute militantes Domino adhærere conati sunt : ut qui dudum tentamenta mundi toleraverunt, quandoque ad Christum sine macula remearent. Plus namque ædificat exemplum boni operis cum simplicitate vigoris, quàm multa prædicatio cum tumore vanæ gloriæ. Prædicator verò egregius, Doctor gentium perbibet dicens : *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* & illud : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* Electi verò in prosperis mundi non elevantur, ut adprehendere valeant post triumphum coronam. Quia si consideremus, quæ & quanta nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo, quæ cernuntur in terris.

Gregorii M. phrasis.

Igitur beatissimus Aridius Aquitaniæ provinciæ, in ulteriore Gallia, quæ ad plagam respicit occidentalem, parentela nobili generatus Lemodiæ * civitatis ortundus fuit, ut esset lucerna cunctis fidelibus, Domino condonante, meritibus suis. Pater verò ejus, cognomento JOCUNDUS, genitrix verò beata PELAGIA vocitata est. quibus vita testatur esse religiosa, ut imitantes exemplum Zachariæ & Elisabeth, nisi quod Johannes in medio non erat, incedentes in mandatis Dei, ut essent sine querela.

* *Limoges.*

Natus ergo Aridius atque nutritus est in fide recta, denique à parentibus Christianis catholica religione imbutus, jam pueritiæ annos excedens, ævum adulescentiæ cum magna industria gerebat. Cùm autem cernerent parentes ejus, in adolescentia filium salubrem viam adeptum, studio religionis ornatum, tradunt litteris erudiendum. qui mox in tantum divinâ gratiâ inlustratus est, ut multi mirarentur ejus eloquentiam in ejus verbis, cujus sermo dulcis ore mellifluo flagrabat cunctis. Cor senile gerens, nulli animum voluptati dedit, ne captus ærumna sæculi teneretur obnoxius.

Gregorii M. phrasis.

Interea Regi præcellentissimo THEOTHBERTO commendatur, ut eum instrueret eruditione palatinâ. Invenit ergo Aridius gratiam coram Domino, & coram Rege, & ferebatur ejus testimonium ab omnibus, in tantum, ut Cancellarius prior ante conspectum Regis adsisteret; crescebatque honor cum magno favore de die in diem. Omni ex parte probatus vernabat in aula. A quo tanta familiaritate habitus est, ut plurimis felicitas ejus ingens gigneret odium. Oderat quippe superbiam, diligebat veritatem : sed planè illum boni admirabantur. Sectabatur itaque indeficienter caritatem, mansuetudinem, & humilitatem. Diligebat enim Dominum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente sua. Erat quoque sereous conspectu, tranquillus moribus, semper opera bona factis amplius quàm verbis ostendebat, spem suam semper Christo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Christi præponens, semperque mens ejus præcepta cælestia meditabatur.

S. Benedicti phrasis.

His ita gestis non post multum temporis, cum jam virilem ageret ætatem, cupiens se vas Domino exhibere sanctificatum, ac metuens futura tremendaque judicia, ut ne aliqua suum pectus delicta fuscarent, omnia acta adolescentiæ suæ coram conspecto viri beatissimi NICETII Episcopi confessus est. Denique commonitus interea divinitus per præfatum Nicetium Trevirorum civitatis Episcopum, sæculi pompam fugiens, mundi oblectamenta, ac regalis palatii vanas superstitiones, & indisciplinatas sociorum fabulas declinando, se sub Regulæ censura, ad contemplandam cælestis patriæ palmam contulit. Sicque sibi austeram imponens pænitentiam, cœpit viriliter colluctationi carnis, spiritus fervore resistere. Proponebat namque sibi adversus præsentes carnis ardores, futuri supplicii ignes. In laboribus scilicet, secundum Apostolum, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in suavitate, in patientia multa, atque in caritate non ficta. Precabatur igitur Dominum pro donis cælestibus, orabat Christum diebus ac noctibus, adimebat sibi saturitatem panis, ut posset cælestem sibi promereri panem. Ora quidem ejus jejuniis pallebant, corpusque ejus valde aridum marcescebat, sed mens ejus æternorum æstuabat desiderio. Semper autem præsentis vitæ terminum intuens, ac futuram Domini sententiam, seu metuenda judicia formidabat, sciens quod scriptum est : *Beatus homo qui est semper pavidus.* nec non & illud, quod à Job dictum est : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Dominum.* & illud Apostoli : *Cum timore & tremore vestram salutem operamini.* Ante Dei namque conspectum noctibus jacebat, manibus pectus tundens, genas lacrymis rigans, oculis ad cælum elevatis, illum semper respiciebat, quem fortasse vel in minimis delinquendo se offendisse timebat : ac cum lacrymis Davidica voce hæc verba enixius deprecabatur : *Tibi soli peccavi, miserere mei Domine secundum magnam misericordiam tuam.* Et semper ad illud tendens, quod Apostolus dixit : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Dominus diligentibus se.*

Hæc igitur meditando, quanto plus proficiebat tanto amplius humiliabatur, juxta quod Veritas in Evangelio dicit : *Qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur.* quanto plus humiliatus fuisset, tanto amplius proficeret; & ut etiam quanta fuit ei mæstitia, tanta fieret venia. O profunda benignitas Domini, ô simplex pænitentia ! frequentique jejunio, misericordiam quam poscebat, à Domino impetrarat. De talibus quippe per Prophetam Dominus dicit : *Dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pavebat.* Hinc iterum scriptum est : *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est.* & rursus : *Timor Domini expellit delictum.* Inter hæc autem Dominum pleno vigore deprecatus est, ut ejus pænitentia ante Christi conspectum esset accepta. Deinde his initiatus armis, in Christi militia se artius stringens, ad normam irradiabat Ecclesiæ.

Quadam die dum Cursum tenens purissimæ conscientiæ, veniens columba delapsa de camera, consedens super ejus caput, pergebat cum eodem, comitata per plateam. quam remuvere à se vir Dei Aridius non poterat, donec sui Pontificis ingrederetur cellulam. Cum verò declinaret dies ad vesperam, redibat ipsa qua venerat. Mane autem facto, revertente jam clero ad Ecclesiam, ipsa super caput ejus, sicut prius fecerat, descendebat. Qua per dies xxx, sicut ipse secretè locutus est, non cessante columba, hanc verecundiam vir Dei pertulit, datam supernam gratiam præsagiebat, ut apertè daretur intelligi, jam tunc divinâ largitione semel super eum Spiritum descensurum. Unde & Veritas discipulis testatur dicens : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus*; quia dignum erat ut innocentiam mentis custodisset, ei visitatio Spiritus-sancti adesset.

Tum deinde audita vir beatissimus morte patris, pro matris suæ consolatione Lemuvicum regressus est. Igitur beata Pelagia, mutato sæculari habitu, induitur sanctimoniali vestimento, efficitur in Dei

amore religiosa, filium bene conversum Dei hortatur ad præmium. qui mox vir beatus eremum petiit, & in concavum saxum se retrudens, ibique diebus ac noctibus sine cessatione Domino supplicabat, & hostem invisibilem orationibus & precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio; precibus, non ferro; orationibus non telo. Cunctis horis, cunctisque momentis Dei flagitabat præsidium, ut dignus post mundi laborem posset pervenire ad bravium. Cum per aliquot dies inibi esset eum magna abstinentia, auditis his ejus genitrix, ad pedes filii provolvitur, rogavitque eum, exinde egredi ut monasterii cellulam, ubi prosperè aspiceret, in villis amœnis ædificaret.

Tunc & locum amœnum vir Dei Adrius reppe-rit, de eodem sito, in quo erat reversus, fere trium millium, ibique monasterii cellulam ædificare cum magna industria cœpit, quod cœnobium nuncupatum Arano, ibique orationi intentus, & incumbens lectioni, quo vacabat, venerabilis mater ejus laborans per agros, alimoniam corpori quærebat: quæ verò post conversionem vita acta sit.... Deinde pollebat vir beatus magis magisque in vigiliis, & jejuniis, vel in orationibus, atque in caritate. Cœpitque ejus fama divulgari, confluebantque ad eum undique viri religiosi, advenæ, vel monachi.

Multitudo etiam pauperum, sicut apes ad alvearium, ita conveniebant ad eum, in tantum, ut quanticumque pauperes confluebant ad eum, nullus vacuus ab eo recederet. Quid plura? quidquid ex possessione parentum nobilium habuit, totum in pauperibus, vel in cœnobiis, præcipuè ad beati Martini Turonensis, vel ad sancti Hilarii Pictavensis ecclesiam, seu per diversas ecclesias, vel etiam Monasterio suo omnes possessionem distribuit; auri verò argentique metalla in pauperibus dispersit, sciens Apostoli præceptum, *Habentes autem victum & vestitum, his contenti simus*, & *Qui volunt divites fieri in hoc mundo, incidunt in tentationem & laqueum diaboli*, &, *Desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Considerans quippe quod scriptum est, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Et Veritas ait, *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et alibi scriptum est, *Eleemosyna a morte liberat, & qui eam fecerit, non ibit in tenebras.* Hæc autem quotidie adimplebat; semper ad eleemosynam largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in humilitate profusus, in caritate perfectus.

Numquam otio indulsit, quo non aut lectioni vacaret, ut opus Christi perficeret, aut certè manibus opus aliquod ageret, aut denique sacros codices scriberet. Maximè autem decreverat, ut in vicinas diœceses sacros codices quos ipse manibus suis scripserat, distribueret; memorans illud, quod Apostolus dixit, quia *Otiositas inimica est animæ.* Ad ista igitur omni tempore non cessabat. Cum autem jam monasterii Cellulam ædificasset, quo opus cœptum peregisset, necesse est, ut de ipsius miraculis aliquid Christo auxiliante explicare valeamus. Qualiter eleemosynis, vigiliis & orationibus se Dei servus indulserit prædicanda miracula publicaverimus alacriter: de quibus multis brevilloiè credidimus pauca narrare.

Accidit homini Dei, Arvernis iter ut ageret, eo irruente nocte, aquam non inveniret, ut ad manendum se conderet. cumque quærerent ministri ejus huc atque illuc, & non invenissent, tunc Ardius defixit in arena baculum. Quo retracto, de terræ foramine fons abundans exivit, ut fluenta aquæ undantis sufficerent, & in tantum postea irrigarent, ut illic pecora biberent. Sic vir iste magnus fuit in miraculis, & Moysi typum gerens, qui percutiens petram, aquam populis in solitudine præbuit.

Dedit deinde operam, comitesque sui itineris, quos religio claros reddebat, elegit. Collecto sanè cœtu omnium, orationum suffragia postulat, ut venturo itineri solamen largitor pietatis tribuat; & sic cum eisdem Christo duce, ad locum ubi sancti Dei martyris Juliani membra sancta fuerant sepulta, accedit, agnitis, qui secum clementis judicis voluntate adessent. Cumque ad eum locum pervenissent, postulat, ut reliquias sancti Martyris votiva mente suscipere mereretur sed custos basilicæ beatissimi Martyris petenti denegavit. Moratus ibi paullulum, & quærens, nec prorsus inveniens, progressus exin accedit ad locum, ubi venerabilis Martyr à persecutoribus, transactis jam longævis temporibus decollatus fuerat, & cum plenissima devotione de eodem loco parvissima saxorum, quod vulgo sabulum dicitur, in chrismarium quod collo suo gestabat, læto animo pro sacratis sancti Martyris reliquiis condidit. Cùmque de eadem provincia remeare cœpisset, tanta horum multitudo, qui à malignis spiritibus vexabantur, ejus vestigia cum magnis clamoribus prosequebantur, ut tantorum vix scribantur tot nomina. Pervenit ergo fama beati viri ad aures Pontificis civitatis illius. Qui illico eum suis sancti viri vestigias prosecutus, & mox ejus pedibus provolutus, cœpit ab eo petere, ut tandem ad tumulum sancti Martyris remearet, & sacras ejus reliquias deportaret. Tunc ille ait: Hoc quod mihi omnipotens Deus largitus est munus, cum eodem iturus, ipso comitante pergam. Nam Creator omnium Dominus duo virtutum miracula in eodem loco ostendere dignatus est. Cùmque vir Dei suum chrismarium aperuisset, reperit diversos pretiosos lapides de saxis, quæ de fonte abstulerat, ut mira virtus sancti Martyris per diversa terrarum loca declararetur, & viri Dei fides probaretur, & multis ostenderetur. Cùmque ad locum hunc, ubi vir Dei oratorium condiderat, sacrum munus cum magno gaudio condidit, ibi quoque omnipotens Deus multa signa & mirabilia declarare dignatus est.

Nec non prætermittendum est quod Christi famulo collatum est. Quadam die viator dum iter arreptum incederet flante ventorum turbine, cum pluvia talis circa Ardium sic fremeret, ut rivis imber efflueret, & ipsum agmen ac suos ministros gutta nec una perfunderet: quo divisa tempestate, alicubi turbo se verteret, & ipsa nubila aërem fugarent, dum pavescunt viatorem. Si igitur Conditori omnium mare & venti obedierunt in fluctibus, & facta est tranquillitas magna, immo & fideli suo jussit hanc virtutem cunctis videntibus ostendendam.

Quodam tempore cum ad maturitatem segetes aristas armassent, & jam se aggravatæ meti poscerent à cultore; innormitas erupit pluviæ, ne quisquam fruges colligeret, ut in suis spicis grana latentia germinarent. Interea suggeritur ipsi à populo, facit vigilias intercessor. Sequenti igitur die Reliquiis sanctorum apprehensis, oportunè & venerabiliter coopertis de palliolo serico; Diacones in albis exeunt ad processum: plebs clamat pro nimborum incursu. quibus vir sanctus respondit. Qui jussit aquam creari, potens est hunc imbrem sedare. Tunc mox de templo progressi sunt, subitò nubes excitæ sunt, sol in claritate reducitur, serenitas cæli mundo redditur, ad opera cultor trahitur, & ad manipulos colligendos messor frugibus invitatur.

Nec illud prætereundum est in similis causa quod gestum est. Dum Nonjaco colonica sua in honore beati Juliani martyris oratorium conderet, & imber

gravis

gravis irrueret; ipso verò orationem Dominicam memorante, nimbus impetum detorsit, tempestas repulit turbinem, pluvia abscessit, locum vel sanctum virum Aridium cadens gutta non tetigit.

Addatur hoc in pagina, quo rerum crescunt miracula. Quadam die eodem sancto viro in oratorio orante, ACTARDUS quidam NIVARDI filius adolescens exanimatus deportatur, & ante sacrum altare in oratorio beati Juliani martyris deponitur à parentibus. Rogatur ut vivus reformaretur à Domino. Tunc vir reverentissimus pietate scilicet motus, lacrimis vim ingerens, aspiciens ad cælum, Dominum deprecatur. Dehinc appellat infantulum, sed corpus jacet exanime. Hora ferè transacta, exsuscitatur puerulus, clausos aperit oculos, & loqui posse incœpit redivivus. Sic fidelis miles tantis virtutibus pollens, & gratia divina accinctus, ut sicut Creator omnium rerum filium viduæ adolescentem resuscitavit de grabato, & reddidit matri suæ incolumem, ita vir Dei Aridius valuit obtinere orationibus suis apud Dominum adolescentem esse vivificatum.

Quædam mulier grande vulnus habens in facie, occurrit sancto Aridio sanari exorans. Tum illâ vexillo crucis signatâ, illicò circumstante populo, tumor vulneris aperitur, & in similitudine nucis minoris velut petra de ipso progreditur: quæ sine dilatione sana domi revertitur.

Adjiciatur operi res adjecta mysteriis. Filius Dulcissimi quidam, Ingratius nomine, in grabato jacens funeri exhibitus à patre, tantum distentus tumore, ut intra se sua lumina ablata fuissent. Tum vir Domini Aridius, oratione pro eo data, de oleo benedicto perungit oculos ejus: quos cum infunderet ex fide, mox quidquid morbi fuerat, tacto fugit ab unguine.

Dum ad profectum sancti viri atque ad altam Dei contemplationem se sublevant quantum possunt, divinitus eos [agi] credendum est. Quodam tempore affectu pietatis Lemovicum civitatem veniens, audit complures nuper mortis sententia damnatos teneri in carcere vinctos. Aridius ergò memor Verbi Domini dicentis; *In carcere eram & venistis ad me, & quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis*, cogitavit si quomodo possit liberare eos. cumque ad requirendos reos appropinquasset carceri, confestim divino nutu, velut magno terientis impulsu confractæ seræ, dissipati cardines, ostia carceris patefacta, & omnia vincula compeditorum resoluta sunt. Eadem nocte quasi solis claritas intus apparuit, & lux in tenebris emicabat, custodes pressi à somno, & ad tumulum sacratissimum S. Martinis Antistitis cuncti fugerunt de ergastulo. sicque orationibus beati viri de carcere vel de morte liberari sunt.

Prosit auribus populi Dei quæ profuit lumini. Nivardi præfati filia, nomine Actesledis, lumen oculorum perdiderat, ut nullatenus videre potuisset. Quadam die deducta ad virum Dei Aridium à parentibus suis, ut inluminaretur, exoratur. cumque prosternerent se ad Sacerdotis vestigia, tunc vir sanctus signatis ejus oculis atque intra se Dominum rogans, mox incolumis reddita, quæ fuerat duce pertracta, ductrix redit ad patriam.

Exempla quoque justorum avidius instruunt sequaces, quàm sermo prædicationis multorum. Cum quadam vice properaret vir Dei Burgundiam ad Regem pietatis pro causa, invitatur sedulò à Duce ANT[illegible]TIO, ut diverteret ad ejus domum, cui semiviva filia decubabat in lectulo. quæ cum ad extremum exhalaret spiritum, ingressus vir Dei Aridius domum, data oratione pro ea, lætificata domum adipiscendo remedium puella redit de transitu.

Ille etenim qui jussit filiam Archisynagogi intra cubiculum resuscitari, mortuam peteoti se tribuit, ut hæc de morte reverteretur ad vitam.

Quædam mulier nomine Bassa pro infirmitate debilitatu membris, digitis attractis, incurvatis articulis, suis gressibus imbecilla, prona precatur se sanari, devota supplex attenuata: mox Aridius cruce à sancta manu tacta crurum tendit in pagina, nervi laxantur in organa, & diutius prostolata, tandem sese membra recognoscere meruerunt. sicque orationibus sancti Viri sana facta est.

Adscribantur præconia quæ justè referuntur ad palmam. Quædam mulier propè jam morti credita, vulnus in collo gestabat: occurrit sancto viro obsecrans, ut per hoc sanctæ Crucis armaret vexillum, mori timens. Cumque super vulnus Christi signum deprimeret, repente mortui fuunt vermes, femina redit incolumis.

Dum majora miracula sanctorum conspicimus, & amplius in amore Dei enixius convertimur. Puella namque de urbe Petrocoria ad Dei hominem veniens taliter contracta, ut de suis calcaneis adhæsa sibi tangeret crura, longo jam tempore gressibus condemnata: quam vir sacratissimus non prius dimisit quam languor eam dimitteret, & pedibus incederet, quæ prius manibus ambulabat. Igitur sciscitans studiosè an haberet in Christo spem, si se crederet sanandam quandoque. Illa autem in omnibus fidem dante, fixit genua Aridius in terra, & prolixè orat: deinde oculos pariter & manus ad cælum tendens, Dominum Jesum-Christum fide plenissima pronuntiationis suæ admonuit, quæ dicit: *Quidquid credentes petieritis, fiet vobis*. &, *Si habueritis fidem, non solum hæc signa facietis, sed majora horum facietis*. Cumque hæc pleno vigore ac devotione deposceret, conversus ad puellam dixit: Si fideliter credis in nomine Domini Jesu-Christi, surge & sta super pedes tuos: & mox surrexit, & solidati sunt pedes & membra ejus, & sana facta est ex illa hora.

Item de eadem urbe, altera ad eum venit femina simili infirmitate condemnata: cumque sancti Viri manu attrectata fuisset, directa redit ad propria, & senior cucurrit viam quam non transcendit juvencula.

Quotiens ad alta Dei omnipotentis animum elevamus, vilescunt animo quæ in terris conspicimus, ut accepta gratia divinitùs supernam patriam penetremus, ut puta vir iste qui tantis virtutibus adornatur terreno contagio non obfuscatur. Quidam vir cognomento Addo, filius cujusdam Proculi, ad beatissimi viri venit præsentiam sic debilis, ut de vestigiis calcaneum faceret, nec potuisset separari res infeliciter glutinata, tunc quærens à sancto Aridio remedia. At illi signo crucis superimposito, qui claudus genibus venerat, directus pedibus ambulans, balnum suarum reductus est vestigiis.

Adjiciantur virtutes operum quibus vera esse credantur. Vir aliquis de territorio Betorico contractis nervis vestigio debilitatus occurrit, ad monasterium concitus venit, & ut sibi vir sanctus succurreret deprecabatur suffragia: suscepit vir Dei Aridius causam mercedis, oratione pro eo fusa cum benedictione redit incolumis sancta manu quod tetigit.

Adquiratur pagina quod præstet gratia. Leonacter quidam insania corporis ita demens effectus, ut aliud non esse crederetur quàm rabies, cujus furor horribilis nimis non ferebatur, etsi nimis vinctus manibus ac pedibus alligaretur in vinculis, & violentia oppressus adhuc catenas constringeretur, hoc superadditus dolor pœnæ collideret, & sic crudeliter fremens tandem ad sanctum Dei Aridium perductus est: nec mora aliqua, facto signo crucis fronte ac-

matus, in momento ab hoste antiquo liberatur simul & vinculo. qui postea Clericus effectus est, & ad meliora opera cum cantico Christo dependit servitium. sed mira dispositione omnipotentis Dei agitur, ut quos præmia divina ad meliora non invitant, temporalia flagella erudiant.

Eodem vero tempore quo miles Christi degebat in terris, FERREOLUS Pastor, ad gubernandam plebem sibi commissam Lemovicum civitate Præsul venerandus aderat; sed quotiens ipse Pontifex febribus urgebatur, aut aliqua ægritudine in gravi dolore atterebatur, ad virum Dei Aridium dirigebat nuntios, ut pro eo plenius ad Dominum intercederet. qui celebratis pro eo vigiliis obtinebat pro Pastore, venerabilis Abba pro Antistite, & abjectus & humilis piu sublime.

Et quia crescens pagina majora tegit miracula, proferatur in medium de quodam cæco claro mysterium. Vir aliquis lumine deceptus, longo jam tempore tenebris pressus, crassa caligine nubilus, ad beati viri Cellulam pede tendente deducitur; quem vir sanctus miseratus ut vidit, ei visum orando restituit, & remeat ad regionem, claro jam lumine illustratus.

Jocundum est proferre quid gloriosum fuit memoriæ. Quidam vir nomine Witrimundus, cognomento Atto, tam crudeliter dolorem dentium incurrerat, ut nulla intercedente venia dolor eum immitens non relaxaret, tunc ad sanctum virum, cum beato Martino occursum devotè redderet, veniens, & interrogatus cur ejus una maxilla videretur inflatios, & ille se torqueri dolore dentium gravissimo responderet; tum vir Dei faciem turgidam palpavit tactu mollissimo, dicens: Sanaberis à Domino, obtinente Martino, famulo Dei fidelissimo. Itaque mox ut à justo inchoatus sermo compleretur, salus denti refunditur, dolor cum tumore curatur.

Quædam mulier Ricovera nomine, conjunx Turonici monetarii, cum sancto Viro mediam ampullam cum oleo benedicendi causa fideliter obtulisset; tunc Aridius facto crucis signaculo, & alteram ampullam in qua de oleo beati Martini continebatur, proferens de chrismario, superjecta gutta ampullæ mediæ tanta mundatione olei virtus exsilivit, ut repletæ ampullæ alibi oleum tolleret, nec aliquid de redundanti benedictione periret. quæ utrisque benedictio æquanimiter profecit, & ille qui petenti dedit, & petens quæ meruit.

Hoc quoque paucis conceditur, ut tantis miraculis miles Christi ametur. Decreverat quippe Vir reverendissimus, ut pro lucranda cælestis patriæ palma, Turonos ad beati Antistitis festivitatem occurreret. Denique quodam tempore accidit, ut ad præfatam urbem Vir sanctus properaret. Igitur cum Pontifex civitatis illius cum Clero in ecclesia psallendi Officium cum nocturno tempore enixius ageret, Diaconus ejus dum in ecclesia caneret, somno gravatus est. cumque eum Episcopus cerneret dormientem, ait ad eum, Quare obdormis frater? Qui de somno evigilans ait: Videbam te Domine mi egredientem foras ecclesiam, & in obviam beati Viri Aridii properantem. Cumque Diaconus vix sermonem complesset, statim nequam spiritus in quodam homine exclamavit, se sancti Aridii præsentiam ferre non posse. Quo audito Episcopus cognovit quòd Vir Domini Aridius adveniret: moxque in obviam Abbatis Episcopus cum cereis accensis præ foribus ecclesiæ occurrit, ac cum magno gaudio & exsultatione in ecclesiam ingressi sunt, & pænè tota nocte in divinis Officiis perdurarunt. Nam multi ægri vel diversis infirmitatibus adstricti sano vigore orationibus vel intercessionibus ejus ad propria regressi sunt.

Alio rursus tempore cum ad eamdem festivitatem Turonos occurrisset, & alicujus paralytici crura blanda adhibitione contrectaret vir Dei Aridius, testabatur quod sancti Martini manum vidisset, qualiter debilia membra dirigeret, & sic paralyticus sancti dextera tangente se suis vestigiis protinus direxisset. Tanta verò curationum virtus divina gratia illi collata præmicuit, ut quisquis infirmus advenisset, pleno vigore sanatus incolumis recederet. Energumenis verò tam celeris salus reddita, ut ingentis multitudinis non præscriberentur tot nomina.

Si per singula recenseantur miracula, valde incongruum non est, ut credantur tantæ virtutis alloquia. Quodam tempore vir Dei egressus de basilica, peractis nocturnis vigiliis, vidit globum luminis de cælo descendisse super ejusdem Cellulam, credensque splendorem ipsum ab homine fieri, interrogat vir Dei à suo discipulo, quis est ille qui cum facula per hortum hora tali ambularet. Interea cum admiraretur, protinus globus ipse qui apparuerat desuper Cella, revolvitur ad sidera; ipse verò cum metu & tremore expansis manibus divinæ potestati luminis gratiam deferebat. Scilicet interrogatur à Monacho qui hoc cum eodem videbat, quid esset hoc miraculum tantæ claritatis visu, ut taliter revelarentur beatissimi sacerdotis mysteria. Cui respondit vir sanctus: Sile, sile insipiens, cognosce quia beatissimus Martinus visitat hanc cellulam dignatione præcipua; & ad cælos remeat cum lucis fulgidæ gloria. Sed quem divina gratia protegebat, dignum erat, ut illustrante Spiritu-sancto acciperet visitationem: sed amicus Dei cavens jactantiæ vitium, præcepit discipulo ut nulli hanc visionem diceret quousque migraret ad Dominum. Sic fidelis miles regulam Magistri Mediatoris Dei tenuit, qui transfiguratus in monte discipulis præcepit, ut nemini visionem quam viderant, dicerent, donec Filius hominis à mortuis resurgeret. Perpende igitur quanto igne amoris Dei & proximi vir iste accensurus erat, qui tale revelante Spiritu divinitus meruit accipere donum. Quia Deus ignis consumens est, Jacobo attestante qui ait, *Omne datum optimum & donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.*

His ita gestis vir sanctus jugiter intentus manebat divinis officiis. Non enim poterat in eo invenire humani generis inimicus, nec quod fraude deciperet, nec quod simulatione fuscaret. Erat quippe in eleemosynis largus, in oratione devotus, in vigiliis sedulus, in humilitate profusus, in doctrina præcipuus, in sermone pacatus, in locutione cautus, in conversatione sanctissimus, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentatione tutissimus, in hospitalitate latissimus, inter odia beneficus, in prosperis etiam & adversis semper in cælum intentus. In caritate quod est vinculum perfectionis Christi perfectus, sinceritatem quidem mentis vultus serenitate monstrabat, & pietatem cordis ostendebat in lenitate sermonis. Nihil ejus risu gravius, nihil prorsus tristitia suavius, nihil quippe ejus animo clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Si pauperem vidisset, sustentabat, si divitem ad benè agendum cohortabatur, Deum invocans testem pro ipsius nomine cuncta hæc agere, illud jugiter memorans quod Veritas in Evangelio dicit, *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Nec-non & illud: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et alibi: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Hæc præcepta jugiter memorans enixius adimplebat, eratque pes claudorum, & oculus cæcorum, orphanorum pater, viduarum consolator. Quem autem cæcum non lumen vocavit hære-

dem, aut quem debilem non ejus sustentavit manus? Hos jugiter comitatus incedebat exercitu, in his etiam Christum conspiciens se amplectere gestiebat, atque his indumenta tribuens, Christi sub inopis veste se tegere membra credebat: & ob hoc cum Domino suo pecuniam dividens, substantiam suam gaudebat cum Christo sociare, ut Christus faceret eum cælestium sibi regnorum coheredem. Sciens namque scriptum quod illa bona hereditas, quæ Domino custode servatur. Ejus namque monita apud suos nihil fuerunt aliud, quàm divina magisteria, & fundamenta sacrarum scripturarum. Dignum est eum ut cum boni diligant & imitentur, noxii timeant, quem divina virtus illustravit, ut donum à Deo perceptum cum doctrina melliflua & sancto Spiritu condita, de Christi desiderio salsa & de æterna beatitudine semper sollicita.

Si consideremus quæ & quanta omnipotens Deus per Sacerdotem suum operatus est, prolixior pagina stili promulgatur, solent plerumque pessimi, malè blandientes consiliis Regibus terrenis corda subvertere, juxta Salomonis vocem, *Colloquia mala corrumpunt bonos mores*. Quodam tempore accidit, ut populis tributa vel census à Regibus fuissent descripta, quæ conditio universis urbibus per Gallias constitutis summoperè est adhibita. Scilicet pro hac re vir reverendissimus, pietate motus, ad Regis præsentiam properavit, ut suggestionem daret pro civibus qui gravi censu publico fuerant edicto adscripti. Sed cum scriptum sit, *Cor Regis in manu Domini*, quicquid petiit sanctus vir à Rege devotus obtinuit.

Accidit igitur ut revertente eo de itinere, quodam vico Catuliaco veniens, eodem scilicet die, quo resurrectionis Dominicæ celebrarentur sancta mysteria, invitatus à populo cœpit sanctis vacare officiis. Celebrante autem eo divina sollemnia, puella quædam, quæ à dæmonibus graviter urgebatur, exclamavit se sancti viri non posse ferre præsentiam, quæ tamen nomen ipsius incognita invocabat. qui videlicet juxta morem solitum exercens opera pietatis, peractis divinis mysteriis ad orationis portum profugiens, ut ne diutiùs ab antiquo hoste puella vexaretur, intercessor adsistit. Erant enim in ea septem nequissimi spiritus, qui dum orationi incumberet, statim quinque dæmonia expulit deprecando. Residentibus adhuc duobus, præcepit vir beatissimus parentibus puellæ, ut ab ecclesia non discederet, donec quod residuum fuerat maligni adversitatis expelleretur è corpore. Igitur veniens vir sanctus ad ecclesiam, ubi eam stare præceperat, adhibitis secum Monachis suis prostratus orationi, à Domino valuit obtinere, ut duo dæmonia quæ residerant expulsa fuissent, qualiter mente sincera, sensuque firmato remearet ad propria.

Alio quoque tempore cum vir Dei pro hujuscemodi conditione quasi occulto adventu Regis expeteret præsentiam, properavit itinere. Cumque Parisii civitatis claustra fuisset ingressus, populus urbis hujus gravi febre, dissenteria & morbo pessimo laborabat, ita ut nec numerus corporum præ multitudine morientium diebus singulis, præcipue infantium turba, æstimari potuisset. Quadam verò die dum à Pontifice civitatis illius non immerito venerabatur affectu, petiit ut eum secum paucis diebus caritatis officio retineret, ut intercessor pro populo exsisteret ad Dominum. Igitur dum petitionibus ejus vir Dei Aridius obtemperare voluisset, contigit aliquibus è suis in eodem tædio pessimo graviter incidisse, scilicet vir beatissimus confidentiæ tenore in Domino securus, solita prece pro plebe civitatis illius exorabat, quos blanda exhortatione suis scilicet sermonibus consolare non desiit, ut nullus de pietatis Dominicæ misericordia desperaret. qui videlicet jussit sibi oleum benedictum exhiberi, & singulorum eum crucis signaculo manu propria ora naresque perfudit, dicens ad eos. Consolamini in Domino, & vicissim vos adhortamini fratres, omnes vos incolumes restituit dextera Christi. & ad suos ita locutus dicens: Nolite quæso vos fratres mei, nolite contristari, sed potius vos viriliter confortamini, & de misericordia Domini enixiùs confidite, quia omnes vos divina potentia restituit incolumes regioni propriæ. Interea revolvens in animo suo ubi Regis sciret esse præsentiam, ut scrutatus deberet expetere. Relictis igitur fratribus in eadem civitate, cum paucis comitantibus properans tenus [locum] cognomento Brinnaco carpebat iter. Dum procul dubio viator adsisteret, sequentibus se dixit, Regem cognoscite gravi febre perurgeri, & pæne vitæ ipsius hactenus finem imminere, sed clementia Domini pro respectu pauperum nobiscum salubriter visitantibus liberabit. Hoc quoque secretius retinete; Post hos verò paucos dies proles ipsius quæ adhuc sospites esse videntur, migrant à sæculo. Per Spiritum scilicet prophetiæ cognovit vir Dei Aridius quod postea probavit eventus. Cum verò ad locum memoratum sanctus Dei famulus pervenisset, cognito Rex ejus adventu, cubiculum suum eum introduci præcepit, credens se ejus orationibus in Domino adjuvandum. Quapropter cum intrugressus fuisset, reddito salutationis officio cœpit eum manibus suis palpare, quis intra se Dominum precibus postulabat, ut petitionibus suis Rex præberet assensum. quidum commodius de anxietate suæ infirmitatis inter sacras manus beatissimi viri cœpisset habere, suæ causam conditionis exposuit: sed favente Deo, qui cuncta regit & omnia disponit suaviter, quidquid Dei Sacerdos apud Regem poposcit, facili obtentu potuit promereri. Adjiciensque Rex ut libros ipsos, quibus inscriptis pro gravi censu populus regni ejus tenebatur afflictus, sancti etiam viri pro respectu, vel stabilitate sua, manibus ejus tradidit, ut ipsius sui auctoritate incendio concremaret. Tunc Aridius receptis libris, jussit prunas parari, quo facto, apprehensos manibus suis ipsos libros, multis etiam circumstantibus in incendio concremavit. Obtenta ergo petitionis suæ causa, post diem tertium Principi valedixit. Quodam verò die priusquam Parisius perveniret, hoc quod suis comitibus non longè ante dixerat, illic comprobavit eventus. Referente procul dubio nuntio cognovit vir Dei Regis obisse filios, quos jam ante ipse prædixerat, & cum magna funeris turba Parisius deportandos. qui dum aliquatenus ad præfatam urbem rediens pervenisset, reppegit populum civitatis illius jam à dissenteriæ murbo divino auxilio liberatum. Invenit etiam quemdam de suis collegis, nomine Constantinum, gravi mortis periculo subjacentem. Nonnullos verò quos mortuos fuisse comperit orationibus suis incolumes reddidit. Tunc deinde hortatur à suis, ut ille qui pessimo succubuerat tædio, in loco aliquo commendaretur tali personæ, ut cum de hac luce transiret, cespitis humi tumulo clauderetur: ita dumtaxat jam fuerat vicinæ morti propinquus. Sed vir beatissimus miseratione motus, solita pietate promtus, allevans eum supra vehiculum quòd sedere consueverat, regimine ducitur alieno. qui cum videlicet jam in tertia die itineri insisteret, afflictus tædio, mortis ictu percussus, corruit exanimatus in terram: quod dum cerneret beatissimus vir, compuncto corde cum gemitu & lacrymis enixius orationi vacare cœpit. qui cum ab oratione surgeret, conversus ad corpus, dum manibus suis eum palparet, cœpit oculos suos aperire;

& non post longum horarum spatium, præda mortis evicta, redditur luci jam pristinæ incolumis, qui fuerat desperatus de vita, restituitur sanitate continua: qui igitur lento sermone aquam sibi poposcit expetendi, cum vagantes cuncti huc atque illuc anxiè quærerent, minimè invenirent, quia ille locus aquæ erat procul dubio sterilis: sed sanctus Dei Sacerdos paulisper se declinans, percutiensque ictu baculi terram, aqua prosilit abundè. qui mox petenti in vasculo detulit. Sic sitis ardor deprimitur, pallor à facie fugatur, vultus in rubore mutatur, erigitur pedibus; & qui fuerat mortis occasu damnatus: sospes patriæ præsentatur. qui postea multorum annorum duxit curriculum.

Adnectendum est virtutum miraculis, quod corda audientium inlustrentur exemplo. Cum jam è vicino patriæ jungeretur vico quodam Argentomao, ibidem Artemius quidam unus de Monachis opportunè suggessit, ut alimonia fratribus parari deberet. cui ille ait: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et illam Psalmistæ vocem, *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Sed hæc à me accipe, frater carissime; cum fluminis hujus alveum pertransieris, leva oculos in partem dexteram, opportunum invenies locum, ubi possumus nos vel vehiculi nostri famis inopiam temperare. Cumque ad locum eumdem sibi præceptum venisset, repperit ibidem duos miræ magnitudinis pisces adhuc maximè vivos. quibus assatis, vir Dei Aridius ex ipsis in refectionem partem accepit, & plerique ex ipsis usque ad satietatem visi sunt comedisse. Sed ille in cujus nomine retia laxaverunt Apostoli in fluctibus, & illa trahere non valebant præ multitudine piscium, & his distribuit esurientibus cibum.

Dum iterantur virtutes sanctorum, fidelium mentes velut sitientes profunda Dei mysteriorum satiari desiderant. Quodam tempore dum positus in itinere carperet viam, appropinquans cuidam vico Argentomao, concionatus est se sequentibus dicens, Tacitè transeamus, ne nobis inducatur mora itineris. Scilicet erat hic locus profanus, superstitionis antiquæ dæmonum cultibus consecratus. quo in loco populus Christianus inhabitans non potuit ferre miseriam, quia infirmitatibus variis subjacent, vel etiam ab ipsis dæmonibus assiduè agitantur. Cumque voluisset vir Dei Aridius latenter fugere à populo, & ille secrete oraret, commota est infirmantium multitudo populi, proprium nomen ipsius invocantes, quia procax dæmonum turba se à sancti viri adventu celare non poterat. Igitur dum eum sequeretur populi multitudo languentium, respiciens post tergum stetit, & protinus ad orationis studium se in terram prostravit, rogans pro illis Dominum, ut juxta fidem illorum essent salvati. cumque ab oratione fuisset erectus, crucis vexillum ilico super singulos impressisset, tum hi qui languoribus variis detinebantur, vel illi qui à spiritibus immundis vexabantur, adjiciens oleum cum benedictione, Domino gratias referentes, sanitati pristinæ ab infirmitatibus vel à dæmonibus liberati sunt.

Quos elegit Deus ante constitutionem mundi, hos despicit sublimitas reproborum. Hic vir sanctus abjectus fuit inter homines, & minimus à sæculi conspectibus, sed maximus inter sanctorum agmina prælatus. Quodam tempore in itinere positus, die quadam declinante ad vesperam, nec procul à vico, cui vocabulum est Menno, jussit ut itineri terminus poneretur, & sarcinas quæ jumenta vehebant loco congruo relaxarent. cumque locum amænum, aspectuque delectabile manendi spatium vidissent, cognoscens vir beatissimus per Spiritum Propheticæ quæ essent illi post modum ventura, hortatur paterno alloquio collegas suos, quibus sciebat maximam injuriam imminere, & allocutus est dicens: Viri Fratres & filii multam credite nos hac nocte injuriam perpessuros, sed confortamini & confidite nos cælesti auxilio liberari. Nec aliqua mora, cum cælum sidereo splendore serenissimum cerneretur, subito in tonitruo commovetur terra, quasi à stabilitate sua præ sonitu gravi in tremorem convertitur, denique conturbantur nubes in aere, apparent retro colore per sidera; & quæ fuerant candore perlucidæ, vertuntur in pluviam concitæ, crebrius micat coruscus è cælo quod fuerat obfuscatum: videlicet non longè ab ipsis erant idola cultu gentili dicata, cum aëra fulgoribus urgerentur, in impetu tonitrui ita eversa sunt cælitus, ut nulla exinde in crastinum fundamenta idolorum reperirent. Eodem ictu fulguris igne micante, silvam, quæ ab ipsis eminus cernebatur, ingens ignis ex parte exustam concremavit, & arbusta eruta ventorum impulsio prostravit. Sed tali timore qui cum Dei homine erant, perterriti sunt, ut nullus se posse evadere crediderit, metuentes ut plaga Dei super eos descenderet. Inde frequenter hortabatur suos orationi insistere, & tota nocte in psallendi officio perdurare. Locus enim ille ubi vir Dei Aridius ad manendum diverterat, humiliori loco aliis videbatur, quo ceteri sua tentoria fixerant. Ita enormitate aquæ cuncti sunt madefacti, ut nihil remansisset in vestibus ubi aquæ impetus non percurrisset, sed sanctus Dei Sacerdos capsulam quam cum sacris reliquiis collo suo appensam portabat, circumspiciens comites, superposito palliolo, & stratorio ubi requiescere debuerat tamquam si solis ardore attactus, ut nullum sensisset locus ille humorem.

Neque silendum est illud, quod virtuti congruit. Accidit quodam tempore, orto inter duos Principes bello, Lemuvicum populus regionis civitatis ipsius formidantes mœnia rumpere, & in desolatione redigere & destruere: quibus directis Nuntius à Rege missus, quorum ditioni populus subderetur, & jam depopulata urbs essent in obsidione. Igitur quidam ex ipsis DOMARICUS nomine, qui cum aliis ad occupandam civitatem venerat, sanctum Dei virum aggreditur, sollerti cura sciscitans eum, ut quidquid per revelationis Spiritum cognoverat, futura prædiceret. Quibus silentio ita locutus est. Quamquam sciam vos Regem metuere THEODEBERTUM, hoc scitote quod regnum ipsius nuper aufertur, sed hactenus citius interimitur. Rex autem vester multarum scilicet gentium augmenta adversus illum commovebit, super quem victoria ei donabitur: obtenta videlicet pugna victoriæ fraudulenter decipitur, sed à filiis nepotibusque suis, regnum ipsius traditur gubernandum. Ceteri verò Reges, quibus stabilitate regnum stare videtur, intervenientе articulo mortis pressi in ignobilitate rapiuntur à sæculo. Sed præfatus Domaricus ad bellatores regressus est. Nam quod vir Dei Aridius prædixit, ita postea rei probavit eventus. Sed inter hæc cetera bona, sermo quoque ei sapientiæ atque scientiæ affluenter collatus erat, caritatem & humilitatem super omnia possidebat, famulos quoque non ut servos affligebat, sed benigna caritate diligebat. Quid pluribus immorer? In omni conversatione sua quasi Lucifer inter astra cæli refulgens instar magni lampadis micabat. Semper enim perfectos æmulabatur ad bonum, semperque aliorum virtutes sibi proponebat exemplum. Tardus erat ad loquendum, & velox ad audiendum, eratque eleemosynis dives, caritate longanimis, humilitate sublimis, sermone subtilis, vigil ingenio, promtus eloquio, flagrans studio, utile nempe vas in Christi domo.

Plerisque sanctorum convenit esse credendum, ut futura prophetantes per Spiritum prophetiæ aperta consideratione divinitus gesta narrentur. Ita &, hic vir Dei illustrante superna gratia, per revelationem sancti Spiritus annuntiabat quæ hominibus essent ventura. Quidam vir ex civibus Lemovicum civitatis, cognomento NECTARIUS, non inops rebus, sed locuples divitiis, unicum habens filium, intelligente beato Dei famulo subitò illi mortis imminere incursum. Quapropter vir reverentissimus nuntium direxit parentibus suis, ut antea quàm morti puer occumberet suo præsentaretur aspectui. Tum audito genitrix nuntio prorupit in lacrymis pro sobolis internecione. Interea cum paucis sibi famulantibus B. viri obtemperat jussioni: cumque proficisceretur viam, ut prædictoris veritas probaretur, vi febrium ingenti attacta pueri membra solvuntur. Et demisso capite, clausisque oculis pæne mortuus esse videbatur. Et cum vir sanctus hujus rei exspectaret eventum, cernentes adolescentem esse exanimem, ilico erumpentes in fletum vociferantes famuli, qui cum summa festinatione venientes ad Dei hominem properant. Scilicet pietate motus suscipiens puerum exanimem, ad Reliquias sacratas B. Hilarii Antistitis credidit exponendum, qui pro eo magnis orationibus & precious Domino commendavit, ut qui quatriduanum Lazarum reddidit vivum de sepulcro, huic quoque puero subveniret propitius. Coosummata igitur oratione, qui exanimis esse cernebatur, statim restituitur matri incolumis: & quem crediderat mortuum tradere sepulturæ, cum eodem magno gaudio exultantes domum revertuntur alacres. Hæc igitur sed & alia quamplurima his similia, quæ per singula prosequi longum est. plerumque vir Domini Aridii prophetiæ gratia ornatus prænuntiavit.

Multa etenim sunt quæ per beatissimum virum omnipotens Deus virtutum opera declaravit, quæ dum sæpius revolvuntur, semper accrescunt quæ miraculis intueantur. Sed hæc videlicet quæ superiùs pauca de pluribus comprehensa sunt. In terris degens ut incola, postquam cælestem adquisivit palmam, ad Christum remeans à sæculi laqueo eductus, non minimum referendum nobis reliquit exemplum, quàm vivens potuisset operari in mundo. Sed nunc longum est per singula virtutum ejus miracula verbis enarrare, præsertim cum liber jam supra modum refertus postulans finem sermonem rejiciat, & aviditas sermonis nostri attenuata, vel longo tramite pænè defessa succumbat: non quod omnia quæ de eo narranda erant explicavimus, qui nec ad centesimum quidem ejus virtutum operum attingere potest, quanta in virum beatum operum bonorum ornamenta, quæ sunt maxima & pretiosa supernæ remunerationis contulerit prærogativa. Hoc igitur restat ut ad finem termini valeamus pervenire. O vere imitabilem Virum! O quàm præferendum omnibus ejus exemplum! O semen secundum Abraham benedictum, nempe Abrahæ benedictio meruit filium, Aridius verò benedictus transfertur in cæleste regnum; Abraham tradit heredem, hic nihilominus hereditatem; postremò Abraham quod habuit pignus exhibuit, Aridius verò totum quod potuit habere in mundo Domini scilicet arbitrio jurique commisit. Sufficiat ergo hæc dixisse. Jam verò, ut spero, etsi rustico sensu, sermonem prolixum duximus, quamquam ejus meritis digna præconia nullatenus narrare sufficeremus Nunc verò tam ad audientium ædificationem dignum esse puto, quàm & legentium si quomodo ex hac vita ad Dominum migravit paucis verbis explicare curavero, adjuvante Domino nostro Jesu-Christo, qui vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti per omnia secula seculorum. Amen.

Incipit de Transitu sancti ac beatissimi Aridii Abbatis & Confessoris.

IGitur cum jam vir Domini Aridius senilem ageret ætatem, cum jam mundi adversa, cunctosque labores æquanimiter tolerasset, postquam fidelissimæ dispensationis creditæ sibi undique merita commolavit, post multiplicia misericordiæ opera, post monachorum cœnobiorumque mancipatum, post dulcia vitæ exempla, post bonorum omnium & virtutum miracula declarata; vergente jam ætate, cum autem esset annorum amplius octoginta, sciens jam dissolutionem sui corporis imminere, dixit ad suos Monachos: Scitote carissimi Fratres, quia me Dominus de laqueo hujus seculi in proximo liberare dignabitur. Cum hæc audissent, ex eo sermone cuncti labefacti atque in angorem conversi cœperunt mærentes dicere, Non contingat domine hoc famulis tuis videre, sed magis annis multis ad ornatum ecclesiæ beatitudinem tuam Christus hic vernare permittat. At ille cum lacrymis vel longis suspiriis dixit ad eos: Non nostra, sed potius Domini ex hoc fiat voluntas. Porro ad hæc verba cunctis mærentibus ait: Nolite quæso fratres mei, nolite contristari, sed magis gaudete & exultate quia olim hoc tempus desiderabam, hanc remissionem percipere cupiebam. Illis itaque in angorem conversis atque suspirantibus, nihilominus & rei ambiguitate detentis, à colloquio cessatum est. Igitur nec mora aliqua. post hæc levissima febri infusa corpori tædiari cæpit. Deinde vocato quodam puero præcepit dicens: Festina fili mi, perge citò ad virum illustrem ASTIDIUM, dicesque ad eum, ut celeri cursu veniat, quia hujus cœnobii regiminis curam post dies obitus mei ipse recipiet. Et rursus ait: Quoniam si moram aliquam fecerit, faciem meam in hac vita jam non videbit. Nuntius quippe jussa complevit, sed præfatus Astidius veniendi causa tardè occurrit. Cum autem adfuisset, virum Dei jam superstitem in hoc sæculo non invenit. Itaque ut vir Dei prædixit, ita postea rei probavit eventus. Interea, ut dicere cœperam, cum vir beatus ultimam decumberet ægritudinem, nec quidem à Dei opere cessabat. Bonam hanc consumationem virtutum suarum existimans, ad finem usque perduceret. Pernox enim in orationibus & vigiliis, membris fatiscentibus Deo spiritum & mentem servire cogebat, & nimium lætus cupitum iter exspectabat. Igitur cum jam propinquum diem sentiret, congregatis IX Kalendas Septembris discipulis suis, quos jam corpore non spiritu incipiebat relinquere, dixit ad eos: Utinam dilectissimi fratres parvitatis meæ audire sententiam [velitis.] Si verè mei amatores estis, Christi monita amate, Dei tremenda judicia jugiter formidate quales eritis in die judicii præsentandi sollicita consideratione cavete: ego enim jam gradior viam meam, sed & ego cupio dissolvi; & si Dominus permiserit, esse in requie. His ita dictis, cum omnes flerent & ejularent, ait ad eos: Ecce hodie in manus vestras commendo salutem animarum vestrarum: mementote ergo admonitionem meam, & cogitate omnes de vobismetipsis: Hæc quæ dico assiduè agite, hæc sapite & retexite, & memoriam meam semper vobiscum retinete. Jam ultra Aridius non erit in hoc sæculo vobiscum. Cum hæc audissent omnes qui circumstabant, ingenti gemitu & fletu levatis, consona voce omnes flebant dicentes: Cur nos Pater deseris, vel cur tam citò à nobis recedere cupis? Scimus quidem te desiderare Christum, sed

ſalva tibi ſunt tua præmia, noſtri quoque miſerere quos deſeris: abſentiam tuam ferre non poſſumus, quia ſimilem tui numquam poſtea habebimus. Doleat tibi Pater, ne tam cito relinquas nos orphanos. Talia quippe eis deflentibus, piiſſimus ille paſtor faciem uberrim lacrymis rigabat: & cum eſſet pius, nec hos deſerere, nec à Chriſto valebat diutius ſeparari; Tandem ergo inter amaras lacrymas reſumens verbum dixit: Nolite ea hoc contriſtari, & ne quæſo nolite amplius fletu vexari de abſceſſu meo; gaudere vos magis oportet quàm mærere, quia etſi corpore abſens fuero, ſpiritu præſens ero. Ego verò ſi quid agere potui, profectibus veſtris militavi; & quamquam ego infelix ſim, Dominus autem ſemper eſt, illi vos commendo ipſique curam veſtram committo. Scio quidem quia inutilis ſervus non geſſi quod debui, Dominus autem ſcit quomodo volui. Poſt hæc quoque verba, vergente jam die, ſubito procidit in pavimento, & elevatis ad cælum oculis orabat ſuppliciter gemens atque ſuſpirans: Commendo tibi Domine Jeſu oves quas mihi credidiſti. Commendans igitur Domino cum fænore quod ab ipſo acceperat talenti munere. Jam verò in extremis poſitus, vocatis ad ſe diſcipulis, amplexauſque per ſingulos flens, valedicenſque omnibus ait: Jam ultra non loquar ad vos, & faciem meam amplius non videbitis, ideoque valete in pace, etiam me ſentite quieſcere. Hi itaque qui circumſtabant audientes, nullo quiverant genere temperare à fletu. Vis tamen inter amaras lacrymas, hæc verba ſolummodo reſonabant. Dolemus quidem noſtri cauſa, quod nos ſolatio abſceſſus tui deſtitois, ſed tui cauſa, Pater optime, conſolamur; quia poſt mundi hujus laborem ad requiem vadis æternam. Tunc ille oculis ad cælum elevatis tacitam precem fudit, deinde cum lacrymis ait: Memento mei Domine, qui ſolus ſine peccato es, Redemptor mundi, & educ me corpore mortis, & ſalvum me fac in tuum regnum cæleſte: tu es protector meus Domine, in manibus tuis commendo ſpiritum meum. Suſcipe ergo me ſecundum magnam miſericordiam tuam, & non confundas me ab expectatione mea; ſed adjuva & auxiliare exitum animæ meæ. Aperi mihi Domine properanti januam regni tui, & principes tenebrarum non occorrant mihi, ſed clementia tua protegat & defendat ac manus tua perducat me in locum refrigerii & conſolationis, & vel in ultimo tabernaculo quod præparaſti timentibus nomen ſanctum tuum. Inter hæc etiam addidit dicens: Nunc dimitte ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Et his dictis inter verba orationis emiſit ſpiritum.

Cum ſancta illa anima carnis ſarcina fuiſſet abjecta, ſtatimque cum eſſet hora ſecunda noctis, viſus eſt globus nimia claritate reſplendens ſuper ejuſdem Cellulam de cælo deſcendiſſe, & ſubito ad ſidera deſuper penetrare. Hoc igitur ordine ſancta ejus anima terrenis contagiis liberata, deducentibus Angelis ſanctis, ad ſuum auctorem revolavit læta. Vir quidem ſpiritum emiſerat, luctus & fletus ad cælum reſonabat. Compoſitum quidem ea more corpus, feretroque impoſitum, ibidem in Pſalmis & Hymnis totam noctem pervigilem ducunt. Cum autem lux diei fuiſſet exorta, convenit populi multitudo: & jam eum & ad notitiam Pontificis urbis Lemovicinæ perveniſſet, quo audito cum magno fletu celerique curſu occurrens, ſuper corpus ſancti viri diutiſſimè flevit, quod eum vivum minimè in ſæculo inveniſſet: & mox eùm ad eccleſiam ſancti Juliani Martyris, quam vir ſanctus ædificaverat, ubi corpus ſacrum jacebat, deportare voluiſſet, nullomodo feretrum vel paucum levare potuerunt. Decreverat autem vir Domini Aridius in eccleſia ſancti Hilarii Antiſtitis, quam & ipſe ſuo opere ædificaverat, corpus ſuum ſepulturæ tradere. Tunc triſtis valde Ferreolus Pontifex effectus, indixit jejunium triduanum celebrare cum pſallentio. Quod cum ita fieret, ipſe cum ſuis indeſinenter per illud triduum celebravit jejunium. Interea cum peractum eſt jejunium, ait: Si Domini eſt voluntas, aut ſancti hujus, ut illic eat quo ego vel plebs hæc cupimus, ſine ulla dilatione elevetur. Erat autem locus in ſecretiori parte. Cumque acceſſiſſent ad feretrum, ut eum levare conarentur, tanta mox celeritate levatum eſt, ut facile à duobus portaretur, quod antea nec à plurimis movebatur. Quod omnes qui aderant cum eodem Pontifice cernentes, cum magna exultatione Chriſti gloriam magnificabant dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens. Cumque jam deportatum fuiſſet corpus ad ſepulcrum, omnes qui aderant nullo genere temperabant à fletu; Patrem ſe perdere clamabant, & inter fletus & ſingultus via hæc verba promebant: Cur nos Pater deſeris? & cui alumnos tuos tradis regendos? Igitur corpore ea more tradito ſepulturæ, præfatus Epiſcopus reverſus eſt ad propria. Comparetur itaque ſi placet exequiis hujus ſancti Viri, non dicam funeris, ſed potius triumphi, magis gloria ſæculi: conferatur ſi poteſt etiam virorum divitum pompa huic Sacerdoti defuncto æquanda. Illos confuſis plauſibus turbarum honorat inſania: Aridium mundi ærumna exutum Angeli cum cæleſtibus laudibus perferont ad regna perpetua. Illi poſt ſæculi pompas in tartara truduntur: hic poſt mundi adverſa, ſinu Abrahæ lætus excipitur. Illi divitiarum opibus oppreſſi, & defuncti præcipitantur in gehennam; Aridius verò eleemoſynis ſublimatus cum ſanctis reſurget in gloria. Illi poſtremum lugent in inferno damnati, Aridius laureatus exultat eccleſiæ cum cunctis à ſæculo ſanctis. Gratias tibi Deus noſter, qui reddidiſti ei magna pro parvis, & quieſcere eum feciſti in gloria ſempiterna, & illa Evangelica promiſſione, ubi ait: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam.* hic meruit audire, *Intra in gaudium Domini tui:* & ſicut de talibus per Salomonem ſcriptum eſt, *Juſtus de anguſtia liberatus eſt.* Et per Hieremiam ſcriptum eſt: *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Hinc & David dicit: *In lege Domini voluntas ejus, & erit quaſi lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Hinc etiam per Iſaiam Prophetam Dominus dicit: *Ego vocavi eum & benedixi ei, & directa eſt via ejus.* Hinc quoque in libro Eccleſiaſtico dicitur: *Timenti Dominum benè erit in extremis, in die defunctionis ejus benedicetur.* Hinc & alibi ſcriptum eſt: *Bonorum laborum ejus glorioſus erit fructus, & in perpetuum corona ejus triumphat.* Hæc nos de obitu ſancti Viri ſufficiat narraſſe, ut ne legentibus faſtidium ingeram. Verum & ejus vita terminetur, noſter quoque terminetur & ſermo.

Incipit de miraculis S. ARIDII *Abbatis.*

NUne de multis miraculis quæ ad ſacratiſſimum ipſius corpus Dominus aſſiduè ejus meritis operatur, vel pauca de pluribus, quæ in calce ejus obitus ibi Jeſus-Chriſtus declaravit, pro legentium opportunitate aggrediar: ideoque non valet mens humana in verbis erumpere, quantis myſteriis milites ſuos ſuperna gratia illuſtrat. Quidam Monachorum de Viri ſacratiſſimi cellula, nomine Baudenus cum inſtrumentis chartarum, quibus Monaſterii poſſeſſio firmabatur, regionem Burgundiæ adire non diſtulit.

Qui igitur expetens venerabilem & egregium Antistitem SYAGRIUM Eduæ civitatis Episcupum, eumque suis precibus imploravit, eo quod honore dignissimus præ omnibus in Regis Palatio habebatur, ut ejus patrucinio à diversorum æmulorum insidiis Cellula eueretur. Qui scilicet petitionibus præfati Monachi annuens, quæ petivit, vir reverentissimus non negavit: sed etiam auctoritate regali instrumenta munivit, & ad regimem remrandi tribuit libertatem. Cumque transissent dies plurimi, & obtenta petitione festinaret, opidum Lemovicæ, regionis ingressus est. Quodam die in vico quodam, nomine Recomago *, virum magnificum NECTARIUM ibidem repperit; & quidquid petitionibus suis eventus præstiterat, omnia patifecit. Qui dum interea percunctaretur ab ipso, cœpit sermonibus suis vacillare, menteque lapsa ac furibundo vultu, statimque prorumpens in vocem, causam sui operis silere non potuit, quod adulterii vitio fuerat ludibriosè inquinatus. Qui dum frenderet dentibus, & se suis morsibus laniaret, chrismarium, quod vir beatissimus Aridius gestare consoeverat, & reliquias habere sanctorum, à se concitus excotiens, projecit in terram. Et dum furor ingens illius sedari nullatenus poterat, vinctus custodiæ mancipatur. Interea unus è famulis præfati viri, apprehenso chrismario quod à se projecerat, nesciens inter vestimenta reposuit. Qui dum hoc ageretur, constipatis in unum rebus onerare jumentum cœperunt. Nam cum super ipsum onus elevatum fuisset, sacro pondere constipatus, in terra corruens gressum ultra movere non potuit. Quid plura? supponitur in alio, qui scilicet suscepto pondere, pari conditione idemque similiter in terra procubuit. qui dum multis stimulis cruentatus urgeretur, nullatenus reddidit animos erigendi, quo usque daretur causa intellecti culpa facinoris patefieri. Igitur dum artius furoris impetu suæ vesaniæ ageretur, exclamavit quod chrismario quod se indigne deportasse dicebat, cum suis vestimentis esset adstrictus: & ideo vehiculum non movetur nisi hactenus tollatur, ubi positus est negligentiæ culpa. Quod videlicet scrutato marsupio ilico repererunt, & pro veneranda devotione ac religione vir sublimus Nectarius puero innocenti cum reverentia honoris superponit; statim horarum solvuntur spatia. Præfatus namque Baudenus, cum antequam spiritu perturbaretur, nepote nec alio potest æstimari qui suo sensu non regebatur, coram omnibus exteusis gressibus fugam init. qui dum in unius spatio horæ pænè duodecim millia suis pedibus velociter curreret, fatigato corpore, semianimis corruit in terram: cumque à custodibus adsecutus fuisset, apponitur mansioni. Exacta namque nocte diluculo consurgens ad sacratissimum tumulum sancti Martialis cogente immundo spiritu se obtulit præsentandum; ibique ut professionem sui operis patefecit, expulso maligno spiritu medelam meruit recipere sanitatis.

* *superius Ricomao.*

Sunt multa & alia quæ post transitum sancti viri omnipotens Deus operatus est. Hujuscemodi causa populis exspectantibus, unus è familiaribus ad virum magnificum antedictum velocissimo cursu perveniens, nuntiavit conjugem suam gravi mortis periculo detineri: quem verò admonuit ut festinus adesset, si vellet eam reperire vivam. Qui interea confidens de Domini miseratione, puerum qui chrismarium sancti viri secum detulerat, jussit concitus in antea properare. Cumque domum fuisset ingressus, omnis familia in luctu & lamentatione vacabant, eo quod tam repentinæ mortis articulo subjaceret. Quæ scilicet oculis clausis indicium morituræ ostentu gutturis apparebat, tibi gravissimus exortus fuerat nodus. Quæ etiam jam vocis officio obturato, ac caligantibus oculis, nec virum suum agnoscere poterat. At ubi chrismarium sancti viri collo morientis suspenditur, mors ilico fugatur, statim oculi solvuntur in lumine, spiritus halitus saluti pristinæ reformatur. Quæ eructans fortiter, ablato gutturis nodo, quod esu non acceperat revomuit, & restituitur vitæ cui mors imminebat in januis. Ipsum verò chrismarium vocatis sacerdotibus venerabiliter ad Monasterium sancti viri deportatum est.

Sed quis singillatim omnia mirabilia quæ ad sanctum ejus sepulcrum Dominus Jesus-Christus operatur, assiduè verbis valeat enarrare? Quadam die decreverat mulier se sancti viri præsentiam esse videndam, ut referret gratias. Nocturnas vigilias celebrantibus Monachis, Babolenus quidam habens filium nomine Babolenum, qui gravi fuerat membrorum vulnere addictus, deportatus à parentibus, ad tumulum sancti viri exponitur: qui dum in pavimento jaceret, nocte fere media puer prorumpens in voce, sensit membrorum compages locis quibus fuerant dissolutæ, adjungi: qui videlicet se erigens è pavimento, solidatis membris stetit super pedibus suis: & qui fuerat manibus exhibitus ad sepulcrum, gressu proprio cum ipso suo parente gavisi, gratias Christo referentes, revertuntur ad propria.

Intuendum summopere est, quanta omnipotens Deus sanctis suis in hac vita gratiæ suæ contulit dona, ut ad majorem gloriæ cumulum ad supernam patriam remunerentur post triumphum. Itaque quidam ex Monachis, nomine Gaudomeres, de Monasterio Ambiacini, quod non longe ab urbe situm est. Ipse verò à maligno spiritu detentus, ita ut visu quem cerneret, morsu vellet decerpere; & in duabus vinctus catenis deducitur ligaminibus quasi reus ad judicem. Quadam namque die ad tumulum sancti viri deductus est, ibique redditus sanitati pristinæ, ab adversario hoste, à quo vexabatur, ereptus est, in servitio omnipotentis Dei plerosque convertit. nam catenæ quibus miser adstringebatur, sponte solutæ sunt, ut miraculo duplici patefaceret, quod in uno momento catenæ constipatæ confringerentur, atque à dæmonio obsessum divina gratia absolveret, ut liber Deo serviret, cui creatura omnis ingemiscit. Nam si quis exigente causa quamcumque fuerit ob culpam vinctus vel catenis adstrictus, si contigerit ut per agrum publicum, qui basilicæ ipsius proximus est, ducatur ligatus; mox ut contra eamdem ecclesiam ventum fuerit, confestim disruptis omnibus vinculis solvitur reus, nec patitur ulterius teneri adstrictus.

Mirandis rebus plus adhuc miranda succedunt. Quadam verò die duo muti venientes ad tumulum sancti viri, licet lingua rogare non valebant, sed fide. Peruncti igitur oleo, mox solvitur imperante Domino lingua mutorum, & loqui cœperunt adorantes: & qui effecti fuerant elingues, protinus sermocinantur ad plebem.

Electi quippe hoc in munere acceperunt, ut quanto magis virtutibus polleant, tanto etiam indignos se judicent, ne ad inanem gloriam rapiantur, ut dono non priventur superno. Igitur quatuor viri de diversis provinciis venientes, una cæcitate damnati, tunc prostati in Oratorio exspectabant lumen, eventu quærentes sancti viri remedium. Interea dum preces ad sacratum tumulum offerunt, unanimiter postulantes, ilicò cæcorum oculos aperit qui longo jam tempore fuerant clausi, claro lumine adepti, poscentes limina templi.

Multa quidem & alia ibidem jubente superna gratia ejus meritis operantur signa atque virtutes: inter quæ etiam & scindulus exundante ubertim oleo superfunditur. Ex quo etiam sancto liquore multi

illic perducti à diversis sanantur infirmitatibus, & benedicitur ibi jugiter nomen Domini Dei æterni. Sed & ad ejus nihilominus lectum, qui situs est in Monasterii sui prædio, multæ virtutes simuliter declarantur. Sed & per diversa loca ubicumque sacræ ejus reliquiæ deportantur, vel quo etiam delatæ fuerint; plurima signa virtutum ejus, merita revelante gloria Christi, enixius efficiuntur. Quæ omnia ex ordine onerosum duximus verbis prosequi: & idcirco ea his paucissimis syllabis complexi sumus, quia jam cessare à collocutione festinamus. Quæ verò si per singula, ut gesta constant, nunc enodare curaverimus, & modum paucissimi voluminis excedimus, & ipso ipsa forsitan prolixitate fastidium legentibus ingerimus. Quæ verò nos minus enarravimus, palam omnibus fidem præstant, conspicientibus illa multimoda vincula cumpeditorum, quæ ad ejus sepulcrum in argumento rerum cernuntur appensa. Ex quibus etiam nos aut certe pauca, aut pænè nulla commemoravimus, pes id mtaxat quod in conspectu omnium apposita, velut nos locum ita & omnes non ambigimus nosse. Hæc quidem quamplura infra pauco tempore constant acta. Illa scilicet quæ deinceps per prolixa spatia temporum agenda sunt, qualia vel quanta fiant, quis modo æstimatione comprehendere valet, cum numquam à præsulis tumba hodieque cessent fieri miracula. Sed quotidie ægri ad tumulum sancti viri veniunt, & ibi excubantes sanctificantur; cæci veniunt & illuminantur: dæmoniaci veniunt & liberantur: perjuri veniunt, & aut moriuntur, aut etiam à diabolo vexantur: ferro vincti confugiunt, & solvuntur: claudi carruca advecti, consolidatis gressibus ad propria incolumes revertuntur. Multæ quidem sanitates ex eo qui illic crescit, olei liquore perficiuntur. Quam rursus à frigoribus, vel diversis infirmitatibus detenti liberati sunt, post transitum beatissimi viri qui fuerant ab hoste captivi, nam libelli pagina singillatim non potest adnecti, ut ne infirmiosibus fide fastidium præparet, & dubitantibus sermo prolixior promulgetur. Hæc igitur pauca de pluribus dixisse sufficiat, ut quasi de diversis floribus in sanctæ Ecclesiæ sinu redolentes repleta multorum corda credentes, ut easpere perfectos fructus valeant, quos mundialis delectatio non inquinat. Non potest enim & hic gaudere cum sæculo, & illic regnare cum Christo, nec duobus Dominis servire, Deo scilicet & mammonæ. Deponentes igitur opera tenebrarum induamus arma lucis, quia Creator omnium est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium suum, qui cum Trinitate perfecta vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, amen.

TESTAMENTUM
SANCTI AREDII
ABBATIS ATTANENSIS.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, sub die pridie Kal. Novembr. anno vrs x° [a] regni domini nostri Sigiberti Regis, ego AREDIUS Presbyter & PELAGIA [b], sana mente integroque consilio, judices & arbitros rerum nostrarum metuentes casus fragilitatis humanæ, ne nos subitò repentina mortis præveniat occasio, residentes testamentum nostrum condidimus, quod ego ipse Aredius manu propria scripsi, & testibus numero competenti tradidimus subscribendum. Quod testamentum nostrum, si casu, jure civili, aut prætorio, aut cujuslibet legis novellæ conscriptione vel veteris valere non potuerit, in vicem codicillorum & omnium Scripturarum, quæ firmiter consistunt, valere jubemus. Ut id fiat,

a *Anno VI X°*] Testamentum hoc ex pervetusto codice Attanensi eruit noster Claudius Stephanotius, contulitque cum Vosidensi seu Vosiensi & aliis exemplaribus. Ejus testamenti aliquot versus retulere Sancta-Marthani in Gallia Christiana, ubi de Monasterio Attanensi; & Philippus Labbeus in Miscellaneis curiosis. Arredius testamenti auctor, genere & sanctitate clarus, patriâ Lemovix, Presbyter & Abbas fuit à Gregorio Turonensi Episcopo sæpius laudatus, cujus vitam retuli in primo Sæculo Benedictino, & alteram auctiorem suprà. Quod ad hunc locum attinet, præferenda lectio codicis Vosidensis, in qua legitur *anno X°, regni Sigiberti*. Nam Sigibertus Austrasiorum Rex, Chlotharii magni filius, solidos annos dumtaxat quatuordecim regnavit. Hic suboritur duplex difficultas. Prima est, cur Aredius Lemovix tempus conditi testamenti designet per annos Sigiberti Austrasiorum Regis? an tum in diœcesi ista numerabantur tempora per annos cujusvis è Tetrarchis, qui Gallicarum Imperium inter se divisum regebant? an Lemovices Austrasiorum Regibus parebant? Certe Brunechildis, Sigiberti uxor, *Lemovicum* civitatem aliasque à Galesuinda germana sua, *superstitibus Chilperico & Sigiberto Regibus*, acquisiisse dicitur in exemplari pactionis, relato apud Gregorium Turonensem Episcopum in Historiæ Francicæ lib. 9 cap. 20. Et Aredius ipse in aula Theodeberti Austrasiorum Regis educatus est, in quo palatina officia exercuit. Altera difficultas petitur ex tempore conditi testamenti. quippe Aredius, referente eodem Gregorio in lib. 10 cap. 29, paullo ante obitum suum, qui anno Childeberti sexto-decimo, Christi DXCI contigit, edidit testamentum, mox ut è Turonica urbe reversus est. Gregorii hæc verba sunt: *Cumque ad cellulam suam accessisset, testamento condito ordinatis omnibus, ac sancto Martino, Hilarioque Antistitibus heredibus constitutis, ægrotare cœpit, ac dysenteria morbo gravari: sexta quoque ægrotationis die, beatus vir spiritum tradidit*. Atqui jam tum ab obitu Sigiberti anni sexdecim effluxerant. Verùm facile est solvere hunc nodum. Aredius ex aula Theodeberti reversus, ut se totum rebus divinis traderet, rerum suarum curam in Pelagiam matrem rejecit, *ne sibi ad quod accideret sollicitamentum, quo ab oratione cessaret, unum sibi tantum privilegium vindicans, ut ad ecclesias ædificandas præesset*, inquit Gregorius in loco mox citato. Postea construendo Attanensi Cœnobio manum admovit: tumque simul cum Pelagia matre dotando Monasterio testamentum conscripsit: quod postea sub vitæ exitum ratum esse jussit. Itaque duo testamenta scripsit Aredius, sive potius unum idemque testamentum bis edidit. Primum anno XI Sigiberti, Christi DLXXI, vivente ac comprobante Pelagia ipsius matre, ut scilicet Monasterio Attanensi, quod tum construebat, res suas omnes conferret. Secundum Childeberti Austrasiorum Regis anno XVI, Christi DXCI, paullo ante obitum suum, quo primo testamento robur accederet, de solo posteriori loquitur Gregorius. Sic Widradus Abbas duo testamenta diverso tempore scripsit in gratiam Flaviacensis Monasterii, cujus conditor fuit.

b *Pelagia*] Sic Aredii matrem vocat Gregorius tum in historiæ lib. 10 cap. 29, tum in lib. de gloria Confessorum cap. 104. Quæ abhinc verba sequuntur in testamento, eadem fere legas apud Marculfum in Formularum lib. 2 cap. 17.

dator,

detur, præstetur, illibatum in omnibus teneatur, secundùm tenorem infrà scriptum, quem Christo Domino adjuvante constituimus.

Itaque te, sancte Martine [c] Turonensis, judicantes instituimus ita ut per Præpositum sanctæ ordinetur suæ basilicæ . · . ·. Quod verò tibi, vel quidquid unicuique donavimus, aut quod fieri rogavimus, hæc omnia potestate & sancta dominatione tua post obitum nostrum ut fiant & parmaneant supplicamus. Ideoque donamus tibi, sancte Martine, per hujus testamenti paginam medietatem Gricensis: aliam verò medietatem cum ædificiis, vel cum omni jure suo, ut Attano [d] consistentes Monachi nostri in perpetuum se, sancte Martine, defensante possideans: ea videlicet ratione, quod Monasterium quod Domino inspirante & adjuvante nos fecimus, & Monachos quos ibi Deus per nos peccatores esse ordinavit, aut inantea Deus ordinare jusserit, id est tam de ingenuis, quàm de servis nostris, tibi, domne Martine, fecimus, ordinandos commendamus: ita ut si exinde: quod absit, quisque abstrahere de potestate vestra voluerit, quæ tibi, sancte Martine, ad loca sancta amore Christi, & in tuo honore vel Sanctorum ædificata sunt, aliquo malo atque iniquo ingenio (quod Deus avertat) quem regendum gubernandumque dignus haberetur, absque procuratione sanctæ vestræ basilicæ ordinare aut subdere neglexerit, sit per virtutes tuas anathema.

Portionem nostram de agro Sisciacensi, hoc est domus & oratorium cum reliquis ædificiis, agris, silvis, pratis, pascuis & areolis, cum omni jure suo, sicut à nobis præsenti tempore possidetur, tua sancta basilica, domne Martine, sed & commendati Monachi Attanenses, quos sub tuo patrocinio vivere sancimus: & qualiter dominium proprium * habeatis, & manicipiola vobis ex ipso fundo Sisciacum tibi, domne Martine, atque tuis Monachis condonavimus, quod est ad partem basilicæ tuæ, aratores iis, Parminium, Talasium & Claudium, seu & reliqua mancipia nostra, vel quæcumque nobis debita servitute debentur, exceptis illis qui jam liberi sunt, Clara scilicet & Marcia, Ursacium cum uxore & filiis similiter tibi ad servitutem donamus, ea verò conditione, ut quaternos aripennos vineæ colant.

* al. Deum propitium.

Cellam quoque nostram in honore sancti Medardi [e] dedicatam, quæ sub GAVOOMARO sita esse videtur, & vulgo Exidolium [f] appellatur, cum omnibus suis pertinentiis Monachi Attanenses, te, domne Martine, defensante possideant. Memacum [g] domum nostram cum ædificiis, vineis, silvis, pratis & pascuis, vel cum omni jure suo, similiter & Luciaco, Marcomonte, cum vineis vel omni jure suo, secundùm quod à nobis est Deo propicio possessum, Monachi nostri Attanenses ut per te, sancte Martine, habeant volumus, & te defensante ut possideant rogamus, cum mancipiis his nominibus, Parminium cum uxore & filiis, Leomere cum uxore & filia, Armedium cum uxore & filiis, Rusticum, Claudium, Silvium, cum uxore & filiis. Hi enim similiter quaternos aripennos vineæ Monachis colant, uxores verò eorum decenos argenteos singulis annis Monachis suprà scriptis nostris Attanensibus persolvant, & nihil amplius ab eis ullus ullo tempore exigere præsumat. Peculiaria verò eorum, campellos & vineolas nullo inquietante possideant, ea verò conditione, ut nec vendere, nec alienare præsumant. Caurimacum verò domum nostram, quæ portio nostra dicitur *, prætèr id quod dedimus, vel id quod vendidimus, cum vineis, pratis, silvis & pascuis, medietatem basilica tua, domne Martine, habeat, [sicut] instituto hoc recolitur *, & medietatem Monachi nostri Attanenses per te ut habeant, humili supplicatione deposcimus. Eufrasium & Meroaldum vinitores vineæ tuæ deputavimus, domne Martine; ea verò conditione, ut vineæ & ipsi quatuor arpennos colant & diligant.

* al. bedeu-

* al. hæres instituta recotat.

Valentinianum pariter Monachis suprà scriptis deputamus, ut & ipse tv arpennos vineæ colat Monachis, & nihil amplius. Uxor sua Subfronia, & filios si habuerint, in libertate permaneant. Basilicæ sancti Martini dedimus portionem nostram ex fundo Rosiaco, domum nomine Viliaco cum omni jure suo. Similiter & dono Genuliacum cum ædificiis, pratis, silvis & pascuis, vel omni jure suo, sancto Martiali volumus esse donatum. Et de Scauniaco vineæ cultæ arpennos quinque, quos Provincianus Leo vinitor colit, sancto Martiali pro oblata nostra donamus, ut servientes sancto Martiali vel matriculæ suæ per sanctum heredem nostrum accipiant. Area cum domo nostra intramuranea Lemovicinæ civitatis cum ingressu & regressu ejus, basilica tua, sancte Martine, & Monachi nostri Attanenses æquali successione possideant. Similiter in Islandone [h] castro aream intramuraneam cum domo nostra simili æquitate possideant.

Eustriaco possessionem nostram Florentiæ portionem & filiis suis volumus esse donatam, ut liberi nostri, quorum nomina sunt inferiùs comprehensa, sub defensione tua, sancte domne Martine [i], consistant, id est Castorium cum uxore sua Limphasia, Octardum cum uxore sua Exsuperia, Aquilico & Pascentio, cum uxoribus eorum & filiis, Mallosse cum uxore sua, Antedia cum filio suo, Leonardum cum uxore sua Gaudiosa, Garibardum cum uxore sua, Faustinum cum uxore sua Ermactana, Johannem cum uxore sua & filiis, Marometum cum uxore sua Sanctonidia, Faustinum cum uxore sua & filiis Antoniæ, Nimasius cum uxore sua Maria, Maidrianum cum uxore sua Gerontia, Leonum cum uxore sua B. joia, Basulum cum uxore sua Avencia, Mauricium cum uxore sua Margaudia, Simieldum cum uxore sua, Marcellum, Leontium cum uxoribus suis Cusmioa, Ursecia, Lucia, quam redemimus captivam, Romanam cum filiis, filios

c *Sancte Martine*] Attanense Monasterium, resque suas omnes sancto Martino Aredius & Pelagia ipsius mater subjecere. Hac hodie quoque collegium Attanensium Canonicorum subjacet Turonicæ basilicæ S. Martini.

d *Attano*] Postea locus iste ab auctore suo dictus est sancti Aredii Monasterium, vulgò *Saint Irier de la Perche*, situm in finibus pagi Lemovicensis versus Petrocorios. De hujus Cœnobii conditione sic loquitur Gregorius in lib. 10 cap. 29 *Ex familia propria tonsuratos instituit Monachos, Cœnobiumque fundavit, in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilii & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regula.* Num etiam sancti Benedicti? Nunc Cœnobium istud Decanum habet cum collegio sæcularium Canonicorum, & circumposito oppido sancti Aredii nomen ac originem dedit.

e *In honore S. Medardi.*] Mirum est jam tum oratoria & ecclesias fuisse conditas in honorem sancti Medardi, qui vix ante annos xxv ad superos abierat.

f *Exidolium.*] Vulgo *Excideuil*, haud procul à Cœnobio Attanensi. *Exidolium castrum* sæpe memorat in Chronico Gaufredus Prior Vosiensis.

g *Memacum.*] Indigenis *Meimac*, ad Viseram fluviolum, nunc Cœnobio Ordinis sancti Benedicti ornatum.

h *In Islandone castro*] Situm est secus fluvium Viseram, vulgo *Issandon*, ut observat eruditus vir Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum.

i *Sancte domne Martine*] Sic *sanctissimum domnum Martinum* vocat B. Odo Abbas Cluniacensis in lib. de vita sancti Geraldi Comitis Aurilia censis cap. 22. qui Geraldus ex stirpe sancti Aredii Abbatis originem ducebat, testante eodem auctore.

Burgoneri, Fantasium cum filiis, Hildetnodum cum uxore & filiis, liberos esse jubemus cum campellis & vineolis eorum, vel quantumcumque peculiaria habent aut habere potuerint inantea, volumus esse concessum, ea tamen conditione, ut de campellis vel vineis vendere nec donare habeant potestatem. Proculam & Macedoniam similiter ibidem deservire jubemus, necnon & manciciola hæc & agnitio [k] eorum inferiùs comprehensa decernere servos nostros jubemus, Solemium cum uxore sua & filiis, Manrencianum cum uxore sua Valeriana, Aligium cum uxore sua Basilia. Aliasonium cum uxore sua Florentiana, Specia cum uxore sua Eugenia, Lupicinum cum uxore sua Hoctorecia cum filiis, Francardum cum uxore sua Orogis cum filiis, Amarcium cum uxore Sauvia, Frangomere cum uxore sua Mariosa, Ranulfum cum uxore sua Animia & filiis. Agnitionem eorum duximus, sed & aliquos ex ipsis liberos fecimus: hi verò cum campellis eorum & vineolis, vel quidquid habere videntur, aut adhuc habere potuerint & possidere, decrevimus, ita ut singulis annis terna pondo earræ [l] inferant nostro, & singulis mensibus eulogias vicissim ad Missas nostras revocent, & inferant in altario quinos argenteos, & donent ex æquo secundùm quod paupertas eorum parere potuerit; nihil amplius ab eis aut à basilica sancti Martini, aut à Monachis nostris requiratur, quàm quod scriptum est implere debeant.

Et istos liberos nostros & liberas nostras, quos nobis bonæ memoriæ genitor noster JOCUNDUS [m] per testamentum suum confirmavit; similiter & illos quos pro remedio [animæ] bonæ memoriæ fratris nostri EUSTADII [n] liberos fecimus, tibi, sancte Martine, defendendos commendamus. Et si quis eis amplius præter hoc, quod eis injunctum est, in quolibet inquietare aut dominari voluerit, tu, sancte Martine, defendas. Nam & mulieres istas quas inferiùs adscripsimus, id est Lividonidia cum filiis suis, Abenda, Allovera, Fraterna, Amasonia, Artemia, Susanna, Proba, Probatia, Fontaula, ut singulis annis singulos trientes Monachis nostris persolvant, & nullus ab eis magis requirere præsumat, ne incurrat quod supra comprehensum est. Caballos & jumenticula nostra, seu vaccas, oves & boves & porcos, lecturia, utensilia per domos, vel quidquid per cellaria aut areas nostras post obitum nostrum invenietur, ordinator sancti Martini medietatem pauperibus eroget, & aliam medietatem Monachi nostri suprà scripti percipiant.

Addimus etiam mancipia, quæ colonaria [o] appellantur, & nobis tributaria esse perhibentur, medietas ad basilicam tuam, domne Martine, & alia medietas Monachis nostris proficiat; & reddant omnes singulis annis trientes. Hi sunt Fulodius cum filiis qui nobis debentur, Laneatdus cum filiis, Friardus cum filiis, Amanda cum filiis, Gundemero cum filiis, Dominica cum filia. Ideò eo præfata mancipia his sanctis locis donavimus, ut ipsorum merces nos peccatores [liberet.]

Quod unusquisque locus sanctus constitutus ibi habeat ministerium [p] declaratum, rectum duximus inserendum; id est turres IIII, coopertoriolos olosyricos III, calices argenteos IIII, duo ansati, comparati solidis XXX, alius solidis XVI, tertius solidis XV, quartus solidis XLV. duo ex ipsis auro sunt fabricati. Item coopertorium lineum valentem solidis IIII, pallas corporales IIII, .·. LV, minores V, & tribuna [q] valentia solidis XII, & alia cotidiana valentis solidis VI, & alia cotidiana. quæ sunt ante altare, valentia solid. V, & multa alia pretiosa ornamenta. Hæc omnia ornamenta Sanctorum, vel quidquid super sepulcra .·. & Martini Attanensis sanctorum .·. constituimus, id est Scipionem Diaconum & Aventiolum, quos instituimus ipsis custodiendum & studeudum ante Sanctos & domino Nobil .·.·. Mecio Diacono sancti Martini consignavimus, simul & de Sisciaco oratorio tribunalia duo valentia solidos IV, vela ad hostia III, valentia solidos VI, turres, calices, pallas & coopertoria prædictis martyrariis [r] ad custodiendum tradidimus.

Nam & adhuc adjuramus Præpositum sancti Martini & Monachos nostros Attanenses per corpus & sanguinem Domini nostri JESU-CHRISTI & merita omnium Sanctorum, ut in oratorio sancti Hilarii, in cella mea, quinta feria omni tempore maturiùs Matutina & Missa [s] sanctorum Domnorum à Monachis ibidem revocetur. Et tectos Sanctorum reparari cùm necesse fuerit jubeatis, hoc est Attano & Sisciaco, admoneatis & Monachos, & liberos & servos & accolas nostros, ut ipsa loca sancta omni tempore sint munita, sicut mos est, hoc videlicet compositum sicut relinquerimus, sic etiam conservetur ut oportet in domino JESU-CHRISTO. Illi verò qui nobis vel Monasterio atque congregationi nostræ deservire noluerint, à rebus omnibus nostris tam nobis superstitibus, quàm post obitum nostrum habeantur extranei.

Attanenses si, nobis vivis, Monachis Vosidensibus [t] solatia, sicut placuerit, præbuerint, Pexitoialo portionem nostram & centum arepennos terræ in Sisciaco prona voluntate donamus: sin verò renue-

k *Agnitio*,] id est agnatio, quæ vox eodem sensu reperitur in lege Wisigothorum, ut me monuit vir multigenæ eruditionis Carolus Fresnius Cangii dominus.

l *Terna pondo earræ inferant nostro.*] Locus mendosus. In nonnullis exemplaribus legitur *earie*. fortean legendum, *terna pondo cera inferant Monasterio*. an, *terna pondo camera inferant Monasterio*. Et paullo infrà, *singulas eulogias*. quidam codices habent *eudonias*, alii *condenas* at procul dubio legendum *eulogias*. Similem huic locum mihi jam laudatus Fresnius indicavit ex libro de vita sancti Frontonii in vitis Patrum. *Omnium medium proponit anus, velut eulogias revocans Domino verum.*

m *Genitor noster Jocundus.*] Sic Aredii patrem appellat vetus auctor, qui libellum de vita ipsius Aredii composuit at Gregorius Turonensis Episcopus RINOSCINDUM vocat in lib. 2. de miraculis sancti Martini cap 39. An fortè binominis erat? an Rinoscindus veteri Gallica lingua, idem est ac Jocundus Latina? an Jocundus mendosè pro Rinoscindus scriptum?

n *Fratris nostri Eustadii.*] Alii codices habent *filii nostri* at præferendum *fratris*. Nam Aredius semper cœlebs fuit.

o *Mancipia quæ colonaria appellantur.*] Itaque colonaria mancipia erant seu servi, qui colonicas seu colonias, hoc est anius coloni villulas, excolebant.

p *Ministerium declaratum.*] Ministerii nomine intelligitur sacra supellex, id est calix, vasa sacra, &c, uti probavi in Dissertatione de Azymo cap. 8. quo nomine patenam & urceum appellat Gregorius sæpe laudatus in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 8. Hic verò Aredius declarat quid *ministerii* vocabulo intelligat, nempe *turres*, &c. Porro turres erant thecæ sacræ in modum turriculæ fabrefactæ, in quibus Eucharistia sacra pro viatico asservabatur. qua de re legendum Venantii Fortunati carmen 25 lib. 3 ad Felicem Episcopum Biturigensem, *scriptum in turrem ejus*.

q *Tribuna*. Infrà *Tribunalia*. quid sint *tribuna* seu *tribunalia*, fateor me nescire.

r *Martyrariis*,] id est custodibus sacrarum Reliquiarum & supellectilis ecclesiæ.

s *Missa revocetur*.] Notandus hic locus de Matutina & Missa in honorem Sanctorum singulis feriis quintis revocanda, id est celebranda. qua voce etiam hoc sensu usi sunt Fortunatus in vita sancti Germani Episcopi Parisiensis & Gregorius Turonensis in lib. 1 de gloria Martyrum cap. 31.

t *Monachis Vosidensibus.*] Vosidense seu Vosiense Monasterium, vernaculè *Vigeois*, quod olim Abbatiæ titulo gaudebat, jam ab annis bene multis Prioratus est ecclesiæ sancti Martialis subjectus in diœcesi Lemovicensi

rint solatia præbere; quod eis à nobis donatum est, basilicæ tuæ, sancte Martine, & Monachi Attanenses tibi commendata omnia revoces in perpetuum possidendum.

Quidquid verò in hoc testamento nostro fortasse non comprehensum est, aut ut poni debuit, excessit, si terrula aut aliqua res mobilis inventa fuerit, ab herede nostro domno Martino omnia sibi vindicanda revocet. Si manicipiola remanserint, & inventa fuerint foris testamentum, tam qui chartulas libertatis eatenderint *, quàm qui non habuerint, defensante sancto Martino in libertate permaneant. Et quidquid per chartulas manus nostræ subscriptione firmatas dedimus, omnino valere præcepimus. Si quis autem contra hoc testamentum nostrum venire voluerit, aut aliud quàm quod deliberatione nostra illa geritur, ire tentaverit, & hîc & in æternum per virtutes sancti & beati domni Martini sit excommunicatus & anathematizatus, & veniat illi illa maledictio, quam Psalmus continet in Judam Scariotis CVIII[m].

* ostenderint.

Aredius in Christi nomine peccator Presbyter testamentum nostrum scripsi, relegi, & subnotavi die & anno quo suprà.

Alstidius[u] rogante domino meo Aredio & Pelagia testamentum nostrum confirmavi. u

Pelagia testamentum relegi & subscripsi die & anno quo suprà.

Calpurnius rogante domino meo Aredio & Pelagia testamentum hoc confirmavi die & anno quo suprà.

Leo rogatus à domno Aredio & Pelagia testamentum hoc conformavi die & anno quo suprà.

Nactarius hoc testamentum confirmavi rogante domno Aredio & Pelagia.

Signum Aoelfit Subdiaconi.

Signum Nectarii testis.

BREVIS NARRATIO

De Translatione Corporis S. P. Benedicti *in Galliam.*

IN Christi nomine. Fuit in Francia per pii Patris prudentiam Presbyter doctus. Hic erat iter facturus ad Italiam, volens investigare, ubi sepulta jacerent ossa inculta ab hominibus sancti Benedicti patris. Tandem pervenit in desertum, quod distat à Roma LXX aut LXXX milibus: ubi olim constructà Cellà, concordia caritatis inhabitantium firma fuit beati Benedicti. Et tamen adhuc Presbyter cum sociis suis sollicitus erat de incertitudine locorum. Qui dum nec vestigium invenire poterat, aut cimiterium corporum; tandem à subulco mercede conductos intellexit, & perfectè invenit locum monasterii: sepulcrum tamen omnino agnoscere non potuit, donec cum suis sociis consecravit jejunium per biduum ac triduum. Et postea coquo eorum per somnium revelatum est: & res ipsa illis innotuit. Ipse verò manè demonstrans, qui in honore ultimo esse videtur, ot tunc appareret quod Paulus ait: *Despecta mundi elegit Deus*, & alta ab hominibus despicit: & sicut ipse Dominus prædixit: *Quicumque voluerit inter vos major esse, erit vester minister.* & iterum: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Et tunc diligentiùs perscrutantes loca, invenerunt lapidem marmoreum perforandum. Destructo verò lapide, invenerunt ossa sancti Benedicti Abbatis, & in eodem monumento ossa beatæ Scholasticæ sororis ejus subter jacere, marmore tamen interposito: quia, ut credimus, omnipotens & misericors Deus maluit eos in sepultura conjungere, quos ante per amorem germanitatis & caritatis Christi sociavit.

Congregatis verò ossibus & lavatis, posuerunt super sindonem mundissimum, seorsum tamen utriusque, ut secum portarent ad regionem, Rumanis ignorantibus: quia si agnovissent, utique non sineret absque conflicto aut bello à se perduci tam sanctas reliquias, quas Deus declaravit, ut homines intelligere potuissent tantam mercedem religionis & sanctitatis eorum. quod in miraculo apparuit quod ibi effectum est. Quia postmodum sindones obtegentes ossa eorum inventi sunt de sanguine eorum erubere, velut de vivis corporibus emanasset cruor. Ut per hoc ostenderet Jesus-Christus, quòd secum veraciter viverent in futurum, quorum ossa hîc miraculis coruscant. Et tunc erant caballo superposita, & per longa itineris spatia sic leviter portavit, quasi nihil oneris sentiret. Quando verò in via silvatica & angustica itinera ambularet, nec arborum offendicula, nec difficultas viarum obstaculum eis vel impedimentum esset itineris; ut perfectè potiores agnoscerent ob merita hoc esse sancti Benedicti, atque beatæ Scholasticæ sororis ejus, ut prosperitas itineris eorum

ad Visetam, cui præfuit Gaufredos Prior, idemque Chronographus, ante annos quingentos. Hoc in loco testamenti exemplar in chartario Vosiensi variat in hunc modum: *Ego Aredius ∴, & mater Pelagia cedimus & condonamus Deo & sancto Petro Apostolo ad Monasterium Vosiense apud Lemovicum Monasterium sancti Michaelis, & ecclesiam S. Petri de Naves, & ecclesiam S. Martini Sparsiniam, & ecclesiam sancti Galli, & ecclesiam de Cambolivra, & ecclesiam de Baissinco. Si autem Monachi Vosidensis Monasterii nobis solatia præbuerint, damus Foxitoialo portionem nostram, & centum arpentes vinearum, & curtem de Siscacio, & mansum de Columbes de Valtazrato, & mansum de Faongis de Alaciaco. Istas res denominatas sana mente & integro consilio, judices certiores rerum nostrarum, metuentes casus fragilitatis humanæ, ne nos subitò mors præveniens intestatos valeat, condonamus atque concedimus Deo & sancto Petro Apostolo pro salute animarum nostrarum, omniumque parentum nostrorum. Facta sunt hæc sub pridie Kal. Novem. XI. anno regni Domini nostri Segeberti Regis. Quicumque autem donationem, quæ de rebus propriis sub testamento fecimus, sibi violenter vindicaverit, excommunicatus sit & anathematizatur.*

Analect.

u *Alstidius*] Astedius vocatur in libello de vita sancti Aredii, à nobis edito: ubi Aredius Abbas morti proximus nobili cuidam ac religioso viro nomine Astedio significasse dicitur, ut ad se quantocius venire properaret, quatenus post suum obitum ipse pastoralem Attanensis Cœnobii curam susciperet. Consentiunt membranæ Vosienses, in quibus hæc leguntur: *Hoc Monasterium sancti Petri, quod Vossas appellatur, post mortem Sebastiani Abbatis beatus Aredius destructum restauravit, & innumeris beneficiis celeberrimè ditavit. Prædictus verò Sebastianus ipsum beatum Aredium in pueritia litteris imbuerat: post cujus discessum, restaurato Monasterio, Monachis XII collectis nepotem suum Astidium virum illustrem Abbatem præfecit. Dedit etiam huic Monasterio alias ecclesias aliaque prædia, sicut in præceptis beati Martini Turonensis plenissime invenitur.* Erat ergo Astidius, seu Alstidius, si non fallunt membranæ Vosienses, Aredii nepos, & Sebastiani Abbatis in Vosiensi regimine successor, deinumque post Aredium Abbas Attanensis.

tam secura esset, donec perducti essent in Franciam, ad monasterium cui Floriacus nomen est: ubi nunc sepulti sunt in pace, & in novissimo resurrecturi in gloriam, illic præstantes beneficia petentibus Patrem per Jesum-Christum Filium Dei, qui vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti per omnia sæcula sæculorum, amen.

ADNOTATIO.

Superior narratio (quæ in Ratisponensi codice S. Emmerammi, ante annos nongentos scripto, Regulæ S. Benedicti præmittitur) auctorem æqualem ejus temporis, quo translatio facta est, habere videtur. Germanum hunc esse existimo, non modò quòd in Germania repertus est codex, sed etiam quòd nomina Mummoli Abbatis & Aigulfi monachi translationis auctorum, utpote alienigena, ignoravit, & quòd S. Scholasticæ corpus Floriaci remansisse opinatus est.

Hæc translatio in plerisque Germaniæ & Alamanniæ Kalendariis pervetustis consignatur. In Murensi annorum sexcentorum: v. *Idus Julii celebritas sancti Benedicti Abbatis*, præter aliam ejus memoriam in Martio. In Einsidlensi æque antiquo eodem die: *Translatio sancti Benedicti*. In Salemensi antiquiori: *Prid. Non. Decembris Benedicti Abbatis*. Hac ipsa die primitus factam fuisse translationem testatur Kalendarium Gellonensis Sacramentarii, nostris Gellonensibus concessi regnante Carolo M. ubi hæc verba: *Prid. Non. Decemb. Monasterio Floriacensi à partibus Romæ adventus corporis sancti Benedicti Abbatis*. Cum ergo in eodem Gellonensi Kalendario notatur xii *Kal. April. S. Benedicti Abbatis*; & v *Idus Julii depositio Benedicti Abbatis*: prior ex his duobus locis de obito interpretandus est, posterior de translatione, quando corpus sancti Benedicti, quod Floriacum *prid. Nonas Decembris* ex hoc Kalendario adventum fuerat, repositumque pro tempore in oratorio S. Petri; postmodum anno sequenti in majori basilica S. Mariæ depositum est v *Id. Julii*. Hoc enim sensu non rarò *depositionis* vocabulum apud veteres sumitur, ut alibi ostendimus.

Ceterum una Pauli Diaconi monachi Casinensis auctoritas huic in Gallias translationi adstruendæ sufficere potest: cùm in lib. 6 de gestis Langobardorum cap. 2 asserit, Francos *de Cenomannicorum vel Aurelianensium partibus* Casinum, *ubi tunc vasta solitudo exsistebat*, simul convenisse, *ejusdemque venerabilis Patris pariterque ejus germanæ venerandæ Scholasticæ ossa abstulisse, & in suam patriam asportasse: ubi duo monasteria*, alterum *in S. Benedicti*, alterum in *S. Scholasticæ honorem constructa sunt*. Addit tamen in Casinensium consolationem, *os illud venerabile, & oculos semper cælestia contuentes, cetera quoque membra, quamvis in cinerem defluxa, remansisse*. Itaque ex hoc Pauli testimonio cineres sancti Benedicti penes suos Casinenses, ossa apud Francos tunc temporis asservabantur. Nec valet reponere, ossa Casinum relata esse per Carlomannum. Si quidem scribebat Paulus mortuo Carlomanno, id est regnante Carolo Magno ejus nepote.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI

EPISTOLA

AD KAROLUM IMPERATOREM

De auctoritate Vitæ S. Dionysii ab Anastasio tralatæ.

DOMNO glorioso KAROLO Imperatori Augusto, HINCMARUS nomine, non merito Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus. Lectâ beati Dionysii passione à Methodio Constantinopolim Romà directo græcè dictatâ, & ab Anastasio utriusque linguæ perito & undecumque doctissimo, Apostolicæ Sedis Bibliothecario, Latinè conscriptâ, sicut in Præfatione sua narrat: recognovi his quæ ibi scripta sunt, ea quæ in adolescentia legeram consonare, videlicet per quos & qualiter gesta martyrii beati Dionysii sociorumque ejus ad Romanorum notitiam, indeque ad Græcorum pervenerint. Nam quando Deo disponente in Franconofurth palatio nati estis, HUCBARTO Præcentori palatii Episcopium Meldensis urbis commissum est, ubi propter HITORICI Episcopi ætatis prolixitatem & diuturnam ægritudinem, quædam ad scientiam & Religionem pertinentia, necnon & ædificia & cetera quæque necessaria neglecta invenit. Quapropter à familiari suo Bodona Clerico domni & nutritoris mei HILDUINI Abbatis sacri palatii Clericorum summi, quemdam Clericum ipsius Bodonis propinquum, nomine WANDELMARUM, qui cantilenam optimè à TSUGARIO magistro in sancti Dionysii Monasterio didicit, ad erudiendos Clericos suos obtinuit: cui Abbatiolam sancti Sanctini in beneficium dedit. Idem autem Wandelmarus in loco sibi commisso quaterniunculos valde contritos, & quæ in eis scripta fuerant pæne deleta, de vita & actibus beati Sanctini reperit, quos ob familiaritatis notitiam, & quia me sciolum putabat, ad exhaurienda ea quæ in eisdem quaterniunculis contineri videbantur, & ad transcribendum apertè in nova pergamena mihi commisit. Quod & studiosè peregi, & mihi emendata emendanti restitui. Sed quia diu est quod idem Wandelmarus etiam ante obitum HUCBARTI defunctus fuit, & sicut audivi, idem locus neglectus exstitit, ac demum in eadem urbe Nortmanni fuerant, & quædam incendio concremaverant, quædam verò prædantes diripuerant: nescio si ipsi quaterniunculi vel eorum exemplaria in eadem urbe valeant reperiri. Propterea eorum exemplarium quod mihi retinui, vestro devoto & bono studio offerendum putavi: ut si quæ sunt illorum reliquiæ, qui negabant dominum & Patrem nostrum, Patronum nostrum Dionysium esse Areopagiten, & à beato Paulo Apostolo baptizatum, ac Atheniensium ordinatum Episcopum, & in Gallias à sancto Clemente directum; ex his quæ Græca testificatio & Romanæ Sedis assertio & Gallicana intimat contestatio, ratum & ita hac recognoscant, quod inde ante nos dictum est. Nam veritas sæpius agitata magis splendescit in lucem.

ADNOTATIONES.

PRÆMISSAM Hincmarus epistolam scripsit Carolo Calvo Imperatori post annum DCCCLXXV, ad conciliandam fidem Latinæ versioni, quam ediderat Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, Vitæ sancti Dionysii Areopagitæ à Methodio Græcè compositæ. quæ quidem versio habetur in ms. codice Divionensis Monasterii sancti Benigni, quo ex codice ejus versionis nobis copia facta est. Hanc verò Hincmari epistolam, quam erui ex apographo Dionysiano, in quo Areopagitica Hilduini continentur, sine dubio legerat Hugo Flaviniacensis Abbas, uti apparet ex Historiæ suæ parte prima, ubi de vitæ sancti Sanctini inventione scribit in hunc modum: *Anno Ludovici octavo, ab Incarnatione Domini* DCCCXXIII, *natus est ei filius in Franconofurth palatio novo: & ibi ordinatus est pridie Idus Julii Drogo, Caroli Magni filius, & datus est ei Episcopatus Mettensis; & Humberto Præcentori palatii Episcopium Meldense traditum est. qui invenit in ipsa ecclesia quaternunculos de vita sancti Sanctini, sed valde contritos.* Si illa acta vetertima, quæ tunc in ms. codice jam pæne obliterata reperta sunt, hoc tempore haberemus in promptu, magnam afferrent lucem diutinæ controversiæ, quæ inter eruditos de duobus Dionysiis jamdudum agitatur. Sed tamen non facilè debemus fidem abrogare Hincmaro contestanti in istis actis à se lectum, Dionysium primum Parisiorum Episcopum non alium esse quàm Areopagitam, qui in Gallias missus sit à sancto Clemente.

Certè quod attinet ad missionem Dionysii per Clementem, præter acta primaria de vita sancti Dionysii, in quorum exemplaribus nonnullis Clementis nomen legitur; eam agnoverunt Gallicanæ Ecclesiæ Præsules, etiam ante Areopagiticorum editionem. Cujus rei luculentum habemus testimonium Galliæ Episcoporum in frequenti conventu apud Parisios de cultu sacrarum Imaginum anno DCCCXXV habito, ante annos decem, quàm Hilduinus scribendis Areopagiticis operam daret. Sic enim Episcopi sub finem Actionis septimæ loquuntur: *Nec vobis tædium fiat, si ad ostendendam rationem veritatis veritatemque rationis se sic paullo longiùs sermo protraxerit, dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus nostris usque ad nos inflexibiliter ducta est, beato Dionysio scilicet, qui à sancto Clemente, beati Petri Apostoli in Apostolatu primus ejus successor extitit, in Gallias cum duodenario numero primus prædicator directus, & post aliquod tempus unà cum sociis huc illucque prædicationis gratia per idem regnum dispersis martyrio coronatus est.* Ita libri à Jacobo Bongarsio editi: sed legendum puto, *qui à sancto Clemente, beati Petri Apostoli primo successore, exstitit in Gallias cum duodenario numero primus prædicator directus*, &c. ubi vides qualis fuerit sententia Gallicanorum Antistitum de sancti Dionysii missione.

Idem consensus probatur ex officio ecclesiastico in ecclesiis Gallicanis festo die sancti Dionysii legi solito regnante Carolo Calvo, quale habetur in Antiphonali Gregoriano, jussu ejusdem Caroli Calvi pro ecclesia Cumpendiensi litteris partim aureis exarato. Sic enim legitur in prima antiphona ad vigilias nocturnas: *Sanctus Dionysius, qui tradente beato Clemente, Petri Apostoli successore, verbi divini semina gentibus parturienda susceperat.* Et in responsorio tertio primi Nocturni, quod vocant: *Beatissimus Dionysius Christi Martyr tradente beato Clemente parturienda gentibus semina divina suscepit.* Porro hoc officium diu ante illud tempus receptum fuisse in Ecclesia Gallicana, nemo jure negaverit. Si enim ejus Officii auctor esset Hilduinus, non omisisset Areopagitæ nomen aliunde sibi probatum, quod in illo officio non comparet. Hæc dixerim ad vindicandam Hilduini memoriam, quem in hac controversia male hic versatum fuisse liberiis criminantur nonnulli recentiores. Longè aliter de ipsius religione sentiebat Agobardus, cùm in epistola ad Proceres palatii eum *sanctissimum ac beatissimum* vocat, *& pene solum* cum Wala *in via Dei adjutorem Christianissimi Imperatoris* Ludovici. Ad Hincmarum revertor.

Inveni in Laubiensis Monasterii Bibliotheca catalogum veterum, qui tunc temporis penes Laubienses erant, librorum anno MXLIX recensitum, in quo notatur *Scriptum Ravennatis Ecclesiæ ad Carolum Regem.* tum *Rescriptum Hincmari Archiepiscopi sub persona Caroli ad eamdem Ecclesiam.* Cleri Ravennatis epistolam unà cum Hincmari opusculis & epistolis in lucem emisit Johannes Cordesius. qua in epistola Ravennates conqueruntur, quòd Monachi, ad episcopale officium promoti, monasticam vestem (Scapulare vocant) retinerent. At Hincmari hac de re scriptum nusquam typis, quod sciam, vulgatum est: quod hoc loco monuisse visum est qualiscumque momenti.

a

HUGONIS
ARCHIDIACONI TURONENSIS
DIALOGUS
Ad FULBERTUM amicum suum.
De quodam miraculo, quod contigit in Translatione Sancti Martini.

FULBERTO, amico ex dilectis singulariter dilecto, Hugo, divina miseratione Archidiaconus. Aequæ discretionis observantiam inculpabiliter retinere speciosa morum disciplina est, mi Frater, ut ipse nosti. Omnia cum consilio fieri, non sine observatione aliquid loqui, & quem ex meriti singularis privilegio aliquando festivè laudaveris, ne hunc postmodum levitatis vitio superatus mordacis linguæ pulsasse videatis injuria. Verùm quemlibet de vulgo verbis inconditis aliquando exasperare, ignosci utcumque potest: de sanctis verò & electis Dei indignè aliquid & irreverenter loqui, perniciosi erroris est, quia nimirum illatam sanctis contumeliam constat in auctorem summæ majestatis refundi. De vir-

tutibus sanctorum Patrum nobis antehac invicem colloquentibus, aut eorum aliquod miraculum attentiùs commirantibus, tù semper ad MARTINUM tuum recurrere consueveras, & de numerosis signis operum illius tale unum in medium proferebas, quod & magnitudine & dignitate sui hoc ipsum in quo tenebamur attenti, totum (ut ita dicam) absorbere videbatur. Quinimmo ea ipsa quæ aliorum nova signa videbantur atque singularia, tu Martini cotidiana fatebaris atque communia: quæ autem Martini nova forent aut singularia, tu aliis ardua exponebas & intractabilia. Non locum aut tempus spectabat officiosa sedulitas: sed ubicumque se occasio infuderat, in privato, in publico Martinum cunctis mortalibus præferebas: totus in Martino consistens, Martinum singulariter atque sollemniter prædicabas, tamquam ex propositi debito Martino juratam militiam jurasses.

FULBERTUS. Martinus non adeo inops, non adeo indigus aliquando fuit, ut operum magnitudo suorum de nostro favore crementa quæsisset. nisi fortè existimes diem propriæ lucis candorem de nocte sibi mutuasse, quamvis lux ipsa matutina de vicinis umbris clariùs splendescere videatur, quæ minùs grata fortasse foret, si continuam lucem mortales semper haberent. Sed ut ad Martinum recurram, habet & ipse virtutum suarum egregios interpretes, licèt & has ipse occultare maluerit. Habet, inquam, PAULINUM, virum Apostolicum; FORTUNATUM, SEVERUM, & GALLUM: qui isti Martinum usque sub extremos mundi cardines, velut evangelici testes, diffuderunt. Habet præter hos GREGORIUM Turonensem Episcopum, qui mira de Martino post obitum narrat miracula. Horum ego non surdus auditor, quamquam Martino id minus præstiterit, ipsum illum quantulacumque laude, quoad vivam, prædicare non desistam. Sed hæc mihi objecta memorare te, quę causa sit, addubito: quia, ut ipse Comicus ait, istæc commemoratio quasi exprobratio immemoris est propositi. videlicet ut quem studiosiùs antè percolueram, nunc contra hunc ipsum evomuisse aliquid indignum videar. Sed absit à me, ut quamdiu rationis capax, vitales auras attraxero, singularem patronum meum in aliquo derogasse comperiar. Verùm quandoquidem ex ipsis tuis verbis suspectum tibi me de Martino intelligo, quicquid illud est quod tua intentat oratio, aperire ne differas, nec me suspensum diutius teneas. Pœnalis certè cruciatus satis est homini suspicione torqueri.

Terent in Andria.

HUGO. Novæ relatione didicimus, te in virum Dei nimis mordaciter infremuisse, quòd videlicet in eo antiquæ virtutis potentia consenuerit, tamquam æmula vetustas prioris gratię prærogativam exhauserit: quòd nostris his temporibus ab antiquis miraculis penitus obdormisset. quod unum mihi tui amore, frater unanimis, inconsolabilis est causa doloris, nisi fortè, quod malim, relatoris hæc ista confinxit invidia.

FULBERTUS. Si ego aliquid locutus sum, quod exagitatæ mentis impatientia subegit, aut victor zelus infudit amoris, & hoc æmula lingua derogandi studio ad publicas aures disseminavit; tu qui mihi de Martino conscius fueras, nequaquam sustinere debueras notabilem amici fidelis infamiam; sciens non ex veritate, sed ex invidia produisse delationis amaritudinem. Denique ipse mihi testis es, quàm sæpe mihi insinuaveris ipsum genus locutionis non uniformiter æstimandum: quia aliud erat ex præmeditatione in culpam ruere, aliud præcipitatione mentis insulsiùs deliquisse. Quo mihi genere si quid elapsum ab ore inconsideratè (ut opinor) amisi, quamquam horum nihil mihi conscius sum; quidquid de Martino sub hoc tempore memini me dixisse, sedulus in medium profero: quod cujusmodi fuerit, te judice examinandum committo.

Porro ordinationis simul & translationis ipsius beati viri diem temporum sors annua repræsentarat, quem sollemni lætitia omnis Gallicana Ecclesia celebrare consueverat. Igitur superventuræ noctis vigilias acturi, dum quærimus quid speciali memoria in nocturnis sollemnibus legeremus; inter magna gestorum volumina vix duo capitula reperimus: ipsa tamen, prout copia fuit, supputatis particulis distinximus, non sine aliqua derogatione Martini, quòd is qui omnem Syriam & Palæstinam, Ægyptum quoque & supera regna Orientis, sed & Illyricum sinum, Germaniam etiam, & omnem Galliam usque sub occiduum solis orbem apostolicis signis illustraverat; quòd is, inquam, hunc sibi sollemnem diem raris, aut pæne nullis amplificavit miraculis, quæ in laudem conditoris & sui memoriam ventura posteritas annua celebritate replicasset. Unde non irrationabiliter neglegentiam scriptorum culpabilem dixerim, aut in Martinum, si qua ea est, culpam hanc, aut veriùs justitiam transfuderim, quòd ipse aut hæc tempora nostra exprobraverit, aut certè mundi gloriam vitans, virtutes suas, ne in hominum notitiam devenissent, occultas esse maluerit. Ecce unde nova relatione culpatum me asserebas, inde honestationem sancti Dei jactantiùs intumuisse. Sed quia id peccati genus pœnâ plectendum censes, crucem voluntarius adeo, tortores nequaquam demoror; sin autem, liber absolvat. Nam quod ex occasione latentium causarum quidam mente captus Martinum anterioris potentiæ gratiâ privatum debachatur; testis mihi est ipse, qui solus est arbiter pectoris mei, Deus, quia æstimationem hanc nefandissimam numquam intra cordis penetralia concepi. Quis enim, nisi præcipitibus furiis agitatus, qui Martinum adhuc in corpore morantem cælestia signa audierat operantem, nunc corporeis vinculis absolutum, & cum Deo regnantem, nunc, inquam, gratiæ prioris auctoritate privatum, imbecillioris diceret esse potentiæ? Dicat quicumque ille est miser, infelix, qui sinistro errore depravatus extollere nititur in altum cornu suum, & loqui adversus Deum iniquitatem, dicat in Martinum quodcumque furiata mente conceperit: ego quod de illo sentio, constanter prædicabo, quia Martinus Prophetis & Apostolis non meritis inferior, non virtutibus est posterior: potens quondam in corpore, potentior jam nunc resolutus è corpore; adhuc tunc quantum ad corpus peregrinus à Deo, jam nunc regnans cum Christo.

HUGO. Multùm me, ô unice amice, de te falsa relatio dejecerat: sed multo magis refovet de te veritas declarata. Ideo non infructuosè te patior pulsatæ innocentiæ aperuisse veritatem. Nam te Martinum, ut paulò antè dubitabas, nostra hæc credas tempora reprobasse, neve ob id nostris temporibus antiquæ virtutis suæ nulla æstimes signa comparuisse; unum de multis, quod non terrenum, sed cæleste & verè fatearis angelicum, tibi de eo expono miraculum, quo solo perpendere valebis, quis Martinus non usquequaque ociosus, non usquequaq; obdormiens, nos vel tempora præsentia neglegat: sed apud internum Judicem redimendis animabus suorum fidelium constanter invigilat. Quod magnæ pietatis mysterium, licèt humanis spectaculis absconditum, ipse tamen auctor hominum non ex toto manere voluit incognitum, præordinans, non quoslibet de vulgo, sed raros & apostolicis meritis sublimes viros, per quos cælestium secretorum notitia mortalibus patuisset.

Res itaque quam narro, nosteis quidem temporibus facta, non tamen pluribus patuit revelata, nisi cuidam probatissimo seniori, cui de summis meritis concessum est videre in terris, quæ Martinus dux emeritus operabatur in cælis. *Quam re vera, si fas fuisset, ad extrema usque tempora occultasset: sed surripiente occasione nescius aperuit, quod prudens studiosiùs celaverat. Nam causa accidit, quia vicinarum regionum Episcopi, Abbates, & Clericorum infinita turba Turonos convenerat. Siquidem Monasterium, quod in honorem beati Martini mirifico opere constructum fuerat, dedicandum erat, & eâ gratiâ pæne totius provinciæ populus eo confluxerat. Fundator Monasterii, vir sanctus ille, de quo paulo antè agebamus, exstiterat, HERVSUS nomine, vir præter ceteras virtutum dotes incredibilis abstinentiæ, patientiâ verò & humilitate tunc suo tempore nulli secundus. Huic juxta Monasterium parvula cellula quietis secretum præstabat, qua se vir sanctus, quia conventus vitabat humanos, per multos annos concluserat. Ibi jejuniis & orationibus continuis macerando, vivam Deo hostiam se cotidie mactabat; & quia ab hominibus visitari penitus fugitbat, angelica visitatione & familiari colloquio assiduabatur. Porro ubi ventum est ad dedicationis officium, voluit & ipse cum ceteris procedere. Sed attenuatus jejunio ne se quidem regere poterat: verùm famulorum sustentaculo adjutus, aliquamdiu consecrantibus interfuit. Debilitatem namque attenuati corporis roborabat fortitudo mentis. Erat Canonicis non incerta exspectatio, quòd Martinus aliquid magnum ea ipsa die operari debuisset: scilicet ut cui specialis sollemnitas numquam absque memorabili signo prætererat; hanc multo magis sollemnem ecclesiæ suæ diem aliquo celeberrimo miraculo illustraret. Hac igitur exspectatione suspensi, dum nulla super ægros advertunt redivivæ comparuisse signa salutis; Officium quidem, quantum diei supererat, ore percelebrant, sed alto intrinsecùs dolore tabescunt: adeo ut nec nox subsequens prævaluisset conceptum lenire dolorem.

FULBERTUS. Quàm vereor ne in injuriam Martini vertatur pondus doloris!

HUGO. Haud longum est experiri. Jam dies crastina illuxit: & ecce Fratres in auditorium collecti, & jam animis dejecti, tristi murmure Martinum incusabant, dicentes impensa sibi suorum officia ingrata fore, quòd juxta suorum exspectationem plebs de remotis terrarum partibus infusa, nihil memoriale de eo possent referre: & ob hoc locum huc usque celeberrimum, exteris gentibus contemptibilem videri. Erat inter alios dissimilis quidem ratio, sed non dissimilis dolor: qui re vera asserebant sibi nocturna fraude sublatum Martinum, nec ultrà curare locum, quem semel deseruisset. Interea præfatus vir Domini intra cellulam suam familiare contemplationis secretum tenebat cui per spiritum de incommodis Fratrum causa innotuit. Mox ipse, ægre licèt promovens, famulis suppeditantibus ad Fratres usque progreditur. Quos, paulò immoratus, ut vidit triste tenere silentium, diligenter causam sciscitatus requirit. Cui unus è Fratribus respondit, se ipsos non insimi dolore cruciari, quos Martinus ex toto deseruisset, quòd nec se quidem, nec infusum populum nova signorum gratia aliqua in præsenti festo exhilarasset: & hoc satis experimento esse, quòd eos & locum sibi dicatum abhorruisset. Ad quam vocem Dei famulus mente consternatus, & totus in stupore & admiratione dissolutus, expavit fugitivam memoriam illorum, quos re vera conscios visionis æstimaverat. Permotus igitur vehementer in eos, tamquam oblivionis poculum degustassent? pia tamen eos increpatione coercuit, inquiens: Parcat, vobis, Fratres carissimi, omnipotens Deus, quid tale vobis umquam surripere potuit? Ubi sensus, ubi oculos illos amisistis, quibus mecum inter hesterna sollemnia triumphalem Martini gloriam considerastis, non unius curatione ægroti, sed nova spoliatione inferni? Quid tantum fuit Martino duos cæcos aut paralyticos signo visibili curasse, quæ illi in vita familiaris erat potentia? Quid, inquam, tantùm, quàm multorum millium captivas animas ab inferis ad supernam Hierusalem reportare? quod vobis ipsis mecum cernentibus novo post Redemptorem exemplo ipse die hesterna peregit. Martinus planè, mundi adhuc habitator corporeus, salutem ægris infundebat corporibus; nunc triumphato sæculo cæli incola factus, cælestes ad superos reportat triumphos.

FULBERTUS. De Fratribus qui præsentes hæc ista audierant, quæ illis fuerat super his sententia, æstimare nescio: sed mihi præ gaudio cor trepidans nova exsultatione hilarescit. Sed quid ad hæc Fratres referebant, edissere.

HUGO. Quid illi dicerent? pars quidem obstupuit de inauditæ rei novitate: pars instat audire, quæ minùs adverterat. Et jam pæne fuerat, ut vir sanctus ignorantiam illorum intelligens, ab expositione visionis ora compescuisset; cùm unus altioris ingenii Frater, verbum viri sancti excipiens, tarditatem Fratrum & ipse objurgans, testem se atque conscium revelationis testatur: sed propter comprimentis turbæ inquietudinem maximam partem se amisisse fatetur. Et ideo optatam rei seriem quam minùs fuerat intuitus, repetita à principio narratione flagitabat sibi exponi. Erat sanè non nescius, Martinum non usquequaque ociosum fuisse! sed neque tam probatæ sanctitatis virum phantastica delusione falli potuisse: cui multa cælestium secretorum arcana comparuisse veris indiciis compererant. Ita vir sanctus Fratris religiosa fraude captus, immo fraterno testimonio delectatus: Hac ipsa, inquit, quæ hanc præcesserat noctem, de instantis Officii sollemni apparatu longa meditatio me absque somno usque sub hesterno perduxit diluculo. Cùm igitur membra debilia modico somno relevare voluissem, repentè extra memetipsum raptus, dominum Martinum ante conspectum summi Judicis assistentem recognovi, humilem orantis speciem præferentem: cui nondum causâ editâ Dominus sic ait: Si est petitio tua, dilecte mi, super languentibus curandis, fas est tibi non dubitare super his quæ postulas. Nam tua magna fides sic magna referre meretur. Donantur tibi cum multiplici salute, pro quibuscumque postulas.

FULBERTUS. Quamquam & ego Martino indubitanter faveam in omnibus quæ narras; tamen locus hic dubietatis scrupulum mihi ingerit. Nam cùm ab æterno non facta hominum solùm, verùm etiam corda, voluntates & consilia, atque etiam secreta omnia divina providentia consideraт; quid illud esse dico, quod tanquam ignorans Dominus intentionem Martini, petitioni dubiæ optionem proponit?

HUGO. Multa in Scripturis sanctis hujusmodi similia, mi frater, invenies, in quibus Dominus rerum causas, quasi nescius, requirit. ut est illud ad Moysen: *Quid clamas ad me?* & in Evangelio: *Quid vultis ut faciam vobis?* Hoc piæ dispensationis nobis, qui homines sumus, atque ideo secretorum nescii, proponens exemplum, ne ante tempus incerta atque indiscussa temere judicanda æstimemus. Non igitur ignorans Dominus, quæ Martinum causa sollicitarat, quippe qui mentium arcana considerat, causam quasi nescius exserit: sed ut cunctis manife-

ftum fiat, quia in omnibus quæ Martinus optat, cæleftis ei favet auctoritas.

FULBERTUS. Refecifti me jucunda verbi præfentis expolitione, quippe cui poft Deum in Martino repofits eft maxima portio fperandæ falutis.

HUGO. Haud vanam tibi aut alicui fideli fpem in Martino conftare, fequentia facta monftrabunt. Sed de eo quod fequitur, fedulus audi. Gratias, inquit Martinus, tibi ago, dominator Domine, quòd fervum tuum de donis tuæ pietatis fperare jubes. Licet interim de languentibus filuiffe, quibus ipforum ægritudo longe melior parti interioris animæ falutem: vel certè erformata corporum fanitas redivivæ ægritudini coaliat obnoxia, dum & ipfa defuncta corpora ad vitam revocata in mortem iterum refolvuntur. Una eft, Rex induigentiffime, fpecialis caufa fervi tui, de qua quafo hodiernum Ecclefiæ tuæ natalem, tamquam dotali pietatis munere, in laudem tui nominis redda gloriofum: ut quia hujus Monafterii, cui te ordinante quondam præfueram, & adhuc te auctore invigilo; hujus, inquam, Monafterii tres officiales Fratres pro culpa temeritatis loci pœnalibus tenentur conftricti. qui tamen quoad vivebant, mei memoriam fpeciali voto agere confueverant. Hos tua pietas, Rex bone, hodie quæfo pœnis reddat abfolutos. Cui Dominus: Quantam non tam de falute corporum, quàm de redemtione poftulas animarum; & hos de quibus intervenis, & quantos ad dedicationem hujus Oratorii tui hodie conftat advenifle, tantorum animas concedo tibi hodie ab inferis reportare. Quo dicto, divina pietas promiffa non diftulit. Hæc erat animarum feftiva exfultatio, quas Martino redditas & in fublime eductas inter hilterna follemnia longa in cælum producere videbatis.

FULBERTUS. Mira funt valde quæ audio, & follemni exfultatione recolenda. Sed te ifta jam dudum ex verbis viri Dei exponente tacitus memoriæ fubintroducuntur duæ captivæ gentis refolutiones, quas nobis annales hiftoriæ prodiderunt. Prima, in qua divina Dei potentia terribilibus plagis fuperbiam Pharaonis perdomuit. altera, in qua robur Chaldæorum inaudito exemplo fubnervavit. Utrumnam fimilis huic fuit exfultatio, cùm fpoliata Ægypto & demerfo hofte Hebræorum populus ad promiffa regna feftinarat, vel cùm filii tranfmigrationis de ergaftulo Babylonis ad natalem Hierufalem repatriarant? utrum, inquam, fuit tanta exfultatio, quanta cùm Martino duce innumera milia de interna captivitate in fupernam Hierufalem reportata funt?

HUGO. Poffumus non contradicere poffe quidem in eis aliquam perpendi fimilitudinem: fed non fimplex in eis lucet gratiæ diffimilitudo. Fuerat, fi advertis, in eis umbra, non veritas: fed tamen umbra de quat veritatis veftigia. Habet enim umbra picturæ lineamenta, fed non habet fulgorem. Nec enim ad fummam perfectæ eft manum, fed diligenter intuentibus futura exprimit: & ideo minùs delectat figura, quia plus allicit gratia. Unde placuit rerum Arbitro abolere vetera, nova condere: ut veritatem fequerentur, qui per anguftias inhdelitatis imagines non fequebantur. Fuerit licèt in eis quædam promiffio, non tamen promiffionis fructus in eis erat. Meritò ergo delectabilior hæc eft æftimanda, in quam non futurorum bonorum exfpectatio reftat, fed præfens beatæ felicitatis perceptio conftat. Sequeftra igitur magnitudinem oyteru: & in hac refolutione Martino conceffa majorem gratiæ dignitatem frequentia gefta monftrabunt. Nam Judæa plebs ad promiffam terram en illa, primò quidem per Moyfen & Jofue, fecundò per Zorobabel & Jefum Sacerdotem magnum; nec fic tamen duræ captivitatis ærumnas evafit, ut non, quoad viveret, vicinarum gentium affiduis incurfionibus vexaretur: cui certè propter inevitabilem humanæ fortis jacturam miferabilior omni exfilio apud inferos reftabat captivitas. Verùm illa felix, illa captivitatis feftiva refolutio, quæ poftmodum reftituræ libertatis non timet incurrere difpendia, cui ultrà nec fub hofte barbaro reftat metus exfilii, nec intercipit corporeæ moleftia paffionis; quam nec de lege naturæ aut lapfu præfentis confcientiæ coartat pœnalis formido judicii; verè in hac parte ductor magnificus Martinus triumphalibus titulis eft attollendus. non quia præfatis Hebræorum ductoribus in aliquo derogemus: quippe quos divina providentia, quæ fallere nefcit, nec fallitur, peculiaris fibi populi patres præordinavit & judices: fed ut Martino noftro poft numerofam fignorum multitudinem, quæ quondam gefferat, de hoc uno atque magnifico triumpho laus fpecialis exhibeatur, cui poft incomparabilem Redemtoris operationem datum eft una die animarum multa milia de infernalibus clauftris ad cæleftem reportare Hierufalem, ubi redivivæ captivitatis nulla jam fuccedit calamitas, fed abftergit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: ubi mors, ubi luctus, ubi clamor, ubi dolor ultrà non erunt, fed æternæ beatitudinis jocunda felicitas.

FULBERTUS. Dubitationi meæ fatisfactum effe fateor, nec eft quod contradici poffit apertæ rationi. Sed ad narrationem viri Dei & ad Fratres memoratos redi, obfecro.

HUGO. Cùm hæc vir Dei Fratribus quafi nota omnibus retexerer, & ipfos in ftuporem & novam lætitiam animadverteret hilarefcere; tunc primùm in fe rediens, licèt ferò, expavit tamen verbum ab ore prolapfum: volenfque illud, fi fas fuiflet, intra unius confcientiæ fuæ clauftra revocare, cœpit damnare in fe ventofam & prodigam fecretorum linguam, impatientem, & incontinentem. Fratres è contra Deum laudare, ac Martinum prædicare: & quem fe defruiffe paulò antè reclamaverant, jam multo magis fibi affuturum recognofcunt, ne debeant æternæ damnationis pœnas tanto Præfule formidare, qui fummi Paftoris exemplo nonaginta novem oves relinquens in deferto, dum unam quæ perierat, requirit, multa milia reportat ad gregem. At vir fanctus diffimmatæ vifionis dolore faucius, in cellulam fuam fefe recepit, ubi inconfolabili gemitu fe cruciabat; percutiens pectus innocuum, tamquam facrilegi facinoris confcium. Quod audientes Fratres, eligunt ex fe reverendæ ætatis & fanioris confilii viros, qui fanctum Dei, fi poffint, à tam irrationabili dolore compefcant, ne debeat in femetipfo tam crudeliter punire, quod non fine divina voluntate actum effe conftabat, dum hoc ipfum in laudem Martini & ad fructum omnium Fratrum fpectare videatur: fcilicet ut norint omnes, quanto apud Regem fuum Martinus conftat honore, quem videmus in terris mira operantem, in mari præfentem, inferna fpoliantem, captafpolia in cœlos referentem. Sic vir fanctus fraterna confolatione recreatus, poftquam, inquit, verbum femel emiffum irrevocabile conftat, & vos non fine divino confilio actum effe teftificamini, cui contraire non poffumus; cedo voluntati veftræ. Verùm in præfenti facto agamus gratias Redemtori. De Martino autem nequaquam ultrà diffideatis, cum ipfum femper habeamus æmulandæ virtutis exemplum.

FULBERTUS. Non multum mihi difplicet falfæ delationis invidia primò me laceratum fuiffe, cùm ex occafione amicæ correctionis creverit fructus placidæ notionis.

HUGO. Illa, mi frater, patienter amplectenda eft

est injuria, ex qua postmodum procedit uberior rerum gratia.

Fulbertus. Ita est. sed quantum ex superioribus datur intelligi, non oobis vanum debet esse ipsius semper commemorationem speciali devotione peragere, quem impensam sibi temporaliter memoriam sic multiplici mercede audivimus recompensasse, ut paucorum fratrum expetita salvatio, multorum milium fructificaret redemtiouem æternaliter.

ADNOTATIONES.

HIc Dialogus auctorem habet Hugonem Archidiacunum Turonensem, interlocutorem verò Fulbertum, Scholasticum (ut quidem puto) & Episcopum Carnutensem, cujus duabus epistolis ad Deodatum & Einardum scriptis præmittitur Hugonis Dialogus in codice Uticensi, quo usus sum. Dialogi argumentum est revelatio facta Herveo seu Heriveo, basilicæ S. Martini apud Turonos Archiclavo, id est Custodi seu Thesaurario, de peregrinorum conversione & salute per S. Martinum à Deo impetrata. Herveus iste multis dilaudatur apud Glabrum Rodulfum in historiarum lib. 3 cap. 4, maximè ob instauratum S. Martini Monasterium, id est basilicam. Fuerat is *ex nobilibus Francorum*, liberalibus disciplinis apprime imbutus, cui per patrem Monacho esse non licuit. *Relictis*, inquit Glaber, *pompatica scientia studiis, ad quoddam Monasterium ingrediens, Monachum se fieri satis devotè postulavit. Sed quoniam, ut diximus, clari erat generis, idcirco parentum minas pertimescentes nullo modo acquievere fieri, quod poposcerat Fratres ejusdem Monasterii.* Id intelligendum puto de Cœnobio Floriacensi, in quo educatus fuit Herveus sub Abone Abbate, quem ejus *nutritorem* vocat Aimoinus in epistola præfixa libello de vita ipsius Abonis, eidem Herveo nuncupata. Postea Rotbertus Rex Herveum *beati Martini ecclesiæ Archiclavum esse præcepit*, testante Glabro, *cupiens illum postmodum constituere Pontificem.* quod ipso renuente effectu caruit. *Suscepta ecclesiæ cura, vestique albatectus, interdum* (id est interim) *more canonico, mentem tamen & vitam pleniter possedit monachicam.* Deiu mente concepit, ut ecclesiam, *cui custos adscitus fuerat*, ampliorem altioremque faceret. *Expleto opere, accercitisque plurimarum urbium Episcopis, opus prædictum Deo consecrari studuit; ipsoque die sanctum Martinum intro, sicut decebat, reposuit IV Nonas Julii, qui* dies veteris basilicæ dedicatio erat. Hæc pluribus apud Glabrum, qui postea subdit miraculum de animarum conversione & salute per sanctum Martinum Herivei rogatu cælitus obtenta, quod hujus Dialogi argumentum est.

Annum inceptæ per Heriveum basilicæ millesimum primum designat vetus Annalista Turonensis, quem ex codice ms. hic describo. *Anno Ottonis XIX, & Roberti Regis V, incensa est ecclesia beati Martini Turonensis cum toto castro & viginti duabus ecclesiis. Quo facto sanctus* Hervæus, *beati Martini Turonensis Thesaurarius, ecclesiam istam beati Martini etiam readificavit, destructa & tumbata omni operatione sancti Perpetui Archiepiscopi Turonensis, quam super beatum Martinum ædificaverat. Quæ dum fierent, corpus beati Martini jacuit in parva ecclesia, quæ est extra claustrum: quo opere consummato sanctus Herveus apud Deum & homines vitâ & conversatione laudabilis, in insula quæ nunc sancti Cosmæ dicitur, parvam ecclesiam ædificavit in honore sanctorum Cosmæ & Damiani: ubi die ac nocte aliquot annis à curis vacans secularibus, & à mortalium abstractus consortio, unius vel paucorum contentus mancipiorum consortio, oratione jugi & jejunio, necnon & lacrymis irremediabilibus Domini misericordiam implorabat. Sed Capitulum beati Martini carens ejus consilio & auxilio, illum postea revocavit, & ei cellulam juxta oratorium sancti Basilii tradidit: ubi positus, consilium & auxilium præbens, nec à priori sanctitatis religione degenerans, Domino serviebat. Illud oratorium erat juxta matriculam beati Martini, scilicet ecclesiam beatæ Mariæ de Scriniolo, ubi Moniales erant, quas idem Herveus apud bellum-montem posuit, in quo loco tam de rebus propriis, quàm de rebus ecclesiæ beati Martini, Monasterium construxit.* Confer Ademari Chronicon.

Hanc dedicationem quarto anno ante obitum Hervei refert Glaber. Porro Hervei obitus in Turonensi Chronico ms. anno M XII consignatur his verbis: *Sanctus Herveus beati Martini Turonensis Thesaurarius moritur.* Proinde consequens est eam dedicationem anno M VIII contigisse Hugone Archiepiscopo, cujus etiam pontificatu alia ejusdem ecclesiæ dedicatio nescio qua de causa facta est anno M XV, ut lego in eodem Chronico ms.

Ceterùm post Hervei obitum scriptus est hic Dialogus ab Hugone Archidiacono Turonensi tempore Hugonis Archiepiscopi & Fulberti Carnutensis Episcopi. Dialogi scribendi occasionem sumit Hugo ex eo, quòd Fulbertus de raritate miraculorum S. Martini conquestus fuisset. Simile quid lego apud Fulbertum in epistola ad Abbonem Abbatem Floriacensem. *Defuncta est*, inquit, *Dionysii fortitudo: non comparet pietas Martini: tu quoque dereliquisti nos, sancte Pater Hilari*, &c. Hæc satis.

GUDINI PLANCTUS RYTHMICUS

Super morte Constantii Monachi Luxoviensis.

ERgo plange pium Cantor modulando Magistrum,
Hactenus tetendi lyram musicæ per semitas:
Nunc meum extendam cursum caras ad exsequias,
Quas deprimit lamentando mæsti cordis caritas.
Grande pondus, magnum luctus vim constringit pristinam,
Quam non valeo supplere, quod prius decreveram:
Nudis tamen dicam verbis pectoris angustiam.
Cælum, stellæ, terra, mare, homines, ac bestiæ,
Ad lamentum hujus rythmi auditum extendite,
Et Constantio sophistæ fidos planctus reddite.
Cujus nomen numquam dico sine mente lugubri.
Cujus mihi vultum fingo forma non dissimili,
Quem amplector, cui jungor corde semper vigili.
Cujus exitus deflendus cingit orbis spatium:
Sapientibus regnorum immittens justitium,
Quo primates & coloni perturbantur nimium.
Numquam vidi, nec videbo tam pium philosophum,
Qui cibus discipulorum existens post Dominum,

Blaudimentis non terrore ministrabat studium.
Hæc dum duo valde gemo, lacrymas & provoco,
Insiti plenus mœroris languore deficio,
Tam præclaro destitutus ac tali consilio.
Lacrymentur ergo mecum codices eximii,
Quos descripsit pulcra manus incliti Constantii,
Se plangentes negligendos doctore consimili.
O Jesu Redemtor mundi, quid commisit sæculum,
Dum in terris tulisti summum vitæ desiderium,
Necne spem doctrinæ puræ, philosophiæ filium.
Corruisset plaga mundi magno sub interitu,
Claritas & clari solis palluisset habitu,
Antequam pius magister raptus esset obitu.
Permutassent nox & dies qualitates temporum,
Repulissent unde maris vela navigantium,
Ne Gudinus perdidisset dominum Constantium.
Credo cælum doluisse tantum ad exitium,
Dum lucentis globi lunæ mutans vultum pristinum,
Innuit mundo venturum tam grave naufragium.
Plangit Oriens & Auster, Occidens & Aquilo,
Plangunt urbes & castella pro pio Constantio:
Instat passim cœnobitis flebilis compassio.
Mæret plebs Luxoviensis lacrymis continuis,
Plangit Milo pius Abbas planctibus pissimis,
Amplius non habiturus tantæ jubar lampadis.
Jam mærore fatigata luget urbs Chrysopolis *, (* Besançon.)
Firma Stephani triumphis, vallo cincta fluminis:
Tangunt cælum Strasburgenses questibus diutinis.
Obstupescit & Lugdunum, laus magnarum urbium:
Cabilon ac Matiscensis ammirantur plurimum,
Pias aures inclinantes ad tam durum nuncium,
Gloria Regum Rotbertus & corona sæculi,
Regium deponit vultum funere Constantii,
Quem pudentem cognoscebat famulatu Domini.
Francia, regnorum decus, felix est & florida,
Plus Constantio refulgens, quàm valens potentia,
Ejus sorte sepulcrali permansit pulcherrima.
Amisistis, Lingonenses, sociale gaudium,
Cognoscentes jam obisse præclarum philosophum,
Monachorum margaritam, clericorum pretium.
Ædua non impar ulli pietatis munere,
Voto facili dissolve viscera clementiæ,
Et Constantio clementer jam defuncto consule.
Heinricus in Romano residens palatio,
Et arcana sapientum comprobant ingenio,
Dolet nusquam inveniri similem Constantio.
Stant in luctu & in planctu principes Burgundiæ:
Mundi plangunt detrimentum præsules Germaniæ:
Allemanni, Longobardi locum dant tristitiæ.
Ecquis famam tanti viri, quis nomen & audiet,
Qui non illi benedicat, & affectu visitet?
Nullus, credo, præter ipsum, cui Christus displicet.
Quis est homo & non homo disserit jocundius?
Clarior quis erit rhetor caris sub sermonibus?
Matheseos in doctrina quis valebit melius?
O Constanti mi, diserte, summa pars & animi,
Inexhausta cura mei pectoris ac studii,
Quare jaces præda mortis sub clausura tumuli.
Semper mihi promittebas, quem lugens desidero,
Modò miser & infelix, te vel ipsis careo.
Prô dolor, cur me vivente tu non vivis sæculo.
Tu magister magistrorum, doctior, doctissimus,
De virtute in virtutem melior te optimus,
Jure es ex meritorum factus Constantissimus.
Omnes laudo sapientes, te sed cunctis præfero:
Tui animam commendo Flamini sanctissimo
Quo ductore perfruaris sanctorum consortio.
Sis beatus, sis & felix centies ac millies;
Aula pulchri paradisi fiat tibi requies:
Dextra Christi sis protectus millies ac millies.
Ecce lyra planctum dedi cunctorum carissimo,
Audientes nunc implorodent ut preces Domino,
Veniam qui delictorum tribuat Constantio.
Præstante Domino Jesu-Christo cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, amen.

ADNOTATIO.

Tam ignotus est Gudinus istius rythmici planctus scriptor, quàm ignoratus Constantius, cujus hic mortem luget. Uterque sine dubio monachus fuit Luxoviensis Rotberto Rege, sub Milone Abbate, & Constantius quidem Luxoviensibus scholis præfectus, quem celebrem fuisse hinc intelligitur.

INCIPIUNT NOMINA APOSTOLORUM.

Petrus sedit annos xx mens. ij dies iij.
Linus sed. an. xj mens. iij d. xij.
Clitus sed. an. xij mens. j d. ij.
Climens sed. an. viiij mens. x d. j.
Euvaristus sed. an. vij mens. x d. ij.
Alexander sed. an. xij mens. vij d. ij.
Xistus sed. an. x mens. ij d. j.
Thelisphet sed. an. xj mens. j d xxj.
Egenus sed. an. iiij mens. iij d. j.
Osus * sed. an. xviij mens. d. j. (* Pius.)
Anicitus sed. an. xj mens. iiij d. ij.
Socher sed. an. viiij mens. ij d. xxj.
Eleutherius sed. an. xv mens. iij d. ij.
Victor sed. an. xv mens. iij d. x.
Vesperinus sed. an. xviij mens. vij d. x.
Calistus sed. an. v mens. x d. x.
Urbanus sed. an. viiij mens. j d. ij.
Pontianus sed. an. vij mens. x d. xxij.
Antbirus sed. an... mens. j d. xj.
Favianus sed. an. xiiij mens. ij d. x.
Cornilius sed. an. ij mens. iij d...
Lucius sed. an. iiij mens. viij d...
Stefanus sed. an. vj mens. j d...
Sistus sed. an. j mens. j d.
Dionethius sed. an. viij mens. v d...
Felix sed. an. iiij mens. j d. x.
Euthitianus sed. an. j. mens. j d.
Gajus sed. an. xj mens. iiij d...
Marcellus sed. an. j mens. iij d...
Eusebius sed... mens...
Melsiadis sed. an. iiij mens...
Silvester sed. an. xxiij mens. x d...
Positio ejus Kalendas Januarias,
Marcus sed. an. ij mens. j d. xx.
Julius sed. an. xv mens. ij d. viij.
Liberius sed. an. vj mens. iv d. viij.
Felix sed... d. j.
Damasus sed. an. xviij mens. iij d. xj.
Siricius sed. an. xv.
Anasthasius sed. an. iij. d. xxj.
Innocentius sed. an. xv mens. ij d. xxj.
Josemus sed. an. vij mens. ix. d. ix. *rec. manu* xix.
Bonefatius sed. an. iij mens. viij d. vj.
Celestinus sed. an. ix mens. x d. xvij.
Sistus sed. an. viij mens... d. xix.
Leo sed. an. xx mens. j d. xiij.
Helarus sed. an. vj mens. iij d. x.

Simplicius sed. an. xv mens. d. vij.
Item Felix sed. an. viij mens. v d. xvij.
* Gelasius. Athelacius * sed. an. iv mens. viij d. xviij.
Anastasius sed. an. j mens. xj d. xxiv.
Symmacus sed. xn. xv mens. vij d. svij.
Hormisda sed. an. ix mens... d. xvij.
Johannis sed. an. ij.
Felix sed. an. iij.
Ponefatius sed. an ij.
Item Johannis sed. an. ij.
Agapitus sed. an. j.
Silverius sed. an. j.
Vigilius sed. xn. xiiij.
Ab Apostuleca sede Petri Apostoli usque ordenatione sancti Silvestri anni cc xvit.

INCIPIT DE EPISCOPIS ROMANÆ ECCLESIÆ.

Linus sedit annos xij menses v dies xij.
Clerus sedit an. viiij m. ij d. v.
Clemens sedir an. vj m. j d. xiv.
Evaristus sed. an. xiv m. iij d. xij.
Alesander sed. an. vij m. vj d. vj.
Xystus sed. an. xxv m. ij d. j.
Thelisforus sed an. xj m. iij d. xxvj.
Yginus sed. an. vj m. iij d. iv.
Pius sed. an. xviij m. iv d. iij.
Anicirus sed. xn. xj m. iv d. iij.
Sorer sed. xn. xiv. m. v d. ij.
Filetus * sed. an. v m. x d. xxij.
*Eleutherius. Victor sed. an. xv m. iij d. x.
Severinus sed. xn. xviij m. vj d. v.
Calestus sed. an. v m. ij. d. x.
Urbanus sed. xn. ix m. j d. ij.
Pontianus sed. an. ix m. v d. ij.
Antherus sed. xn. xj m. j d. x.
Gatiranus * sed. an. xiv m. j d. x.
* Fabianus. Cornelius sed. an. ij m. ij d. iij.
Lucius sed. an. iij m. iij d. iij.
Srephanus sed. an...
Xystus sed an. j m. x d. xxvj.
Dionysius sed. an. vj m. v d. j.
Felix sed. an. iij m. j d. xxv.
Euticianus sed. an. j m. j.
Gajus sed. an. xj m. iv d. sij.
Marcellus sed. an. ix m. iv d. xvj.
Eusebius sed. an. vj m. j d. iij.
Militiades sed. an. iv. m...
Silvester sed. an. xxiij m. x d. xj.
Marcus sed. an. ij... d. x.
Julius an. xv m. ij d. x.
Liberius an. vj m. vj d. iv.
Felix sedit.
Damasus sed. an. xviij. m. iij d. xij.
Syricius ao. xv.
Anastasius an. iij d. x.
Innocentius an. xv m. j d. xxj.
Zosimus an. j m. iij d. sj.
Bonifatius xn. iij m. viij d. vj.
Cælestinus an. viij m. x d. xvj.
Xystus an. viij m... d. xvij.
Leo an. xxj m. j d. xiij.
Hilarus xn. vj m. ij d. xij.
Simplicius xn. xv m. j d. vj.
Felix sn. viij m. x d. xviij.
Gelasius an. iv m. viij d. xviij.
Anastasius xn. j m. xj d. xxiij.
Symmachus xn. xv m. vij d. xvij.
Hormisda an. ix m... d. xvj.
Johannes xn. ij m. ix d. xvj.
Felix ao. iv m. ij d. xij.
Bonifacius an. ij d. xsvj.
Johannes xn. ij m. iv. d. vj.
Acapitus an. iv m. xj d. xviij.
Silverius an. ij m. v d. xxvj.
Vigilius an. xvij m. vij.
Pelagius xn... m. x d. xix.
Johannes an. xij m. xj d. xxvj.
Benedictus xn. iv m. j d. xxvij.
Pelagius an. x m. ij d. x.
Gregorius an. xiij m. ij d. x. [Fiunt usque hîc xxitt.
Savinianus sed. an. j m. v d. ix.
Bonifatius sed. an. m. viij d. xxij.
Item Bonifatius an... m. viij d.
Deos-dedit an. iij d. xx.
Bonifatius xn. v m. x.
Honorius an. xij m. xj d. xvij.
Severinus an... m. ij d. iv.
Johannes xn. j m. viij d. vj.
Theodorus xn. vj m. v. d. xviij.
Martinus xn. iij m. j d. xxvj.
Eugenius an. ij m. ix d. xix.
Viralianus an. xiv. m. vj.
Adeodatus an. iv m. ij d. v.
Donus an. j m. v d. x.
Agatho an. ij m. vj d. xiv.
Leo sed. xn... m. x d. xviij.
Benedictus sed. mens. x d. xiij.
Johannes sed. an... d. x.
Conon sed. mens. xj.
Sergius sed. xn...
Johannes sed...

ADNOTATIONES.

DUos superiores Romanorum Pontificum catalogos descripsimus ex duobus codicibus monasterii Corbeiensis. Primus num. 26 continet varias Pontificum decretales epistolas cum canonibus multorum Conciliorum, ex quibus tempore posterius est Parisiacense IV de Castroduni Episcopatu, anno D LXXIII celebratum. Index Pontificum desinit in Vigilio, cujus tempore scriptum est exemplar istud Corbeiense. Alter Index omnino diversus est à primo, habeturque in codice membraneo iidem Corbeiensi num. 630 post Regulas quasdam veterum Patrum, majoribus litteris æque ac prior descriptus, cujus specimina duo habes in lib. 4 de re diplomatica. Uterque omittit Anaclerum & Marcellinum. Mira est discrepantia numerorum tam unius Indicis ab altero, quàm utriusque à vulgatis. Ampliori disquisitione supersedeo: sed tamen hic omittere non possum quod legere memini de die obitus Leonis Magni, quem Indices omnes, etiam Bollandianus ad tomum 1 Aprilis, *tertio Idus Aprilis* constituunt. Paschasius Quesnelius, Oratorii Presbyter eruditus, in Dissertatione 1 ad opera S. Leonis persuasum habet, S. Leonis diem depositionis incidisse in diem trigesimam Octobris, translationem in diem 28 Junii; ordinationem verò in undecimam Aprilis, qua die ejus festum modò celebratur. Et translationem quidem die 28 Junii à Sergio Papa 1 factam esse constat ex manus. codice Virdunensis cœnobii sancti Vitoni, Eusebii historiam continente, in quo post Damasi versus referuntur quædam epitaphia sub hoc titulo, *Ista epitaphia inventa sunt in ecclesia sancti Petri*, quæ sunt Leonis Magni, Bonifacii Papæ, item alterius Bonifacii. In epitaphio verò S. Leonis mentio fit de ejus translatione facta per Sergium Papam, & post epitaphium deposi-

tus memoratur *iij Id.* deest mensis nomen, translatus autem v *Kal. Jul.* Epitaphium istud editum est apud Gruterum & Quesnelium, at sine additamento codicis Vitoniani, quod ita de S. Leone habet: *Sedit in episcopatu annos xxj, mensem j. dies xiij. Depositus est iij Idus..... & rursum translatus huc à beato Papa Sergio iv Kal. Jul. indict. j.* Sergius iste eo nomine primus fuit; Indictio prima incidit in annum DCC III. Idem in alio codice legere memini de die depositionis S. Leonis ad *iij Id. April.* & de translatione ad iv *Kal. Julii.* In eodem codice Vitoniano alia duo epitaphia leguntur, nempe duplicis Bonifacii Papæ, sed ita rxcisa ac mutila, ut vix quidquam sani inde elici possit. In fine prioris hæc subduntur. *Hic requievit Bonefatius, qui sedit menses vij, dies xxxij. depositus pridie Idus Novembris, imperante domno pp. Aug. anno vj. Indict. xj.* Quod de Bonifacio tertio intelligendum, qui proinde pervenerit ad annum DC VIII, quo Indictio XI obtinebat. In fine vero epitaphii posterioris. *Sedit annos iij, dies xxvj. Depositus in pace xvj. Kalend. Novemb. imper. Proconsul. Lampadio & Oreste viris clarissimis.* Hæc anno D XXXII conveniunt, quo Bonifacius II. obiit, qui annus erat secundus post consulatum Lampadii & Orestis.

DYPTICHA ECCLESIÆ ARELATENSIS.

COmmemoratio Dionysii Episcopi.
† Trofimi Episcopi.
† Reguli Episcopi.
† Marini Episcopi.
Martini Episcopi.
Nicasi Episcopi.
† Crescenti Episcopi.
† Concordi Episcopi.
Grati Episcopi.
Ambrosi Episcopi.
Martini Episcopi.
Ingenui Episcopi.
Augustini Episcopi.
Geronymi Episcopi, *additus alia manu.*
Savini Episcopi.
Erotis Episcopi.
† Patruli Episcopi.
Euladi Episcopi.
† Honorati Episcopi.
† Hilari Episcopi.
† Ravenni Episcopi.
† Leontii Episcopi.
† Eonii Episcopi.
Johannis Episcopi.
† Cæsari Episcopi.
Feliciani Episcopi, *additur alia manu.*
Saturnini Episcopi, *additus quoque manu recentiori.*
Prelai Episcopi.
Olani Episcopi.
† Aureliani Episcopi.
† Sapaudi Episcopi.
Liceri Episcopi.
Paschalis Episcopi.
† Virgilii Episcopi.
Honani Episcopi.
Teudosi Episcopi.
Johannis Episcopi.
Item Johannis Episcopi.
Anastasi Episcopi.
Austroberti Episcopi.
Vulberti Episcopi.
† Aureli Episcopi.
Policarpi Episcopi.
Martini Episcopi.
Protasi Episcopi.
Imnodi Episcopi.
Georgi Episcopi.
Ratberti Episcopi.
Kautsari Episcopi.
Wilimarii Episcopi.
Wilaris Episcopi.
Arladis Episcopi.
Alafanti Episcopi.
Luponi Episcopi.
Johannis Episcopi.
Notoni Episcopi.
† Rotlandi Episcopi.
Rostagni Episcopi.
Manassei Episcopi, *alia manu.*
....
Hyterii Episcopi.
Qui sequuntur, alio item charactere scripti sunt.
Annoni Episcopi.
Ponti Episcopi.
Raimbaldi Episcopi.
....
Ab alio scriptore qui sequuntur.
Aicardi Archiepiscopi.
Gibilini Archiepiscopi.
Attoni Archiepiscopi.
Bernardi Archiepiscopi.
Willelmi Archiepiscopi.
Alia item manu adduntur sequentes.
R. bonæ memoriæ Archiepiscopi.
Item R....
Hugo.
Hugo.
Johannes.
Bertrandus.
Florentius.
Raymundus.
Bernardus.
Bertrandus.
Rostagnus.
Petrus.
Arnaldus.
Galhardus.
Milhardus.
Gillebertus.
Johannes.

ADNOTATIO.

IN pervetusto libro sacramentali Gregorii Papæ, qui liber ad usum quondam fuit Ecclesiæ Arelatensis, adscripta sunt hæc Pontificum Arelatensium nomina ad finem Canonis Missæ, ubi Crucis signo sancti designantur. Multa est diversitas hujus indicis à volgatis, quos conferre poterunt studiosi. Unus ponitur Cæsarius, nullus octavo sæculo, contra Sigebertum aliosque, qui sanctum Ægidium ad id tempus referunt. Ipsummet esse non dubitamus Ægidium Abbatem, qui Symmacho Papæ libellum obtulit cum Messiano Notario, in gratiam ecclesiæ Arelatensis: cui libello Pontifex respondit data epistola ad Cæsarium Episcopum consulatu Fl. Senatoris, id est anno D XV.

NOMINA EPISCOPORUM.

SANCTÆ GRATIANOPOLITANÆ ECCLESIÆ

DOMNINUS Episcopus.
DIOOSNIUS Episcopus.
AMICUS Episcopus.
SIBASTIANUS Episcopus.
VITALIANUS Episcopus.
CIRATUS Episcopus.
VIVSNTIUS Episcopus.
VICTOR Episcopus.
URSOLUS Episcopus.
SIAGRIUS Episcopus.
ISICIUS Episcopus.
CLARUS Episcopus.
FERRIOLUS Episcopus.
BOSO Episcopus.
Item ISICIUS Episcopus.
AUSTROBERTUS Episcopus.
RAMNOLDUS Episcopus.
RAGNOMARUS Episcopus.
AUSTORICUS Episcopus.
CORBUS Episcopus.
LEOPERTUS Episcopus.
ARDINCUS Episcopus.
ODOLARDUS Episcopus.
RADOLDUS Episcopus.
SUIPERTUS Episcopus.
EBROARDUS Episcopus.
ADALULFUS Episcopus.
EBBO Episcopus.

Bernerius Epiſcopus.
Isaac Epiſcopus.
Alcherius Epiſcopus.
Isarnus Epiſcopus.
Umbertus Epiſcopus.
Mallenus Epiſcopus.
Artaldus Epiſcopus.
Pontius Epiſcopus.
Item Pontius Epiſcopus.
Hugo Epiſcopus.

Series Archiepiſcoporum Viennenſium & Epiſcoporum Gratianopolitanæ Sedis.

BARNARDUS Archiepiſcopus.

BAGILMARUS Archiepiſcopus, cui contemporaneus fuit Ebbo Gratianopolitanus Epiſcopus, & idem Ebbo Epiſcopus contemporaneus ſancti ADDNIS Archiepiſcopi.

Ottrannus Archiepiſcopos ſucceſſor ſancti Adonis, cui contemporaneus fuit Bernerius Gratianopolitanus Epiſcopus.

Barndinus Archiepiſcopus, ſucceſſor Othranni, cui contemporaneus fuit Isaac Gratianopolitanus Epiſcopus.

Raganfridus Archiepiſcopus, ſucceſſor Barnoini, cui contemparaneus fuit Isaac Gratiapolitanus Epiſcopus.

Alexander Archiepiſcopus, cui contemporaneus fuit Isaac Gratianopolitanus Epiſcopus.

Sobo Archiepiſcopus, & contemporaneus ejus Alcharius Gratianopolitanus Epiſcopus.

Sanctus Theudbaldus Archiepiſcopus, & contemporaneus ejus Isarnus Gratianopolitanus Epiſcopus.

Brocardus Archiepiſcopus, & contemporaneus ejus Humbertus Gratianopolitanus Epiſcopus.

Leodegarius Archiepiſcopus.
Artmannus Archiepiſcopus.
Gurmundus Archiepiſcopus.
Guido Archiepiſcopus.

Item alia ſeries.

SANCTUS BARNARDUS.

SEbbo Gratianopolitanus Epiſcopus fuit contemporaneus Agilmari Archiepiſcopi, ſicut in catalogo libro Lugdunenſis Eccleſiæ repperitur, tempore Karoli filii Lotarii Imperatoris.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLX obiit Agilmaris Archiepiſcopus Viennenſis, & Rimigius ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ, & Ebbo Gratianopolitanus Epiſcopus, cum clero & populo Viennenſium elegerunt Archiepiſcopum ſanctum Adonem, regnante Carolo jam dicto.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXVI, Indictione nona, obiit ſanctus Ado Archiepiſcopus, & clerus & populus elegerunt Othirannum Archiepiſcopum Viennenſem; & Bernerius Gratianopolitanus Epiſcopus conſecrationi ejus interfuit tempore Karolo Rege.

Poſt hunc Othirannum Archiepiſcopum electus & conſecratus eſt Barnoinus Archiepiſcopus, cui contemporaneus fuit Isaac ſanctæ Gratianopolitanæ eccleſiæ Epiſcopus, ſicut invenimus in libris Lugdonenſis Eccleſiæ, tempore Baſonis Regis & Ludovici filii ſui.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXC, Indictione II, regnante Ludovico Rege, obiit Dominus Barnoinus Archiepiſcopus Viennenſis ad Chriſtum.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCVIII, Indictione II, quinto Kalendarum Febrariarum, die Dominica conſecratus eſt Archiepiſcopus Raganfridus, cui conſecrationi interfuit Iſaac ſanctæ Gratianopolitanæ Eccleſiæ humilis Epiſcopus tempore Ludovici Regis filii Boſonis. Et hoc invenimus in libris Eccleſiæ Lugdunenſis.

Poſt hunc Raganfridum Archiepiſcopum fuit ſucceſſor ejus Alexander Archiepiſcopus Viennenſis; cui contemporaneus fuit Isaac jam dictus Gratianopolitanus Epiſcopus, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXII, Indict. XV, ſicut invenimus in cartis Valentinæ Eccleſiæ.

Poſt hunc Alexandrum Viennenſem Archiepiſcopum fuit ſucceſſor ejus Sobo Archiepiſcopus: cui contemporaneus fuit Alcharius Gratianopolitanus Epiſcopus, ſicut in electione Epiſcopi Alcherii jam dicti invenimus, tempore Gondradi Regis.

Poſt hunc Sobonem Viennenſem Archiepiſcopum, cùm nondum eſſet alius Archiepiſcopus in loco ejus electus, & Eccleſia Gratianopolitana careret paſtore, invenimus in cartis Valentinæ Eccleſiæ Odilbertum Valentinenſem Epiſcopum cum cæteris Coepiſcopis ſuffraganeis Viennenſis Eccleſiæ, unà cum conſenſu Clericorum Viennenſium ordinaſſe Isarnum Epiſcopum Gratianopolitanæ Eccleſiæ ſucceſſorem Alcherii Gratianopolitani Epiſcopi: qui Iſarnus jam dictus Epiſcopus fuit contemporaneus ſancti Theutbaldi, tempore Gondradi Regis.

Poſt hunc Iſarnum Gratianopolitanum Epiſcopum, fuit ſucceſſor ejus Humbertus Epiſcopus, qui fuit contemporaneus ſancti Theutbaldi, tempore Gondradi Regis jam dicti.

Poſt ſanctum Theutbaldum Archiepiſcopum fuit ſucceſſor ejus Brocardus Archiepiſcopos, cui fuit contemporaneus jamdictus Humbertus, anno ab Incarnatione Domini milleſimo XII, ſicut in carta S. Laurentii in monaſterio Gratianopolitano invenitur.

ADNOTATIO.

MAGNO adjumento erit hic catalogus, tum ad ſupplendos complures Epiſcopos Gratianopolitanos, qui in editis deſunt; tum ad diſtinguenda tempora, quibus vixerunt, iidem Archiepiſcopi Viennenſes. Hunc verò catalogum cum forma excommunicationis ſuperiùs editâ ex mſ. codice vetuſto eruit, mihique liberaliter communicavit vir de republica litteraria optime meritus Antonius Vionius Herovallius, Cameræ Computorum Auditor.

NOMINA ANTISTITUM

SANCTÆ MATISCENSIS ECCLESIÆ.

Ex codice mſ. illuſtriſſ. Bolonii Præſidis in Senatu Divionenſi.

PRimus Nicetius Confeſſor. II Almus. III Juſtus ſanctus Euſebius. IV Inclitus Decius. V Egregius Momulus. VI beatus Florentinus. VII ſanctus item Decius. VIII Gundulfus vocatus Epiſcopus. IX Adalramnus. X Braidemus. XI Bernardus. XII Lambertus. XIII Gumfardus. XIV Sacratus Giraldus. XV Berno. XVI Maimbodus. XVII Tercelinus. XVIII Ado. XIX Johannes. XX Milo. XXI Ledbaldus. XXII Gauſlenus. XXIII Walterius. XXIV Drogo. XXV Landricus. XXVI Berardus. XXVII Joceranus. XXVIII Pontius. XXIX Stephanus. XXX Renaudus. XXXI Poncius. XXXII Haymo.

ACTA
ARCHIEPISCOPORUM ROTHOMAGENSIUM.

Galliæ provinciæ sont decem & octo: quarum una exsistit Lugdnoensis, quæ vocatur secunda, in qua est nobilis & ampla civitas, quæ vocatur Rodomus vel Rothomagus, super fluvium Sequanæ sita. Hujos civitatis ecclesia in honore beatæ & gloriosæ Dei genitricis semper virginis Mariæ est consecrata. Hæc verò est metropolis. sex enim sub se civitates episcopales continet, scilicet primam civitatem Bajocatarum, secundam civitatem Abrincatarum, tertiam civitatem Evatinorum, quæ dicitur Ebroicas; quartam civitatem Salanum, quæ vocatur Sagium; quintam civitatem Lexoviorum, sextam civitatem Constantinorum.

In præfata civitate Rothomagensi exstitit egregius MALLONUS in ordine primus. Nonnullos horum positio verborum perturbat, non satis idoneè speculantes, quoniam eorum velle, scilicet beatissimum NIGASIUM prænominatæ civitatis primum Antistitem exstitisse, nullatenus hac re pugnatur, si expositione quantulumcumque subtili fulciatur. Attendant igitur tam Clerici, quàm Monachi, ne errent, qualiter scripturas perspicaciùs indagantes, utrumque posse haud inconvenienter stare dijudicent. Decenter, inquam, inquiunt, qui Mallonum in sede Rothomagensi fuisse primum asserunt. Nullus enim eum prævivit, quantum ad Archiepiscopatus usumfructum: nec tamen malè prædicant, qui beatum Nigasium ejusdem sedis Archiepiscopum fuisse primum comprobant. Quippe jam non paucis reor manifestatum esse, hunc Romæ à beato Papa Clemente Rothomagensium urbis Antistitem ordinatum fuisse nondum jugo pastorali cujuspiam obnoxiæ. Nec est frivolum, sed firmum & ratum, prout sua testatur Passio, cum beato sociatum Dionysio, permissione Clementis Papæ hunc eumdem ad oras Gallicas condescendisse; & priusquam ad suam, quam Romæ, sicut diximus, acceperat, sedem posset pervenire; martyrium truncato capite, tamen vicinùs circa fines Northmannicos cum Quirino & Scuviculo pertulisse. Quò fit ut de utroque, sed alio & alio modo, vera prædicatione prædicetur primus, de Nigasio quidem secundùm ordinationem; de Mallono secundùm loci inhabitationem. Ut sic dicatur, Nigasius fuit Rothomagensis urbis Antistes primus ordinatus: at Mallonus fuit primus in sede locatus. Sic is oon versus poterit consistere versus.

Exstitit egregius Mallonus in ordine primus.
Moribus ornatus, clara quoque stirpe creatus.
Enituit verbis, præfulsit & actibus almis:
Dapsilis in cunctis, clemens & largus egenis.
Mentibus infirmos curabat dogmate sacro,
Dæmones vexatos purgabat numine sacro.
Pervigil in populo Pastor pius ac speculator,
Pro sibi commissis murum se contulit hosti.
Compatiens ægris, collisos consolidavit.
Mactabat Domino se semper sacra litando,
Perpetuam pacem deposcens atque salutem.
Ut caros fratres, servabat dulciter hostes.
Hic humilis, sobrius, necnon & corde pudicus.
Sordibus immunis, virtutum lampade fulsit.

Obiit in Christo x Kalendas Novembris.

Beato verò Mallono AVITIANUS successit, qui sub beato Papa Silvestro & Constantino Imperatore præfatam rexit ecclesiam. Is verò prudens & strenuus Pastor fuit in populo, qui Arelatensi Concilio primo, quod eodem tempore, quo Nicæna Synodus habita est, congregatum in canonibus invenitur, cum Materno Coloniensi Episcopo interfuit. Fuit namque hic beatus Pontifex ingenio probus, moribus insignis, subditorum sibi saluti providus. Huic successit SEVERUS, Severo EUSEBIUS, Eusebio MARCELLINUS, Marcellino PETRUS, Petro VICTRICIUS.

Fuit verò hic in regali curia nutritus cum beato Innocentio Papa, ut in ejusdem Papæ epistola de castitate conservanda & aliis institutis Christianæ religionis, eidem Victricio missa invenitur. Ait enim inter cetera: » Præterea frequenter quidam ex fratribus nostris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, Clericos facere contendunt: quibus postea major tristitia, cùm de revocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gratia nascitur. Sit certè in exemplum sollicitudo & tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus Imperatore præsente, cùm pro ipsis priùs rogaremus. quod ipse nobiscum positus cognovisti. « Quibus non solùm inferiores Clerici ex curialibus, verum etiam in sacerdotium constituti, ingenti molestia ut redderentur instabat. Erat enim Pastor gloriosissimus in persequendis populi criminibus rigidus, viduarum & orphanorum pater mitissimus, misericors pauperibus, cunctis compatiens infirmis & dolentibus.

Cui successit INNOCENTIUS, Innocentio sanctus EVODUS, Evodo SILVESTER, Silvestro MALSONUS, Malsono GERMANUS, Germano CRESCENTIUS, Crescentio verò beatus GILDARDUS frater beati Medardi, quorum vitam magnifico stilo beatus Fortunatus scripsit. Una enim die nati fuerunt, una etiam die ordinati, una quoque die migraverunt ad Christum.

Gildardo successit beatus FLAVIUS, cujus pontificatus tempore constructa est ecclesia in honore beati Petri Apostoli in suburbio urbis Rothomagensis, anno primo Clotharii Regis Francorum, nobiliter ædificata, in qua corpus beati Audoeni successoris sui sepulturæ traditum est. Hic verò beatus Flavius anno quingentesimo . . dominicæ Incarnationis multis virtutibus præditus, divini amoris flagrantiâ accensus, dapsilis pauperibus, Rothomagensem rexit Ecclesiam.

Huic successit PRÆTEXTATUS, vir magnæ sanctitatis, & omnibus iniquis odiosus. Hic verò fuit tempore Chilperici Regis filii Clotharii, qui vir nimiæ crudelitatis cum Fredegunde impia uxore sua ingenti contra Pontificem odio exarsit. Causa verò odii nihil aliud fuit, nisi quia fratrem suum Sigibertum Regem, qui fraude Chilperici occisus fuit, multùm dilexerat, & eamdem dilectionem Childeberto filio ejus & matri Brunichildi servabat. Hac de causâ iratus Chilpericus sibi calumniam imposuit, scilicet quòd magnam partem thesauri fratris sui Sigiberti apud se reconditam habuerat, quam postquam Childebertus nepos ejus litem contra eum inierat, ei reddiderat. Ideo in tantum persecutus est eum, quòd eum ab Episcopatu destitutum expulit, & in quamdam insulam in Constantinensi pagu in mari sitam exulavit: & in loco ejus MELANTIUM Archidiaconum Episcopum ordinari fecit. Modus expulsionis suæ ta-

lis fuit. Rex Concilium Episcopos suos convocare fecit, cui vir magnæ auctoritatis & probitatis Gregorius Archiepiscopus Turonensis interfuit. Hic verò nec callidæ machinationi, qua Episcopus deceptus est; nec injustæ destitutioni assensum præbuit. Rex verò impia calliditate quibusdam Episcopis . . . mandavit ei, quod si quæ sibi objecerat in Concilio, recognosceret, & inde coram Rege prostratus se reum proclamaret, omnino ei dimitteret. Qui hortatu impiorum Episcoporum deceptus, fraudulentis Regis mandatis adquievit. Tunc Rex clamare cœpit: Auditis eum crimine convictum: nunc super hoc certam sententiam definite. Et ita deposuerunt eum, & in præfatum exsilium Rex retrudere jussit. Mortuo verò Rege, omnium Primatum & Coepiscoporum consilio & judicio, nolente Fredegunde Regina, ad propriam ecclesiam est revocatus, & deposito Melantio in propriam sedem inthronizatus. Melantius verò in familiaritate Fredegundis impiissimæ Reginæ permansit, quæ beato Prætextato semper inimicata & insidiata est in tantum, ut pretio quorumdam mentes cum præfato Melantio corrumperet: ita ut, sicut beatus Gregorius Turonensis in scriptis suis narrat, nocte sancta Paschæ, in loco pontificali, ubi stare consueverat, gladiis eum percuterent, & ita interficerent. Qui mox ut vulnera sensit, ad altare cucurrit; & illud amplexatus, viatico dominici corporis & sanguinis se muniens, animam Deo reddidit. Corpus verò ejus omnes Principes patriæ cum magno ejulatu & lamentatione de tanti Pastoris patrocinii desolatione condolentes, sepulturæ honorificæ tradiderunt. Postea verò MELANTIUS, qui tempore sui exsulatus episcopatum usurpaverat, consilio & ingenio præfatæ Reginæ in eadem sede est restitutus.

Huic successit Præsul HILDULFUS, vir prudens & honestus. Hildulfo beatus ROMANUS, nobilis ortu, & virtute præclarus. Beato Romano sanctus AUDOENUS claris natalibus ortus, & virtutum magnitudine excelsus. Beato Audoëno successit inclitus ANSBERTUS venerabilis Præsul, & sanctis operibus gloriosus. Horum verò trium ac beati Gildardi memoriam tantùm tetigimus, quia eorum gesta à probatissimis viris luculenter apud nos conscripta habentur.

Ansberto successit venerabilis GRIPPO. Gripponi RANILANDUS, vir venerabilis & honestus. Ranilando sanctus HUGO, qui venerabilis vitæ & magnæ honestatis fuit, ut vita ejus testatur. Hugoni RATBERTUS, vir prudens & strenuus. RATBERTO Grimo. Hic namque vir magnæ nobilitatis & probitatis extitit, populumque sibi creditum tam bonorum operum exemplis, quàm prædicationibus optimè gubernavit, ecclesiamque sanctæ Dei genitricis Mariæ, cujus sedi præsederat, propriis prædiis ac pluribus beneficiis augmentavit. Fontanas enim super fluvium Itouam sitas cum omnibus suis appendiciis dedit. Grimoni successit RAINFREDUS, vir nobili progenie ortus, & litterarum studiis imbutus, qui ecclesiam propriis beneficiis augmentavit. Dedit enim ei in territorio Vilcassino villam, quæ dicitur Cramiliacum, & quampiurima beneficia ex nobilibus viris ad opus suæ ecclesiæ adquisivit.

Rainfredo successit beatæ memoriæ REMIGIUS. Hic fuit filius Karoli, qui Major domus regiæ appellatus est, frater Carlomanni, qui relicta parte Regni quam possidebat, in monte Soracte Monachus effectus est, ubi ecclesiam in honore S. Silvestri construxit, & inde ad Monasterium S. Benedicti in monte Cassino transiit. Fuit etiam idem Remigius frater Pipini, quem Stephanus Papa Regem consecravit. Hic verò Pipinus precibus Carlomanni Monachi fratris sui mandavit Remigio præfato Archiepiscopo, ut ad locum qui dicitur Floriacus, pergeret, & corpus Benedicti, qui ibi requiescebat, Legatis Carlomanni redderet. Cumque ad locum venisset, & Abbatem, qui tunc temporis Monasterium regebat, & Maoo dicebatur, vocaret; Regis edicta edisserens, cum Legatis Carlomanni ecclesiam ingressus est. Cumque sepulcrum beati viri appropinquassent, repentina cæcitate multati sunt. Proinde terrore valido concussi, ante præfatum Abbatem Fratresque loci illius solo tenus prosternuntur, misericordiam deprecantes, quatinus pro eis Dominum exorarent, ut eis indulgeret: promittitque beatus Remigius, quòd numquam Sancti corpus inde amplius transferret. Quid plura? Ilico sunt exauditi, & beatus Remigius cum suis sodalibus pristinam sanitatem recepit. Precatus est autem præfatum Abbatem, ut corporis beati viri reliquias illis exhiberet, ne locus in quo Deo devotè serviebat, tanto patrocinio cassaretur. qui libenter adquievit. Sicque Legatis remeantibus ad propria, beatus Remigius rediit ad sua. Ipse verò quamplura ecclesiæ suæ acquisivit beneficia, & de suis propriis largitas est multa. Super gregem sibi commissum vir nobilissimus pervigil, necnon moribus & opere clarus exstitit, & beato fine quievit.

Beato Remigio MAINARDUS venerabilis Pontifex successit: Mainardo GUILLEBERTUS, qui tempore Caroli Magni Imperatoris Pontificatum decenter & honorificè rexit. Guilleberto RAINOWARDUS, pontificali ordine dignus. Rainowardo GUNBALDUS, nobilis prosapiâ, & bonorum operum clarus instantia. Gunbaldo successit PAULUS, Præsul mitis & prudentissimus. Paulo successit WANILO, Antistes Deo devotus, & in cunctis reverentissimus. Waniloni successit ADALARDUS, nepos Gunbaldi Archiepiscopi, qui religiosus in cunctis operibus fuit. Adalardo RICULFUS, vir nobilis, & multis dives prædiis, quibus ecclesiam sibi commissam hereditavit. Fuit autem tempore Karoli Regis patris Ludovici Regis, cujus fuit filius Rex Lutharius, in quo progenies Karoli Magni à regno funditus exstirpatur. Hugo enim Dux, qui cognominatus est Magnus, Regnum sibi usurpavit, & Rex consecratus est. Cui successit ROTBERTUS in regimine, filius ejus, Rex Deo devotus. Præfatus verò Riculfus cartas ecclesiæ supradictum Regem fecit regali sanctione corroborare. Riculfo successit JOHANNES, devotus & religiosus Antistes Johanni WITTO, vir honorabilis, & reverentissimus Pastor.

Wittoni FRANCO, prudens Pontifex, & bonus populi auxiliator. Hujus enim tempore Rollo Dux Danorum patriam invasit, quæ vocatur Francia, nunc verò Normannia eorum nomine insignita. Cujus mentis feritatem tam divinis eloquiis, quàm devotis servitiis ita delinivit, ut terram sibi adquisitam cum pace & justitia regeret. Postea prædicatione præfati Pontificis legem Christianam suscipiens, ab eodem baptizatus est, & in Fide catholica perseverans bono fine migravit ad Christum. Franconi successit GUNHARDUS, vir sapiens & in cunctis providus. Gunhardo successit HUGO. Hic verò fuit prosapia clarus, sed ignobilis cunctis operibus. Monachus enim apud sanctum Dionysium erat, quando Willelmus filius Rollonis, Dux Normannorum, ei Episcopatum tradidit: sed postpositis sanctæ Regulæ institutis, carnis petulantiæ se omnino contulit. Filios enim quamplurima procreavit, ecclesiam & res ecclesiæ destruxit. Todiniacum enim qui in dominicatu Archiepiscopi erat, cum omnibus appendiciis suis fratri suo Radulfo, potentissimo viro, filio Hugonis de Calvacamp, dedit, & ita à dominicatu Archiepi-

ſcopatus uſque in præſens alienavit.

Huic ſucceſſit Rotbertus, vir nobiliſſimus & potentiſſimus, Richardi primi filius. Hic vir magnæ pietatis & honeſtatis fuit, & in mundialibus divitiis adeo laudatus à ſæcularibus viris: ſed carnis fragilitate ſuperatus, quamplures filios procreavit. Plura etiam eccleſiæ bona fecit. Eccleſiam enim præſentem miro opere & magnitudine ædificare cœpit. Ante obitum ſuum, gratia Dei præveniente, vitam ſuam correxit. Feminam enim reliquit, & de hoc ceteriſque pravis actibus ſuis pænitentiam egit: & ſic bono fine, in quantum humana fragilitas capere poteſt, quævit.

Rotberto ſucceſſit Malgerius nepos ejus: filius enim Richardi fratris ſui fuit. Qui quia non electione meriti, ſed carnali parentum amore & adulatorum ſuffragio in pueritia ſedem adeptus eſt pontificalem; omni deſtitutus tutela, potiùs adquievit carni & ſanguini, quàm divinis mandatis. Voluptatem enim per omnia ſequens, ornamenta eccleſiæ ceteraque beneficia pueriliter erogavit. Et idro auctore Papa Leone Villelmus Dux Normannorum, poſtea effectus Rex Anglorum, aſſiſtente præfati Papæ Legato, ſcilicet Hermenfrido Sedunenſi Epiſcopo, ceteriſque comprovincialibus Epiſcopis, in Lexovienſi eccleſia ab Epiſcopatu eum deſtituit, deditque poſtea illi quamdam inſulam in Conſtantinienſi pago in mari ſitam, in qua pluribus annis, non quidem ut decuit, vixit: poſtea verò, quo autem divino judicio, ignoratur, in mari ſubmerſus eſt.

Malgerio deſtitutu elegit Dux Willelmus quemdam Monachum, nomine Maurilium, qui nobili proſapia ex Remenſi pago exortus, & in ejuſdem civitatis eccleſia educatus, inde in Leodicenſi eccleſia omni liberalium artium peritià imbutus, Halverſtatenſis eccleſiæ Scholaſticus effectus eſt: qui locus in Saxonia ditiſſimus habetur, in quo pluribus annis honorificè vixit. Poſtea verò ſuccenſus amore cæleſtis patriæ, cuncta quæ mundi ſunt, faſtidiens, monaſticam vitam appetiit: ſicque Fiſcamnenſe Cœnobium adiens, Monachus ibi effectus eſt, in quo ſanctè multò tempore vixit, ceteriſque exemplum ſanctitatis exhibuit. Denique igne divini amoris exæſtuans, arctiorem vitam eligens, licentiâ ab Abbate, qui eccleſiæ præerat, acceptâ, Italiam petiit; eremique cultor ſolitariam vitam ducens, opere manuum vixit. Defuncto itaque Abbate Florentineoſis eccleſiæ, quæ in honore beatæ Mariæ ſemper virginis conſtructa eſt, elegit eum Marchio Bonefacius, vir nobilis & potentiſſimus: & ita licèt invitus, bonorum tamen virorum admonitionibus ſuperatus, Abbas ejuſdem loci ordinatus eſt. ubi multo tempore ſubditos pro poſſe ſuo ſanctè & regulariter rexit. Sed quia vita juſtorum eſt detrimentum peſſimorum; Monachi qui tempore prædeceſſoris ſui indiſciplinatè vixerant, conſtantiam Regulæ Patris Benedicti, qua eos regulariter conſtrinxerat, ferre nolentes, ſed in omnibus bonis operibus ſibi reſiſtentes, detrimentum vitæ ei machinati ſunt. Et quia pluribus annis in hoc laborans, nullo modo ſe in eis vidit proficere; ſaluti propriæ proſpiciens, Abbatiam deſeruit, & ad proprium locum, ſcilicet Fiſcamnum, rediit, in quo ſanctè, uſquequo in Epiſcopatu inthronizatus eſt, vixit. Hic eccleſiam à Rotberto Archiepiſcopo inceptam complevit, & adſtante Willelmo Normannorum Duce, poſtea Anglorum Rege, cum omnibus Suffraganeis ſuis, Concilium in Rothomagenſi eccleſia de caſtitate conſervanda, & ceteris ſanctorum Patrum inſtitutionibus Paſtorum incuriâ negligenter poſtpoſitis, viriliter reſtituendis religiusè celebravit. Poſtea perfecta eccleſia, dedicavit eam adſtante Willelmo Normannorum Duce anno M LXIII dominicæ Incarnationis, regnante Henrico nobiliſſimo Rege Francorum, adſtantibus etiam comprovincialibus Epiſcopis, ſcilicet Odone Bajocenſi, Johanne Abrincenſi, Hugone Lexovienſi, Guillelmo Ebroacenſi, Ivone Sagienſi, Gaufrido Conſtantinænſi, ceteriſque venerabilibus Abbatibus; præſidente etiam ſedi Apoſtolicæ Papa Victore II. Multa etiam bona de Chriſtianæ legis & eccleſiaſticæ religionis reſtitutione fecit. Jejuniis & orationibus & eleemoſynis uſque ad ultimum diem inſiſtens, V Idus Auguſti animam Deo reddidit.

Defuncto venerabili Antiſtite Maurillio, præfatus Willelmus Rex Anglorum Lanfrancum reverentiſſimum Abbatem Cadomenſis eccleſiæ, omnibus liberalibus artibus imbutum; ſanctis moribus & operibus ornatum, quem poſtea Cantuarænſi eccleſiæ metropolitanum inſtituit Epiſcopum & Primatem Anglorum, Alexandro ſummo Pontifici & venerabili Papæ miſit, poſtulans ejus clementiam, ut ei aſſenſum præberet, quatinus ejus auctoritate Johannem Abrincatinæ eccleſiæ Epiſcopum metropolitanæ eccleſiæ præficeret, eique ne aliqua occaſione in hoc reſiſteret, litteris apoſtolicis mandaret. Ipſe verò ejus petitioni, quia devotam vidit, adquievit. Litteras inde Pontifici miſit. verba quæ litteræ continent, hæc ſunt:

Alexandar Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Johanni Abrincenſium venerabili Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Deſtituta Rothomagenſi eccleſia Paſtore, comperimus Sedunenſis Epiſcopi & Lanfranci Abbatis relatione, te ex electione Principis tui dilectiſſimi filii noſtri Guillelmi Regis Anglorum, ob vitæ & morum probitatem ad majorem ſedem promovendum, ſi ex auctoritate ſedis Apoſtolicæ fuerit aſſenſus, cui Deo auctore præſidemus. Nos igitur moti illorum precibus, ob ſalutem illius eccleſiæ, & omnium in tuis partibus, volumus, atque dilectioni tuæ apoſtolica auctoritate præcipimus, ut quod divina diſpenſatio de te providit, non contradicas; & electioni te obedientem exhibeas. Admonemus itaque fraternitatem dulcedinis tuæ, ut ſi in modico fuiſti fidelis, in majori bene operari non deſinas, populum divini verbi pabulo reficias, ut merearis audire illam benignam vocem Domini dicentis: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam* De cetero ſecretiorem animi noſtri voluntatem planiùs audies per noſtrorum Legatorum veridicam relationem.

Johannes verò Epiſcopus apoſtolica legatione recepta, & omnium comprovincialium Epiſcoporum, cunctorumque etiam ejuſdem eccleſiæ Canonicorum electione communi conſenſu facta, metropolitanam adeptus eſt ſedem. Hic verò fuit progenie nobilis, liberalibus imbutus diſciplinis. Is aliàs ſatis ſtrenuus, animi fuit impatientiſſimus. Crudeſcebat in eo hic morbus, &, ut ita dixerim, exaggerabatur tum carnis nobilitate, tum prælationis dignitate. Solent enim hæc duo plerumque poſitos in culmine in flexum uſque ſuperbiæ, ipſo potentiæ faſtigio lenocinante, corrumpere: adeo ut normæ obliti juſtitiæ, unde animi ſui furorem videntur paſcere, hoc zelo juſtitiæ velint deputare. Evenit autem aliquando, ut hi tales, non paſtores, ſed crudeles exactores, occulto Dei judicio coram ipſis, quos injuſtè vexaverunt, corripiantur: quatinus exemplariter correpti, & poſteris ſimilibus ſint terrori, & parvulis ſpei. Quod totum in hoc de quo agitur Johanne Archiepiſcopo divina cenſura exhibuit in eo, quem is adverſus ſancti Audoeni Cœnobitas inconſultè tumultu.

tum exercuit. Quod non derogatoriè, non insultatoriè, sed consultoriè censuimus scribere. Primò, quia insolitum, incredibile, & quasi monstro simile, tantum tumultum, tantam turbam eo die sine sanguine accidisse. Secundò, ut loco nobilissimo, & ab omni jure seu consuetudine Archipræsulum hujus urbis privilegio Karoli Magni libero sit memoriale, quo se probent nec in magnis excessibus ipsorum aliquid justitiæ debere. Causa erat, quia Guillelmus Nortmannorum Comes & Anglorum Rex gloriosus Cinomannis cum expeditione sua morabatur. Aderant ei inter reliquos Proceres iste Johannes sedis hujus Archiepiscopus, ut vir excellentis ingenii, & non mediocris consilii: Nicolaus quoque reverendus Abbas suprsdicti Cœnobii. Imminebant celeberrima cunctisque votis excipienda sanctissimi Audoeni dies natalitia: & quia moris est, ut Archiepiscopus ipsa die ibi Missarum sollemnia celebret, non pro ulla quidem vel ipsius jentaculi vicissitudine, sed quasi in recompensationem consecrationis suæ, quam nonnisi in præfata ecclesia cuivis sedis memoratæ licet accipere; missione à Rege petita redibat concitè, Abbate prænominato interim ad occupationa remanente. Quid plura? adest dies veneranda, Clerici majoris ecclesiæ solito eo conveniunt: & quia præmisso nuncio venturum se mandaverat, sollemne Missarum interim differtur. Post aliquandiu verò è communi consilio, ne quid tantæ diei subtraheretur, dum veniat, initiatur. Tanta verò morositate, tanta id factum est devotione; ut non mirum totis animis hostem humani generis ad hanc lætitiam turbandam exarsisse: qui maximo sibi lucro credidit accedere, sic illud veneno suæ nequitiæ tempus inficere, quod interim sibi dolebat deperire. Finito itaque *Kyrie* cum duobus rithmis, exacto *Gloria in excelsis Deo*, quod incœptum ab Abbate Ricardo Sagienti chorus celeberrimè fuerat executus cum laudibus suis; (id verò totum expendebatur in præstolatione Archipræsulis) ecce accurrit ut turbo tempestatis, omnem confundens gratiam illius celebritatis. Hic namque totam mentis indignationem animo concipiens, quod non usquequaque fuisset exspectatus, torvis oculis, ore furibundo cunctis maledixit; conversusque ad ipsos Monachos excommunicavit, ex auctoritate Dei & sua officium præsens interdicens cessare fecit, Abbatem ab altari evellens, divinum officium ministerii prohibuit. Mæroris erat plenum & stuporis cernere tantæ festum lætitiæ, tot & tantas voces eam præconantes in subitum silentium obmutuisse. Ipse ad complendum se officium præparat: Clericis suis, ut à loco incœpto peragerent, imperat. Nihil hic reticendum fore censemus, quod dum alteri parti favendo dissimulamus, alteri totum derogando imputare videamur. Verum falsi adstipulatione non indiget. Fratres, etsi decorem sibi tanti gaudii præripi dolentes, pontificali tamen auctoritati cedunt, festivis se ornatibus exuunt, satis cum tumultu ecclesiam egrediuntur; huc quidam, pars illò, alii aliò succedunt, invicem & ad suos super suo pudore mærentes conqueruntur. Cùm subitò quidam mæroris impatiens, dubium quidem an ex ipsis, vel eorum famulis, plus furoris, minus consilii animo colligens, turrim properat, majus ecclesiæ signum pulsat. Hinc forum ocior advolat: Archiepiscopum sancti Audoeni glebam ad majorem ecclesiam asportare velle proclamat. Prosiliunt omnes e domibus, alius gladium, hic bipennem, diversi quod primum manibus occurrerat, arripiunt; ecclesiam cum furore irrumpunt. Quidam curiositate acti, celata Monasterii conscendunt, quædam ex tabulatis auferunt: quid sic furens populus agere vellet, rimantur. Plurimi ejus intentionis erant, ut quia eis tantæ continuationem lætitiæ interrupisset, nec sibi perficere liceret. Archiepiscopus circomcirca furentium se turmis appeti expavescens, plus tamen desuper imminentes metuens, ab altari ad valvas Monasterii fugam arripuit: vix elapsus infra ambitum earum ipsis priùs clausis se recepit: undique circum se sedilia & formas aggerari fecit. Nonnulli tamen partis ipsius arreptis candelabris, cereis & perticis, in Monachos efferati, sed ab eis non segniter excepti, pudet dicere, quàm fœdo exemplo res eo die debuit determinari. Constitit satis ipso die meritum Sancti omnibus affuisse, qui hinc sævientium manus comprimendo, hinc Archiepiscopum cum suis e periculo eximendo, tantum nefas non parvo cunctis miraculo potuit avertere. Nam tanta subitò nubis caligo id spatium Sanctuarii, quo loculi Sanctorum continebantur, obtinuit, ut vix vel à curiosis oculorũ acie corripi potuerit. Rei congruit miraculũ. Quia enim sacræ Scripturæ diversis in locis per nubem nunc delinquentium cæcitas, nunc Domini protectio figuratur; jure hoc in ipsa nube portendebatur. Hinc nempe insensibiliter furentium nubilum velut fumus adscendens, divinæ gratiæ serenum turbabat: hinc manum Domini reatu ipsorum ad feriendum provocatam sanctus Audoënus meritis suis protegendo continebat. Dicto nil subripit, quod refragetur: tantùm ratio ipsa à toto pendens suffragatur. Ipsi sanè, cujus patientiæ sit Altissimus redditor, æstimare licuisset, ni se in sua pertinacia continens à consideratione rationis animum revocasset. Sed animositatis ejus immanitas non destitit eo usque, quo se invehens irruit in se. Igitur Vicecomes civitatis Archiepiscopum sic circumventum ut audivit, veritus ne quid inconsultius adversus ipsum ageretur, & ipse post noxæ argueretur; militarem manum cogit, Regis bannum omnibus prætendit, suppetias accurrit; jam nil reluctantem, immo sibi penitus diffidentem periculo eximit. Iis tumultuum dementiis exacta est dies tantæ celebritatis. Æstimet qui valet, quæ facies tunc fuerit curiæ cælestis; quàm indignè tulerit sui præcellentissimi civis Audoeni sic contusam, sic fœdatam, sic præreptam diem suæ remunerationis. Æstimet quid exstiterit miseriæ, tantum Patronum nil penitus in filiis suis quod Domini faciem placaturus offerret, eo die accepisse. Nos ignorantes divini secretum consilii omittimus, de hominibus humana pensamus. In tanta multitudine discreta sexu, ætate & ordine, non credimus defuisse, & qui mente carnali se minùs nocuisse pænituerint, dum nil medium, quin tam speciali gaudio privati forent, adtenderint; & qui sanioris consilii, peccatis suis eam turbam imputaverint, vota sua prærepta gemuerint, à suo Patrono veniam suspirantes super suis actibus erubuerint. Fratres in crastinum de suis eligunt, per quos Abbati suo quod factum fuerat, innotesceret, & Regem super hoc suggesturus adiret: sed Archiepiscopi nuncius prævenerat, invidiam omnem in Monachos retorserat. Sic infecto negotio reditum est. Rex licèt pòst ipsius Archiepiscopi & quorumdam aulicorum instinctu animo in Monachos motus; rem tamen ex æquo pensans, hinc immoderatam arrogantiam, hinc inconsultum tumultum justis librationibus præponderat. Jubet igitur statim ecclesiam ab Archiepiscopo reconciliari. Quòd cùm satis irato & reluctanti animo abnueret; Rex Michaeli Episcopo Abrincatensi loci reconciliationem injunxit: pudorem verò suum, in futuro vindictam prætendens, dissimulavit. Quatuor igitur Monachos loci, quos & factionis auctores audierat, totidem aliorum Cœnobiorum Abbatibus commisit: quatenus & Archiepiscopo satisfaceret, & illi in peregrinatione sua luerent, quod minùs consultè peccassent. Non multo pòst tamen, & ratio-

nis consideratione, & petitu Abbatis ipsorum flexus, in præsentiam sui eos revocavit, & ecclesiæ reconciliatos reddidit. In his omnibus semper apud ipsum cautum exstitit, ne quid sibi Archiepiscopus, quasi sub ecclesiastico vigore, in causis hujus ecclesiæ insolenter arrogaverit. Immo postquam gemino Fratrum eorumdem exsilio satisfecit, rem in consilium ponit, concilium cogit: quòd Abbatiam suam irato & tumultuanti animo intrasset; quòd totius turbæ causa & materia exstitisset; quòd loci reconciliationem sibi denegasset, judicio Primatum suorum trecentas libras exegit. Delicti satis hæc vindicta exsolvisset, si intimè facti pœnituisset, Dominique patientiam non negligendam putasset. Sed animi rancorem nec tunc primùm adversus sancti Audoëni Cœnobitas occœperat, & hoc modo potuit potiùs exaggerari, quàm leniri. Trium annorum spatium evolutum erat, & semper repulsam sui dolore continuo secum corrodebat, congruenti sanè exemplo suspensus, velut evangelicæ illius ficulneæ fructus. Unde sic quidam,

Exspectata tribus fructum non attulit annis.

Cùm post id temporis redeunte eadem festivitate, paucis antè mensibus paralysi percussus, sed ab hac infirmitate jam respirans, ad sollemnitatem venit. & quia per se Missam celebrare non potuit, Gisleberto Ebroacensi Episcopo vices suas commisit: ipse in medio Cantorum specie Præcentoris stetit. Ut verò Evangelium cœpit legi, horribile dictu! sic ab intimis humoribus in secretiorem meatum profluentibus est subitò angustiatus, ut raptim urina procurreos, lineam usque superpellicialem indumentum omne infecerit; pavimentum etiam quo stabat, perquam humectaverit. Hinc post Fidelium oblationes, cùm ampliùs dissimulare non posset, ecclesiam egressus, pudore non oportet dici quantum & mærore confusus, ad sua reversus est. Quod ut primùm ad aures populi percrebuit, quis æstimare, quis dicere sufficeret, in quas & quantas voces se de repente sparserit? Omnes tamen in commune Domini magnificentiam, sanctique Audoëni meritum personabant: jure hunc ab integritate præsentes lætitiæ sic ignominiosè repulsum, quam olim indignè nimis perturbaverat, acclamabant. Nemo nobis succensere habet, si vera dicimus: quia nonint examen Judicis omnium, in cujus manus horrendum est incidere, improperandum sumus, & ex aliena culpa pœnam incurrere valdè formidamus. Sed enim judicia Domini, quæ velut abyssus multa sunt, mirari, ipsum in tam sancto viro prædicare, quo affectu pietatis iisdem devotè sibi famulantes protegendo semper foveat, plus est sacrilegii ingrato silentio tegere, quàm ut dicatur, reverentiæ. Ceterùm non parum intentionem piam dirigit, studendum continuè Domino servire in timore, & exsultare ei, sed cum tremore: sobriè pensare, quàm nitidum templum ipsi nosmet scilicet exhibere deceat, si adeo zelans hujus exterioris cultus in visibilibus templis appareat. Non enim inhabitantes propter locum, sed propter inhabitantes locum Dominus elegit. Verùm, ut cœpta prosequamur, per alios tres annos adeo ipso incommodo laboravit, ut neque jam administrationis officiis deservire potuerit. Cùm tandem regia auctoritate, immo consultu omnium pulsatus, Episcopatu cedit, & ad quamdam patrimonii sui villam, S. Philiberti dictam, secedit, ubi & aliquantisper supervixit. Duodecimo verò sui præsulatus anno viam universæ carnis ingressus, hominem exivit. Inde tamen ad propriam sedem refertur, & honorificè in ipsa ecclesia tumulatur v. Idus Septembris.

Successit huic, immo præcessit (nam duobus ante obitum ejus mensibus introrizatus est) Dominus GUILLELMUS, Cœnobii Cadomensis Abbas, cùm Apostolica auctoritate, tum regio munere, tum denique communi electione, vir sanè & generis nobilitate cluens, & morum prærogativa præpollens.

ADNOTATIO.

PRÆMISSA Pontificum Rotomagensium Acta litteris mandavit anonymus Cœnobii sancti Audoëni ejusdem urbis Monachus, ad cujus autographum hæc editio exacta est. Vixit is Gregorio VII Pontifice, Johanne Archiepiscopo Rotomagensi, Abbate Monasterii sancti Audoeni Nicolao; non alius forsan quàm Fulbertus ejusdem loci Cœnobita, qui librum de miraculis sancti Audoëni hactenus ineditum eidem Nicolao Abbati nuncupavit: aut Theodericus, à quo sancti Audoëni vita metrica Nicolao itidem inscripta est. His actis uberiores notas subjicere supersedeo, cùm satis illustrata sit Rotomagensium Præsulum historia, quam noster Franciscus Pomeraïus Gallico idiomate ante paucos annos eruditè & accuratè composuit, usus superiorum Actorum lectione, quæ ipsius historiæ probationis loco esse poterunt. Hìc duo tantùm observo. Unum, inter Rotomagenses Episcopos nullum in his Actis locum tribui Hugoni Caroli Magni filia, cujus vitam Baldricus Episcopus edidit, eumdem perperam numerans inter Archiepiscopos Rotomagenses, ut fusiùs aliàs ostendi in Seculi III Benedictini tomo I. Alterum est, Synodum comprovincialium Episcoporum à Maurilio Archiepiscopo celebratam fuisse, in qua sententia adversus Berengarium ejusque hæresim dicta est, *anno* scilicet *dominicæ Incarnationis* M LXIII, quo instauratæ Rotomagensis ecclesiæ dedicationem peregit, *adstante Willelmo Normanorum Duce cum omnibus Suffraganeis suis*: quibuscum *Concilium de castitate conservanda, & ceteris sanctorum Patrum institutionibus Pastorum incuriâ negligenter postpositis, viriliter restituendis religiosè celebravit*, inquit Anonymus noster.

VETUS FORMULA

CELEBRANDI CONCILII PROVINCIALIS

in Ecclesia Rotomagensi.

PRima hora diei induantur Episcopi & Abbates in sacrario, Archidiaconus dalmaticâ, Subdiaconus tunicâ, ceteri Ministri albis, & duo qui letaniam cantaverint, cappis: & sic procedentes veniant ante altare, & ibi super tapeta prosternantur Episcopi. Ipsi verò qui cappis induti fuerint, confe-

ſtim incipiant antiphonam *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna.* qua cum Pſalmo *Salvum me fac* & *Gloria Patri* expleta, incipiant letaniam. Moxque ſurgentes Epiſcopi pergant ad locum, ubi ſedilia in choro diſpoſita fuerint. ubi finita letaniâ, Archidiaconus acceptâ benedictione à Pontifice Evangelium *Ego ſum Paſtor bonus* legat. quo perlecto clamet alta voce, *Orate.* Statimque omnes, tam Epiſcopi, quàm Clerici, ſolo tenus proſternentur, & orantibus eis ſurgat ſolus Metropolitanus, dicens hanc Orationem: » Adſumus, Domine, ſancte » Spiritus, *&c. ut in Ordine Romano.*

Finita oratione, & reſponſo ab omnibus *Amen*, rurſum Archidiaconus dicit: *Erigite vos.* Confeſtim omnes ſurgant, & cum omni timore Dei, tam Epiſcopi, quàm Preſbyteri ſedeant: ſicque omnibus in ſuis locis in ſilentio conſedentibus, faciat Pontifex ſubſcriptum ſermonem de Evangelio, & de his quæ pertinent ad ea quæ tractanda ſunt. Tunc Archidiaconus codicem canonum in medio proferens juſſu Archiepiſcopi [recitat] capitula de agendis Conciliis provinciæ. De Concilio Calchedonenſi

*al. era xviii. ‍ heram * xviiii. » *Statuit ſancta Synodus ſecundùm » Patrum regulas bis in anno in unam convenire per » ſingulas provincias Epiſcopos, ubi ſingula corrigantur, quæ emerſerint. Qui verò convenire noluerint, canonicè corrigantur.* Item de capitulis » Orientalium Patrum. *Propter eccleſiaſticas curas » & altercationum ſolutiones bene placuit per ſingulas » provincias bis in anno Concilium fieri, convocante » Metropolitano omnes provinciæ Epiſcopos. Qui » verò venire contempſerit, niſi ſumma neceſſitate, » reus erit fraterni concilii.* Item de Concilio Toletano IV heta xviii.

S E R M O.

» Oportet nos, fratres cariſſimi, in omni Concilii conventu Fidem recitare, quam ſancti Patres Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini primi, Calchedonenſis Concilii ſanxerunt, corroboraverunt, ut eam firmiter & unanimiter teneamus, nec in aliquo ab eis diſſentiamus: ſed in nobis vera ſit unitas Fidei, & firma & perſeverans actio juſtitiæ & pietatis. Unde ſi placet veſtræ ſanctitati, juſtum nobis videtur, ut in audientia omnium recitetur, ut omnium mens in ea perſeverabiliter corroboretur. Tunc jubente Archiepiſcopo, dicit Archidiaconus.

» *Credimus in unam Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, necnon & inviſibilium conditorem, &c.* Et quòd de Spiritu-ſancto non ad plenum ibi diſputatum eſt; inſurgente falſa Eunomii & Macedonii contra Spiritum-ſanctum blaſphemia, qui dicebant Spiritum-ſanctum minorem Patre & Filio, annexum eſt à præfatis ſanctis Patribus Conſtantinopolitanæ Synodi ſubſequens capitulum.

» *Credimus & in Spiritum-ſanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas. Unam catholicam atque apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, exſpectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi. Amen.*

» Hanc, fratres, Fidem quæ vobis expoſita eſt, oportet, ut firmiter teneatis, & tenere vero corde profiteamini. Dicant omnes: Hanc tenemus, hanc laudamus, hanc tenere profitemur.

« Oportet etiam, fratres cariſſimi, ut fides veſtra de corpore & ſanguine Domini, quam præſidente huic ſanctæ ſedi venerabilis memoriæ MAURILIO communi aſſenſu contra ſpurciſſimos BERENGARII ejuſque ſequacium latratus diffiniſtis, iterum recitetur.

Corde credimus & ore profitemur, panem in menſa dominica propoſitum panem tantummodo eſſe ante conſecrationem: ſed in ipſa conſecratione ineffabili potentia divinitatis naturam & ſubſtantiam panis in naturam & ſubſtantiam carnis; carnis vero non ullius alterius, ſed illius quæ concepta eſt de Spiritu-ſancto, nata ex MARIA *virgine quæ etiam propter nos & propter noſtram ſalutem flagellis cæſa jacuit in ſepulchro, tertia die reſurrexit a mortuis, & ſedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aqua mixtum in calice ſanctificandum proponitur, verè & eſſentialiter converti in eum ſanguinem, qui per lanceam militis de vulnere dominici lateris in redemtionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus contra hanc ſanctam & apoſtolicam Fidem ſuperbe atque hæretice ſentientes, & impia temeritate garrientes.* « Nunc Fide noſtra expoſita oportet, ut de commiſſo nobis ordine aliqua loquamur.

Finito ſermone, Archiepiſcopus præcipiat Archidiacono, ut primum capitulum XI Toletani Concilii legat. » In loco benedictionis conſidentes Domini Sacerdotes, nullis debent aut indiſcretis vocibus perſtrepere? aut quibuſlibet tumultibus perturbari; nullis etiam vanis fabulis vel riſibus agi, & (quod eſt deterius) obſtinatis concertationibus tumultuoſas voces effundere. *Si quis enim*, ut Apoſtolus ait, *putat ſe religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum; hujus vana eſt religio.* Cultum enim ſuum * juſtitia perdit, quando ſilentium * judicii obſtrepentium turba confundit, &c. « ‍ Jac. 1. ‍ * al. ſua. ‍ * al. ſilentia

Tunc dicat Pontifex hanc exhortationem: Ecce, ſanctiſſimi, præmiſſis Deo precibus fraternitatem veſtram cum pia exhortatione convenio, & per divinum nomen obteſtor, ut ea quæ de nobis, de Deo, de ſacris Ordinibus, vel noſtris moribus vobis fuerint dicta, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia intentis auribus auſcultetis, *&c. ut in Ordine Romano.* Tunc recitatis ſententiis incipiat Concilium celebrari. Item de contemtoribus Canonum in Toletano Concilio VII. * Si quis contra ea, quæ in ſancto Concilio diffiniuntur, temerarius violator extiterit, communione & honore multetur. « ‍ *Sequentia non exſtant in Toletano Concil. VII.*

Genceleus Epiſcopus dixit: Omnia ergo quæ à cœtu glorioſiſſimo ſtatuta ſunt, placet ab omnibus cuſtodiri? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Placet, ut cuſtodiantur ab omnibus.

Genceleus Epiſcopus dixit? Si, quod non opinamur, ab aliquo fuerint violata quæ ſtatuitis, quid debeat fieri? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Qui contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit, ipſe ab hoc cœtu ſe ſeparabit. «

In fine Concilii.

Divinæ Trinitatis inſeparabile numen, ſicut inſpiratione mirabili noſtrum tractatum primordio illuminavit, ita conſummatione ſublimi eumdem jam perficiendo concludit, ut in illo ſit noſtrum expliciuiſſe, à quo nobis fuit inchoaſſe. Damus ergo gloriam & honorem eidem ſanctæ atque individuæ Trinitati, quæ nobis & ex ſe dicere, & in ſe dicta complevit: quæ reformavit in extremitate ſæculorum remedia pietatum, & reſolvit li-

gamina vinculorum. Sit gratiarum actio & reverentiæ plenitudo à nobis omnibus in commune ipsi clementissimo Principi, bonorum gratifico largitori: cujus votorum instantiâ benigna Deus attulit complementa: cujus dispositio piissima pressurarum removit caitia. cujus temporibus conferat vigere justitiam, & cauberare misericordiam opulentam: cujus post præsentis ævi tempora diuturna, cum Sanctis omnibus tribuat in remuneratione coronam. Nos autem omnes hanc decretorum nostrorum seriem, ea rectæ Fidei vel pietatis ac justitiæ fonte manantem, coram Deo & sanctis Angelis ejus, Orthodoxis omnibus & nunc & in futurum impensissimè commendamus, obsecrantes, ut hanc & reverenter adimpleant, & ab æmulis benignè defendant. Contemnentibus autem eam divinæ veritatis ultio pavenda proveniat: observantibus autem misericordia profluens, pax perpetua, & gloria sempiterna contingat. Hujus quoque sententiæ fortitudine vel vigore, decreti nostri seriem, quam in serenissimi domini nostri edidimus nomine, pro rebus à divæ memoriæ patre suo quolibet titulo conquisitis, decernimus omnino custodiri. Legem denique, quam pro coërcenda Principum cupiditate idem clementissimus edidit Princeps, simili robore firmamus, atque ut futuris temporibus modis omnibus observetur, pari sententia definimus. Quæ etiam, ne taciturna temporum vel obliviosa vetustate deserantur, huic nostræ constitutioni utraque decrevimus innectenda, ita cunctorū memoriæ commendanda, ut à cunctis regulis superiùs ordinatis nusquā maneant segregata. Cetera quoque decretorum nostrorum judicia, quæ ab hac sancta Synodo noscuntur esse confecta, si quis convellere fortasse decreverit, aut implere neglexerit, vel infringere quandoque voluerit; per judicium omnipotentis Dei anathema sit. Sit autem Deo nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.



RITUS
ORDINANDI EPISCOPI
in Metropoli Rotomagensi.

IN die ordinationis Episcopi maturissimè pulsetur, & cantetur Prima, postquam eatur ad Capitulum; ibique à Decano, Archidiacono, Cantore & Cancellario ordinentur qui debent præcedere Ministri, sicut in majoribus mos est festivitatibus, hoc est duo Acolythi cum thuribulis, duo Subdiaconi cum crucibus, septem Acolythi cum candelabris & cereis, septem Subdiaconi cum Evangeliorum libris, septem Diaconi cum suis Reliquiis, duodecim Presbyteri induti planetis, Acolythus indutus podere cum vasculo aureo chrismatis.

Tertia pulsetur temporaneè, & interim præparet se domnus Archiepiscopus sandaliis & ceteris omnibus usque ad dalmaticam. Tunc indutus cappâ, & tenens baculum pastoralem in manu, procedit è sacrario. Similiter omnes Episcopi exeant induti. Ipse autem Electus necdum induatur sandaliis, sed tantum albâ, & stolâ, & cappâ; nec ferat baculum, sed ponatur super altare cum anulo, usque dum consecratus accipiat de manu Archiepiscopi.

Venientes autem in ecclesia ponantur sedes ita. Domnus Metropolitanus sedebit verso dorso ad altare. Sedilia verò ceterorum Episcoporum ponantur ante oculos Metropolitani. Sedes autem ipsius Electi ponatur in medio, non tamen ad majus altare. Comprovinciales autem Episcopi offerant Electum domno Metropolitano his verbis: « Reverende Pater, postulat sancta Mater Ecclesia N. ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis. Et respondeat Metropolitanus: Scitis illum dignum esse? & Episcopi: Scimus & credimus illum esse dignum, quantum humana fragilitas sinit nosse. Et respondeant omnes: Deo gratias. Tunc Metropolitanus ad Episcopos: Audiamus, si placet, quid de tanta consecratione sancti Patres statuerunt. » Tunc Cancellarius legat distinctè & apertè ad intelligendum hæc decreta. *Jube, Domne, benedicere.* Et Domnus: *Quidquid in nobis Christo displicet, hoc sanctus Spiritus emundet.*

Ex Decretis Anacleti Papæ. Anacletus Episcopus universis Episcopis in Italia constitutis, &c. Tunc Metropolitanus ad Electum.

Audisti, carissime, quòd antiqua sanctorum Patrum institutio docet & præcipit, ut is qui ad ordinem Episcopatus eligitur, maximè ut legimus in canone Carthaginensi, antea diligentissimè examinetur cum omni caritate de Fide sanctæ Trinitatis, & interrogetur de diversis causis vel moribus, qui huic regimini congruunt, & quæ necessaria sunt retinere secundùm Apostoli dictum: *Manus nemini cito imposueris.* Et ut etiam is qui est ordinandus, antea erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei, ut irreprehensibiles sint, qui ei manus ordinationis imponunt. Eadem divina auctoritate & præcepto interrogamus te, dilectissime Frater, caritate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divinæ Scripturæ sensibus accommodare volueris.

Interrogatio. Vis ea quæ ex divinis Scripturis intelligis, plebem cui ordinandus es, & verbis docere, & exemplis? R. Volo.

Inter. Vis per Dei gratiam & tuam diligentiam talis esse, qualem Episcopum esse debere docet Apostolus, videlicet sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum? R. Volo.

Inter. Vis castitatem mentis & corporis Deo donante custodire, & in ea filios tuos enutrire? R. Volo.

Inter. Vis beato Petro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ esse subditus secundùm statuta Patrum? R. Volo.

Inter. Vis sanctæ Rotomagensi Ecclesiæ, mihique & successoribus meis obediens esse & subditus? R. Volo.

Inter. Vis mihi & Ecclesiæ meæ professionem facere, sicut, sicut mos antiquitus constitutus obtinuit? R. Volo, & paratus sum in omnibus obedire.

Inter. Pauperibus & peregrinis omnibusque indigentibus vis esse propter nomen Domini affabilis & misericors? R. Volo.

» Deinde dicatur ei hæc Oratio : Hæc omnia &
» cetera bona tribuat tibi Dominus, & custodiat te
» atque corroboret in omni sanctitate. Et respon-
» deant omnes, *Amen.*

Interrogatio credulitatis.

» Credis secundùm intelligentiam & capacitatem
» sensus tui sanctam Trinitatem, &c. *ut in ordine*
» *Romano.* R. Credo.
» Inter. Credis quòd Pater plenus Deus est in se,
» & Filius plenus Deus est in se, *&c.* R. Assentior,
» & ita credo.
» Inter. Credis Dominum nostrum Jesum-
» Christum, Deum verum, plenum & perfectum,
» *&c.* R. Credo.
» Inter. Credis panem qui in mensa dominica
» proponitur, panem tantummodo esse ante conse-
» crationem; sed in ipsa consecratione ineffabili po-
» tentià divinitatis converti naturam & substantiam
» panis in naturam & substantiam carnis; carnis
» verò, non ullius alterius, sed illius quæ concepta
» est de Spiritu sancto, & nata ex Maria Virgine?
» R. Credo.
» Inter. Similiter vinum, quod aquæ mixtum in
» calice sanctificandum proponitur, verè & essentia-
» liter converti in eum sanguinem, qui per lan-
» ceam militis de vulnere dominici lateris emanavit?
» R. Credo.
» Inter. Credis unam sanctam, catholicam, &
» apostolicam Ecclesiam, in qua hæc singularis gra-
» tia conficitur, in qua unum datur Baptisma, &
» vera omnium remissio peccatorum? R. Credo.
» Inter. Anathematizas omnem hæresim, extol-
» lentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam catho-
» licam? R. Anathematizo.
» Inter. Credis veram resurrectionem ejusdem
» carnis, quam nunc gestas, & vitam æternam?
» R. Credo.

Oratio. *Hæc tibi Fides augeatur à Domino ad veram & æternam salutem, dilectissime Frater.*

Oratio ad Missam.

Adesto, Deus, supplicationibus nostris, ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum, &c.

Alia.

Propitiare, Deus, supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per Dominum, &c.

Secreta.

Hæc hostia quæsumus, Domine, emundet nostra delicta, & ad sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per Dominum, &c.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo N. quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona custodias: ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus consequatur, diesque nostros, &c.

Postcommunio.

Hæc nos communio, Domine, purget à crimine, & cælestis remedii faciat esse consortes.

Ad pollicem consecrandum.

Deus & Pater Domini nostri Jesu-Christi, *qui te ad pontificalem sublimari voluit dignitatem, ipse te chrismate & mystica delibutionis liquore perfundat, & spiritualis benedictionis ubertate fœcundet: ut quidquid sanctificaveris, sanctificetur; & consecrata manus istius, vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum,* &c.

Benedictio baculi.

Omnipotens & misericors Deus, qui ineffabili bonitate votis supplicantium assistis, quique ex tua pietatis abundantia affectum petendi attribuis; baculo huic quem ad pastoralis officii signum in tuo nomine dedicamus, tuæ benedictionis vim copiosè infunde: ut eo Pastor insignitus, sic populum suum sollicitè custodiat, quatinus ab unitate Ecclesiæ nullatenus deviare permittat: sed infractum redintegret, quassatum consolidet, seque unà cum grege suo integrum tibi atque immaculatum conservet. Per Dominum, &c.

Benedictio anuli.

Deus totius creaturæ principium & finis, in quo clausa sunt omnia, hunc anulum benedicere & sanctificare digneris: ut qui per eum famulo tuo honoris insignia concedis, virtutem & præmia largiaris: quò & discretionis habitum semper retineat, & veræ Fidei fulgore præfulgeat; sanctæ Trinitatis quoque armatus munimine, miles inexpugnabiles acies diaboli constanter evincat. Per Dominum nostrum.

ADNOTATIONES.

Hæc duo, quæ mox retuli, monumenta suppeditavit ecclesiæ Rotomagensis vetus liber, (Benedictionalem vocant) cujus copiam vir humanissimus Pelchester ejus ecclesiæ Bibliothecarius mihi fecit. Sub initium sæculi xi scriptus est liber iste, in quo secunda manu celebrandi Concilii & ordinandi Episcopi provincialis formulæ adjectæ sunt, Guillelmo Archiepiscopo ejus nominis primo, qui ab anno m lxxix ad m c x Rotomagensem Ecclesiam rexit. Ejus rei duas habeo conjecturas. Prima est, quòd ritus celebrandi Concilii editus sit post mortem *venerabilis memoriæ* Maurilii Archiepiscopi; provincialibus Episcopis, qui cum eodem Maurilio Berengarium ejusque errorem damnaverant, superstitibus, ut patet ex professione Fidei de corpore & sanguine Domini. Altera est, quòd in fine hujus formulæ confirmentur res omnes conquisitæ à Principe, qui *divæ memoriæ* pater Ducis tum Normanniam regentis appellatur. Confirmatur etiam ejusdem Principis lex seu statutum *pro coercenda Principum cupiditate.* quod utrumque refero ad Guillelmum Conquisitorem, cujus mandato Synodus Episcoporum anno m lxxx apud Illebonam indicta est, cautumque, ut *nullus laicus in reditibus altaris, vel in sepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat,* & alia id genus, quæ in Principes seu Nobiles, ecclesiæ rebus inhiantes, lata videntur.

Ritus celebrandi Concilii is ipse videtur, quem universa tum Ecclesia Gallicana observabat, uti de forma ordinandi Episcopi mox dicemus. Exstat ordo celebrandi Concilii provincialis tum in Ordine Romano, tum apud Isidorum Mercatorem ex quarto Concilio Toletano: ubi quædam cum Rotomagensi ritu conveniunt, sed plura discrepant ab eodem. In hoc autem Rotomagensi ritu illustris est professio Fidei de cor-

poce & sanguine Domini, *quam præsidente Sedi* Rotomagensi *venerabilis memoria Maurilio, communi assensu contra spurcissimos Berengarii ejusque sequacium latratus diffinierant* Episcopi provinciales. Hanc Maurilii Synodum an. MLXIII Rotomagi celebratam fuisse dictum est suprà in Notis ad Historiam Rotomagensium Episcoporum. In ms. codice Bibliothecæ nostræ Germanensis, num. 335, præscribitur forma celebrandæ Synodi à Rotomagensi paullulum diversa, & magis accedens ad eam, quæ habetur in Ordine Romano.

In ritu ordinandi Episcopi eadem exigitur Fidei professio, quæ habetur in Ordine Romano sub hoc titulo: *Examinatio in ordine Episcopi secundùm Gallorum institutiones.* quo fit, ut hunc Rotomagensis Ecclesiæ ritum in tota Gallia usurpatum fuisse credam. At præter Fidei articulos, de quibus consecrandus Episcopus in Ordine Romano interrogatur, unus in Rotomagensi ritu additur de corpore & sanguine Domini, idem omnino cum eo qui habetur in ritu celebrandi Concilii provincialis in eadem Ecclesia.

QUORUMDAM EPISCOPORUM CARNUTENSIUM. OBITUS ET ELOGIA.

De FROTBOLDO *Episcopo Carnutensi.*

ANno Incarnationis dominicæ octingentesimo quinquagesimo octavo, Indictione sexta, à paganis Sequanensibus facta est magna cædes Carnotis, in qua interemti sunt FROTBOLDUS Episcopus, Stephanus Presbyter, Titulfus Presbyter & Monachus, Tetbertus Presbyter, Ranulfus Presbyter, Adalgaudus Clericus, Modo Clericus, Landramnus Subdiaconus, Letramnus Subdiaconus, Almandus Subdiaconus, Uigarius Subdiaconus, Adalbertus Clericus, Gauzbertus Clericus, & cetera multitudo: pro quibus exorate Dominum.

ADNOTATIONES.

HÆc Frotboldi cædes facta est per Nortmannos, qui hic pagani Sequanenses, *propterea quòd Sequanam insiderent, appellantur. Cædem istam ad annum* DCCCLVII *revocant Annales Bertiniani: in quibus* FROTBALDUS, *non quidem cæsus, sed* ex civitate pedibus fugiens, fluviumque Auduram natatu petens, aquis interceptus mortuusque *perhibetur. At in Chartario Monasterii sancti Petri Carnutensis Episcopum cum Canonicis & Monachis* cruentis gladiis mactatum *fuisse legimus. Nempe* pridie Idus Junii, *tametsi dies indictio in Necrologio Carnutensi (si non me fallit memoriola) prætermissa est. At cùm in eodem libro commorgatur cum Sigone, qui* factus ex Clerico Monachus, & Abbas tandem Salmurensis Monasterii, *obiisse* pridie Idus Junii *in Salmurensibus tabulis perhibetur; eumdem obitûs diem Frotboldo assignare licet.*

Ea quæ mox de Frotboldo retuli, quæque abhinc referentur usque ad elogium Armandi Aquensis Archiepiscopi, excerpta sunt ex Carnutenæ ecclesiæ Necrologio, ab annis quingentis exarari cœpto, quod V. Cl. Antonius Vion Herovallius, publicæ pecuniæ rationum Auditor mihi pro suo in litteratos studio communicavit. In isto obituum libro multa reperiuntur notatu digna ad Carnutensis ecclesiæ historiam illustrandam: sed ea tantùm quæ ad Episcopos & viros clariores pertinent, excerpere visum est, prætermissis Fulberti & Ivonis Episcoporum elogiis, quæ omnino eadem in fusiori Gallia Christiana edita sunt.

De GERARDO *Episcopo Carnutensi.*

Idus Junii obiit domnus GERARDUS Episcopus. hic sua impetratione impetravit apud CAROLUM Imperatorem Aloïam: cujus medietatem altari sanctæ Mariæ, alteram cessit profuturam Fratrum utilitati. qui etiam reddidit Fratribus medietatem Alvernis, quam domnus FROTBOLDUS Episcopus jam olim tum cesserat primam *. * *f.* primus.

ADNOTATIO.

IN fusiori Gallia Christiana nudum Gerardi nomen invenitur, ordine 48, scilicet post Gislebertum, qui post annum DCCCLXXVIII *è vivis excessit* III Non. Januarii *ex Necrologio, in quo* GISLEBERTUS *appellatur. Gerardus proinde vixit Carolo Crasso Imperatore, à quo Aloiam impetravit.*

De HAGANONE, RAGENFREDO, HARDOINO, WLFALDO, ODONE, & RODULFO *Episcopis Ecclesiæ Carnutensis.*

VIIII Kal. Januarii anno DCCCCXLI, Indict. XIIII, obiit HAGANUS Episcopus & Comes, Leobino beatissimo primus consimilis: cujus anima, sicut ei in hac vita jure potestatis coæquata est, ita cum eo in futura perenni felicitate perfruatur.

XIIII Kal. Augusti obiit RAGENFREDUS Episcopus, qui ecclesiam sanctæ Mariæ ornavit mirificè, & Clericis multa bona fecit.

II Id. Augusti obiit HARDUINUS Episcopus Carnotensium.

VI. Non. Octobris obiit Deo acceptissimus, omniumque laudabilium virtutum claritate decoratus, Abbas primùm, postque Pontifex sedis istius WLFALDUS.

VIII Kal. Septembris obiit Episcopus ODO.

II Idus Julii obiit RODULFUS Episcopus, ecclesiasticæ disciplinæ cultor admodum strenuus, & rerum Fratrum instructor sedulus, tutorque ferventissimus, omni morum honestate præclarus.

ADNOTATIONES.

HI Episcopi, numero sex, unus post alium, Carnutensem ecclesiam rexerunt.

Haganoni Episcopo locum tribuunt indices post Americum Gerardi successorem. Hunc verò Haganonem, qui Comes *hic appellatur, eumdem esse puto cum Haganone Comite, qui pacto inito inter Carolum, cognomento Simplicem, & Henricum Regem, anno* DCCCCXXI *subscripsisse invenitur. De eodem etiam interpretor Frodoardi Chronicon ad annum* DCCCCXX, *quo* omnes Franciæ *Comites Regem suum*

Carolum apud urbem Suessionem deservisse perhibentur, quia Haganonem Consiliarium suum, quem de mediocribus potentem fecerat, dimittere nolebat. *In eodem obituum libro* VII *Kal. Septembris memoratur* Hugo filius Haganonis, qui *Carnutensis* ecclesiæ Canonicis Abbatiam de Niclia omnibus eamdem requirentibus Præpositis tribuit, & ibidem ex Milite factus Monachus fuit. *quod forsitan de filio Haganonis Episcopi, qui Hugonem ante sacrorum Ordinum susceptionem genuerit, intelligendum est. Porro Hagano Episcopus Cœnobium S. Petri in suburbio Carnutensi instauravit, idque ipsum Ragenfredus, Haganonis successor, Monachis restituit per Alvenum Canonicorum ejus loci Abbatem, collaborante Wlfaldo Abbate Floriacensi, & post Harduinum Carnutensi Episcopo ab anno* DCCCCLXII *ad* DCCCCLXXIII.

Wlfaldo Rodulfus successit, Rodulfo Fulbertus cujus elogium refert obituum liber, nempe illud ipsum, quod tum initio Fulberti operum, tum in fusiori Gallia Christiana vulgatum est. Nulla mentio in eo elogio, nec alibi quidem, de patria Fulberti, quem Romanum, aut certè Italum fuisse colligo ex ejus epistola 2 ad Einardum. Consulenti quippe Fulbertus quid sentiret de ritu illo, quo Presbyteris recens ordinatis hostia ab Episcopo in quadraginta dierum communionem tradi solebat; inter alia respondit, id ita haberi in quodam codice, quem à natali patria inter ceteros devexerat, id est quem à Romano sermio, *ut in fine epistola scribit*, prolatum *acceperat. Unum hic de Fulberto addere juvat, nempe Sigonem Cantorem ipsius exsequiis celebrandis ornandoque tumulo operam & opes contulisse, uti colligo ex eodem Necrologio ad diem* V *Idus Julii, ubi hæc verba:* Obiit SIGO Levita, sapientia clarus, vitaque venerandus, Cantor hujus sanctæ matris ecclesiæ nominatissimus, ammirandi Præsulis FULBERTI, dum terris exsularet, fidos à secretis, postea (ut datur cerni) tumulatoe liberalis. *Eodem verò quo Frotboldus Episcopus die, laudatur* SIGO, factus ex Clerico Monachus, & Abbas tandem Salmurensis Monasterii, *de quo Adelmanni rythmicos versus in tomo* I *Analectorum editos interpretabar: nunc verò potiùs Sigoni Levitæ convenire puto, propterea quòd Sigo ille, quicumque est, ab Adelmanno laudatur ob musicam organalem. quod Cantori potius tribuendum videtur.*

De THEODERICO *Episcopo Carnutensi.*

XVI Kal. Maii obiit domnus TEODERICUS Episcopus, qui hanc ecclesiam librorom copiâ & multimodis ornamentis decuravit, atque augendo Featrum usui contulit alodum suum de Cerliaco, ecclesiam Viletæ cum altari & ecclesia Supplantati cum altari, duosque vinearum clausos, unum quinquaginta duorum, alterum XII agripennium, cum quadam domo annonæ & vino Fratrum custodiendo necessaria.

ADNOTATIO.

POST *Fulberti mortem, quæ contigit* IV *Idus Aprilis, anno* M XXVIII *secundùm veterem calculum, id est anno* M XXIX *secundùm novum, in ejus locum subrogatus est Theodericus, cui successit Rotbertus ex Monacho factus Episcopatus pontificatu Gregorii VII, apud quem simonia insimulatus est: à quo crimine ut se purgaret, Romam perrexit. Inde verò in patriam revertens, mortuus est Silvaniaci, ut mox ex Necrologii verbis constabit: qui locus est apud Borbonenses Prioratus Ordinis Cluniacensis insignis. Rotberto successit Adraldus: de utroque infra.*

De ROTBERTO I *Episcopo Carnutensi.*

X Kal. Januarii obiit Silvaniaci ROTBERTUS Episcopus Româ veniens, quo ipse perrexerat, ut ecclesiam istam retro diu inquietatam educeret in statum pristinæ tranquillitatis, consilio & auxilio sanctæ matris suæ: quam toto corde diligens, reddiderat ei, redimendo plurima oenamenta malè ab aliis distracta, calicem scilicet magnum argenti, & dorsalia plura cum cappis & palliis. Dederat quoque ei nova quinque dorsalia caro pretio emta, & duo manilia argentea cum urceo, multo plura & majora dare proponens, si Deus longiorem vitam sibi præstitisset.

De ADRALDO *Episcopo Carnutensi.*

IV Idus Februarii obiit ADRALDUS, hujus misericordissimæ Dei matris ecclesiæ Episcopus venerabilis, & Abbas Bremetensis, vir eloquentissimus, atque scientiæ radiis illuminatus. qui ecclesiam istam sibi commissam toto cordis affectu, totaque mentis intentione dilexit, & eam vita sibi manente diversorum ornamentorum muneribus, cappis videlicet optimis, & dorsalibus pretiosissimis, sicuti Pastor egregius, instruxit, omnque ei aureum calicem opere elegantissimo informatum donavit, quem & cotidiano altaris servitio deputavit: atque hujus vitæ præsentis cursu completo, capellam suam, ornamentis episcopalibus instructam, cum ingenti argenti pondere, pro peccatorum suorum remissione, huic præclaræ matri suæ ecclesiæ dereliquit.

De GAUFRIDO II *Episcopo Carnutensi.*

IX Kal. Februarii in Dei misericordia egressus est de ergastulo carnis piæ & dulcis memoriæ Pater noster GAUFRIDUS, hujus sanctæ sedis Antistes, legatione Sedis apostolicæ sub beato Papa INNOCENTIO super Bituricensem, Burdegalensem, Turonensem, & Dolensem provincias per annos circiter quindecim sanctè & religiosè functus, multa in ipsa legatione à schismaticorum infestatione, quos ad sinum matris Ecclesiæ revocavit, pericula passus. Simoniacæ pestis egregius exstirpator, excutiens manus à munere, florens & firma suo tempore Ecclesiæ Dei, tam in Sacerdotii dignitate, quàm in honore Regni columna; doctrinæ divinæ præcomirabilis, omnium, quæ suæ necessitati subtrahere poterat, pauperibus dapsilis erogator; rectitudinis & caritatis præcipuus amator; animâ sanctus, & mundus corpore. qui in magna tranquillitate, quoad vixit, prælenter rexit ecclesiam; & murum validissimum pro ea se opponens, ab innumeris perturbationibus eam strenuè defensavit, multa beneficia ei contulit, pallia & pannos sericos plures dedit, cereos duos qui ante beatæ MARIÆ memoriam die ac nocte in perpetuum ardeant, instituit. Inter multa munimenta Romanorum Pontificum, Regum quoque & Principum, quæ de immunitate possessionum hujus ecclesiæ nonnullo labore & expensis suis acquisivit, de libertate etiam hominum, tam qui ad Episcopum, quàm qui ad nos pertinent, scilicet ut adversus omnes, tam liberos, quàm servos, in omnibus causis, placitis & negotiis liberam & perfectam habeant testificandi & bellandi licentiam, à pio Rege LUDOVICO communi Episcoporum & Procerum suorum & illustris Comitis TEOBAUDI assensu & consilio, necnon &

uxoris suæ Adelais, & filii sui Philippi in Regem jam designati, & à beatæ memoriæ Papa Honorio valde utilia privilegia impetravit. Pro cujus anima habemus in anniversaria die obitus sui, quam deinceps annuatim accensis quatuordecim cereis sollemniter celebrari instituimus ab eo qui possidebit villas, quas ipse huic ecclesiæ ædificavit, videlicet Terregoderam, *Teclin*, & boscum sancti Martini. Unusquisque Canonicus qui eidem anniversario interfuerit, decem & novem; & Clericus chori non Canonicus sex denarios percipiet.

ADNOTATIO.

POST *Adraldum mox laudatum, Gaufridus eo nomine primus Carnutensem ecclesiam rexit: cui suffectus Ivo, qui obiit anno* M CXV. *Ivonem excepit Gaufridus, cujus est superius elogium. De Gaufrido primo nihil deprehendi in Necrologio: quæ verò in eo libro de Ivone habentur, jam alibi edita sunt. Hic de Gaufrido secundo quædam adnotare juverit.*

In multis, quæ pro ecclesia sua obtinuit, privilegiis unum à Ludovico Rege sexto impetravit, scilicet ut adversus omnes, tam liberos, quàm servos, in omnibus causis, placitis, & negotiis, liberam & perfectam habeant testificandi & bellandi licentiam. *Consimile privilegium idem Rex concessit Theobaldo Abbati & Monachis Fossatensibus: quod privilegium huic loco illastrando inferius subjiciam.*

Gaufridi obitum referunt fusiores Galliæ Christianæ auctores ad annum M C XXXVIII. *At serius toto decennio contigisse constat ex iis, quæ in præfatione ad novam S. Bernardi Abbatis operum editionem observavi. Quippe Bernardo comes ad annum Gaufridus, in Tolosanas partes adversus Henricum hæreticum proficiscitur anno* M C XLVII, *& Gaufridus per quindecim annos functus legationis munere, quod Innocentius Papa II ipsi attribuit post annum* M C XXXI. *Sepultus est Gaufridus in Monasterio Josaphatensi, cujus ipse auctor fuerat: in cujus loci Necrologio hoc meruit elogium ad diem præmissum.* Depositio domni Gaufridi Carnotensis Episcopi sanctæ honorabilisque memoriæ, qui inter plurima sanctitatis suæ insignia, in principio episcopatus sui, anno videlicet tertio, Monasterium hoc in terra patrimonii sui inchoans ædificare, multis locis de patrimonii sui terris atque redditibus dotavit, & monasticæ religionis institutis luculenter ordinavit. Insuper etiam locum istum, & quæcumque ejus vel possessa vel possidenda, munimentis privilegiorum sanctæ Romanę & apostolicę auctoritatis, utpote Sedis apostolicę Legatus, magnificè roborari curavit. Unde ad perpetuam rei memoriam in nostro Capitulo generali statutum est, ut hac die sollemne anniversarium cum commenda & Missa sollemni, & in fine *Libera* super tumulum ejus perpetuò celebretur. In cujus obitu Abbas tenetur dare omnibus Religiosis pitanciam annuatim. *Hac de Gaufrido. nunc Ludovici cognomento Crassi diploma pro Fossatensibus referendum est.*

LUDOVICUS, Dei gratiâ Francorum Rex, omnibus Christi fidelibus. Cùm juxta sacratissimarum legum instituta regia potestas ex injuncto sibi officio ecclesiarum defensioni & honori plurimum vacare debeat; operæ pretium est eos, quibus tanta permissa est à Deo potestas, earum tranquillitati & paci attentiori sollicitudinis cura providere, & ad laudem Dei omnipotentis, per quem Reges regnant, ecclesias & earum res quodam honoris privilegio decorare: ut in bonis actibus & regium morem exerceant, & supernæ retributionis præmium indubitanter recipiant. Noverint igitur omnes, quia sancti Petri Fossatensis Cœnobii Abbas, Theobaldus nomine, nostræ serenitatis adierit præsentiam, conquerendo ostendens & ostendendo conquerens, quatinus servi sanctæ Fossatensis ecclesiæ sæcularibus personis tanto contemptui habebantur, quòd in forensibus & in civilibus causis vel placitis adversus liberos homines in testimonium nullatenus recipiebantur, & ecclesiastica mancipia sæcularibus servis fere in nullo præferebantur. Unde res ecclesiastica, ob tanti scilicet dedecoris opprobrium, non solummodo vilescebat, sed maximum diminutionis incommodum de die in diem incurrebat.

Cognitâ vero Ecclesiæ querelâ, motus tam ratione, quàm dilectione, necessarium duxi à Fossatensi ecclesia, nobis quidem inter alias familiarissima, tantum scandalum omnino removere, & regiam sedem regio beneficio sublimare. Ego igitur Ludovicus, Dei clementiâ Francorum Rex, communi quidem Episcoporum & Procerum nostrorum consilio & assensu, regiæ auctoritatis decreto instituo & decerno, ut servi sanctæ Fossatensis Ecclesiæ adversus omnes homines, tam liberos, quàm servos, in omnibus causis, placitis, & negotiis, liberam & perfectam habeant testificandi & bellandi licentiam; & nemo umquam servitutis occasionem eis opponens, in eorum testimonio ullam dare præsumat calumniam. Hac autem ratione licentiam testificandi ea quæ viderint & audierint, eis concedimus, quòd si aliquis liber homo in eadem causa de falso testimonio illos contradicere vel comprobare voluerit; aut suam comprobationem duello perficiat, aut eorum sacramentum sine ulla alia contradictione recipiens, illorum testimonio adquiescat. Quòd si aliquis temeraria præsumtione illorum testimonium in aliquo refutaverit, aut calumniaverit, non solùm regiæ auctoritatis & publicæ institutionis reus existat, sed querelam negotii sui vel placiti irrecuperabiliter amittat, ita scilicet, ut præsumtuosus calumniator, de querela sua, si quærat, ulteriùs non audiatur; & si aliquid ab eo quæratur, alterius querelæ reus & convictus habeatur. Illud etiam statuimus, ut prædictus calumniator, nisi de tanta calumniæ culpa Fossatensi ecclesiæ satisfecerit, excommunicationis mucrone feriatur, & ad testimonium faciendum interea non admittatur. Ut autem hujus nostræ institutionis edictum perpetuæ firmitatis privilegio muniatur, præsentem chartam fieri præcepimus, quæ nostræ auctoritatis effectum posterorum memoriæ tradat, & totius retractationis occasionem in perpetuum excludat. Actum Parisius publicè anno incarnati Verbi millesimo centesimo decimo octavo, regni nostri decimo, Adelaidis Reginæ quarto *, *Nota.
adstantibus in palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Willelmi Dapiferi. S. Hugonis Constabularii. S. Gisleberti Buticularii. S. Guidonis Camerarii. Data per manum Stephani Cancellarii.

De GOSLINO *Episcopo Carnutensi.*

III Non. Februarii obiit Goslinus, hujus sanctæ sedis reverendus Antistes, qui textum Evangeliorum auri purissimi quinquaginta duabus unciis optimè decoratum, lapidibusque pretiosis operosè distinctum; tabulam quoque auream, septuaginta duas uncias appendentem, & pallia duo huic ecclesiæ contulit. Domos episcopales novas ex magna parte multo sumtu construxit: apud Betchenas satis idoneam mansionem ædificavit. Præposituram de Unogradu ex episcopali jure in usum Fratrum, qui Ma-

tinis

sutinis interfuerint, munifica largitione perpetuò transfudit. Singulis Canonicis paterna caritate decem solidos moriens delegavit: Clericis de Choro non Canonicis centum libras distribui fecit: ad opus turris centum libras dereliquit. Multo quoque rerum ipsius impendio Rex Francorum LODOVICUS, Lodovici Regis filius, libertatem episcopalium domorum cum omnibus ad eas pertinentibus, privilegii sui auctoritate & sigilli sui testimonio corroboravit. Super Majoribus villarum, & relevaminibus majorarum, & gravaminibus rusticorum, nova quæ necessitas expetere videbatur, instituta prædictus Pater sanciens, & mala quæ in privilegio ejus communi assensu Capituli tacto dinumerantur, ulteriùs fieri sub anathemate prohibens, nostræ omnium utilitati & pauperum quieti providere curavit. Villas subscriptas adquisivit, scilicet Mongervillam, Loum, Castillaria, & medietatem villæ, quæ dicitur Pons-Erardi, & medietatem alterius, quam Espinterias nominant, & ejus medietatem, quam Villam-honam appellans: quas ea conditione successores sui Episcopi possidebunt, ut singulis Canonicis qui anniversario ejus interfuerint, decem & octo tribuant denarios, sex autem non Canonicis.

ADNOTATIO.

GOSLENUS, *Gaufridi superioris nepos, sedem iniit anno* M C XLVIII, *ut patet tum ex præmissis de tempore obitus Gaufridi, tum ex ipsius Gosleni litteris Josaphatensi Monasterio datis anno* M C LI, *quem tertium sui pontificatus annum dicit. Ejus memoria in Necrologio Josaphatensis Monasterii, ubi sepultus est, Kal. Januarii consignatur his verbis:* Depositio domini Gosleni Carnotensis Episcopi, fundatoris Abbatiæ S. Carauni: cujus ossa jacent in sacellu beatæ Mariæ Virginis post cathedras nostri chori. *Ejus tamen epitaphium, quod in superiori Gallia Christiana refertur, appositum est ad portam, qua fit aditus e claustro in ecclesiam. In eo epitaphio Goslenus Abbatiam Josaphatensem, cujus primus auctor seu inceptor fuerat Gaufridus, perfecisse memoratur. Huic successit Robertus secundus.*

De ROBERTO II *Episcopo Carnutensi.*

IX Kal. Octobris dominicæ Incarnationis anno millesimo centesimo sexagesimo quarto migravit à seculo ROBERTUS bonæ memoriæ, hujus sanctæ Sedis reverendus Antistes, qui huic ecclesiæ plurima contulit beneficia, videlicet x marcas argenti, tapetum, cappam, casulam, sandalia, stolam episcopalem, lapides plurimos pretiosos, vas crystallinum artificiosè cælatum, bacinos cupreos insigni sculptura mirandos, anulum suum benedictum, scrinio beatæ Mariæ affixum. Pavimentum verò in introitu chori mirificè reparavit, domos episcopales ex magna parte emendavit, capellam ibidem satis idoneam in honore beati Martini à fundamento refecit & consecravit; domum quamdam in claustro positam, quam nimis artam invenerat, multo sumtu melioravit, & terram eidem domui contiguam ad amplitudinem ipsius domus à manu laica in honore ecclesiæ adquisivit.

Tres Abbatias instituit, scilicet Abbatiam beatæ Mariæ de Claro-fonte, Abbatiam sancti Remigii, Abbatiam sancti Cyrici; & libros plurimos, & alia multa eidem moriens dereliquit.

Apud Bercherias granicam muro clausit. Apud Footem-Gadaoum molendinum unum & parvum stagnum reparavit, & villam in multis emendavit: ecclesiam de Balleolo reparavit, & donum Episcopi ibidem cum multa expensa firmavit. Bruxerium cum maximo sumtu & labore ex laicali jure in usum Episcoporum perpetuò transfudit, & privilegiis firmavit. Basochas à regia exactione, quæ brennagium * dicitur, non sine maximo sumtu liberavit. Juxta Bercherias super Volgriam sitas, terram quamdam, terræ hujus ecclesiæ proximam, ad augmentum Episcopatus ad vineam ibi ædificandam industria suâ & sumtu à laicis adquisivit. Decimam quamdam juxta Vectam ad locum, qui dicitur Capella, retroactis temporibus ab ecclesia alienatam revocavit. In Episcopatu verò Ebroicensi, in territorio Illesiarum, decimam valde bonam, quæ communis est cum Monachis beati Petri, adquisivit: quarum decimarum utramque suis successoribus Episcopis eo tenore possidendam dereliquit, ut inde conferant singulis Canonicis, qui ejus anniversario interfuerint, XII denarios, VI autem non Canonicis.

* f. bannagium.

De PETRO *Episcopo Carnutensi.*

X Kal. Martii obiit piæ recordationis Pater & Pastor noster egregius PETRUS Carnotensis Episcopus, qui priùs in Monasterio sancti Remigii Remensis super Monachorum gregem sibi creditum fidelis dispensator & prudentissimus, demum suffragantibus meritis ad pontificalis honoris apicem sublimatus, in sacræ religionis proposito perseverans, carnem suam assiduè vigiliis & abstinentiis edomans, multa apud nos memoranda mirabiliter & magnificè operatus est. Civitatem enim istam à porta de Sparris usque ad ecclesiam sanctæ Fidis, quæ in ea parte fossatis tantummodo cingebatur, ad quorum reparationem ipsius Episcopi terræ homines pro voluntate Comitis sæpius urgebantur, de suo proprio novis muris vallavit, & præfatis hominibus ab hujusmodi operum vexationibus liberationem perpetuam adquisivit. Antiquam banni consuetudinem, quam perniciosa quorumdam cupiditas immutaverat, consentiente & sanctæ ejus exhortationi assensum humiliter præbente viro clarissimo & illustri THEOBALDO, ejusdem temporis Comite, in statum pristinum reformavit, talem scilicet cum eodem Comite circa bannum moderationem perpetuò observari constituens, ut nullus de cetero tabernam vini facere occasione banni valeat prohiberi, ita tamen quòd de unoquoque vini modio trium solidorum summa à burgensibus, qui banni tempore tabernas instituerint, pro bannagio persolvatur. In viis quoque quæ ex omni parte civitatis longa vetustate & attritione nimia dirutæ ac pæne jam inviæ videbantur, novas fieri calciatas instituit, & ad ejusdem operis instaurationem centum libras largitus, de proprio universos exemplo & exhortatione pariter invitavit. His itaque & aliis caritatis operibus insignitus, tanto dilectionis vinculo subditi sibi gregis animos pius Pastor illexerat, ut ad venerandas ejus exsequias passim & publicè universi confluerent, & devotione mirabili ob sanctitatis ejus munditiam ad corpus exanime & in feretro collocatum propiùs accedentes, os ipsius & faciem deosculari penitus non horrerent. De bonis autem ejus quibus ipse in supremi dispositione arbitrii, ad opus Fratrum, qui ejus interessent anniversario, redditus adquiri præceperat, hujusmodi redditus adquisivimus: pastus scilicet Majoris de Campis, octavam partem tam majoris, quàm minutæ decimæ de Luceio, & quicquid Hugo de Ruche-villa apud Cerevillam habebat, censum videlicet & terram.

ADNOTATIONES.

Post Robertum secundum, Gailelmum primum, & Johannem Sarisberiensem, sedi Carnotensi impositus est Petrus, è Cella Monasterio Tricassium suburbano, ubi Monachus & Abbas primùm fuit, vulgo Cellensis dictus. Is regimen ecclesiæ Carnotensis iniit, non anno M C LXXXII, ut legitur in Gallia Christiana, sed anno M C LXXX desinente aut sequenti ineunte. Nam Johannem ejus decessorem obiisse die XXV Octobris anni M C LXXX, constat tum ex Necrologio Josaphatensi, tum ex Chronologia Hugonis Monachi Autissiodorensis, ejus temporis æqualis, qui prædicto anno M C LXXX Johannis obitum reponit. Certè Petrum ecclesiæ Carnotensi præfuisse annos septem, & anno M C LXXXVII obiisse legitur in quodam indice Episcoporum istius ecclesiæ, ut jam observatum in Præfatione ad novam editionem operum Petri Cellensis.

Petro successit Reginaldus, Reginaldo Galterus & Hugo, de quibus nihil singulare legitur in Necrologio. Hugonem exceperc Albericus, Henricus, Matthæus, & Petrus, quorum elogia hic subnecto.

De ALBERICO CORNUTO *Episcopo Carnotensi.*

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, XV Kalendas Novembris, obiit reverendæ memoriæ ALBERICUS Cornutus, hujus sanctæ Sedis Episcopus. Hic enim nobilis genere, ab infantia bonæ indolis & docilis ætate proficiens, profecit & sapientiâ; & tam vitæ, quàm morum strenuitate conspicuus, liberalibus studiis eruditus, thesauro juris civilis ditatus ad plenum, dum ejusdem juris supereminceret Parisius generale gymnasium, in eadem urbe civilis sapientiæ professor & rector, canonici Juris excellentiâ non mediocriter institutus, adeo cœpit togæ præconiis præeminere, quòd in Regis & Regni consilium exigentibus meritis est assumptus, fratri suo, eximio patri GALTERO, tunc Archiepiscopo Senonensi, cujus consilio tunc celsitudo regia regebatur, in consilio coadjunctus; & ut nihil deesset ad Episcopatus apicem promovendo, Theologiæ supplementum cumulo litterarum adjecit.

Tantu verò consulatu idem Albericus pro sui magnitudine morumque prærogativa non indignus, dum quondam Senonensis, Carnotensis, & Parisiensis Canonicus in nobilissima beati Martini Turonensis ecclesia de dono felicis recordationis LUDOVICI Regis Francorum illustris, Decani officium exerceret; Lemovicensis ecclesia in tam remotis partibus ejus vulgatissimâ famâ respersa, eumdem in sedis prædictæ Pastorem elegit. qui licèt non indignus, ut recens spirabat assertio per ora multorum, Episcopatus apicem reformidans recipere recusavit. Exinde verò per electionem concordem in ecclesia Bituricensi bis ad Patriarchæ fastigium evocatur. quas electiones etsi nonus Papa GREGORIUS, non electi, sed electionis vitio non admisit, ad ejusdem Alberici famæ præconium bonitatisque meritum non immeritò referuntur.

Post verò non multum temporis Carnotensis ecclesia destituta Pastore, tollens alterum Josue, scilicet dictum Albericum nutricium suum, eumdem in Pastorem & Pontificem advocavit: cujus in cathedra sublimatus, ecclesiæ sibi commissæ tam in spiritualibus, quàm temporalibus potens & strenuus exstitit gubernator. ejusque cultum, honestatem, & jura multis laboribus & expensis conservare studuit & augere.

Tandemque vocatus ab Innocentio quarto Præsule Sedis apostolicæ, qui post decessum ejus suos fovit multipliciter & dilexit, Romam profecturus iter aggrediens apud Primeriacum castrum Episcopi Nivernensis, venerabili patre ROBERTO nepote suo Nivernensi ecclesiæ præsidente, pervenit ibidemque miles jam emeritus Christiano more decenter compositus, à laboribus & ærumnis hujus sæculi beato fine quievit: indeque delatus ad Nivernensem ecclesiam, adstantibus ibidem Abbatibus, Prioribus, Presbyterisque parochialibus de diœcesi Nivernensi, ceterisque Prælatis. qui tunc ad sanctam Synodum ex more debito confluxerant, in eadem Ecclesia honorabiliter est sepultus. Nec ad tanti Patris exsequias tantam multitudinem casu fortuito creditur convenisse: sed actum videtur potiùs dispensatione supernæ gratiæ, ut qui dum viveret, honoris ecclesiæ fuerat exactissimus æmulator; in fine dierum, dum exspectaturi præmium corpus tumulo locaretur, ministrorum ecclesiæ potiretur præsentia & honore.

Contulit autem huic ecclesiæ duo peroptima pallia, & altare quoddam portatile triplici genere lapidis pretiosi munitum, granicamque de Frauxinero sumtuosis ædificiis reparavit, & majoriam de Berchris Episcopi acquisivit, quam anniversarium suum singulis annis celebrandum legavit. pro qua reverendus Pater MATTHÆUS Carnotensis Episcopus in Capitulo nostro præsens voluit & concessit, quòd ipse & successores Episcopi Carnotenses, qui pro tempore fuerint, quatuor libras monetæ currentis solvere teneantur in die anniversarii, Canonicis qui anniversario interfuerint, distribuendas. Item Johannes de Espaillardo, Præpositus de Masangeio, dicti Alberici consanguineus, & ab eodem specialiter prædilectus, dedit & concessit in augmentum quadraginta & quinque solidos, quos assignavit annis singulis percipiendos super iis, quæ idem Præpositus emerat à Majore de Masangeio apud Masangeium: & ad hoc ea quæ emerat, esse concessit & voluit obligata. ita quòd centum solidi de prædictis, Canonicis, & reliqui viginti Clericis de choro, qui anniversario in Vigiliis & in Missa interfuerint, distribuentur; & quinque solidi qui superfuerint, pulsatoribus campanarum, qui etiam grossiora cymbala in utraque turre in Vigiliis & in Missa pulsabunt, & pulsari facient, distribuentur: salva matricularis Clericis portione in summa Clericis non Canonicis deputata. Voluerunt & concesserunt tam dominus Episcopus & Capicerius, quàm Capitulum, quòd dictum anniversarium de cetero cum solemni luminari & sollemniter celebretur.

De HENRICO *Episcopo Carnotensi.*

SEcundo Non. Decembris obiit HENRICUS, priùs hujus ecclesiæ Blesensis Archidiaconus, postmodum verò in Episcopum assumtus. Fuit utique vir iste in spiritualium & temporalium administratione providus, industrius, & discretus; gratiarum quoque multiformi munere copiosus, lenis, pacificus, mansuetus, modestus, sobrius, domui suæ bene præpositus, omnium morum venustate præclarus, in litterarum scientia, & juris maximè peritissimus, eloquentiâ conspicuus, in judicio justus, in consilio circumspectus, hujus ecclesiæ defensor egregius, opponens se murum pro domo Domini, & scutum inexpugnabile contra quoscumque libertates & consuetudines ecclesiasticas impugnantes. qui decursu vitæ stadio temporalis, apud Meliduntum, in ecclesia

ſancti Nicaſii, diem clauſit extremum : cujus corpus ad hanc urbem delatum, ante altare ſancti Jacobi juxta Stephanum fratrem ſuum, hujus eccleſiæ quondam Decanum, habet contiguam ſepulturam. Hæc eſt enim vera fraternitas, ut quos fraterna dilectio in vita conjunxit, poſt vitam etiam locorum diſtantia non disjungat. Pro cujus anniverſario in hac eccleſia ſingulis annis celebrando, reliquit Canonicis hujus eccleſiæ, qui anniverſario ejus interrunt, quatuor libras & decem & octo ſolidos cenſuales ſuper viginti & octo ſextarus terræ *Semeure*, ſito inter Bercherias, Lairengot & Joiacum, quos emit à Guilloto *de Meſſoles* armigero : qui cenſus debet reddi ſingulis annis apud Joiacum, in feſto beati Dionyſii.

De MATTHÆO *Epiſcopo Carnutenſi.*

ANno Domini M CC LXX, pridie Kalendas Januarii, obiit in ſenectute bona reverendus Antiſtes hujus eccleſiæ MATTHÆUS, nepos piæ recordationis GALTERI, quondam Epiſcopi noſtri. Hujus Matthæi vita ſimplex & recta ante Deum, apud homines commendabilis & pia fuit. Nam refulgebat Deo dilectus ſanctis virtutibus, innocentiâ præditus, ſimplicitate conſpicuus, manſuetudine commendabilis, ſuavitate venerabilis, benignitate laudabilis, humilitate incomparabilis : qui tamquam fidelis diſpenſator & prudens negotiator, talentum ſibi creditum & commiſſum Domino Deo multiplicatum reddere ſtuduit cum uſuris. Is enim nomen Epiſcopi non aſſumſit in vacuum : ſed nomen confœderavit operi, honoremque oneri indiſſolubiliter glutinavit ; in veſtimentis, equitatura, comitatu, clientela, ſupervacuam pompam, inutiles expenſas, & quicquid ambitionem ſeu admirationem modernorum noſtrorum perverſa via ſequi poteſt, ſalvo ſtatu epiſcopalis ordinis, deteſtatus eſt. Hic obmiſſa qualibet vanitate ſtudebat moribus implere Pontificem, & Sancto Sanctorum devotè ſerviens, officium ſuum, quotiens incumbebat, ſedulus impendebat. Subditos non gravabat, patrimonium Chriſti & eccleſiæ in egentium neceſſitates, vel in uſus extraordinarios expendebat. In defenſione eccleſiæ ſuæ ac jurium ejus, quotiens opus fuit, contra Barones & Principes, qui de facili in unum conveniunt adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus, ſe oppoſuit viriliter murum pro domo Iſraël venientibus ex adverſo, ita quòd per Dei gratiam tempore ſuo adverſus eam non prævaluerunt. Huic eccleſiæ ſanctæ laudabiliter ſervivit in officio Subdecani per ſpatium viginti duorum annorum : & tunc acquiſivit apud Loocellas in parrochia quam tenebat, terras arabiles, pro quibus ille qui tenet precariam de Loncellis, ſolvit XL ſolid. ad anniverſariom dicti Galteri Epiſcopi.

Item acquiſivit apud Ponceium in majoria de Benis terram ſeminis capientem XX unum ſextarium : apud Hardeceium in eadem majoria quamdam decimam, quæ valet ſexdecim ſextarios bladi, & octo avenæ annuatim, & ampliùs.

Item acquiſivit apud *Daulemont*, fortagia, ſtramina, medietatem meſtivariorum, & quidquid Major de *Daulemont* percipiebat in granchia Capituli. Hæc autem prædicta, exceptis XL ſolidis prædictis, deputata ſunt ad anniverſaria Galteri de Voys Militis quondam, patris, Adæ matris, & Petri fratris ipſius. Pro prædictis verò acquiramentis Arnulfus de Beriovilla Canonicus Carnotenſis ſolvit & ſolvet, quamdio vixerit, LX libras annuatim : ſed poſt deceſſum ipſius bene valebunt XV libras annui redditus.

Procedente autem tempore, præveniente Dei gratia & ſubſequente, aſſumtus in Epiſcopum per tres-decim annos huic eccleſiæ præfuit & profecit. Acquiſivit enim à Johanne de Monte-Tyrelli, Milite, & ejus uxore, majoriam de Ponte-Goëni cum omnibus juribus redhibentiis, conſuetudinibus & pertinentiis, quæ bene valent L libras annuatim, & ampliùs.

Item in eadem villa acquiſivit molendinum de *Ravoy*, quod valet XXX libras annuatim, & ampliùs.

Item in quadam parte foreſtæ antiquæ, quæ temporibus prædeceſſorum ſuorum & ſuo ſciſſa non repullulabat propter vetuſtatem, & in magna planiciæ ſterili adjacenti, fecit novalia, marnavit terras, & ad culturam redegit, & novum berbergamentum ibi fecit, & muris clauſit.

Item acquiſivit, & ad jus & proprietatem Epiſcopatus reduxit centum & ſexaginta arpenta nemorum ſita apud Friſeiam, in quibus homines inibi commorantes ſolebant habere uſagium.

Item declaravit & ad jus Epiſcopatus redegit cum magnis laboribus & expenſis rachetum de patre in filium de feodo Goeti.

Item acquiſivit apud Emenovillam partem terræ arabilis, capientis ſeptem modios ſeminis, eam marnavit, & fecit ibi granchiam pulcherrimam.

Item acquiſivit quicquid Matthæus de Bercheriis Miles habebat in dicta villa.

Item acquiſivit quicquid dictus Miles habebat apud Mundiumvillam, videlicet partem ſuam panum & vendarum.

Item acquiſivit apud Bercherias Epiſcopi à dicto Milite campi partem ſex modiorum terræ cum omnibus redhibentiis, in quibus dicto Militi & ejus ſucceſſoribus tenebatur Epiſcopus, qui pro tempore erat, dum eſſet apud Bercherias, videlicet in adminiſtratione cibi, potus, feni, avenæ, candelæ, ſibi & ſuo armigero.

Item acquiſivit apud *Villers* in parrochia Fraxineti Epiſcopi à quondam qui vocabatur *Quaſſegrein*, quicquid idem *Quaſſegrein* habebat ibi, videlicet campi partem, cenſus gallinas & avenas.

Item apud Baxochias altas, fecit granchiam magnæ pulcritudinis.

Item adquiſivit apud collem Goderani à Roberto dicti beati loci Milite tres modios & tria ſextaria avenæ, & XX ſolid. fornamentorum annui redditus.

Item acquiſivit à Gulloto de Lucenti decimam de Loccio valentem C ſol. annuatim.

Item adquiſivit apud Carnotum à Guiardo *Bellegreue* dimidium modium bladi, & totidem avenæ, quos ratione hereditatis ſuæ dictus Guiardus & anteceſſores ſui percipiebant in horreis Epiſcopi.

Item adquiſivit ab heredibus defuncti Reinaudi de Britolio, ſcilicet Gaufrido Clerico, nepote defuncti Nicolai *Maquerel*, & Avelina relicta dicti Nicolai, quinque modios frumenti, quos precipere conſueverant in granchia Buxeti, ita tamen quòd quoad vixerint dicti Gaufridus & Avelina, vel eorum alter, annuatim percipiant apud Carnotum in horreis Epiſcopi duos modios bladi : ſed poſt eorum deceſſum ceſſabit ſolutio dicti bladi, nec extendetur ad heredes ſeu ſucceſſores eorum.

Item adquiſivit ab Avagoto de ſancto Priſco Milite quicquid idem Miles habebat in parrochia capellæ de *Tielim*, videlicet campi partem & decimam, valentes annuatim circà quatuor modios & dimidium bladi & quindecim ſextarios avenæ oblitarum cum quinque ſol. fornamentorum, & quartam partem vendarum ejuſdem parrochiæ. Iſta adquiſivit & alia, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, de quibus ad præſens non recolimus.

Ad hæc dignum relatione fore novimus, quòd postquam LUDOVICUS Rex Francorum de transmarinis partibus rediisset, cœpit eum multipliciter inquietare super eo quod petebat pro se & successoribus suis ab eodem Episcopo & successoribus suis, gista seu procurationes quolibet anno apud Carnotum & apud Fraxinetum-Episcopi, dicto Episcopo negante & viriliter resistente; tandem post multas injurias & damna non modica, per Ballivos & Servientes Regis sibi & suis illata, de bonorum, & maximè majorum de ecclesia, consilio, totiusque Capituli interveniente assensu, super controversia ordinatum exstitit in hunc modum: videlicet quòd Rex pro se & successoribus suis Regibus quitavit & penitus absolvit dictum Episcopum, successores suos, ac ecclesiam Carnotensem, à præstatione gistorum seu procurationum prædictorum, ita tamen quòd dictus Episcopus dedit & assignavit quinquaginta libras annui redditus, videlicet quindecim libras altari beatorum Angelorum, & quindecim altari sacrarum Virginum: quæ duo altaria fundata fuerunt tunc ad petitionem dicti Regis in ecclesia ista.

Item ad anniversaria LUDOVICI Regis patris sui, BLANCHÆ matris suæ, & ROBERTI quondam Comitis Attrebatensis fratris sui, quæ hunc & fient de cetero in ecclesia ista, cuilibet quatuor libras. Residuas autem octo libras ad duas Missas, unam de sancto Spiritu, aliam de beata Virgine, quæ debent quolibet anno celebrari solemniter pro dicto Rege & MARGARETA uxore sua, quamdiu vixerint. Post decessum autem eorum anniversaria sua fient in ecclesia ista de summa pecuniæ prædicta, prout hæc & alia in ordinatione prædictorum plenius continentur.

Item dedit & legavit huic ecclesiæ plura & pulcherrima indomenta cum cappa, mitra, anulo magno, & baculo pastorali. Legavit etiam in omnibus dotibus episcopalibus formas, mensas, & hujusmodi utensilia ad usus Episcopatus, ita quòd ab aliquo successore vel alio non possint alienari. De omnibus autem prædictis acquirimentis ab Episcopo factis, voluit, ordinavit, & statuit in suo testamento, quòd huic ecclesiæ assignarentur sexaginta libræ annui redditus, & ita perceptantur, videlicet viginti libræ super molendino *de Ravor*; super majoria de Ponte-Goëni viginti quinque libræ; super decima de Luceio quatuor libræ; & undecim libræ apud Emenovillam: de quibus, triginta libræ distribuentur sex Clericis deservientibus in ecclesia ista ad augmentationem cultus divini à Capitulo instituendis; & aliæ triginta libræ erunt ad anniversarium dicti Matthæi in ecclesia ista sollemniter celebrandum, ita quòd de prædicta summa quilibet Clericus de choro non Canonicos, qui prædicto anniversario præsens fuerit, XII denarios in sero, & XII denarios in mane ad Missam percipiet. Matriculari Clerici quinque solidos in sero, & quinque solidos in mane percipient. Matricularii laici & hostiarius Capituli, quilibet XII denarios eodem modo. Residuum verò distribuetur, medietas in sero, & medietas in mane, inter Canonicos qui præsentes erunt anniversario suo.

De PETRO II *Episcopo Carnotensi.*

Anno incarnati Verbi millesimo ce septuagesimo sexto, XI Kal. Aprilis recolendæ memoriæ PETRUS de Minciaco, pius Pastor quondam hujus almæ ecclesiæ, migravit ad Dominum. Qui pacis vinculum cum suis fratribus, quod dudum gerebat in pectore, in fine volens ostendere, dissolutionem sui corporis sentiens imminere, ad episcopalem domum suam Carnotensem quasi divino motu se transferens, vocatis fratribus ut ipsum decedentem misericorditer visitarent, ipsos præsentes, caritatis sinceræ quam ad eos habebat, non immemor, ferventi spiritu, licèt ferè viribus corporis destitutus, verbis Salvatoris nostri mortem temporalem prænoscentis fretus, est ita benignè allocutus: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Quibus, sicut paterna pietas suadebat, expositis, ab omnibus & singulis petita de commissis contra eos venia, & obtenta, ipsos data benedictione sua ultimo omnipotentis Dei benedictioni & custodiæ commendavit. Ut tamen summo Deo, à quo bona cuncta procedunt, de bonis operibus gratia referatur; & bene operandi incentivum posteris augeatur; aliqua de suis virtutibus, conditionibus, & gestis in commisso sibi officio censeo exponenda.

Ipse quidem de nobili prosapia ortus ab ineunte ætate de virtute nisus crescere in virtutem, liberalibus studiis intentus, Parisius rexit in artibus; ac demum ad civilia jura se transferens, & circa ea proficiens, tandem ad Jura canonica se convertit; digneque meruit Doctor fieri, & Parisius regere in Decretis. Quippe recensendæ memoriæ avunculorum suorum HENRICI quondam Episcopi, STEPHANI quondam Decani Carnotensis, & EVRARDI Prioris sancti Martini de Campis Parisius, nepos non degener, sic ad omne bonum & communem gratiam propositum coaptavit, ut de Canonico Dunensis Archidiaconus, de Dunensi Pisciacensis, de Pisciacensi Decanus, de Decano Episcopus, obtinuerit Dei providentiâ promoveri. Item verò tam in spiritualibus, quàm temporalibus circumspectus, in consiliis providus, in judicio justus, in prosperitate mitis, in adversitate fortis, sobriè & castè vivendo, humiliter & devotè, prudenter & cum moderamine suos subditos imponuè, opportunè, salubriter corrigendo, fratres Canonicos & familiares suos studiosè ad concordiam invitando, adversariis ecclesiæ constanter & viriliter resistendo, circa commissum suæ sollicitudini officium per annos XVI cum Dei auxilio dispensator strenuus laboravit.

Operibus intentus misericordiæ, miseriam inopum & gemitum pauperum numquam sprevit; visceribus pietatis afflictos, pauperes, orphanos & viduas amplectando, à conventibus Religiosorum, & maximè pauperum Monialium faciem non avertit: & (quod mirum videtur) in sua senectute tenacitatem & avaritiam repulit & contempsit, plebemque sibi commissam tam misericorditer, quàm salubriter gubernavit.

Ecclesiam circa cultum divinum augmentari disposuit, eam possessionibus ampliavit, ipsamque, juxta sui sancti propositi benignum arbitrium, in institutione personarum virtutibus & famâ pollentium, non habens considerationem necessitudinis, sanguinis, nec ad originem, magnificè decoravit, & quamplures de civitate atque diœcesi tam in majori ecclesia, quàm alibi in diœcesi ad beneficia sublimavit: ita quòd à retroactis temporibus non legitur, qui tot personas de civitate & diœcesi vocaverit ad ecclesiastica beneficia, & etiam dignitates. Et in suo regimine sic est laudabiliter conversatus, & taliter approbatus, talentaque sibi credita taliter ampliavit, quòd in die disceptationis extremæ paterfamilias, qui talenta ipsa sibi credidit & commisit justam & irreprehensibilem creditur posse reddere rationem.

Porro divino faciente præsidio sic bona temporalia suis sibi temporibus abundarunt, & ea fideliter adeo dispensavit, quòd ædificia Episcopatui perquam necessaria apud Bercherias, videlicet domum novam

cum clausura pulcherrima, & apud Pontem-Goëni amplam & tornellis ornatam granchiam construxit sumtu non modico, & domos Buslei, & etiam episcopales domos Carnotenses quibusdam ædificiis in iis de novo constructis optimè reparavit, necnon circa treecentas libras annui redditos Episcopatui acquisivit, & de duodecim libris annuis avunculorum suorum anniversaria augmentavit.

Insuper & parsimoniæ suæ studio Episcopatum super contractis jamdudum debitis prædecessorum suorum temporibus, usque ad summam duorum millium librarum Turonensium erga Monasteria beati Launomari Blesensis & sancti Martini de Campis Parisiis, & alias liberavit, & eam ab omni ære alieno dimisit liberam & immunem.

Præterea mille librarum Carnotenses ad augmentationem divini servitii in hac ecclesia assignavit, & anniversarium suum sollemne constituit: ad quod faciendum annis singulis quindecim libras annui redditus assignavit. Terræ sanctæ sexcentas libras dedit: familiæ suæ, non solùm debitas, sed & gratuitas remunerationes, & aliis piis locis totum residuum disposuit salubriter erogandum. In ecclesia Fratrum Prædicatorum ante majus altare juxta suorum avunculorum sepulcra honorificè est sepultus, exspectans veram carnis resurrectionem die novissimo, & cum sanctis & electis Dei percipere portionem: quam sibi concedat fons misericordiæ Deus noster. Amen. Prædictas quindecim libras solvit Episcopus, de quibus Clerici de choro habent sexaginta solidos.

FORMA JURAMENTI
INVESTIENDI CANONICI CARNUTENSIS.

EGo N. canonicandus in ecclesia Carnotensi, juro super istas sanctas reliquias, quòd pro ista præbenda, cujus investituram exspecto, non dedi, nec promisi, nec alius pro me dedit, aut promisit, me sciente, aurum, vel argentum, vel pecuniam aliquam, vel aliud, quòd per pecuniam aliquam debeat aut valeat comparari: &, si promissum fuerit, per me non solvetur. Præterea juro me observaturum bona fide cum auxilio Capituli consuetudinem sorennitatum hujus ecclesiæ; & quòd ego, quamdiu vixero, nihil de corpore præbendæ meæ ultra quadraginta solidos per annum percipiam, nisi priùs in propria persona mansionem fecero in civitate Carnotensi infra muros per dimidium annum, infra spatium quod est ab una nativitate S. Johannis ad alteram, salvis exceptionibus à Capitulo receptis & approbatis; & quòd ab aliquo nullam indulgentiam de plus percipiendo impetrabo: & si alius mihi impetraverit, vel quocumque modo mihi concessa fuerit, numquam ea utar. Juro etiam bona fide me observaturum cum auxilio Capituli consuetudinem hujus ecclesiæ, quæ est de non recipiendis in Canonicos seu Clericos de choro manumissis seu manumissorum filiis, exceptis quos ecclesia Carnotensis scienter recipere consuevit; & de non recipiendis in Canonicos seu Clericos de choro filiis concubinarum. Præterea juro bona fide me fideliter observaturum pro posse meo & propriis expensis, si necesse fuerit, quicquid agant alii de Capitulo, etiam si omnes (quod absit) ab hoc recesserint, constitutionem factam à reverendo Patre R. bonæ memoriæ quondam Carnotensi Episcopo, & Capitulo Carnotensi, cum consilio & approbatione Magistri MELCHIORIS, Sedis apostolicæ tunc Legati, de quatuor Præposituris antiquis, scilicet de Nogento Fisci, de Fontaneto, de Amilliaco, de Belsia: quas idem Pater dedit Canonicis deservientibus in ecclesia Carnotensi; & de quatuor precariis, scilicet de Normannia, de Anverlio, de Masengeio, & de Ingreio: quas prænominato Patri Capitulum dedit ad constituendum quatuor Præposituris, ne Carnotensis ecclesia dignitatum numero fraudaretur. Item juro, quòd ubicumque præbendam meam percipiam, non permittam scienter alienari ab ista ecclesia terras ecclesiæ, nec redditus, nec qualescumque possessiones alias, nec servos, nec ancillas; nec eorum filios ad Clericatum promoveri sine consciencia Capituli: & si aliquod horum fieri fortè contingeret, quod per me revocare non potero, hoc fideliter Capitulo nuntiabo, & summam denariorum & avenarum, tam ratione leguminum, quàm ratione præpositurae, impositam præbendæ meæ, ubicumque eam percipiam, solvam cui Capitulum jusserit, in termino, vel infrà, à Capitulo constituto quòd non committam fraudem in cotidianis distributionibus percipiendis. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta.

IN NOMINE DOMINI INCIPIUNT
NOMINA VEL TEMPORA VITÆ JUSTORUM, VEL INJUSTORUM PONTIFICUM CENOMANNIS
IN URBE DEGENTIUM

1. PRimus beatissimus Julianus Cenomannicæ urbis Episcopus, qui fuit temporibus Domitiani, Nervæ, ac Trajani Imperatorum, sub quibus Johannes Apostolus & Evangelista Apocalypsim & Evangelium scripsit. Beatissimus Julianus Episcopus sed. ann. xlvij, mens. iij, dies x.
2. Beatus Turibius Episcopus sedit ann. quinque, dies sexdecim.
3. Beatus Pavatius Episcopus sed. ann. xlij.
4. Beatus Liborius Episcopus sed. ann. xlviij.
5. Beatus Victurus Episc. sed. ann. xxiv, mens. vij, dies xiij.

6. Beatus Victurius Episcopus sed. ann. xl, menses vj, dies xuj.
7. Beatus Principius Episc. sed. ann. xxviij, mens. j dies xxj. Petrus Chorepiscopus.
8. Beatus Innocens Episc. sed. ann. xlv, m. x, d. xxv. Scienfredus Chorepiscopus.
9. Beatus Domnolus Episc. sed. ann. xlvj, m. xj, d. xviiij. Desideratus Chorepiscopus.
10. Domnus Baldegisilus Episc. sed. in episcopatu anu v. Besthodus Chorepiscopus & Merolus.
11. Beatus Beritchrannus Episc. sed. ann. xxxvij.
12. Beatus Hadoindus Episc. sed. ann. xlvij. mens. xj. d. xxiv.
13. Beatus Beracius Episc. sed. ann. xxxv, m. iv, d. xvij. David Chotepiscopus.
14. Domnus Aiglibertus Episc. sed. ann. xxxiv, m. vj, d. xj. in cujus tempote Petrus fuit Chorepisc.
15. Domnus Herlemundus Episc. sed. ann. xxvj, m. viiij, d. xiij.
16. Domnus Gauziolenus Episc. sed. ann. l.
17. Domnus Hetlemundus alter Episc. sed. ann. viiij.
18. Domnus Odingus Episc. sed. ann. ij.
19. Domnus Merolus Episc. sed. ann. xxx.
20. Domnus Joseph Episc. sed ann. viiij.
21. Domnus Franco peior natu Episc. sed. ann. xxij, m. iij, d. iij.
22. Domnus Franco junior natu Episc. sed. ann. xvj, m. v, d. v.
23. Beatus Aldricus Episcopus sed. ann. xxiv, m.... d.....
24. Domnus Robertus Episc. sed. ann. xxvj.
25. Domnus Lambertus Episc. sed. ann. vij.
26. Domnus Gunherius Episc. sed. ann. xxiij.
27. Domnus Hubertus Episc. sed. ann. xxxvij, m. x, d. xij.
28. Domnus Mainardus Episc. sed. ann. xx, mens. v, d. vj.
29. Domnus Segenfredus Episc. sed. ann. xxxiij, m. xj, d. avj.
30. Domnus Avesgaudus Episc. sed. ann. xlij. intervallo quinquaginta dierum.
31. Domnus Gervasius Episc. sed. ann. xx.
32. Domnus Vulgrinus Episc. qui & Monachus, sed. ann. viij, m. ix, d. xj. duorum annorum & quatuor mensium intervallo.
33. Domnus Arnaldus Episc. sed. ann. xiv, m. ix. Intervallum annum integrum, menses quatuor, dies xxiij.
34. Domnus Hoëllus Episcopus sed. ann. xij, mens. iij, dies vij.
Post hunc cessavit Episcopatus iv. mensibus.
35. Domnus Ildebertus Episc. sed. ann. xxix. mens. vj. Intervallum mens. xiij.
36. Domnus Vuido Episc. sed. ann. ix, mens. v. Cessavit Episcopatus mensibus vij.
37. Domnus Hugo Episcopus sed. ann. vij, menses iv, dies xvij.
Cessavit Episcopatus mens. xj.
38. Domnus Willelmus sedit ann. xliij, menses iv, dies xxv.
Post hunc cessavit Episcopatus menses vj.
39. Dominus Raginaldus sed. ann. duobus, dies octo. Post hunc, cessavit Episcopatus menses iv.

Quæ sequuntur alio charactere & recentius scripta sunt, usque ad Gesta Domni Juliani.

40. Dominus Hamelinus Episcopus anno gratiæ MC LXXXX, crastino sancti Andreæ Apostoli electus est; consecratus Romæ à Domno Celestino Papa. Cessit antequam decederet annis quatuor, & cessavit Episcopatus à media Quadragesima usque ad diem Martis post octabas Pentecostes. Obiit ferè centenarius anno Domini M CC XVIII. vigilia omnium Sanctorum, quorum memoriam memoriter habuerat, horaque completæ complevit dies suos. Sedit in Episcopatu annis xxviij.
41. Dominus Nicolaus electus prædicta die Martis sedit anno uno, menses octo & cessavit Episcop. mense uno.
42. Dominus Mauricius Episcopus anno gratiæ MCC XIX. vigilia Annuntiationis beatæ Mariæ, quinta scilicet feria, qua cantabatur *Lætetur cor quærentium Dominum*, electus est, & Turonis consecratus Dominica infra octabas Ascensionis. Sedente verò circa festum Magdalenes dicto Mauricio, postea Archiepiscopus Rotomagensis electus est.
43. Post ipsum Gaufridus de *Lavalle* Decanus ejusdem ecclesiæ Cenomanensis, vigilia S. Hyppoliti, anno gratiæ M CC XXXj. Et anno tertio completo electionis ejusdem traditus est sepulturæ crastino sancti Laurentii, in ecclesia pauperum Minorum, quam ipse dedicaverat; & postea locum ipsum magnis sumtibus ædificare curavit ad opus pauperum prædictorum. Qui quantæ fidelitatis, bonitatis, prudentiæ & pietatis extiterit, lingua fecilis non sufficit enarrare. Ipse zelator justitiæ & amator pacis, lites per viam pacis quamcumque poterat, dirimebat, prædicationi insistebat, eleemosynis vacabat, adeo ut omni petenti se tribuens, caritatem suam in vita sua faciens, unde in morte testamentum faceret, pauper Christi penitus non haberet. Dispersit siquidem cum beato Laurentio, dedit pauperibus, unde congruè in nocte sancti Laurentii felix ejus anima exiens fructum justitiæ, quam seminavit, mansurum in sæcula creditur recepisse. Vacavit autem sedes usque ad decimum sextum Kalendarum Octobris qua die electus est.
44. Vir magnæ fidei & litteraturæ, innocens manibus, mundus corde & renibus Gaufridus de Louduno, Dominus Trevarum, qui per xxj annos fere sedit, & profectus ad Curiam, apud Anagniam cursum vitæ suæ laudabiliter in die Inventionis sancti Stephani consummavit. Hic cum honore summo & gaudio & curia duorum dierum generali nostris temporibus insudita capsellam, corpus beatissimi Juliani continentem, multis Prælatis & Baronibus præsentibus propriis humeris quinto Kalend. Maij in novam ecclesiam reportavit, & in ipsius capite honorificè collocavit. Collocet eum Dominus cum principe populi Cenomannici, beato videlicet Juliano, amen.



IN NOMINE DOMINI INCIPIUNT ACTUS PONTIFICUM CENOMANNIS IN URBE DEGENTIUM.

CAPUT PRIMUM.

Incipiunt Gesta Domni Juliani Primi Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit tempore Decii & Nervæ ac Trajani Imperatorum, sub quibus & Johannes Apostolus & Evangelista, Apocalipsim & Evangelium scripsit.

PRIMUS Cenomannica in urbe Episcopus fuit sanctus Julianus, nobili ex progenie Romanorum ortus, & ab infantia sacris litteris sapienter eruditus, ac in numero lxx discipulorum ab Apostolis ordinatus, & postea à Clemente Papa Romano, Petri Apostoli successore, in Pontificali ministerio doctissimè instructus, & ab illo canonicè Pontifex ordinatus, nobisque unà cum Turibio Presbytero & Pavacio Diacono, datis sibi sociis ad prædicandum directus. Qui etiam, ut jam dictum est, ex lxx discipulis unus fuit, quomodo prædictus sanctus Clemens Apostolicus sanctum Dionysium has Gallias in partes adhibitis ibi sociis, quia amplius cognovit gentilitatis errorem fervere, ad prædicandum misit: qui postea verbum divinum annuntians, à perfidis juxta Parisiacam urbem martyrio coronatus est. Ipso etiam tempore, pariter & præfatum sanctum Julianum has in partes, id est Gallias, quo nimium gentilitatis errorem pollere audivit, eum ad resistendum, & ad fidem Christi prædicandam, seminaque verbi divini sapienter gentibus parturiendi & doctè dispensandi direxit. Hic cùm Domino ducente ad prædictam Cenomannicam urbem veniret, antequam in ipsam urbem intraret, procul tamen ab urbe, mærens & tristis in quodam sedebat loco, ubi cogitare cœpit, quid agere deberet: quia si ita illuc intraret, nullus eum reciperet, sed magis contumeliis affectum rejicerent, & nihil proficeret. Ille autem hoc cogitans & mente angens, divinitus est ita consolatus, ut emptam obedientiam nihil dubitando perficeret. Mox verò ipse surgens fixit baculum in terram quem manu tenebat, quem etiam à beato Clemente in sua ordinatione perceperat: ubi statim fons surgens vivus, è terra egressus est, qui Centonomius vocatur, eo quod perfectam ibi meruit percipere consolationem. Homines verò loci illius, tam civitatis quàm & suburbani, ut viderunt signum quod in Christi nomine fecit, & fontem vivum manantem de loco ubi nulla suspicio aquæ erat, mirati sunt valde. Ipsum autem intuentes Episcopum beatum JULIANUM, cœperunt interrogare, unde esset, aut quis esset, aut ad quod opus veniret. Beatus quoque JULIANUS respondens ait: Missus sum Christi Jesu Nazareni, qui assumsit carnem humanam de Maria virgine, & est passus & crucifixus atque sepultus pro salute omnium nostrûm: qui & tertia die resurrexit, & postea ascendit ad cælos, unde etiam venturus est judicare in die judicii omne genus humanum, & reddere unicuique secundum opera sua. Populus ergo loci illius gentilis erat, neque Christum prædicari aut nominari ante audierat, neque Episcopum viderat, neque de religione Christiana aliquid cognoscebat: sed magis idola adorabat, & dæmones colebat; montes verò & arbores sive saxa venerabatur. Audientes autem homines jam dicti loci prædicationem beati JULIANI, instinctu Dei confirmatum est, quod dicebat in eis, atque ut mel dulce factum in cordibus eorum, & verba beati JULIANI libenter audiebant, atque in Christum quem ipse prædicabat, credere se velle dicebant. Civitas autem supradicta ad quam missus venerat, fortiter custodiebatur propter vicinos æmulos, & nullus ingrediebatur in eam aut egrediebatur de ea, antequam certam de se custodibus portarum redderet rationem. Cum ergo in prædicta civitate nuntiatum esset de beato JULIANO, Episcopo Romano, & prædicatio ejus inibi sive in finibus ejus est divulgata, multi voluntariè concurrentes ad eum, ejusque audientes prædicationem, & videntes signa quæ in Christi nomine faciebat, baptizabantur ab eo in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, & credebant in Christum. Princeps autem ipsius loci hæc audiens, vocavit eum ad se ut videret quid faceret, & audiret verba doctrinæ ejus. Qui & accersitus veniens ad eum in ingressu palatii cæcum illuminavit unum. Audiens autem hoc prædictus Princeps, cœpit ire humili vultu & contrito corde, ut ipsum Episcopum benignè susciperet, & ut ei à Domino, ut credimus, inspiratum erat, omnia quæ ei indicaret faceret.

Ipse autem Princeps, nomine DEFENSOR, mox ut vidit venerabilem Romanum Episcopum, Domnum videlicet JULIANUM, humiliavit se in conspectu ejus, quem & beatus JULIANUS signo crucis signavit, & complexi deosculati sunt vicissim. Beatus quoque JULIANUS statim ei prædicare Christum, & enarrare mirabilia virtutis Dei, ac docere eum, qualiter credere ipse & omnes adstantes oporteret, & qualem fructum atque præmium ex hoc accipere deberent, qui instinctu divino gaudenter hæc se facere velle responderunt. Inclitus ergo JULIANUS præcepit afferri aquam, & ponere eam in quodam vasculo lapideo in modum dolii facto, & prædictum Principem primò baptizavit, & postea uxorem suam, nomine GODAM, & maxime totam domum ejus christianam fecit. Crastina autem die tanta multitudo ad beatum Episcopum JULIANUM ut baptizaretur venit, quantum numerum nemo scire valet. Jam dictus ergo Domnus JULIANUS Episcopus postulavit prædictum judicem, ut daret ei domum, in qua faceret ecclesiam, ubi populus convenire posset ad baptismum & ad prædicationem, seu ad reliquum cultum exercendum divinum. Quod & ipse Princeps libenter fecit, & suam domum in qua sedere solebat cum Consulibus suis, prædicto Episcopo gratanter dedit; in qua ipse altare constituens, eamque una cum prædicto altari in honore sanctæ Dei genitricis MARIÆ & sancti Petri principis Apostolorum solemniter sacravit, & reliquias eorum in ea posuit. In prædictis autem sacrationis atque dedicationis templi sollemnitate, obtulerunt in donariis prædictus Princeps & sui Optimates, auri purissimi pondera LX, argenti verò talenta C, vestimentorum que-

que & pecorum diversi generis innumerabilem obtulerunt Domino & præfato JULIANO Episcopo multitudinem.

Fecit igitur supradictus Princeps verbum ad populum, ut omnes venirent ad jam dictum Episcopum; & quidquid eis præciperet facerent: & qui hoc facere nollet, tormenta ecutei se nosset esse passurum. Cunctus autem populus libenti animo confluebat ad beatum JULIANUM, & in supradicta ecclesia fidei documentis instruebantur, & baptizabantur, atque Christiani efficiebantur. Defensor videlicet Princeps ecclesiam quam sacravit beatus JULIANUS, suis rebus & propriis facultatibus voluntariè dotavit, & ad cultum divinum exercendum omnia Christo dicavit. Dedit quoque jam dictus Defensor & sui, in typo Israelitici populi & Sacerdotum se Levitarum Domino servientium, ad prædictam ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Petri, cum consensu & sub stipulatione Procerum suorum, quicquid infra civitatem & in suburbio civitatis habebant, id est illas roas omnes tam intrinsecus civitatis, quàm & extrinsecus; vineas quoque & agros & silvas, quæ in circuitu sunt penitus ad prædictam Ecclesiam sanctæ MARIÆ & sancti Petri præsentaliter tradiderunt; id est ab illo monte qui est ultra fluvium Sartæ usque ad alterum montem qui est ultra Idoniam *. Tradidit ergo ad prædictam ecclesiam etiam villas alias suas proprias, id est Callemarcium cum omnibus ad se pertinentibus, & Vodibrio cum omnibus ad se pertinentibus, Callisamen cum omnibus ad se pertinentibus, silvam quæ est in aquilonali parte civitatis super fluvium Sartæ cum ædificiis suis, cum salinariis, & cum omnibus ad se pertinentibus; & Viveregium, & Alam, & Campaniacum, & Genedam cum aliis villulis & territoriis, quorum nomina hîc propter prolixitatem non habentur inserta. Hæc enim omnia tradiderunt memoratus Defensor & cuncti cultores prædictæ civitatis ad prædictam ecclesiam, cum omnibus ad se pertinentibus pro redemtione animarum suarum, solummodo autem ad cultum divinum exercendum. Insuper autem tradidit jam dictus Defensor unà cum consensu & exhortatione atque sub stipulatione cunctorum Procerum suorum vicum Diablenticum, & vicum Ciliiacum, & vicum Labricinis, & alios vicos omnes, qui in pago Cenomannico esse noscuntur: in quibus scilicet deprecatus est beatum Episcopum prælatum Dominum JULIANUM facere ecclesias, & per singulos constituere Sacerdotes & reliquos ministros, ut populi, qui ad civitatem concurrere præ multitudine non valebant, ad eos venirent; ut ibi instruerentur & baptizarentur, atque secundum normam Ecclesiasticam Christiani efficerentur. Quod & beatus JULIANUS prout melius potuit, facere studuit, & non cessabat die noctuque prædicare, baptizare, Spiritum-sanctum tradere, & cetera quæ ad divinum cultum pertinent, facere. Populus autem diligebat eum ut animam suam, quoniam actus suos signa & prodigia innumerabilia præcedebant. Cultus verò Christianitatis & doctrina fidei, ac servitus divina crescebat, & innumerabiliter multiplicabatur. Laboravit quoque in prædictis rebus beatus JULIANUS ferme annos vij, qui dum videret Principem & populum in divino cultu ardentes, tamen in propinquitatis conjunctione multum esse conglutinatos, quoniam propinquas eorum tenebant & ducebant uxores.

Dum enim hæc inter se ita agerentur, deprecatus est Principem & populum licentiam dari sibi, ut iret Romam, interrogare, quid de hoc facere deberet, Apostolicum Romanum, Domnum scilicet Clementem præceptorem suum, vel de aliis necessitatibus eorum. Princeps verò & populus respondentes dixerunt, non eum præter se debere dimittere ire in quodam loco, quoniam, ut jam dictum est, amabant eum ceu semet-ipsos. Beatus igitur JULIANUS Episcopus inquiens respondit, illud nullo modo præterire non posse, nisi ut ita faceret, sicut dudum eis prædixerat. Nam si aliter non vellent eum dimittere ad prædictum ire locum; pergerent cum eo quicumque ex eis vellet. Quod & nutu divino factum esse non dubium est, ut in Romana ecclesia potiorem divinum cultum viderent, & meliores ex hoc efficerentur, doctiores, atque sanctiores, ad propria remeantes loca. Prædictus ergo Princeps & omnes nobiles ipsius patriæ, eorum præparaverunt iter; & sanctum JULIANUM usque ad Romanam nobiliter deduxerunt ecclesiam. Orantes autem ad sepulcra beatorum Apostolorum sive aliorum Sanctorum, usque ad Clementem ejusdem urbis Apostolicum pervenerunt; qui & benignè atque dulciter suscepit spiritalem filium suum, sanctum videlicet JULIANUM, & omnes qui cum eo venerunt; ac gavisus est valdè super omnibus quæ ab eis audivit vel vidit. Sanctus quoque Clemens Romanæ sedis Apostolicus, dedit beato JULIANO reliquias Sanctorum multorum: & instruxit eum atque docuit super omnibus quæ interrogatus fuerat, & dedit ei licentiam ut remearet ad propria cum populo sibi comitanti; & præcepit ei, ut sicut bene cœperat, in melius atque melius semper proficere studeret.

Egressus ergo beatus JULIANUS cum omnibus secum venientibus cum licentia & gratia atque benedictione præceptoris & magistri sui sancti Clementis, prædictæ urbis Papæ, ab urbe Roma, sanus & incolumis cum omnibus sibi comitantibus, usque ad urbem Cenomannicam pervenire auxiliante Domino meruit. Afferens autem secum reliquias, quas à prædicto beato Clemente viro Apostolico Romana in urbe perceperat, & ponens eas in ecclesia, quam olim in urbe Cenomannica in honore sanctæ MARIÆ & sancti Petri Apostoli sacraverat, Sanctorum multorum denique carissimorum, quorum meritis cunctipotens Dominus tam in via remeante ex Roma, quàm & in urbe Cenomannica innumerabiles fecit virtutes, cæcos innumerabiles illuminando, claudos restaurando, dæmonia ejiciendo, leprosos curando, infirmos sanando, mutos loquendo; & alia innumerabilia signa quæ prolixa sunt scribere. Prædictus quoque Princeps & omnes Optimates ejus, postquam Roma reversi sunt, ad jam dictas reliquias Sanctorum magnorum, & ad præscriptam ecclesiam quæ primo in Cenomannica urbe à sancto JULIANO est dedicata, res proprietatis eorum innumerabiles tradiderunt, & præscripta eorum ad cultum divinum exercendum confirmaverunt. Tradidit verò prædictus Princeps ad jam dictum locum demum post regressionem suam de Romana ecclesia has villas, id est Alaudum, Tricionem, & ecclesias, & villam Culturas, & Verus-vicum, atque Prolliacum super fluviolum Valuam, & Colonicam, & Caderas, & Fraxinidum, & Aloniacum, & alias villas multas, quas prolixum est hîc scribere. Has ergo villas cum omnibus ad se pertinentibus præsentaliter ad prædictam ecclesiam & jam dicto Pontifici firmiter tradidit, & Deo dicavit, & contestando adjuravit, si quis eas inde, quod absit, abstrahere deinceps vellet, ante tribunal Domini in die districti judicii ex hoc rationem redderet, & damnationem cum impiis perciperet. Satrapæ videlicet & Optimates prædicti Principis, proprietates & funda eorum ad prædictum locum tradiderunt, & unusquisque, prout melius potuit, tribuit. Nam nemo eorum fuit, qui aliquid de rebus proprietatis suæ, ad præscriptam

* Palma.

ſcriptum locum non tradrert & firmiter adſtipularet, quæ per ſingula numerare & ſcribere, propter tædium ſcriptoria ſive lrctorls, dimiſimur.

Molti verò nobilium illiur regionir virocum omnia ad prædictum locum dabant; nonnulli etiam propter ætater eorum vendebant, & precia ad jam dictum locum & ad præfixum Epiſcopum afferebant, & communem vitam ibi ducebant, atque juxta Apoſtolum omnia illis communia erant. Prædictur quoque Epiſcopus bearor JULIANUS pec ſingulor vicor eccleſias dedicavit, & Sacerdotes conſtituit, & inde ad matrem eccleſiam Cenomannicæ civitatir, quampeimo dedicavit in honore ſanctæ Mariæ & ſancti Petri, & in qua demum rrliquiar Sanctorum precioſorum quas ſecum honorificè Roma derulit, collocavit, per ſinguloa annos cenſur perſolvere cenſuit: id eſt vico Diablentico ad luminaria in prædicta eccleſia concinnanda, quam in initio ingreſſur ſui infra ucbem in honore ſanctæ Mariæ & ſancti Perri ſacravit: & in qua poſtea reliquiar Sanctorum multorum qoas Roma ſecom tribuenre Domno Clemente Papa atrulit, collocavit. De cera de pœdicto Diablentico vico canonico decrevit ſolvere ad matrem Cenomannicæ urbis eccleſiam libras majorer iiij. De oleo lib. vj. aut de argento dr. xij. & treantes ij. & ad cuſtoder ipſiur eccleſiæ dr. iv. De Celſiaco de cera lib. j. & de olro ij & treantes ij. De Labricinis, ceca lib. iv. de oleo lib. vj. & tre. j. De Silviaco cera lib. iſ. & de oleo lib. iij. & tr. j. De Intramnir cera lib. ij. & de oleo lib. iij. & tre. ij. De corma crra lib. iij. oleo lib. iv. & tr. j. De Velatio cera libra. j. oleo lib. ij. & tr. ij. D. Biucilonno cera lib. ij. oleo lib. iv. & tr. j. De Concdialio cera lib. iij. oleo lib. iv. & tr. ij. Dr Brilefaido cera lib. j. oleu lib. ij. & rr. j. De Saugonna cera lib. ij. oleo lib. iij. & tr. j. De Saviniaco cera lib. ij. oleo lib. iij. & tr. j. De Alciaco cera lib. j. oleo lib. ij. & tc. j. De Cavillaco cera lib. ij. olro lib. iij. & tr. j. De Gauionno crra lib. ij. oleo lib. iij. & tr. j. De Chahannia cera lib. ij. oleo lib. iij. & tr. ij. De Vivonio cera lib. ij. oleo lib iij. & tr. j. De Salica cera lib. j. oleo lib. ij. & tr. j. De Baladon cera lib. j. oleo lib. ij. & rr. j. De Jacono cera lib. j. oleo lib. ij. & tr. j. De Padriniaco cera lib ij. oleo iij. & tr. j. De Andoliaco crra lib. ij. oleo lib. iij. & tr. j. De Domno-Georgio cera lib. ij. oleo lib. iij. & rr. j. De Burgodeno cera lib. j. oleo lib. ij. & tr. j. De Verno cera lib. j. oleo ij. & tr. j. De Centon cera lib. ij. oleo iij. & tr. j. De Vigobris cera lib j. oleo ij. & rr. j. De Baliau cera lib. j. olro ij. & rr. j. De Cerviaco cera lib. ij oleo iij. & tr. j. De Saviniaco ſuper Brigiam cera lib. j. oleo iij. & tr. j. De Lucaniaco cera lib. ij. oleo iij. & tr. j. De Noviomo cera lib. iij. oleo iiij. & tr. ij.

Inſuper fecit unam eccleſiam ultra fluvium Sartæ, in honore ſanctorum Apoſtolorum, quæ optimè à nobilibua & Principibur ipſiur patriæ dirata rſt: ubi & Sacerdotem ſuum, nominè Zachariam, & alior miniſtros inibi Deo degentea, & divina Officia peragenres ſervire conſtituit, eamque ad matrem eccleſiam ipſius urbis delegavit, atque præfatæ matris civitaris rccleſiæ ſubjugavit, & ſubditam in perpetuo fecir. De qua etiam præcepic prædicto Zachariæ Sacerdoti vel Abbari, & per reſtamentum ab eo firmiter corroboratum & ſubſcriptum futucis temporibur fieri inſtituir atque ſanxit, ut in Purificatione ſanctæ Mariæ, & in feſtivitate ſancti Petri, & io Aſſumtione ſanctæ Dei genitricir Mariæ, omnes Clericos ipſiur eivitatia, & omnes pauperes infra civitatem juxca matrem eccleſiam, io domo qoam ad hoc opus perficiendum conſtruxerat, collocaret, & in honore ſanctæ Mariæ & ſancti Petci eir omnibus refectionem ex rebus ſupradictæ Apoſtolorum eccleſiæ honeſtam præpararet. Has ergo ſunctiones per annos ſingulor ad matrem civitatia eccleſiam beatur Julianus ex jam dicta eccleſia perſolvere cenſuit. Prædictur verò ſanctus Julianus in ſupra dicta eccleſia & in nrbe Cenomannica frcit Ordinationes xxvij. io quibur rx prædicta parochia ordinavit Preſbyteros per diverſa loca clxxvj, Diaconos xxij. Subdiaconos frrmè totidem, Acolythos & Exorciſtas, Lectoreſque, atque Oſtiarios dimiſit intra ucbem & per prædictos vicos cxxxvij. Eccleſias autem pec diverſa loca in jam dicta parochia ſaccavit xc. in quibur conſtituit pœdictos Sacerdotes, & ex quibur ſupradicta ad matrem eccleſiam in ipſa urbe luminaria cenſuit ſolvere. Sedit igitur in prædicta ſrde Cenomannica in urbe annos xlvij, menſes iij, dies x. qui & obiit in pace v Kal. Febr & ſepultus eſt ultra fluvium Sartæ in eccleſia, quam ſui diſcipuli ad ſepeliendum eum præparaverunt. Signa ergo innumerabilia quæ tam in ejur vita, quàm & poſt ejus obitum in ejur nomine facta ſunc, ideo hic oon inſcrimur, quia io alia ſchedula, in qua ejur vita continetur inſerta, ſcripta eſſe reperiuntur. Precibus quoque præſcripti ſancti Juliani petimur, ut ab omnibus liberemur malis, boniſqoe omnibus æternaliter perfruamur, & nuoc & per ſæculorum ſæcula, ameo.

Incipit tranſlatio Beati Juliani Epiſcopi.

LUDOVICO piiſſimo Imperatore totius Galliæ ſceptrum teneote, Domnur ALDRICUS qui à beato Juliano vigeſimus tertiur fuit Epiſcopus, vir diſpenſationis carholicæ, & eccleſiaſtici ordinis ſollicitus nimir, Cenomannicam tunc regebar eccleſiam. Qui dum in eadem civitate conſiſtenr aſpiceret loca ſancta circa urbem ab anteceſſoribus ſuis quondam ædificata, interque omnia vidit ultra fluvium Sartæ locum, in qoo corpur beati Juliani gentis Cenomannicæ Apoſtoli & Epiſcopi, necnon etiam prædicatoris primi ſupradictæ civitatis, à Defenſore glorioſiſſimo Principe, quem & ipſe Julianus ad fidem Chriſti coovertit, olim humatum fuerat, deſtructum nimir, & ab omni clericali officio Deo inibi ſervientium valde derelictum, ſimul etiam lumine eccleſiaſtico omnino privatum, cogitare intra ſe cœpit bonum conſilium, uc inde ſanctum afferret Epiſcopum, ne caſu aliquo civitar tanto ac tali fruſtaretur Patrono. Tunc convocavit ad ſe multitudinem Clericorum, necnon comprovincialium Epiſcoporum & Abbatum cum Optimatibus regionir illiur & plebe civitatis, & acceſſit ad locum ubi ſanctum corpur illud per ſexcentor & paulo plus annos, & maximè uſque ad illius Epiſcopi tempora ſubtus terram jacuerat. Effoſſa enim deſuper ſarcophago terra, invenit ſancti Confeſſorir miri odorir corpur redolenr, & circa eum quinque alia ſanctorum corpora, quorum nomina invenit ſcripta, quæ apud nos memoriter retinentur, ſicut in conſequentibus declarabitur. In dextera ſiquidem parte juxta beatum Julianum inventum eſt Domni TURIBII Epiſcopi & ſucceſſoris ſui corpus, quem in Archipreſbyteratur ordine à ſancto Clemente ſuſceptum in ſanctæ prædicationir officia olim haburrat adjutoerm. In ſiniſtra autem parte ejuſdem ſepulcri, invenit corpus Domni PAVATII tertii Epiſcopi, qui in ordine Archidiaconatus functus cum eo fuerat ſanctæ prædicationir miniſterio. Juxta quem etiam inventum eſt corpus quarti ROMANI videlicet Sacerdotir eximii, &, ut fertur, nepotis ſancti Juliani, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ miniſtri, quem etiam ſanctæ Juliæ fratrem nonnulli eſſe reſtantur, atque ſanctæ TENESTINÆ præcipuæ virginis, quæ & Monaſterium ſanctæ Ma-

riæ sub muro urbis situm, in rebus senioris ecclesiæ unà cum adjutorio sancti INNOCENTIS supradictæ civitatis Episcopi construxit. Sed & sanctæ Adæ, quæ & Adrechildis alio nomine nuncupatur, quæ ut legitur, deprecante sancto Innocente * Episcopo, de Monasterio sanctæ Mariæ quod situm est in urbe Suessionis, ad Cenomannicam urbem venit, & ibi in suburbio, in Monasterio videlicet sanctæ Mariæ, Regulam beati Benedicti edocuit, & sanctimoniales feminas, ut ibi regulariter viverent, ordinavit. Rursus invenit corpus sancti HADUINOI duodecimi ejus civitatis Episcopi & Confessoris, ut referunt, natione Scoti, quem integrum unà cum sacerdotalibus vestimentis quibus sepultus fuerat, reperit: haud longè à quo inventa est maxima pars corporis Domni LIBORII supradictæ civitatis quarti Episcopi & Confessoris. Quibus ita repertis, & miraculis multis ostensis, Præsul cum populo valde gavisus, cum ardentibus cereis, cum crucibus & turibulis, & cum tripudio inæstimabili, ne amplius lux tanta lateret in tenebris, sed luceret omnibus qui in domo Domini sunt; de parva ecclesiola, intra muros urbis in seniorem ecclesiam sanctorum supradictorum corpora honorificè transtulit, atque ibi cum summa veneratione collocavit: quatinus eorum meritis & piis intercessionibus ecclesiæ major cultus excresceret, & divinus honor in melius multiplicaretur, sicut in posteris actum esse Domino annuente probatur.

* immo Agliberto Episcopo r4.

Translato autem Juliano Confessore beato cum ceteris Sanctis in ipsa matre ecclesia, deposuit eum Aldricus Episcopus super altare, quod situm est in dextera parte altaris sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii, super quod longo tempore requievit; ceterus verò sanctos in secretiori loco ecclesiæ, prout melius potuit, collocavit. Longè autem post mortem Aldrici Episcopi, meritis & intercessione Juliani Pontificis, cœperunt in ecclesia miracula multa fieri, & infirmorum accessu multiplici eum muneribus frequentari. Tantam enim curationum gratiam Christus beatu Pontifici tradidit, ut quicumque ad eum debilis venit, sanus abscessit. Ecclesia verò tanti Patroni, ceterorumque Sanctorum virtute admodum roboratâ, post longa translationis tempora visum est ecclesiæ clero & illius temporis Episcopo, ut de loco in quo primum positus fuerat eum tollerent, atque honorificentius collocarent. In eminentiori verò loco ecclesiæ retro altare sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii in sublime altare ejus fabricaverunt, & eum non jam quasi hospitem, sed quasi patronum proprium Deo volente honorificè posuerunt: ubi à Clero & populo nunc deprecatur & colitur, & ubi pro civibus suis patrocinari non desistit. Translata sunt autem sanctorom Confessorum corpora, Juliani, Turioii, Pavatii, Romani, Liborii, atque Hadumdi ab Aldrico venerabili Episcopo intra Cenomannicam urbem in seniorem ecclesiam, octavo Kalendas Augusti: in qua eorum meritis & intercessionibus sanctis usque hodie ad laudem & gloriam nominis sui mirificas Christus operatur virtutes, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per. &c.

CAPUT II.

Gesta Domini Turibii Cenomannicæ, urbis Episcopi qui fuit tempore Antonini Imperatoris.

TUribius natione Romanus, qui (ut fertur) Presbyter à beato Clemente Papa est ordinatus, & cum sancto Juliano ad Cenomannicam urbem à beato sancto Clemente missus, & in ea nutu divino à beato Juliano Presbyter cardinalis est constitutus: post excessum quoque beati Juliani in prædicta urbe Episcopus electus, & ad seniorem ecclesiam ipsius urbis Pontifex est consecratus. Hic ergo Monasteria in rebus quas suo tempore ad ecclesiam sibi commissam, quam sanctus Julianus infra Cenomanicam urbem dedicavit, traditæ sunt, fecit monasteria quatuor; id est in loco qui dicitur Buxiolus super fluvium Meduanæ in honore sancti Johannis monasteriolum fecit unum, & super fluvium Idoniæ aliud, & in vico Diablentico tertium. Fecit igitur sanctus Turibius quarto ordinationis suæ anno, inter alia monasteriola & ecclesias, quæ in sua vita & ejus actibus commemorantur, unum monasteriolum ad animas Deo lucrandas super fluviolum Anisola, in loco cujus vocabulum erat Casa-Gajani cujusdam pagani, ubi & fontes vivos invenit, & vineas amœnas & uberrimas plantavit. In quo loco & in honore sancti Petri ecclesiam construxit, atque consecravit; ubi & suum Sacerdotem, nomine Tyrrum, cum aliis Clericis esse instituit, & Domino famulari præcepit. De qua & ad matrem civitatis ecclesiam, quæ est constructa & consecrata in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Petri Apostoli, censuit solvere per singulos annos ad lumen prædictæ ecclesiæ de oleo libras iiij, & de cera libras iij, & de vino & pane ad usus Clericorum & pauperum md. iiij. & si exinde negligens fuerit, aut tarde apparuerit, locum perderet, & gradum sibi collatum amitteret; in quibus verò & commonem omnibus Dei servis in eis habitantibus constituit ducere vitam. Fecit etiam & consecravit ecclesias in præfixa parochia per diversa loca xxxviij, ex quibus ad matrem ecclesiam, cui præsidebat, infra urbem censuit solvere luminaria ceræ atque olei, sive custodibus ipsius ecclesiæ ad ornandam eam treantes, id est vico Mareiaoo, cera lib. majores ij, olei lib. iij. & tr. j. De Maduallo cera lib. iij, olei lib. iiij. & tr. j. De Masciliaco cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De longa-aqua cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Luciaco cera lib. j. olei lib. iij. & tr. j. De Vetus-vico cera lib... olei lib. ij. & tr. j. De Austiliaco cera lib. iij. olei lib. v. & tr. j. De Latiniaco cera lib. iij. olei lib. v. & tr. j. De Luppiaco cera lib. ij. olei lib. iij. & tr. j. De Celis cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Solemnis cera lib. ij. olei lib. iij. & tr. j. De Asinaria cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Dolitto cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Busiaco cera lib. iij. olei lib. v. & tr. j. De Pucialeto cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Argentrato cera lib. j. olei lib. iij. & tr. j. De Villeus cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Candisco cero lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Montaniaco cera lib. j. olei lib. ij. & tr. ij. De Crucilia cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Placiacu cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Patriciacu cera lib. iiij. olei lib. vj. & tr. ij. De illa Isla cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Briciaco cera lib. ij. olei lib. iij. & tr. ij. De Novo-vico cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Oxello cera lib. ij. olei lib. iij. & tr. j. De Aurionno cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Lauda cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j. De Medio-orto cera lib. j. olei lib. ij. & tr. j.

Hic fecit ordinationes xvij, Presbyteros lxxxviij, Diac. l, Subdiaconos xl. & reliquos gradus alius multis ordinando distribuit. Hic sedit in prædicta sede annos v, menses vj, diesque xvj, qui, ut fertur, martyrio vitam finivit, ac obiit xvj Kal. Maias. P.C. Viatoris ij, V.C. & sepultus est à discipulis suis honorificè ultra fluvium Sartæ in ecclesia Apostolorum. Signa autem quæ in ejus nomine tam in eo vivente quàm & humato facta sunt, innumerabilia sunt, & in alia schedula in qua ejus vita continetur inserta, sunt scripta; & ob id hic non sunt inserta. Intercessione quippe beati & sancti Martyris Turibii, ab omnibus nos eruat Dominus

adversitatibus & peccatis, & bonam ac optimam perseverentiam tribuat, & vitam æternam perpetualiter possidere concedat, amen.

CAPUT III.

Gesta Domni Pavatii Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit temporibus Maximini & Aureliani Imperatorum.

SAnctus Pavatius, natione Romanus, ut alii: qui & à præfixo sancto Clemente Papa Romano Diaconus est ordinatus, & cum sancto Juliano directus ad prædicandum: qui postea discipulus fuit ipsius sancti Juliani, & ab eo intra Cenomannicam urbem cardinalis est Presbyter ordinatus, quem populus ipsius urbis uno ore & uno animo post excessum beati Turibii ad Episcopatum elegerunt, qui & ad matrem ipsius urbis ecclesiam est consecratus Episcopus. Ipse enim fecit in ipsa parrochia atque sacravit ecclesias xj. ex quibus ad matrem ipsius parrochiæ ecclesiam censuit luminaria tam ceræ, quàm & olei, & treantes, custodibus ad præfixam ornandam ecclesiam solvere; id est de Rusiaco cera lib. j. olei. ij. & tre. j. de Desertina cera lib. j. olei. ij. & tre. j. de Cauciaco cera lib. j. olei. ij. & tre. j. de Colonia cera lib. j. olei. ij. & tre. j. de Cerallo cera lib. j. olei. ij. & tre. j. Item de Ruthiaco cera lib. ij. olei. iij. & tre. j. de Materiaco cera lib. j. olei. ij. & tre. j. de Argenrorero cera lib. ij. olei. iij. & tre. j. de Siliniaco cera lib. j. olei. ij. & tre. j. de Donnario cera lib. j. olei. ij. & tre. j.

Fecit enim jam dictus sanctus Pavatius in prædicta civitate & in antedicta parrochia ordinationes xxxvj, in quibus per diversa tempora sacerdotes consecravit cclxxv, diaconos clxxiij, subdiac. lvj, & reliquos grad. multis sacrando distribuit. Sedit autem in prædicta sede annus alij, & à discipulis suis honorificè ultra fluvium Sartæ sepultus est in ecclesia Apostolorum, in qua & sanctus Turibius dudum episcopaliter & decenter homatus requiescit. Prædicti enim sancti Pavatii meritis inibi multæ & innumerabiles virtutes claruerunt tam in vita ejus, quam & post ejus obitum, sicut in schedulis, in quibus præfatæ urbis aliorum Episcoporum virtutes & signa sunt scripta, reperiri potest. Obiit autem nono Kal. Augusti, cujus assiduis deprecationibus auxiliante Domino omnium scelerum nostrorum remissionem & indulgentiam percipere mereamur, & æternam adipisci unà cum sanctis & electis Dei vitam valeamus: cum quibus & nunc & per cuncta sæcula vivere mereamur, amen.

CAPUT IV.

Gesta Domni Liborii Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit temporibus Constantini & Valentiniani Imperatorum.

LIborius, natione Gallus, successorque beati Pavatii Cenomannicæ urbis Pontificis, qui & post ejus obitum electus à populo & sacratus est Episcopus. Studuit enim in rebus ecclesiasticis, prout melius potuit, oppidò Deo & vulgo placere; qui & remunerationem ex hoc magnam & coronam gloriæ percipere meruit. Hic fecit ecclesias per diversa loca in ipsa parrochia xvij. ex quibus census ad matrem ecclesiam civitatis; cui præerat, censuit solvere ad luminaria in ipsa ecclesia continuanda, tam ceræ quàm & olei, sive custodibus ipsius ecclesiæ treantes; id est de Colinoo cera lib. j. olei. ij. & tr. j. item de Siluvaco cera lib. j. olei. ij. & tr. j de R..udario cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Campo-genestoso cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Conedaco cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Actiaco cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Aloniunno cera lib. iv. olei. vj. & tr. j. de Saugonna cera lib. ij. olei. iij. & tr. j. de .abonarias cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Bona cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Luciaco cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Ludna cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Marsone cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Poliaco cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Magitto cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Noviliaco cera lib. j. olei. ij. & tr. j. de Comnis cera lib. j. olei. ij. & tr. j.

Fecit quoque jam dictus Pontifex ordinationes xcvj, in quibus sacravit presbyteros per diversa loca ccavij, diaconos clxxxj, subdiaconos aciivj, & reliquos ministros quantum necesse fuit. Hic ergo in pace obiit v Idus Junii, & sepultus est à beato ac sancto Martino Turonensis ecclesiæ Archiepiscopo, & à discipulis suis honorificè ultra fluviū Sartæ in ecclesia Apostolorum, quam Domnus & sanctus Julianus dudum construxerat atque sacraverat; in qua & S. Pavatius antecessor ejus & S. Turibius antecessor S. Pavatii, corporaliter requiescunt. Sedit autem in prædicta sede jam dictus sanctus Liborius annos undequinquaginta; qui totis nisibus Domino dulciter in omnibus famulari studuit. Cujus post obitum tribuente Domino in ejus nomine, & in prædicta ecclesia juxta ejus sepulcrum innumerabilia ejus dignis meritis claruerunt signa, cæcos videlicet innumerabiles illuminando, claudos restituendo, dæmonia ejiciendo, leprosus curando, infirmos sanando, surdis auditum præbendo, & aliis multis atque innumerabilibus sanitatem largiendo. Nomina verò prædictorum debilium & infirmantium propter prolixitatem hic non descripsimus: tamen tanta visa ejus meritis sunt signa, quanta, ut reor, tres aut quatuor quaterniores non possunt capere. Petimus quoque ut ejus assiduis deprecationibus ab omnibus adversitatibus fluctuantis sæculi sive à cunctis sceleribus nostris nos liberare dignetur Dominus, amen. Sua ergo in vita multa ostensa sunt miracula suis meritis, præstante Domino nostro Jesu-Christo, cui est honor & gloria per omnia sæcula sæculorum, amen.

CAPUT V.

Gesta Domni Victuri Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit temporibus Theodosii, & Arcadii Imperatorum.

DOmnus Victurus Cenomannicæ urbis Pontifex, successorque beati Liborii, ejusdem urbis Episcopi, qui ut ægrotare cœpit, & finis vitæ beati Liborii appropinquavit, sanctus Martinus, Turonicæ urbis Archiepiscopus, divinitus ammonitus, ad visitandum eum atque sepeliendum venire non tardavit. Antequam autem in prædictam urbem adveniret ad visitandum, & ad animam jam dicti Pontificis Domino commendandam, sive eum sepeliendum, cœpit cogitare beatus Martinus quid de futuro fieret Episcopo. Sedente verò illo, & equitante super asello suo, & hæc meditante, divinitus illi ostensus est quidam clericus & subdiaconus nomine Victurus, procul ab urbe, in vinea sua laborans, & cum fodesorio suo eam fodiens, exparsus capite & pedibus pulvere & totis viribus vineam suam, preces & hymnos Domino psallendo, exercebat & colebat. Quem ut cognovit antedictus Domnus Martinus, gratia Domini illuminatus, futurum fore Pontificem; vocavit eum

ad se, & salutans eum dixit : Ave Domne Pontifex. Cujus verba prædictus Victurus benigne suscipiens, & prono vultu se contra eum humilians, sperabat quod irrideret eum beatus Martinus : quia nullo modo se credebat Pontificem unquam fore. Beatus enim Martinus dedit illi baculum suum, quo sustentari solebat, & deduxit eum secum usque ad urbem, ubi frater Domnus Liborius ejusdem urbis Pontifex æger & semivivus jacebat. Cujus etiam animam suis precibus Domino commendans, inter manus ejus exspiravit in Christo : cujus anima angelicis manibus ad cælum est transvecta, & inter sanctos collocata. Beatus quoque Martinus eum diligenter cum precibus & hymnis honorificè, ut Episcopum decet, in ecclesia Apostolorum ultra fluvium Sartæ, in qua & sanctus Turibius atque sanctus Pavatius sive sanctus Liborius corpore requiescunt, sepelivit, & ejus corpusculum juxta prædictorum sanctorum corpora collocavit. Hoc autem facto, in civitatem properavit, & populo de futuro Pontifice allocutus, beatum Victurum prædictum subdiaconum in eadem civitate Episcopum ordinavit; & ejus conjugem, Mauram nomine, sacro velamine Domino consecravit, eorumque filium beatum Victurium nominè baptizavit, & à fonte propriis suis manibus deprecantibus patre & matre suscepit, in filium sibi eum adoptavit : ipsumque secum inde deducens, quia jam magnus erât, piè nutriebat, & eum divinis eloquiis instruebat. Virtutibus quoque & sanctis meditationibus atque bonis operibus puer Victurius optimè florebat ; & suo magistro sancto Martino humiliter famulabatur, atque ut omnibus ut servus domino obediens erat. Prædictus enim Victurus pater Victurii, Pontifex in jam dicta Cenomannica urbe Pontificatus ministerium condignè & devotè exercens, multos suis prædicationibus atque exhortationibus ad Dominum convertit, & magnum lucrum in sancta Dei ecclesia fecit. Hi verò sive ceteri actus sui, plenius in ejus vita inscripta reperiuntur. Hic autem sedit in prædicta sede annos xxiv, & mènses septem, diesque xiij. & fecit ordinationes xlij, presbyteros ccc v, diaconos cc xij, & reliquos ministros in sacro ordine sacravit, quantum necesse fuit. qui & in pace obiit, & in ecclesia Apostolorum ultra fluvium Sartæ, in qua Dominus Liborius requiescit in corpore, honorificè à suis sepultus est, & vivit æternaliter cum Christo ; cum quo & nos ejus precibus, annuente Domino, petimus humiliter ut vivere mereamur per cuncta sæcula sæculorum, amen.



CAPUT VI.

Gesta Domni Victurii Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit temporibus Honorii, & Marciani Imperatorum.

DOmnus Victurius Episcopus filius prædicti beati Victuri, alitus & instructus à sancto Martino Turonicæ urbis Archiepiscopo, & in Episcopatus honore eligente clero vel populo à jam dicto sancto Martino & in præfata Turonica urbe Pontifex est ordinatus, & ad Cenomannicam urbem titulatus, sive ad eam à beato Martino directus. Qui & Domino præstante ad eam iter agens, virtutes innumerabiles fecit, & in ipso ingressu civitatis omnes vinculis constrictos & connexos suis meritis Dominus absolvit ; & omnia machinamenta vinculorum confracta atque contrita sunt : cujus actus ideo non inseruimus, quia in libello quem de ejus vita & moribus composuimus, plenius & uberius descripsimus. Hic sedit in prædicta sede annos xlj, menses vj, diesque x, omni tempore virtutes innumerabiles faciendo, cæcos illuminando, claudos restaurando, infirmos sanando, dæmonia ejiciendo, & ceteras infirmitates debilium, atque ægrotantium sanando, & Domino Deo nostro totis nisibus inhærendo, & divina officia condignè ac devotissimè sacrando, & episcopale ministerium, ut decebat, in omnibus exhortando, & perficiendo, atque complendo, & gratias omnibus famulando. Obiit ergo prædictus vir beatus Victurius Kalend. Septembris, plenus dierum, FAUSTO Juniore & Longino bis Consf. Meruit autem in pace migrare, & ad Christum pervenire, & inter catervas Sanctorum Dei collocari ; cujus oratu humiliter supplicamus nos ab omnibus malis eripi, & ad gaudia æterna transferri, & perpetua frui requie, auxiliante Domino Jesu-Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, amen.



CAPUT VII.

Gesta Domni Principii Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit temporibus Zenonis & Anastasii Imperatorum, & Chlodovei primi Francorum Regis Christiani.

DOmnus Priocipius Cenomannicæ urbis Episcopus, ex Francia natus, nobilibusque ex parentibus est genitus. qui successur exstitit, largiente divina gratia, Domni & præfixi Victurii, prædictæ urbis Episcopi, fraterque sancti Remigii Remensis urbis Episcopi fuit, & cum sancto Remigio diu conversatus est, suisque exemplis & doctrinis instructus pleniterque edoctus, amabiliter Domino & ecclesiæ sibi commissæ meruit famulari. Prædixerat enim eum vox divina Episcopum fore debere ; cujus præsagio suoque merito ipse postea Episcopus fieri post talia meruit. Hic autem inter cetera bona & innumerabilia magnalia, ut fertur, cæcum illuminavit, & matri jugiter flenti videntem reddidit : cujus meritis & precibus alii multi, Domino largiente, à diversis languoribus sunt sanati & pristinæ sanitati restituti. Ipse verò reædificavit ecclesias in parrochia, & à novo fundavit aliquas, & cetera bona tam in ecclesiasticis rebus & ædificiis fecit multa, quàm & in aliis suo ministerio congruentibus ; tam in hospitalibus, quàm & in xenodochiis & ceteris utilitatibus quas sanctæ Dei ecclesiæ necesse inesse cognovit. Tamen non tanta fecit quanta voluit bona & facere disposuit, propter quamdam seditionem & persecutionem tam suorum famulorum, quàm & aliorum sua in parrochia, seu in vicinis & aliis locis degentium. quia tanta persecutio prædictarum insidiarum suo tempore fuit, quantam vix sustinere quivit : & propterea non multa ei ædificare in rebus ecclesiasticis licuit. Attamen quandocumque ei licebat pro prædictis persecutionibus & imminentibus necessitatibus, in divinis cultibus laborabat, & Domino Deo suo se totis nisibus sociabat, eique mirabiliter die noctuque militabat, atque suis servitiis fortiter insistebat : qui & propterea gratiam Domini adipisci meruit. Insuper & à prædictis seditionibus, Domino annuente, multos sua ex parrochia famulos de persequentium jugo & sævientium captione liberavit, & sanctæ matri & suæ sedis ecclesiæ, Christianitatis normæ degenti reddidit. Præfatus enim Domnus Principius Episcopus sapienter nutritus, & cum sancto Remigio, ut prælibavimus, ab infantia conversatus, cujus & carnalis fuerat frater, nihil habuit tepidum, sed sic fuit sapiens, ut inter confabulan-

tes experimentum omnium perhiberetur habere causarum. Perdurabat autem in frigore, similiter & in æstu, plerumque jejunabat, & maxime iiij & vj feria studio suæ bonitatis.

Cotidie verò, nisi gravissima infirmitas immineret, & talis infirmitas quod nullo modo hoc facere posset, Missam celebrabat : sed rarissime contigit ut hoc dimitteret. & sicut ab ipsis didicimus qui cum eo conversare solebant, & suis studiis instruebantur, numquam à die ordinationis suæ cognoverunt diem præterire, ut non Missam aut publicam, aut secretam celebraret, antequam ipsa infirmitas eum præoccupavit, de qua & obiit. Persæpe quidem, ut prædicti sui discipuli nobis retulerunt, ita infirmus Missam celebrabat, ut à duobus suis ministris coram altari sustentaretur : quoniam ipse nullo modo sine alterius amminiculo stare quibat, nec aliter quippe ubicumque conversabatur, quàm Monasterium à prudentibus sui actus esse videbantur. Non ergo ipse episcopalis dignitatis fastigio elevabatur, sed potiùs divino amore succendebatur. Pontificalis namque dignitas, neque sui ministerii magnitudo majus ei desiderium benefaciendi adhibebat, quam elationem aut superfluam dominationem. Maximam enim habebat curam claudorum, debiliumque, sive infirmorum atque pauperum, & reliquorum necessitatem habentium.

Nonnullis autem diebus quando ei locus & licentia erat, non servis aut aliis ministris utens, sed per semetipsum agens, & ad prædictorum debilium & indigentium habitaculum veniens, atque unicuique quod opus haberent præbens. Sic etiam per præfata xenodochia discurrens suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, jus gustans, & olera præparans, offerens coclearia, panem frangens, & eulogias singulis tribuens, ciboſque ministrans, calicem deluens, & alia cuncta faciens, quæ servis & ministris mos est solemniter operari. Quibus bonis semetipsum ædificans, aliisque exemplum præbens, auctori suo placabilem se reddere studuit. Hic fecit in prædicta sede sive in ipsa parrochia ordinationes xxxij. Presbyteros enim sacravit cc v, & levitas atque alios ministros ecclesiasticos quantum necesse prævidit. Insuper & ecclesias sacravit amplius quàm triginta, ex quibus census & luminaria ad matrem & civitatis ecclesiam tam in cera, quàm & in oleo sive treantes persolvere censuit. Obiit ergo xvj kl. Octobris, & sepultus est ab aliis Episcopis & à suis discipulis & ceteris consacerdotibus decenter & honorifice, hymnis Angelicis concinentibus, atque excelse roboantibus in ecclesia Apostolorum ultra fluvium Sartæ, juxta sepulcra prædictorum sanctorum Pontificum Turibii, Pavatii atque Victuri & Victurii. Cujus obitum multa præcesserunt miracula, & subsecuta sunt, quæ hic propter prolixitatem & tædium scriptorum & auditorum non sunt inserta. Sed si quis ea plenius, inquirere desideraverit, in aliis schedulis, in quibus aliorum Pontificum vitæ & miracula prædicta in urbe Domino degentium scripta sunt, invenire poterit. Hic fuit Episcopus in prædicta sede & in jam dicta parrochia annos xxix, mens. j, dies xxj. Cessavit autem prædictum Episcopium post ejus obitum aliquo tempore, propter prædictam perturbationem & ingentem, quæ tunc crassabatur, seditionem. Jam dictus enim Domnus Principius vivit in Christo : cum quo nos Domino tribuente cælestibus in sedibus una cum ceteris sanctis & electis Dei vivere perpetualiter mereamur, per Dominum nostrum Jesum-Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, amen.

CAPUT VIII.

Gesta Domni Innocentis Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit temporibus Anastasii Imperatoris, & Chlodovei primi Francorum Regis Christiani & Childeberti filii ejus.

DOmnus Innocens, natione Gallus, Cenomannicæ urbis Episcopus, successorque prænominati beati successoris, videlicet Domni Victurii præfixæ urbis Episcopi, qui & à fonte eum suscepit, & eum in filium sibi adoptavit, seu fideliter, & pie docuit & enutrivit, atque eum instruendo & sublevando in aliquibus sacris sacerdotii gradibus provehendo ordinavit & sublimavit. Cujus meritis atque eruditionibus, licet non statim, tamen annuente Domino post obitum prædicti in sede patrini sui Victurii & in ejus loco subrogari, atque Episcopus sacrari meruit. Ipse namque post beati viri Severiani antecessoris sui transitum, matrem & civitatis ecclesiam, in qua antedictus sanctus Victurius, B. Martino jubente & ordinante, reliquias sanctorum martyrum Gervasii & Protasii olim cum summo honore multas & innumerabiles virtutes, prædictorum Martyrum Gervasii & Protasii meritis, insigniter demonstrando & faciendo posuerat; quam & antea jam dictus Domnus sanctus Victurius inmajorare & restaurare cœperat, tamen imperfectam appropinquante ejus termino, reliquerat; quæ olim in honore sanctæ Mariæ & sanctorum Apostolorum à beato Juliano primo ejusdem urbis Episcopo sacrata fuerat, inmajorare & amplificare atque exornare studuit.

Præfatus igitur Domnus & sanctus Innocens memoratam matrem & civitatis ecclesiam supradicto prætexto ab arcu qui in jam dictam matrem & civitatis ecclesiam in medio apparet, in orientali parte inmajoravit, & reliquam partem occidentalem ipsius ecclesiæ, quam dudum sanctus Julianus sacraverat, exaltavit; & in orientali parte quæ à prædicto arcu in orientali parte surgit, altare fecit, in quo jam dictas reliquias sancti Gervasii & Protasii honorifice collocavit. Et in sinistra parte ipsius ecclesiæ & prædicti arcus, in quodam membro ecclesiæ ipsius altare sanctæ Mariæ, quod antea à beato Juliano in media ecclesia, in orientali parte constructum atque sacratum fuerat, decenter mutavit, & in honore sanctæ Mariæ reconciliavit atque reædificavit. In dextera verò ipsius ecclesiæ & arcus parte, in quodam membro ipsius matris ecclesiæ ab eo constructo & à novo fundato, altare in honore sancti Petri posuit, & reconciliavit : & taliter in honore mutatum est ejusdem ecclesiæ nomen; propter virtutes scilicet, quæ ibidem innumerabiliter memoriâ sancti Gervasii & Protasii factæ sunt. Nam propterea memoriam sanctæ Mariæ & sancti Petri de prædicta ecclesia non delevit, sed multo magis, sicut à sancto Juliano institutum & sacratum fuerat, concelebrare & adorare monuit, venerabiliterque nomen & memoriam ipsius sanctæ Dei genitricis Mariæ futuris temporibus in ea venerari instituit. Ecclesiam quoque Apostolorum ultra fluvium Sartæ, in qua prædictus Domnus Victurius & ejus successores requiescunt, exaltavit & exornavit; seu in ejus orientali parte absidam novam construxit, in qua propter honorem & decorem sanctæ Dei ecclesiæ, atque propter amorem sanctorum beati sancti Victuri & sancti Victurii ejus filii corpora honorificè collocavit, & juxta eorum sepulturam suam præparavit requietionem.

In ipso ergo loco agmina Monachorum, quæ dudum ibi pollere cœperant, feliciter multiplicavit, & claustra atque ædificia ad hoc opus peragendum mirabiliter operari studuit, & hospitalia pauperum atque receptacula peregrinorum & advenantium ibi construxit, & eorum receptiones atque victualia misericorditer & pleniter constituit, & regulariter ipsos Monachos in eodem cœnobio vivere docuit & instituit, & ad effectum usque perduxit.

Tempore enim supradicti Domni Innocentii Episcopi B. KARILEFFUS de pagu Aurelianensi, de Monasterio in quo Domnus Maximinus insignis Monachus Abbas erat, in Cenomannicam parrochiam artiorem vitam quærens pervenit: ibique supra fluviolum Anisolæ amœnum locum reperiens, in loco quodam qui ab antiquis dicebatur Casa-Gaiani supra fluvium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, ubi Domnus Turibius, ejusdem parrochiæ Pontifex, dudum in rebus senioris & matris civitatis ecclesiæ, cui præsidebat, ecclesiam in honore sancti Petri principis Apostolorum fecerat. Quæ tamen destructa propter imminentes vastationes fuerat; sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ibi erat: ubique ante dictus Domnus Karileffus quoddam tugurium faciens, in circuitu ejus, prout melius potuit, stirpare cœpit. Postquam verò ejus fama atque ejus sanctitas hominibus in circuitu commanentibus nota facta est, à multis tam de rebus propriis, quàm & de aliis bonis mirabiliter est honoratus atque ditatus. A CHILDEBERTO scilicet Francorum Rege de rebus fisci, quantum in une die circuire super asellum suum equitando potuit, est ditatus ac locupletatus. Audiens ergo hoc Domnus Innocens jam dictæ parrochiæ Pontifex, ad præscriptum Domnum Karileffum dignum Dei sacerdotem jam dictus beatus Innocens profectus est, increpans eum, quam ob rem in rebus ecclesiæ suæ, & absque ejus consultu, vel absque licentia cellulam instruere, aut oratorium facere præsumsiseat. Qui valde humilians se contra eum, cœpit deprecari, ut non ei iratus esset, sed magis esset placatus; quoniam suis in manibus, & ecclesiæ suæ, & omnia quæ habebat & inibi condonata vel collata essent, tradere & condonare cupiebat. Cujus preces Domnus Innocens benigne suscipiens, & ei adjutorium de rebus ecclesiæ suæ faciens, non modicum ei præbuit auxilium, qualiter cellulam beatus Karileffus, suo suorumque fultus auxilio, plenius & abundantius construere posset, sive Monachos in ea sub Regula degentes congregare & continere valeret. Sequenti autem die, Domnus Karileffus præfato Episcopo res omnes quæ ei condonatæ fuerant, ut quod prædixerat verum esse monstraret, per strumenta cartarum tradidit. Et se cum omnibus rebus suis, tam eas quas tunc habebat, quàm & eas quas divina pietas in eumdem locum futuris temporibus augere voluerit, matris & civitatis senioris ecclesiæ legaliter & amabiliter subjugavit, & ejus temporibus possidendas prædicto Pontifici, sive successoribus suis dereliquit; censumque annis singulis ad matrem & civitatis ecclesiam persolvere benevolo animo spopondit; id est ad lumen ecclesiæ de cera lib. majores iiij. & ad opus Episcopi cambuttam j, & subtalares ij. & ad opus Canonicorum inibi Deo degentium babticulas argento optimè paratas, & honeste ornatas atque plenas de optimo vino ij. & plenum modium in Cœna Domini de ovis. Hæc autem omnia ita peracta, præscriptam Domnus Innocens ecclesiam in honore sancti Petri principis Apostolorum, in cujus & honore antea à beato Turibio prædecessore suo inibi consecrata & ordinata fuerat, cujus maceriæ adhuc inerant, solemniter dedicavit. Aliud quoque oratorium ibi in honore sancti Martini consecravit: & hoc inter se sanxerunt, & per scriptum confirmaverunt Domnus Innocens & beatus Karileffus, ut nullus alius ibi constitueret Abbatem, nisi Episcopus præfatæ civitatis; & unum semper ex ipsis Monachis per electionem ceterorum inibi constitueret Abbatem, qui etiam dictos census ad prædictam ecclesiam persolveret, & alia servitia, non tamen multum onerosa, ejusdem urbis Pontificibus prout melius potuerit, Domino auxiliante, perficere studeat.

Ipse ergo Domnus Innocens monasteriolum unà cum heredibus HAREGARIO & TRUDANE, atque domna TENIATINA Deo sacrata filia eorum, qui eorum hereditatem ad ipsum monasteriolum construendum cum omni integritate ad ecclesiam sanctæ Mariæ, & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, cui prædictus Pontifex domnus Innocens præerat, tradiderunt, in area ejusdem senioris ecclesiæ, intra fluvium Sartæ & murum civitatis construxit, & prædictis heredibus ad hoc perficiendum tam de rebus Episcopii sui quàm & de aliis supplementis non modicum præbuit adjutorium: & ipsum monasteriolum unà cum eis construxit, & suæ sedis ecclesiæ, suisque successoribus, sicut in eorum instrumentis continetur, legibus delegatum & absque ulla contradictione pacificè possidendum & regendum dereliquit. Ipse verò beato Innocenti & Ecclesiæ sibi commissæ traditus est locus, cum omnibus ad se pertinentibus in pago Cenomannico in condita Labricense, ubi per auctoritatem HILDEBERTI Regis & ejus Reginæ VULTROGODÆ ædificavit monasteriolum in honore sancti Georgii, in quo etiam de ejus proprio corpore magnam partem posuit. Ad prælatum igitur opus perficiendum & ornandum, memoratus Hildebertus Rex & ejus Regina Vultrogoda ex rebus fisci in eorum eleemosyna prædicto Episcopo & jam dicto loco non modicum præbuere adjutorium, sicut in cartis & præceptis memoratæ matris ecclesiæ, & munificentiis, & testamentis præfati domni Innocentii Episcopi hactenus declaratur. Hic autem sedit in prædicta sede annos xlv, menses x, dies xxvj, & fecit in prædicta sede sive in ipsa parochia ordinationes l. Presbyteros enim consecravit cccxviij, & levitas atque alios ministros quantum necesse fuit, qui & in pace obiit xij Kal. Julias. Prædictus verò domnus Innocens in ecclesia Apostolorum ultra fluvium Sartæ, quam ipse emelioravit & exaltavit atque nobiliter decoravit, juxta corpora sancti Victuri & sancti Victurii, ubi sibi sepulturam olim præparaverat, honorificè & condignè à suis consacerdotibus & discipulis sepultus est. Cujus obitum innumerabilia præcesserunt signa, & subsecuta sunt, quæ hic propter prolixitatem & fastidium lectoris vel auditoris non inseruimus: sed tamen si quis ea investigare voluerit, in aliis schedulis, in quibus & aliorum præscriptæ Cenomannicæ urbis Pontificum virtutes insertæ sunt, scripta reperire poterit: qui & vivit cum Christo in æternum, cum quo & nos suppliciter deprecamur, licet immeriti, donante Domino vivere mereamur per infinita sæcula sæculorum, amen.



Sequitur exemplar traditionis vel testamenti, quod fecit sanctus Karileffus, suadente atque hortante præ illo sancto Innocente, de monasteriolo Anisola sancta Cenomannica matri ecclesia, tempore & permissu Hildeberti Regis & Vuldrogoda Regina ejus. quod ideirco in his pontificalibus gestis inserere placuit, ut si, quod absit, aliqua negligentia ipsum authenticum perditum aut concrematum fuerit, his in gestis reperiatur ejus exemplar insertum, per quod sciatur qualiter hoc actum fuerit, sicut in eo habetur insertum.

DUm fragilitas humani generis pertimescit ultimum vitæ temporis subitaneâ transpositione venturâ, oportet ut non inveniat unumquemque hominem imparatum, ne sine aliquo boni operis respectum migret de sæculo. Igitur ego in Dei nomine CARILEFFUS, indignus sacerdos atque monachus, pertractavi de Domini misericordia pro remedium animæ meæ & remissionem peccatorum meorum, ut æternam mercedem in futurum apud Dominum consequi merear, ut aliqua cellula ac monasteriolum ædificare, adjuvante Domino, cœperam, ubicumque locum aptum invenirem. Dum hæc cogitans & mente revolvens, ubi hoc facere poteram, quærendo loca ire cœperam, Domino ducente perveni in pago Cenumanico, in condita Lavarcininse, in loco quodam qui ab antiquis dicebatur CASA-GAYANI, supra fluvium Anisulam, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, ubi domnus Tutibius, ejusdem parrochiæ Pontifica, dudum in rebus senioris & matris civitatis ecclesiæ, cui præsidebat, ecclesiam in honore sancti Petri principis Apostulorum fecerat: quæ tamen destructa propter imminentes necessitates fuerat; sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ipsi erat. Ibique ego Carileffus quærendo loca, ubi auxiliante Domino aliquam cellulam facere ad animas lucrandas atque salvandas remotiori loco potuissem, adveniens, inveni quamdam partem antiquarum maceriarum, ubi & quoddam tugurium faciens in circuitu ejus, prout melius potui, stirpare cœpi. Hæc autem agens, & in eo desudans, quadam die CHILDEBARTUS Rex suam exercens venationem, usque ad nos pervenit; & hæc videns, quamvis ei primo displicuisset, postea verò instigante Domino, cum sua uxore & suis consiliariis cœpit consilium, ut mihi ad hoc perficiendum aliquod faceret ex rebus fisci sui adjutorium. Quod & fecit, atque concessit, ut quantum in una die circuire cum asello meo valerem, totum mihi dedit. In his autem laboriosiùs atque delectabiliùs postea laborare & stirpare, vineasque plantare cœpi, ab aliis etiam nobilibus & francis personis ex rebus eorum ditatus sum. Dum hoc agens & ecclesiam facere cœpi, quodam die domnus Innocens ipsius parochiæ Pontifex ad me veniens, me valde increpavit, quare hoc absque ejus consilio, vel permissu facere auderem, sive in rebus, in quibus antecessores sui olim ecclesiam sub eorum jure & dominatione fecerunt, talia facerem. Qui & me mox recognoscens, erga illum me humiliavi, & quod antea infra me cogitabam, illi patefeci idem, quod & me, & animulas quas ibi lucrare Domino cupiebam, sive res & omnia quæ mihi ex qualibet parte datum, vel traditum fuerat, sive futuris temporibus adquirere meruissem, ecclesiæ civitatis senioria, & ipsi prædicto Pontifici domno Innocenti tradere cupiebam, sub cujus mundiburde vel defensione tam ego, quàm & ipsæ res sive homines ibidem degentes, futuris temporibus esse meruissemus. Cujus manibus me cum aliquibus Monachis qui mecum erant libenter tradidi, & omnes res quas adquirere potui, sive quas in futuro adquirere potuissem, perpetualiter per hæc strumenta cartarum ad possidendum ei vel suis successoribus, per licentiam & permissum sive consensum domni Childeberti, benefactoris mei Regis, una cum suo misso nomine Wilirico Comite legaliter tradidi atque confirmavi. A prædicto enim domno Innocente Episcopo de rebus ecclesiæ suæ idem sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii valde ditatus sum ad ipsum monasteriolum perficiendum, ipsiusque pontificiis adjutoriis fultus, cellulam ibi ædificare merui. Quam ut dictum est, ipsi vel ecclesiæ suæ sedis perpetualiter ad possidendum, jubente & hortante prædicto domno Childeberto Rege, contradidimus atque confirmavimus: eo videlicet modo, ut futuris temporibus Monachi ibi semper regulariter viventes sub potestate Pontificis permaneant, & hoc illis coram Deo committentes, ut ita fiat humiliter supplicamus, ea scilicet ratione atque prætexto, ut rem datam Pontificis, simulque ecclesiasticorum omnium pontificalium, seu publicorum omnium potestate privandas, nullas functiones vel exactiones, neque exquisita & lauda convivia, neque gratiora, vel insidiosa munuscula, neque etiam caballorum partus, aut paravereda, vel angaria, aut quodcumque functionis ritulum judiciaria potestare dici potest, de præscripta facultate penitus non requiratur: sed sub integra emunitate facultaticula, sicut à nobis huc-usque possessa est, in jure Oratorio sancti Petri & sancti Martini, & prædictorum sanctorum Apostolurum, sub jure & potestate ac dominatione sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu-Christi, vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, & eorum Rectoribus atque Pontificibus debeat Deo protegente & opitulante eo nomine insistere. Licet in cessionibus pœnam adnecti non sit necesse, sed nobis pro omni firmitate placuit inserendum. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi, quod absit, aut aliquis de heredibus aut proheredibus nostris, seu quælibet persona calliditate commotus aut cupiditate præventus, ullo umquam tempore comprehensam epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini & veneratione ipsius sancti loci spontanea voluntate fieri decrevimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiversator extiterit, anathema sit; & cum suprascriptis Sanctis ante tribunal Christi de[illegible]cae rationes: insuper inferat juxta pœna sæculi, cum cogente fisco, partibus ipsius ecclesiæ vel eorum Rectoribus auri lib. o. argentum pondera mille solvere faciat, & quod repetit nullatenus valeat vindicare: sed præsens cessio atque voluntas nostra omni tempore inviolata permaneat cum stipulatione subnixa. Et ne hæc cessio firmior habeatur & inviolabiliter conservetur, manu nostra subterfirmavimus, & aliorum bonorum virorum d[illegible]revimus roborari. Actum monasteriolum Anisola. Data viij Id. Januarii anno xiij regnante Childeberto Rege. Ego KARILEFFUS indignus Monachus hanc donationem à me factam subscripsi, & affirmare rogavi. In Dei nomine Turonicæ urbis Episcopus, peccator deprecante Misso Karileffo Monacho subscripsi. In Christi nomine LANDOLENUS Episcopus subs. Ego MAGNOLENUS acsi peccator Episcopus subs. WINIMUNDUS licet indignus Episcopus subs. OLDOMARUS quamvis indignus Episcopus subs. AABO misericordia Christi Episcopus subs. ROTFREDUS indignus subs. In nomine Domini HILDEMANNUS indignus Episcopus subs. Signum GUNDOINO Comite. Signum HOSTREMUNDO Comite. Signum GUNOALENO Co-

mite. Signum WILIRICO Comite. Signum WINTEMARO Comite. In Christi Nomine BARNEHARIUS indignus Episcopus subs. Ego LANUOLENUS Abbas subs. Signum ALUAUVINO Vicecomite. Signum Octrumum. Signum Hildericum. Signum Richardo. Signum Emmonem. Heriardus subs. Signum Inghilgario. Signum Wiltremaro. Signum Beinericho. Ego Winitmundus scripsi & subs.

Sequitur exemplar precaria sancti Innocentis Episcopi, quam fecit sancto Karileffo Abbati de Monasterio Anisola: cujus exemplar idcirco hic inserimus, ut si quod absit, casu aliquo eadem precaria perdita fuerit, exemplar ejus his in pontificalibus gestis insertum reperiatur, per quod recuperatio fiat, & sciatur qualiter actum fuerit.

DOmno sancto ac venerabile sede Apostolico INNOCENTS, Cenomannicæ ecclesiæ Præsule unà, cum sancta congregatione ex ipsa urbe consistente, ego in Dei nomine KARILEFFUS indignus Sacerdos, atque Monachus, precator à vobis accedo. Dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut illud monasteriolum quod est constructum in honore sancti Petri & sancti Martini, & est situm in territurium sanctæ Mariæ Dei genitricis, vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii matris & Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ, in pago Cenomannico, in loco quodam, qui ab antiquis dicebatur CASA-GAIANI super fluvium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, ubi domnus TURIBIUS, ejusdem parochiæ Pontifex, dudum in rebus senioris & matris ecclesiæ civitatis, cui præsidebat, ecclesiam in honore sancti Petri principis Apostolorum fecerat, quæ tamen destructa propter imminentes vastationes fuerat, sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ibi erat, quam ego jam dictos in vestram terram cum vestra licentia & adjutorium ex vestris rebus & aliorum bonorum virorum meo opere ædificavi; per vestrum beneficium, sub usufructuario ordine temporum vitæ meæ, cum omnes res ad se pertinentes, vel aspicientes mihi tenere permisistis, & censum annis singulis ad matrem civitatis ecclesiam persolvere ejus Pontificibus atque Rectoribus, id est ad lumen ecclesiæ de cera lib. iiij, & ad opus Episcopi cambutta j, & subtalares ij, & ad opus Canonicorum tibi Deo degentium buticulas duas paratas, plenas de optimo vino, & in Cœna Domini plenum modium de ovis: & si negligens aut tardus de ipso censu apparuero, fidem exinde faciam, & ipsum monasteriolum tempore vitæ meæ non perdam; & alicubi nec vendere, nec donare, nec alienare pontificium non habeam, nisi sub jure & potestate ac dominatione sanctæ Mariæ, & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, vel eorum Pontificibus atque Rectoribus permaneat. Et post meum quoque, Deo jubente, de hac luce discessum, absque ullius judicis consignatione, aut heredum nostrorum contradictione, jam dictum monasteriolum cum omni integritate, & res ad se pertinentes vel aspicientes, vos aut Rectores successores vestri in vestram faciatis revocare potestatem vel dominationem. Et ut precariæ uno tenore conscriptæ, una quæ in thesauro civitatis ecclesiæ recondita sit, & alia quam ego Karileffus à vobis accepero, firmiorem obtineant vigorem, manus nostras proprias subterfirmavimus, & bonorum virorum decrevimus roborare. Actum Canomannica civitate publicè. Data xv Kal. Februarii, anno xiiij regnante Childeberto Rege. Ego INNOCENS, licèt indignus Episcopus, hanc precariam à me factam subs. HILUSMANUUS indignus Abbas subs. ROTPAEUUS Archipresbyter subs. HELENUS Presbyter subs. Harigaudus Diaconus subs. Odilo Presbyter subs. Bernericus Diaconus subs. GOOTSCALCUS Abbas subs. Atto Diaconus subs. Wiocmundus Levita subs. Ostremundux Presbyter subs. Ebrenus Subdiaconus subs. Winegaudus Diaconus subs. Berto Presbyter subs. Signum HARIGAUDO Advocato. Signum BARNARDO Vicecomiti. Signum Winecemari. Signum Jonam. Signum Turpingo. Signum Ostrevino. Signum Hagamne. Alcuinus subs. Serulus Presbyter subs. Godalmandus Levita subs. Ego Leodevaldus notarius hanc præcipiente Innocente Episcopo scripsi & subs.

Sequitur exemplar præcepti quod Childebertus Rex super prædictam precariam & de monasteriolo Anisola, sancto Innocente Episcopo & sancto Karileffo Abbati firmitatis causa fecit, sicut in eo habetur insertum, cujus exemplar supradicto prætexto hic inserere necesse fuit.

CHILUXBERTUX Rex Francorum vir inluster. Si petitionibus servorum Dei vel bonorum hominum quæ nostris auribus fuerit relatum, augmentum præstamus, & eas ad effectum perducimus, hoc nobis ad æternæ salutis præmium vel stabilitatem regni in Dei nomen pertinere confidimus. Igitur inluster vir domnus KARILEFFUS, Sacerdos atque Monachus, directa petitione clementiam regni nostri asserens, nobis intimavit, eo quod ante hos dies in terra sanctæ Mariæ vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, matris & Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ, una cum consensu Innocenti, Cenomannicæ urbis Episcopi, vel ejus congregatione, monasteriolum quoddam, prædicto Episcopo consentiente, seu adjutorium non modicum præstante, in honore sancti Petri & sancti Martini super fluvium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, qui ab antiquis dicebatur CASA-GAIANO, construxit vel ædificavit, & res atque mancipia quæ ad ipsum monasteriolum tam à nobis, quàm & ab aliis bonis & Deo timentis hominibus traditæ sunt, tam in pago Cenomannico, quàm & in aliis pagis atque terratoriis, cum omnibus adjacentiis earum, vel appendiciis, cum omni re inexquisita, ad prædictam matrem & civitatis ecclesiam, quæ est in honore sanctæ Mariæ vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, vel domno Innocente prædicto urbis Episcopo, qui ibidem ad præsens custos & rector præesse videtur, ipsas res nostro ex permissum, sive per nostram licentiam & auctoritatem, per sua strumenta tradidit, atque delegavit. Ideoque petiit celsitudinis nostræ, ut hoc per nostram auctoritatem plenius confirmare fecissemus. quorum petitionibus gratanter assensum prestavimus. Præcipientes enim jubemus, ut sicut jam dictus domnus Carileffus Monachus ipsum monasteriolum quod in ipsam sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii ædificavit, una cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, pecoliis, pecuniis, mobilibus & immobilibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, ad ipsa casa Dei per sua strumenta tradidit & delegavit, seu quod nostris & futuris temporibus ad eumdem locum traditum fuerit, & hoc ad præsens ibidem recti ordine videtur esse possessum, vel dominatum, ita & inantea, inspecta ipsa epistola donationis, per hoc præceptum plenius in Dei nomine confirmamus monasteriolum superius nominatum, cum omni integritate ad ipsa prædicta casa sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii martyris nostris

ftris ut futuris temporibus jure firmissimum proficiat in augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, & in omnibus conservetur, manus nostræ subscriptionibus eam subter decrevimus roborare. Childebertus Rex Francorum subs. Adogrimus jussus obtulit, scripsit & subscripsit. Datum dies octo quod facit mensis Junius, anno xv regni nostri, Opatinaco * in Dei nomine feliciter, amen.

* L. Capturaco.

Sunt etiam & aliæ cartæ vel testamenta de eadem re, quæ hîc propter prolixitatem non inseruimus: conservantur tamen hactenus in archivo nostræ matris ecclesiæ, sicut est carta commendationis, qualiter se domnus Carilefus, per licentiam sui Abbatis, exhortante domno Avito, una cum suis Monachis subdidit ecclesiæ civitatis, & in manus sancti Innocentis Episcopi duabus vicibus se tradidit. Et sicut est carta donationis de rebus & villulis, & auro, & argento, & vestimentis tam ecclesiasticis, quàm & aliis, sive libris, & crucibus, & capsis & reliquiis sanctorum multorum, quæ domnus Innocens in adjutorium ad monasterium Anisolæ construendum & ornandum domno Carileffo & suis monachis per scripturam tradidit. Et sicut est carta de conventionibus sancti Innocentis & sancti Carilefi mitæ magnitudinis conscripta, & à xv Episcopis firmata, ut eorum conventiones nullo modo irritæ fierent, sed per omnia stabiles permanerent. Quæ hîc, ut prædictum est, propter prolixitatem scribere distulimus. Dilexerunt enim se sanctus Innocens & sanctus Carileffus oppido invicem, & semper meditabantur, qualiter Deo animas lucrarentur: quod & Domino auxiliante facere meruerunt. Unde & regna cœlorum adipisci meruerunt; ubi nos eorum precibus pervenire, & cum eis ibidem lætari mereamur, ipso auxiliante, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, amen.

Sequitur exemplar traditionis, quam fecit Haregarius & conjux sua, & Deo sacrata filia eorum, de rebus suis & de cellula sanctæ Mariæ ad matrem & civitatis ecclesiæ sanctæ Mariæ & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii & Innocenti Episcopo.

Dum fragilitatis humani generis pertimescit ultimum vitæ tempore, subitanea transpositione ventura, oportet ut non inveniat unumquemque hominem imparatum, ne sine aliquo boni operis respectum migrat de sæculo, nisi dum suo jure & potestate consistit, præparet sibi viam salutis, per quam ad æternam valeat beatitudinem pervenire. Idcoque ego in Dei nomine Haregarius, & conjux mea Trud, & filia nostra Lenssina Deo sacrata, unanimiter consentientes pertractavimus de Dei misericordia pro remedium animæ nostræ & remissionem peccatorum nostrorum, ut æternam mercedem in futurum apud Dominum consequi mereamur, ut aliqua cellula ac monasterium in territorium sanctæ Mariæ Dei genitricis & Domini nostri Jesu-Christi, vel sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, construere ac ædificare deberemus. Quod ita & fecimus: quem apud domno ac venerabile sede Apostolico Innocenti, Cenomannicæ ecclesiæ Præsule deprecavimus, una cum sancta congregatione in ipsa urbe consistente, ut per beneficium nobis concederet de rebus sanctæ Mariæ, vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, per licentiam jam dicti Pontificis construere debeamus. Et omnes res nostras, atque mancipia, quem ex legitima successione nobis obvenerint, totum & ad integrum ad jam dictum monasterium, per hoc testamentum conditionis tradidimus atque confirmavimus: & post nostrum discessum, jam dicta ecclesia sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii Cenomannis civitate constructa, vel ejusdem Pontificis heredes instituimus, & eos appellare volumus. Cujus petitionis libenter animo suscepimus, & concessimus eis per nostrum beneficium ipsam aream ad ipsum monasterium faciendum, & de rebus sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii, villas duas in augmentum, ad ipsum monasterium construendum, ut melius valeant hanc cellulam construere, ac ædificare. Et dedimus inter nos fidejussores Bernardum Episcopum, & Landolenum Abbatem, & Gunduinum Comitem, per libras quingentas de auro pensante: & si aliquis de nos de hac convenentia se mutaverit, vel retraxerit, pari suo solvere faciat, ea scilicet conditione, ut cum omni re emeliorata vel supra posita, ad partibus sanctæ Mariæ, & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii Cenomannis civitate, vel ejusdem Pontificis, ipsum monasteriolum cum omnes res ad se pertinentes vel aspicientes, tam illas quem nos ad ipsum locum sanctum tradidimus atque confirmavimus, quàm & illas quæ de rebus nostris per vestrum beneficium à vobis accepimus, absque ullius judicis consignatione, aut heredum nostrorum contradictione, cum omni integritate in vestram faciatis revocare potestatem vel dominationem. Et censivimus annis singulis ad festivitatem sancti Gervasii & Protasii, quod est xiij Kal. Julias, de argento libras transsolvere faciamus. & post nostrum, Deo jubente, de hac luce discessum, sicut superius insertum est, vos aut Rectores Præsules, successoresque vestros in vestram faciatis revocare potestatem vel dominationem, ea scilicet ratione atque prætexto, ut rem data Pontificis simulque ecclesiasticorum omnium pontificalium seu publicorum omnium potestate privandas, nullas functiones vel exactiones, neque exquisita & lauda convivia, neque gratiosa vel insidiosa munuscula, neque etiam caballorum pastus, atque paraverеda, vel angaria, aut in quodcumque functionis titulum judiciaria potestate dici potest, de ipsa facultate penitus non requiratur: sed sub integra emunitate facultaticula, sicut à nobis huc-usque possessa est, in jure oratorio sanctæ Mariæ & prædictorum sanctorum Apostolorum sub jure & potestate & dominatione sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu-Christi, vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, & eorum Rectoribus atque Pontificis, debeat Deo protegente & opitulante consistere. Licet in cessionibus pœnam adnecti non sit necesse, sed nobis pro omni firmitate placuit inserendum. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi, quod absit, aut aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, seu quælibet persona calliditate commotus, aut cupiditate præventus, ullo umquam tempore comprehensam epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini & venerationc ipsius sanctiloci spontanea voluntate fieri decrevimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiversator extiterit, anathema sit; & tam qui fecerit, quàm qui faciendo consenserit, anathema sit; & cum suprascriptos Sanctos ante tribunal Christi deducat rationes, insuper inferat juxta pœnas sæculi, cum cogente fisco, partibus ipsius ecclesiæ vel eorum Rectoribus auri libras quingentas, argentum pondera mille transsolvere faciat, & quod repetit nullatenus valeat vindicare, sed præsens cessio, atque voluntas nostra omni tempore inviolata permaneat, cum stipulatione subnixa. Et ut hæc cessio firmior habeatur, & inviolabiliter conservetur, manus nostras subter firmavimus, & aliorum bonorum virorum decrevimus roborari. Actum Cenomannis civitate publica. Data v Nonas

Anaect Ii

Maii anno ij regnante CHILDEBERTO Rege. Signum HARIGARIO. Signum TRUDANE uxore ipsius. Signum TENESTINA filia ejus Deo sacrata, unanimiter consentientes, qui hanc cessionem vel donationem à nobis facta fieri vel roborari decrevimus. Ego INNOCENS acsi indignus peccator Episcopus à me facta subscripsi. In Christi nomine LANDOLANUS indignus Episcopus subs. Ego MAGNOLENUS acsi peccator Episcopus subs. WINIMUNDUS licet indignus Episcopus subs. ODALMARUS quamvis indignus Episcopus subs. Abba misericordia Christi Episcopus subs. In nomine Domini HILDEMANNUS indignus Episcopus subs. GOTFRIDUS indignus Episcopus subs. Signum GOSBODINI Comite. Signum OARRAMUNDI Comite. Signum WINITMARCI Comite. Signum GUNDUINI Comite. In Christi nomine BARARUUS indignus Episcopus subs. Ego LANDOLENUS Abbas subs. Signum ANSLUVINS Vicecomite. Signum Ostrumi. Signum Hilderici. Signum Richardi. Signum Emmoni. Heriard. subs. Signum Inghilgarii. Signum Winctmari. Winctmundus scripsi & subscripsi.

Sequitur exemplar precaria, quam fecit sanctus Innocens Episcopus Domna Tenestina de Monasterio sancta Maria.

DOmno sancto ac venerabile sede Apostolico INNOCENTE, Cenomannicæ ecclesiæ Præsule, una cum sancta congregatione ex ipsa urbe consistente, ego in Dei nomine TENESTINA Deo sacrata, filia quondam HARIGARIO & TRUDANÆ precatrix à vobis accedo. Dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut illud monasteriolum quod ædificare cœperas pater meus & mater mea, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & sanctorum Apostolorum, & imperfectum dimiserunt, quod est situm in terratorio sanctæ Mariæ, vel sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, juxta murum Cenomannis civitate, supra fluvium Sartæ, quem genitor meus apud vos & vestram congregationem deprecatos fuit, ut eis per beneficium licentiam dedissent in ipsam aream monasterium facere, & jam dictus genitor meus ipsam de rebus suis propriis hereditariis incœpit construere vel ædificare, vel quantum de suis propriis rebus habuit, totum ad jam dictum monasteriolum per strumenta cartarum legibus confirmavit atque delegavit, sub jure & potestate ac dominatione sanctæ Mariæ, vel sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, vel ejusdem Præsules, ut quod Pontificis instituit atque heredes appellavit. Et pro hac causa ego jam dictus Pontifex, una com sancta congregatione ibidem consistentes, per hanc precariam tibi ipsum incœptum monasteriolum, una cum ipsas res ad se pertinentes vel aspicientes, tam illas quem nos de rebus sanctæ Mariæ vel sancti Gervasii & Protasii in augmensum ad præsenti loco construendum per beneficium condonavimus; quàm & illas quem genitor vel genitrix mea per strumenta cartarum ibidem legibus tradiderunt atque confirmaverũt, tempore vitæ meæ, ad usufructuario ordine, per vestrum beneficium tenere permittimus: & censivimus vobis annis singulis ad festivitatem sancti Gervasii & Protasii, quod est xiij Kal. Julius, vestitos duos, & capas duas episcopales, & de argento libra transsolvere facias; & si negligens aut tarda de ipso censo apparueris, fidem exinde facias, & ipsum incœptum monasteriolum tempore vitæ tuæ perdere non debeas, & ubicubi nec vendere nec donare nec alienare pontificium non habeas, nisi sub jure & potestate ac dominatione sanctæ Mariæ vel sanctorum martyrum Gervasii & Protasii permaneant. Et post tuum quoque, Deo jubente, de hac luce discessum, absque ullius judicis consignatione aut heredum nostrorum contradictione, jam dictum incœptum monasteriolum cum omni integritate, vel res ad se pertinentes vel aspicientes, in vestram faciatis revocare potestatem, vel damnationem. Et ut hae precariæ uno tenore conscriptæ, una quæ in thesauro sancti Gervasii & Protasii recondita sit, & alia, quam ego Tenestina Deo sacrata à vobis accepero, firmam obtineant vigorem, manus nostras proprias subterfirmavimus, & bonorum virorum decrevimus roborare. Actum Cenomannis civitate puplica. Data v Kal. Maii, anno aiij regnante Childeberto Rege. Ego INNOCENS Episcopus hanc precariam à me factam subs. HILDEMANNUS Abbas subs. ROTFRADUS Archipresbyter subs. Electus indignus Presbyter Subs. Rodolenus Presbyter Sub. Harrgaudus Diaconus subs. Bernaricus Diac. subs. Odilo Presbyter subs. Atto Diaconus subs. GODISCALAUS Abbas sub. Winctmundus Levita subs. Ostremundus Presbyter subs. Euremus Subdiaconus sub. Winegaudus Diaconus subs. Berto Presbyter sub. Signum HARIGAUDO Advocato. Signum BERNARDO Vicecomite. Signum Winetmarcu. Signum Ermunio. Signum Jonam. Signum Turpingo. Signum Ostrevini. Signum Hagenoni. Signum Gaurivinus. Serulus Presbyter subs. Signom Inghilmarus. Godalmandus Levita subs. Egn Levaldus notarius hanc precariam præcipiente Innocensi Episcopo scripsi & subscripsi.

Sequitur exemplar præcepti quod fecit Childebertus Rex Francorum vir illuster super traditionem Haregarii, & conjuga sua Trudana, & filia eorum Tenestina Domino sacrata, id est de cellula sancta Maria & de omnibus rebus quas ad liderit admatrem civitatis ecclesia sancta Maria, & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, & Innocenti Episcopi.

CHILDEBERTUS Rex Francorum, vir illuster. Si petitionibus ancillarum Dei vel bonorum hominum, quæ nostris auribus fuerant relata, augmentum præstamus, & eas ad effectum perducimus, hoc nobis ad æternæ salutis præmium, vel stabilitatem regni sui Dei nomine pertinere confidimus. Igitur illuster vir HARAGARSUS & uxor ejus TRUDA, sive filia eorum TENESTINA Deo devota, directa petitione clementia regni nostri asserentes, nobis per eorum missos intimaverunt, eo quod ante hos dies in area sanctæ Mariæ & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, matris & Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ, una cum consensu INNOCENTI Cenomannicæ urbis Episcopi, vel ejus congregatione, monasteriolum quoddam prædicto Episcopo consentiente, seu adjutorium non modicum præstante, in honore sanctæ Mariæ & sanctorum Apostolorum, tam infra civitatem, quàm & infra murum civitatis & fluvium Sartæ construere cœperunt; & locella propriesatis eorum, tam in pago Cenomannico, quàm & in aliis pagis, cum omnibus adjacentiis earum, cum omnibus appendiciis, com omni re inquisita, ad prædictam matrem & civitatis ecclesiam, quæ est constructa in honore sanctæ Mariæ & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, vel domno Innocenti, prædictæ urbis Episcopo, qui ibidem ad præsens custos & rector præesse videtur, ipsas res per eorum strumenta delegaverunt. Ideoque petierunt celsitudini nostræ, ut hoc per auctoritatem nostram plenius confirmare fecissemus: quorum petitionibus gratanter adsensum præstavimus, & in omnibus confirmavimus. Præcipientes enim, ut sicut jam dictus Ha

regarius, & uxor ejus Truda, sive filia eorum Tenestina Deo sacrata, ipsa loca hereditatis eorum, una cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, peculiis, præsidiis, mobilibus & immobilibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, ad ipsa casa Domini per strumenta juste & rationabiliter delegassent, & hoc ad presens ibidem recto ordine videtur esse possessum; ita & inantea inspecta epistola donationis per hoc præceptum plenius in Dei nomine confirmamus ipsa loca superius nominata, cum omni integritate earum, ad ipsa casa sancti Gervasii & Protasii martyris, nostris & futuris temporibus jure firmissimum proficiat in augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, & in omnibus conservetur, manus nostræ subscriptionibus eam subter decrevimus roborare. CHILDEBERTUS Rex Francorum subscripsit. ADOGAIMUS jussus obtulit & subscripsit. Datum dies viij quod facit præsens mensis Junius, anno vij regni nostri, Opatinaco* in Dei nomine feliciter, amen.

* l. Captunaco.

CAPUT IX.

Gesta domni Domnoli Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit tempore ultimo Childeberti & Clotharii, atque primo tempore Chilperici filii ipsius Clotharii, qui fuerunt Reges Francorum.

DOminus DOMNOLUS Cenomannicæ civitatis Episcopus, natione... nobilibus ex parentibus ortus, successor beati Innocentis, ejusdem urbis Præsulis, qui propter amorem Dei, patriam atque omnem possessionem suam relinquens, profectus est Romam, limina beatorum Apostolorum causa orationis visitaturus: inde quoque remeans, usque ad Cenomannicam civitatem Domino ducente pervenit. Ipsa ergo civitate & populo ipsius parrochiæ indigente Pontifice, & aliquo tempore absque Episcopo vacante, prædictum domnum Domnolum, jam Pontificem ordinatum, gratulanter in pontificatus ordinem, Domino inspirante susceperunt. Et principes ejusdem regionis, atque sacerdotes, sive clerici, vel nobiles omnes ipsius parrochiæ eum deprecati sunt, ut ipsam ad regendum susciperet civitatem, & clerum vel cunctum populum episcopali ordinatione & regimine ordinaret & regeret, sive Domino multipliciter lucraretur. Qui & hoc invitus, & à clero vel populo coactus, licet nolens, humiliter tamen suscepit officium; & non modicum eis omnibus cuncto tempore vitæ suæ pontificale præbuit amminiculum. Hic igitur in cellula, in qua beatus JULIANUS primus jam dictæ urbis Episcopus corpore requiescit, juxta monasterium scilicet sancti Victurii, prope fluvio Sartæ, monachorum normam, quæ dudum ibi florere cœperat, mirifice amplificavit, & ferme quinquaginta monachos inibi regulariter degere constituit; plenaque eis victualia in omnibus necessitatibus eorum, sive peregrinorum, atque adventantium fratrum adimplens, docte supplevit, & eos regulariter vivere docuit. Antedictus namque beatus Domnolus Pontifex monasteriolum in honore sancti Vincentii & sancti Laurentii martyrum Christi, juxta urbem constituit, & ad effectum usque perduxit. Ad dedicationem quoque ipsius monasterioli ecclesiæ beatum GARMANUM Parisiacæ civitatis insignem Episcopum vocavit, & cum ejus consensu & deprecatione cleri ipsius civitatis & populi illius urbis parrochiæ, & com consensu eorum, de rebus sanctæ Mariæ & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii matris ejusdem civitatis ecclesiæ jam dictum monasteriolum, quod suo opere & labore à fundamento ædificaverat, dotavit, & villas sui Episcopii ad eamdem ecclesiam, quam in eodem monasterio, una cum beato Germano præfixæ Parisiacæ civitatis insigni Episcopo, sollemniter in honore sanctorum prædictorum martyrum sancti Vincentii & sancti Laurentii Kal. Novembris dedicaverat, dedit; & in ea caput beati Vincentii, & magnam partem craticulæ, super quam sanctus Laurentius assatus est, honorifice collocavit. Per cartarum verò strumenta, ut dictum est, consentiente universo clero vel populo, & domno Germano assensum præbente, villas sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii ad eamdem, ceu dictum est, tradidit ecclesiam. Subscribente autem beato Germano ipsum testamentum, sive sacerdotibus, & clericis ejusdem civitatis & parrochiæ ipsius non paucis, sicut in eodem hactenus testamento continetur, id est villam sanctæ Mariæ & sancti Gervasii, Tritionem, cum omni integritate, quam dudum Habundantius & Mallaricus diaconus per prædicti Episcopi domni Domnoli beneficium tenebant; & villam Fraxinidum, quam Aper sacerdos in ejus beneficio habebat; & Bueus villulam sui Episcopii, cum omnibus ad se pertinentibus, quam Euthenus presbyter per beneficium prædicti domni Domnoli habebat. Pari modo & pratum supra fluvium Sartæ, una cum campo juxta posito, quem Habundantius à domno Domnolo jure beneficiario adipisci meruit; & alias villas, quæ in prædicto testamento insertæ esse noscuntur, insigniter ad præscriptam tradidit ecclesiam. Multi enim nobiles, tam in præsenti, quàm & in sequenti tempore, eorum hereditates ad prædictam ecclesiam sancti Vincentii & Laurentii legaliter subjugaverunt. Ipsum autem monasteriolum subditum, cum omnibus ad eum pertinentibus, jam dictus domnus Domnolus suæ sedis ecclesiæ subjugavit, & suis successoribus ecclesiastico ordine pacificè ad regendum & gubernandum dimisit, itaque perennis temporibus ad matrem & civitatis ecclesiam, & Pontificibus ibidem atque clericis Deo degentibus habere futuris constituit temporibus. Sæpe dictus scilicet beatus domnus Domnolus Episcopus, cellulam ultra fluvium Sartæ, & synodochium in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ mirabiliter & sapienter operatus est, & eam ex rebus prædictæ matris & civitatis ecclesiæ dotavit, & receptiones pauperum, & adventantium, sive omnium indigentium, quum ipsa civitate talem propter custodiam civitatis non poterant habere receptionem, sicut in illo loco, ubi prædictum facit synodochium. Ibi enim monachos xiv sub Regula degentes constituit, ut & ibi pauperes recrearent, & omnes hospites condigne & amabiliter susciperent, & ipsi sanctè & regulariter viverent. In eodem videlicet prædicto synodochio monachum suum probatissimum, domnum videlicet PANUINUM, qui tunc Præpositus de sancto Vincentio erat, Abbatem constituit; & sibi seu omnibus successoribus suis perpetualiter inibi synodochium mirabiliter ornavit, ut hospitale ejusdem urbis Pontificibus futuris semper foret temporibus, & sub commutationis detestatione hospitale esse instituit, & sequentibus temporibus ecclesiæ suæ sedis cum omnibus ad se pertinentibus subjugatum esse instituit. Ipsius quoque beati Domnoli Episcopi tempore cellulam una cum sua ecclesia, quæ est constituta in honore sancti Martini, infra civitatem, juxta matrem videlicet ecclesiam ipsius civitatis, EULALIUS presbyter, & BOONMALLA Deo sacrata, prædictam cellulam sancti Martini, quam in suo proprio construxerant, & illam de suis villulis hereditaverant, id est Morniaco, & villa Levaste ac Popiliaco. Acciaco quoque & Veraciaco, ac Nulliaco, sive potius una cum aliis villis, de rebus suis legaliter dotaverunt; & postea cum omnibus ad

se pertinentibus ad matrem ipsius civitatis ecclesiam per eorum cartulas legaliter firmuerque, & ipsi domno Domnolo Episcopo tradiderunt. Præfatus igitur domnus Domnolus Episcopus emit unam partem villæ, ex thesauro ecclesiæ sibi commissæ: alia veró pars de suo Episcopio erat, cujus vocabulum est Canon, quam & per licentiam Canonicorum suorum monachis in ecclesia sancti Vincentii & sancti Laurentii, quam ipse à novo fundaverat, regulariter degentibus per suum strumentum dedit. Nam ut sub potestate ipsius urbis Episcopi, tam ipsi Monachi, quàm & ipsæ res, in eorum tamen usu disponente Episcopo, futuris persisterent temporibus, contradidit, sicut adhuc in ipso strumentu traditionis inventri potest. Hîc sedit in prædicta sede annos alvj, menses xj, dies xxiv, & fecit ordinationes lxxv, presbyteros ccc lx, diaconus cc l. & reliquos ministros sufficienter. Cujus in vita multas ejus meritis Dominus virtutes ostendie, sicut in ejus vita liquet: & post ejus obitum, in loco sepulturæ ejus, id est in prædicta sancti Vincentii ecclesia, innumerabiles virtutes operatus est. Obiit enim prædictus beatus domnus Domnolus in pace, plenus dierum Kal. Decembris, qui cum Christo vivit in æternum, & cum sanctis regnat in gloria, cum quo & nos vivere auxiliante Domino humiliter supplicantes, mereamur per infinita sæcula sæculorum, amen.

Sequitur exemplar testamenti monasterii sancti Vincentii, & præfati domni Domnoli: quod ideo hic in gestis inserere libuit, ut si, quod absit, aliqua negligentia illud perditum, aut concrematum fuerit, hic reperiatur insertum, ut per illud sciatur qualiter hoc egerit, & qualiter prædictum monasterium sancti Vincentii fundaverit & qualiter ex rebus sui Episcopii consilio sancti Germani & aliorum Episcoporum, seu multorum nobilium virorum dotaverit, sicut in eo habetur insertum.

DOmno venerabili ecclesiæ Cenomannicæ clero, DOMNULUS Episcopus. Congruum nobis fuit, ut votum desiderabile in caritatis vestræ notitiam poneremus, quis si consensus vester cordis nostri & decreta nostra adnectere se voluerit, credimus nullius ullo umquam tempore contrarietate à nobis pariter firmata posse convelli. Cum pro salute populi, vel custodia civitatis, reliquias domni ac venerabilis sancti Vincentii martyris, intercedente præsumtione ausi fuerimus deferre, cum Dei adjutorio vel vestro, eisdem locum dignitatis ereximus in culmine; ita petimus, ut vestro pariter ditetur & munere; & si consensus vester vobis contulerit claritatem, hanc paginolam donationis, vestro quæsumus ut firmetur robore. Damus ergo ipsius domni Vincentii ecclesiæ, donatumque esse volumus villam cognominatam Tritiunem, quam HABUNDANTIUS quondam visus est tenuisse per loca designata, sicut Tritio usque Brivas defluit in Viduam, & usque terminum Proliacensem, subjungente ad se adjacentia Saturniacense; inde per viam Saturniacensem pervenit ad Waota usque campum Daulfum: deinde à Brialocensurio, usque ad domum Mere: inde à campo Locogiacensi pervenit ad ipsum Tritionem, cum id quicquid Mallaricus diaconus noster tempore vitæ suæ usufructuario possidere videtur, cum agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, cum mancipiis his nominibus, Leudomadum cum uxore sua nomine Leudomalla, & infantulam Luomeri, Leudulfum, item Leudulfum, Chariobaudum, Vinofrede, & Mogiane. Damus etiam gregem equinum, quem Allomeris intra terminos ipsos commanens custodire videtur. Itemque & villam Fraxinetum, quam bonæ memoriæ Aper presbyter tenuit, cum Brojallos Marcelliacenses, cum vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cum accolis x in ea commanentes. Hæc omnia damus in rebus ecclesiæ & usu eorum, quicumque opportuni ad domum ipsam serviendum fuerint, quos per adsignationem LAUDERICI defensoris vestræ ecclesiæ possidendos præcipimus, cum mancipiis, his nominibus, Launovethum, Fœdulum cum uxore Taligia, Sesulfum, Cartinum, cum uxore Leudomalla, & filio Leudoghisilo, cum filia Childegunda, Pupa cum filiis, Pupilunio cum porcis quos custodit, Leudomadum, Mundofœdam, & Leudomandam, comlibertos omnis jam dicti presbyteri. Parimodo & locellum ad Buceus, quem de EUTHSARCO presbytero accepimus, cum mancipiis qui ibidem excolere videntur. Pratum intra vivarium, supra ripam Sartæ situm, quem Habundantius vel actores ecclesiæ visi sunt tenuisse, Childigillum puerulum cum armento pecorum quem ipse custodire videtur, & campum adjacentem ad memoratum pratum, quem nostro opere fecimus, Sescimundum cum uxore sua Viciliare. Hæc omnia per hanc paginam donationis, quam Arnulfo diacono unanimiter rogavimus conscribendam, volumus ut nuncupata basilica habeat, teneat, possideat. Et quicumque loci ipsius dignitatem peperit *, jure hereditario perpetualiter sibimet vindicet possidendum. Si verò ullo umquam tempore aut Pontifex civitatis, aut qualibet persona à nobis donata vel tradita de dominatione basilicæ ipsius abstrahere voluerit, inducat maledictionem pro benedictione, & Domini nostri Jesu Christi, vel omnium sanctorum incurrat offensa; & voluntas nostra perpetim auxiliante Domino capiat firmitatem. Actum Cenomannis civitatis anno xj regni domni nostri CHILPERICI Regis, pridie Non. Martias. DOMNOLUS peccator subscripsi. GERMANUS peccator rogante clero Cenomannis subscripsi. DINAMIUS peccator consensi & subscripsi. DRAUICO presbyter subscripsi. INJURIOSUS peccator subscripsi. METRIUS presbyter consensum nostrum subscripsi. Cænnus diaconus consensum nostrum subscripsi. Romolus diaconus consensi & subscripsi. Datdus diaconus consensum nostrum subscripsi. Nox diaconus subscripsi. Sennovetus diaconus consensi & subscripsi. Theodulfus peccator consensi & subscripsi. Affar presbyter consensi & subscripsi. Dotus presbyter consensum nostrum subscripsi. Populonius presbyter consensi & subscripsi. Leudoveus presbyter consensum nostrum subscripsi. Secrius peccator consensi & subscripsi. Leudoveus presbyter. Daurad. presbyter consensum nostrum subscripsi.

* l. perceperit.

Item exemplar quòd domnus Domnolus de villa Canon, per consensum Canonicorum suorum, ad ecclesiam sancti Vincentii fecit anno xx regni domini nostri Chilperici gloriosi Regis, pridie Nonas Septembris.

EGo DOMNOLUS in Christi nomine Episcopus. Cum evocassem domnum & fratrem meum AUNOVEUM Episcopum Andegavæ civitatis visitare sancta limina patroni peculiaris mei VICTORIS Episcopi, immo & sollemnitatem ipsius celebrare, cum consensu omnium fratrum meorum presbyterorum, quia ante tempus testamentum meum condidi, & in ipsum voluntatem meam adhuc non complevi; quod in eo conscriptum videtur bonum, volo ut in omnibus conservetur, & hæc paginola plenum acci-

piat opto roborem. Dono igitur basilicæ sanctorum Vincentii & Laurentii, quem meo opere construxi & ædificavi pro salvatione civitatis & populi, præter colonitam cognominatam Pontificim, Canon com agris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, & mancipiis, Wardum cum uxore sua vel infantibus eorum, qui ibidem nunc commanere videntur, ut ab hodierna die Abbas antedicti loci ad stipendia fratrum nuncupatæ basilicæ faciat revocare, & sub jure memoratæ Cenomannensis ecclesiæ justè & legitimè esse debere censeo. Et peto, ut post obitum meum, qui Abbas fuerit ordinatus in loco præfato, commemorationem meam annis singulis adimplere procuret. Ideo tibi Nsviaros diacone ac defensore nostræ Ecclesiæ indico atque jubeo, hoc tua traditione, sicut nunc ab Ecclesia possidetur, cum omni soliditate vel adjacentia sua, Leuso Abbati facias consignari. Hoc verò inferendum rogavi, ut qui voluntati meæ obvius esse voluerit, maledictionem illam incurrat, quam Propheta in psalmo c viij Judæ cantavit: *Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alius.* Et præsens pagina maneat inconvulsa, quam pro rei firmitate manu propria subscripsi, & domnis & fratribus meis muniendam rogavi. Domnolus peccator subscripsi. Audovaus peccator rogante domno Domnulo Episcopo subscripsi. Theodulfus peccator subscripsi. Annulfus presbyter subscripsi. Leudorscus presbyter scripsi & subscripsi.

Sequitur exemplar precaria sancti Domnoli Episcopi, quam fecit suo Abbati Gallo de monasterio Ansolæ, cujus exemplar idcirco hic inserimus, ut si, quod absit, casu aliquando eadem precaria perdita fuerit, exemplar ejus in pontificalibus gestis insertum reperiatur, & recuperatio fiat, & sciatur qualiter actum fuit.

Domino sancto ac venerabile sede Apostolico Domnolo Cenomannicæ ecclesiæ urbis Episcopo, una cum ipsa congregatione ex ipsa urbe consistentes, ego in Dei nomine Gallus indignus sacerdos atque monachus precator à vobis accedo. Dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut illud monasteriolum, quod est constructus in honore sancti Petri & sancti Martini, & est situs in terratorium sanctæ Mariæ, vel sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, matris & Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ, in pago Cenomannico, in loco quodam quæ ab antiquis dicebatur Casa-Gaiani, super fluvium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, ubi domnus Turibius ejusdem parrochiæ Pontifex dudum in rebus senioris & matris civitatis ecclesiæ, cui præsidebat, ecclesiam in honore sancti Petri principis Apostolorum fecerat, quæ tamen destructa propter immoenitas vastationes fuerat; sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ibi erat, quando domnus Carileffus per licentiam & deprecationem atque adjutorium domni Innocentii Episcopi in jam dicta terra sanctæ Mariæ, & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii ex rebus ipsius, & aliorum bonorum virorum ædificavit per vestrum beneficium, sub usufructuario ordine, tempore vitæ meæ, cum omnes ad se pertinentes vel aspicientes, mihi tenere permisistis. Et censivi annis singulis ad matrem civitatis ecclesiam persolvere, ejusque Pontificibus atque rectoribus, id est ad lumen ecclesiæ de cera lib. iv. & ad opus Episcopi camburta una, & subtalares ij, & ad opus Canonicorum inibi Deo degentium buticulas duas paratas plenas de optimo vino, & in Cœna Domini plenum modium de ovis. Et si negligens aut tardus de ipso censu apparuero, fidem exinde faciam, & ipsum monasteriolum diebus vitæ meæ non perdam, & alicubi nec vendere, nec donare, nec alienare pontificium non habeam, nisi sub jure ac potestate & dominatione sanctæ Mariæ & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, vel eorum Pontificibus atque rectoribus permaneant. Et post meum quoque Deo jubente de hac luce discessum, cum omni re emeliorata, vel suprapolito, absque ullius judicis consignatione aut heredum nostrorum contradictione, jam dictum monasteriolum cum omni integritate, & res ad se pertinentes vel aspicientes, vos aut rectores successoresque vestros in vestram faciatis revocare potestatem vel dominationem. Et ut hæ precariæ uno tenore conscriptæ, una quæ in thesauro prædictæ ecclesiæ recondita sit, & alia, quam ego Gallus à vobis accepero, firmiorem optineat vigorem, manus nostras proprias subter firmavimus, & bonorum virorum decrevimus roborare. Actum Cenomannica civitate publica. Data xij Kalend. Februarii anno v regnante rege Hilperico. Ego Domnolus acsi indignus Episcopus hanc precariam à me factam subscripsi. Hildemannus indignus Abbas subscripsi. Winitmundus Presbyter subscripsi. Hismahel Abbas subscripsi. Godiscalcus Abbas subscripsi. Landrscus presbyter subscripsi. Winnegaudus diaconus subscripsi. Abbo presbyter subscripsi. Bertredus presbyter subscripsi. Winctmarus diaconus subscripsi. Auculfus presbyter subscripsi. Bernardus presbyter subscripsi. Domlevetius diaconus subscripsi. Oduluvinus presbyter subscripsi. Signum Teutmaro Advocato. Signum Goduns Vicedomno. Signum Teuderico. Signum Ostruino. Signum Bertrico. Signum Teutlindo. Signum Frotaldo. Signum Lonhario. Ego Bernericus Notarios rogante Domnolo Episcopo scripsi & subscripsi.

Sequitur exemplar Chilperici Regis Francorum super prædictam precariam.

Chilpericus Rex Francorum, vir inluster. Si justis petitionibus fidelium nostrorum, in quo nostris auribus fuerunt prolati, perducimus ad effectum, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris notum esse volumus, quia pater vir venerabilis Cenomannensis urbis Episcopus Domnolus, una cum Abbate suo nomine Gallo, nostram adiit præsentiam, humiliter deprecans, ut ei propter multum amorem & utilitatem ipsius Galli facere ei jubilemus præceptum, super cartam precariæ, quam ipse Episcopus jam dictus domnus Domnolus prædicto domno Gallo Abbate de monasteriolo qui vocatur Anisola, ubi domnus Carilephus requiescit in corpore, quod antecessori suo domno Innocentis, nonnullos jam transactos annos ipse domnus Carelephus per consensum Childeberti Regis per strumenta cartarum una secum & cum suis monachulis publice tradidit, sicut in suis cartis, quas matri & civitatis Cenomannicæ ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii legitimè fecit, & jam dicto domno Innocente per scripturam tradidit, & postea per precariam jure beneficiario sibi eo percepit, sicut in ipsis cartis & precariis continetur insertum, quas nobis ostendentes, & suas precarias, quas domnus Domnolus memorato Gallo Abbate fecit,

& censum sibi & suis successoribus, sicut in eis continetur scriptum solvere censuit. Ipsos enim ante nos relegentes, petierunt celsitudini nostræ, ut super eorum precarias nostrum præceptum facere juberemus, ut eorum precariæ firmiores futoris temporibus fierent. Quod & nos gratulanti animo pro eorum amore & Domini nostri Jesu-Christi reverentia fieri jussimus, & censum quod in eorum precarias invenimus, eisdem precantibus hîc inserere rogavimus, id est ut memoratus Gallus de jam dicto monasteriolo per singulos annos in luminaribus & prædictæ matris ecclesiæ sanctæ Mariæ & sanctorum martyrum Gervasi & Protasi, quamdiu advixerit, de cera lib. iv, & fratribus canonicis Domino in prædicta ecclesia deservientibus solvat in Cœna Domini plenum modium de ovis, & plenos flascones paratos de vino optimo; & ad opus Episcopi unam cambuttam bene paratam, & duas subtalares ad Missam cantandam optimos, & insuper debitam subjectionem & semper faciat, & fidelis in omnibus existat. Hæc quoque omnia recitantes, & cum nostris fidelibus considerantes, hanc precationem eis, sicut petierunt, pro firmitatis studio facere jussimus, per quam præcipientes jubemus, ut sicut ipsi petunt & eorum scriptum demonstrat, ratum permaneat, & eorum precariæ firmæ futuris temporibus persistant, & nullus eas violare præsumat. Et post discessum prædicti Galli Abbatis prædictum monasteriolum ad memoratam matrem ecclesiam absque ullius consignatione aut contradictione redeat; & quicquid deinceps Episcopi & rectores prædictæ civitatis jure ecclesiastico facere elegerint, firmam in omnibus habeant potestatem faciendi. Hoc verò præceptum ut meliorem obtineat firmitatem, manus nostræ subscriptionibus roborare jussimus.

Sequitur exemplar præcepti Theodeberti Regis Francorum, vir inluster, de cellula sancti Martini infra Cenomannicam urbem constructa.

THEODEBERTUS Rex Francorum, vir inluster. Si petitionibus ancillarum Dei, ut sacerdotibus, in quod nostris auribus fuerint prolata, ad effectum perducimus, hoc nobis ad æterna salute vel stabilitate regni nostri, in Dei nomen pertinere confidimus. Igitur vir inluster EOLADIUS presbyter, & BAUDOMALLA Deo devota, directâ petitione clementiæ regni nostri detulerunt notitia, eo quod ante hos dies in area ipsorum, infra muranita Cenomannis, oratorio in honore sancti Martini construxerant, & locella nuncupantea, sitas in pago Cenomannico, Molniaco, villa Levaste, Popiliaco, Aciaco, Vericiaco, Potius-Cipidus, cum omnes adjacentias earum vel appendicius, cum omni re inexquisita & ipso oratorio, ad ecclesiam sancti Gervasii & Protasii martyris, vel domno DOMNOLO Episcopo, qui ibidem ad præsens custos præesse videtur, ipsas res per eorum instrumenta delegaverunt. Ideo petierunt celsitudini nostræ, ut hoc per nostram auctoritatem plenius confirmare deberemus: cujus petitione gratanti animo præstitisse & in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim ut sicut constat jam dictus Eoladius & Baudomalla ipsa loca, Molniaco, villa Levaste, Popiliaco, Aciaco, Vericiaco, Potius-Cipido, una cum tribus domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, peculiis, prædiis, mobilibus & immobilibus, vel reliquis quibuscumque beneficens, ad ipsa casa Dei per eorum instrumentum justè & rationabiliter delegassent, & hoc ad præsens ibidem ordine recto videtur esse possessum vel dominatum; ita & in antea, inspectâ ipsâ epistolâ donationis, per hoc præceptum plenius in Dei nomine confirmatum, ipsa loca superius nominata, cum omni integritate earum, ad ipsa casa sancti Gervasii & Protasii matris ecclesiæ, nostris & futuris temporibus jure firmissimum proficiant ad augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, & in omnibus conservetur, manus nostræ subscriptionibus eam subter decrevimus roborare. THEODEBERTUS Rex Francorum subscripsi. ADALGRIMUS jussus obtulit. Data dies octo, quod facit præsens mense Junii, anno vij regni nostri, Captunaco, in Dei nomine feliciter, amen.

X. *De Baldegisilo Episcopo nihil.*

CAPUT XI.

Gesta domni Bertichramni Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit novissimo tempore Chilperici, filii Clotharii, & tempore Clotharii filii ejusdem Chilperici, qui fuerunt Reges Francorum viri illustres.

DOmnus BERTICHRAMNUS urbis Cenomannicæ præsul, nobilis genere, natione partim Aquitanicus, & partim Francus, Turonis verò tonsoratus, & postea aliquo tempore conversatus cum domno GERMANO, insigni Parisiacæ urbis Episcopo, & ab eo edoctus, atque in quibusdam sacerdotalibus gradibus est ordinatus, & spiritualiter instructus. Antedictus namque domnus Bertichramnos fecit quamdam cellulam ultra fluvium Sartæ in honore sancti magistri sui domni Germani, Parisiacæ civitatis insignis præsulis, quam de rebus sanctæ Mariæ & sancti Gervasii dotavit, sive de quibusdam vicis ejusdem sanctæ Mariæ & sancti Gervasii, atque de aliis rebus, quas adquirere suo bono ingenio eruit, ecclesiastico jure dotavit. Et in prædicta cellula, quam in honore jam dicti sancti Germani construxerat, & sacraverat seu dotaverat, aliquos monachos sub Regula degentes constituit, & hospitale pauperum atque nobilium inibi esse instituit. Quam cellulam ecclesiæ suæ sedis sanctæ Mariæ & sancti Gervasii subjugavit, sive suis successoribus atque Canonicis sanctæ Mariæ & sancti Gervasii possidendam & regendam perennis temporibus sub regulari ordine dereliquit. Prædicto quoque Bertichramno cellula infra illam quintam, quæ monasterium Stivale nuncupatur, à quodam clerico, BERTIGISILO nomine, qui bis sedem & episcopatum suum tyrannica potestate contra canonicam auctoritatem invaserat, legaliter, & per strumenta cartarum quibusdam negligentiis suis, quas in Episcopatu domni Bertichramni, & in rebus sanctæ Mariæ & sancti Gervasii sua negligentia fecerat, sub jure & dominatione sanctæ Mariæ & sancti Gervasii atque sanctorum Petri & Pauli Apostolorum tradita fuit, sicut in testamento domni Bertichramni hactenus inveniri potest. Quod & ipse domnus Bertichramnus, sic ut diximus, pro restauratione ecclesiasticarum rerum sub firma traditione suscipiens, nobiliter ampliavit, & immelioravit, & sanctimoniales monachas sub Regula degentes inibi esse constituit, & suæ sedis sanctæ Mariæ & sancti Gervasii subjugavit, atque suis successoribus possidendam & regendam perpetualiter jure firmissimo dereliquit.

Hic enim fecit in terratorio matris & civitatis ecclesiæ sanctæ Mariæ & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, de villa cujus vocabulum est Vivereus, à fundamento, Angelo sibi demonstrante,

dum in ecclesia sancti Michaelis, infra urbem, juxta prædictam matrem ecclesiam, in quadam turre ipsius civitatis constructa, pervigilans in oratione erat, atque Angelo ei visibiliter oriente aurora Dominici diei designante, monasterium juxta urbem in honore sancti Petri & Pauli Apostolorum & nobiliter construxit, & ipsam ecclesiam Apostolorum jam consummatam tam de rebus sanctæ Mariæ & sancti Gervasii matris & civitatis ecclesiæ, quàm & de aliis, quas undecumque justè & legaliter adtrahere vel invenire potuit, tam de suæ hereditatis rebus, quàm & de aliis comparatis vel adquisitis, legaliter per consensum domni Clotharii Regis atque Episcoporum multorum mirificè dotavit, & monasterium in circuitu ecclesiæ, cum claustris & aliis ædificiis, nobiliter à fundamento operatus, & in eo agmini multorum monachorum regulariter degentia esse instituit, & pauperum atque advenantium, peregrinorum quoque sive matriculatum receptiones & refocillationes devotissimè supplevit, & perpetualiter fore constituit. Non longe autem ab eodem monasterio ecclesiam in honore sanctæ Crucis fecit, & Dei servos ad divinum explendum officium instituit, & receptiones pauperum atque hospitum inibi mirificè ordinavit; & prædictum monasterium Apostolorum Petri & Pauli cum ecclesia dictæ sanctæ Crucis, cum omnibus ad se pertinentibus, sedis suæ ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Gervasii subjugavit; & ipsam matrem & civitatis ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Gervasii ex omnibus suis tam propriis, quàm & ecclesiasticis, sive hereditariis rebus, heredem appellavit, atque heredem esse constituit; & suis successoribus, & ejusdem senioris ecclesiæ sacerdotibus atque Canonicis ipsum monasterium sanctorum Petri & Pauli Apostolorum cum omni integritate ecclesiasticoordine possidendum & regendum jure firmissimo perpetualiter delegavit atque dereliquit. Fecit quoque vel restauravit idem domnus Bertichramnus super fluvium Idoniæ quoddam monasterium vel synodochium in honore sancti Martini, quod Ponteleuva vocatur, ipsumque de rebus episcopatus sui ditavit, sive de aliis quas legitime & legaliter invenire vel adquirere quivit. Et hoc constituit, ut omnes adventantes inibi omnia necessaria sumerent; ibique monachos regulariter degere constituit, & matricularios, numero & tenore quo in ejus continetur testamento, & ipsum synodochium suæ sedis ecclesiæ subjugatum, atque suis successoribus possidendum futuris temporibus more canonico atque ecclesiastico dereliquit, sicut hactenus in ejus testamento decretum sub jure jurando nobiscum habetur, cujus exemplar in subsequentibus conscribere libuit. Prædictus autem domnus Bertichramnus Archiepiscopus erat, & pallium, sicut mos est Metropolitanorum, ferebat, atque omnibus Episcopis totius regni præerat & proderat. Hic autem plenus dierum, in senectute bona obiit in pace... Kalend. Juliarum, & in præfixa ecclesia quam ipse in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ædificaverat, à suis consacerdotibus & discipulis honorifice ac condigne sepultus est: qui & in cælis vivit cum sanctis Dei, ubi & nos suis atque omnium horum precibus pervenire & vivere mereamur, præstante Domino nostro Jesu-Christo, cui est honor & gloria per cuncta sæcula sæculorum, amen.



Sequitur exemplar testamenti prædicti domni Bertichramni, quod fecit pariter Cenomannicæ matri ecclesiæ & monasterio sancti Petri, sicut in hac habetur insertum. quod ideo his in gestis pontificalibus inserimus, ut si aliqua, quod absit, negligentia perditum fuerit, hic reperiatur, per quod sciatur, qualiter actum fuit.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi & Spiritus-sancti, sub die sexto Kal. Aprilis, anno XXXIJ regnante gloriosissimo domno CLOTHARIO Rege, BERTRANNUS etsi indignus, peccator, Episcopus sanctæ ecclesiæ Cenomannicæ, sanus Deo propicio mente & corpore, sanoque consilio metuens casus humanæ fragilitatis, testamentum meum condedi, eumque filio meo Ebbone Notario scribere rogavi & dictavi. quod testamentum meum si quo casu jure civile aut jure prætorio, vel alicujus novæ legis interventu valere nequiverit; acsi ab intestato ad vicem codicellorum valere eum volo, & valeat. Itaque quando ego suprascriptus Bertrannus peccator ex rebus humanis excessero, debitumve naturæ tempus complevero; tunc tu sacrosancta ecclesia Cenomannica, unà cum sancta ac venerabili basilica domni Petri & Pauli Apostolorum, quæ in conspectu civitatis opere meo pro defensione civitatis vel salubritatem populi ædificavi, heredes mihi estote, heredesque meos vos esse constituo ac jubeo: ceterive exheredes sint toti. Omnis itaque cui hoc testamentum meum dedero, legavero, darive jussero; id ut detur, fiat, præstetur, fidei heredibus meis committo: si quos autem liberos esse jussero, liberæ liberive sint toti. Et quia inclitus atque præcelsus domnus CLOTHARIUS Rex, cui Deus in milia æternam retribuat beatitudinem, suum præceptum manus suæ jure firmatum mihi dedit, ut de propria facultate, quod ex parentum successione habeo, seu quod munere suo consecutus sum, aut aliquid comparavi, vel comparare Deo adjuvante potuero, vel in quibuscumque rebus atque corporibus facultatum augmentare potuero, tam pro animæ meæ remedium, quàm propinquis meis, seu fidelibus meis delegare voluero, liberum tribuit arbitrium; idcirco te sacrosancta ecclesia Cenomannica, heres mea, habere volo ac jubeo villam juris mei, cujus vocabulum est Bonalfa, sita in territorio Stampense seu Æqualina silva, & mihi precelsus domnus CLOTHARIUS Rex suo munere, unà cum præcelsa domna FREDEGUNDA Regina quondam genitrice sua, postquam eis domnus VAEDOLA justitia eorum reddidit, in me humilem eorum pro fidei meæ conservationem, quæ semper circa ipsum Principem inviolabilem tenere & habere visus sum, concesserunt; ipsam villam cum domibus, mancipiis, vineis, silvis, campis vel omnire, jure & adjacentibus suis, tam mobilibus quàm & immobilibus, post meum obitum tibi valeas perpetualiter possidere; excepto quos exinde liberare voluero. Similiter agrum ad culturam eo tempore adquisitum, te domna heres mea ecclesia habere volo ac decerno: ex quo agro medietatem bonæ memoriæ domna INGOBERGA quondam Regina, mea instantia meoque exigente servitio sanctæ Mariæ dereliquit: aliam verò medietatem de germano ipsius MAGNULFO quondam dato pretio comparavi, ut in jure sanctæ ecclesiæ ager ille ad integrum perveniret: & de villa Celonica sita in territorio Trieurino, quam bonæ memoriæ BOBOLENUS medietatem ecclesiæ delegaverat, & pro ipsa medietate multas habui vexationes, sed meo opere egi, ut de jure sanctæ ecclesiæ non auferretur; etiam & postea aliam medieta-

tem, quam uxore vel heredibus suis ad possidendum delegaverat, dato pretio ad integrum comparavi, & in dominationem meam pervenit; volo ut ipsam villam cum omni securitate tu sacrosancta ecclesia herea mea, unà cum fano Vicinoniæ, quicquid mihi comparavi, aut meo opere ad mancipia stabilivi, cum id quod adhuc Deo propitio in ipsis agris immeliorare potuero, com omni integritate eurum, & mancipia inibi commanentia, tibi sacrosancta ecclesia volo esse donatum. Itemque & villa Brea, quem mihi DAULFUS per donationis titulum contulit, & ego postea mihi comparavi, velut quæcumque subjunxi, velut ipsam villam cum omni integritate sua, sicut à me præsenti tempore possidetur, in dominationem sanctæ ecclesiæ Cenomanniceæ heredis meæ perduret. Sed & quàm plurima, quæ memorare novero *, tibi meo studio sancta ecclesia adquisivi.

*, non valeo.

Et licet omnibus Christo propicio notum sit, qualiter ego aut quàm fideliter in sancta ecclesia, aut in monasteriis, aut in cunctis rebus laborassem; tamen & tu domne Pontifex, quem Deus in ea post me esse voluerit, cognoscere potes, quanta ibidem meo studio vel labore tempore meo Deus est dignatus conferre. Quod si fide integra disponis inquirere, cognosces me tuæ ecclesiæ non modicum laborasse. Unde tibi ineptum esse non debet, si aliquid de rebus sanctæ Mariæ cuicumque ex fratribus nostris, hoc est Presbyteris & Diaconibus, seu Lectoribus aut propinquis meis, vel amicis aut servientibus, tam sanctæ ecclesiæ, quàm & meis propriis, cuicumque aliquid in usufructu dimitto: quia sanctæ ecclesiæ proprietatem non aufero, & de substantiola mea heredem ipsam constituo. Et quia sanctæ recordationis domnus DOMNOLUS quondam Episcopus de agris ecclesiæ aliqua locella ad basilicam suam, ubi requiescere videtur, delegavit: sed nobis molestum fuit, ut iterum nos simile conditione de agris ecclesiæ aliquid auferre aut minuere deberemus, ut basilicæ sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, quam in honore eorum nominis construxi, conferre deberemus; sed magis pertractans cum consilio venerabilium fratrum nostrorum Presbyterorum, seu diaconorum, vel omnium clericorum, ut unum locellum de ecclesiæ conditione ad ipsam sanctam basilicam, non tantùm pro necessitate, sed propter primitias vel reverentiam ipsorum domnorum Apostolorum, & quod mater sancta ecclesia, quæ omnes basilicas ad se pertinentes fovet ac ditat, convenit cum domnis Pontificibus diem illum, quo benedictio cælestis vel reliquiæ sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in ipsa basilica positæ sunt, & dupliciter divina opitulante gratia sanctis sacerdotibus consecrata in honorem sanctorum Apostolorum, vel loci illius consecrationem; villa Umbriaco, quam Basilius & Baudegundus quondam per donationis titulum ad sanctam ecclesiam condederant post eorum obitum possidendam: unde & nos postea jugiter laboravimus, ut ecclesiæ non auferretur, postea omnia supradicta quod per me humilem sanctæ ecclesiæ proficit aut obvenit, tam prædicto Umbriaco, quàm in suburbana basilica domni Petri & Pauli Apostolorum, quæ meo opere ædificata esse dinoscetur, ad ipsam sanctam ecclesiam, Christo propitio, debeat in perpetuo permanere.

Id mihi placuit delegare, ut villa Nimione, sita in territorio Parisiaco, cum vineis quæ Frontanito ad palastrias & vinitores esse noscuntur, quas mihi domnus CLOTHARIUS Rex dedit, quæ meo sæpius dum laicus fui, tam de fisco, quàm de comparato possidendum sanctæ ecclesiæ Parisiacæ sub cujus gratia nutritus sum, ad integrum volo esse donatum.

Basilicæ verò sanctorum ac beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum, quam superius heredem, una cum sancta ecclesia Cenomannica constitui, sicut mea est devotio, quia ibidem meum (quandoquidem Deus voluerit) desidero collocare corpusculum, ad ipsam sanctam basilicam in honore sanctorũ Apostolorum, ut pro facinore meo quod hîc in sæculo jugiter vitius sum perpetrasse, ut ipsi Apostoli suffragiis suis ab infernali pœna me liberare dignentur, & si non in gloria (quod non mereor) vel veniam eorum patrociniis aut intercessionibus merear obtinere. Dono itaque ad ipsam sanctam basilicam villas sitas tam in territorio Cenomannico, quàm & in Stampensi vel Burdigalinse, aut ubicumque, tam per donationis titulum, quàm ad ipsam basilicam jam die natalicii sui dedi, verùm etiam quod & adhuc per testamenti istius paginam dedero, quas mihi domnus gloriosus CLOTHARIUS per suam munificentiam contulit, vel pro fidei meæ conservationem ad integrum suis præceptionibus manum suam roboratis, mihi integram tribuet licentiam, ut prædicto loco pro animæ meæ remedio, vel sui regni stabilitate, ipsas villas quas munere suæ promerui, conferre debere. Hæc sunt villas. Villa Thelone, Colonica nomine Telate, & alias villas Buresaco, & mansiones in Wastinense, quas de viro illustri VARNACHARIO Majorem-domnus pro villa Columbaria percepimus. Illud verò rogo atque jubeo Abbatibus, qui per singula tempora, sicut divina potentia aut gratia domnorum Apostolorum eos inibi jusserit perdurare, ut omni tempore vitæ eorum hoc sit eis potissimum observandum, ut de villis superius nominatis, quicquid exinde aut in tributum, aut in suffragium annis singulis poterit obvenire, medietas ex hoc, quando fuerit mea commemoratio pauperibus, aut in vestimentum, aut in aurum erogetur: alia medietas luminis exinde in sancta basilica omni tempore sufficienter accendatur, ut numquam sit neque una hora noctis absque luminaria ipsa sancta basilica, signum dignum est, in honorem prædictorum Apostolorum luminis omni tempore fulgeat indesinenter, tam ad basilicam sanctorum Apostolorum, quàm & ad sanctam Crucem, quam postea ædificavi, vel ad Basilicam Domni Martini ad Synodochium, quæ est in Pontileuga, excepto de fructibus aut reliquis conditionibus, quod de prædictis agris speratur in usibus sanctæ basilicæ & monasterii sui, sive alimonia Canonicorum vel pauperum, qui ad ipsam basilicam sanctam ad matriculo sedere videntur, victus & vestitus per singulos annos sufficienter ministretur, & pro meis expiandis peccatis jugiter Domino deprecentur; & pro collata principis cælestis eidem & regnum longævum præstet, & in retributionem æternam centuplum accipere mereatur. Ecclesiæ verò herede meæ villa Dolus, quod meo opere construxi, & meo ingenio undique ad me pervenit, post diem obitus mei, quicquid inibi laboravero, cum domibus, mancipiis, vineis, campis, pratis, cultis & incultis, & omni jure suo, vel termino suo, quod ibi justo ordine abstraxi, te sancta ecclesia in integrum habere delego.

Basilicæ sancti Petri & Pauli, villas quas dato pretio comparavi, id est Gaviaco, Colonica, Landolenas, & Ferrenis, meo opere undique adquisitas, & quicquid Cellis vel in Samarciago ad prope Cenomannis civitate, quicquid Portithorengo, quem pro tutelam percepi, inibi fuit, & hoc quod Ceta, & Mancia vel Guntha illuc possedisse juræ visæ fuerant, & ad meam pervenit ditionem, tam terris, vineis, ac colonis & servis, integra portione eorum. Similiter & villas quas in honorem basilicæ domni Petri & Pauli comparavi de pecunia, quam gloriosus domnus CLOTHARIUS Rex nobis dedit, vel nos pro fide

dei nostræ undique conquisivimus. Hæc sunt villæ ipse, Campocunanæ, Ludiua, & Comariago, vel Cambariaco, sicut venditiones edocent, ipsam basilicam, sicut nos eas jam ibidem tradidimus, cum villare cui nomen Piciniaco, quem Gondobaldus quondam Diaconus tenuit, pariter & Iliaco quem de viro illustri BABSONS percepimus, volo in Dei nomine possidendas. Illud etiam constituens ac decernens, quod quicquid mihi in minutis rebus aut in quibuscumque modis datum est, vel in ovis cartis noscuntur esse conscriptæ, boc totum & ad integrum tu sancta ecclesia & venerabilis basilica domni Petri & Pauli, qui in hoc folio testamenti mei forsitan in oblivione mihi obvenir, æqua lance dividatis possidendum. Villa verò Morenaco, quam meo opere & cum grandi labore adquisivi, & postea hunc ego absens vi pro fidei mei conservationes à Modeghiselu malo ordine fuit præoccupata, & cum Deus reddidit justitiam domnu CLOTHARIO Regi, iterum ad dominationem sanctæ ecclesiæ vel meam pervenit: ipsam villam, cum omni jure suo & terminum, te sancta ecclesia habere constituo. Basilica verò sancti Petri & Pauli portionem deinde quod mibi possidere videor, cum colonica quæ mibi LEODALDUS per donationis titulum contulit, cum id quod ibidem postea undique comparavi, iu ipso fundo Mechense & Voligione, cum omni integritate, portionibus ipsius vel terminis earum, & mancipia, mobilibus, & immobilibus, tu sancta basilica perpetualiter valeas dominare. Licet nulli habetur incognitum, qualiter ego post transitum GUNTRANNI quodam Regis proquo sacramentum insolubile domno meo Clothario Regi dedi pro eo quod civitas Cenomannis legitimo ordine, post transitum domni Guntbranni, ea hereditate genitoris sui bonæ recordationis suæ CHILPERICI quondam Regis debuit pervenire; sed faciente cupiditate & civitas ipsa ei fuit ablata, & de reliquo regno suo multum passus est dispendium, sed dum me sacramentum meum in integrum constrinxit, ut eum nullatenus dimittere deberem, facile mihi fuit ut secundum facultatem tam sanctam ecclesiam, quàm & proprietatem relinquerem quàm perjurus (quod absit) invenirer. Sed dum pro amore ipsius Principis unanimiter cum ipso consisterem, anteriorem exspoliationem suam, vel posteriorem, quod injuste pertulit, necesse principi ipsi fuit, ut nobis aliquid adderet, unde vitæ substantiæ & nos, & pauperes nostri sustentare deberemus, unde ille Rex cælestis pro nobis retributor existat. Nam nos pauperes non habemus, nec aurum nec argentum, unde tibi gloriosissime domne Clotharie, bona retribuamus: attamen de id quod gloria vestra nobis contulit, per sumemus in boc testamento nostro vestram celsitudinem memorare. Offerimus itaque regno vestro de muneribus vestris, unde nos per præceptum vigoris vestræ manus roboratum, licentiam tribuisti faciendi quod volebamus, id est villas Neolone & Walionoo, cum omni termino & adjacentiis ad se pertinentibus, vel quicquid postea nobis fuit melioratum, hoc celsitudo vestra ad suam recipiat dominationem. Similiter donamus tibi gloriosissima domna BERCHTRUDIS Regina villam, nomine Peripinas, quæ appellatur Cella, quam nobis gloriosus domnus noster jugalis vester suo munere contulit, ut ipsam villam, cum domibus, mancipiis, vel terminum suum post meum obitum vel vestrum regimen absque ullo impedimento recipiatis. Dulcissimo nepote meo SIGECHELMO, & pronepote meo TORINGO, si mihi superstites fuerint, villam Seuvacum, Villare Ripariola æqua lance dividant.

Simili modo villa Briomilia, quæ ex successione parentum nobis juste debita erat, & per interregna longo tempore nobis ablata fuit, & postea cùm Deus domno Clothario regnum suum in integrum dedit, ipsam villam nobis sua pietas reddidit, & per præceptionem suam firmavit: quam villam dulcissimo pronepoti meo filio SIGICHELMI, LEUTRANNO & SICHRANNO volo esse donatam. Similiter villam Castalione sitam in Santonico, qui parentibus meis & viro illustri SIGILENO fuit, & ipsam nobis gloriosus domnus Clotharius Rex per suum præceptum concessit, quia jam longo tempore & mihi & jam dicto parente meo Sigeleno ablata fuit, si me superstes fuerit ipse Sigelenus, ad suam revocet ditionem: sin autem filiis suis, id est SICHELECO & BERCHELAÏCO, ipsam volo esse donatam. Villas Crisciago & Botilo qui nobis ex successiune genitoris nostri juste debentur, & cum germanis meis deberem partire, si ipsos mors non antecessisset; modò jubeo ut dulcissime nepos meus SIGICHELME, unà cum nepoti meo THORINGO æqua lance ipsas villulas dividatis. Villam Bualone sitam in Stampense secus Æqualina, quam per donationis titulum dulcissimo pronepoti meo LEUTHRANNU die nuptiarum suarum dedi, sicut donatio ipsa continet, & per boc testamentum meum ipsam eis volo esse donatam. Locello qui appellatur Foutanido, quem mihi gloriosus domnus Clotharius Rex suo munere concessit, ubi Eusebius quondam laicus vineas plantavit, & nos postea & mancipia posuimus, ipsum locellum cum omni integritate quod ibidem aspicere videtur, totum & ad integrum sancta basilica domni Petri & Pauli ad suam revocet dominationem, & medietatem de vineis pronepos meus Leuthramnus & conjux sua perpetualiter valeant possidere.

Basilicæ domni & peculiaris patrini mei GERMANI Episcopi, qui me dulcissime enutrivit, & sua sancta oratione, acsi indignum, ad sacerdotii honorem perduxit, si superstitit ut in basilica domni Vincentii, ubi ejus sanctum corpusculum requiescit, dono mibi in honore sepulturæ suæ villam Bobane, quæ est in terratorio Stampense super fluvio Calla, quem mihi gloriosissimus dominus Clotharius Rex suo munere contulit: ut si semper corpus ejus in basilica nova, quam inclytus CHILPERICUS quondam Rex construxit, si convenerit ut inibi transferatur, villam ipsam, ubi ejus semper corpus fuerit, semper ibidem deserviat, & ipse sanctus Pontifex pro meis facinoribus deprecare dignetur. Rogo Abba illustris loci illius, ut nomen meum in libro vitæ recitetur.

Villare meum quæ est in Cramteno terraturio ad Summa Vedantia, sicut à me præsenti tempore possidetur, & ex successione domni & genitoris mei legitime reddebatur, basilicæ domni Petri & Pauli post obitum meum pro mercede animæ meæ volo esse donatum. Dulcissimo pronepote meo Thoringo dono ei colonica, cui vocabulum est Villa nova, quam de filio Papoleno quondam dato pretio comparavi, in perpetuo teneat atque possideat. Villa Idguiuo dulcissimo nepote meo Segechelmo, dum advivit, volo esse donatum. Post obitum verò illius, filii sui, qui ex BERTICHILDI filia LIUTRAMNI nati esse noscuntur, absque consortium fratrum suorum, si alios filios babuerit, ipsos præcipio possidendum. Viniola seu prata quæ sunt ad Riulione, & adjungunt ad vineas sanctæ ecclesiæ vel infra terminum Calimarcense, quas dato pretio comparavi, sanctæ ecclesiæ volo esse donata. Idemque & colonica Satovera, quem VULFARIUS quondam tenuit, & postea AIGA eam nobis cum ipsas venditiones, quas ab ipso Vulfario acceperat, dedit, & ipso locello cum vineis & cum omni jure suo, tu sancta ecclesia heres mea percipias, & locello qui dicitur Condomas, quem pro re mea accepi, & postea fidelissimæ Costanæ per donationis titulum concedi,

volo ut ipsa locello jam dicta Cotta vel filii sui in perpetuo valeant in integrum possidere. Domum verò intra muros civitatis Parisiorum, qui ab Eusaio quondam fuit ædificata vel possessa, & mihi à præcelso domno Clothario Regi concessa esse denoscitur, inter sancta ecclesia Cenomannica & sancta basilica heredes mea æqualiter possidendum decerno: sic quoque ut de tabernias, quæ infra domum esse noscuntur, locarius ille, qui annis singulis exinde speratur, lumen in sacrosancta ecclesia Cenomannica & prædicta basilica domni Petri & Pauli inferatur; & areas, quæ foris civitatis sunt, idemque communiter possideant.

Id constituimus observandum, ut quicquid die obitus mei in domo superiùs nominata Parisius, aut in unum aut in quibuslibet rebus, quæ nostræ propriæ esse noscuntur, æqualiter heredes meas sancta ecclesia Cenomannica & basilica domni Petri & Pauli inter se dividant. Pæne mihi in oblivione fuit positum; sed divina inspirante gratia memoravi. Viniolas secus arenas juxta quod ipsas maxima de deserto recuperavi vel adunavi, de ipsa arena usque ad strada quod elausura ipsa circumcingit, quod ipsa sancta basilica domni Petri & Pauli præsenti tempore possidere videtur. Itemque vineolas, pradela vel terraturium, quod in dextera parte de strada est qui vadit ad Pontileugua, quem de venerabili fratre meo EULADI Abbate comparavi, quæ in ipsius basilicæ oppidum esse noscuntur, cum brugilo quem de fratre meo LAUSTO Abbate datos quadraginta solidos redemi, & campellos quos cum ipso Abbate commutavimus, quæ ad alveum Sarte, cum prato qui est ad confluena, totum & ad integrum cum servientibus, quos inibi posui, aut adhuc Christo propitio ponere potuero, & modò ad ipsa sancta basilica in Dei nomine possidetur, in perpetuo dominetur. Simili modo medietatem de colonico Vatilonno, quem de Berone in nomine ipsius sanctæ basilicæ comparavi, & aliam medietatem, quam illustris matrona EGROIA ad ipsum sanctum locum per donationis titulum contulit, jubeo ut in integrum, sicut à modo ab ipsa basilica Christo præsule possidetur, & in perpetuo inibi perseveret.

Et quia nulli habetur incognitum, qualiter BERTHEGHISILUS inlicito ordine contra decreta canonum in sede sua fuit adgressus, & nimium res sanctæ Mariæ vel meas proprias generavit pro his gravissimum dispendium; unde etiam non ut debuit restauravit, nisi parvitate per res proprias meas, quas malo ordine distraxerat, locella cum carta venditionis dedit, hoc est cum domibus, cum Bariaco & Vivale portionem suam in integrum nobis vendidit. Et postea cum alia vice gloriosus domnus Clotharius de regno suo in insidiis pertulit, & iterum ego propter ipsum valde in captivitate fui, & in ipso nec nominandus Berthegisilus iterum vastator ecclesiæ accessit, & carta ipsa quam prius fecerat, in archivo ecclesiæ invenit, eam igni comburi præcepit, sic illi judex metuendus atque terribilis pro rebus suis cum eo ponat judicium. Et postquam Dominus noster cum voluntate Dei unà cum præcelso consubrino suo TEUDOBERTO Rege caritatem inivit, & voluntariè quantitatem de regno suo recepit, & nos locella illa obsistente ad dominationem nostram revocavimus. Campariaco verò, Estivale, cum domibus, mancipiis, vineis, & silvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, & jure earum vel omnem peculium, sanctæ basilicæ domni Petri & Pauli delego. Perfeci scilicet domum, quæ infra muros, in dextra parte de posteriola meo opere ædificavi, ubi oratoriolus in honure sancti Michaëlis Archangeli contructus est, volui ut ipsas domus & basilica sancti Petri & Pauli esse debuisset.

Dum nos cum domno Clothario Rege pro fide nostra & amore illius detenti fuimus, pistrinus ecclesiæ ante ipsa domo constructa est, propterea in his locis ecclesia stipendia & madricola, quam ego inibi erexi, supplex quæso Domino meo Pontifici, qui mihi successor fuerit, ut omni tempore madricola ipsa, sicut usque nunc in eis temporibus stipendia promeruit, & semper inantea ministrante sancta ecclesia alatur, & domus ipsa sit ad receptionem Pontificum, vel Religiosos, qui ad ipsum oratorium deserviunt: quia & virtutes ibi ostensæ sunt, & honorare in omnibus vel venerare debetur. Precamur domno & Pontifici successori nostro, & per Deum Trinitatis conjuramus, ut de villas quas ego sanctæ ecclesiæ per hunc folium testamenti delegavi, vel quæ meo tempore conquisitæ sunt, vel in donationem sanctæ ecclesiæ pervenerunt, ex omnibus vel in omnibus decimas annonæ, vini, casei, lardi, omnes decimas in domo ipsa sancti Michaëlis Archangeli annis singulis congregentur, sicut nostro tempore actum fuit, & pauperibus vel peregrinis in eorum alimonia ministretur: quia nec sancta ecclesia dispendium perferet; & quod nos, etsi indigni, qui qualemcumque locum sacerdotii visi fuimus occupare, ea quæ Deo annuente in pauperibus studuimus ministrare, à vobis indesinenter conservetur. Basilicæ verò sancti Petri & Pauli curtem illam cum casas quas bonæ memoriæ Romolus quondam Presbyter Cenomannis in civitatem tenuit, & domum illam, quæ nostris temporibus supra muros ædificavit, & nos & manum ad hoc porreximus, & postea de nepte sua comparavimus; domus ipsas sicut à præsenti tempore in Dei nomine ab ipsa sancta basilica possidentur, cum id quicquid inibi laboratum fuerit, aut ante vel meis temporibus subjectum, totum & ad integrum præfata ecclesia absque ullius impedimento perpetualiter valeat possidere.

Sanctæ ecclesiæ herede mea dono villa, cui vocabulum est Grandefontana, quæ dato pretio de VAODOLENO compatri meo filio BAVONE comparavi, cum omni jure vel terminum suum. Te verò sancta basilica domni Petri & Pauli, dono villa Conadaco, quem de Belletrudi sive Bettane matrona, relicta quondam Maurini, dato pretio comparavi, cum Colicas villas, quas postea dato pretio de Betholeno vel Mantharigo cum silvas vel omni adjacentia ad se pertinentes, cum domibus & mancipiis, sicut jam in tua ditione tradidi, cum mobilibus & immobilibus in integrum volo esse donatum, cum agellum illum, nomine Timiago, quem filio & parente meo BERULFO ad usufructuario possidemus, & post meum obitum ad tuam revoces potestatem. Dulcissimo nepote meo Sigechelmo licet jam per donationis titulum villam Murocincto anteactis temporibus contuli, quam ea successione domni & genitoris mei legitimè reddebatur, & postea meis peccatis facientibus germanus meus BERTHULFUS in expeditionem domni Clotharii Regis interemtus fuit, & portio sua mihi legitimè obvenit, volui in hunc testamentum meum comprehendi, ut tam quod prius ei dedi, quàm & quod postea mihi de germano meo obvenit, totum & ad integrum ipse nepos meus, villa ipsa cum domibus, mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, sicut hoc jam possidere videtur, & ipsi & sobolis suæ perpetualiter dominetur. Tertia verò portione de ipsa villa Murocincto, quem bonæ memoriæ germanus meus ERMENULFUS tenuit, & ipsam mihi dedit, dulcissimo pronepote meo filio ipsius Sigechelmi, nomine LEODEFREDO, post obitum meum volo esse donatam, exceptis illis quos emisit, aut ego de captivitate redemi, ipsi liberi perseverent. Casa verò quæ est infra muros civitatis Cenomannis, quam domnus & frater meus CHADOALDUS Episcopus, dum Archidia-

conati videtur officium fungere, ædificavit, cum casella quam Malaricus Diaconus tenuit, hoc dulcissimo nepoti meo Sigechelmo, cui eas dedi, volo ut & ipsi & filii sui in perpetuo dominentur: quia ubi casa nova ex areas illas comparatas esse noscuntur.

Villam verò Patriliaco, quæ est secus Pontochiuggane, quem de Doleno quondam comparavi, & venditionem in nomine sanctorum Petri & Pauli, vel basilicæ eorum, quam jam tunc tempore ædificare videbamus, & postea ad ipsa sancta basilica delegavi, volo ut eam in perpetuum possideat, cum colonicas ad se pertinentes. Villam Monciaco cum colonica quæ conditæ vel undique id ipso Condacense aut Monciacense comparavi & adjunxi, te sancta ecclesia heres mea ad integrum volo esse donatum. Vineas verò quas mihi sanctæ memoriæ domnus LICINIUS Episcopus pro amoris affectu secus vineas Carliacenses suo munere dedit, & nos antea de Sargite quondam necutiante parte divina cum terra comparavimus, & postea inibi vineas posuimus, & in una clausura cum vineas sanctæ ecclesiæ adjunximus, volumus, ut pro mercede animæ nostræ hoc ecclesia sancta Cenomannica possideat. Licet antea ipse ager parum habebat vineolas, nec domini mei antecessores Episcopi aliquid ibi voluerunt addere, sed nos pro amore sanctæ ecclesiæ vel augmentum ipsius, tam de negotiantibus, quàm de reliquis maximè spaciavimus, & pretium dedimus, ut in jure & dominationem sanctæ ecclesiæ proficiant optamus. Idemque & vineolas, quæ sunt in Saboranense, quæ meo opere undique subjunxi, aut per donum, aut per venditionem, & si adhuc subjungere potuero, cum cultoribus eorum & familias ad domum quæ ibi stabilius, te sancta ecclesia domni Petri & Pauli habere jubeo.

De Ponteleugua hæc est de matricula & synodochio in honorem S. Martini, hæc est miracula sancti Petri & Pauli, quod est ad Pontemleugua, si per singula perpensamus, quantum facinora nostra in sæculum dum detenti fuimus, commissa esse noscuntur, non esse tantum facultas redimendi, quantum sunt culpæ commissæ; sed omnipotens Deus, qui nullum perire vult, ipsæ parva munuscula quæ grandis lacrimas vel memoris animæ Redemtori nostro offerre videmur, in pauperis, ipse pro larga pietatis suæ gratia qualemcumque tribuat veniam. Ergo quia votus & liberatio & deliberatio mea est, ut basilica quæ in honore beatissimi ac peculiaris patrini nostri Martini sancti Episcopi ad Ponteleugua, ubi & requies sua sancta Deo propitiu posui, delego atque ipsum sanctum locum locella his nominibus, Longiagas, Noginto, Novavilla, Autoniaco, & de Monasteriolo, partem illam quam de Leodelene dato pretio comparavi, & Avanto quodcumque inibi comparavi, aut unde mihi obvenit, cum mancipiis, mobilibus & immobilibus, & omni jure earum, vel quantumcumque adhuc ad ipsa loca subjungere aut comparare potuero, habere jubeo ac decerno sub Abbate vel basilicæ sancti Petri & Pauli potestate consistat. Licet præsumtione ut dicamus synodochii locus sit, dum parvum ibi intulimus, tamen potens est Deus & ipse sanctus athleta Christi inibi plurima conferre, unde pauperes & alimonia vestiantur, & cuncti amici nostri & peregrini receptacola pro nostra memoria habere videantur. Ad præsens jubemus, ut sedicem animolas Deo devotas, hoc est viros pauperes, cæcos aut debiles, in ipso loco collocentur; & diebus singulis eis victus facta ratione sufficienter ministretur. Et, quod superiùs meminimus, de tributum Taletense, & suffragium Crescianense vel Cambaiacense, sicut superius jam præcepimus, tam in vestimentis, quàm & in lectarus, aut in calciamentis, & istis fratribus nostris & matricolabus sancti Petri qui sub regimine suo esse noscuntur; tu Abba basilicæ sancti Petri & Pauli omnimodis potissimum tibi cora sit hoc eis in omnibus adimplere. Quod si in aliquo (quod absit) ex hoc negligens apparueris ante tribunal Christi cum sancto Petro & Paulo Apostolos, & sancto Martino Antistitem habeas rationem. Et nullus ex Pontificibus successoribus nostris de id quod ad prædictum locum vel pauperibus est delegatum, auferre præsumat; sed ad festivitatem ipsam & Pontifex & omnis clerus prandium dignum percipiant, & si de prædicta locella quicumque aliud tetraxerit, tamquam necator pauperum ante conspectu divino judicetur. Tu verò venerabilis Abba, vel successores tui, talem curam habeatis de cursum sanctæ ecclesiæ domni Martini, qualem & sanctorum Petri & Pauli; & lumen per noctia de tributum villarum ipsarum sufficienter comparetur, & quod superest, ad ipsos pauperes vel inopes ipsius basilicæ proficiat.

Villa verò Blacciago sita in terraturio Bordigalense secus castro Blavit, quæ est super alveum Garonnæ, licet à parentibus meis longo tempore fuit possessa, & per interregna, vel adolescentia meæ genitricis fuit de jure suo ablata, & ab AUNULFO filio MAURELIONIS qui eas occupaverat, per testamenti sui paginas dum illicite ad sanctas ecclesias hoc est Burdigalense & Toronice & Equilinense in duas partes ex ipsa villa sunt delegatas, tertiam ARNULFUS germanus ipsius Aunulfo possedebat. Unde altercationes habuimus inter nos & ipsos de prædicta villa, sed ille recognoscens quod nobis legitimè debebatur, coram ipsis Pontificibus qui duas partes ex hoc possidere videbantur, nobis de præsente tertia ex omnibus de villa ipsa reddidit, & epistola exinde manu sua roborata, vel à prædictis sacerdotibus firmata nobis tradidit possidendam. Sed dum nos ita constringit amor divinus, ut contra sancta ecclesia non ambulemus; forsitan si possimus cum gratia dominorum meorum & fratrum rem ipsam redimere. Sed quia domnus AGERICUS Episcopus * portionem illam, quæ sancti Martini fuit, nobis vendidit, & venditionem cum Canonicis suis nobis fecit, & solidus xx secundum arbitriis sui valebat de presenti dedimus, & ipsa altercatio nostra subjunximus, volumus ut tu sancta heres mea ecclesia Cenomannica possideas: & si adhuc in rem ipsam de domus Pontificis de Burdigalense aut Equilemense redimere possumus, totum & ad integrum ad tuam revoces potestatem.

* Turonensis

Colonica verò Vincentianæ, quam domna & genitrix mea possedit, & nos eam modò in Dei nomine possidere videmur, quæ secus ipsum agrum Blaviaco esse videtur, basilicæ sancti Petri & Pauli cum mancipiis, vineis & terris volo esse donatum. Villa Fluriaco, sita inter duo maria, qui parentum meorum fuit, & postea genitricis mea per orphanitatem perdidit, & à CHILDEGERNO fuit malo ordine possessa, quam villæ medietatem cum mancipiis, domibus, vineis, silvis, omnique termino suo vel adjacentibus sibi à BERTHRANNO sive BETTONE filium ipsius Childegerni dato pretio redemi, volo ut ipsa villa qui parentum meorum fuit, basilica sancti Petri & Pauli in perpetuo dominetur. Domum verò infra murus civitatis Burdigalense, quam ego & germanus meus Ermenulfus nostro opere recuperavimus, ipsam domum cimenctis cum adpenditia sua ad ditione dulcissimo nepoti nostro Sigechelmo jubemus pervenire, ut ipse habeat & possideat, & suis posteris ad possidendum relinquat. Et hoc jubemus, ut omni tempore vitæ illorum, quando missi domnis & venerabilibus sanctæ ecclesiæ Cenomannicæ vel basilicæ sancti Petri & Pauli pro piscibus negotiandum ibidem venirent, semper n

domo illa receptaculum babeant, & inibi quæ eis necesse fuerit cumparent. Locum verò qui appellatur Bresetum in terratorium Burdigalense, ubi precarias* habere videmur, & dato pretio cum Arennoaldo quondam comparavimus, ipsam rem cum precarus inibi manentibus, & familias eorum, vel pixita, sicut à me præsente tempore possidetur, & post meum obitum tu sancta ac venerabilis basilica domni Petri & Pauli ad tuam tevuces ditionem, ut exinde annis singulis pix recipiatur.

* al. picarias.

Omnibus notum est, qoaliter bis aut tertio in rebus sanctæ ecclesiæ vel proprias sustinui spoliatiunem. Deus scit, quod non pro culpis nustris hoc passus sum, sed pro hoc, quòd fidem volui inlibata custodire, & sancta ecclesia in præsidus illo tempore grave pertulit dispendium; & ego pauper substantiola mea propria valde egenus evasi. Idcirco erubesco scribere, quod parum resedit ad offerre. Dono argentum illum quem nobis postea Deus vel domnus Rex aut amici contulerunt, sicut brevis manu mea conscripta coneinit, quia pertractavi, ut duas partea de ipsu argento quod egu visus sum laborasse, tu sacrosancta ecclesia percipias: alia verò portione, quam in ipso breve cunscripsi, tu basilica sancti Petri & Pauli, quem heredem eæ, sicut te sancti ecclesia institui, habere jubeo. Adjurn pet Patrem & Filium & Spiritum-sanctum tam tibi domne Puntifex, qui successurus eris, quàm & te Abba qui eo tempore fueris, quando me Deus de hoc sæculo migrare præceperit, vel successuribus vestris, ut nullus nun præsumat de ista parvula munuscula, quæ ego sanctæ ecclesiæ, vel sanctæ basilicæ pro commemoratiune nominis mei de his speciebus nihil abstrahere, vel venundare, sed omni tempore tam pro ornatum sanctæ ecclesiæ vel basilicæ, mensæ earom perpetualiter debeat perdurare. De reliquo verò argentolo, quodcumque post diem obitus mei regesturiolo meo inventum fuerit; & hoc non delegavi, exceptom argentum sanctæ ecclesiæ salvo, jubeo quod præsens habere videur, vel adhuc laborare potuero, quud delegatum non fuerit, totum inter sanctam ecclesiam ac sanctam basilicam domni Petri & Pauli æqoaliter dividantur: & Abbas portionem illam quam accepit, si necesse fuerit sepulturæ meæ aliquid exornari, & si ego hoc antea non fecero, de hoc ipsum quod è contra Pontifice perceperit, ad ipsa sepultura mea dignetur, exinde studeat componere: & si nos ea Christus permitteret ea loce durare, argentus ille in ministerio, quo necesse fuerit, basilicæ faciendum intromittatur.

* al. clavis.

Simile modo jubeo quod de vestimenta damea* tu dulcissimi Archidiaconi, qui eo tempore fueris, domuo vero & Pontifice successore meo particulos duos optimos de proprio vestimenti damea reverenter offerre jubeo. Tibi verò sancti Archidiaconi præcipio, ut unum cabellum bonum & unum parecuium de proprietate mea præsumas. Omnia verò quæ de proprietate, seo ex militia in regesturiolo meo post meum obitum inventa fuerint, seu & species aut vestimenta qood egu laboravi vel adquisivi, excepto qood sanctæ ecclesiæ proprium est, tres exinde jubeo fieri portionis, una domnus & successor meus Pontifex accipiat; alia verò basilica domni Petri & Pauli; tertia verò de præsente pauperibus jubeo erogare. Similiter tibi præcipio Archidiacoui, & coram Deo contestor, ut de tos fructus quos eo anno relinquero, cùm diem extremum exclusero, per manu tua, tertia parte pauperibus absque fraude erogetur.

Similiter volu ac jubeo omnibus servientibos sanctæ ecclesiæ qui ministeriales esse noscuntur, vel meis, tam clericis quàm sæcularibus, qui mecum conversare videotur, singulos caballos, tam ingeoui, quam liberi vel servientes de præsenti percipiant: reliqous vero caballos tam Watannonis, quàm ipadas seu poledras, qui inventi fuerint, & characterio sanctæ ecclesiæ habuerunt, totus Puntifex vel ecclesia recipiant. Illi verò qui meum characteriu peculiarem habuerunt, aut quus mihi parentes vel amici dederunt, medietatem sancta ecclesia ex ipso accipiat; aliam medietatem basilica vel Abbas qui inibi esse videtur recollegat. Illud huic testamentu adnecti vului, ut de gregis equinis, quos mea parvitaa undique attraxit vel augmentavit, excepto jumenta antiqua, inde duas portiones ex ipsis gregis, quæ meas proprias esse videntur, & super terra sanctæ ecclesiæ pascua habent, ut diximus fiant: una percipiat sancta ecclesia; & alia percipiat basilica sancti Petri & Pauli. Gregem illum, quem portionas equinarias soper rem sanctæ basilicæ domni Victuri Episcopi intendere videtur, ad ipsa sancta basilica volu esse donatum. Jumenta de illo qui fueruut peculiaria Gallimere, pro fidele mea Elopodiæ volo esse donatus.

Villa Mateiliaco sita secus Diablentaa vico, quem dato pretiu à Medighisilo & Ebretrudi cumparavi, aut undique adjunxi, aut adhuc adjungere potuero, cum domibus & mancipiis, & adjacentia sua, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, dulcissimo pronepoti meo Leodochranno duno atque transfundu perpetua dominatiune. Similiter villa secus Pacilenovico, quem genitor Blado Victriberno* bessurum nobis pru soledus nostros vendidit, ipsam rem cum umni adjacentia sua, sibi dulcissimi pronepus meus Sigramni, habere jubeo. Similiter villam Pauliacum, qoem ego datu pretio, id est sulidos tregentos auru vene abile Bobeno Abbate de basilica domni Albini comparavi, ipsa dulcissimo pronepoti meo Leodochranno habere jubeo, ut ipsa in perpetuo possideat. Sic quoque si aliquid aut basilica domni Albini, aot Abbaa qui successor ipsius Bobeno fuerit, exinde adiemtaverit circa ipsos, cum dupli satisfactionem jam dicto Leudochranno reddat, & villa ipsa, si voluerit contra definitione antecessores sui agere, nec sic valeat vindicare; & sic ab ipso prunepoti meo in perpetuo vindicetur. Villam quam secus vico Berulfo esse dignuscetur, & in ipsa villa Berulfus, qui quondam amisit quicquid inibi compatavi, tam de filio Enulfi, quàm de Remoaldo vel conjuge sua, totum & ad integrom inter dulcissimos pronepotis meis Leutfredo & Thoringo, si mihi superstites fuerint, æqualentia inter se dividendum volo essadonatum; sic quoqoe ut post obitum meum ad suam in integrum revocet potestatem.

* an Bladovic tribuno.

Basilicæ sancti ac beatissimi sancti Germani Parisiaci Antistitis, qui mihi dulciter enutrivit, & ad sacerdotali onus, ut non merui, ac per sua intercessione perveni, ad ipsa basilica in honorem ipsius obedum* civitatis Conomannicæ ædificavi, & casaa inibi ædificavi, & Monicu los institui, qui inibi Christo propitio in perpetuia temporibus officium & servitium procurent. Dono ad ipsa basilica in honore ipsius Pontificis has villas his nomioibua, Charisago cum vineis quæ Silviago vico sunt, & reicola quæ oppellatur Stirpiaco, cum vineolas & mancipiola qui inibi esse noscuntur, Landolenas, Graciaco & Manciaco, quas data pretio undique comparavi, & ad meam pervenit ditiouem, tam quod præsenti tempore possidere videor, quàm quod adhuc meliorare potuero, ad ipsa sancta basilica in honore beatissimi domni Germani volo esse donatas, & vineas illas quæ ad Ruilione sunt, quod Aunigiselus Diacoous tenuit, vel adhuc postea undique comparavi, cum prati mediate ad ipsum Ruivilionem ad ipsa sancta basilica præcipio possidendum. Villa verò de Coman-

* obitum pro obitus in civitate, &c.

cio, quæ ego de filio & parenti meo EPROALDO comparavi, & postea & dumos & vineas mihi ædificavi, cum id quod inveni, cum omni jure & adjacentia sua, te basilica sancti Petri & Pauli, quam in honore vestro ædificavi, & immediatè herede constitui in omnibus, habere decerno. Reicola quæ appellatur Fontanas, infra terminum Alaunense, quam mihi vir magnificus BAUDEGISILUS & SAUCIA conjux sua condederunt, & donationes fecerunt; & nos multum eis in quo potuimus solatia præbuimus, ipsam rem post obitum nostrum sancta ecclesia ac venerabilis basilica domni Petri & Pauli ad tuam revoces ditionem, sicut ad ipso Baudeghiselo possessum fuit; sic quoque, ut nomina illorum in libro vitæ in ipsa basilica recitetur. Villa Redonatiogu, quæ ad Bonalfa semper aspexit, & nos postea inibi tam terras quàm silvas, quas dato pretio de Chargario & Ragnarico comparavimus, vel undique totum & ad integrum, sicut semper ipsi villa Redonatiaco ad Bonalta aspexit, & inibi aspicere debeat, ut sancta ecclesia herede mea in perpetuo proficiat.

Licet quicquid à nobis fuerat laboratum tam in agris, quàm mobilibus & immobilibus, volemus totum jam, sicut anterior testamentus noster habuit, in nuo testamentum totum & ad integrum delegavi: sed quia postea postquam Deus glorioso domno nostro Clothario Rege totum regnum Francorum in sua ditione advenire præcepit, & postea nobis sua larga pietas pro servitia nostra in aliquo respexit, nec ipsum nobis oportet præterire. Ergo villas illas quas bonæ recordationis AVITUS, filius FALICI quondam Episcopus, qui parentem nostram & proximam in conjugium habuit sociata, & omnes res Aviti inter me & vir inluster GUNDOLANDO Majores-domos sua pietas concessit, & ego contra ipsum modò ad præsens habere videor, omnem portionem meam, tam quod in Biturivo est, quàm in Albiense, Cadurcino & Agennense, totum & ad integrum, quicquid medietas ex agro ipso ad meam pertinet rationem, pro mea vel in quantitate relaxandi peccata basilica sancti Petri & Pauli, quem heredem constitui, post obitum meum in integritate villas ipsas percipias; & Nogiogilo villam, quam & ego & vir inluster Gundolaodus filiæ meæ & parente DUNDANÆ usufructu concessemus, post ipsius obitum vos sacrosancta ecclesia & basilica communiter mediatè, sicut precaturiam jam dictæ matronæ convenit, ad vestrum revocetis potestatem idipsum æqualiter dividendum.

Villa verò Vocrionno, quam mihi gloriosus domnus Clotharius Rex suo munere pro rebus nostris quas EGULFUS & ARNUALDUS malo ordine & tenuerunt, & vastaverunt, licet plus jam nobis exinde pius Rex dederat, sed per injunctionem suam hoc ecclesiæ Mettiæ in honorem domni Stephani relaxavi, & villam istam cum domno & fratri meo ARNULFO Episcopo petivi, ut illas villas quæ fuerunt Egulfo & Arnoaldo ipso recepit; nos villa Vocrionno in perpetuo tenere deberemus, & quod exinde facere volebamus, liberum arbitrium haberemus. Idcirco ipsa villa tam pro mercedem domni Regis, quàm & pro nostra, quia vineolas parum habet basilica sancti Petri & Pauli, hinc in loco isto ideo ipsa villa cum omni jure suo & adjacentias ad se pertinentes, totum & ad integrum te sancta basilica domni Petri & Pauli, ubi corpusculum meum desidero sepelire, in perpetuo volo esse donatum. Villa verò Nociogilos, quæ est in terraturio Pectavo super alveum Ligeris, quem mihi Beato nepus quondam Baboni filius Theudaldo, de maternum suum, per donationis titulum condedit, te sacrosancta basilica domni Petri & Pauli post obitum meum habere jubeo.

De Marogilo villa Rufiniaco & Marigilo, qui de actione NUNCIANÆ ad me pervenerunt, per res sanctæ ecclesiæ quod multum devastavit, & nobis gloriosus domnus Clotharius Rex post obitum ipsius Nuncianæ concessit, te sacrosancta ecclesia heres mea habere jubeo. Locello qui appellatur Lucianus, quicquid inibi debet Hisigilo; reicola illa, quæ est super Ledo fluvium, nomine Baucallo, quem ego de Bestingeselo de Vindocinense & conjuge vel filiastros suos comparavi. basilicæ sancti Victuri Cenumannica civitate cum mancipiis & omni re quod inibi melioratum est, volo esse donatum. Villa nomine Tauriaco, portionem illam quem Nuncia inibi tenuit, & nos modò per præceptionem domni nostri, sicut Marogilo & Rufiniaco tenemus, & ipsa villa Tauriaco tam portione illa Nuncianæ qui fuit, & modò ad nostra traditione pervenit; quàm & portionem illam, quam Audericum & nepoti sui, filius germanæ suo & germanæ suæ nobis vendiderunt, & ipsum insimul conjunximus, te sacrosancta ecclesia heres mea habere jubeo. Locello quæ appellatur Luciacus, quicquid inibi de Berthigisillo, vel conjuge sua & filiis eorum comparavi, & ad præsens possidere videor; cum quicquid inibi adjunat; aut adhuc adjungere potuero, basilicæ sancti Petri & Pauli herede meæ delego possidendum. Villas verò sitas in terraturio Dunense, hoc est villa Pannonio, quem de JONANNI Abbate dato pretio, hoc est solidis centum quadraginta comparavi; & villam Marcirias, quem de Bethone, filio Baddone quondam similiter visus sum comparasse; ipsas reicolas tu dulcissimus nepos meus Sigechelmi post meum obitum recipias; sic quoque ut post tuum obitum filii tui inter se æqualentia dividant.

Reicolas illas quas sanctæ ecclesiæ SUADRIA soror THEODERI quondam Episcopi per suum testamentum dedit, hoc est Luciniaco & Monte, & postea meo opere ipsas vindicavi. Villa quam de Dudone, nepoti Romono super Ligere comparavi, hoc est dato solidos centum, ipsam rem, quicquid inibi ad præsens habere videor, cum domibus vineis, terris, mancipiis & omni portione illa, te sacrosancta ecclesia heres mea habere jubeo. Similiter villa Brea, quam mihi Theudoaldus vendidit, & ipsam ad tuam revoces ditionem, cum vineis, mancipiis & omni jure suo. Kairaco vero villa, quam de Comerio Diacono datos sol. ccc comparavi, & nunc in ditione mea in Dei nomine esse dinoscetur, te sancta basilica domni Petri & Pauli, quam heredem cum ecclesia nuncupavi, habere decerno, cum domibus, mancipiis, vineis, pratis, silvis cum omni jure suo: & si adhuc inibi aliquid meliorare potuero, totum & ad integrum ad tuam revoces potestatem. Villa Sitriaco, quem dató pretio de Leugadie comparavi, cum alio locello qui nuncupatur Blaciacos, cum adjacentibus ad se pertinentibus, domibus, mancipiis, vineis, terris, pratis, silvis, vel omni jure earum, te sacrosancta ecclesia Cenomannica heredem meam habere præcipio.

Villa Cresciaco & Vallis, sicut per epistolas inter me & domno ARNULFO Episcopo Mettensis ecclesiæ convenit, in honore domni Stephani ecclesiæ suæ, sicut jam per epistolam nostram priùs decrevi, post meum obitum, ipsa sancta ecclesia in honore sancti Stephani ad suam revocet ditionem, & nomen meum in libro vitæ nobis, qui tunc tempore Pontifex fuerit, scribi jubeat. Tres partes colonicæ, quem de ratione ARNOALDO habuimus, ipsam basilicam domni Petri & peculiaris patroni nostri Medardi Episcopi post meum obitum habere jubeo. Villa Montiniaco, quam GIBOALDUS quondam Episcopus tenuit, & postea ad nostram ditionem venit, ipsa cum omni jure suo sancta ecclesia juris sui esse nunc delego

atque decerno. Villas verò sitas in Burgundia, quas nobis gloriosus domnus noster Clotharius Rex & viris inlust. Bradoni & Warnehario Majoris-domus dedit, qui fuerunt Leudegisilo quondam, tertiam portionem, quam mihi ex ipsas villas legitimo ordine cum ipsis viris illustribus debetur, vos sacrosancta ecclesia Cenomannica & basilica sancti Petri & Pauli heredes meas æqualentia cum ipsis habere nolo. Et villas in Provencia, quas ipse pius Rex inter me & viros illustris Gondolaido & Chundo de ratione Aurelianæ dedit, quantum exinde per justitiam vindicare possemus, absque peccatum nostrum, id est de ipsas villas portionem meam, vos heredes meas cum ipsis illustris viris ad vestram revocetis potestatem. Villa verò quæ de ratione Nuncianæ, tam in Pectavo, quàm & in Erbaticola, quàm & illas alias villas quas cum Ghisone compatri meo in Cadurcino, Limodicino, aut ubicumque in Gutia portio Nuncianæ nobis exinde legitime reddebantur, te dulcissime compater meus Ghiso pro amoris affectum & comparatum una cum nepoti vestro & nostro Thoringo æqualiter dividendum habere præcipio. Villas verò quas dato pretio de Dracoaldo Episcopo * comparavi, & in civem * ipsam, ubi prædictus Pontifex fuit occisus, esse noscuntur, tibi dulcissime nepos meus Sigechelmi, unà cum filiis tuis præcipio possidendum. Fidelissimus meus Wacnehario & Walcone filio Tedemondi quondam, qui mihi fideliter ab adolescentia eorum vel sanctæ ecclesiæ cum integra fide, quod omnibus incognitum non est, deservisse noscuntur, quidquid eis in terris, mancipiis, vineis dedi, aut ipso meo tempore visi sunt adquisisse, totum & ad integrum eis volo esse concessum, & filii & filiæ eorum, quam diu vixerint, possideant, & nullus ex eis exinde nihil auferat jubeo ac decerno.

* Aasciensi
* l. civitatem

Quidquid fideli nostro Cherulfo quondam dedimus vel filiis suis, hoc ad integrum confirmamus. Fidelissimo amico meo Chadeleno quicquid ei hîc & in Cenomannico dedi, volo ut hoc in perpetuo & ille & filii sui possideant, quia omnibus notum est quod fideliter in ministeriis sanctæ ecclesiæ & jugiter deservivit, & tempore vitæ suæ facere disponit, & justum est, ut quicquid ei de jure ecclesiæ, vel quæ meo labore ad ecclesiam pervenit, semper in eo perpetualiter perduret. Fideli meo Betoleno, filio Cundeleno quondam, quicquid genitore suo dedero, vel quod postea ipso Betoleno ex nostra largitate est concessum, ipso Betoleno & conjuge suæ, vel filiis eorum in perpetuo volo esse donatum: sic quoque ut genitrix sua quotquot exinde habet dum advixerit, usufructuatio possideat. Post obitum ipsius jam dictus Betolenus & filii sui in integrum percipiant, & semper amici ecclesiæ persistant.

Illud itaque rogo ac jubeo, ut quanticumque amici mei vel fideles servientes fuerint, semper eis memor sit nutrituta mea, vel benefactum meum, quod circa illos impendidi, ut & ipsis post obitum meum cura sit ut cum dies commemorationis meæ evenerit, semper inibi adesse debeant: & Abbate loci illius solatium præbeant; & dicant: Felix est homo ille, qui amicos bonos relinquit. Præcipio tibi dulcissime nepos meus Sigechelmi, & filiis tuis rogo & adjuro per Deum omnipotentem, ut quamdiu vos in sæculo superstitisse voluerit, unà cum conjuges vestras vel sobolis vestris, si sanitas permiserit, semper annis singulis bis aut ter sepulturola mea visitetis: & hoc adjuro Abbate loci illius, ut totaliter vos reficiat, & filios vestros honoret, qualiter cognoscit me sancta ecclesia fuisse consolatorem; ut vobis & filiis vestris delectet frequens visitare locum ipsum sanctum, vel meam commemorare memoriam.

Adjuro & rogo domno meo Chaimoaldo * Episcopo, quia consanguineus meus esse dinoscetur, & cum divina pietas ad sacerdotale culmen perduxit, semper illi memor sit nutrita mea vel patrocinius sancti Petri, unde ad ipsum onus Christo præsule ambulavit; ut idonea sepultura, quando quemcumque Deus ab hac luce migrare jusserit, suis manibus cum reliquis domnis & fratribus suis corpusculo meo dignanter sepeliant, ut unde Domini mercedem conquirant, & laus in populo percurrat: hoc jubeo tunc Archidiacono, ut ipsius domnus qui peccatorem sepelire dignaverint, donent eis caballis padi * duo, & poledros congregans duos, & singulos parvioculos ipsi domni accipiant: & tu hoc domne Chaimalde cum Archdiacono dignanter facias, & tibi simili modo, sicut tui fratres accipiant, ut accipias jubemus. Et quamdiu in sæculo te Deus superstitem esse voluerit, rogo ad meam commemorationem digneris venire: & domnus Abbas vel congregatio sancti Petri & Pauli dignum tibi honorem impendant.

* i. sia Chaimaldo Episc. Pictaviensi.
* f. paria.

Hos, hos liberas liberosve esse jubeo: Libigisilo cum uxore & filiis Chinemundo, Ebrodolindo cum uxore & infantea, Theodogundi & filio suo Lopo, & filia sua, Ermane cum uxore & filiis, Ebreleno cum uxore & filiis, Garulfo, Juliano, Pienaldo cum uxore & filiis, filio & filia Maurello. Similiter & famulos meos qui mihi deservire videntur, tam natione Romana, quàm & barbara. Id sunt, Teodane, Bajone, Baudasiodo, Mauro, Astrehario, Audisgisilo, Veteligilo, Berechano, Quotane, Alagise, Leodegiselo, & filius Theodoniviæ. Hus omnis ad integrum ingenuos esse jubeo cum omni peculiari eorum quod habent, aut deinceps laborare poterunt, & defensionem sanctæ basilicæ domni Petri & Pauli Apostolorum, ubi corpusculo meo in Dei nomen opto requiescere, habere mereamur: ita ut unusquisque tempore depositionis meæ conveniant, & oblata tantùm nominis mei ante sanctum altarium offerant, vel recenseant, & ministerium, qualem egisse visi sunt, unusquisque in Dei nomen in prædicta die observent; & Abbati loci illius solatium præbeant & postea in crastinum Abbas det illis dignissimam refectionem, & unusquisque ad domos eorum revertantur, tam isti quorum nomina hîc continentur, vel quos postea de gente barbara comparavi, aut adhoc comparare potuero, tam pueri, quàm puellæ, qui à me emti noscuntur, & epistolas eis feci; & ipsi in integra ingenuitate permaneant, & hoc observent quod & pluris eorum, & toti sub tuitione & defensione sancti Petri perseverent; & Dasgastaldus qui voluerint ex ipsis cum ipso Abbate consistere, vel basilicæ deservire, de rebus sanctæ basilicæ nutriantur, ut melius eis delectet sepulturolæ meæ impendere honorem, & sanctæ basilicæ deservire. Et qui hîc in Cenomannico terraturio manere noscuntur, defensionem sanctæ basilicæ domnorum Apostolorum Petri & Pauli se habere noscuntur. Si necesse fuerit, & Abbas ille, qui basilica sancta ad regendum & gubernandum commissa fuerit, omni tempore de eo quod mihi à me collatum est, depositionem meam & lumen sepulturolæ meæ annis singulis taliter studeat celebrare, qualiter alius delectet loca sanctorum in maximis rebus ditare. Quod si Abbas ille qui exinde negligens fuerit, cognoscat ante tribunal Christi cum domnis Petro & Paulo Apostolis ex hoc habere ultionem, & perpetuam suscipere damnationem. Illos verò quos de ratione ecclesiæ pro singulis festivitatibus in Albis, per epistolas relexavi, aut relaxavero, sicut epistolæ eorum edocent, sub tuitione & defensione sanctæ ecclesiæ rependeant.

Et quia casus humanus multos dubios reddit; &

ego vereor, ne (quod Deus avertat) devotionem meam iniqua cupiditas, quæ malorum radix est, in aliquo frangat; conjuro te domne Sacerdos, quem post me Deus esse voluerit, per illum judicium tremendumque diem, sic in æternum beatitudinis præmium adipiscas, & non cum Juda damnationis partem adquiras, ut omnibus voluntatis meæ arbitrium impleas; vel dum te Deus superstitem esse voluerit, custodire intendas omnia. Hanc libertatem debet perpendere, qui voluntati suæ judicium firmiter desiderat permanere. Rogo cum testamentum meum ad omnis & comprovincialibus meis fuerit apertum, tunc per manum Archidiaconi centum solidi per domnum Episcopum Turonicæ civitatis ad sepulcrum domni & peculiaris patroni sancti Martini Antistitis, ubi comam deposui, & annis singulis tributum meum ibidem reddidi, transmittantur. Similiter ad basilicam sancti Albini Antistitis per manum Andegavi Pontificis sol. quinquaginta dirigantur, quos solidos per sacellos separatim cum brevicellis sigillatis ad unumquemque locum, sicut superius memini, in manu fideli dispensatori commendavi, sicut pagina testamenti mei eloquitur dispensandos.

Tibi verò Archidiacone demando atque præcipio, ut per omnes basilicas quæ circa civitatem nostram esse noscuntur, hoc est basilicæ sancti Victurii peculiaris patroni mei, dabis solid. xx. Basilicæ domni Vincentii, ubi sanctus Domnolus Episcopus requiescit, in honore ipsius Martyris vel domni Antistitis dabis solid. xx. Basilicæ sanctæ Mariæ vel sanctæ Crucis dabis solid. x. Basilicæ sancti Juliani Episcopi aut caballum, aut in aurum dabis solid. v. itemque basilicæ sancti Richomeri solid. x. Basilicæ sancti Hilarii dabis solid. v. Ad oratoria domni Martini, domni Victorii, vel sancti Petri infra muros dabis in aurum aut in caballos solid. v. Basilicæ sancti Stephani Martyris aut in aurum aut in caballos dabis solid. v. Similiter volo ac jubeo, ut omnibus clericis nostris qui hîc in ecclesia deservire noscuntur, de quibus aut in quibuslibet rebus quinquaginta solid. dones. Illud verò specialiter rogo, ut in supra scripta loca, ubi aliquid non ut decuit, sed in quantum virtus prævaluit delegavi, nomen meum ac sacerdotes illorum in libro vitæ jubeant adscribere, & per singulas festivitates recitari.

Licet superius hoc intimare debueram, quid cineribus meis deservire debeant; sed quia non habui integre perscrutatum de familia mea, quorum hoc agendum committerem; ideo mihi convenit, ut de quantiscumque villis sanctæ basilicæ domni Petri & Pauli heredis meæ delegavi possidendas, ut singulos condomas de unaquaque villa qui nitidiores esse noscuntur, & nos vel basilicæ sanctæ fideliter deserviunt, volumus nomina eorum in una epistola conscribere, & manu nostra firmare, ut integro relaxentur à servitio, & ipsis unà pariter cum Abbate de sepulturola mea, tam de luminario, quàm de cineribus meis integra eis sit cura usque die ultimo vitæ eorum, tam illi, quàm soboles qui ex ipsis fuerant procreati, in perpetuo debent cum integra diligentia deservire, & ingenuitas status illorum sub defensione ipsius Abbatis debeat perpetualiter perdurare.

Sed quia nos de familia sanctæ ecclesiæ nihil nec cineribus nostris, nec dispositione facienda præsumimus injungi aut relaxari, sicut domni & antecessores nostri fecerunt; simili modo jubeo, ut si aliquid mihi minime in mente fuerint de meis famulis, aut germani mei BERTULFI quondam, & hæc in Cenomannico manere videntur, toti absoluti sint à servitio, & defensionem vel tuitionem sanctæ basilicæ domni Petri & Pauli, sicut reliqui liberi mei, habere mereantur. Illos verò quos de captivitate redemi, & ante ingenui fuerunt, & modò pro pretio servire videntur, tam viri quàm mulieres de villa Boalcha omnes à servitio relaxentur. Ad matriculas capitalis in civitate vel qui per basilicolas sunt, per manus Archidiaconi quinque sol. jubeo dari.

Quia deliberationis meæ arbitrium opto per hunc testamentum firmiter conservare; ideo conjuro vos domni & Pontifices per sanctum apostolatum quem divina traditione accepistis, ubicumque necesse fuerit, basilicæ meæ vel Abbati loci illius semper solatium præbeatis, & tale consilium domno & successori meo instruite, ut de id quod sanctæ basilicæ in honore domni Petri & Pauli Apostolorum pro animæ meæ remedium deputavi, nihil exinde minuat, nec per qualibet occasione aliquid debeat fraudare; quia ego nullum dispendium me sanctæ ecclesiæ generasse cognosco. Similiter conjuro vos omnes per victorias clementissimorum Principum, qui in sæculo virtutem agendi apud ipsos domnos & Principes nostros habetis, ut si necesse fuerit semper defensionis vestræ auxilium paginolæ non negetis. Adhuc parva memoravi quod valde in oblivione tradidi. Domum vero Diablentes quam meo opere ædificavi, cum curte & stabulum, & hortus & colonicas, quicquid undique tam de Bosone Presbytero, quàm de heredis Etolenò, Trilono, loco quæ dicitur Calviaco, vel undique in opidum Diablentis juxta ripam Aroenæ fluviolo comparavi, tam terris, mancipiis, silvis, pravis, & omnes jure suo, cum Taxonaria quam vindicavi contra Leutthero & heredes suos, totum & ad integrum te sacrosancta ecclesia heres mea habere volo, excepto res antiquas sanctæ ecclesiæ Diablenticæ. Idemque & portiones illas, quas mihi Guntherus in omnes res suas per donationes contulit, & ipsum conjunctum apud ipsam casam Diablenticam te sacrosancta mater & heres mea ecclesia habere decerno. Casellas illas quas bonæ memoriæ Domnigisilus Diaconus ex nostro munere habuit, & ipsi pauper inibi ædificavit, & nos post illius obitum dulcissimo nepoti nostro LEUDOCHRAMNO concessimus, cum omnes casellas, casticella, vineola, campellos, & quod ibi ipse Diaconus habere visus fuit, cum manicipiola illa qui inibi habere videntur, volumus ut ipse nepos noster dum pro amore nostro frequens ad basilicam S. Petri & Pauli Apostolorum venire deliberat, sicut & nos in testamentum scripsimus, volumus ut ipsas cum gratia Pontifice successore nostro semper possideat: sic quoq; ut post obitum illius ad jus sanctæ ecclesiæ revertatur.

Nam & ego in præsenti denuntio, ut si quis contra hanc voluntatem meam venire tentaverit, excommunicatione perpetua feriatur, & tale in ipsum Deus judicium ostendat, ut lepra Naaman percussus, terra ipsum sicut Dathan & Abiron absorbeat; & sic ultio divina in illum appareat, ut in præsenti sæculo se male egisse cognoscas, & in futurum judicium numquam remissionis veniam consequatur. Si quæ lituræ, si quæ caraxaturæ, si quæ litteræ adjectæ sunt vel detractæ, ego feci, fierique jussi, dum meam mihi sæpius prælego voluntatem; & omnia per singula recognosco vel emendo. Ut lex edocet, septem virorum honestorum subscriptionibus & sigillis credidi muniendum, & pro totius rei firmitate atque stipulatione adnecti præcepi. Actum Cenomannis in civitate, die & anno superius comprehenso. BERTICHRAMNUS in Christi nomine acsi indignus Episcopus testamentum meum, quem filio meo Ebbone notario scribendo dictavi, relegi & subscripsi. GUNTINUS Honoratus subscripsi rogante domno Bertichramno. DADO rogante domno Bertichramno subscripsi. Signum GENINUS rogante domno Bertichramno subscripsi. IBBOLENUS rogante dom-

nu Bertichramno subscripsi. GANNO rogante domno Bertichramno subscripsi. Egn HUGO Hnnoratus subscripsi. Ego Ebbo notarius jubente dumnn meo Bertichramno Episcopo & ipso præsente hoc testamentum scripsi, relegi & subscripsi, notavi diem. Similiter ego Bertichramnus Episcopus rogo filin meo Archidiacono, ut cùm testamentum meum apertum fuerit, ipsn prosequente gestis municipalibus secundum legem faciat alligari, quo semper firmiter perduret.



CAPUT XII.

Gesta domni Hadoindi Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit ultimo tempore Clotharii filii Hilperici, & tempore Dagoberti filii Clotharii, & primo tempore Chlodovei filii ejusdem Dagoberti.

DOmnus HADOINDUS Cenomannicæ urbis Episcopus, & successor beati Bertichramni, natione Francus vel Gallus, nobili ex progenie ortus. Hic restauravit atque renovavit multa Monasteria in parochia Cenomannica, atque eadem monasteria regulariter degere instituit. Ipsiusquoque tempore quidam vir ALANUS nomine, qui habebat res suæ proprietatis multas, & habebat unicum filium, quem ita diligebat ut animam suam. Quadam verò die prædictus Alani filius venationem exercens in villa proprii patris sui, cujus vocabulum est Doliacus (nam propter dolorem quem ibi habuerunt, sic deinceps nominata est, antea verò alio nomine utebatur) qui dum in broglio prædicti patris in jam dicto Doliaco cervam minabat, equus ejus expavescens, cecidit mortuus de equo expavescenti prædictus filius Alani. Hoc autem videns suprascriptus Alanus de solario quo instabat, valde dolore repletus est: consolandu tamen nuntiavit uxori suæ matrique ejus prædicti juvenis mortem, considerans quippe quod sine causa eveniret. Tunc devotissimè Deum cæli exorans, deprecatus est, ut taliter res suas ei disponere concederet, qualiter sua esser beneplacita voluntas, & qualiter ex eis regnum mereretur æternum. Cœpit ergo tunc pedes unà cum uxore sua ire per monasteria & loca sancta, ac corpora sanctorum quærere, deprecans die ac nocte intentissime Deum, ut porro inspiraret ei, ad quam ecclesiam secundum Creatoris sui voluntatem, tam pro prædicto filio suo suas Domino offerendo res, quàm & remedio animæ suæ traderet. Tali verò devotione surgendo, & orando eleemosynasque faciendo, visitabat limina & corpora atque ecclesias sanctorum multorum, ut Dominus, ceu dictum est, ei inspiraret, ubi suum traderet proprium, quoniam magnam hereditatem habebat, & nullum habebat filium vel filiam heredem.

Dum autem supradicto prætextu à monasterio sancti Martini Turonensis revertebatur, & licet multi servi Dei eum orati essent, ut ad loca sanctorum quibus insistebant, suas res traderet; & si vellet ab eis pretium acciperet, & utrumque haberet, & eleemosynam ex eis & munera. Hæc suadebat ei Abbas de monasterio Turonensi, in quo sanctus Martinus corpore requiescit: similiter & Abbas qui dicitur Duo-Gemelensis monasterii, sive alii Præpositi & Abbates, & servi Dei multi; tamen ad nullum de prædictis locis ejus intentio se submisit, neque ejus devotio se inclinavit, quia fortè Dominus nolebat: & propterea furtè non ei hoc agere inspirabat, quia devotissime in hoc Domini voluntatem quærebat. Dum enim hæc agebantur, & de monasterio sancti Martini Turonensis revertens, ad Cenomannicam prædictus vir properabat civitatem, visitaturus videlicet sanctam matrem & civitatis ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, in qua multas eorum meritis operabatur Dominus virtutes. Cum verò taliter properando Pontileuvalensem synodochium miliarin à prædicta urbe distante iter ageret: venerunt servi Dei ipsius Pontileuvalensis synodochii, & Haduindi Episcopi obviam, & suscipientes eum cum silentio, & per orationes eum deducentes, omnia necessaria ei voluntarie & diligenter ministrabant, & cum magno honore ei serviebant: quia ad hoc opus prædictus domnus BERTICHRAMNUS ejusdem urbis Episcopus ipsum synodochium in Pontileuva in honore sancti Martini fecerat, ut omnes adventantes, tam divites, quàm & pauperes, ibi receptiones haberent; & alimenta, & cetera necessaria abundanter inibi acciperent.

Crastina autem die à prædicto synodochio jam dictus Alanus surgens, ad memoratam matrem ecclesiam oraturus devotissime nudis plantis properabat: quoniam prædicta nocte, dum in præfato synodochio Pontileuva orationi devotissime insistebat; instinctu Dei accensum est cor ejus, ut ad memoratam matrem & civitatis ecclesiam, quæ est constructa & sacrata in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Petri Apostoli & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, ad quam & ipse oraturus properabat, omnes traderet res proprietatis suæ. quod & nutu Dei factum esse nulli dubium est. Hæc quoque peragere, ut ei inspiratum erat, cogitans, mandavit domno Hadoindo præscripto Episcopo, ut obviam ei veniret, & cum eo considerare valeret, qualiter de suis rebus agere deberet, quia notus ei erat & fidus amicus domnus Hadoindus. Fecit enim domnus Hadoindus ut ei jam dictus Alanus mandaverat, & venit obviam ei, & benignè eum suscipiens per orationes ecclesiarum jam dictæ civitatis cum summo honore & magna reverentia deduxit.

Dum autem ad prædictam matrem ecclesiam usque devotissime pervenerunt, in eamque intrantes, & pariter orantes cœperunt flere Alanus & uxor ejus, & cum lacrymis voluntatem eorum publicitet patefecerunt; & de eadem ecclesia sanctæ Mariæ & S. Petri atque sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii exire non potuerunt, antequam omnes res proprietatis suæ prædicto domno Hadoindo & suis consacerdotibus & ministris atque præfatæ matri ecclesiæ legaliter per strumenta cartarum sub stipulatione subnixa firmiter tradiderunt. Hoc autem facto, tam hilari animo & lætitia repleti, levesque corpore sunt effecti, atque ad juventutem priorem, virtute Dei & intercessione prædictorum sanctorum sunt reversi; ut omnes hoc videntes stupescerent, nec vidisse, nec audisse cum lacrymis profiterentur. quod nutu & virtute Dei factum esse non dubium est. Tali enim conditione instinctu Dei tradidit memoratus vir Deo devotus Alanus jam dicto Episcopo præfatæ matri ecclesiæ duodecim villas optimas, cum eorum appendiciis, id est Juliacum, Lucdnnum, Ruliacum, Ruppiacum, Sabololium, Quilselidas, Vernum & Vericium, Tanidam, & prædictum Doliacum, in qua præfixus suus filius mortuus fuerat, & Camatiacum; & postea per translatas manus, Asinatias & ceteras villulas, quarum nomina propter fastidium & tædium legentium hîc non inseruimus. In pollegiticis* tamen & plenariis sanctæ matris prædictæ urbis ecclesiæ hactenus pleniter reperiuntur insertæ. Insuper semetipsum & suam uxorem tradidit præscriptus Ala-

nu

* l. polyptychis.

nus memorato Episcopo domno Hadoindo, & servis Dei in prædicta ecclesia Domino famulantibus, ut de animabus eorum & corporibus suis magnam haberent curam, & corpora eorum alerent, & animas suas Domino lucrarent. Providebat quoque eos domnus Hadoindus diligenter, & ministrabat eis sufficienter, & ita eis serviebat, sicut servus domino. Memoratus ergo Alanus & sua uxor sub potestate prædicti Episcopi studiosissimè & devotissimè Domino die noctuque militabant, & pro supradictis devotionibus, sicut credimus, regnum Dei adquisierunt, & vitam æternam Domino annuente perceperunt. Vivunt enim cum Christo & sanctis ejus in beata gloria, cum quibus in ea & nos eorum fulti orationibus Domino tribuente perpetualiter vivere mereamur, amen.

Prædicti siquidem domni Hadoindi tempore, venit quidam vir sanctus, Domino ducente, sub habitu monastico, nomine LONEGISILUS, quærendo loca ubi aliquam Cellulam ad lucrandas animas facere posset. Audiens autem famam prædicti Hadoindi, venit ad eum, deprecans ei vicum suum canonicum, nomine Buxidum, situm videlicet in pago Cenomannico, in condita Sagonense. Erat enim notus ei ipse vicus, quia frequenter ad eumdem locum convenire solebat: quia aptus ei propter frequentiam populi ad lucrandas animas videbatur, & bonos & Deum timentes viros in circuitu ejus habebat, qui eum bene recipiebant, & omnia necessaria ei ministrabant; & insuper monasterium inibi facere suadebant, quod & de eorum rebus augmentari volebant, in quo & animas suas Domino lucrari ipso docente mererentur. Hæc autem audiens domnus Hadoindus, gavisus est valde, & libenti animo dedit ei prædictum vicum ad jam dictum opus perficiendum, & ad præfatum monasteriolum ad lucrandas Deo animas construendum, suadens ei etiam, ut quod animo Domino inspirante habebat, opere viriliter perficeret. Et insuper dedit ei prædictus domnus Hadoindus alias reicolas & villulas, in circuitu præfati vici Buxidi sitas, quas prædictus domnus Lonegiselus nominatim eum deprecabatur. Dedit etiam ei memoratus domnus Hadoindus in adjutorium ad jam dictum opus Dei perficiendum totam decimam partem villæ suæ sedis ecclesiæ, cujus vocabulum est Lugdunus; unde Dei servi & ipse in præfato vico & in eodem monasteriolo haberent pleniùs victualia eorum & vestimenta. Postea vero tam ejus tempore, quàm & successorum suorum, multæ res ad præfatum monasteriolum à nobilibus & liberis hominibus sunt legaliter traditæ. Ipsum namque monasteriolum cum prædictis rebus & omnibus ad se pertinentibus suæ sedis ecclesiæ subjugatum, & suis successoribus jure ecclesiastico possidendum & canonicè gubernandum ejus reliquit temporibus.

Sequitur exemplar testamenti de vico Cenomanni & monasteriolo Buxidi, & qualiter simul egerunt & convenientias inter se fecerunt sanctus Haduindus & sanctus Lonegisilus, sicut in eo habetur expressum.

IN nomine Dei & Domini nostri Jesu-Christi ac Spiritus sancti. Oportet unicuique homini diem obitus sui bonis operibus præparare, ne eum sine fructu boni operis ultima suæ vitæ dies imparatum reperiat. Idcirco ego in Dei nomine LONAGISILUS indignus Sacerdos, & quamvis non opere, voluntate tamen Monachus, pertractans casum fragilitatis humanæ, relinquens solum Alamanniæ patriæ meæ, parentesque meos nobiles & divites, qui gentiliter vivere me cogebant, & militiæ regali me conjungebant, atque in armis exercebant, & à Christi militia me subtrahebant, & diis mortalibus me servire exhortabant; sed, ut credo, inspiratione divina eos respuebam, quia vana mihi videbantur, & omnipotenti Deo me sociare curabam: cœpi tunc quærere Christianos ut ab eis discerem qualiter agerem: à quibus litteris instructus, & baptizatus, Christianus effectus sum. Postea verò cœpi loca sanctorum & monasteria frequentare, & quærere loca, ubi aliquam cellulam ædificare potuissem. Taliter Domino ducente perveni in pago Cenomannico, ubi à domno Hadoindo domino meo amabiliter sum susceptus. Cui voluntatem meam manifestavi, atque qualiter ab infantia mea egeram patefeci: à quo & confortatus, cœpi in eodem pago ejus auxilio & exhortatione quærere, ubi aliquam cellulam ad lucrandas animas facerem. Quadam autem die perveni ad Busiacum vicum canonicum, ubi detentus sum à Presbyteris & pagensibus ejusdem loci: quibus cùm voluntatem meam patefacerem, cœperunt me exhortare, ut in eodem loco cellulam ædificarem, quia locus popularis est, & eleemosyna multa ibidem venit, & populus noster amans Deum, qui sufficienter mihi facerent, in tantum ut locum ab Episcopo impetrarem. Qui statim mihi dederunt hereditates eorum, & multas possessiones dederunt. Cum autem hæc Domino meo Hadoindo renunciarem, egit Deo gratias, & ordinavit me sacerdotem, & memoratum vicum Busiacum mihi dedit una cum reliquis prædiis & adjacentiis suis, ea videlicet conditione, ut subjectus essem Cenomannicæ matri ecclesiæ, & quicquid conquirere & attrahere undique poteram, sibi traderem, & prædictum monasterium cum omnibus ad se pertinentibus prædictæ matri ecclesiæ, sicut antea fuerat, cum omnibus quæ ibi lucrare potuerant, futuris esset temporibus. Cujus manibus me libenter tradidi & omnes res quas adquirere potui, seu in futuro adquirere potuissem, per hanc cartam delegavi perpetualiter ad possidendum, vel ejus successoribus, per licentiam & permissum sive concessum domni CLOTHARII Regis, unà cum missu suo, nomine Buccellino, Comite, legaliter tradidi atque confirmavi. Ab ipso enim domno meo Hadoindo Episcopo accepi de rebus suæ sedis ecclesiæ sanctæ Mariæ & sanctorum Gervasii & Protasii aliquam partem de villa Lucduno, unà cum præfato vico Buxido seu de aliis rebus quas ei precavi, & ecclesiastica ornamenta multa, unde valde ditatus sum ad ipsum monasteriolum perficiendum. Cujus adjutorio, & operariis vel magistris fultus, monasterium ibidem ædificare merui. Postea verò ad Clotharium Regem accusatus & adductus: sed Dominus qui semper adjuvat sperantibus in se, ipse me adjuvavit, & convertit ipsam accusationem in bonum, & inveni ejus misericordia gratiam Clotharii Regis: & ab eo multis muneribus ditatus, atque ad prædictum monasteriolum censivit annos singulos argentum solvere, unde illud perficere potuissem: & tuitionem mihi fecit. Et sic reversus omnia illa tradidi per hæc strumenta memorato domno meo Hadoindo Episcopo & ecclesiæ suæ perpetualiter tenendum, jubente & hortante domno Clothario contradidimus, atque confirmamus, eo videlicet modo, ut futuris temporibus Monachi, ibi semper regulariter viventes, sub potestate Pontificis permaneant, ea scilicet ratione atque prætexto, ut rem datam Pontificis, non judiciario more, sed ecclesiastico, sub integra emunitate, sicut à nobis huc usque possessum est, in jure Oratorio sancti Petri (cujus dentem Roma, Domino tribuente, super corpus & super altare ejusdem sancti Petri ipso principe Apostolorum revelante invenire merui, & domino meo Hadoindo Episcopo deferri: quem ipse suis precibus Domino commendavit, & in prædicto nostro Oratorio solemniter collocavit;) memoratum

nostrum monasteriolum per hanc paginam testamenti reddo domino meo Hadoindo Episcopo : & quidquid adquisivi, sive deinceps acquirere potuero in omnibus rebus, tam mobilibus, quàm & immobilibus, trado atque transfundo in jure & potestate ac dominatione sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu-Christi, vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, ut eorum Rectoribus atque Pontificibus debeat Deo protegente & opitulante consistere. Licet in cessionibus pœnam adnecti non sit necesse, sed nobis pro omni firmitate placuit inferendum. Si quis verò (quod futurum esse non credimus,) si nos ipsi (quod absit) aut aliquis de heredibus nostri, seu qualibet persona calliditate commotus aut præventus ullo unquā tempore comprehensam epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini & reverentia ipsius sancti loci spontanea voluntate fieri decrevimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiversator extiterit, anathema sit : & tam qui fecerit, quàm qui faciendo consenserit, anathema sit, & cum suprascripto sancto Apostolo ante tribunal Christi deducat rationes, insuper inferat juxta pœnam sæculi, cum cogente fisco, partibus ipsius ecclesiæ vel eorum Rectoribus aurum libras centum, argenti pondera c c persolvere faciat, & quod repetit nullatenus valeat vindicare; sed præsens cessio atque voluntas nostra omni tempore inviolata permaneat cum stipulatione subnixa. Et ut hæc cessio firmior habeatur, & inviolabiliter conservetur, manus nostras subterfirmavimus, & aliorum virorum bonorum decrevimus roborare. Actum Sagonna malo publico. Data viij Kal. Decembris anno lij * regnante *f. xlij.
Clothario Rege. Ego LONEGISELUS indignus Sacerdos & voluntate Monachus hanc donationem à me factam subscripsi & adfirmare rogavi. In Dei nomine ego MEDEGISELUS Turonicæ urbis Archiepiscopus peccator deprecante Lonegiselo subscripsi. In Dei nomine MAGNOBONUS peccator Episcopus rogante Lonegiselo subscripsi. In Dei nomine ego ABBO misericordia Christi Episcopus subscripsi. Signum ODILARDI Comitis. Signum LEOBARDI Comitis. Signum RAIGAUDI Comitis. Ego BENEDICTUS Abba subscripsi. Ego SIAGRIUS Abba subscripsi. Ego LEUTERIDUS Abba subscripsi. Signum Leutramni. Signum Turingo. Signum Teutberto. Signum Paterno. Signum Babone. Signum Ibboleno. Agatho Honoratus subscripsi. GHEIRINUS rogante domino meo Clothario Rege subscripsi. Guntinus Honoratus subscripsi. Ibbo notarius subscripsi, relegi, notavi diem & annum.

Sequitur exemplar precariæ, quam domnus Hadoindus Episcopus fecit Lonegisilo sacerdoti de Busiaco monasteriolo & vico canonico.

DOmno sancto ac venerabile sede Apostolico HADOINDO, Cenomannicæ Præsule, unà cum sancta congregatione ex ipsa urbe consistente, ego in Dei nomine LONEGISILUS indignus Sacerdos & voluntate Monachus, precator à vobis accedo. Dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut illud monasteriolum, quæ est constructus in honore sancti Petri, & est situs in terraturio sanctæ Dei genitricis Mariæ & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, matris & Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ in pago Cenomannico, in loco qui dicitur Busiacus, vicus canonicus, quem ego Lonegisilus olim vestra largitate merui accipere, & vestro adjutorio reædificare per vestrum beneficium sub usufructuario ordine tempore vitæ meæ, cum omnes res ad se pertinentes, vel aspicientes, mihi tenere permisistis, & censivi annis singulis ad matrem civitatis ecclesiam persolvere, ejusque Pontificibus atque Rectoribus, id est ad lumen ecclesiæ de cera libras majores iiij, & de oleo libras vj, & treantes ij, & ad opus Episcopi cambutta una, & pellicam j, & dimidiam libram argenti monetæ publicæ, & ad opus Canonicorū duo modia vini ad caritatem faciendam : & si negligens aut tardus de ipso censo apparuero, fidem exinde faciam, & ipsum monasteriolum tempore vitæ meæ non perdam ; & alicubi nec vendere, nec donare, nec alienare pontificium non habeam, nisi sub jure & potestate ac dominatione sanctæ Mariæ, & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, vel eorum Pontificibus atque Rectoribus permaneat. Et post meum quoque Domino ducente de hac luce discessum, absque ullius Judicis consignatione aut heredum nostrorum contradictione, jam dictum monasteriolum cum omni integritate, & res ad se pertinentes, vel aspicientes, vos aut Rectores, successoresque vestri in vestram faciatis revocare potestatem vel dominationem : & ut hæ precariæ uno tenore conscriptæ, una quæ in thesauro civitatis ecclesiæ recondita sit, & alia quam ego à vobis Lonegisilus accepero, omni tempore firmæ & stabiles permaneant. Actum Cenomannica civitate publica. Data Kal. Decembris anno lij * regnante Clothario Rege. * f. xlij.
Ego HADOINDUS peccator Episcopus hanc precariam à me factam subscripsi. Ego WINOMANNUS indignus Abbas subscripsi. Ego CHRISTIANUS indignus Abba subscripsi. Ego BOOLLO indignus Abba subscripsi. Ego BENEDICTUS indignus Archidiaconus subscripsi. Ego INNOCENS indignus Archipresbyter subscripsi. Ego Perto indignus Presbyter subscripsi. Ego Winegaudus indignus Presbyter subscripsi. Ego Ratgaudus indignus Presbyter subscripsi. Ego Brichius indignus Presbyter subscripsi. Ego Walitus indignus Diaconus subscripsi. Ego Adalbertus indignus Diaconus subscripsi. Signum Hartgaudi. Signum Requisiti. Signum Sigemari. Signum Walandi. Signum Sigebodus. Signum Sigefredi. Ego Walcfredus Diaconus rogante domino meo Hadoindo Episcopo hanc precariam scripsi & subscripsi.

Sequitur exemplar præcepti Clotharii Regis super memoratam precariam.

CLOTHARIUS Rex Francorum, vir inluster. Si petitionibus servorum Dei vel bonorum hominum, quæ nostris auribus fuerunt relatæ, & augmentum præstamus, & eas ad effectum perducimus, hoc nobis ad æternæ salutis præmium vel stabilitatem in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur inluster vir domnus LONAGISILUS directa petitione clementiam regni nostri adserens nobis intimavit, eo quod ante hos dies in terra sanctæ Mariæ, vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii matris & Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ, unà cum consensu HADOINDI Cenomannicæ urbis Episcopi, vel ejus congregatione, monasteriolum quoddam, prædicto Episcopo consentiente, seu adjutorium non modicum præstante, in honore sancti Petri construxit vel reædificavit, seu de argento, quem ei dederamus, inmelioravit : & postquam ille ibi venit, & largitione memorati Episcopi illud habuit, sicut in eorum strumentis & precariis continetur, res atque mancipia, quæ ad ipsum monasteriolum à bonis & Deo timentis hominibus traditæ sunt, tam in pago Cenomannico, quàm & in aliis pagis atque territoriis cum omnibus adjacentiis earum vel appendiciis, cum omni re inexquisita, ad prædictam matrem & civitatis ecclesiam, quæ est in honore sanctæ Mariæ & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, vel domno Hadoindo prædicto Episcopo, qui ibidem ad præsens custos & rector præesse videtur,

ipsas res nostro ex permissu, sive per nostram licentiam & auctoritatem, per sua strumenta tradidit atque delegavit. Ideo petiit celsitudini nostræ, ut per nostram auctoritatem plenius confirmare fecissemus: quorum petitionibus gratanter adsensum præstavimus, & in omnibus confirmavimus. Præcipientes enim jubemus, ut sicut jam dictus Lonegisilus Sacerdos & Monachus ipsum monasteriolum, quod in ipsa terra sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii ædificavit, unà cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, peculiis, pecuniis, mobilibus & immobilibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, ad ipsa casa Dei per sua strumenta tradidit & delegavit, seu quod nostris & futuris temporibus ad eumdem locum traditum fuerit, & hoc ad præsens ibidem recti ordine videtur esse possessum vel dominatum, ita & inantea inspecta ipsa epistola donationis, & precaria acceptionis, per hoc præceptum plenius in Dei nomen confirmamus monasteriolum superius nominatum, cum omni integritate, ad ipsa prædicta casa sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii Martyris nostris & futuris temporibus jure firmissimum proficiat in augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, & in omnibus conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare, & nostro sigillo sigillare. Clotarius Rex Francorum subscripsi. Adogrimus jussus optuli & subscripsi. Datum dies viij quod fecit mensis Januar. anno liij. regni nostri Compendio palatio nostro in Dei nomen feliciter, amen.

Temporibus quoque prædicti domni Hadoindi Episcopi erat quidam peregrinus per prædictam parochiam transiens, & reliquias sanctæ Dei genitricis Mariæ secum deferens, in loco qui vocatur Avrion *, fessus pervenit: ibique quadam die sub aliqua arbore requiescens, & in ipsa arbore prædictæ sanctæ Mariæ reliquias appendens, atque diutius inibi toto corde orans obdormivit, & fessus paulisper requievit. Surgens autem inde, & ad alia loca properare volens, prædictas reliquias de jam dicta arbore auferre, neque secum deferre valebat. quod & nutu Dei factum esse haud dubium est. Audiens igitur hæc ingentia signa antedictus domnus Hadoindus Pontifex, citissimè ad eumdem locum properare festinavit, ibique hæc omnia, sicut supra inserta sunt, vera esse sciscitando cognovit. Ipsum scilicet peregrinum benignè suscipiens, & ipsas reliquias ibidem venerabiliter custodiens, divinitus ammonitus est, ut ecclesiam ibi & monasterium in honore sanctæ Mariæ faceret. Ille verò idipsum facere non renuit: sed voluntarie ipsum opus perficere totis viribus studuit. In terratorio enim ecclesiæ senioris Cenomannicæ urbis, cui idem Pontifex præsidebat, juxta vicum scilicet suum quod Avrion vocatur, eo quod inibi pagani christianitatis normam hauserunt, in quo & antecessor suus domnus Turibius dudum ecclesiam, postquam ei & suæ sedis ecclesiæ traditum ab heredibus, quorum proprium Rupiacus erat, fecerat, quia prædictus vicus Avrion de jam dicta villa Rupiaco erat. Sed, ut superius memoravimus, domno Turibio secundo Cenomannicæ urbis Episcopo à præfixis heredibus ad ecclesiam faciendam & ad cultum divinum explendum traditum olim fuerat, sive ad decorem suæ sedis ecclesiæ amplificandum, & ad totius christianitatis normam ornandam, à prædictis Dei timentibus hominibus firmiter est delegatum, sicut in actibus jam dicti sancti Turibii hactenus insertum invenitur. In præfixo namque vico, quia (ut dictum est) dudum fuerat de villa quæ Rupiacus nominatur, hoc ingens signum demonstratum est, & in ipso terraturio suæ sedis ecclesiæ jam dictum monasterium, sicut ei instinctu Dei demonstratum est, ædificare mirificè cœpit, & ad effectum usque perduxit. In eodem quoque monasterio quod in terratorio sanctæ Mariæ & sancti Gervasii, & matris & civitatis ecclesiæ devotissimè in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ perstruxerat, prædictas sanctæ Mariæ reliquias devotissimè & honorificè collocavit, & truncum prædictæ spinæ infra ipsum altare sanctæ Mariæ inclusit, & agmina Monachorum inibi Deo deservientium nobiliter instituit, atque de rebus Episcopatus sui ipsam ecclesiam sive ipsum monasterium dotavit, sicut hactenus in ejus testamento, quod de ipso monasterio fecit, declaratur. Demum verò multi nobiles ad jam dictum monasterium eorum hereditates in honore Dei & amore sanctæ Mariæ legaliter per strumenta cartarum tradiderunt. præfixum videlicet monasterium matris & civitatis ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Gervasii, cui præsidebat, ecclesiastico ordine subjugavit, ac suis successoribus atque civitatis & matris ecclesiæ Sacerdotibus & Canonicis perpetualiter jure (ut diximus) ecclesiastico possidendum & ordinandum dereliquit. Hic quippe sedit annos in prædicta sede undetriginta, menses xj, dies xxiij, qui in pace xiij Kal. Septembr. obiit, & in ecclesia Apostolorum ultra fluvium Sartæ, in qua domnus Victurius & ceteri nonnulli antecessores sui Episcopi requiescunt, honorificè à Sacerdotibus & discipulis suis sepultus est. Cujus obitum virtutum perfecuta sunt signa, qui & cum sanctis æternaliter in cælestibus regnat sedibus, ubi & nos pervenire intercessionibus omnium sanctorum Dei atque una cum illis beata requie frui mereamur, tribuente illo cui nihil difficile est faciendum per sæculorum sæcula, amen. Exemplar autem testamenti ejus, quod de Avrion monasterio fecit, in fine hujus suæ parvæ commemorationis in comparatione magnorum quæ fecit, ideo inserere placuit, ut si quis scire voluerit qualiter prædictum monasterium dotaverit, & quales res aliis ecclesiis dederit, hic indubitanter repetiat.

Sequitur exemplar præfati testamenti.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi & Spiritus-sancti viij Id. Februarias, in anno v regnante gloriosissimo Clonovæo Rege. Ego Hadoindus, acsi indignus, tametsi peccator Episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Cenomannis civitate, sanus Deo propitio mente & corpore, sanoque consilio, metuens humanæ fragilitatis casum, testamentum condidi, eumque Cadulfo Diacono scribendum dictavi. Quod testamentum meum si quo casu jure civile aut prætorio, vel alicujus novæ legis interventu valere nequiverit, acsi ab intestato, ad vicem codicillorum valere eum volo & valeat. Itaque si quando ego Hadoindus suprascriptus Episcopus è rebus humanis excessero, debitum venturi temporis complevero, tunc tu sacrosancta ecclesia Cenomannis heres mea esto, heredemque meam te esse constituo, ita ut ubicumque aliquid per hunc testamentum meum dedero, legavero, dareque jussero, & ut datus fiat, præstetur, fidei tuæ heres mea committo. Dono tibi sancta ac venerabilis mater ecclesia Cenomannica in honore sanctæ Mariæ & domni Gervasii & Protasii Martyrum, villam juris mei, cujus vocabulum appellatur Avesa, quam datis rebus propriis meis comparavi, cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, & pascuis, quantumcumque in ea loca aspicere videtur, cum colonis & integro termino suo, ad jus & donationem vestram revocetur perpetualiter possidendum. Similiter basilica domni Victurii, ubi ipse domnus requiescere dinoscitur,

* Evron.

& si meruero, inibi sepulturam habere desidero, dono inibi villa nuncupante Acerveo, quam dato pretio comparavi, cum domibus, mancipiis, vineis, silvis, pratis & pascuis, exceptis his quos pro animæ meæ remedio ingenuos fieri præcepi, totum & ad integrum præfata basilica post meum discessum suæ potestatis faciat revocare perpetua dominatione possidendum.

Per ea verò conditione dono sanctæ basilicæ domni Petri & Pauli Apostoli, quam domnus BERTICHRAMNUS quondam Episcopus ad opidum Cenomannicæ civitatis suo opere ædificavit, villam proprietatis meæ Iscomodiaco, sitam in pago Belim *, quam data pecunia de Ausereno & genitrice sua comparavi, ut hoc ministri ejusdem post meum transitum teneant, possideant, & futuris facere cui voluerint derelinquant. Similiter dono ad ipsa sancta basilica domni Petri & Pauli Apostoli villas quibus nomina sunt, Taudiniaco, Martiniaco, quam Lupus quondam per beneficium nostrum tenere visus fuit, hoc suprascripta basilica post nostrum discessum cum omni integritate quod ad ipsas villas aspicere videtur, ministri nostri jam dictæ basilicæ de præsente percipiant dominandum.

* al. Belsivi.

Simili modo dono basilicæ domni Vincentii Martyris, quam DOMNOLUS sanctæ recordationis Episcopus suo labore construxit, villam juris mei Pratellus, cum omni integritate, quantumcumque inibi DOMNOLA visa fuit habuisse. Simili modo dono basilicæ domnæ & sanctæ Mariæ Aureonno vico, quem AGOBERTUS Abbas Dirigens. * simul ædificavit, & Jona villa, quæ fuit Sigulfo Presbytero, & ejus fidelis noster Chaddo pèr nostrum beneficium habere videtur, pariter & mansionem ad prope ipsa Jona, quam Lupus quondam tenuisse visus fuit; ipsius CHADDONO volumus esse concessum, si tamen filios habuerit, in eorum permaneat potestate: & si quos filios non habuerit, post suum transitum ad jus & dominationem domnæ Mariæ de Aureonensi vico revertatur perpetuis temporibus dominandum. Similiter villa Lastemariaco, quam ex munificentia nostra ipsius fidele nostro Chaddono Defensore concessimus, voluntas mea est, ut dum advixerit, hoc usu possideat; post ejus discessum, cum omni re meliorata vel superposita sanctæ basilicæ Aurionense vico revertatur. Similiter & Pauliaco, qui fuit Roccoleno, partis jam dictæ basilicæ domnæ Mariæ ejusque temporibus possidere decernimus. Itemque villa Baudiacæ ex comparatione legitimos nostros directionibus revocavimus, cum terris, domibus, mancipiis, silvis, pratis & pascuis, accolis, cum omnibus integro terminum præfatæ sanctæ basilicæ ejusque ministri in perpetuum à die præsente jure suo recipiant: simulque & villa Driaco * ad oppidum ipsius basilicæ, cum colonica Lamariaco antefatæ sanctæ basilicæ sanctæ Mariæ pro nostra interveniendum peccata. Similiter Ausciaco, qui fuit Druculfo, & hoc quod de Edeberto commutavimus, simili modo Auliaco & Castra, similiter villa Commetas, quam de illustri matrona MODENANA data nostra pecunia comparavimus, cum domibus, ædificiis, terris, mancipiis, silvis, ac pascuis, basilicæ illius domnæ Mariæ Antonianensis vico conscribimus. Appiaco colonia, simili modo villa Frigida fonte cum omni integritate, vel aspicientes ad se pertinentes, cum domibus, ædificiis, mancipiis, tam servos quàm & ingenuos, litis, accolis, terris, vineis, silvis, pratis & pascuis, aquis, aquarumve decursibus omni re inexquisita, ut à die præsente antefatæ sanctæ basilicæ domnæ Mariæ pro nostra interveniendа peccata, ut Dominus noster Jesus-Christus quantitate nostris delictis concedere dignetur, illuc esse proficiendum. Similiter Vernicella cum omni jure & termino suo vel colonica ad se pertinentes, ad ipsam sanctam basilicam proficiat in perpetuum. Et si aliquis exinde epistolam, quasi à nobis factam protulerit, vacua & inanis permaneat. Et ita nobis convenit, ut superius, intimare, ut quicumque facta nostra de propinquis aut de heredibus nostris cartam aliquam, quamvis bonorum hominum manus roburata, ut cupiditas suadet, protulerit, vacua & inanis permaneat; & illam maledictionem percipiat, ut superiùs est comprehensum. Villa Fontanas in pago Silviacinense filius & parens noster BONILO, dum superstes fuerit, locellum illum tempore vitæ suæ teneat ac possideat. In Christi nomine HADOINDUS etsi peccator Episcopus hoc testamentum, quod ex devotione fieri rogavi, relegi & subscripsi, Rensidus subscripsi, Berthegiselus subscripsi, Marsus subscripsi, Austrebertus subscripsi, Saighrannus subscripsi, Audobertus subscripsi, Cadulfus ordinante domno Hadoindo Episcopo hoc testamentum redditus scripsi & subscripsi.

* al. Diablentis.

* al. Briaco.

Domnis magnificis in Christo & sanctæ ecclesiæ filiis BODITONO & AUDRANNO HADOINDUS Episcopus. Rogo & supplico caritati vestræ, ut cum me Dominus & Creator omnium de hoc sæculo migrare præceperit, Cenomannis civitate ire faciatis; & ibi testamentum meum cum apertum fuerit, vos prosequentibus apudque publica gesta municipalibus faciatis alligare: & quod unicuique per ipsum testamentum, sanctis civibus vel propinquis meis, seu fidelibus visus sum delegasse, vestra dispensatione unusquisque, juxta ipsa delegatione percipere valeat; & quicquid exinde egeritis, gesseritis, ratum & firmissimum debeat permanere. Quod mandatum manu nostra firmavimus, & petimus muniendum, Cenomannis civitate. In Christi nomine HADOINDUS etsi peccator Episcopus hoc mandatum relegi & subscripsi. Rensindus subscripsi. Berthegiselus subscripsi, Marsus subscripsi, Audo subscripsi, Austrebertus subscripsi, Decusor subscripsi, Sirannus, Cadulfus Diaconus ordinante domno Hadoindo Episcopo hoc mandatum scripsit & subscripsit.

Similiter & exemplar precariæ, quam idem domnus Hadoindus Episcopus de monasterio sancti Karilesi Sigeramno Abbati suo fecit, his in gestis inserere placuit, ut si, quod absit aliquo casu aut negligentia authenticum ejus perditum fuerit, &c.

DOmino sancto ac venerabile sede Apostolico HADOINDO Cenomannicæ urbis Episcopo una cum ipsa congregatione ex ipsa urbe consistente, ego in Dei nomine SIGRANNUS indignus Sacerdos atque Monachus, precator à vobis accedo. Dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut illud monasteriolum, quod est constructum in honore sancti Petri & sancti Martini, & est situs in terraturio sanctæ Mariæ Dei genitricis vel sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, matris & Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ, in pago Cenomannico, in loco quodam quæ ab antiquis dicebatur Casa-Gaiano, super fluvium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, ubi domnus Turibius ejusdem parochiæ Pontifex dudum in rebus senioris & matris civitatis ecclesiæ, cui præsidebat, ecclesiam in honore sancti Petri principis Apostolorum fecerat, quæ tamen destructa propter imminentes vastationes fuerat. Sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ibi erat, quando domnus Karilesus per licentiam & deprecationem atque adjutorium dom

Innocenti Episcopi in jam dicta terra sanctæ Mariæ & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii ex rebus ipsius & aliorum bonorum virorum ædificavit: per vestrum beneficium sub usufructuario ordine, tempore vitæ meæ, cum omnes res ad se pertinentes vel aspicientes, mihi tenere permisistis, & censivi annis singulis ad matrem civitatis ecclesiam persolvere vel ejusque Pontificibus atque Rectoribus, id est ad lumen ecclesiæ de cera libras iiij, & ad opus Episcopi cambutta una, & subtalares ij, & ad opus Canonicorum ibi Deo degentium buticulas duas paratas, plenas de vino optimo, & in Cœna Domini plenum modium de ovis & si negligens aut tardus de ipso censo apparuero, fidem exinde faciam, & ipsum monasteriolum tempore vitæ meæ non perdam; & alicubi nec vendere, nec alienare pontificium non babeam, nisi sub jure & potestate ac dominatione sanctæ Mariæ, & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, vel eorum Pontificibus atque Rectoribus permaneat. Et post meum quoque jubente de hac luce discessum, cum omni re emeliorata vel suprapposita, absque ullius judicis consignatione aut heredum nostrorum contradictione, jam dictum monasteriolum cum omni integritate & res ad se aspicientes vel pertinentes, vos aut Rectores successoresque vestros in vestram faciatis revocare potestatem vel dominationem. Et ut hæc precariæ, uno tenore conscriptæ, una quæ in thesauro civitatis ecclesiæ recondita sit, & alia, quam ego Sigrannus à vobis accepero, firmiorem obtineant vigorem, manus nostras proprias subterfirmavimus, & bonorum virorum decrevimus roborare. Actum Cenomannis civitate publica. Data viij Idus Aprilis anno xxxj* regnante DAGOBERTO Rege. Ego HADOINDUS, quamvis indignus Episcopus, hanc precariam à me factam subscripsi. WISTREMANDUS Abbas subscripsi. Oduluvinus Presbyter subscripsi. BERNERICUS indignus Abbas subscripsi. Winctharius Presbyter subscripsi. Adamalgaudus Diaconus subscripsi. Danibel Presbyter subscripsi. Helenus Presbyter subscripsi. Erigaudus Diaconus subscripsi. Ebrenus Presbyter subscripsi. Landricus Diaconus subscripsi. Emmo Presbyter subscripsi. Albo Diaconus subscripsi. Herifredus Presbyter subscripsi. Besto Presbyter subs. Urso Diaconus subscripsi. Signum LANDOHIE Advocato.

* f. xvj.

Sequitur exemplar præcepti, quod Dagobertus Rex Francorum vir illuster super prædictam precariam, & de monasterio Anisola Hadoindo Episcopo & Sigranno ejus Abbati firmitatis causâ fecit, sicut in eo habetur insertum, cujus exemplar supradicto prætextu hic inserere necesse fuit.

DAGOBERTUS Rex Francorum, vir inluster. Si ea quæ opportunitatibus ecclesiarum vel sacerdotum pertinent, libenter præstamus, vel ad effectum producimus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, & nobis ad mercedem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur compertum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris, quia miserunt ad nostram clementiam HADOINDUS Cenomannis urbis venerabilis Episcopus & SIGRANNUS Abbas de monasterio Anisolæ, quorum missi nobis innotuerunt, & per epistolas prædictorum virorum adsensum & deprecationem confirmaverunt, dicentes eo quod prædictum monasteriolum Anisolæ per titulum precariæ supplicasset prædictus Sigrannus Abbas ad suum supra citatum Hadoindum Episcopum, in quo etiam monasteriolo domnus KARILEFFUS corpore requiescit, quod & ipse construxit, & in dedicatione ecclesiæ domno Innocente præfatæ urbis Episcopo per strumenta cartarum tradidit. quod etiam in beneficium per precariam jam dictus Abbas à supradicto HADOINDO adeptum habet. Unde & scriptum precariarum nobis eorum missi ostenderunt, in quibus continebatur, qualiter præfatum monasteriolum à memorato Episcopo jam dictus Abbas petisset, atque ab eo beneficiario jure diebus vitæ suæ percepisset, & ob rei firmitatem censum ei per singulos annos solvere spopondisset, id est ad lumen matris ecclesiæ iiij lib. de cera, & ad opus fratrum Canonicarum in prædicta civitate Deo militantium, in Cœna Domini plenum modium de ovis, & plenas buticulas paratas de optimo vino, & ad opus Episcopi cambuttam unam, & duos subtalares per singulos annos partibus memorati Episcopi vel Rectorum ejus persolvere debuisset. Petentes ergo ad nostram miserunt celsitudinem epistolas ambo & missos, ut super precariam memorati Antistitis gratia firmitatis fecissemus præceptum, per quod monasteriolum prædictum memoratus Sigrannus Abbas tutum & securum, dum advixerit, tenere & possidere cum omni integritate vel suprapposito valeret. Proinde hanc nostram auctoritatem memoratis venerabilibus viris fieri jussimus, per quam præcipimus atque jubemus, ut præscriptum monasteriolum, sicut memorato Abbati à supra memorato venerabili Hadoindo Episcopo sibi beneficiario ordine collatum est, ita deinceps in ejus beneficiaria dominatione permaneat, & supra scriptum censum partibus rectorum ejusdem Cenomannicæ sedis absque ulla dilatione persolvere studeat. Post ejus verò decessum, ad ejus & potestatem memoratæ urbis Cenomannicæ matris ecclesiæ, à qua in beneficium illud accepisse dinoscitur, absque ullius detentione aut contrarietate revertatur: ut rectores ejusdem sanctæ ecclesiæ, quidquid de eo jure ecclesiastico disponere voluerint, faciant. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare.

CAPUT XIII.

Gesta domni Berarii Cenomannicæ urbis Episcopi qui fuit tempore ultimo Clodovei filii Dagoberti, & tempore Clotarii, atque Theoderici filiorum ejus.

DOmnus BERARIUS, Cenomannicæ urbis Episcopus, natione partim Francus, partim Aquitanicus, ortus ex nobilissimis utriusque sexus parentibus, fecit & ordinavit in Cenomannica parochia monasteriola nonnulla, atque ipsa regulariter degere instituit. Igitur tempore quo Clodoveus, Dagoberti filius, regni Francorum sceptra regebat, vir utique nobilissimus, & in administratione publicarum rerum perspicacissimus. Nam cùm egregiis polleret moribus, justis petitionibus servorum Dei nostri tam facilem quàm devotum præbebat assensum. Qua de re contigit, ut ejus tempore multa per regnum ejus constructa fierent monasteria, multaque religiosorum actuum augmentarentur insignia.

Denique inter cetera sui temporis divinorum actuū indicia, etiam beatorum corporum BENEDICTI scilicet præcipui confessoris Christi, sanctæque SCHOLASTICÆ virginis ac sororis ejus, quibusdam servis Dei ex Galliis in Beneventanam provinciam, divinitus revelatione facta, pro hoc ipsū adventantibus ostensa sunt pignora, ac Domino præeunte ac comitante in Galliam ve-

nerabiliter delata. Hæc namque sacratissima corpora multis temporibus à frequentia hominom fuerant remota. Quippe cùm loca montis-Cassini, quæ ea retinebant, ex tempore quo à Gothis fuerant funditus eversa, in solitudinem persisterent redacta. Cum igitur gens Longobardorum diu infidelitatis suæ tenebris carere noluisset, & jugum Domini ferre detrectans, eos qui fuerant impugnare decrevisset, Italiam venit, nominis Christiani impugnandi gratia, & suo eam dominio subjugandi: cujus incolas occulto Deus judicio ejus mucroni tradidit feriendos. quæ gens longe, lateque suæ cædis extendens crudelitatem, Beneventanam aggressa est espugnare provinciam: cujus urbes terræ coæquans, monasteria villasque depopulans, non minimas Christianorum strages dedit. Oves enim dominicas ab ovilibus exclusas diversa cæde lacerans, ovilia Domini evertebat, itaut in heremi vastitatem loca prius desiderabilia conversa viderentur. Unde inter cetera facinora sua monasterium eximii patris Benedicti depopulans, rebus omnibus orbatum inhabitabile reddidit. Quæ eversio qualiter vivente adhuc eodem beato Benedicto ab ipso per Spiritum-sanctum prævisa atque prædicta fuerit, qui plenius scire voluerit, in dialogorum libris beati Gregorii facilè reperire valebit, ad quos lectorum invitantes, ea quæ cœpimus prosequamur. Igitur Rege supradicto Francorum gubernacula feliciter regente, uno eodemque tempore non dissimilis duobus amatoribus Dei, licet altrinsecus corporaliter longe positis, domno scilicet Berario Cenomannis civitatis Episcopo, & Mummulo Floriacensis monasterii in pago Aurelianensi positi venerando Abbati divinitus ostensa est, istud alterutro tamen, quod alteri de eisdem sanctis corporibus monstratum fuerit, ignorante. Quadam itaque nocte dum prædictus venerabilis Præsul Berarius pervigil in uratione positus more solito persisteret, divinitus (ut diximus) præceptum est ei, ut ad Beneventanam regionem, ad locum qui Mons-Cassini vocabatur, devotissimos Dei servos dirigeret, qui corpus sacratissimæ Scholasticæ, sororis scilicet sanctissimi Benedicti, quod illud jam dudum ab hominibus quidem neglectum, sed ab Angelis frequentatum erat, devotissimè & cum omni veneratione ejusdem, id est Cenomannis civitatem, & ad eumdem venerabilem Episcopum venerabiliter de reliquo observaturum deferrent. Non dispar etiam huic revelationi in Floriacensi monasterio, suprascripto beato viro Mummolo Abbati ostensa est visio, qua ei injunctum est, ut & ipse ad eamdem provinciam, ad prædictum locum religiosus mitteret viros, qui sacratissimum beati Benedicti corpus ad eum usque in præfato monasterio, quod nuper Domino volente ab infirmis fundatum fuerat, simili modo collocandum deferrent. quod ita Domino suffragante præscriptorum pignorum meritis impletum est.

Præfatus igitur domnus Berarius venerabilis Præsul fide firmos, actione felici perspicuos, secundum visionem sibi divinitus ostensam studiosissime peregit, devotissimosque Dei servos, qualiter hujusmodi Domino docente perficere deberent, sapientissimè instruxit; eosque ad id pro viribus peragendum absque dilatione direxit. Ipse autem interdum monasterium ab infimis fabricare, & construere in fundo minime dudum habitabili suæ sedis ecclesiæ studuit, omnimodis satagens, ut si cœptum opus felicem atque optatum Domino favente perciperet effectum in eorum reversione præparatum & decentem ornatum, in quo desiderabilis posset complecti atque ornatissime componi thesaurus, invenirent locum. Interea prædicti ad hujusmodi explendum opus devotissimi legati venerandi præsulis præcepta libentissimè secundum voluntatem Dei perfecturi, iter capere Domino præeunte cœperunt: & devertentes in monasterium Floriacense hospitandi gratia, missis suprascriptis aptissimè se junxerunt. Qui se ipsum iter quod & illi pergebant, perficere fatebantur, & tamen nemo ex alteri retulit, cujus rei gratia hujusmodi iter facere curarent. Inde verò simul progressi, cœptum iter usque Romam venerunt, & indivisibiliter peregerunt. Quo cum pervenissent, beati Petri basilicam orandi gratia simul adierunt: inde aotem egredientes, quasi sub obtentu loca singulatim visendi sanctorum, à se invicem discesserunt. Hoc verò, ut rei veritas demonstrat, egerunt, ut quilibet eorum alteri quod quærebat occultare valeret, & ne id alicui alterius partis manifestum fieret. Perfecturi itaque negotium quod cœperant, ut diximus, sese ab altero itinere diviserunt: sed ad destinatum locum castri, id est Cassinum, simul iterum altero de alio ignorante, Domino autem volente, una die convenerunt. Cumque se iterum improvisè simul advenisse perpenderent, utique hæsitantes quid alterius partis studium vellet, æstimantes quod Dei nutu hujusmodi utriusque eventus accideret; tandem sibimet mutuo sui itineris causam, & ob quod desiderium tam longum sumsissent laborem, qui diu occultaverant, manifestarunt, Cenomannici scilicet viri, quod corpus sanctæ Scolasticæ, Floriacenses autem quod sancti Benedicti, à Prælatis suis, quibus id per relevationem divinam ostensum fuerat, directi quærerent; ac si Dominus eorum desiderium implesset, ad ferendum advenissent, ibidemque paululum ab iterando cessantes, exspectabant eventum rei, & obnixè deprecabantur Dominum, ut visionem, quam ipse eis revelare dignatus fuerat, ostenderet; quique eos ad huc opus destinaverat, ut non in vacuum cucurrissent, thesaurum pro quo venerant, demonstrare non differret.

Cum itaque ligni alicujus causa capiendi, loca ejusdem montis discursantes peragrarent, & huc illucque seduli exploratores oculos verterent; conspicientes eos quidam gregum Pastores, sciscitabantur cujus rei causa illuc venissent, aot quare considerantes tam diligenter eadem loca explorare curarent. Sed cum illi cœptum negotium eis manifestare detrectarent; quidam eorum ætate gravior & longiturnitate dierum præstantior, nutu Dei tactus, intellexit eos occultiorem velle investigare causam, secretiusque evocans eos ait: Cur mihi rem pro qua venistis tam occoltam facitis? nam si mihi eam innotescitis, si admodum secreta fuerit, ita penes me, sicut & apud vos, occulta manebit. Si autem conscius ejus rei quam quæritis esse potero, data mihi à vobis digna recompensatione pro quantitate scientiæ eventum rei manifestare curabo. Cum hæc prædicti Dei famuli ab ipso percepissent, reputantes intra se ne fortè pro hoc eum illuc Dominus direxerit, ut eis quod quærebant ipse indicaret; perpendentes etiam quod in antiquis invenitur sapientia, & rerum præteritarum consilium; interrogati ex ordine pro qua re venerunt, retexerunt historiam, & quæ visio propter hanc rem demonstrata fuisset, innotuerunt. Nulla erit, inquiunt, in reddenda tibi mercede dilatio, si nostro satisfacere poteris desiderio. Tunc senex ait: Cùm proxima recedente die venerit nox, paululum quiescentes, celeriùs surgite, & septa domus egredientes, sub nudo aeris axe prudentes speculatores assistite. Cumque aliquem locum hujus solitudinis clarissimo lumine radiare conspexeritis ad similitudinem lucidissimi montis, locum diligenter notate. Veraciter enim credo, quod ibi invenietis causam pro qua tantum laborem sumsistis. Venerabiles igitur viri ardentes pro hujusmodi desiderio, paululum, ut eis senex prædixerat, somni percipientes, primaque vigilia surgentes, de domo egrediuntur; prædictæque solitudinis plagam solicitè considerantes, conspiciunt

quendam locum lumine claro, veluti diversis facibus & innumeris luminibus illustratum, præfulgide micantem. Quibus visis gaudio repleti, gubernatori omnium grates egerunt immensas, & in laudibus reliquum spatium noctis duxerunt insumtae. Cum verò sequens dies primum illucesceret, ad locum super quem prædictum splendorem viderant, cum letaniis & hymnis & orationibus Dominum, ut eorum votum impleret, suppliciter obsecrantes, devotissimè accedunt. Post diutinam verò precem eumdem sacratissimum locum, in quo sancta corpora quiescebant, cum summa veneratione adeuntes, locum ibidem inveniunt exterius quidem vilem, interiùs autem magni pretii margaritis renitentem. Solerter autem superpositam ecclesiam considerantes, nomina eorum, quorum sacratissima pignora interiùs condita erant, perspiciunt; evacuatoque atque patefacto eodem à latere loculo, desiderabilem thesaurum intra unius sportellæ concludunt sinum: moxque cum summa festinatione iter quo venerant repetentes, festinantes regredi curabant, portantes quas Domino propitiante invenerunt pretiosas margaritas.

Interea illis repedantibus, jamque fines illius regionis attingentibus, vox à Deo divinitus per noctem facta monuit eos, ut velocius inde regredi curarent, nec ullas moras in redeundo facerent, ne aliquod impedimentum à civibus aut à quolibet illarum regionum eis accideret. Nam eadem nocte Papam Romanum quidam per visionem ita allocutus est. Cur te, inquit, tam gravis somnus opprimit, ut stratibus deditus curam tuæ provinciæ negligas? & quare dimissis publicis utilitatibus propriis implicaris? namque, ut manifestius tibi sit quod dico, noveris te hodie magnarum virtutum patrociniis carere, sancti Benedicti scilicet, atque beatæ Scholasticæ sororis ejus, quorum corpora quidam à Gallicis regionibus huc advenientes, illuc secum modo ferunt humanda. His auditis Papa Romanus sine mora à lecto exiliens, arma comitesque requirit, & junctis sibi Longobardorum auxiliis, conabatur persequi recedentes. Sed famuli Dei, memorata visione accepta, formidantes ne forte eis aliquid triste accideret, frequenter retrorsum respiciunt, & vident se ab hostibus velociter subsequi, cunctique timore repleti terræ se prostraverunt, omnipotentem Deum suppliciter implorantes, ut qui eis corpora sanctorum suorum revelare dignatus fuerat, quique hactenus illis prosperum eventum concesserat; eos & ab insequentibus potenter liberaret, & ad propria clementer absque gravi impedimento eadem sancta pignora deferre concederet. Quorum mox preces divina pietas exaudivit, & ita densitate tenebrarum spatia, quæ inter utrosque erant, replevit, ut præcedentibus quidem servis Dei sanctorum corpora deferentibus eadem densitas tenebrarum nihil obesset; persecutoribus verò omnem facultatem videndi aut inveniendi præcedentes omnino denegaret: sicque servi Dei omni pavore sublato intrepidi, Domino tribuente, redirent.

Tandem igitur, quamquam laboriosè, salubriter tamen tanto confecto itinere, in prædiolum quoddam reverterunt, Bonodium nomine, situm in pago Aurelianensi: lassitudine cogente, in quo loco cum paulisper indulgerent quieti, ecce quidam sine oculis materno fusus utero advenit, magnisque vocibus oris ac fidei sanctos interpellabat, ut quæ natura negaverat, sibi lumina præstarent. Igitur dum in his vocibus perstaret, parvo intervallo atque vix una hora effluente, discussa caligine cæcitatis, lumen sibi diu negatum cœpit aspicere, & Deum simulque sanctum Benedictum & ejus sanctissimam sororem Scholasticam magnis laudum vocibus extollere. Placuit divinitati huic miraculo aliud in eodem loco conjungere; & quantæ sanctitatis essent, quorum cinis portabatur, ostenderet. Namque debilis quidam qui erectus ire nequibat, per terram rependo se trahens, utpote qui omnium membrorum officio destitutus erat, advenit, implorans auxilium ab omnipotente Deo per famulos illius. Itaque miro modo cœperunt se nervi diu contracti extendere, & aridi diu meatus venarum sanguinis inundatione humectari; atque ita Deo volente accepto robore lætus super pedes constitit, & curatoribus suis magnis vocibus benedixit. Qui locus hactenus basilicam retinet in honore eorum consecratam... Cumque de eodem loco moveri placuisset, aliud prædiolum adierunt, mille quingentis ferme passibus à monasterio, ad quod tendebant, distans, Villa-nova cognomine. In eo etiam cum aliquantulum eis quiescere placuisset, obvius eis quidam cæcus tactus est, qui magno impetu ferociter facto, sportam qua corpora sanctorum portabantur, apprehendit. quem vir Domini AYGULFUS moderata studuit correctione castigare, atque ab illicita præsumptione revocare. Sed quem lumen amissum contristabat, respondit nullo modo se posse ab eo divelli loco, nisi quàm primum lumen reciperet: pronuntiavitque se tantæ fidei esse, ut quicquid sancti peterent, quorum reliquiæ ferebantur, Domino ipsis annuente tribuere possent. cujus fidem præmia digna secuta sunt. Namque paulatim recedentibus tenebris ab oculis ejus, ab eodem loco clarè videndo recessit.

Post hæc verò cum in eundo nulla mora fieret, agmina Monachorum cum plebe territorii Aurelianensis obviam eis processerunt miliario à monasterio, in loco qui dicitur Vetus-Floriacus; ibique cum gaudio & lætitia atque honore magno exceperunt corpora supradictorum sanctorum, sub quinto Iduum Juliarum, & in eodem loco die illa eorumdem solemnitatem cum ingenti lætitia in Dei laudibus peregerunt. Cum igitur solemnitatem adventus sanctorum corporum, ut supra dictum est, celebrassent, plebs Cenomannicæ urbis à domno Berario Episcopo directa, obviam suis civibus pro deferendo sanctæ Scholasticæ corpore, pro quo idem Pontifex miserat, affuit, secum ipsum decenter, ut competebat, deferre gestientes: intentibus autem ejusdem loci viris utraque sancta pignora penes se retinere, & asseverantibus nequaquam velle sanctorum germanorum corpora ab invicem separari, sed, sicut eos in priori monumento simul jacuisse placuerat, ita in secundo indivisibiliter quiescere velle. Econtra Cenomannici quique nobiles ac sapientes viri taliter contradixere. Justum, inquiunt, non esse probatur, ut quos divina voluntas participes fecit in superna visione superni oraculi, & revelatione atque ostensione diu occultati thesauri, quique simul sanctorum corporum tumbam adierunt, & qui in sufferendo hujusmodi labores pares fuerunt; ut etiam fructus laboris æque non partiantur. Maximè verò non esse dignum dicebant, ut duo magna Luminaria unius loci coarctaret angustia, cùm singulis locis sufficerent singula. His ergo & hujusmodi sermonibus tandem adquiescentes, petitionibus eorum assensum libenter præbuerunt: sicque deliberantes decreverunt, ut ipsi sancti Benedicti tantummodo corpus retinerent, & socios suos unà cum concivibus suis sanctæ Scholasticæ corpus domno Berario, qui eos ad hoc miserat, deferendum ad Cenomanus urbem cum omni caritate dimitterent.

Inter hæc verò ambiguitas discernendorum ossium corporum facta est non modica, quippe cum utraque mixtim posita in una eademque, ut diximus, sportella fuissent devecta. Hac itaque illa discernendi

facta difficultate, hoc sapiens esse consilium decreverunt, ut ossa quæ minora viderentur, separatim ponerentur; majora altrinsecus congregarentur. quod ita factum est. Sed dum adhuc de his ambigerent, & certius quiddam ex hoc scire vellent; divinitatem, ut id eis lucidius ostendere dignaretur, obnixè rogantes, totius noctis spatium in precibus transegerunt. Mane autem facto contigit duorum parvulorum corpora ad loca illis contigua deferri exanima, quorum unum masculini, alterum verò sexus erat feminini. Consilio itaque inito utraque corpora ad se deferri fecerunt, & corpus masculini juxta sancta ossa, quæ majora videbantur, poni fecerunt, omnipotentiam divinæ majestatis invocantes, ut illorum hac causa sensum dignaretur facere certiorem. Factumque est operante divina potentia, mox ut mortui corpus mortua ossa beati Benedicti tetigere, qui mortuus jacebat, vivus surrexit. Simili quoque deliberatum est consilio, ut juxta minora quæ videbantur ossa corpus puellæ ponerent mortuæ. Superna autem sanctæ Trinitatis omnipotentia ut demonstraret mortalibus, junctos pro condignis meritis in cælis, qui germani fuerant in terris, quos pares fecit etiam esse miraculo. Nam ubi corpus ossa sanctæ Scholasticæ tetigere puellæ, mox surrexit viva, quæ jam pridie fuerat mortua. Itaque per mortuos est mortuis vita reddita, & bajuli funeris, qui tristes ad tumulum mortuos ferebant, cum vitæ redditis alacres ad propria redierunt. Omnia circa sanctos suos divina clementia, apud quam quantum valerent eorum merita, corpora etiam testabantur exanima, cùm à faucibus mortis erepta fierent iterum rediviva. Antiquum namque insitatumque post Elisei actum renovatum hîc constat miraculum: quia omnipotentis Dei manus ut demonstraret sanctos nec novis, nec antiquis caruisse miraculis; vivos novis, antiquis verò mortuos extulit operibus Prophetarum, completurque veridica vox Veritatis promittentis: *Qui crediderit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet.* Lætis itaque animis magnisque vocibus cuncti unanimiter benedicebant Dominum, qui ea quæ hactenus illis fuerant dubia, tam celebri miraculo reddidit certa.

Remota igitur omni dubitatione quæ pro sanctis discernendis corporibus animis eorum diu inhæserat, plebs Cenomannica corpus sanctæ Scholasticæ venerabiliter levatum scapulis propriis imposuit; & cum ingenti gaudio ad domnum Berarium suæ civitatis Episcopum iter vertit, ducem hujus negotii habentes quemdam Dei famulum, qui alio sibi adjuncto venerabili socio, Romam atque Beneventum ad hoc opus explendum à prædicto domno Berario directus fuerat: sed altero in itinere defuncto, superstes Domino miserante, hoc negotium profecturus exsistens, opus cœptum decentissime procurabat. Tandem igitur Domini misericordia præeunte ac subsequente eos & comitante, ad Cenomannicam urbem fama adventus eorum jam per totam eamdem provinciam divulgata gradatim propinquavere. Quibus domnus Berarius venerabilis Pontifex, unà cum revestitis sacerdotibus; & omnium graduum clericis cum crucibus & thuribulis atque candelabris, seu omnibus ecclesiasticis vexillis, necnon cum innumera utriusque sexus & ætatum multitudine obvius, personans celebrem concentum devotissimè occurrit, & sacratissimum sanctæ Scholasticæ corpus pignus venerabiliter suscepit. Qui civitatem ingrediens, ad monasterium, quod ad hoc (ut diximus) opus inter murum civitatis & fluvium Sartæ nobiliter atque decenter ab imis fundaverat, cum letaniis hymnis & psalmis, diversisque divinis concentibus, cum summa veneratione devexit, ibique in ecclesia quam in honore sancti Petri jam dedicaverat, decenter & solemniter post altare collocavit: ordinansque quæ erant necessaria feminis Deo sacratis, vitamque regularem ducentibus, infra breve spatium temporis plurimas nobilium, id est non minus quàm quinquaginta centum, feminarum in eodem monasterio Dominico famulatui & militiæ regulari aggregavit; quæ se, relicto sæculo, Domini jugo ejusque magisterio humiliter mancipavere. Sed & ipsum monasterium de rebus sui episcopatus, & de suis propriis, sive de aliis quascumque attrahere vel adquirere manus ejus potuit, nobiliter ditavit, ipsumque cum omnibus ad se pertinentibus suæ sedi & matri ecclesiæ, cui præsidebat, subjectum in perpetuum fore censuit, & suis successoribus vel ejusdem matris ecclesiæ sacerdotibus atque reliquis Canonicis perpetualiter possidendum reliquit. quod hactenus meritis beatissimæ Scholasticæ promerentibus innumeris miraculorum virtutibus declaratur, præstante sancta & individua Trinitate, cui sit semper honor, laus & gloria nunc & semper & per infinita sæcula sæculorum, amen.

Tempore namque prædicti domni Berarii Episcopi, erat in eadem parochia femina quædam Deo devota, nomine Lopa, relicta videlicet Eiregni *, quæ amore Dei accensa, in proprio suo in villa quadam, nomine Tussiaco *, sua super fluvium Idoneæ volens ædificare monasterium, quod per se minime valens agere, cœpit frequentare sanctum prædictum Berarium, ut per ejus consilium & auxilium mereretur jam dictum Dei opus ad effectum usque perducere. Cujus consilio & memorata Lopa utens, suisque frequentissimis fruens colloquiis, magis magisque in præfatis desideriis anhelans, amore quoque & desiderio supradicti domni Berarii, prædictam villam Tussiacum cum omnibus rebus & possessionibus suis, quas dudum aliis ecclesiis & propinquis minime tradiderat, per strumenta cartarum multis subscribentibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus & reliquis nobilibus viris, legibus contradidit sanctæ Cenomannicæ matri ecclesiæ, & jam dicto Berario nostro Episcopo ante Clodovaum Regem Francorum, filium videlicet Dagoberti, sicut in ejus strumentis, quæ in archivo nostræ matris ecclesiæ hactenus servantur, habetur insertum. Memorata verò solemni traditione ante jam dictum Regem legibus peracta, ejusque præcepto sua propria manu corroborato legaliter confirmata, cœperunt ambo, id est domnus Berarius & Lopa, construere præfixum monasterium. Sed antequam novam inibi succurrerent facere ecclesiam, tanto desiderio anhelabat præfata Deo devota Lopa, ut domum in qua habitare solebat, ad Dei servitium faciendum nobiliter præpararet. Petiit ergo sibi à jam dicto Episcopo ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ sacrari. Cujus petitionibus prædictus sanctus Episcopus assensum præbens, quia Deo placitum esse cognovit, prædictæ matronæ casam in ecclesiam in honore Dei genitricis Mariæ canonicè consecravit. quæ hactenus ecclesia manet, atque in ea Dei virtute meritisque sanctæ Dei genitricis Mariæ multæ virtutes divinitus fiunt. Hac igitur peracta, cœperunt ambo reliqua ædificia operari, & claustrum ædificare, in quo agmina Monachorum congregare studuerunt, & regulariter vivere docuerunt, atque juxta Regulam sancti Benedicti eas degere instituerunt. De suo namque monasterio, quod est in honore sanctæ Mariæ intra fluvium Sartæ & murum Cenomannicæ urbis constructum atque dicatum, ubi tum tempore sancti Berarii domna Ada, quæ & Aldrechildis, propinqua scilicet domni Berarii,

* an Reineri.

* Tuffi.

rii, Abbatissa erat, & agmina Monacharum sub Regula sancti Benedicti Christo servire supradictus Pontifex adduxit, & monachas bene probatas, ac secundum normam sancti Benedicti degentes, in prædicto Tuffiaco regulariter unà cum jam dicta matrona Lopa degere constituit. Dedit insuper sæpe dictus sanctus Berarius ex rebus suæ sedis ecclesiæ aliquas villulas & nonnullos vicos, necnon alias varias possessiones ad prædictum monasterium in adjutorium, quæ hactenus ibi permanent: ex quibus ipsius monasterii congregatio victum vestitumque haberet, corumque ecclesias ornarent, & hospites ac peregrinos pleniter & regulariter reciperent, & Dei servitia pleniter & regulariter peragerent. Ipsum ergo monasterium sub jure suæ sedis ecclesiæ dereliquit, atque futuris temporibus esse & regulariter sub ejus ditione cum augmentatione rerum vivere instituit: ubi & multa agmina monacharum adgregavit, & perfectum, id est centenarium numerum monacharum, unà cum reliquis ad portam ejusdem monasterii sacerdotibus, & ceteris Dei servis, unà cum famulis eorum in perpetuum per suum testamentum esse confirmavit: quatenus ejus amminiculis Dei servi & pauperes sanctæ Cenomannicæ matri ecclesiæ famulantes, bundantius vitam & vestimentum percipere valerent. cui Dominus nobis orantibus multipliciter retribuat mercedem suam. Prædictus ergo dumnus Berarius fecit ordinationes lxj, sacerdotes cccc v, Diaconos ccxxviij, Subdiaconus & reliquos ministros sufficienter: & sedit in prædicta sede annos xxvj, menses iiij, dies xiiij, & obiit in pace xvj Kalend. Novembris in Aquitania, in pago Burdilense, in villa quæ dicitur Baneth. Inde ad suus decenter allatus, atque sepultus est in synodochio vel monasterio Pontileva, quod ipse suo opere restauraverat, à sacerdotibus & discipulis suis honorifice, cujus meritis inibi multæ virtutes declaratæ sunt. Qui & cum sanctis regnum adipisci meruit sempiternum. quod & nos ejus fulti orationibus assequi, donante donatore omnium & principe, & possidere mereamur per immortalia sæcula sæculorum, amen.

Similiter exemplar precaria, quam idem dominus Berarius Episcopus de monasterio sancti Karilefi Iboleno Abbati suo fecit, his in gestis inserere placuit, &c.

DOmno sancto ac venerabili sede Apostolico Berario Cenomannicæ urbis ecclesiæ Episcopo unà commissa congregatione ex ipsa urbe consistente, ego in Dei nomine Ibbolenus indignus Sacerdos atque Monachus peccator ad vobis accedo. Dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut illud monasteriolum, quod est constructum in honore sancti Petri & sancti Martini, & est situm in territorium sanctæ Mariæ genitricis & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, matris & Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ, in pago Cenomannico, in loco quodam, quod ab antiquis dicebatur Casa-Gaiani, super flumen Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, ubi domnus Turibius ejusdem parochiæ Pontifex dudum in rebus senioris & matris civitatis ecclesiæ, cui præsidebat, ecclesiam in honore sancti Petri principis Apostolorum fecerat, quæ tamen destructa propter imminentes vastationes fuerat, sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ibi erat, quando domnus Karilefus per licentiam atque deprecationem atque adjutorium domni Innocentis Episcopi, jam dicta terra sanctæ Mariæ & sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii ex rebus ipsius & aliorum honorum virorum ædificavit. Per vestrum beneficium sub usufructuario ordine, tempore vitæ meæ, cum omnes res ad se pertinentes vel aspicientes mihi tenere permisistis, & census annis singulis ad matrem civitatis ecclesiam persolvere, ejusque Pontificibus atque Rectoribus, id est ad lumen ecclesiæ de cera libras quatuor, & ad opus Episcopi cambuttam unam, & subralares duos, & ad opus Canonicorum inibi Deo degentium butieulas duas paratas de optimo vino, & in Cœna Domini plenum modium de ovis. Et si negligens aut tardus de ipso censu apparuero, fidem exinde faciam, & ipsum monasteriolum tempore vitæ meæ non perdam, & alibi nec vendere, nec donare, nec alienare pontificium non habeam, nisi sub jure & potestate prædictæ matris & nostræ civitatis senioris ecclesiæ, vel eorum Pontificibus atque Rectoribus permaneat. Et post meum quoque Deo jubente de hac luce discessum jam dictum monasteriolum, cum omni integritate & res ad se pertinentes vel aspicientes, vos aut Rectores successuresque vestros in vestram faciatis revocare potestatem vel dominationem. Et ut hæ precariæ uno tenore conscriptæ, una quæ in thesauro ecclesiæ civitatis recondita sit, & alia quam ego Ibbolenus à vobis accepero, firmiorem obtineant vigorem, manu nostra propria subterfirmavimus, & bonorum virorum decrevimus roborare. Actum Cenomannis civitate publica, data iiij Kalend. Maii, annno tertio regnante Clothario Rege. Ego Berarius indignus Episcopus hanc precariam à me factam subscripsi. Bertricus indignus Abbas subs. Inghenulfus Archipresbyter subs. Letsaicus Abbas subscripsi. Rafrsous Archipresbyter subscripsi. Helenus Presbyter subs. Heregaudus Diaconus subscripsi. Odulo Presbyter subscripsi. Lecarous Abbas subs. Bantricus Abbas subscripsi. Atto Presbyter subscripsi. Winthmundus Levita subs. Ebrenus Diaconus subs. Signum Eriganoo Advocato. Signum Bernario Advocato. Signum Junan Vicedomino. Signum Construine. Signum Turpingo. Signum Hamo. Signum Serenoli. Signum Chodiscalco. Signum Landemaro. Ego Imbertus notarius præcipiente Berario scripsi & subscripsi.

Sequitur exemplar precepti, quod Dagobertus Rex super prædictam precariam de monasterio Anisola Berario Episcopo, & Gundoleno ejus Abbati firmitatis causa fecit, sicut in eo habetur insertum, cujus exemplar supradicto prætexiu hic inserere necesse fuit.

DAgobertus Rex Francorum, vir inluster. Si petitionibus servorum Dei assensum præbemus, non solùm regiam consuetudinem exercemus, sed ad æternæ felicitatis percipiendum præmium profuturum nobis esse confidimus. Igitur omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus & futuris notum esse volumus, quia vir venerabilis Cenomannis civitatis Berarius Episcopus nostram adiit præsentiam afferens strumenta nubis cartarum, qualiter domnus Karileffus Sacerdus atque Monachus, in sua parochia construxit quoddam monasteriolum, & suo antecessore domno Innocente per consensum. Childeberti Regis tradidit: & postea ab eo per censum in precariam accepit, suum præceptum prædictus Childebertus Rex fecit, & postea antecessor suus Domnulus similiter Gallo monacho & discipulo domno Carileffo, & ab ipso Domnolo Abbate facto & ordinato, precariam fecit, & super ipsam precariam Chilpericus Rex suum præce-

ptum fieri jussit. Hæc omoia memoratus Episcopus Berarius nobis ostendit, deprecans, ut Abbati suo, nomine GUNDOLENO * similiter, sicut antecessores nostri suis antecessoribus præcepta fecerunt, ita & nos fecissemus. cujus petitionem libenti animo suscepimus; & sicut deprecatus est, fieri jussimus. Proinde hoc auctoritatis nostræ præceptum fieri jussimus, per quod firmiter mandamus, ut sicut prædicto Abbati à memorato Berario Episcopo prædictum monasteriolum jure beneficiario datum est, ita deinceps in ejus beneficio & dominatione seu precaria diebus vitæ suæ absque ulla minoratione maneat, & census, sicut in precariis eorum continetur, per singulos annos Ibbolenus Abbas memorato Episcopo Berario suisque successoribus solvat, id est ad lumen matris & civitatis ecclesiæ de cera lib. iiij. & fratribus Canonicis in civitate consistentibus ac prædictæ ecclesiæ servientibus in Cœna Domini plenum modium de ovis, & buticulas plenas paratas de optimo vino solvat, & Episcopo ejusdem civitatis unam cambuttam bene paratam, & duos subtalares ad officium suum peragendum tribuat: & post ejus discessum prædictum monasteriolum ad potestatem vel dominationem memoratæ matris ecclesiæ absque ullius detentione aut consignatione, cum omni integritate vel cum toto superposito, immelioratum revertatur: & Episcopi sive rectores matris ecclesiæ, quidquid exinde justè & canonicè facere disposuerint, liberam habeant potestatem faciendi. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare.

* i Ibboleno.

Hîc desunt duo quæ pro vetustate legi non possunt.

Sequitur exemplar præcepti emunitatis, quod fecit Dagobertus Rex Berario Episcopo de monasterio Anisola, & de omnibus villulis & rebus ad illud pertinentibus, in quo & prædictum monasterium de jure suæ sedis ecclesiæ esse affirmat, sicut in eo habetur insertum, cujus exemplar memorata necessitate hic inserere libuit.

THEODORICUS Rex Francorum, vir inluster. Tunc regalis celsitudo fundamenta sui culminis corroborat, quando petitionibus sacerdotum aut Pontificum quod pro opportunitate ecclesiarum pertinet, obaudirur, & ad effectum in Dei nomine mancipatur. Ideoque Apostolicus vir domnus BERARIUS, Cenomannicæ urbis Episcopus, qui matrem ecclesiam Cenomannicam, & monasterium Anisolæ, in quo domnus Carilefus requiescit in corpore, quod est suæ sedis, & matris ecclesiæ jure, sanctæ Mariæ & sancti Petri & sancti Gervasii & Protasii Martyrum, in regimine habere videtur nobis subgessit, eo quod antecessores sui ab anteriore Rege parente nostro emunitates de omnibus rebus eorum vel ecclesiæ sancti Gervasii & Protasii Martyrum promeruissent, & postea ipsæ emunitates à malis hominibus fuissent furatæ. Ideo domnus & præcelsus antecessor noster CHILDEBERTUS quondam Rex, necnon & genitor noster DAGOBERTUS quondam Rex, & in postea parens noster CHILPERICUS quondam Rex integras emunitates de omnibus villis vel curtis ecclesiæ suæ sancti Gervasii & Protasii Martyrum, in quibuslibet pagis atque territoriis habere videntur, etiam & monasteria sua, quæ ipse in regimine habet, quæ intra ipsam urbem Cenomannicam sunt constructa, aut curtis eorum, vel villas in quibuslibet pagis vel territoriis, vel quæ per ipsam ecclesiam sperare videntur, concessissent, ut nullus judex publicus, nec ad causas audiendas, nec ad freda exigenda, nec mansiones aut paratas faciendas, nec pastus, nec ullas reddibitiones requirendas, nec exactandas quoque tempore ingredi deberet, nisi cum omnis fretus concessus atque indultus deberet possidere. Unde & ipsam præceptionem sibi per manus habere affirmat, & ipse beneficius de eo tempore fuisset conservatus; petiit celsitudini nostræ ut hoc circa eodem in idipso confirmare deberemus. cujus petitionem non denegasse, sed in omnibus ita præstitisse vel confirmasse cognoscite. Ideo præsentem præceptionem decernimus atque jubemus, sive in perpetuum volumus esse mansutum, ut inspecta ipsa anteriorem præceptionem, nullus judex publicus, neque vos, neque juniores aut successores vestri, neque quislibet ex judiciaria potestate, in villis aut curtis ipsius ecclesiæ suæ sancti Gervasii & Protasii Martyrum, vel monasteria sua aut curtis vel villas ipsorum, aut quæ per ipsam ecclesiam sperare videntur, nec ad causas audiendas, nec ad freda exigenda, nec ad fidejussores tollendos, nec ad ullas inquietudines faciendas, nec mansiones aut pastus, nec paratas faciendo, nec ullas redhibitiones faciendo, quod à fisco nostro speratur, requirendum, nec exactandas judiciaria potestas inibi quoque tempore ingredi non præsumatur, nisi ipsi Berarius aut agentes sui ill. sol. cc inferendalis, & illos alios cc auro pagens quod à fisco nostro de ipsis villulis, vel de ipsis curtis suis, vel ecclesiæ suæ aut monasteria sua, vel qui ipsam ecclesiam sperare videntur, reddebatur, & in sacello publico fuit consuetudo reddendi, ipsi aut successores sui promissa sub hoc debuerant reddere atque transsolvere: &, ut diximus, ex nostra indulgentia sæpe dictus Berarius aut pares ecclesiæ suæ Cenomannicæ, vel monasteria sua de omnibus villis vel curtis suis, vel qui per ipsam ecclesiam sperare videntur, cum omnes fructus concessos sub emunitatis nomine omni tempore hoc debeant possidere & dominare; & nullas requisitiones neque impedimentum à judicibus publicis quoque tempore hoc debeant possidere, tam ipse Berarius, quàm & successores sui habere non pertimescant, nisi nostris & futuris Deo auxiliante temporibus, valeat esse conservatum & ad ipsa sancta loca perenniter proficiant in augmentis. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora melius conservetur, manus nostras subter eam decrevimus roborare. Signum glorioso domno THEODORICO Rege. Gnantinus jussus obtulit & subscripsit. Datum quod fecit Martius dies ij. anno ij regni nostri Carisiaco feliciter.

Sequitur carta Bertecarii Episcopi de Cabariaco villa in Aquitania.

DOmino sancto & Apostolica sede dignissimo domno & Patri BERARIO Episcopo, necnon & omni congregationi sanctæ ecclesiæ Cenomannicæ, HUNALDUS & ejus conjux DEODATA. Dum de villa præfatæ ecclesiæ vestræ, nuncupata Gaviriaco, sita in territorio Burdegalense, nobis temporibus vitæ nostræ beneficium ad usufructuarium fecistis; ideo pro divino intuitu complacuit, ut vobis & ecclesiæ vestræ petitionem nostram, quod in ipsa villa è proprietate habere vel possidere noscimur, pro remedium animæ nostræ, & pro ipso usufructu concedere deberemus. Quod ita & per hanc epistolam nos fecisse constat, ea scilicet ratione, ut dum adviximus, & suprascripta portione ecclesiæ vestræ & nostra, vel adjacentiis earum ad integrum possi-

dere debeamus, ut neque à vobis, neque à successoribus vestris, quicumque de parte memoratæ ecclesiæ vestræ diebus vitæ nostræ nullam repetitionem aut inquisitionem exinde habere non debeamus, forsitan, sicut suprascriptum est, hoc ad integrum ego vel conjux mea Deodata hoc possidere debeamus. Similiter & vos, vel pars ecclesiæ vestræ post discessum utique nostrum ipsam portionem nostram propriam in vestra revocetis dominatione, neque à nobis neque ab heredibus, seu proheredum nostrorum, nulloque tempore alia contrarietate aut repetitione habere non pertemescatis, forsitan perpetualiter in Dei nomine pro remedio animæ nostræ post nostrum discessum partibus ecclesiæ vestræ proficiat in augmentum. Et (quod fieri non credimus) si quis, vos & successores vestri aut nos vel heredes nostri contra hanc epistolam aliquid resultare aut refragare, seu repetere conaverit, quicumque hoc facere præsumserit, inferat pars pare una cum sacratissimo, fisco auro lib. v, argento pondera x. & præsens epistola firma stabilitate perpetualiter in Dei nomine valeat perdurare cum stipulatione firma & subnexa.

Facta epistola mensis Julii die ij, anno iiij regni domni nostri THEODORICI Regis. HUNUALDUS subscripsi. DEODATA subscripsi. In Christi nomine Leodebertus subscripsi. In Christi nomine INNO Episcopus subscripsi. In Christi nomine BOBOLANUS acsi peccator Episcopus subscripsi. Jesus Christi humilis subscripsi. Neonus Christi humilis subscripsi. Peobatus Christi humilis subscripsi. In Christi nomine BERTRANNUS Abbas subscripsi. In Christi nomine Iggonardus subs. Eodinus subs. Audobertus jussus à domino meo Hunualdo hanc epistolam scripsi & subscripsi.

CAPUT XIV.

Gesta domni Aigliberti Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit tempore Childerici & Theodorici duorum fratrum, filiorum videlicet Clodovei, filii Dagoberti, & tempore Clodovei, sive Hildeberti filiorum prædicti Theoderici.

DOmnus AIGLIBERTUS Cenomannicæ urbis Episcopus, successorque BERARII jam dictæ sedis Episcopi, nobilibus exortus parentibus, Aquitanicus verò partim genere, & bene ac pleniter in divinæ Scripturæ libris eruditus. Ædificavit enim & immelioravit monasteriolum quoddam, quod antecessoribus suis dudum per strumenta cartarum legaliter atque suæ sedis ecclesiæ traditum fuerat, cujus vocabulum est Toffiacum, ibique sanctimoniales monachas, sicut & antecessor ejus domnus Berarius fecerat, regulariter degere constituit; & suam sororem ibi Abbatissam, nomine ANISELGANSM esse constituit, & præceptum regale eis impetravit à THEODORICO Rege Francorum, quod hactenus in archivo nostræ matris ecclesiæ habetur, ut perpetualiter in ipso monasterio à Pontificibus, successoribus videlicet suis, prædictum monasterium, quod matri & civitatis sanctæ Mariæ ecclesiæ & sancti Gervasii traditum, & ab antecessore suo dudum possessum, & ei legaliter delegatum fuerat, regulariter vivere meruissent; & tuentibus atque regentibus successoribus suis pacificè, & absque impedimento in posteris viaissent. Constituit ergo domnus Agliberrus, ut regulariter futuris temporibus in prædicto Tuffiaco ipsæ monachæ monasterio viverent, & Episcopi ejusdem urbis ipsum monasterium, & ipsas monachas sub Regula degentes sub sua potestate tenerent, & res ejusdem cœnobii atque ipsas sanctimoniales regulariter regerent, & Christo possidendo & dominando lucrarent. Postea verò instigante diabolo, & malivolis hominibus suadentibus, de ipso monasterio non modicam pulsationem sustinuit: sed ante præfatum Theodericum Francorum Regem illud legibùs evindicavit, sicut in præcepto evindicationis domni Theoderici Regis hactenus apud nos habetur insertum, quod in archivo nostræ matris ecclesiæ conservatur. Si quis autem qualiter hoc factum fuerit pleniter scire voluerit, legat illud, & in eo reperire poterit, qualiter actum & evindicatum fuerit. His verò breviter prælibatis, transeamus ad reliqua.

Prædictus quoque domnus Aiglibertus monasteriolum quoddam, quod olim à prædecessoribus suis sub censu & regali traditione & dominatione tenebatur, quod est constructum intra fluvium Sartæ & murum civitatis, in honore sanctæ Mariæ; quod & beato Innocentio antecessori suo per strumenta cartarum legaliter est traditum, ad matris & civitatis ecclesiæ servitutem, & ad Pontificum ejusdem ecclesiæ potestatem, & pauperum atque servorum Dei inibi degentium sustentationem Episcopis & sacerdotibus atque Dei servis inibi degentibus olim traditum fuerat, sub regulari ordine, & sub receptione peregrinorum, & adventantium omnium, atque indigentium esse instituit; & census qui olim à suis ministris vel decessoribus suis recipiebantur, leviores & indulgentiores fecit, & idipsum, quod ante à suis ex hoc monasterio censum persolvebatur, in stipendus sanctimonialium & peregrinorum relaxavit; & in ipso monasteriolo Monachas sub Regula viventes suis successoribus regendo & dominando esse perpetuis temporibus regulariter constituit. Hic itaque quoddam monasteriolum, quod ad ecclesiam suæ sedis, & antecessoribus suis Præsulibus ibi Deo famulantibus, quod in honore sancti Georgii noscitur esse constructum in condita Labrincinse, à quibusdam prædecessoribus suis mirificæ suæ sedis Pontificibus, sancto videlicet Innocenti & sancto DOMNOLO, per auctoritatem Hildeberei Regis Francorum & Woldrogodæ ejus Reginæ prædictum monasteriolum construentibus, & heredibus, qui illud in eorum hereditate ædificare cœperunt, non modicum ea rebus matris & civitatis ecclesiæ adjutorio præstari cognoscitur: & ipsi heredes prædictum monasteriolum sancti Georgii jam dictis Pontificibus ad servitutem & honorem senioris & civitatis ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Gervasii sub strumenta cartarum legaliter tradiderunt. Voluit namque præfata Woldrogoda Regina in pago Cenomannico ædificare in honore sancti Georgii aliquod monasteriolum Monachorum ad animas Deo lucrandas: cujus missi loca quærentes ubi hoc fieri posset, renunciaverunt ei quod in loco, cujus vocabulum esse Biluria, monasterium facere posset.

Audiens autem hæc sanctus Innocens ipsius parochiæ Episcopus, non est ei visum quod prædicti missi aptum locum invenissent ad præfatum opus perficiendum: ipse verò admodum hoc fieri desiderans, cœpit quærere locum, ubi hoc convenienter fieri posset. Domino verò inspirante invenit ipsum locum, ubi modò positum est memoratum monasterium. Tunc enim dedit consilium Voldrogodæ, ut ipsum locum adquireret justè ab heredibus quorum erat hereditas, & ibi faceret monasterium. Tunc verò misit suos missos unà cum præfato sancto Innocente ad jam dictos heredes, utì adquirerent recto ordine

prædictum locum. Sed ipsi heredes dederunt in responsum, quòd vellent ipsis in eorum hereditate, pro remedio animarum suarum, unà cum adjutorio præfatæ Reginæ, & ipsius Episcopi facere monasterium, & tradere se ad eorum hereditatem in jure & dominatione sanctæ matris & civitatis ecclesiæ sanctæ Mariæ, & sancti Gervasii, & in manus sancti Innocentis ipsius ecclesiæ Episcopi, ut daret eis adjutorium tam de rebus ipsius ecclesiæ suæ, quàm & de aliis ornamentis ad hoc perficiendum opus. Tunc renunciatum est hoc Reginæ Vuldtrogodæ, & ipsa indicavit hoc Hildeberto Regi: qui etiam hoc benignè suscipiens, & ex rebus fisci sui dedit non modicum adjutorium ad hoc opus perficiendum. Tunc in conspectu Hildeberti Regis & Vuldrogodæ Reginæ & Procerum eorum, fecerunt jam dicti heredes publicam & legalem per strumenta cartarum de prædictis rebus sancto Innocenti Episcopo traditionem ad memoratum opus perficiendum. Domnus igitur Hildebertus Rex postea hoc quod ex fisco dedit, per præceptum jam dicto Episcopo & suæ ecclesiæ delegavit legaliter ad prædictum in sua eleemosyna opus perficiendum. Tunc sanctus Innocens monasteriolum cœpit ædificare sub tali conditione, sed migravit ad Christum antequam illud pleniter perficeret: sed postea sanctus Domnolus ejus successor, illud supradicto prætextu Domino auxiliante perfecit. Prædictum itaque monasteriolum postea à malivolis hominibus inde per malum ingenium abstractum aliquo tempore fuit: sed jam dictus domnus Aiglibertus ipsa strumenta cartarum, per quæ ecclesiæ suæ traditum fuerat, inveniens, Regique Theodorico relegendum deferens, petiit ut suæ ecclesiæ, cui esse debebat, redderetur. Quod & Theodoricus Rex Francorum diligenter per fidelissimos missus, & ipse postea in generale suo palatio investigans, Cenomannicæ senioris & matris ecclesiæ, cui domnus Aglibertus præsidebat, & cujus ipsum monasteriolum juste & legaliter esse debebat, per suum præceptum reddidit Pontificibus ergo & servis Dei inibi Deo degentibus, perpetualiter possidendum. Præfatum autem monasteriolum domnus Aglibertus, ut jam dictum est, recipiens, mirabiliter restruxit & reædificavit, exaltavitque atque mirificè decoravit; ibique Monachos sub Regula sancti BENEDICTI sexaginta degentes esse instituit; & receptiones pauperum, atque peregrinorum, sive omnium indigentium, sapientissime perennis fore temporibus episcopaliter constituit, & suæ sedis ecclesiæ atque Canonicis & servis Dei inibi Deo, sive suis successoribus famulantibus possidendum & regendum dimisit.

Ipse etiam domnus Aiglibertus monasteriolum tam infra civitatem, quàm extra, in honore sancti Albini & sanctæ Mariæ suo opere à fundamento ædificavit, & illud ex rebus sanctæ Mariæ & sancti Gervasii ditavit, & sanctimoniales monachas sub Regula degentes, perpetualiter sub jure & dominatione suæ sedis ecclesiæ atque suis successoribus, sive Canonicis esse instituit. Hic autem domno SEVARDO Abbate suo construere præcepit, & fabricare & ornare atque consummare adjuvavit in monasterio sancti Carilefi ecclesiam quondam in honore sancti Petri, ad quam & tradidit ex rebus suæ sedis ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Gervasii villulas duas; quas & PETRO adjutore & Chorepiscopo suo sua vice consignare ad eamdem ecclesiam præcepit: id est Lantionum villam, quam de villa sanctæ Mariæ & sancti Gervasii, nomine Cavania, segregavit, & ad prædictum monasterium & ad jam dictam ecclesiam in adjutorium dedit, (nam antea & Cavania & Lantionum unum erat,) & aliam villulam de suo episcopatu ad prædictum monasterium sancti Karilefi in adjutorium, prædicto Petro consignante, dedit, cujus vocabulum est Savonerolas, & Villarem, pro qua re hactenus præfatæ villulæ in jus & dominationem prædicti monasterii & jam dictæ ecclesiæ cesserunt.

PETRUS Cenomannicæ partis parochiæ temporibus Theodorici Regis Chorepiscopus & adjutor domni Aigliberti fuit. Ipse enim domnus Aiglibertus Archicapellanus & princeps Episcoporum regni erat. Ideo ei concessum erat, ut haberet adjutorem sibi & Chorepiscopum, ut quando ipse præoccupatus in servitio regali erat, prædictus Chorepiscopus ei adjutorium procuraret aliquod, non id faciendo tamen quod ei licitum non erat, propter summam episcopalis ministerii, sed quantum à prædicto ei domno Aigliberto licite & canonice concedebatur. Præfatus namque Petrus natus ex ipsa parochia fuit, in villa quæ dicitur Campaniacus, super fluvium Idoneæ, & ex familia matris & civitatis ecclesiæ procreatus: qui licet ignobilis esset genere, nobilis tamen erat moribus. Multas ergo impulsationes habebat à nobilibus ejusdem provinciæ hominibus de rebus sibi commissis, propterea quod infimus erat genere. Deus autem, qui non elegit gentem sed mentem, in omnibus præstitit ei adjutorium, qualiter non multas res perderet; sed deficiente domno Aigliberto, sub tali conditione & occasione à jure prædictæ matris ecclesiæ multa & innumerablia copia rerum alienata injuste fuerunt. Jam dictus enim domnus Aiglibertus Archiepiscopus & magister totius regni cunctorum Episcoporum, docendo & gubernando, palliumque (ut mos Metropolitanorum est) deferendo fuit, & nobiliter ac sancte vivere studuit: cujus obitum institutum signa sunt prosecuta; pro cujus etiam Dominus meritis innumerabilia tam eo vivente, quàmque & in Christo requiescente, signa ostendere non dedignatus est. Ipse ergo sedit in prædicta sede annos xxxiiij, & menses vj, diesque xj. & fecit ordinationes lxxv, Presbyteros ccc, Diaconos cccx, Subdiaconos xv, & reliquos ministros quantum necesse fuit. Hic autem multa vasa, tam aurea, quàm & argentea, ad suæ sedis ecclesias tradidit, & multa bona inibi cunctis fecit. qui & angelicis vectus amminiculis ad cælorum properavit regna, ubi & cum sanctis exsultat in æternum, cum quibus & nos omnium precibus lætari, & beata requie frui perpetualiter mereamur, ipso præstante qui vivit & regnat per cuncta sæculorum sæcula, fiat, fiat.

Sequitur exemplar testamenti de monasterio sanctæ Mariæ, quod fecit Aglibertus Episcopus suis sanctimonialibus Monachis in eodem monasterio regulariter Domino militantibus, per quod etiam omnes cognoscere possunt, illud nostræ matris ecclesiæ juste esse debere. Quod ideo hic inserimus, &c.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Dilectissimæ propinquæ nostræ ADREHILDÆ Abbatissæ AIGLIBERTUS Cenomannicæ urbis acsi indignus Episcopus. Quia pro timore atque divino amore & reverentia sanctæ Dei genitricis Mariæ, unà cum Clericis fratribus & consacerdotibus, ac sororibus & sanctimonialibus nostris consensum præbentibus, convenit nobis, ut in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi prædictam propinquam nostram Adrehildam Abbatissam, nostra benevolentia & largitione divina, & virginali sive abbatissali benedictione construximus, & cum consensu (ut diximus) ecclesiæ nostræ consacerdotum Canonicorum sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, ad quorum ecclesiam ipsa cella sanctæ Mariæ, quæ est constructa intra

fluvium Sartæ & murum civitatis, reddit debeant instituta servare; ut dum illius sanctæ Dei genitricis Mariæ sit voluntas, si humiles ac devotè ibi consistant sanctimoniales, sub Regula degentes, quæ & suam prius dirigant conscientiam, & loci illius delectabilem faciant habitationem, in quo & nostra merces communis adcrescat, & laus Domini devotè percurrat. Concedimus ergo hoc in præsenti inscriptione ad sanctimoniales spiritales, ad peregrinas seu peregrinórum ac pauperorum usum, qui propter Deum sua dereliquerunt, loca vel substantiam, ut in prædicto monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod ad matrem ecclesiæ Cenomannicæ urbis, cui præesse ac prodesse debeo justè & legaliter pertinet, & sub dominatione Pontificum ac ministrorum suorum, reddibitionis & censa onerosa ex ipso monasterio adprædictam matrem ecclesiam persolvuntur, sicut ab institutoribus & ditatoribus ac fundatoribus ipsius monasterii, & à prædecessoribus Pontificibus hujus urbis dudum constitutū est, hactenus persolvuntur, leviora & faciliora esse volumus. In qua etiam cella prædictam consanguineam nostram Adrehildem venerabilem Abbatissam constituimus, cum consensu sacerdotum nostrorum, ut & ibi in Christi nomine prædicta Abbatissa consanguinea nostra, atque ceteræ sanctimoniales, tam infra urbem, quàm & secus juxta ecclesiam prædictam sanctæ Dei genitricis Mariæ, secundum Regulam & nunc, quandoquidem vivere debeant. Et quandocunque eis Abbatissa prædicta, sive alia defuncta fuerit, cum consensu & institutione jam dictæ urbis Episcopi eligant aliam, quam utiliorem ex semetipsis ad suas animas conservandas & regendas ac Deo opitulante salvandas invenerint. Et ita nunc tam eam, quàm & alias quæ præesse visæ fuerint, seu ipsas sanctimoniales ibi sub Regula degentes commonemus, ut sicut cetera monasteria regularia, quæ sub ordine Regulæ rectiùs degunt, similiter & prædictum cœnobium sanctimonialium sub potestate & regimine præfatæ urbis Episcopi degant, & regulam in eo omni tempore conservent. Et nos taliter vos, vel vestros quicumque illius ecclesiæ sint exactores, omnino commonemus, ut non à vobis onerosa aut aliquis gravia injuncta à præfixo locello requirantur: Sed opera vestimentorum, atque quæ ad sanctimoniales pertinet faciendum, vel vestimenta ecclesiastica aut pontificalia lavanda, vel restauranda debent facere, studeant, ut Regula sanctimonalium propter censa vel exacta gravia Pontificum vel ministrorum suorum inibi non negligetur, sicut à nobis constitutum est, ita omni tempore conservetur. Et posteros nostros, qui in ordine Pontificum in hac sede futuri sunt, humiliter postolamus, ut quod à nobis statutum est, ab illis non violetur: & sicut institutiones eorum conservatas esse voluerint, ita & nostra conservent, ut liceat ibidem constitutis sanctimonialibus sub sancto Ordine & sub Regula conversare, & pro nobis vel omni populo Domini misericordiam exorare. Et ut hic scriptus ad invicem privilegii futuris temporibus habeatur, monemus ut sanctum Ordinem custodiant, & omni tempore sanctè & regulariter in Dei nomine inibi resideant, & assiduè lectionibus vel sanctis meditationibus & orationibus vacent. Rogamus ergo ac contestamur coram Deo & Angelis ejus, omnes Reges, Principes, Potestatas, Dominationes, Consules, Proceres, sive Comites, atque cunctos potentes & nobiles, seu procuratores, ut hoc privilegium à nobis, per consensum Episcoporum ac consacerdotum nostrorum factum, non frangant, neque corrumpant, aut quo modo violent, seu delacerent, aut in aliquo modo corrumpant, sicut sanctimoniales in prædicto loco seu cœnobio in amore Domini nostri Jesu-Christi & sanctæ Dei genitricis Mariæ quietè & regulariter absque ulla vexatione aut maritione securiter sanctè viver permutant. Actum Cenomannis civitate in mens Junio anno vj regni Domini nostri HILDEBERTI gloriosissimi Regis. In Christi nomine AIGLIBERTUS, licèt peccator, Episcopus subscripsi. THALUSIUS Abbas subs. Sarromalus subscripsi. Ursus nomine non opere Presbyter subs. In Christi nomine BERTAOLDUS Abbas subscripsi. In Christi nomine LUNOULFUS Archidiaconus subscripsi. Denicione Diaconus subscripsi. Maurentinua jubente domino meo subs. Ego Bertigiselus peccator jubente domino meo script. & subscripsi.

Sequitur exemplar precepti Theoderici Regis de monasterio Tussiaco, qualiter illud Aiglibertus Episcopus ante prædictum Regem evindicavit, & qualiter sancta Cenomannica matris ecclesia traditum fuit, atque qualiter ejus in perpetuum esse debet, sicut in eo habetur insertum, quod ideirco inserere libuit, &c.

THEODERICUS Rex Francorum, vir illuster. In hoc semper regalis celsitudo debet prospicere, ut quodcumque contra Dei decretum vel instituta Patrum fuit actum, debeat esse restauratum. Ideoque ad aures clementiæ nostræ fuit patefactum, eo quod ULFALDUS & INGOBERTUS Optimates nostri illuster Deo sacrata AIDILA Abbatissa, seu & genetrice sua INGANA, quæ in monasterio puellarum, quod in honore sanctæ Mariæ vel ceterorum domnorū, in luco nuncupante Tussiaco constructum, unà cum turba plurima monacharum sub sancta Regula conversare videntur, vel ipsa congregatione tale testamentum facere coëgisset, ut quodcumque prædicti viri ad ipsas ancillas Dei facere ordinabant, aliud nullatenus pontificium faciendi haberent, nisi præsentaliter in perpetuum & omni tempore jussionem de qualibet causa facere & adimplere deberent. Econtra verò asserebat vir Apostolicus AIGLIBERTUS, Cenomannicæ urbis Episcopus, quod prædictum monasterium suæ sedis ecclesiæ esse deberet, & LOPPA Deo sacrata, relicta videlicet ECIONS, illud ibidem legibus tradidisset: ostendensque nobis strumenta cartarum, qua prædicta Loppa de jam dicto monasterio Cenomannicæ matris ecclesiæ perpetualiter tenendum & ecclesiastice dominandum ac possidendum fecerit. Quæ & ante nos relecta & approbata, à memorato Aigliberto & à suis ministris sunt legibus evindicata; etiam hoc ab eo & à suis ministris legibus adprobatum in conspectu nostro & procerum ac fidelium nostrorum, quod jam dictum monasterium in jus & potestatem suæ sedis ecclesiæ præsentibus & futuris temporibus justè ac legibus debeat permanere. Quam ob causam petiit clementiam nostram memoratus Pontifex, ut quod tam manifestis indiciis declaratur, nostra assentione, immo auctoritate roboretur. cujus petitionibus pro amore Dei & ejusdem sancti loci aurem accommodamus, & hanc preceptionem eis suisque per tempora successoribus jam dictæ sanctæ congregationis fieri ac dari jussimus, ut firmiùs futuris temporibus, omni scilicet remota quæstione, tam prædictorum virorum, quàm & cujuslibet personæ memorata Cenomannica mater ecclesia, quæ est constructa & dedicata in honore sanctæ Mariæ, & postea immajorata in sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, ejusque Pontifices atque rectores sæpedictum monasterium, cum omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, tenere & ecclesiastice valeant per tempora possidendo gubernare. Ac domnus, unà cum consensu Pontificum vel Optimatum nostrorum, quod hæc causa vel ipsa carta contra Dei decretum,

vel instituta Patrum aut normam Regulæ fuerat actum, dum sub ditione & regimine prædicti Pontificis, cui jam dictum monasterium (ut præscriptum est) & suæ sedis ecclesiæ legibus pertinet, quod & à nobis enucleatum est perscrutandum, & præfixæ monachæ quietè in ipso monasterio vel prædicta congregatione sub potestate & dominatione antedicti Pontificis degere debeant. Ideoque præsenti præceptione decernimus & omnino jubemus, ut si ullo umquam tempore ipsa carta aut alius qualiscumque strumentus de nomine prædictorum virorum contra prædictum Pontificem vel ejus Abbatissa, nomine Adilane, vel genitrice sua Ingane, vel ipsa congregatio omni tempore absque cujuslibet impedimento, vel supradictorum virorum quietas in ipso monasterio, sito in pago Cenomannico, Tussiaco constructo, debeant residere, vel sub sancta Regula ibidèm conversare, & pro statu Ecclesiæ & salute patriæ, seu pro stabilitate regni nostri perenniter ibidem debeant exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, in omnibus & ab omnibus conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare. In Christi nomine THEODORICUS Rex subscripsi. GUNTINUS jussus obtulit & subscripsit. Datum quod fecit mensis December dies vj, anno iij regni nostri Compendio in palatio nostro in Dei nomine feliciter, amen.

Sequitur exemplar epistolæ Aigliberti Episcopi de decimis villarum suæ sedis ecclesiæ, suis Monachis & sanctimonialibus in monasterio sanctæ Mariæ regulariter degentibus datis, quorum nomina in ea continentur inserta: per quod etiam cognoscere omnes possunt, ipsum monasterium sanctæ nostræ matris ecclesiæ esse debere, quia nisi eum esset, nullo modo earumdem villarum decimas ibidem daret.

IN Dei nomine AIGLIBERTUS Episcopus in Christo sanctæ Ecclesiæ filiis omnibus agentibus vel missis discurrentibus de villis sanctæ ecclesiæ de Mediaquinta Trition, Aluetum, Betas, Longa-aqua, Lucduno, Geneda, medietate de Tredente, & Vithlena, & Tauriniaco, cognoscatis quod nos concessimus monasterio sanctæ Mariæ, ubi Deo sacrata ADA Abbatissa præesse videtur, omnes decimas de suprascriptis villulis, tam de annonis, quàm agrario, vinum, fenum, omnium pecudium, seu furmatico, vel undecumque decimas redebetur, totum & ad integrum ad ipso monasterio censemus & jubemus, ut absque ulla dilatione ad missos ipsius dare faciatis: &, ut diximus, ipsam decimam omni tempore ipsi monasterio habeat concessum. Et ut certius credatis, manu nostra subterfirmavimus. Datum dies novem quod fecit mensis Julius in anno ij regni domni nostri CLODOVEI Regis. In Christi nomine AIGLIBERTUS acsi peccator Episcopus subscripsi.

Sequitur exemplar præcepti Theoderici Regis Francorum de moneta Aigliberto Cenomannicæ urbis Episcopo suisque successoribus concessa.

THEODERICUS Rex Francorum, vir illuster. Regum consuetudinem exercemus, si petitiones servorum Dei, in quo nostras pulsaverint aures, ad effectum perducimus, & hoc nobis ad æternæ beatitudinis præmium percipiendum profuturum esse confidimus. Igitur compertum sit prudentiæ omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ & nostrorum, quatenus vir sanctissimus & religione atque sapientia, genereque nobilissimus AIGLIBERTUS, Cenomannicæ urbis Archiepiscopus, nos deprecatus est, uti monetam publicam in sua civitate, & in nomine sancti Gervasii ac nostro ei concederemus. quod ita & fecimus, ea videlicet ratione, ut ipse & sui ministri hoc valde prævideant, ne aliqua fraus in ipsa monera nostris, futurisque temporibus appareat. Jubentes ergo præcipimus, & præcipientes jubemus, ut nullus ex fidelibus nostris aut quislibet ex judiciaria potestate de præfata monera prædicto Episcopo, suisque successoribus aut rectoribus suæ sedis ecclesiæ aliquam calumniam aut injustam pulsationem vel causationem, sive adversam machinationem adversus eos, vel suos successores seu rectores ejusdem ecclesiæ ullo umquam tempore facere audeat, aut machinari præsumat. Et hoc præcipimus, ut si aliquis hoc fecerit, sol. auri adversus eum, vel suos successores rectores, ejusdemque ecclesiæ componat. Et ut hæc jussio atque cessio nostra verius credatur, & per omnia perficiatur, futurisque temporibus firmior maneat, hanc auctoritatem manus nostræ subscriptionibus roborare decrevimus, & anuli nostri impressione subter sigillare jussimus. THEODERICUS Rex Francorum subscripsi. BONITUS * obtuli, scripsi & subscripsi. Datum die vj, Kalendas Aprilis xij regni nostri Compendio in Dei nomine feliciter, amen.

* al. Benitus.

Sequitur exemplar privilegii domni Aigliberti Episcopi de monasteriolo sanctæ Mariæ.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi. Dilectissimæ propinquæ nostræ ADREHILDÆ Abbatissæ AIGLIBERTUS Cenomannicæ urbis acsi indignus Episcopus. Quia pro timore atque divino amore seu reverentia sanctæ Dei genitricis Mariæ, unà cum ceteris fratribus & consacerdotibus seu sororibus atque sanctimonialibus nostris consensum præbentibus, convenit nobis in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi prædictam propinquam nostram Adrehildam Abbatissam nostra benevolentia & largitione, atque divina, & virginali, sive abbatissali benedictione eam constituimus, cum consensu, ut diximus, ecclesiæ nostræ consacerdotum Canonicorum sancti Dei genitricis Mariæ atque sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, ad quorum ecclesiam ipsa cella sanctæ Mariæ, quæ est constructa intra fluvium Sartæ & murum civitatis, reddit, instituta servare debeant: & confidimus ut dum illius sanctæ Dei genitricis Mariæ sit voluntas, si humiles ac devotæ ibi consistant sanctimoniales, sub Regula degentes, quæ & suam priùs dirigant conscientiam, & loci illius delectabilem faciant habitationem, in quo & nostra merces communis adcrescat, & laus Domini devotè percurrat. Concedimus ergo hoc in præsenti conscriptione ad sanctimoniales spiritales vel peregrinas, seu peregrinorum ac pauperum usum, qui propter Deum dereliquerunt sua loca vel substantiam, ut in prædicto monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod ad matrem ecclesiam Cenomannicæ urbis, cui præesse ac prodesse debeo, juste & legaliter pertinet, & sub dominatione Pontificum ac ministrorum suorum, reddibitiones & censa onerosa ex ipso monasterio ad prædictam matrem ecclesiam persolvuntur, sicut ab institutoribus & dotatoribus ac fundatoribus ipsius monasterii, & à prædecessoribus nostris Pontificibus hujus urbis dudum constitutum est, hactenus persolvuntur, leviora & faciliora esse volumus. In qua etiam cella prædictam consanguineam nostram Adrehildem venerabilem Abbatissam præesse constituimus, cum consensu sacerdotum nostrorum, ut & ibi in Christi nomine prædicta Abbatissa consanguinea no-

ſtra atque ceteræ ſanctimoniales, tam infra urbem, quàm & ſecus juxta eccleſiam prædictæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſecundum Regulam, & nunc, & quandoquidem vivere debeant. Et quandocumque eis Abbatiſſa prædicta, ſive alis defuncta fuerit, cum conſenſu & inſtitutione jam dictæ urbis Epiſcopi eligant alteram, qualem utiliorem es ſemetipſis ad ſuas animas conſervandas & regendas ac Deo opitulante ſalvandas invenerint. Et ita nunc tam eam, quàm & alias quæ præeſſe in ſe fuerint, ſeu ipſas ſanctimoniales ioibi ſub regula degeotes commonemus, ut ſicut reliqua monaſteria, quæ ſub ordine Regulæ rectiùs degunt, ſimiliter & prædictum cœnobium ſanctimonialium ſub poteſtate & regimine præfatæ urbis Epiſcopi degat, & Regula in eo omni tempore conſervetur. Et nos taliter vos vel veſtros, quicumque ipſius eccleſiæ ſint exactores, omnino commonemus, ut non à vobis oneroſa cenſa, aut aliqua gravia injuncta à præfixo locello requirantur: ſed opera veſtimentorum, atque alia quæ ad ſanctimoniales pertinet faciendum, vel veſtimenta eccleſiaſtica ſive pontificalia lavanda, vel reſtauranda, libenter facere ſtudeant: ut regula ſanctimonialium propter cenſa, vel exacta gravia Pontificum vel miniſtrorum ſuorum, inibi non negligantur; ſed, ut à nobis conſtitutum eſt, ita omni tempore conſervetur. Et poſteros noſtros, qui in ordine Pontificum in hac ſede futuri ſunt, humiliter poſtulamus, ut quod à nobis ſtatutum eſt, ab illis non violetur: & ſicut inſtitutiones eorum conſervatas eſſe voluerint, ita & noſtras conſervent: ut liceat ibidem conſtitutis ſanctimonialibus ſub ſancto Ordine & ſub Regula converſare, & pro nobis vel omni populo Domini miſericordiam exorare. Et ut hic ſcriptus ad vicem privilegii futoris temporibus habeatur, monemus ot ſanctum Ordinem cuſtodiant, & omni tempore ſancte & regulariter in Dei nomine inibi reſideant, & aſſiduè lectionibus vel ſanctis meditationibus & orationibus vacent. Rogamus ergo ac conteſtamus coram Deo & Angelis ejus omnes Reges, Principes, Poteſtates, Dominationes, Conſules, Proceres, ſive Comites atque cunctos potentes & nobiles ſeu procuratores, ut hue privilegium à nobis per conſenſum Epiſcoporum ac conſacerdotum noſtrorum factum, non frangant, neque corrompant, aut quo modo violent, ſeu delacerent, aut in aliquo modo corrumpant: ſed ut ſanctimoniales in prædicto loco ſeu cœnobio in amore Domini noſtri Jeſu-Chriſti & ſanctæ Dei genitris Mariæ quietè ac regulariter abſque ulla vexatione aut maritione ſecutè & ſanctè vivere permittant. Unde domnorum Epiſcoporum, & Metropolitanorum artium ſedes tenentium ſuffragia poſcimus, ut adhibeant mercedem, ut hoc ſanctum privilegium cum ſocietate beatitudinis & conſentire, atque adfirmare una nobiſcom non dedignentur. Iterum vos domnos Pontifices humiliter deprecor, ut hoc privilegium à me factum, veſtris manibus roborare & ſubſcribere caritatis cauſa atque benevolentia dignemini. In Chriſti nomine AGLIBERTUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium devotiſſimè à me factum libenter ſubſcripſi. HILDEBERTUS etſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. LANDSBERTUS gratia Dei Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine LANOOBERTUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine BERDRAMNUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegiom ſubſ. GOZENUS peccator Epiſcopus hoc privilegiom ſubſ. In Dei nomine PROTASIUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. DATOPROUS * acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. DATBERTUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegiom ſubſ. In Chriſte nomine HERLINGUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine BERAARUS acſi peccator Epiſcopus ſubſcripſi. In Chriſti nomine AIGLEBERTUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine ADALDUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. RIGOBERTUS peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſcripſi. In Chriſti nomine ADALBERTUS peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. ABBO miſericurdia Dei Epiſcopus ſubſ. In Chriſti nomine HERMENARIUS peccator Epiſcupus ſubſ. In Chriſti nomine VENOICIANUS acſi peccator Epiſcopos hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine BURGOARDUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine AQUILINUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. THEODEFREDUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine FRAMBERTUS Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. ONDINGUS Epiſcopus ſubſ. BERUEFUS Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. HADECARIUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. THEODEOARIUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine AUTSINUS acſi peccator Epiſcopus ſubſ. In Chriſti nomine EALLHARIUS acſi peccator Epiſcopus ſubſ. In Dei nomine HAVINGUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Chriſti nomine CLAMENS Epiſcopus hoc privilegium ſubſcripſi. In Chriſti nomine RAGANTEUS acſi peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſcripſi. HADOAT OUS peccator Epiſcopus hoc privilegium ſubſ. In Dei nomine WINICHARIUS Abbas ſubſ. In Dei nomine HADOINDUS Archidiaconus ſubſcripſi. In Dei nomine Sado Chriſti humilis ſubſ. Actum Cenomannis civitate in menſe Junio anno aj regnante domno THEODORICO glorioſiſſimo Rege. Ego Bodolenus Emmanuenſis ſubſcripſi.

* DATA.

Sequitur exemplar præcepti Theoderici Regis ſupra privilegium domus Aigliberti Epiſcopi de monaſterio ſanctæ Mariæ.

THEODERICUS Rex Francorum, vir illuſter. Si petitionibus ſacerdotum, quod ad eorum opportunitatem pertinet, libenter præſtamus aſſenſum, regiam in hoc exercemus conſuetudinem, & hoc nobis ad laudem, vel ad ſalutem æternam & ſtabilitatem regni noſtri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur Apoſtolicus vir domnus AIGLIBERTUS Cenomannicæ urbis Epiſcopus miſſa petitione clementiæ regni noſtri credidit ſuggerendum, ut conſtitutionem quam propter amorem Dei & eleemoſynam noſtram conſtituerat per conſenſum conprovincialium Epiſcoporum ſive conſacerdotum ac Canonicorum ſuorum in monaſterio ſanctæ Dei genitricis, quod eſt conſtructum intra fluvium Sartæ & murum civitatis, tam extra murum, quàm & infra ipſius civitatis monitionem, quod ad matrem eccleſiæ ſanctæ Mariæ & ſancti Gervaſii & Protaſii, cuj præeſſe videtur, jore eccleſiaſtico pertinet, & per ſcriptionis firmitatem prædeceſſorum ſuorum temporibus ſub cenſu firmiter & legaliter delegatum eſſe cognoſcitur; poſtulavit ut firmitatis cauſa noſtra regali confirmetur cenſura. cujus petitioni nos aſſenſum præbentes, & eandem ſuam conſtitutionem noſtra auctoritate confirmantes, hoc præceptum fieri juſſimus, & per hanc auctoritatis noſtræ inſcriptionem præcipimus, ut ſicut à prædicto venerabili Apoſtolico viro Aigliberto Cenomannicæ urbis Epiſcopo eſt conſtitutum, vel ſicut in ejus continetur ſcripto, tam deinceps noſtris & futuris temporibus ſub jure & dominatione præfatæ Cenomannicæ ſenioris urbis eccleſiæ ſanctimonialibus inibi degentibus, & pauperibus, ac peregrinis ſtipendiarie diſ-

ponente atque ordinante præfatæ urbis Episcopo ac decessoribus suis, & Abbatissæ, quam ipse sive successores sui in eodem monasterio constituerunt, sub Regula existant, ac regulariter vivant, & plena eis Regula conservetur. Et res ad prædictum monasterium pertinentes monemus, ut neque nos, neque successores nostri aut qualibet exactantibus vel exactoribus præfati regni auferre, aut alienare à jure & dominatione jam dictæ matris Cenomannicæ urbis ecclesiæ aut propter benevolentiam vel leviorationem seu servitii præfati domini & Apostolici viri Aigliberti Episcopi aliqua succedat occasione, aut qualiter calliditate vel malo ingenio machinetur, ut à jugo præfatæ ecclesiæ ex hac nostra benevolentia ipsum monasteriolum auferatur vel alienetur, sive aliquo modo subtrahatur: sed in jure & potestate sæpe dictæ matris ecclesiæ aut Pontificum inibi Deo degentium præsentibus atque futuris permaneat temporibus, neque aliquo modo quicquam auferre vel præterire præsumat: sed præfati Episcopi constitutionem, sicut ab illo constitutum & à nobis confirmatum est, per diuturna tempora inviolabiliter in augmentum sanctæ Dei ecclesiæ & inconvulsè omnes Reges & Principes vel exactores regni persistere, aut permanere sive perdurare omni tempore permaneat. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, vel per diuturna tempora à nobis vel à successoribus nostris in melius conservetur, nostris subscriptionibus decrevimus roborare. In Christi nomine THEUDERICUS Rex subscripsi. AUDOFREDUS jussus subscripsi. Datum quod fecit mensis Martius dies V, anno regni nostri iij, Compendii palatio in Dei nomine feliciter.

Sequitur exemplar precariæ, quod fecit domnus Merolus de monasterio sanctæ Mariæ, præcipiente Carolo glorioso Rege, Aruina Abbatissæ.

DOmino sancto ac venerabili basilicæ sancti Gervasii, quæ est constructa infra Cenomannis civitate, quam Merolus Episcopus in dominatione & regimine habere videtur, ejusque congregationi in ipsa basilica consistenti. Ego in Dei nomine ARUINA, etsi peccatrix, monasterii sanctæ Mariæ Abbatissa, quod monasterium noscitur ad prædictam ecclesiam S. Gervasii & Protasii juste & legaliter pertinere; ad vos humilis precatria accedo. Dum mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut prædictum monasterium per beneficium vestrum, domno CAROLO gloriosissimo Rege ac seniore nostro jubente, ad usum nostrum habere vestro beneficio, dum advixero, sub censu merear: in ea verò ratione, dum ego advivo, ipsum monasterium tenere & dominare sub vestra potestate debeam, ut si vos Deo donante supervixero, similiter faciam, & post meum quoque discessum Deo jubente ad prædictam ecclesiam immelioratum seu cum omni superposito revertatur. Et spondo vobis ad festivitatem sancti Gervasii annis singulis censum persolvendum, totum in argento libram unam, & ad luminaria cereos optimos iiij. Et si de ipso censu negligens aut tarda apparuero, fidem eamde faciam, & prædictum monasterium sub usufructuario propterea diebus vitæ meæ non perdam. Ea verò ratione, ut duas ex hoc precarias pari modo conscriptas fieri debeant, & & vos unam habeatis, & nos alteram; ut omni tempore hæc firmitas apud vos, sive successores vestros firmiter & inviolabiliter permaneat. Actum Cenomannis civitate anno x regnante domno nostro CAROLO gloriosissimo Rege ix mense Madio, die Kalendarum ipsius mensis Christo propitio. Ego MA-ROLUS Cenomannicæ urbis peccator Episcopus hanc precariam à me factam subs. ARUINA monasterii sanctæ Mariæ Abbatissa hanc precariam subscripsi. Balam Presbyter subs. Beatus Presbyter subs. Samuel Presbyter subs. Floduinus Presbyter subs. Beatus Presbyter subs. Superventus Presbyter subs. Ermericus Presbyter subs. Vumeradus Presbyter subs. Joseph Presbyter subs. Ochleardus Presbyter subs. Gislearius Presbyter subs. Christianus Presbyter subs. Gotharius Presbyter subs. Raganteus Presbyter subs. David Presbyter subs. Landradus Presbyter subs. Aldricus Presbyter subs. Adalguinus Diaconus subs. Jacob Diaconus subs. Godrebertus Diaconus subs. Martinus Diaconus subs. Petraldus Diaconus subs. Ragenaudus Diaconus subscripsi. Hildebrandus Diaconus subs. Adalmannus Diaconus subs. Adalricus Diaconus subs. Romanus Diaconus subs. Regendricus Diaconus subs. Ego Hilpricus Diaconus subscripsi.

Sequitur exemplar de illo tributo sub Berario, vel Aigliberto factum.

CHILDERICUS Rex Francorum vir illuster, Apostolico Patri DIDONI Pictavensi Episcopo. Cognoscat sanctitas vestra, quia nos tributo illo, quicquid de curte cognominante Arduno, sitam in pago Pictavense, in luminaribus ad basilicam sancti Gervasii cedo, inspecto, absque impedimento pro mercedis nostris augmentum omnia, quod ad fiscum nostrum exigitur, visi fuimus concessisse. Propterea per præsentem præceptionem pro amore sanctitatis jussimus emunire, ut superiùs conscripto tributo, quod ad fiscum nostrum de Arduno sperabatur, nullus noster Judex exactare faciat ad fiscum nostrum: sed ad jam dictam basilicam sancti Gervasii, ut priùs concessimus, pro mercedis nostri augmento habeat concessum atque indultum. Et ut hæc auctoritas pleniorem obtineat vigorem, manu nostra subter firmavimus, & adfirmare rogavimus. Signum glorioso domno HILDERICI Regis. Kalend. Martii anno vij regni ipsius. Signum domni GHISILO Abbati. ALLO Abbas subs. CRISTOMERUS Abbas subs. GEDEON Abbas subscripsi. Cicunus subs. Auvendi ego vidi & subscripsi. Auttendi ego vidi & subscripsi. Teutfindus Clericus explevit, scripsit, & subscripsit.

Sequitur emunitas de Arduno, tempore Hilderici Regis Agliberto Episcopo facta.

CUm & villa nuncupante Arduno, in pago Pictavo, ab antecessoribus Regum parentum nostrorum quondam procerum præceptionis cognovimus ad basilicam peculiaris patroni nostri domni Gervasii in urbem Cenomannicam, ubi vir Apostolicus Pater noster domnus AIGLIBERTUS Episcopus esse dignoscitur, & nos recolimus emunitates de ipsam villam ad ipsum sanctum locum visi fuimus concessisse; propterea cognoscat magnitudo seu utilitas vestræ, quia nos concessimus ei quicquid de ipsam villam partibus fisci nostri sperabatur, hoc vobis intercisum putamus juxta illam anteriorem nostram præceptionem, quam vobis Apostolicus vir domnus BERARIUS quondam deportavit, unde & ipse Pontifex Aiglibertus de prædicta præceptione recte exemplari à nobis præsentavit: sed pro firmitatis studium petiit nobis, ut pro nostra præceptione hoc iterum eam refirmare deberemus. Quod ei taliter præstitisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes

tes igitur, ita ut neque ad vos, neque ad junioribus seu successoribus vestris, de ipsa causa nihil exigere, nec requirere non præsumatis, nisi dum ad ipsam basilicam memorata villa cognovimus esse concessa, ad nuncupata basilica proficiat in augmentis, & vos de præsenti præceptione pro adducendam post vos reciperat, & quandocumque inferenda nostra præsentatis, ipsa apud vos exhibeatis. Et ut citiùs credatis, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus adfirmare. Ego HILDERICUS Rex subscripsi sub die vj. Kalend. Septembris, anno xj regni nostri. In Christi nomine ATHMON peccator Episcopus autentico vidi exemplar & subscripsi. AISTERCUS in Dei nomen Abbas autentico vidi exemplar & subs. Hadoaldus in Christi nomen autentico vidi exemplar & subs. Domnus HARICINDUS humilis Abbas vidi exemplar & subs. Augrus autentico vidi exemplar & subs. Ebertus autentico vidi exemplar & subs. Urlinianus autentico vidi exemplar & subs. Haldrus in Dei nomine Presbyter autentico vidi exemplar & subs. Gisolenus autentico vidi exemplar & subs. GOMALDUS Abbas autentico vidi exemplar & subs. Letrannus autentico vidi exemplar & subs. In Dei nomen Audomarus autentico vidi exemplar & subs. In Christi nomen GIGOBARDUS peccator Abbas autentico vidi exemplar & subscripsi. Siggolenus autentico vidi exemplar & signavi. Facta exemplaria sub die sexto decimo Kalend. Novembris, anno xj regni domni HILDERICI Regis gloriosi, Cenomannensi civitate.

CAPUT XV.

Gesta Domni Herlemundi Cenomannicæ urbis Episcopi qui fuit tempore ultimo Hilberti filii Theoderici Regis, & primo tempore Dagoberti, filii ejusdem Hilberti, sive Theoderici filii ejusdem Dagoberti, & Pipini Majoris-domus, patris videlicet Caroli magni & primi Francorum Imperatoris.

DOmnus HERLEMUNDUS Cenomannicæ urbis Episcopus, natione Francus, nobilibusque ex parentibus natus, & successor posterioris domni BERARII, fecit quamdam cellulam, quam & à fundamento exstruxit juxta civitatem, in honore sancti AUDOËNI, ibique & Monachos xij, & hospitalitatem tam nobilium, quàm & ignobilium sive pauperum esse constituit. Ipsam namque cellulam de rebus sui Episcopii ditavit, & quosdam vicos, id est Artinis & Gabron, sive villulas aliquas ad eam tradidit, sicut adhuc in suis strumentis inveniri potest: & quemdam sacerdotem suum, nomine SEUFREDUM, in eadem cellula Abbatem esse instituit. Antedictus quippe domnus Herlemundus quoddam monasteriolum, quod Alidus nominatur, quodque ab antiquis temporibus sui prædecessores jam dictæ urbis Episcopi possidebant, & sub firmissimo matris & civitatis ecclesiæ jure tenebant, reædificavit & renovavit, atque immelioravit, atque mirifice ornavit; & ibi Monachos aliquos sub Regula sancti BENEDICTI regulariter viventes, ac sub Abbate suo, nomine QUIRINO, inesse instituit, salvo jure & dominatione Episcoporum successorumque suorum, atque jam dictæ civitatis Canonicorum, sub potestate eorum semper permanerent, sicut hactenus faciunt. Hic quoque & CHIRMIRO Archidiacono suo & Abbati de monasterio sancti Vincentii quasdam res reddidit, & prædictæ ecclesiæ sancti Vincentii sub jure & dominatione sanctæ Mariæ & sancti Gervasii servire, & Monachis ibi regulariter viventibus ad eorum stipendia in augmentum concessit. Et præfixum Chirmirum Abbatem Vicedominum per totum episcopatum suum esse constituit. Hic ergo sedit in prædicta sede annis xxvj, menses viiij, dies xiij, & fecit ordinationes xxxvuj, Presbyteros per diversa loca cclxxxiij, Diaconos clxxij, & reliquos ministros quantum necesse tunc temporis erat. Qui & nono Kal. Novemb. in pace obiit, & à suis consacerdotibus atque discipulis in ecclesia honorifice sepultus est; & vivit cum Christo, lætaturque cum agminibus sanctorum in cælestibus sedibus, in quibus & nos auxiliante Domino eunctorum sanctorum orationibus lætari & regnare sine fine mereamur. quod ipse præparare dignetur, cui est honor & gloria per sæculorum sæcula, amen. In fine itaque hujus parvæ ejus commemorationis, id est Herlemundi prædicti Episcopi, in comparatione magnorum quæ egit....

Exemplar testamenti, quod Berarius nobilis Cenomannica urbis Episcopus de monasteriolo Caledon sancta Cenomannica matri ecclesiæ suo in tempore fecit. Quod ideo his in gestis pontificalibus inserere placuit, &c.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Cum divinitate propitia, dono Dei, acsi indignus, ego BERARIUS vocor Episcopus, deliberavi ut quicquid mihi Deus tam de propria parentum substantia, quàm & nostra utiliter conquirere vel attrahere usque nunc potuimus, aut inantea auxiliante Deo attrahere potuerimus, unde & testamentum de Caladunno monasterio, quod nostro opere ædificavimus, de omnibus rebus nostris, quod est in pago Cenomannico constructum, in condita Diablentica, in honore sanctæ Mariæ & sancti Petri constructum, ubi CAGLIBERTA Abbatissa præesse videtur, prope illas Abbatias vel beneficia, quæ de ratione sancti Gervasii in beneficio habeamus. Hæc sunt Busogilo monasterio cum appendiciis suis, Priscolieccino, monasterio Diablentis, illo monasterio sancti Martini, & Cella sancti Victurii, quæ est infra murum Cenomannis civitate constructa: hæc loca superiùs nominata cum omnibus adjacentiis vel appendiciis earum, & alia loca, quæ pro beneficio ecclesiæ tenemus, Bisigario, Patrimaco, & Manto, sicut diximus, propter ista loca quæ ad Caladunno non firmavimus, nos quoque omnibus rebus nostris hoc plena & integra voluntate ad monasterium præfatum ad Caladunno ejusque congregationi in Dei nomine consistenti firmavi, & firmatum in perpetuum esse volo, undecumque nostrum testamentum loquitur, vel nostra videtur esse possessio, ad præfatum monasterium ad Caladunno volo esse firmatum atque concessum, ea ratione dum cognitum est, quod vir inluster GAODEGARIO Dux, de inferendis vel undicumque juvamen nobis præstare non cessat, vel adjutorium tam nobis, quàm ipsi calæ facit, & inantea facere disponit; convenit nobis, ut filia sua CHRODIEUÆ, in ipso monasterio superiùs nominato, pro hujus merito, post dicessum ipsius Calibertanæ instituere vel confirmare deberemus Abbatissam. Quod & ita fecimus, ut tempore vitæ suæ, quamdiu ei Deus spatium dederit, secundum Deum & sanctam Regulam tempore vitæ suæ in ipso monasterio Abbatissa esse debeat, & sub regimine ipsius domni Berarii, quamdiu advivit: & neque nos, neque successores nostri, nec ullus quislibet, quamdiu ipsa advivit, de ipsa Abbatia, vel de ipso monasterio, nec diminuandum, nec distrahendum, ad hoc faciendum non habeat

pontificium. Et convenit nobis, ut post nostrum discessum domnus Herlemundus, aut alius Pontifex urbis Cenomanuicæ ad ipsum monasterium in manu regendum, vel gubernandum, aut Abbatissam post discessum memoratæ Chrodeildæ intromittendo, ot in finem semper eorum Ordo custodiatur & pereoniter conservetur. Quia dum cognitum est quod domnus Herlemundus Abbatias vel beneficiaria ecclesiastica superius nominata, etiam ad diem præsentem nobis Cauariago ad usum beneficiorum deditam tanta beneficia nobis concessit; pro hujus merito convenit nobis, sicut superiùs nominatas diximus, ut ipsum monasterium Caladunno post nostrum discessuro Ipse Pontifex ut successores sui ad regendum vel gubernandum, sicut & alia monasteria, quæ dum in sua parochia habent privilegia, ita & in ipso habeat pontificium, ut dom advivimus, ipsa beneficia Abbatissa de ipso monasterio in altero manus non habeamos pootificium, nec distrahendum, nec commorandum, oisi (sicut diximus) semper sub regimen sancti Gervasii ejusque Pontificis post nostrum discessum esse debeat, ut illa beneficia superiùs nominata, quæ pro beneficio domno Herlemundo vel ecclesiæ suæ vel aliorum tenemus, post nostrum discessum cum omni re immeliorata, absque ullius segregatione, ipse Pontifex aut successores sui à partibus ecclesiæ sancti Gervasii in eorum faciaot revocare dominationem vel potestatem. Et convenit nobis, ut nullus ex nobis de hac convenientia, quod superius comprehensum est, nullus contra pares pro qualibet ingeniositate articulum emutare non possit. Qui hoc fecerit, ut contra parem suum calumniator extiterit, quantum & alia, tantum quantum res ipsas eo tempore immeliorata suadere videntur, tam Crodegarius, quàm & domnus Herlemundus, vel domnus Berarius, qui contra hoc emutare voluerit, teneatur obnoxius, & quod repetit nihil vindicet: sed præsentales epistolas uno tenore conscriptas, una quam domnus Herlemundus in arca ecclesiæ suæ pro se retineat, & alia quam domnus Berarius in monasterio suo habeat; & tertia, quam vir illuster Crodegarius ad opus filiæ suæ Chrodehildæ habere debeat. Quam verò manus eorum inter se has epistolas tam ipsi vel concivibus suis visi fuimus confirmasse. Actum Maroilo villa in anno xvj regnante domno Childeberto Rege nostro, xij Kalend. Novemb. In Christi nomine Berarius Episcopus hanc epistolam à me factam subscripsi.

Sequitur exemplar præcepti emunitatis, quod fecit Dagobertus Rex Herlemundo Episcopo de cellulis & villis sui Episcopii, ubi & nominatim monasterium Ansolæ commemorat, & suæ sedis ecclesiæ esse affirmat.

Dagobertus Rex Francorum, vir illuster. Tunc regalis celsitudo fundameota sui culminis corroborat, quando petitionibus sacerdotum aut Pontificum, quod pro opportunitate pertioeat, obauditur, & ad effectum in Dei nomine mancipatur. Ideoque Apostolicus vir domnus Herlemundus, in Christo pater noster, Cenomaunicæ urbis Episcopus, nobis suggessit, eo quod aotecessores sui ab anteriore Rege parente nostro emunitates à malis hominibus fuissent furatæ, & denuo domnu & precelsus genitor noster Hildebertus quundam Rex integras emunitates de omnibus villis & curtis ecclesiæ suæ, & monasterium Ansola, in quo D. Karilephus Christi Confessor corpore requiescit, quod est suæ juris ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii martyrum, in quibuslibet pagis, vel territoriis habere videntur, etiam & monasteria soa, quæ ipse in regimine habet, quæ infra urbem Ceoomannicam sunt constructa, vel villas ac culta eorum in quibuslibet pagis ac territoriis concessisset, ut nullos Judex publicus oec ad causas audiendas, nec ad freda exigenda, nec mansiones aut paratas facieodas, nec pastus, nec ollas reddibitiones requirendas, nec exactandas quoque tempore ingredi deberet, nisi cum omnis fretus concessus quietim deberent possidere. Unde & ipsa sibi præcepta per manus habere affirmat, & ipse beneficius de eo tempore fuisset conservatus, petiit celsitudini nostræ, ut hoc circa eidem in idipsum confirmare deberemus. cujus petitiooem non denegasse, sed in omnibus ita præstitisse cognoscite. Ideo per præseotem præceptionem decernimus, quod io perpetuum volumus esse mansurum, ut inspecta ipsa anteriorem præceptionem, nullus Judex publicus, nequa vos, neque juniores seu successores vestri, neque quislibet ex judiciaria potestate, in villis vel curtis ipsius Pontificis vel ecclesiæ suæ sancti Gervasii & Protasii martyris, vel monasteria sua, aut curtis vel villis ipsorum, nec ad causas audiendas, nec ad freta exigeoda, nec fidejussores tollendos, nec mansiones aut paratas, nec pastus faciendo, nec nullas reddibitiones quod ad fiscum nostrum sperare videtur requirendis, nec exactandis judiciaria potestas inibi quoque tempore ingredere non præsumatur: sed ipse Pontifex aut agentis sui ill. cc. inferendalis, & ill. sol. alios ducentos auro pagins. quod ad fiscum nostrum de ipsa villa vel de ipsis curtis suis vel ecclesiis suis & monasteriis suis reddebantur, & in sacello puplico fuit consuetudo reddendi, ipse Pontifex aut successores sui per missus suos hoc debeant reddere, atque transsolvere, ut diximus, ex oostra iodulgentia sæpedictus Herlemundus Episcopus aut pars ecclesiæ suæ vel monasteria sua, de omnes villas vel curtis suis cum omnes fretus coocessus sub emunitatis nomine omni tempore hoc debeat possidere & dominare, & oullas requisitiones neque impedimentum à Judicibus publicis quoque tempore tam ipse Pontifex, quàm & successores sui habere non pertimescant, nisi nostris & futuris Deo auxiliante temporibus valeat esse conservatum, & ad ipsa sancta loca perenniter proficiat in augmentis. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, vel per tempora melius conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare. In Christi nomine Dagobertus Rex subscripsi. Ingobaldus optolit & subs. Datum quod fecit mensis Martius dies ij, anno ij regni nostri Mamaccas feliciter.

Sequitur exemplar testamenti ejusdem domni Herlemundi, quod fecit synodochio sancti Audoeni juxta urbem, quod à novo fundavit, & ex quibus rebus illud dotavit, & qualiter monachos inibi instituit, sicut in eo habetur insertum, quod supradicto pretextu, & hic inserere libuit.

Dagobertus Rex Francorum, vir illuster, Pectenus Major-domus. In Dei nomioe Herlemundus acsi peccator Episcopos Dominum ut precor, & supplico gratiam vestram. Dum ego oratorium in honore sancti Audoëni Episcopi & Coofessoris prope de muro Cenomannis civitate construximus, & ibidem Seufredum Presbyterum instituimus esse rectorem & monachos sub sancto Ordine consistentes constituimus, & pauperes vel hospites & peregrinos omni tempore pro mercede nostra communi supervenientes suscipere eis juxta possibilitatem ipsius loci præcepimus. Sed dum ante dies aliquid de rebus oostris quas Deus oobis dedit, etiam

& de rebus ecclesiæ sancti Gervasii ad ipsum Oratorium concessimus, & adfirmavimus. & ad præsens oportebat, ut ipsi monacholi vel pauperes ibidem conversantes substantiam minimè habebant, unde expleto alimenta vel vestimenta habere deberent. Ideo nos pro Dei intuitu pertractantes unà cum consensu confratrum vel concivium nostrorum, seu & fidelium laicorum, convenit nobis, ut vico aliquo, qui vocatur Artinis, super alveum Liddo constructum, & villa nuncupante Proliaco, seu & Penitre in pago Cenomannico, quem Bertocarius sacerdos usque nunc tempore per nostrum beneficium tenuit, cum omni integritate, ad ipsum vicum pertinentem vel aspicientem, hoc est tam terris, mansis, casis, ædificiis accolabus, mancipiis, lidis, ministeriales, vineis, silvis, pratis & pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, quadrupedum, præsidium, vel omni supellectili, quod ars humana dicit aut nominare potest, omnia inexquisita à die præsenti ad sacrum prædictum Oratorium, seu ad luminaria ipsius loci jam dicti, vel ministris à nobis constitutis, atque monacholis ibidem sub sancta Regula consistentibus, plena gratia concedere deberemus. quod annuente domino & seniore nostro Pipino Majoredomus fecisse non dubium est. ita ut dum & nos perpensamus, quod in supra memorato vico Artinis nec monachi, nec pauperes, seu hospites ad consolationem præparandum non habebant. ita & admodum (sicut jam prædictum est) ipsum vicum Artinis cum omni integritate vel loca ibidem aspiciente vel pertinente, ad ipsum Oratorium sancti Audoeni vel ipsis fratribus consolandis seu lumen ipsorum sanctorum procurandis, volumus esse concessum atque indultum, ut rectores, seu congregatio ipsius monasterii, vel pauperum pro nobis pio Domino oblationes & hostias ac precestam pro me, quàm Principe nostro Pipino, seu & pro stabilitate Regum & prolis eorum frangant oraculis, ut diximus, tempore vitæ nostræ seuque successorum nostrorum præfatus vicus Artinus ad suprascriptum Oratorium sancti Audoeni ad luminaria vel stipendia ipsorum monachorum, vel pauperum absque ullis obstaculis perennis temporibus proficiat in augmentum, ut ab hodierna die res superius nominatæ nullo alio loco impendant servitium, nisi partibus prædicti Oratorii sancti Audoeni ejusque monasterii, seu rectoribus ibidem consistentibus, sub jure ac potestate sanctorum martyrum Gervasii & Protasii diuturno tempore valeant perdurare. Nos verò humiliter deprecantes successoribus vel patribus nostris, qui post nos venturi erunt, flebili voce & cum jurejurando dicimus, & per Trinitatem inseparabilem conjurare præsumimus, ut hæc voluntas & facta nostra ab ipsis inviolabiliter ejus temporibus conservetur, & semper consolationem vel juvamen pro eorum mercede ad ipsum sanctum locum propter Deum & reverentiam ipsius sancti sanctorum, Monachorum vel pauperibus prætendere debeant, & de suprascripto vico jam dicto monasterio ejusque ministris exspoliare non debeant. Illud nobis placuit inserere, quod futurum esse non arbitror, si quis ulla de parte ecclesiæ nostræ sancti Gervasii & Protasii Cenomannicæ, vel quælibet persona, qui contra hanc concessionem venire, impulsare, aut prorumpere tentaverit, & sese non correxerit; primitus iram Dei incurrat, & à liminibus omnium ecclesiarum sanctarum efficiatur extraneus, & hæc voluntas in perpetuum valeat permanere illæsa. Quam verò concessionem ut firmiorem obtineat vigorem, manu propria subterfirmavimus, & fratrum nostrorum roborare rogavimus. In Christi nomine Herlamundus acsi peccator Episcopus hanc concessionem à me factam subscripsi. Tharmarus Archidiaconus subs. Landrobertus subscri. in Signum Ursino. Wanobertus subs. Dido subs. Leodio subs. Carothgisus subscripsi. In Dei nomine Chaldricus Abbas subscripsi. Signum Baldefredi. Teodobaldus subs. Bertholacus Presbyter subs. In Dei nomine Giso subs. Landricus scripsi & subscripsi. Data die Jovis Kalend. Januarias anno ij regni nostri. Jupila in Dei nomine feliciter.

Sequitur exemplar præcepti Hildeberti regis de Comitatu Cenomannico, ut per electionem Episcopi & ejusdem parochiæ populi detur, & non aliter invadatur. Ante tempora enim domni Herlemundi, ejusdem parochiæ Pontificis, Episcopi ipsius parochiæ suos homines in ipso Comitatu semper ponebant, & justitias faciebant: sed Herlemundus propter suam quietem hoc præceptum à Childeberto Rege impetravit.

Childebertus Rex Francorum, vir inluster. Decet clementiæ principali justis petitionibus sacerdotum libenter obaudire, vel effectum in Dei nomen mancipare. Ideoque Apostolicus vir in Christo pater noster Herlemundus, Cenomannicæ urbis Episcopus, clementiæ regni nostri innotuit, eo quod ante hos annos antecessor suus domnus Berarius quondam Episcopus præcelso avunculo nostro Clothario quondam Regi vel ava nostra Balthehilda, quondam Regina, talem petitionem fecisset, & ab eis tale præceptum percepisset, ut in pago Cenomannico nullus quislibet ullo quoque tempore in actione Ducati nec Comitati ingredere deberet, nisi tantùm per electionem memorati Pontificis, aut successorum suorum, seu Abbatum ac consacerdotum, atque pagensium Cenomannensium, ibidem per voluntatem Dei consistentium, & ibidem per jussionem ipsorum Principum ac succedentium Regum vel ad agendum introire deberet: & ipse Princeps hoc taliter per suam præceptionem manu sua vel ante dictæ abavæ nostræ firmatam, unà cum consensu procerum suorum eidem præstitisse. Et ipsam præceptionem se præ manibus habere adfirmat: sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut hoc denuo nostra plenius auctoritas prædicto Pontifici, ejusque per tempora successoribus, vel ipsis pagensibus confirmare deberemus. quod nos ita præstitisse, & in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim jubemus, ut sicut constat memoratum avunculum nostrum Clotharium, vel avam nostram Baldechildam per eorum præceptionem Berario quondam Episcopo antecessori memorato Herlemundo Episcopo concessisse, ut in ipso pago Cenomannico accipere non debeant Ducem, aut Comitem, nisi per electionem ipsius pagi Pontificis, & pagensium: ita & inantea per hanc auctoritatem nostram concedimus & confirmamus, ut nullo umquam tempore ullus actionem Ducatus aliter, nisi (ut dictum est) in ipso pago Cenomannico habere debeat; nec quisquam cuilibet Comiti ipsum pagum sine electione ipsius Pontificis civitatis Cenomannicæ, aut pagensium illorum, vel Abbatum ingredi, aut agere debeat, nisi quem Episcopus elegerit, ut ille ipsum pagum ad agendum per nostram jussionem debeat habere. Quæ verò auctoritas ut firmior habeatur, manus nostræ suoscriptionibus subter eam decrevimus roborare. Childebertus Rex inspectas anteriores præceptiones suos. Data quod fecit mensis Martio dies iij anno iv regni nostri Valentianas. Vulfoleicus scripsit & subscripsit.

Sequitur exemplar emunitatis à Childeberto Rege Francorum facta Herlemundo Episcopo.

CHILDEBERTUS Rex Francorum, vir illuster. Si facta parentum nostrorum conservamus, nostra perenniter stabilia esse confidimus. Ideoque Apostolicus vir pater noster in Christo HERLAMUNDUS, Cenomannicæ urbis Episcopus, nobis suggessit, eo quod avunculus noster CHILDERICUS quondam Rex per suam præceptionem taliter antecessori suo domno BERARIO quondam Episcopo vel domno AIGLIBERTO concessit, ut quidquid de villa ipsius ecclesiæ Cenomannicæ nuncupante Arduno in pago Pictavo ad fiscum spectabatur, hoc nullus Judex, nec quislibet exactare deberet: & in ipsa villa neque mansiones facere, nec freda exactare, nec causas audire, nec ulla parata, nec ullum lucrum terrenum requirere, nec exactare præsumeret, nisi hoc in luminaribus ipsius ecclesiæ Cenomannicæ, quæ est in honore sanctæ Mariæ, & sancti Gervasii & Protasii martyris patronis nostri constructa, deberet esse concessum: & postea denuo AIGLIBERTO Episcopo post Berarium quondam ibidem fuit similiter concessum. Unde & ipsas præceptiones ipse Pontifex se præ manibus habere affirmat, & de eodem tempore usque nunc ipsum beneficium asserit esse conservatum: sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut hoc denuo per nostram auctoritatem ipsi viro domno Herlemundu Episcopu, vel ad ipsam basilicam sancti Gervasii & Protasii martyrum confirmare deberemus. cujus petitionem nos non denegasse, sed in omnibus præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipientes enim, ut sicut constituit avunculus noster Childericus quondam Rex, integras emunitates de ipsa villa Arduno ad ipsam ecclesiam fecit, ita & inantea nos per nostram auctoritatem concedimus & confirmamus, ut nullo umquam tempore ullus Judex in ipsa villa præsumat causas audire, nec ulla parata, nec freda, nec qualecumque censum aut lucrum terrenum, quod ad fiscum nostrum potuerit sperare, ullo umquam tempore præsumat requirere, nec exactare, nisi inspecta ipsa præceptione, ab avunculo nostro Childerico quondam Rege in luminaribus suprascriptæ basilicæ sancti Gervasii & Protasii perpetualiter debeat esse concessum atque indultum. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare. CHILDEBERTUS Rex subscripsi. Data quod fecit mensis Martius dies iij, anno iij regni nostri, Valencianas feliciter.

Sequitur exemplar emunitatis à Dagoberto Rege Francorum facta Herlemundo Episcopo.

DAGOBERTUS Rex Francorum, vir illuster. Si facta parentum nostrorum conservamus, nostra perenniter stabilia esse confidimus. Ideoque Apostolicus vir pater noster in Christo Herlemundus, Cenomannicæ urbis Episcopus, nobis suggessit, eo quod avunculus genitoris nostri HILDEBERTI quondam Regis, HILDERICUS quondam itemque Rex, per suam præceptionem taliter antecessore suo quondam Episcopo domno BERARIO & AIGLIBERTO Episcopo successori concessisset, ut quidquid de villa ipsius ecclesiæ Cenomannicæ nuncupante Arduno, in pago Pictavio, ad fiscum sperabatur, hoc nullus Judex, neque quislibet exactare deberet; & in ipsa villa nec mansiones facere, nec freda exactare, nec ullas paratas, nec ullum lucrum terrenum requirere, nec exactare præsumeret, nisi hoc in luminaribus ipsius ecclesiæ Cenomannicæ, quæ est in honore sancti Gervasii & Protasii patronis nostri constructa deberet esse concessum. Et postea denuo Aiberto Episcopo, qui Berario post quondam ibidem fuit, similiter concessisset. unde & ipsas præceptiones ipse Pontifex se præ manibus habere affirmat, & de eodem tempore usque nunc ipsum beneficium asserit esse conservatum: sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut hoc denuo per nostram auctoritatem ipsi viro domno Herlemundo Episcopo, vel ad ipsam sanctam basilicam sancti Gervasii & Protasii martyrum confirmare deberemus. cui nos non denegasse, sed in omnibus præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipientes enim, ut sicut constat ibi avunculus noster Hildericus quondam Rex integra immunitate de ipsa villa Arduno ad ipsam ecclesiam fecit, ita & inantea nos per nostram auctoritatem concedimus & confirmamus, ut nullo umquam tempore nullus Judex in ipsa villa non præsumat nec causas audire, nec ulla parata, nec freda, nec qualemcumque censum aut lucrum terrenum, quod ad fisco potuerit sperare, nullo umquam tempore non præsumat requirere, nec exactare, nisi inspecta ipsa præceptione ab avunculo genitore nostro Childeberto quondam Rege, nomine Childerico quondam Rege, in luminaribus supradictæ basilicæ sancti Gervasii & Protasii martyrum perpetualiter debeat esse concessum atque indultum. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manu nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare. In Christi nomine DAGOBERTUS Rex subscripsi. INODALDUS scripsi & subscripsi. Data quod fecit mensis Martius dies x, anno ij nostri Mamaccas feliciter.

Sequitur exemplar de censibus de pago Arduno, qualiter persoluti fuerunt in tempore Theoderici Regis Herlemundo Episcopo.

DOmno & seniore nostro viro Apostolico HERLEMUNDO, qui casam sancti Gervasii in regimen habere videtur; nos enim in Dei nomine Domnolenus, Baudoartos, Rogobertus, Bosolenus, Gembertus, Audobertus, Gundoaldus, seu & Adobertus, juniores Audranno agente de villa vestra sancti Gervasii, nuncupante Arduno. Dum cognitum est qualiter & permissio ipsius Audranno illas inferendas vel omnia exactum quod ex ipsa villa ad partem sancti Gervasii reddere debetor, de Pagensis nostris unusquisque per manus nostras recipimus, vel adtecipere habemus, unde apud HADINGAN Vicedomino partes exinde fecimus, & nobis de annunciata carta, quod fuit regnante CHILPERICO Rege, de ipsa ferenda, in integrum nobis injunxit, quod ipsi pagenses nostri hoc reddebant, vel nos com ipsa, vel ipsos pagenses exinde convictos esse facint. Propterea hanc epistolam cautionum nobis emittemus, vel manu nostra affirmavimus ego Domolenus, quod de ipsa annona redebeo sol. septuaginta & duo: & ego Bodoharius solidos septuaginta tres: & ego Rignbertus sol. xxxiiij. & ego Bosolenus sol. xl & tres: & ego Audobertus sol. xxxviij. similiter ego Gembertus sol. lxxaij & dr. ij. & ego Gundoaldus sol. xxxvj & dimidio: & ego Adobertus sol. xxj & tremisso, sicut diximus. Nos enim juniores Adoranno hoc vobis per hanc epistolam cautionis spondemus, ut medio Julio ipsa inferenda, quod superius est intimatum, quod unusquisque de sua parte reddere debet, sicut superiùs est insertum & apud nos

cognitum est, quod exigere petimus, sicut diximus medio mense Julii ipsa vobis in integrum transsolvere spondemus, ut gratiam vestram exinde adimplere debemus. Similiter & de illis fidefactis quod nostri pagenses, qui hoc contemserunt, & vobis de ipsis vicis hoc vobis spopondimus, ut per unumquisque hominem de suo servitio, juxta quod vobis quidem fecerunt, & vester brevis loquitur, ipso die in integrum exinde apud nos satisfacere debeamus. Quod si hoc non fecerimus, & voluntatem vestram exinde non adimpleverimus, per hanc epistolam cautione vobis spopondimus, ut inpostea post ipso placito totum in duplum vobis transsolvere spopondimus quam postea epistolam cautione cum adstipulatione subnixam, manus nostras subterfirmavimus, & adfirmare rogavimus. Actum Cenomannis civitatis in mense Junio, in anno I regnum domini nostri Theoderici Regis. Signum Domnoleno. Signum Riguberto. Signum Haudehario. Signum Bausleno. Signum Audoberto. Signum Gemberto. Signum Gundoaldo, qui hanc epistolam cautionis affirmaverunt conscientes. Bertrannus rogitus subscripsi. Teobaldus subscripsi. Adebertus subscripsi. Odilus scripsi & subscripsi.

Sequitur exemplar emunitatis de Arduno, à Theodorico Rege Herlemundo Episcopo factæ.

THEODERICUS Rex Francorum, vir illuster. Si facta parentum nostrorum conservamus, nostra perenniter stabilia esse confidimus. Ideo fidelis Deo propitio nuster vir Apostolicus, & in Christo pater noster HERLEMUNDUS Episcopus, illuster vir CHARIVIUS, qui matrem ecclesiæ Cenomannicæ sancti Gervasii & Protasii martyris in regimine habere videtur, nobis suggessit, eo quod antecessores sui ab anteriores Reges parentibus nostris, hoc est avo nostro CHILDEBERTO, & genitore nostro DAGOBERTO, seu & parente nostro CHILPERICO quondam Rege, taliter per eorum præceptionem concessissent, ut quicquid de villa ipsius ecclesiæ Cenomannicæ, nuncupante Arduno, in pago Pictavo, ad fiscum speabatur, ut nullus Judex, neque quislibet exactare deberet, nec in ipsa villa mansiones facere, nec freda exactare, nec causas audire, nec fidejussores tollere, nec ullas inquietudines faciendo, nec ullas paratas, nec ullum lucrum terrenum requirere, nec exactare præsumserit, nisi hoc ad luminaria ipsius ecclesiæ Cenomannicæ, quæ est in honore sancti Gervasii & Protasii martyris patronis nostri constructa, deberet esse concessum atque indultum. Unde & ipsas præceptiones ipse Carivius se præ manibus habere affirmat, & de eodem tempore usque nunc ipsum beneficium asserit esse conservatum: sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut hoc denuo per auctoritatem nostram ipsi Carivio atque ipsi ecclesiæ sancti Gervasii & Protasii martyrum confirmare deberemus, cujus petitionem non denegasse; sed in omnibus ita præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipientes enim, ut sicut constat ipse avus nuster Childebertus, vel genitor noster Dagobertus, seu & inpostea parens noster Chilpericus, antecessores Reges integras emunitates de ipsa villa Arduno & ipsam ecclesiam fecerunt, ita & inantea nos per nostram auctoritatem concedimus & confirmamus, ut nullo umquam tempore ullus Judex in ipsa villa præsumat nec causas audire, nec fidejussores, nec ullas paratas, nec freda, nec qualecumque censum aut lucrum terrenum, quod ad fiscum nustrum potuerit sperare, nullo umquam tempore præsumat requirere, nec exactare, nisi inspectis ipsis anterioribus præceptionibus antiquorum Principum parentum nostrorum in luminaribus suprascriptæ basilicæ sancti Gervasii & Protasii martyrum perpetualiter debeat esse concessum atque indultum. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per tempora conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare. Signum glorioso domno THEODERICO Rege. CONFISTUS jussus obtolit, scripsit & subscripsit. Datum quod fecit mensis Martius dies V, anno II regni nostri Carisiaco feliciter.

CAPUT XVI.

Gesta domnorum, id est Gauzioleni qui fuit tempore Hilperici & Pipini ac Caroli filii Pipini, id est Caroli primi Francorum Imperatoris; & item Herlemundi, qui fuit tempore ejusdem Caroli; ac Hodinchi qui fuit tempore præfati Caroli; & Meroli qui fuit tempore ejusdem Caroli, Cenomannicæ urbis Episcoporum.

POst obitum ergo prædicti domni Herlemundi cessavit Episcopatus annos aliquos, propter imminentes seditiones & rixas, quæ illis temporibus in ipsa patria erant. Ipsum scilicet Episcopatum ROTHGARIUS quidam Comes; & filius ejus KARIVIUS tyrannica potestate, & res & cellulas sive monasteriola jam dicti Episcopi sub eorum potestate tenebant, & populus Episcopali officio indigebat. Tunc verò videns se populus ab eis esse illusum, cœpit rogare, ut eis darent Pontificem, qui eos verbis divinis instrueret & confirmaret, sive episcopale ministerium exerceret; quoniam absque Episcopo bene Christiani, neque salvi esse minime possent. Crevit autem ex hoc murmur multus in populo, & se cunctis operis avertere cœperunt dicentes, nisi eis darent Pontificem, prædictos tyrannos de ipsa parochia esse ejecturos. Ipsi videlicet tyranni non potuerunt resistere populo. Quemdam autem clericum illiteratum & indoctum, qui filius erat ROTHGARII, & frater HARVEI, silenter & absque cognitione vel interrogatione, sine voluntate populi, cum muneribus multis ad Rotomacam urbem & metropolim, quæ est constructa super fluvium Sigonæ, miserunt; & contra canonicam auctoritatem, refugientes eorum Turonicum Metropolitanum, dono aliquo intercedente respuentem inlicita facere, sunt conati, & ordinare eumdem clericum, GAUZIOLANUM nomine, à supradicto Rotomagense Episcopo suppliciter postulaverunt. Ideo hoc faciebant, quia sciebant Turonensem Metropolitanum talem clericum contra jura ecclesiastica, & contra decreta canonum non debere ordinare, nec etiam contra voluntatem & potestatem regalem talia facere. Jam dictus ergo Rotomagensis civitatis Pontifex, quadam humana cupiditate seductus, ipsum clericum contra canonicam auctoritatem Episcopum ordinare præsumpsit. Præfixus quoque Gauziolenus, licet non canonicè Episcopus ordinatus, ad Cenomannicam tamen urbem remeavit: ibique, quamvis non condignè, episcopale cœpit exercere ministerium. Jam verò (ut prædictum est) præfatus Gauziolenus Episcopus ordinatus cœpit Episcopatus sui curam gerere, & percepit à Childerico subsequentis exemplaris emunitatis præceptum, quod ob id his in gestis inseri placuit, ut si aliqua (quod absit) negligentia, sicut sæpe jam contigit, autentico ejus perditum fuerit, hic exemplar ejus repeeiatur, per quod scitur qualiter actum fuit.

Sequitur exemplar prædicti præcepti Childerici, vel Chilperici Regis, sub emunitatis tuitione Cenomannicæ sedis ecclesiæ factum Gauzioleno Episcopo, simul & confirmatio in hoc ipso præcepto continetur, quam fecit precariam prædictus Rex Gauzioleno memorato Episcopo, & Didoni Abbati.

CHILDERICUS Rex Francorum, vir illuster. Si facta parentum nostrorum conservamus, nostra perenniter stabilia esse confidimus. Ideoque Apostolicus vir, pater in Christo noster GAUZIOLENUS, Cenomannicæ urbis Episcopus, nobis suggessit, eo quod de monasteriolo suæ sedis ecclesiæ, quod vocatur Anisolæ, in quo domnus KARILEFFUS corporaliter jacet, sobrinus noster DAGOBERTUS quondam Rex, & antecessores sui Reges scilicet Francorum, ejus prædecessoribus domno DOMNOLO Episcopo & HADOINOO Episcopo & domno BERCHARIO quondam Episcopo, & AIGLIBERTO Episcopo, necnon & domno HERLEMUNDO Episcopo præcepta fecissent, & emunitatis sedis ecclesiæ suæ propriis manibus Deo confirmassent, qualiter à suo titulo & à sua ecclesia & civitate numquam alienatum aut subtractum etiam vel in futuro fieret. Unde & ipsas præceptiones ipse Pontifex se præ manibus habere affirmat, & de eodem tempore usque nunc ipsum monasteriolum suæ cathedræ ecclesiæ asserit esse conservatum: sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut hoc denuo per nostram auctoritatem ipsi viro domno Gauzioleno Episcopo vel suæ civitatis ecclesiæ confirmare deberemus. cujus nos non denegasse, sed in omnibus præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipientes enim, ut sicut constat ipse sobrinus noster Dagobertus quondam Rex, vel alii parentes nostri antecessores Reges integra emunitate de ipso monasteriolo ad ecclesiam fecerunt, ita & inantea nos per nostram auctoritatem concedimus & confirmamus, ut nullo umquam tempore nullus Judex in ipso monasteriolo & suis appendiciis non præsumat causas audire, nec ulla parata, nec freda, nec qualemcumque censum, aut lucrum terrenum, quod ad fiscum nostrum potuerit sperare, nullo umquam tempore non præsumat requirere, nec exactare, nisi inspectas ipsas præceptiones antiquorum Principum parentum nostrorum, vel consobrini nostri Dagoberti quondam Rege in luminaribus suprascripta matre & civitate basilicæ perpetualiter debeat esse concessum atque indultum. Insuper postulavit memoratus Gauciolinus Episcopus, ut super precariam, quam fecit de monasteriolo Anisolæ cuidam Abbati, nomine DIDONO, nostrum fecissemus præceptum, sicut antecessores & parentes nostri memorati Reges suis antecessoribus & Abbatibus prædicti monasterioli fecerunt. Unde & prædictorum Regum præceptiones & sanctorum suæ civitatis Episcoporum præcarias nobis ad relegendum ostendit, quæ omnia ante nos recitari fecimus: in quibus insertum invenimus, qualiter censum Abbates prædicti monasterioli Anisolæ Pontificibus ejusdem civitatis persolverent, & seniori ecclesiæ de cera lib. vi; & ad opus fratrum Canonicorum in prædicta ecclesia Deo militantibus in Cœna Domini plenum modium de ovis, & duas buticulas paratas de optimo vino plenas; & ad opus Episcoporum ejusdem civitatis cambuttam unam optimam, & duos subtalares obtime paratos, & alia dona & opera multa. quæ omnia ad liquidum cognoscentes, hanc auctoritatis nostræ præceptionem, sicut deprecatus est, fieri jussimus, per quam præcipientes jubemus, ut dum advixerit prædictus Pontifex, Abbas per precariam & beneficium jam dicti Gaucioleni suorumque successorum prædictum teneat monasteriolum; & memoratum censum, sicut in eorum precarias continetur, absque ulla dilatione per singulos annos persolvat, & ei obediens in omnibus semper exsistat. Post ejus verò excessum, ipsum monasteriolum ad memoratã matrem ecclesiam & in jus & potestatem ejus & Episcoporum sive rectorum cum omni integritate & cum omni superposito immelioratum absque ullius consignatione aut prohibitione revertatur: ut quicquid deinceps Episcopi & rectores ejusdem sanctæ ecclesiæ canonicè & rationabiliter facere disposuerint, liberum in omnibus perfruantur arbitrium. Et ut hæc auctoritas tam præsentibus, quàm & futuris temporibus Dei adjutorio firma stabilitate debeat perdurare, subter eam signaculis propria manu decrevimus roborare.

Sequitur exemplar precariæ, quam Gauziolenus Episcopus de monasteriolo sancti Karileffi Sichaldo Abbati fecit.

DOmino sancto ac venerabili sede Apostolico GAUZIOLENO, Cenomannicæ ecclesiæ urbis Episcopo, una cum ipsa congregatione ex ipsa urbe consistentes, ego in Dei nomine SICHALDUS indignus Sacerdos atque Monachus precator à vobis accedo. Dum & mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut illud monasteriolum, quod est constructum in honore sancti Petri & sancti Martini, & est situm in territorio matris & Cenomanuis civitatis senioris ecclesiæ, in pago Cenomannico, in loco quodam, quæ ab antiquis dicebatur Casa-Gaïani, super fluvium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisole, ubi domnus Turibius, ejusdem parochiæ Pontifex, dudum in rebus senioris & matris ecclesiæ, cui præsedebat, ecclesiam in honore sancti Petri Principis Apostolorum fecerat; quæ tamen destructa, propter imminentes vastationes fuerat, sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ibi erat, quando domnus Karilefus, per licentiam atque adjutorium domni INNOCENTIS Episcopi; jam dicta terra sanctæ Mariæ, tam ex rebus ipsius Episcopi, quàm & aliorum bonorum virorum ædificavit; per vestrum beneficium, sub usufructuario ordine, tempore vitæ meæ, cum omnes res ad se pertinentes vel aspicientes, insuper tenere permisistis, & censum annis singulis ad matrem civitatis ecclesiam vel ejus Pontificibus atque rectoribus, id est ad lumen ecclesiæ de cera lib. iv, & ad opus Episcopi cambuttam unam optimam, & duos subtalares bene ornatos, & ad opus Canonicorum inibi Deo degentium buticulas duas paratas, plenas de optimo vino, & in Cœna Domini plenum modium de ovis. Et si negligens aut tardus de ipso censu apparuero, fidem exinde faciam, & ipsum monasteriolum tempore vitæ meæ non perdam. & alibi nec vendere, nec donare, nec alienare pontificium habeam, nisi sub jure & potestate ac dominatione matris & vestræ civitatis senioris ecclesiæ vel eorum Pontificibus atque rectoribus permaneat: & post meum quoque Deo jubente de hac luce discessum, cum omni re immeliorata vel superposita, absque ullius Judicis consignatione aut heredum nostrorum contradictione jam dictum monasteriolum cum omni integritate, & res ad se pertinentes vel aspicientes, vos aut rectores vestri in vestram faciatis revocare potestatem. Et ut precariæ in hoc tenore conscriptæ una quæ in thesauro civitatis ecclesiæ re-

condita sit, & alia quam ego Sichaldus à vobis accepero, firmiorem obtineant vigorem, manu nostra propria subterfirmavimus, & bonorum virorum testimonio decrevimus roborare. Actum Cenomannis civitate publica. Data vj Kalend. Julii, anno x regnante CHILPERICO Rege. Ego GAUZIOLENUS Episcopus hanc precariam subs. Ego THEODALDUS Abbas subs. INGILBERTUS Abbas subs. Odoluvinus Presbyter subs. Ario Presbyter subs. Ingilfridus Diaconus subs. Landuichus Presbyter subs. Ansegarius Presbyter subs. Dalibertus Presbyter subs. Signum Ingildrico Advocato. Signum Adamaro Vicecomite. Signum Abraham Vicedomino. Signum Beltricardo. Ego Thesredus notarius rogante Gauzioleno Episcopo hanc precariam scripsi & subscripsi.

Sequitur exemplar praecepti Chilperici Regis quod fecit Gauzioleno Episcopo & Sichaudo Abbati super precariam eorum de monasterio Anisola.

CHILPERICUS Rex Francorum, vir illuster. Si facta parentum nostrorum conservamos, nostra perenniter stabilia esse confidimus. Ideoque Apostolicus vir pater noster in Christo GAUZIOLENUS Cenomannicæ urbis Episcopus nobis suggessit, quod sobrinus noster DAGOBERTUS quondam Rex, & antecessores sui, Reges scilicet Francorum, ejus prædecessoribus domno DOMNOLO Episcopo & HADOINUO Episcopo & Berario Episcopo, & ACHILBERTO Episcopo, & domno HERLEMUNDO Episcopo, præcepta de monasteriolo infra parochiam nostram à domno KARILEFFO constructo, sob jure & dominatione suæ sedis ecclesiæ fecissent, quæ & nobis ad legendum ostendit, & ante nos recitari postulavit. cujus petitioni assensum præbuimos, & sicut deprecatum est fecimus. Petiit etiam, ut super precariam, quam eidam Abbati, nomine SICHALDO, de prædicto monasteriolo, & consensum suorom fratrum fecerat, nos nostrum præceptum fieri juberemus, per quod prædictus Abbas ipsom monasteriolum tutius habere potuisset. qoa de re hoc præceptom auctoritatis facere præcepimus, per quod jubemus atque firmiter mandamus, ut prædictus Abbas memoratum monasteriolum beneficiario jure sub precaria Gauzioleni prædicti Episcopi, quamdiu advixerit, teneat; & censum, quem ab eo constitutum habet, per singulos annos absque ulla dilatione prædictæ Cenomannis urbis matri & seniori ecclesiæ persolvat, id est ad luminaria prædictæ ecclesiæ de cera lib. v. & ad opus fratrum plenas buticulas paratas de optimo vino, & plenum modiom de ovis in Cœna Domini, & ad opus Episcopi cambuttam unam bene ornatam, & subtalares duos optimè compositos: & insuper ei semper obediens & serviens, quidquid illi præceperit, exsitat: & post ejus discessum prædictum monasteriolum absque ullius contradictione vel consignatione, cum omni integritate & superposito immelioratum, ad memoratam matrem & civitatis ecclesiam & ad jus & dominationem matris ecclesiæ Episcoporum in integrum convertator, ut quidquid ejusdem ecclesiæ Episcopi & rectores juste & canonicè facere elegerint, liberam absque ullius interrogatione habeant potestatem faciendi. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per futura tempors conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare. CHILPERICUS Rex subs. Data quod fecit mensis Martius dies xv, anno xij regni nostri Carriaco palatio feliciter.

Sequitur exemplar epistolæ Gauzioleni Episcopi ad Abraham Vicedomno suo, missæ de causis quæ in ea continentur insertis.

MAgnifico fratri ABRAHAM, Missodomno GAUZIOLENO Episcopo, seu & Auditore suo RANGANFREDO Agente de Neva-villa seu & vos & juniores cognoscatis, quod nos concessimus ACILEO illo facto, quem genitor suus ACIBERTUS, qui vocatur Achita, quondam in Canasuerolas tenuit, vel moriens dereliquit, usque annos quinque, ipse Achileus de ipso facto aliud exinde non reddat, præter tantùm regalia in campo dominico procurare faciat: interim quod de ipsa nostra recuperare posset, aliud exinde non exactetis, nisi quod diximus. Et quando ipsi quinque anni adimpleti fuerint, ipso facto in Dominico persolvere faciat. Data... mensis Martii in anno vij regni domni nostri Chilperici Regis.

Sequitur confirmatio domni Chilperici Regis, sobrini Dagoberti Regis, de Arduno facta Gauzioleno Episcopo.

CHILPERICUS Rex Francorum, vir illuster. Si facta parentom nostrorum conservamus, nostra perenniter stabilia esse confidimus. Ideoque Apostolicus vir pater noster in Christo GAUZIOLENUS, Cenomannicæ urbis Episcopus, nobis suggessit, eo quod sobrinus noster DAGOBERTUS quondam Rex per suam præceptionem taliter domno BERARIO quondam Episcopo & ACHILBERTO Episcopo, necnon & domno HERLEMUNDO Episcopo concessisset, ut quidquid de villa ipsius ecclesiæ, nuncupante Arduno, in pago Pictavo, ad fiscum sperabatur, hoc nullus Judex neque quislibet exactare deberet, nec in ipsa villa mansiones facere, nec freda exactare, nec causas audire, nec ullas paratas, nec ullum lucrum terrenum requireret, nec exactare præsumserit, nisi hoc in luminaribus ipsius ecclesiæ Cenomannicæ, quæ est in honore sancti Gervasii & Protasii martyris patronis nostri constructa deberet esse concessum. Et postea domno HERLEMUNDO Episcopo, qui post Achilbertum Episcopum ibidem fuit, similiter concessisset. Unde & ipsas præceptiones ipse Pontifex se præ manibus habere affirmat, & de eodem tempore usque nunc ipsum beneficium asserit esse conservatum; sed pro integra firmitate periit celsitudini nostræ, ut hoc denuo per nostram auctoritatem ipsi Gauzioleno Episcopo, vel ad ipsam ecclesiam sancti Gervasii & Protasii martyris confirmare deberemus. cui nos non denegasse, sed in omnibus ita præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipientes enim, ut sicut constat ipse sobrinus noster Dagobertos quondam Rex, vel alii parentes nostri antecessores Reges integras emunitates de ipsa villa Arduno ad ipsam ecclesiam fecerunt, ita & insutea nos per nostram auctoritatem concedimus & confirmamus, ut nullo umquam tempore ullus judex in ipsa villa præsumat aut causas audire, aut ulla parata, aut freda aut qualemcumque censum aut lucrum terrenum, quod ad fiscum nostrum potuerit sperare, ullo umquam tempore præsumat requirere, nec exactare, nisi inspectis ipsis præceptionibus antiquorom parentum nostrorū vel sobrini nostri Dagoberti Regis luminaribus suprascriptæ basilicæ sancti Gervasii & Protasii martyris perpetualiter debeat esse concessum atque indultum. Et ut hæc auctoritas firmior habeator, vel per tempora conservetur, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare. CHIL-

FARSCUS Rea subs. Data quod fecit mensis Martius dies ij, anno primo regni nostri Compendiu feliciter.

Sequitur exemplar precariæ, per quam Gauziolenus Episcopus Adalberto & Aganono de Arduno & Vertema in pago Pictavense, & Sidariaco in pago Santonico, & Gavirigo in pago Burdegalense, cum eorum appendiciis anno v regnante Pipino Rege beneficiavit.

DOmno venerabili & in Christo Patri GAUZIOLENO Episcopo rectori ecclesiæ Cenomannicæ, quæ est constructa in honore sancti Gervasii, nos enim Adalbertus seu & Hagano. Dum non est incognitum, qualiter ante hos dies à vobis expetivimus per jussionem domni Regis PIPINI, ut nobis beneficium de aliquibus rebus sancti Gervasii de Arduno & Vertema in pago Pictavo, Sidariaco in pago Santonico, & Gaviriaco in pago Burdegalense, cum omnibus appendiciis vel adjacentiis earum facere deberetis, quod ita fecistis. Ideo vobis precatores accedimus, ut ipsas res jam dictas tempore vitæ nostræ unà cum gratia vestra & voluntate absque præjudicio vestro vel sancti Gervasii tenere & exstirpare faciatis: & post nostrum quoque discessum, ipsas res jam dictas cum omni re immeliorata vel superposito, hoc est cum terris, mansis, omnibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, peculiis, pecuniis, præsidiis, & quidquid dici aut nominari potest, vel quidquid ad ipsa loca adhæret, attrahere, parare, vel inmeliorare potuerimus, & transitus noster ad ipsa loca dereliquerit, vos aut successores vestri aut pars ecclesiæ præfatæ sancti Gervasii absque ullius expectata traditione vel Judicum consignatione in vestram vel sancti Gervasii revocare faciatis potestatem & dominationem, & nobis non liceat de ipsis rebus jam dictis alicubi nec vendere, nec donare, nec alienare, nec in ullo modo distrahere, nec ipsos usus in alteram manum transferre, nisi sub vestro & sancti Gervasii prætexto nobis usualiter liceat tenere. Unde censuimus nos vobis propter ipsos usufructus dare ad festivitatem sancti Gervasii annis singulis ad luminaria ecclesiæ sol. aij. Si nos ipsi, aut ullus de heredibus nostris, vel quislibet opposita vel emissa persona, contra hanc precariam venire aut frangere tentavit, vel litem intulerit; unà cum socio fisco auro libram j, argento pondo quinque, partibus vestris aut successorum vestrorum vel partibus ecclesiæ sancti Gervasii coactus exsolvat, & quod repetit vindicare non valeat: sed hæc precaria quam per quinquennium renovatam manus nostræ vel bonorum hominum roboraverunt, cum stipulatione subnixa, per diuturna tempora valeat inconvulsa permanere. Actum Jobvilla palatio publicè in anno v regnante Pippino glorioso Rege mense Martio. Signum ADABERTO. Signum HAGANANO, qui hanc precariam fieri rogaverunt. Ego Decorpus* subs. WIDELAIDUS Abbas subscripsi. GUNTBERTUS scripsi & subscripsi.

* f. De.... Chorepiscopus.

CAPUT XVII.

De Herlemundo Episcopo.

TRansactis ergo quibusdam annis, mortuisque Dagoberto & Theodorico, intelleait Pipinus quod antedicti tyranni ROTHGARIUS & CHARIVIUS absque sua jussione vel suo consensu, & non canonicè, sed tyrannicè Episcopum instituerunt; præcepit in Colonia metropoli civitate quemdam clericum & sacerdotem suum, HERLEMUNDUM nomine, nobilem verò genere, moribusque bonis ornatum, Episcopum ad sæpe dictam civitatem Cenomannicam titulari & ordinare. Ipsum videlicet per strenuos Missos suus ad Cenomannicam urbem direxit, qui & ei ipsum Episcopatum consignarent, & eum defendendo, si necessitas esset, pacificè & quietè inibi residere fecissent: quatinus eorum fultus auxilio, ipsum Episcopatum regere & ordinare ecclesiastico jure annuente Domino meruisset. Prædicti quoque tyranni Rotgarius & Harivius non valentes resistere, ipsum domnum Herlemundum Episcopum benignè susceperunt: quem & populus plusquam antedictum Gauziolenum diligebat. Ipse enim domnus Herlemundus ipsum Episcopatum annos fermè novem canonicè & doctè regens, multasque ecclesias & sacerdotes consecrans, atque reliquum pontificale officium exercens, condignè Domino famulari studuit, & hoc placere Domino meruit. Jam dictus verò Gauziolenus Episcopus quadam die domnum Herlemundum ad epulandum in suam domum invitans, ipsum, suosque qui cum eo venerant, inebriare studens, machinari certavit, quod ibi domnus Herlemundus à suis suisque conductis cæcatus esset: & ita machinando injustè & per malum ingenium ejus ibi eruti sunt oculi. Beatus itaque Herlemundus videns se ita esse illusum, ipsam parochiam derelinquens, ad monasterium quoddam, ubi frater suus Abbas præerat, quod Duas-gemellis nominatur, in pago Bajocassino properare festinavit: illicque suos medicans oculos, diu postea ibi devotissime Domino & amabiliter serviendo vivere meruit. Audiens autem Pippinus Princeps Francorum ita se illusum esse, & suum Episcopum Herlemundum cæcatum; ipsum Gauziolenum ad se venire præcepit, cujus oculos in Parisiaca urbe eruere præcepit, ut qui suum Episcopum cæcaverat, cæcus in perpetuum permaneret. Tamen prælatum episcopatum Cenomannicum ei auferre noluit: sed Chorepiscopum ei SCUFREDUM ordinare præcepit, qui populum in eadem parochia prædicaret, & Christo lucraret. Ipse enim Scufredus Chorepiscopus per beneficium Gauzioleni cæci Episcopi monasteriolum sancti Symphoriani de suo Episcopio, quod Tillidus nominatur, usque ad obitum suum habuit. Mortuo vero prædicto Scufredo in eodem monasterio Tillido, & deferente cum populo in civitatem Cenomannicam ad sepeliendum cum magno psallentio & ecclesiastico ornamento, in ecclesia juxta civitatem, in qua domnus Victurius requiescit corpore, sepultus est. Post ejus quoque discessum, DESIDERATUS Chorepiscopus sub Gauzioleno in eadem parochia fuit. Illo verò mortuo BERTHONUS sub tempore Gauzioleni Chorepiscopus fuit, qui & sepultus est in prædicta sanctorum Apostolorum ecclesia juxta civitatem, in qua sanctus Victurius corpore requiescit. Hoc peracto, misit iterum prædictus Gauziolenus ad domnum CAROLUM, filium prædicti Pippini, ut præciperet ei Chorepiscopum ordinare: sed illo in tempore jam sapientia, ordinante atque instigante domno Carolo, pollere cœperat, & canonica auctoritas, præcipiente jam dicto Carolo gloriosissimo Francorum Rege, enucleatim perscrutari. Qua de re invenerunt sapientes & Doctores ejusdem Caroli gloriosissimi Regis, unà cum Legatis Apostolicis, & omnes Episcopi inter se sanxerunt secundùm priorum sanctorum Patrum instituta, ut nullus Chorepiscopus chrisma conficeret, virgines sacraret, Spiritum Paraclitum traderet, neque ecclesias dedicaret, vel altaria erigeret, seu aut sacraret, etiam oleum ad infirmos ungendos benediceret, nisi à tribus esset or-

dinatus

dinatus Episcopis : quæ verò omnia summis Sacerdotibus, & non Chorepiscopis debentur. qui licet ordinationem habeant, tamen summi Pontificatus apicem non habent : quia nec in tabernaculo Domini, quod Moyses fecerat, alius altaria non erigebat, aut deponebat, nisi tantummodo Moyses & Aaron, qui summi Pontifices erant, & quorum typum hodie in sancta ecclesia gerunt Episcopi. Filiorum quoque eorum normam reliqui sacerdotes tenent. Assumentes etiam aliud exemplum de libro domni Bedæ, ubi ipse narrat, quod olei infirmorum benedictio summis solummodo Pontificibus debetur. quanto magis ea quæ majora sunt nullis aliis exercere licet; nisi qui summi Pontificatus apicem tenent ? Ideoque medicinam invenientes prædicti Pontifices & eruditi Doctores, renuntiaverunt domno Carolo prædicti Sacerdotes, ut Chorepiscopus jam dicti Gauzioleni cæcati Episcopi, à tribus Episcopis in idipsum convenientibus ordinaretur, & nomen à titulo villano, quæ Græco sermone χώρα vocatur, haberet, & non ab ordinatione : ministerium quoque episcopale tali benedictione, si condignus fuerit, adepta, devotissime unà cum interrogatione & consensu atque permisso Gauzioleno cæcati Episcopi, propterea quia ipse facere non poterat, & non aliter contingere nullo modo quicquam de suo ministerio præsumeret. Gloriosus igitur Rex Francorum ad antedictum Gauziolenum Missos suos dirigens, atque per suas epistolas cum consensu Synodi supra fixa ei de ordinando Chorepiscopo mandavit. Præcepit enim, ut talem ad hoc opus eligeret sacerdotem, qui dignus Deo & populo fieret. Supradictus enim Gauziolenus hæc audiens, gavisus est valde : eligensque quem jam sacerdotem de monasterio Autionno, Merolum nomine, & dedit ei Salicam vicum publicum & canonicum, sive alia beneficiola : obnixeque deprecatus est domnum Carolum per suam epistolam, & sanctam Synodum, ut supradicta conditione ad titulum ecclesiæ sancti Petri, quæ est constructa in Salico vico canonico, prædictus sacerdos Merolus Chorepiscopus sacraretur, ut ministerium episcopale facere & exercere canonicè atque perficere posset. quod & ita annuente Domino factum est, & prædictus sacerdos Merolus memorata conditione à tribus Episcopis est Chorepiscopus ordinatus, à χώρα id est villare, sortiente vocabulo. Qui ergo vivente Gauzioleno, & eo jubente, licet simpliciter, sacrum episcopale ministerium exercere nobiliter studuit, & bonam vitam deducens, omnibus nobilibus & bonis placere meruit.

Actus quoque antedicti Gauzioleni ideo non descripsimus, quia (quod pejus est) nec recordari, neque enarrari atque describi debentur. Unum tamen ex omnibus actibus suis ideo inserere & adscribi placuit, ut successores sui, sive omnes Episcopi hoc provideant, ne in tali illaqueentur scelere. Triginta etenim ac sex monasteriola in ipso Episcopatu erant, quando ipse Gauziolenus prædictum Episcopatum tyrannica potestate adsumsit, in quibus monachi sub Regula degentes, sanctè & regulariter vivebant : sed quando ipse defunctus est, quod pudet dicere, pauci, & quasi nulli in his monachi remanserunt : quoniam ille eos inde indesinenter ejicere studuit, & laicis ac secularibus hominibus ipsas cellulas beneficiario jure possidendas tradidit, & nullum in his monachorum congregavit, sed eos quos ibi invenit, inde disperdere (quod pejus est) studuit. Avertat quæso Deus omnipotens hoc malum à cordibus omnium Pontificum, sive omnium fidelium : & quando hæc audierint, semetipsos corrigant, & monachos vel Dei servos in suis congregationibus congregare devotissimè & regulariter certent, & nullum disperdere moliantur, ne in tale (quod absit) incidant scelus : sed pro ipso quippe magis Gauzioleno omnes Episcopi & sacerdotes, qui hæc audierint, orare ac deprecare debeantur, ab ipsis malis & flagitiis supradictis annuente Domino liberari, & pœnas tartari evadere mereatur.

Degit itaque prædictus Gauziolenus in prædicta sede, licet sæculariter, vivens annos l. qui & in pace in villa sanctæ Mariæ & sancti Gervasii, cujus vocabulum est Silviacus, obiit, & ad civitatem cadaver ejus allatum, in ecclesia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quam domnus Bertichramnus ædificaverat, sepultum est.

Defuncto igitur ac sepulto præfixo Gauzioleno, quidam Vicedominus suus, nomine Abraham, habebat multa de prædicto episcopio beneficia, & insuper monasteriolum quoddam, cujus vocabulum est Buxidus, quod dudum domnus Haduinous supplicante & ordinante sancto Lonaoistlo digno Deo sacerdote, in quodam vico canonico suæ sedis ecclesiæ sanctificaverat, & monachos ibidem unà cum prædicto sancto viro aliquos collocaverat, & sub jure & dominatione suæ sedis ecclesiæ reliquerat, & sanctè ac regulariter vivere instituerat, & ex rebus sui episcopii aliquam partem eis dederat, unde victum & vestimentum haberetur, prout opportunum erat. Prædictum ergo monasteriolum situm est in condita Sagoniuse, quod jam dictus Abraham ex prædicto episcopio de rebus sanctæ Mariæ & sancti Gervasii per beneficium (ut dictum est) habebat Gauzioleni ; in quo & monachi, quando ei datum injustè fuerat, regulariter & sanctè & nobiliter Domino servientes vivebant. quos verò (quod pejus est dicere) inde ipse Abraham dispergere cœpit, & nullum monachum congregare studuit : sed sub sæculari magis habitu illud tenere nitebatur. Prædictus namque Abraham Vicedominus, qui jam dictum monasteriolum *Bussit* (ut superiùs dictum est) de jure sedis ecclesiæ suæ per beneficium prædicti Gauzioleni habebat ; post obitum præfixi Gauzioleni convocavit omnes sodales suos, tam Clericos, quàm & laicos, & dedit illis consilium, ut irent ad dominum Carolum Francorum Regem, & sui efficerentur homines, & per ejus datum eorum retinerent beneficia. qui & humana cupiditate seducti, secundum ejus consilium fecerunt. Venientes ergo bene parati auro & argento & vestimentis nobilibus ad prædictum Regem Francorum gloriosissimum Carolum, deprecati sunt, ut sui mererentur effici homines. qui & quadam humana cupiditate illusus suscepit eos, & eorum beneficia sua largitione habere permisit. Monasteria autem & cellulas, sive vicos & villas, quas Episcopi ad eorum opus, & ad ornandum atque restaurandum sanctam ecclesiam, & ad susceptiones pauperum, seu ad stipendia Canonicorum & reliquorum servorum Dei habebant, prædictis hominibus Gauzioleni, quos sibi ad famulandum tunc receperat, sicut antea habebant, habere promisit, & aliis suis vassis in beneficium dedit : de quibus nonas & decimas & census legitimos ad eamdem ecclesiam, cujus ipsæ res erant, dare præcepit, & restaurationes ejusdem ecclesiæ pleniter facere jussit ; nisi tantummodo paucas villulas ibi derelinquens, unde ipsius ecclesiæ Canonici victualia & vestimenta haberent : id est Callemarcium & Cavaniani, seu Vetus-vicum & Vodibris atque Baliau, & Rupiacum, vel Culturas, & Alonnacum, & vicum Salica, & alias villas, quorum nomina in promptu non habentur, & propter prolixitatem hic non inserimus. Ipsa verò mater ecclesia quotidie destruebatur, & clerici ac pauperes inibi degentes & Domino servientes fame periclitabantur, & siti &

inopia negligebantur ac desolabantur, & luminaria sive alia ornamenta ecclesiæ deficiebant, nec quicquam ornamenti propter ablationem prædictarum rerum babebant.



CAPUT XVIII.

De Hodingo Episcopo.

TUnc autem domnus Carolus præcepit quemdam sacerdotem suum in palatio suo, nomine HODINGUM, Episcopum ordinari; cui etiam dictum Episcopatum ad regendum commisit. Supra videlicet Hodingus ad Cenomannicam civitatem iterando profectus est; ibique veniens, & eam ita desolatam reperiens, valde pænitens erat, quod umquam ibi advenerat: ubique ferme duos annos residens, neque inveniens unde ipsam ecclesiam restaurare, & clerum custodire, sive pauperes vel indigentes recipere posset; corde angebatur quid facere deberet. Unde & consilium accipiens, inde iterum tristis remeans, usque ad domnum Carolum seniorem suum pervenire festinando cucurrit: illique referens, & desolationem ejusdem ecclesiæ & populi pronuntians, deprecatus est domnum Carolum Regem, utrum faceret, aut res quæ inde ablatæ erant eidem ecclesiæ redderet, aut ei præciperet quid facere deberet: quoniam illuc desolatus, & ad talem ac tantam desolationem remeare nolebat. Gloriosus quoque Carolus Rex Francorum hæc audiens, pænitentia ductus, quod umquam talia faceret, & eis qui ei hoc consilium dederant, valde iratus erat. Prædictum enim Abraham Vicedominum de suo palatio, cujus machinatione & hortatione hoc fecerat, ejiciens, in patriam suam revertere cum ira præcepit; numquam postmodum, antequam ipse præciperet, in conspectu suo reversurum. Ille autem ad jam dictum monasteriolum Buxiacum, quod beneficiario ingenio injustè tenebat, perveniens, ibique gravi & rustica infirmitate diu ægrotans, postea die noctuque indesinenter ingenti voce & magno ululatu pronuntians clamabat, quod ejus corpus arderet propter suum malum ingenium, quod in matrem ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Gervasii & Protasii fecerat, quando ejus res disruptæ, & huc illucque sunt dispertitæ. Erat etiam illi visum, quod sancta Maria & sanctus Gervasius & Protasius unà cum aliis sanctis ignem incendere præciperent, in quo cremabatur. Unde & eorum adjutorium summopere deprecabatur ut eum adjuvarent, ut de ipso igne evadere mereretur. Omnibus enim hæc invisibiliter se videre dicebat, & propter direptionem earum rerum talia se pati adfirmabat. quod factum tunc valde & super omnia emendare volebat, sed non valebat. Tali enim pœna consumtus, in prædicto monasteriolo *Buxis* postea sepultus est. Ejus namque, ut fertur, sepultura tota in circuitu per octo dies ardebat, & tota terra in circuitu flamma & igne consumebatur, & ingenti pudore totum illud monasteriolum replebatur; nec ullam requiem homines inibi habitatores vel clerici habere potuerunt, usquedum illius corpusculum cum tota illa sepultura in quodam deserto loco amici ejus clam projicientes, & in profundum lacum eum demergentes ejecerunt. Vivus enim ardere cœperat, & vocibus magnis cum ululatu exclamabat, quod sancta Maria, & sanctus Gervasius & Protasius martyres Christi, propter suum malum ingenium, quod erga eorum ecclesiam habuit, igneis flammis eum succendere non cessabant. Sed cum jam hoc licet pænitentia ductus emendare non valebat, quod dudum sanus restaurare non curavit. Domnus igitur Carolus supradicto Hodingo alterum Episcopatum, cujus vocabulum est Belviacus, tribuit, & ibi eum Episcopum esse constituit. qui & ibi diu sub episcopali honore famulari condignè meruit, ibique defunctus ac sepultus est. Prædictus scilicet Hodingus Episcopus, quando de Cenomannica parochia profectus est, multa cartarum strumenta vel præcepta regalia secum inde deferens, ibi ea dereliquit, & propterea in vestiario & cartolario* sanctæ Mariæ & sancti Gervasii hactenus non reperiuntur.

* *id est* archivo.



CAPUT XIX.

De Merolo Episcopo.

TUnc verò MEROLUS Chorepiscopus, exhortante clero vel populo, ad palatium properans, interrogavit ANGILRAMNUM, Episcopum, Caroli gloriosissimi Regis Archicapellanum, quid facere deberet. Domnus itaque Angilramnus sciscitans de sua ordinatione, reperit eum à tribus esse ordinatum Episcopis; & propterea canonicè posset adimplere episcopale ministerium. Gloriosus igitur Carolus Rex Francorum nullum inveniebat, cui ipsum Episcopatum ita desolatum dare aut commendare potuisset, cœpit consilium, ut prædicto Merolo, licet Chorepiscopo, à tribus tamen Episcopis supradicta conditione ordinato, ipsum Episcopatum daret. quod & ita consultu fidelium suorum factum est. Inde verò domnus Merolus remeans, & ad sæpe dictam parochiam Cenomannicam perveniens, ibi studiosissimè & gratanter episcopale peregit multo tempore condigne officium. Sequentibus quoque temporibus prædictus domnus Carolus regnum suum circumiens, usque ad Cenomannicam urbem pervenit, jam dictam scilicet ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Gervasii ac Protasii oppidò destructam reperiens, & clerum ac populum desolatum & contristatum propter hoc, sive propter eorum indigentiam inveniens, cœpit cogitare, qualiter hoc citissimè emendatum fieret. Tunc igitur præcepit, ut omnes qui res sanctæ Mariæ & sancti Gervasii ex prædicto episcopio ejus ex largitione habebant, per precarias ipsius urbis Episcopi atque successores eorum easdem res sub censu haberent, & census ex eis ad jam dictam matrem ecclesiam persolverent: & quando de hoc sæculo migrarent, ipsas res Episcopus ejusdem civitatis vel clerus absque ullius contradictione vel Judicis consignatione reciperent, & ad eorum stipendiis & luminaribus, ac restaurationibus ecclesiæ emendandum & restaurandum revocarent: & ex hoc eis præceptum suo annulo sigillatum, & sua manu propria firmatum fieri jussit. Præsentaliter quoque gloriosus Rex Carolus ad jam dictam ecclesiam reddidit monasterium sancti Vincentii, & cellulam sancti Albini & sanctæ Mariæ, sive cellulas sancti Almiri & sancti Ulfacii & sancti Rigomiri, & cellulam juxta urbem sitam sancti Audoëni, & villas aliquas, id est Melduanam, Celsiacum, Colonicam, & Aloncinn, & alias villas, sicut in jam dicto præcepto domni Caroli scriptum hactenus reperitur. Prædictus videlicet domnus Merolus sedit in prædicta sede annos XXX, bonam vitam & sanctam conversationem ducens, XV Kalendarum Aprilium in villa, cujus vocabulum est Sancta-spina, piè & sanctè est defunctus. Sequenti quoque die deferente eum clero ac populo ad civitatem Cenomanniam ad sepeliendum, ut fertur à veridicis sacerdotibus bonisque hominibus, pluvia ingens erat. Nam, ut ipsi qui hoc viderunt veraciter protestantur, loculum in quo præfatus domnus Merolus jacebat, & homines qui eum deferebant, ipsa pluvia minimè tetigit, qui & in ecclesia Apostolorum juxta urbem in qua sanctus Victurius corpore requiescit,

à suis consacerdotibus & discipulis honorificè est sepultus. cui omnipotens Deus unà nobiscum vitam æternam tribuere dignetur per sæculorum sæcula, amen.



CAPUT XX.

Gesta domini Josephi Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit tempore Caroli prædicti Imperatoris.

DOmnus JOSEPH Cenomanicæ urbis Episcopus, successorque beati MAROLF, cujus & Archidiaconus fuerat, natione Carantrintensis vel Cenomannicus, de familia tamen metropolis Turonicæ civitatis ecclesiæ ortus, qui & electus à clero vel populo Episcopus est consecratus. Postea quoque quædam seditio inter illum & suos sacerdotes vel clericos est orta, qui & prædictum Joseph Episcopum penes Regem domnum CAROLUM accusantes, convincere eum secundum canonicam auctoritatem non potuerunt. Tunc enim jam dictus Joseph Episcopus quadam calliditate humana stimulatus, præcepit ipsos sacerdotes, qui eum accusaverunt, flagellare atque (quod pejus est dicere) quosdam cæcare & castrare. Audiens itaque hoc gloriosus Carolus Rex & Imperator, iratus est valde, & cœpit eum pulsare atque interrogare, quare talia in regno suo facere ausus esset, vel cur tale scelus agere in sua parochia permisisset. Illo autem hoc semper negante, & dicente nunquam talia se perpetrasse, aut consentisse confessus est. Multo enim tempore hæc ratio his modis penes Episcopos est ventilata, sed semper eo negante non est definita. Adpropinquante autem termino contumeliæ suæ à regali exercitu & à synodali conventu, assumens laicale vestimentum & habitum ac gladium, noctu inde fuga lapsus est. qui & in ipsa fuga cum laicalibus vestimentis indutus, & arma succinctus, ancipitremque in manum deferens, comprehensus est, & usque in præsentiam domni Caroli talibus vestimentis indutus, deductus, eique est præsentatus. Propter hoc quoque factum ab Episcopis est degradatus, & Episcopo Turonicæ civitatis, de cujus familia ortus erat, est redditus. qui & eum in quadam cellula sua, in pago Turonico, nomine Condeda, sub pænitentia posuit, ibique postea defunctus ac sepultus est. Jam dictus enim Joseph Episcopus dum erat, quasdam res de thesauro suæ sedis ecclesiæ emerat, ipsius ecclesiæ ministris & suis successoribus jure firmissimo possidendas, id est in pago *Hauvaa* villulam quandam cum suis appendiciis quæ vocatur *Burn*, sicut in ejus strumentis continetur adhuc insertum, & in pago Wormicinse alias reiculas emit in villa, cujus vocabulum est *Longatesham*. Emit etiam in pago Carintense aliquas reiculas, in villa cujus vocabulum est Sipidus, supra fluvium Lido, sicut in ejus cartarum strumentis hactenus continetur insertum. Censum enim, quem domnus Karileffus & beatus Innocens Cenomannicę urbis Episcopus, de monasterio ejusdem domni Karileffi ad matrem & civitatis senioris ecclesiæ aut sub divina contestatione & maximo sacramento persolvere per scriptum & testamentum eorum sanxerunt, id est de cera libras majores iiij, ad lumen matris & civitatis senioris ecclesiæ faciendum, & ad opus ejusdem sedis Episcopi cambuttam unam, & subtalares nobiles ij, & ad opus Canonicorum sanctæ matris Cenomannicæ urbis ecclesiæ flascones de optimo vino paratos de argento plenos ij, & modium unum de ovis gallinaciis in Cœna Domini persolvendis; usque ad tempus præfati Joseph, hæc omnia quæ suprascripta, sunt, de Abbatia sancti Karileffi Præsulibus & Canonicis Cenomannicæ urbis amabiliter persolvebantur: quæ omnia & Jacob sacerdos, sive alii ministri & Canonici ejusdem ecclesiæ usque ad hoc tempus absque ulla contradictione recipiebant. Supradicto quippe Joseph in præfata angustia versante, & ipsum censum propter timorem jam dictæ angustiæ ab eodem monasterio sancti Karileffi non requirente, EBROINUS quidam ejusdem monasterii Abbas persolvere neglexit: & idcirco supra scriptus census modò tali occasione & negligentia peracta ad ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Gervasii non persolvitur. Sic tamen magnum instat periculum illis qui præfixum censum persolvere & exigere neglexerunt vel negligunt, & ante tribunal districti Judicis, ubi à sæpe dictis sanctis, id est sancto Innocentio & sancto Karileffo, invitati sunt, rationes ex hac negligentia reddere, sicut in eorum scriptis graviter continetur, dijudicabuntur. Nam & præceptum evangelicum eos ut reos non præteribit, quod Apostolis & successoribus eorum concessum est ita: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Sedit namque prædictus Joseph in jam dicta sede annos ferme novem, cui Dominus Deus oramus ut tribuat unà nobiscum vita cum sanctis & electis suis frui sempiterna, amen.



CAPUT XXI.

Gesta domni Franconis prioris natu, id est parentum Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit tempore novissimo memorati Caroli Imperatoris, & primo tempore Hludovici filii ejus, piissimi videlicet atque secundi Francorum Imperatoris.

DOmnus FRANCO Cenomannicæ civitatis Pontifex, natione videlicet Francus, ex pago Asbanio nobilis genere refulsit. In palatio quoque domni Caroli diu conversatus atque sublimatus fuit, eique à domno Carolo gloriosissimo Rege Francorum sedes & Episcopatum Cenomannicum regendum & gubernandum commissum est, ibique ordinatus nobiliter degere meruit. Mærens tamen admodum erat propter destructionem & dissipationem loci ipsius. Prædicto enim Episcopo in ipsa mæstitia æstuante, venit gloriosus Rex jam dictus domnus Carolus, dum pro quibusdam utilitatem circuiret regnum suum, Cenomannicam civitatem; vidensque ipsius urbis matrem & seniorem ecclesiam pæne destructam atque dissipatam, similiter & cætera omnia, quæ ad divinum cultum, sive ad opus & ministerium Episcopi pertinebant, dissipata atque pæne diruta; tristis propter hoc valde, interrogavit præfatum Episcopum, cur hæc omnia ita deserta essent. Ipse verò propter ablationem rerum ipsius matris ecclesiæ hæc fieri respondit. Tunc domnus Carolus reminiscens quod ille propter quamdam machinationem GAUSIOLENI ipsius urbis dudum Episcopi, ipsam ecclesiam suis rebus exspoliasset, quod nulli aliæ ecclesiæ in suo regno fecisset; & propterea valde merens cœpit cogitare, & una cum suis consiliariis tractare, qualiter hoc emendasset. Cùm autem vidissent eum sui consiliarii ita tristantem atque angentem, dederunt ei consilium ut se lætificaret, & ob id non contristaretur: sed redderet de rebus ipsius ecclesiæ à se ablatis quantum ei placeret; & sequentibus temporibus, quod tunc non faceret, plenius redderet, usque ad suam satisfactionem perveniret. Tunc verò

domnus Carolus accepto consilio, præcepit Ercambaldo Cancellario suo, ut faceret tale præceptum jam dictæ matri ecclesiæ, ut quicumque de ejus rebus per beneficium regale aliquid haberet, & absque liberis sibi servientibus defunctus fuerit; statim Episcopus ipsius ecclesiæ & sui ministri, absque ullius contradictione aut consignatione, ad cultum & dominationem ipsius ecclesiæ & ad suum dominium illud reciperet. Præcepit etiam atque publiciter adnuntiavit, ut omnes qui eadem beneficia sua largitione habebant, non jam per suum beneficium, sed per precarias ab Episcopo ejusdem loci acceptas haberent; & super nonas & decimas de omnibus quæ ab ipsis beneficiis accipiebant, etiam census legitimos eidem ecclesiæ annos singulos absque ulla tarditate aut contradictione persolverent, sicut hactenus in suis præceptis habetur insertum. Tunc vocavit domnus Carolus gloriosus Rex supra nominatum Episcopum ad se, & cœpit interrogare quid ei præsentaliter reddere posset de suptadicta terra diruta, ut cultum divinum restauraret. Ille verò respondens ait, Talidani, & Juliacum, & Balodon, & Andoliacum, seu alias villas ipsius Episcopii, sicut ei placeret, posse reddere. Domnus autem Carolus accepto consilio, alius dixit ei: Illi homines qui modò illas habent, debent pergere nobiscum Romam, sicut eis injunctum habemus, quia jam in itinere positi sumus. Propterea hæc modò fieri non potest, sed quære alia quæ ut tibi reddamus.

Franco ergo Episcopus deprecatus est placitum ex hoc usque in crastinum, quod & domnus Rex ei benignè concessit. Tunc domnus Franco vocavit sacerdotes & alios nobiles homines, tam suos quàm & alios, seu dominicos vassallos, & pandit eis omnia quæ domnus Carolus ei concesserat; cœpitque cum eis considerare quid peteret, quod apud domnum Carolum Imperatorem libere posset. Tunc amici sui dederunt ei consilium, ut Abbatiam sancti Karileffi, usquedum locus de suptadictis rebus eveniret, de qua strumenta cartarum & præcepta Regum habebat, peteret: quia illi firmiter sciebant suæ juris ecclesiæ esse debere, census de suis antecessoribus solvere, & legitimam atque justam vestituram habere videlicet. Sequenti autem die venit ante domnum Carolum cum strumentis cartarum & præceptis Regum de monasterio sancti Karileffi, in quibus continebatur quod sui Episcopii esse deberet. Statim ergo ut vidit domnus Carolus præfatum Episcopum, cœpit interrogare quid consideratum haberet. Ille autem ostendit ei prædicta strumenta cartarum, & præcepta xij Regum antecessorum suorum, quæ domnus Carolus statim Cancellariis suis ante se relegere præcepit. Ut autem cognovit justitiam domni Episcopi, præcepit tamen, propter pleniorem auctoritatem, hæc publiciter in causis publicis Erchambaldo seniori Cancellario suo, & Troanto Comiti palatii suo inquirere, & diligenter tractare. Tunc habuit domnus Franco in eodem palatio & prædicta præcepta regalia & sua strumenta cartarum, & testes sufficienter, & plena atque justa ratione secundum legem ante prædictos Missos, & postea ante domnum Carolum condicavit suum placitum, & conquæsivit jam dictum monasterium ad jus suæ sedis ecclesiæ: sed tamen impedientibus æmulis suis pro obcæcatione muneris, non est ei statim redditum. Sed supervenienti anno mortuo Hebroïno, per suptadictam inquisitionem, & per suum præceptum anno primo imperii sui & anno xxxiij regni, redditum est domno Franconi præfato Episcopo, plena & justa ratione à domno Carolo gloriosissimo Imperatore, hujus & potestatem & dominationem suæ sedis ecclesiæ præfatum monasterium perpetualiter possidendum, sicut in prædicto præcepto à domno Carolo, ex hoc prædictæ matris ecclesiæ facto, hactenus continetur insertum. Hæc est memoria cartarum & præceptorum Regum, per quæ domnus Franco prædictum monasterium ad jus & dominationem suæ sedis ecclesiæ per judicium publicum & legaliter ante domnum Carolum in conspectu suorum Optimatum plena auctoritate adquisivit.

I. Traditio sancti Karileffi, quam fecit sancto Innocenti Episcopo per licentiam & consensum Childeberti Regis.

II. Carta commendationis, qualiter se domnus Karileffus per licentiam sui Abbatis exhortante domno Avito unà cum suis monaculis subdidit ecclesiæ civitatis, & in manus sancti Innocentis Episcopi duabus vicibus se tradidit.

III. Precaria quam sanctus Karileffus accepit à sancto Innocente de eadem re.

IV. Præceptum Childeberti Regis, quod jossit facere super traditionem sancti Karileffi, & super precariam quam ipse sanctus Karileffus accepit à sancto Innocente.

V. Carta donationis de rebus & villulis, & auro & argento & vestimentis, tam ecclesiasticis quàm & aliis, sive libris & crucibus, & capsis vel reliquiis sanctorum multorum, quæ domnus Innocens in adjutorium ad monasterium Anisolæ construendum & orandum domno Karileffo, & suis monaculis per scripturam tradidit.

VI. Carta de conventionibus sancti Innocentis & sancti Karileffi miræ magnitudinis conscripta, & à xv. Episcopis firmata, ut eorum conventiones nullo modo irritæ fierent, sed per omnia stabiles permanerent.

VII. Precaria quam sanctus Domnolus Episcopus Abbati suo Gallo fecit de monasterio sancti Karileffi.

VIII. Præceptum quod Chilpericus Rex sancto Domnolo Episcopo fecit, & suo Abbati Gallo de monasterio Anisolæ.

IX. Præceptum emonitatis, quod fecit Chilpericus Rex sancto Domnolo Episcopo de monasterio Anisolæ, & de omnibus villulis & rebus ad eum pertinentibus.

X. Precaria quam Hadoindus Episcopus fecit de monasterio sancti Karileffi Sigranno Abbati.

XI. Præceptum quod Rex Lotharius Hadoindo Episcopo & Sigranno Abbati de monasterio Anisolæ fecit.

XII. Præceptum emunitatis quod fecit Lotharius Rex Hadoindo Episcopo de monasterio Anisolæ, & de omnibus villulis & rebus ad eum pertinentibus.

XIII. Precaria quam domnos Bercharius de monasterio sancti Karileffi Ibboleno Abbati fecit.

XIV. Præceptum Dagoberti Regis super precaria Ibboleno Abbati, quam à domno Berchario Episcopo de monasteriolo Anisola accepit.

XV. Præceptum emunitatis quod fecit Dagobertus Rex domno Berchario Episcopo de monasteriolo Anisolæ, & de omnibus villulis & rebus ad eum pertinentibus.

XVI. Precaria quam Gauzioleuus Episcopus de monasterio sancti Karileffi Didoni Abbati fecit.

XVII. Præceptum Chilperici Regis, quod fecit Gauzioleno Episcopo & Sichaldo Abbati super precariam eorum de monasteriolo Anisolæ.

XVIII. Præceptum Chilperici Regis sub emunitatis tuitione Cenomannicæ sedis ecclesiæ, factum Gauzioleno Episcopo, simul & confirmatio in hoc ip-

so præcepto continetur, quam fecit super precariam prædictus Rex Gauzioleno Episcopo memorato & Didoni Abbati suo.

XIX. Præceptum emunitatis quod fecit Theodericus Rex Berchario Episcopo de cellulis & villulis sui Episcopii, & nominatim de monasteriolo Anisolæ.

XX. Præceptum emunitatis quod fecit Dagobertus Rex Herlemundo Episcopo de cellulis & villis de suo Episcopato, ubi & monasterium Anisolæ commemorat, & suæ sedis ecclesiæ esse adfirmat.

XXI. Commentum de vita sancti Innocentis Episcopi excerptum de vita & actibus sancti Turibii Episcopi.

Sunt enim & aliæ cartæ multæ de eadem re, quæ præ vetustate & negligentia magna ex parte legi non possunt. Similiter & alia præcepta de eadem re sunt multa in Cartulario, quæ legi per omnia præ vetustate & putredine non possunt. Multa siquidem furata & negligenter perdita esse narrantur. Prædictus autem domnus Franco Episcopus restauravit seniorem ecclesiam infra urbem, & tegominibus ac plumbo à novo nobiliter cœperunt, & intrinsecus perrexerunt, atque mirificè interius exteriusque ornare studuit. Clericos videlicet nobiles inibi instruxit, & in ipsa canonica inesse instituit. Hic quippe fecit refectorium à fundamento novum in occidentali parte senioris & matris ecclesiæ, in quo fratres reficerent, eisque villas tres ex suo episcopio, id est Asinarias, & Speltarias, sive Mantulam ad eorum stipendium dedit, & cartam eis exinde fecit, atque præceptum piissimi CHLODOVICI Imperatoris confirmavit, ut pleniter & canonicè ibi vivere possent. In hoc ergo opusculo quod de prædicti domni Franconis Episcopi actibus nonnulla conscripsimus, placuit inserere præcepta regalia, quæ ipse à largitione domni Caroli piissimi Imperatoris percipere meruit: ne si (quod absit) aliqua machinatione, aut alicujus malivoli hominis intentione, sive ignium concrematione, aut quolibet ingenio, sicut in multis locis jam reperimus actum, suprascripta perdita fuerint, aut in ista schedula inserta reperiantur, per quæ recuperatio de supradictis rebus fieri possit; nec aliqua (quod absit) machinatione aliquid de rebus præfatæ sedis ecclesiæ, sive de rebus vel villulis atque territoriis præscripti Episcopii, quicquam minoratum vel perditum fiat. Antea enim quam hoc præceptum præfatus Franco Episcopus accepisset, aliud præceptum de nonis & decimis & censibus sive restaurationibus domorum Dei accepit, quod negligentia custodum perditum fuit: denuo quoque illud percepit præceptum quod istum subsequitur, sicut in subsequenti legetur præcepta.

Sequitur exemplar præcepti domni Caroli piissimi Augusti de monasteriolis vel cellulis sive villulis, simulque emunitatis sæpe dictæ sedis & matris atque civitatis senioris ecclesiæ.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, CAROLUS gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Si sacerdotum ac servorum Dei petitiones, quas nobis pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus, non solum legalem consuetudinem exercemus, verùm etiam ad beatitudinem æternæ retributionis talia nobis facta profutura confidimus. Igitur omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicedominis, Vicariis, Centenariis, Actionariis, Missis nostris discurrentibus, sive cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris, præsentibus atque futuris notum esse volumus, quia vir venerabilis FRANCO, Cenomannicæ urbis Episcopus, adiens serenitatem nostram, suppliciter deprecatus est, ut ei præceptum de omnibus rebus ecclesiæ sibi commissæ facere præcepissemus: & nominatim cellulas vel vicos seu villas, quas sub sua, sive Canonicorum, vel vassallorum suorum, ac aliorum sibi vel ecclesiæ suæ devotè famulantium, tam liberorum, quàm & servorum, potestate vel dominatione præsenti tempore habere noscitur, ut futuris temporibus ipse, sive ejus successores, sub jure & dominatione prædictæ Cenomannicæ ecclesiæ firmius, nostra fulti auctoritate, & absque ulla pulsatione vel contrarietate habere, vel regere mereretur. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & nominatim cellulas vel villas sive vicos in hoc præcepto, sicut deprecatus est, inserere jussimus, id est cellulam sancti Vincentii cum omnibus ad se pertinentibus, & cellulam sancti Albini, seu cellulam sancti Audoeni, & cellulam sancti Rigomeri, & cellulam sancti Almiri, & cellulam sancti Ulfacii, & cellulam sancti Baomadi. Hæc omnia cum omnibus ad se pertinentibus, cum vicis canonicis quatuor, id est Saliça, & Mootiniacum, & Flaetacum, & Oxellum, cum villis duodecim, & aliis villulis ad eas pertinentibus, sicut in plenariis jam dictæ ecclesiæ continetur, id est Rupiacum, Cavaua, Culturas, Baliau, Aloncion, Colonicam, Vetos-vicum, & Celliacum, Vicum-canonicum, & Villam sancti Gervasii, Aloniacum, Asinarias Vodebris, Callemarcium, sive alias villulas, quarum nomina in promptu non recordantur. Hæc autem omnia cum omnibus ad se pertinentibus, cum omni integritate, sub emunitatis tuitione nostro præcepto inserere jussimus. Alterum enim prædicto Episcopo, vel suis canonicis præceptum olim facere jussimus de monasteriis vel cellulis, sive vicis atque villis, quas nostri fideles nostra largitione habere noscuntur: ibi nominatim eas in nostro præcepto scribere præcepissemus, sub legitimo censu, & nonas & decimas persolvendas, seu restaurationes ecclesiæ faciendas, quæ omnia jubemus atque præcipimus, ut à nostris fidelibus ita conserventur, sicut in ipso præcepto sunt inserta: de quibus prædictam ecclesiam & jam dictum Pontificem, quandocumque Dominus posse & locum dederit, consolari & augmentari cupimus. Præsentaliter verò hoc concedimus, ut quando quisque de illis qui sæpe dictæ ecclesiæ beneficia nostra largitione habent, de hoc sæculo, infantibus masculis non natis, vel nobis non commendatis, migraverint; jam dictus Pontifex, vel sui successores, sive eorum ministri, atque Canonici, in potestatem & dominationem præfixæ ecclesiæ, absque ullius consignatione revocare faciant. Et quandocumque locus evenerit jam dicta beneficia cum nostris fidelibus, qui ea nostro beneficio habent, commutare; volumus, & præfatæ ecclesiæ reddere, ut ipsius ecclesiæ Pontificibus, vel sacerdotibus, sive Dei servis, pro nobis vel omni populo nobis à Deo commisso, sive pro stabilitate regni & pace totius populi, melius exorare delectetur. Insuper detulit nobis immunitates prædecessorum nostrorum, Regum scilicet Francorum, in quibus continebatur, quomodo prædictam sedem, unà cum rebus omnibus vel hominibus ibidem aspicientibus, propter amorem Dei & reverentiam sanctorum, quorum reliquiæ ibi venerantur, sub plenissima semper defensione & immunitatis tuitione habuissent. Pro firmitatis ergo studio petiit prædictus Pontifex, ut circa ipsum sanctum locum denuo pro mercedis nostræ augmento concedere & confirmare deberemus. cujus petitionem pro

divinu amore renuere nolnimus; sed in omnibus & præsentes & futuri fideles sancti Dei ecclesiæ & nostri ita concessum atque perpetualiter à nobis confirmatum esse cognoscant. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus nostris, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memoratæ ecclesiæ, quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem regni nostri justè habere ac possidere cognoscitur, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci divina voluerit pietas augeri; nemo ad causas audiendas, vel inferendas, requirendas, aut tributa vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut teloneum exigendum, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos, quàm & servos, qui super terram ejusdem residere videntur, injustè distringendos, nec ullas redhibitiones aut inlicitas occasiones requirendas, ullo umquam tempore ingredi audeat, vel exactare prædicta ex ipsis rebus quodam in loco præsumat: & quidquid ex rebus jam dictæ ecclesiæ fiscus sperare poteat, totum nos memoratæ ecclesiæ concedimus. Insuper & illud in hoc præcepto inserere jussimus, ut nullus Judex, aut Comes, aut aliquis liber homo, aut quælibet persona, prædictæ ecclesiæ ministros, vel Advocatos in mallo publico accusare præsumat, sed priùs conveniat ministros rerum, & Judices villarum atque hominum à quibus læsus est, ut ab eis familiarem & justam accipiat justitiam: quam si accipere non valuerit, tunc conveniat Episcopum jam dictæ ecclesiæ, ut ab ipso suam justitiam familiarem & bonam aque justam accipiat. Et si ab ipsu Episcopo, neque à suis ministris suam justitiam accipere nequiverit; postmodum licensiam habeat, ut in malo publico suas querelas justè & rationabiliter atque legaliter quærat. Sed si antea quàm prædicta fecent, jam dictæ sedis ecclesiæ Episcopum, & suos ministros vel Advocatos accusare, aut pulsare præsumsent; quia nostram jussionem atque nostrum indictum & præceptum contemsit, sive prævaricavit, bannum nostrum ex hoc nobis componat, & prædictæ ecclesiæ Episcopo vel suis ministris c sol. argenti componat, & suam justitiam postmodum absque lege, aut aliqua compositione recipiat. Prædictas enim causas memoratæ ecclesiæ Pontificibusque atque Dei servis inibi Domino famulantibus pro Dei amore & reverentia sanctorum concessimus, concessumque futuris temporibus esse volumus, sicut & à nostris antecessoribus, Regibus videlicet Francorum, suis prædecessoribus factum esse scrutando cognovimus: quatenùs supra memorato Pontifici suisque successoribus, unà cum servis Dei, inibi Deo famulantibus, pro nobis atque pro stabilitate totius regni à Deo nobis concessi atque conservandi, cum clero, populoque sibi subjecto Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc præcepti nostri auctoritas firmior habeatur, & per futura tempora conservetur, manu propria subterfirmavimus, & impressione nostri annuli subter eam roborari decrevimus. Signum CAROLI gloriosissimi Regis. GENASIUS ad vicem Erchembaldi recognovi & subs. Datum in mense Decembrio xvj Kalend. Januarii, anno regni nostri xxix. Actum Grani-aquis palatio nostro in Dei nomine feliciter, amen.

Exemplar præcepti domni Caroli piissimi Augusti de nonis & decimis ac restaurationibus ecclesiarum, sive de censu tam & monasteriorum, quàm & cellarum sive villarum jam dicti Episcopii.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, CAROLUS serenissimus Augustus, à Deo coronatus, magnus & pacificus Imperator, Romanum gubernans imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum, atque Longobardorum. Si precibus sacerdotum ac servorum Dei libenter aurem accommodamus, & ad ministerium eorum exsequendum auxilium præstamus, hoc nobis proculdubio ad statum regni corroborandum, & ad æternæ vitæ beatitudinem adipiscendam profuturum esse credimus. Idcirco omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, tam præsentibus, quàm & futuris notum esse volumus; quia cùm in Dei nomine nos in Aquis palatio nostro ad universorum causas audiendas, vel recta judicia terminanda resideremus, sacerdotes & canonici clerici sancti Gervasii, sive Dei servi de Cenomannica urbe, cum consensu & licentia JOSEPH eorum Metropolitani, ac proprii Pontificis FRANCONIS prædictæ urbis Episcopi, sive ceterorum comprovincialium Episcoporum, in nostram advenerunt præsentiam, & conquesti sunt, quod nonas & decimas, sive census, unde necessarios sumtus habere debeant, fideles nostri qui res sancti Gervasii beneficiario munere possidebant, aut negligenter persolverent, aut penitus reddere differrent. Petieruntque ac suppliciter deprecati sunt, ut nostra imperialis potestas efficeret, qualiter de hisdem rebus decimæ & nonæ partibus præscriptæ ecclesiæ pleniter & absque ulla dilatione persolverentur; & ædificia ejusdem ecclesiæ sive domus episcopalis ac fratrum, inibi Deo degentium, refactæ & restauratæ fierent. Insuper humiliter flagitantes postulaverunt, ut villarum nomina, ex quibus nonæ & decimæ ad supradictam ecclesiam persolvi debent, in nostræ auctoritatis præcepto nominatim adscribi præcepissemus, ne aliquo malo ingenio, aut qualibet calliditate, aut potentia alicujus divitis vel potentis, hæ villæ vel hæ res à jure ejusdem ecclesiæ alienatæ futuris fierent temporibus, aut nonæ vel decimæ, sive census vel restaurationes jam dictæ ecclesiæ ablatæ fieri possent. Quorum deprecationes propter amorem Dei libenter audivimus, & sicut deprecati sunt, monasteria vel cellulas seu vicos vel villas, quas nostra largitione ex jure præfixæ ecclesiæ nostri fideles habere dinoscuntur, nominatim in hoc præcepto inserere jussimus, ut futuris temporibus in jure & dominatione jam dictæ ecclesiæ cum omni integritate permaneant. Id est monasterium sancti Petri, quod Bertrannus Episcopus ædificavit, cum monasterio vel synodochio sancti Martini in Ponteleva, & monasterium sancti Victuri, in quo ipse domnus Victurius requiescit in corpore; & monasterium sanctæ Mariæ, quod est constructum intra murum civitatis & fluvium Sartæ, cum monasteriolo sancti Ricmiri ultra fluvium Sartæ ad eum pertinente, & monasterium sanctæ Scolasticæ, & monasteriolum sancti Germani ultra fluvium Sartæ, & monasteriolum vel synodochium sanctæ Mariæ, in quo domnus Paduinus requiescit in corpore; & monasteriolum sancti Juliani, in quo ipse requiescit in corpore; & cellulam sancti Victurii infra civitatem, & monasterium sancti Karilefi, in quo ipse domnus requiescit in corpore; & monasterium sancti Georgii, & monasterium Tilliduo, & monasterium Tuffiaco, & monasteriolum sancti Johannis & sancti Trechii in Buxido, & monasteriolum sancti

Martini in Diablentico, & monasterium sanctæ Mariæ in Aurionno, & monasteriolum Buxili, & cellulam Scuviliaco. Hæc omnia, sicut diligenter inquisitum habemus, cum omnibus ad se pertinentibus, & in scriptis authenticis sancti Gervasii invenimus, justè & legaliter pertinent. Ex quibus præcipimus, ut festivitatibus illorum sanctorum, in quorum memorus ipsa cœnobia dicata esse noscuntur, per singulos annos ad præfixam matrem & civitatis ecclesiam, census ab ipsis, qui eadem cœnobia nostro beoeficin tenent, libenter ad opus Episcopi, vel fratrum ibi degentium, & ad ipsam ecclesiam restaurandam, & nunc & futuris temporibus persolvantur: & refectio Canonicis sanctæ Mariæ & sancti Gervasitoptima ab eodem Abbate, qui ipsum cœnobium tunc temporis babere videtur, in prædicta festivitate libenti animo fiat, si nostram gratiam & ipsa beneficia habere voluerit: ut nobis seu decessoribus, vel progenitoribus nostris propter ablationes vel minorationem barum rerum jamdictæ ecclesiæ aliquod detrimentum aut periculum regni non adcrescat; sed perennis temporibus sub jure ecclesiæ permaneant. De vicis verò publicis vel villulis jam dictæ ecclesiæ, quas fideles nostri nostra largitione habent, omnino præcipimus, ut nonæ vel decimæ partibus præscriptæ matris ecclesiæ ab eisdem fidelibus nostris libenter & pleniter persolvantur, & ædificia ejusdem ecclesiæ sive domorum ad eam infra civitatem pertinentium ibi restaurare faciant. Id est de villa Taleida, de villa Lucdono, de villa Baladon, de villa Quebrolius, quæ Nova-villa nuncupatur, de villa Pradellis, de Morniaco, de villa Quilis, de tertia parte de cella sancti Almiri, & tertia parte sancti Ulfacii de cella, & tertia parte de cella sancti Riemiri, de villa Bonlido, de Angono, de Solemnis villa & vico, & cella Jurmeto, & de villa Apiliaco, & de Alnido, & Daucido, de Noviliaco & Farisnonia & campo, Sirigiò, Luciaco, & Monte, & de Connis, Cella sancti Leodegarii, Angon, & Bonlir, de vico Gabron cum suis appendiciis, & Balino vico publico, & de villa Vivitiaco, & de villa Longaqua. & de Campaniaco, & de Conedralio, & de Geneda vicis publicis, & de villa Clidis, & Tredendo, & Vithlena, Turniaco, Cassano, & Villare, & Adilavite, & Vigra, & Fontanas, & Sanmuro, & Brasialu, Felcaria, Domno-Jorio, & partem de Fraximedo, & Maundaria, Drogieco, Villare, de Verno, de Juricio, & Camiliaco, de Taxinarias, & Coctiaco vico publico, & villa Antoniaco, de villa Bonalfa, & de omnibus villis, quæ ad cellam sancti Martini infra murum civitatis pertinene, & Cangiaco vico publico, & de villa Limbriaco, & Verincella, & Verniaco, & de vico Diablentico, & de cella Arciacus, & de villa Camariaco, & Civriaco, & Calla, & Comoriaco, & de villa Andoliaco, & de villa Griviaco, & Martiniaco, & Linerolas, & Sisciaco, & de cella Domno-Regis & de pago Ardunense, in quo sunt manentes mille sancti Gervasii, & de Curte-Basanæ, & de Noviomo, & Scômiaco, & Camiliaco, & Comiaco, & Corma & Novi-vico & Hostiliaco vicis publicis. Hæc autem omnia, quæ nominatim supra inserta sunt, ut jam dictum est, enucleatim & diligenter investigatum habemus, & in authenticis ejusdem ecclesiæ scriptis ipsis clericis nobis ostendentibus reperimus, sive alias villas, quas propter prolixitatem, vel propter ignorantiam villarum nominum in hoc præcepto non sunt insertæ, ad jam dictam tamen ecclesiam justè & legaliter pertinere cognoscuntur. Super quibus has nostræ auctoritatis litteras fieri decrevimus; per quas statuentes omnibus qui in præsenti tempore aut futuris temporibus ex memoratæ matris ecclesiæ rebus beneficia adsecuti sunt, aut adsequi potuerint præcipimus, ut de omnibus conlaborationibus terræ tam feni, quàm & annonæ omnium generum, tam de sua dominicata, quàm & de vassallorum suorum, de vinericiis quoque & perdonato, de pastionibus & pascuariis, de herbaticis & pullis, de piscationibus & pastiooaticis, id est de glandaticis, de melle & conlaborationibus, quæ in hortis fiuot, de nutriminibus animalium, & caseis qui fiunt de vaccariciis dominicatis, ac de omnibus redhibitionibus, quæ ab hominibus memoratæ matris ecclesiæ recipiuntur, excepto hostilense, id est de bobus, & conjecto ad carros construendos. De his autem omnibus præcipimus, ut censum legitimum & nonas & decimas annis singulis partibus præscriptæ matris ecclesiæ absque ulla maritione vel dilatiune reddere, aot minoratione pleniter persolvere faciant. Insuper restaurationes tam in præfixa ecclesia, quàm domibus juxta eam adjacentibus, in teguminibus & restaurationibus pro possibilitate rerum, quas in beneficium exinde possident, facere non negligant, si gratiam nostram & eadem beneficia unusquisque habere voluerit. Præscripta verò beneficia volo ot fideles nostri sub prædicto censu cum consensu & benevoleotia ejusdem ecclesiæ Episcopi teneant, usquedum illa cum eis qui ea nostra datione videntur habere, mutuare possimus, & sæpe dictæ ecclesiæ cui justè & legitimè (ut inquisitum habemus) debentur, auxiliante Domino restitui, atque reddere mereamur. Et hoc omnibus vobis notum sit, quod si aliquis vestrum exstiterit, qui hanc jussionem nostram, aut contemnendo, aut negligendo adimplere distulerit, volumus atque præcipimus, ut præscriptæ urbis Episcopus in jure ejusdem ecclesiæ sive in suam, vel canonicorum suorum potestatem vel dominationem easdem res revocare faciat, usquedum illi qui jam dictæ ecclesiæ res vel beneficia nostra largitione babebant, in nostram veniant præsentiam. Qui negligit censum perdat agrum; & per hanc auctoritatem, sive eorum negligentia, vel contemtu, ipsa perdaur beneficia. Erut hæc jussio nostra veriùs credatur, & diligentiùs conservetur, atque per omnia à vobis perficiatur, & firmiùs futuris temporibus teneatur; manu propria subterfirmavimus, & de anulo nostro sigillare jussimus. Signum CAROLI gloriosissimi Imperatoris. GANESIUS advicem ERCHEMBAUDI recognovi & subscripsi. Data in mense Aprilis viiij Kalend. Maii, anno ij Christo propitio gloriosi imperii nostri, & xxxiiij regni nostri in Francia, & xxviiij in Italia, in Dei nomine feliciter, amen.

Item exemplar præcepti domni Caroli Imperatoris & Franconis Episcopi de Abbatia sancti Karilefi, quod factum est quando præfixus domnus Carolus Imperator tam reddidit ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Gervasii, & Franconi prædicto ipsius ecclesiæ Episcopo.

IN nomine Patris & Filii & Spiritûs-sancti, CAROLUS serenissimus Augustus, à Deo coronatus, magnus & pacificus Imperator, Romanum gubernans imperium; qui & per misericordiam Dei Rex Francorum, atque Longobardorum. Si sacerdotum servorumqoe Dei justis & rationabilibus petitionibus ad optatum effectum perducimus, non solùm regiam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorandos, devotiores ac promtiores facimus, atque per hoc Domini misericordiam facilius nobis conciliandam esse confidimus. Et idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præ-

ſentibus ſcilicet & futuris, quoniam FRANCO venerabilis Cenomannicæ urbis Epiſcopus ſuggeſſit nobis, eo quod monaſteriolum ſancti Karileffi, quod intra terminos prædictæ urbis parochiæ à jam dicto domno Karileffo, concedente atque ordinante domno Innocente præfatæ urbis quondam Epiſcopo, in rebus tam ſui Epiſcopii, quàm & rebus aliorum bonorum hominum, tam Regum, quàm & aliorum nobilium virorum, ipſo domno præfato Karileffo traditis quas & ipſe poſtea per ſtrumenta cartarum, & per licentiam ſive permiſſum atque conſenſum Childeberti Regis, ad matrem & civitatis eccleſiam, quæ eſt conſtructa in honore ſanctæ Mariæ Dei genitricis, & ſanctorum martyrum Gervaſii atque Protaſii, inſtante & confirmante miſſo Childeberti Regis contradidit, atque legaliter confirmavit. In quibus rebus prædictum monaſteriolum fundatum à jam dictis ſanctis viris, atque conſtructum eſt, & deinceps quibuſdam intervenientibus cauſis à jure ſuæ ſedis eccleſiæ ſubtractum & ab illius dominatione & poteſtate hactenus fuiſſe ablatum. Utque quod aſſerebat veraciter nobis pateſceret, detulit obtutibus noſtris quædam cartarum munimenta, Regumque deceſſorum ſcilicet noſtrorum quaſdam auctoritates, quibus inſpectis atque relectis, evidenter oſtenditur, prædictum monaſterium juris ſæpe dictæ ſedis Cenomannicæ ſibi commiſſæ eſſe, & in ejus dominatione debere perſiſtere. Suppliciter ergo noſtram exorans clementiam, ut quod tam evidentius indiciis declaratur, noſtra quippe aſſenſione, imo auctoritate denuo roboretur. quæ ita liquidum cognoſcentes, eique ob amorem Dei & ejuſdem ſanctæ ſedis reverentiam, favorem noſtræ auctoritatis adhibere dignum judicantes, hoc noſtræ auctoritatis præceptum ei ſuiſque per tempora ſucceſſoribus fieri, ac dari præcipimus, per quod decernimus atque jubemus, ut memoratum monaſteriolum ſancti Karileffi quod aliquandiu à prædictæ ſedis eccleſiæ jure & dominatione ſubtractum fuerat, abhinc in poſterum habeant atque poſſideant: & quicquid eccleſiaſtico jure de eo diſponere decreverint, liberam in omnibus habeant poteſtatem faciendi; neque ullo deinceps tempore à jure præfatæ matris eccleſiæ ejuſque Rectorum quaiibet occaſione aut violentia à nobis, ſive à ſucceſſoribus noſtris ſegregetur: ſed ſemper in illius, Pontificumque ejus atque rectorum poteſtate & diſpoſitione ac voluntate, ad divinum cultum propentiùs exercendum, cum omnibus ad ſe pertinentibus, integerrimè & abſque ulla diminutione noſtris futuriſque conſiſtat temporibus. Et ut hæc redditionis noſtræ auctoritas veriùs credatur, & diligentius conſervetur per omnia & firmiùs futuris temporibus teneatur; manu propria ſubterfirmavimus, & de anulo noſtro ſigillare juſſimus. Signum CAROLI glorioſiſſimi Imperatoris. GENESIUS advicem ERCHEMBALDI recognovi & ſubſcripſi. Data in menſe Martii xvj Kalend. Aprilis, anno j Chriſto propitio glorioſi imperii noſtri, & xxxiij regni noſtri in Francia, & xxviij in Italia, in Dei nomine feliciter, amen.

---

*Item exemplar præcepti quod prædictus domnus Franco firmitatis ſtudio, à domno Hludovico magno Imperatore percipere ſtuduit, quod Panocarta * vocatur.*

* al. Pancharta.

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti HLUDOVICUS divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Noverit ſagacitas ſeu induſtria fidelium omnium noſtrorum, tam præſentium, quàm & futurorum, eo quod vir venerabilis FRANCO Cenomannicæ urbis Epiſcopus obtulit ſerenitati noſtræ quaſdam auctoritates prædeceſſorum noſtrorum, Regum videlicet Francorum, in quibus continebantur, quod partim negligentia incurioſorum hominum, partim depopulantibus hoſtibus, ignemque ſubmittentibus, quædam ſtrumenta cartarum per quæ Reges, Reginæque, & ceteri quamplures catholici viri res atque mancipia eccleſiæ in honore Chriſti martyrum Gervaſii & Protaſii conſtructæ, cui auctore Deo ipſe præeſt, contulerant, olim exuſta vel concremata fuerint; per quas etiam auctoritates non ſolùm prædeceſſores ſui rectores videlicet ipſius eccleſiæ; ſed etiam ipſe in poſtmodum eaſdem res vel mancipia, quæ in eiſdem quæ exuſta fuerunt ſtrumentis, juſtè & legaliter & ſecurè ac quietè hactenus tenuerant ac poſſederant, ceu firmitatis ſtudio ſerenitati noſtræ ut eaſdem auctoritates noſtra firmaremus auctoritate. Nos itaque perſpectis eiſdem auctoritatibus, pro mercedis noſtræ augmento, libuit nobis præfati venerabilis viri petitionibus annuere, & eiſdem auctoritatibus hanc quoque noſtram jungere auctoritatem, per quam jubemus atque præcipimus, ut omnes res vel mancipia, quæ ex liberalitate eidem collatæ fuerint eccleſiæ, noſtris & futuris temporibus per hanc noſtram auctoritatem præfatus Franco Epiſcopus, ſucceſſoreſque ſui abſque ulla inquietudine vel injuſta interpellatione quietè & ſecure habere vel poſſidere valeant. Quod ſi fortè ſuper eiſdem rebus ante præfatam inſtitutionem à Prælatis ipſius civitatis jure poſſeſſis quæſtio orta fuerit, ut pro eis diſceptare neceſſe ſit; ita per hanc noſtram auctoritatem eaſdem res & mancipia ipſius eccleſiæ defendantur, ſicuti per eadem ſtrumenta, ſi igni abſumta non fuiſſent, legibus defendi potuerant. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & in futura tempora conſervetur, manu propria ſubſcripſimus, & anuli noſtri impreſſione ſignavimus. Signum HLUDOVICI ſereniſſimi Imperatoris. Data xij Kalend. Septembris, anno j Chriſto propitio imperii noſtri, Indictione ſeptima. Actum Aquiſgrani palatio noſtro in Dei nomine feliciter, amen.

Alia enim præcepta vir prædictus domnus Franco præfatæ urbis Epiſcopus accepit nonnulla, quæ hîc propter prolixitatem, vel propter faſtidium lectoris ſive auditoris, ſeu propter laborem ſcriptoris non inſeruimus, quæ etiam ſæpe dictus Epiſcopus accipere pro confirmatione ſuæ ſedis eccleſiæ ſtuduit; &, ſi neceſſitas ingruerit, per quæ firmius prædictæ ſedis eccleſiæ res à fidelibus ipſius eccleſiæ defendantur, teneanturque, ac ſecurius à Pontificibus & rectoribus ſive diſpenſatoribus jam dictæ ſedis eccleſiæ futuris poſſideantur temporibus. Hæc ergo quæ in hac ſchedula inſeruimus, ob id (ut dictum eſt) calamo imperavimus, & in hoc opuſculo inſcripſimus, ut ſi (quod abſit) alicujus negligentia cuſtodis, vel rectoris, ſive quolibet ingenio perdita vel alienata à jure præfatæ eccleſiæ fuerint; hic à fidelibus, & defenſatoribus, ſive rectoribus, necnon & Pontificibus præfatæ ſedis eccleſiæ inveniantur: quatenus ſaltim, ſi neceſſitas futuris ingruerit temporibus, per hæc recuperatio de rebus jam dictæ eccleſiæ aliqua annuente Domino fiat. Hæc verò quæ ſequuntur inquiſitiones, atque inſtrumentorum monimenta ſupradicto prætextu hîc inſerere libuit, quatenus & hic eorum repetantur, quando neceſſitas ingruerit, nonnulla exemplaria. Sæpe dictus itaque domnus Franco jam dictæ urbis Epiſcopus conquiſivit villam quamdam ſui epiſcopii, quæ Briniacus nominatur, quæ eſt ſita in pago Cenomannico, in condita Bruſſondenſe; ipſamque per notitias atque

judicia

judicia multorum nobilium virorum evindicavit, & ad jus prædictæ ecclesiæ pleniter & legaliter augmentavit, suisque successoribus futuris temporibus possidendam & regendam dimisit. Ipse etenim fecit ecclesiam à fundamento in villa sui episcopii, & in vico canonico, qui vocatur Celsiacus, quam & in honore sancti Petri consecravit, & in eam corpus beati Ernnei Confessoris collocavit, atque ejus sepulturam sapienter & more Romano ornavit. Hic sedit in prædicta sede annos xxij, menses iiij, dies xiij, multa bona opera faciens, atque bona exempla omnibus demonstrans tam in divinis, quàm & in sæcularibus rebus. qui & in pace, plenus dierum, & (ut fertur) centum annorum in senectute bona obiit iij Kalend. Februarii in villa suæ sedis ecclesiæ, quæ Baliau vocatur: indeque adlatus est in ecclesiam sancti Vincentii juxta urbem, in qua & domnus Domnolus Episcopus corpore requiescit, à consacerdotibus & à discipulis suis honorificè & devotissimè est sepultus. cui omnipotens Dominus intercedentibus omnium sanctorum suorum meritis unà nobiscum vitam dignetur præparare sempiternam: qua & nos unà cum sanctis & electis Dei frui æternaliter mereamur per infinita sæcula sæculorum, amen. Anno Incarnationis Domini dccc xvj, obiit Franco major natu Episcopus iij. Kal. Febr.

Epitaphium Franconis Episcopi prioris.

Hoc busto tegitur tumulatus Franco sacerdos,
Fessus jam senio hac requiescit humo.
Urbem hanc qui rexit felix moderamine justo,
Algida corda fovens dogmate nempe sacro.
Decursis annis bis denis atque duobus,
Ad cælum vehitur regna beata petens.
Dic quicumque legis hæc verba precantia quæso,
Perpetuam requiem donet ei Dominus.

CAPUT XXII.

Gesta domni Franconis posterioris natu, Cenomannicæ urbis Episcopi, qui fuit temporibus ante dicti Hludovici piissimi Imperatoris.

Domnus Franco Conomannicæ urbis Pontifex, nepotque propinquus atque successor prædicti senioris Franconis, natione scilicet Francus ex pago Asbanio, de nobilibus parentibus ortus, atque in palatio domni Hludovici Diaconatus in ministerio instructus; cui & à prædicto domno Hludovico gloriosissimo Imperatore, post obitum prædicti Franconis, jam dictum Episcopium ad regendum est commissum: in quo antedictus Franco à Lantramno Turonicæ civitatis Archiepiscopo & ab aliis Episcopis in ipsa suæ sedis ecclesia est tertio Kalendarum Juliarum consecratus, & ad eamdem ecclesiam titularus. Ipse autem consecravit ecclesiam sancti Karilessi, quam bonæ memoriæ domnus Albanus ejusdem monasterii Abbas à fundamento renovavit, & ampliorem atque majorem unà cum suis monachis fecit, eamque nobiliter ornavit. In ea verò corpus præfati domni Karilessi, de ono loco in alterum locum transferendum, mirabiliter & decenter sive studiosissimè à supradicto Episcopo, vel à suis sacerdotibus, seu ejusdem monasterii monachis summopere est collocatum. Hic itaque fecit ordinationes xxviij, Presbyteros per diversa loca & ad diversos titulos sacravit c c lxv, Levitas c c xvj, & alios ministros, quantum necesse fuit. Ecclesias verò sacravit xxxij. Hic quoque sedit in supradicta sede annos xvj, menses v, dies v. qui & in pace in villa sui episcopii, quæ Culturas nominatur, octavo Idus Novembris in Christo obiit. cujus corpusculum nobiliter inde ad civitatem est à clero vel populo adlatum, & in ecclesia sancti Vincentii, in qua prior & avunculus suus domnus Franco, antecessor ejus, corpore requiescit, & ad pedes ejus est sepultum: cujus sepulturam Aldricus successor ejus nobiliter ornavit, & super eum epitaphium ejus metrice conscribere jussit, sicut hactenus liquet: similiter & Franconis senioris Episcopi atque antecessoris ejus fecit. Et in tertia die, hora tertia, Aldrico sacerdoti, successori scilicet suo, in Turonica urbe metropoli, à domno Hludovico Imperatore piissimo Episcopatus est canonicè & regaliter datus. Prædicti autem Franconis animæ obnixè flagitamus, ut beatam & æternam requiem habere tribuente Domino Salvatore nostro mereatur, atque gloria perpetua una cum sanctis & electis Dei in cælestibus regnis frui: in quibus & nos suppliciter imploramus cum eis æternaliter vivere mereamur. quod ipse præparare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Fiat, fiat. Anno ab Incarnatione Domini dccc xxxij obiit Franco sacerdos Episcopus viij Idus Novembris.

Epitaphium Franconis junioris Episcopi.

Qui fuerat largus, nulli bonitate secundus,
Francia quem genuit, mors inimica tulit.
Et doctor populi, pius, ac miserator egentum,
Franconisque nepos, prædirus eloquio.
Jamque decem & septem ferme volventibus annis,
Abstractus carne, fertur ad astra poli.
Hos quicumque legis versus, die Lector opime,
Æternam requiem det sibi Celsitronans.

ADMONITIO.

In ms. codice Cenomannensi sequuntur gesta Aldrici Episcopi, prout ab eruditissimo Stephano Baluzio in tomo 3 Miscellaneorum edita sunt, quæ gesta hunc compendio retulram, omissis actis novem subsequentium ab Aldrico Episcoporum, quæ in exemplo ad nos transmisso desiderabantur. Hoc cognito idem Baluzius, ad supplendam editionis nostræ lacunam (qua ipsius est in litteratos omnes atque in nos officiosa humanitas) acta illa novem Episcoporum ex Bibliotheca Colbertina seu ex schedis clarissimi Andreæ Chesnii, de re publica litteraria tam præclare meriti, nobis liberaliter communicavit. Acta Chesniana incipiunt a Principio Episcopo, & in Guidone desinunt suntque veluti quoddam nostrorum compendium: tametsi nonnulla continent, quæ in codice Cenomannensi, quo usi sumus, desiderantur. Qualis est Gregorii Papæ IV pro Aldrico epistola, quæ in codice Cenomannensi, adeoque in editione Baluziana, quæ ex eo accurata est, minimè comparet. Colbertinum seu Chesnianum exemplum secuti sumus in actis Aldrici & subsequentium novem Episcoporum, quæ quatenus foliorum jam impressorum spatia siverunt, hic inseri curavimus. His utere, studiose Lector, & viris optimis, per quos præclara illa monumenta in manus nostras pervenerunt, gratiam habere ne cessa.

XXIII. Gesta Domni Aldrici Episcopi.

Decedente viij idus Novembris Francon juniore Cenomannicæ urbis Episcopo, succedit Aldricus in ejus Episcopatum v idus Novembris, anno scilicet Incarnationis Dominicæ dccc xxxij, Indict. xj, anno verò imperii domni Ludovuici piissimi Augu-

sti aa viiij, & anno nativitatis suæ xxxvij, cui Dominus oramus hanc degere vitam secundum suam voluntatem tribuat; & post hanc vitam ei concedat sempiternam, amen. Ædificia antem quæ prædictus Pontifex multipliciter à novo operatus est, & ecclesias siva nonnulla monasteria, quæ à novo fundavit, atque perficere & ornare studuit; necnon & restaurationes aliorum monasteriorum & ceterarum ecclesiarum, seu ordinationes Episcoporum & sacerdotum aa levitarum & reliquorum graduum: sed & de qua tribo ortus, & cum quibus edoctus, & qualiter ad sacros ordines est consecratus, & quantas res & cellulas seu monasteria ecclesiæ sibi commissæ justè & canonicè atque legaliter acquisivit; & præcepta regalia & evindicationes, quas ea his legibus & per judicium accepit, seu privilegia quæ suis aaonicis & monachis, ex rebus quas eis dedit, ad eorum stipendia supplenda, plena auctoritate fecit, præcepta regalia quæ super his firmitatis & inconvulsionis causà accepit; seu nonnulla alia bona, quæ Domino annuenta facere ad otilitatam sanctæ Dei Ecclesiæ servorumque ejus, & plebi sibi commissæ meruit, si qois hoc investigare aut scire voluerit, in alià scedula, quæ de ejus actibus est causa memoriæ & utilitatis conscripta, plenius invenire poterit. Quæ tamen si quis perscrutando anucleatim legerit, sæpius revolverit, & quædam memoriæ commendaverit; indubitanter magnum luarum ad defendendam & custodiendam, aanoniceque & regulanter sive legibus ecclesiam Cenomannicam regendam invenire Domino auxiliante poterit. Defendat eam Dominos omnipotens ad omnibus æmulis suis unà nobiscum humiliter oramos, & nunc, & per auucta sæcula sæculorum, amen.

Epistola Gregorii Papæ, qualiter si aliquis Aldricum Cenomannicæ urbis Episcopum accusaverit, causa ejus non ab alio, quam Romano Pontifice terminetur. quæ etiam in exemplum aliis Episcopis prodesse potrrit.

Dilectissimis Fratribus oniversis Coepiscopis, per Galliam, Germaniam, Europam, & per universas provincias constitutis, Gregorius servus servorum Dei. Divinis præceptis & apostolicis saluberrimè incitamur monitis, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu. Et quia cunctarum divina dispensatione ecclesiarum curam gerimus; omnibus nostris poscentibus suffragia, apostolica auctoritate subvenire optamus. Quoniam divinæ virtutis & infirmitatis humanæ sanctio est, ut omnium ecclesiarum negotia ad nostræ reparationis tendant effectum. Qua propter has ad vos litteras destinamus, in quibus de arcto nostro vestram rogantes caritatem mandamus, ut si aliquis (quod non optamus) suorum æmulorum, Aldricum Cenomannicæ ecclesiæ Episcopum accusare damnabiliter detractaverit *, ut honoretur beati principis apostolorum Petri memoria, ecclesiæque Romanæ, cui prædedit privilegium nostrique nominis auctoritas; liceat illi post auditionem primatum diœcesios si necesse fuerit, nos appellare, & nostra auctoritate, aut ante nos, aut ante legatos nostros è latere missos, juxta Patrum decreta suas exercere atque finire actiones, nullusque illum ante hoc judicet, aut judicare præsumat: sed si quid (quod absit) grave intolerandumque ei objectum fuerit, nostra erit expectanda censura, ut nihil prius de eo, qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit ecclesiæ, ejusque implorat auxilium decernatur, quàm quod ab ejusdem ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate, quæ vices suas ita aliis impertivit ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra, quorum devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris, & det operam, ut non cujusquam præsumptione circa memoratum fratrem vestra provisione, vel successorum vestrorum, si ipse superstes fuerit, aliter quàm hic insertum est, ullo modo fiat: sed hæc, quæ ad ejus tuitionem atque defensionem prædicta hic auctoritate suggesta sunt, atque salubriter ordinata, absque ulla apologia pleniter impleantur. Si autem (quod non arbitramur) à quoquam secos præsumptum fuerit, & ab officio cleri summotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur, oe lupi, qui sub specie ovium subintraverunt, bestiali sævitia quosque audeant delacerare, & quod sibi fieri nolunt, aliis inferre non præsumant: nec quisquam frivolus, aut contentiosus, sive contomax, hæc nostra jura onerabiliter præcipi eontendat, cùm & auctoritate Canonum, & prædecessorum nostrorum decretis sancitum sit, ut Episcopus accusatus, si voluerit, appellet Romanum Pontificem, & ad eum, si libuerit, aonfugiat, ut ab eo ejus audiatur causa, aut ipse è latere suo legatos, qui eam audiant, mittat; qui justè omnibus cum Episcopis comprovincialibus ejus auctoritate judicent. quæ omnia hìc non est necesse inserere, ne proditores magis quàm præceptores esse videamur. Et sanctæ recordationis Innocentius antecessor noster inter cetera sic ait. « Si majores causæ in medio fuerint « devolutæ ad sedem apostolicam, ut Nicæna Sy- « nodus desinivit, & inveterata consuetudo exigit, « referantur; & multa talia quæ in suis actoribus ple- « niter inveniuntur. « Nec alicui fratri hæc gravia aut inutilia videri debent; qnoniam sicot prædicto fratri, sancti Petri & nostræ sanctæ Sedis auctoritate succurrimos, ita omnibus qoibus necessa fuerit, & debemus subvenire, & impigrè volumos. Et sicut quisquam sibi subveniri cupit, ita alium adjuvare debet, & non ejus auxilium molestè ferre, cùm Apostolus moneat omnes gaudare cum gaudentibus, flere cum flentibus. Nos verò ad huoc finem omnem nostrum affectum coramque dirigimus, ut quod ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, & quod ad custodiam & profectum pertinet sacerdotum, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. Super quibus si quis nos arguere voluerit, aut extra auctoritatem facere contenderit, veniat ad Sedem apostolicam, quò omnia ecclesiastica negotia, de quibus quæstio habetur, confluere jussum est, ut ibi, ante confessionem sancti Petri, nobiscum justè decertet, quatinus mihi unus ex nobis sententiam suscipiat suam. Vos, fratres, hortamur & monemus, ut quæ à nobis piè vobis circa prædictum fratrem mandata sunt, ejusque pro simplicitatis defensione salubriter ordinata atque injuncta, nulla concertatione turbentur: qooniam non intervenit temeritas præsumptionis, obi est diligentia pietatis. Nemo vestrum quod suum est quærat, sed quod alterius. & quod Apostolus inquit, *Unusquisque proximo suo placeat in bonum*, & reliqua. Præceptis ergo apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ à sancta Romana & Apostolica auctoritate jussa sunt salutiferè impleantur; si ejusdem sanctæ ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis. Qui autem se sciunt quibusdam esse præpositos, non ferant molestè aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam quam exigunt, etiam ipsi dependant. Unde liquet, quòd omni studio devotionis unanimes divinis & apostolicis præceptionibus parere debeatis, & in nullo inobedientes (qood absit) effici. Nam licet pleraque accidant sacerdotibus, quæ sunt reprehendenda; plus tamen erga corrigendos agat benevo-

[Margin notes: 2. qu. 6. Decr. — Ivo part. 5. cap. 349. — * al. attentaverit. — id. part. 5. cap. 11. — 2. qu. 7. Si quis. — Dist. 12. Præceptis apostolicis. — Dist. 45. Licet plerumque.]

Ivo part. 5. cap. 368.

lentia quàm severitas, plus cohortatio quàm comminatio, plus caritas quàm potestas, cùm nemo nostrum sine reprehensione aut sine peccato vivat. Nam si Dominus statim post trinam negationem beatum præceptorem nostrum apostolum Petrum judicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset. Expectandi ergo magis sunt atque corrigendi Rectores Ecclesiæ, quàm statim & absque nostro consultu judicandi: cùm majora negotia & difficiliores causarum exitus sanctorum Patrum Canones spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati, jubeant sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nostroque moderamine finire. Unde necesse est hæc & alia ecclesiastica quæque negotia post multarum experimenta causarum sollicitiùs prospici, & diligentiùs præcaveri: quatinus per spiritum caritatis & pacis omnis materies scandalorum, & præsumptio invidorum, atque oppressio simplicium fratrum de ecclesiis Dei auferantur. Et sicut non vult quisquam fratrum se aliorum judicio prægravari, ita non audeat aliis inferre quod sibi non vult fieri, reminiscens præcepti Domini Salvatoris, quo ait: *Nolite judicare, & non judicabimini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Nihil ergo per nostram facilitatem tribunalis excelsi judicio derogare debemus, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt: & aliter necessitatis tractanda est ratio, aliter voluntatis. Nullum enim intentatum * reliquit inimicus. Idcirco succurrendum est irretitis. Conterendus est ergo venantis laqueus, ut fugatis lamentationibus tam justitiæ moderamine, quàm compunctione pietatis, apostolica auctoritate sol lætitiæ in oculis splendeat corruentium. Nec pigeat forsitan aut pudeat nostris obedire mandatis, aut apostolicæ sedis obsecundare præceptis: quia humilibus datur gratia, non superbis. Nam nulli fas est vel velle, vel posse transgredi apostolicæ nec nostræ dispensationis ministerium, quod vestram sequi oportet caritatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis: nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris à sancto fiat ministerio. Non de ejus judicio quisquam postea curam habeat: quoniam jam damnatus à sancta & apostolica ecclesia hac auctoritate suaque inobedientia atque præsumptione à quoquam esse non dubitatur: quia majoris excommunicationis dejectione est exigendus, cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerat disciplina. Qui non solùm prælatæ sanctæ Romanæ ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam aliis ne præterirent insinuare: sitque alienus à divinis & pontificalibus officiis, qui noluit præceptis obtemperare apostolicis. Maneat itaque memoratus Aldricus hac apostolica auctoritate usque ad præsentiam sedis apostolicæ semper Episcopus, nec antequam huc veniat, talium aut aliorum verborum curet * nocivis, neque eorum succumbat judicio, aut ullam sævam suscipiat sententiam, nec nobis, sicut illis, quod minimè arbitramur, inobediens existat, prædictæque apostolicæ (si voluerit) sanctæ Sedis, & necesse fuerit, appellet Antistitem, & ad eum liberè absque ullius pergat impedimento, nec constringi, nec judicari, vel damnari à quibusdam possit Episcopis, qui apostolicis fuerit fultus auctoritatibus. Quanto magis * ab illis, si factum (quod fieri non credimus) fuerit, qui eorum inobedientiâ atque protervia præfata jam sunt damnati auctoritate? quia non aliter persecutores fratrum, neque sanctæ Sedis jussionibus, cui omnis orbis caput inclinat, inobedientes corrigere, nec regere juxta præcedentium Patrum exempla possumus, nisi eos zelo fidei dominicæ persequamur, & à sanis mentibus,

* *al.* intemeratum.

Ivo part. 5. cap. 22.

Dist. 19. Nulli fas est.

* *al.* verbis intendat.

* *al.* minus

ne pestis hæc latiùs divulgetur, severitate qua possumus abscindamus. Quisquis namque conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram sedis apostolicæ minimè defuturam: & qui monitis noluerit obedire apostolicis, necesse est ut severitatis regula vindicetur, ne aliquis aut faciat, aut fieri sinat, unde alium capiat, vel capiendo decipiat, sibique causas generet, quibus reus decretalibus constitutis fiat. Cavete, fratres, negligere præfata, cavete temerare prohibita, ne prædictis involvamini retiaculis. Nolite sæpedictum fratrem absque nostra, ut dictum est, præsentia aut auctoritate judicare, vel condemnare, aut gravare: sed sicut apostolicis est munitus præsidiis, ita vestris fulciatur auxiliis, sicque ab omni sacerdotalis cartologi laqueo aut oppressione vel judicio humano intactus, & liber usque ad nostrum, ut præfatum est, judicium, qui beati Principis apostolorum Petri meruit adipisci auxilium. Contra caput ergo nolite vos extollere, nolite beati clavigeri Petri, cujus vice pro Christo legatione fungimur, sedem ejusque sedis auctoritatem spernere, nec ejus patiamini offensionem, aut scandalum Ecclesiæ generetis: sed magis solliciti pro fratrum salute & liberatione estote, & pro sanctæ Dei Ecclesiæ salute summopere laborate. Armamini caritate, non severitate. Omnibus vobis ac singulatim occurrat caritas, & vinculis, quæ mille modis à Christo solvuntur, vobiscum pariter in perpetuum connexa lætetur in Domino. Ceterum insectatores fratrum ecclesiastica disciplina comprimere & erudire debetis, qui statuta majorum non tenentes, Dei sacerdotes atque sanctam Ecclesiam, quæ in sacerdotibus maximè constat, Principum & populorum favorem sequentes, & Dei judicium non timentes, sua persæpe violare nituntur præsumptione. His ergo nec factis, nec consiliis, nec manifesto, nec silentio vos oportet præbere consensum, dicente Domino: *Videbas furem & curre as cum eo, & non tantum qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt, rei tenentur.* Illud ergo duntaxat vestram debet mentem vehementiùs excitare, ut ab omni labe sæculi istius immunes ante Dei conspectum & securi inveniamini: ut caritatem non amittentes, adjutores & sustentatores fratrum existatis: quatinus juxta Apostolum unanimes, unum sentientes, permaneatis in Christo, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam judicantes; non hominibus, sed Deo salutari nostro per omnia placentes. Hac ergo caritatis conglutinatione compescite quæso à memorato fratre, si quorumcumque cognoveritis animi insidias ac æmulationes, eisque dare quoquomodo nolite consensum, quod omnibus duris rebus durius arbitramur. Si quo pacto conversationes non haber amabiles, habendus tamen pro reverentia sancti Petri, cujus munitur auctoritate, dilectus. Non novum aliquid præsenti jussione præcipimus, sed illa, quæ olim videntur indulta firmamus: cùm nulli dubium sit, quod non solùm pontificalis causatio, sed omnis sanctæ religionis relatio ad Sedem apostolicam, quasi ad caput ecclesiarum, debet referri, & inde normam sumere, unde sumpsit exordiũ, ne caput institutionis videatur omittere, cujus auctoritate sanctificationem omnes tenent sacerdotes, qui nolunt ab apostolicæ petræ, supra quam Christus universalem fundavit Ecclesiam, soliditate divelli. Si quis hæc apostolicæ sedis præcepta non observaverit, percepti honoris hostis esse non dubitetur. Sed fortè vos vestrique præceptores in hodierno non reluctati sunt: & ne quando contingat ut reluctentur, idcirco denuo repetentes sæpius admonemus, ut vitentur qui hujusmodi fratres turbare nituntur, & prohibeantur aliud quàm

Dist. 12. § Non novum.

A. alieis

ille noster jussit agricola seminare. Nam qualiter nos, qui neminem volumus perire, hi contristent, qui electorum percellunt animos, Dominicus in Evangelio sermo testatur. Ait enim Salvator ipse, quòd expediat scandalizanti unum de pusillis istis, in maris profunda demergi, & cetera quæ ad hunc sensum pertinent. A quibus non solum Sacerdotes, sed omnes Christiani se cavere omnino debent: quoniam Sacerdotes, qui Throni Dei vocantur, quieti ab hominum perturbationibus esse debent. Nec abs re ipse Salvator vendentes columbas, & nummulariorum mensas proprio flagello evertit, & projecit è templo. Unde liquet, summos Sacerdos ipsius expectare judicium. ad cujus rei confirmationem plurimum valet quod alibi inquit: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.* Et reliqua talia, quæ in suis inveniuntur actoribus. Illi ergo, qui nos speculatores esse voluit, excusari non possumus, si fratres quos tueri & adjuvare pro viribus debemus, improba fœdari contagione permittimus. Unde hortamur dilectionem vestram, obtestamur, & monemus, ut qua debetis & potestis sollicitudine, super his vigiletis, quia in specula esse debetis, ne qua infestantium prorumpat audacia. His ergo pro viribus resistite, quia nefas est prædicta religiosos pati fratres, quorum afflictione, quia membra sunt nostra, nos quoque convenit macerari, crucemque juxta Domini salvatoris vocem ferre, qui ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quamquam maneat his beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter justitiam sustinere. Quibus quid promittat ipse Salvator in futurum, sequens sermo declarat. Intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ita demum, probare poterimus, si quibus manum porrigimus, vos nobiscum porrigitis: ut cui & vos manum porrigetis, vobiscum porrigamus: quia non aliter unus grex & unus pastor sumus, nisi quemadmodum Apostolus docet dicens, *Idipsum dicamus omnes, simusque perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.* Deus vos incolumes memores nostri custodiat, fratres carissimi. Data Coblambur viij Idus Julii, Indict. xj, feliciter in Domino, amen.

Quod si David Regum justissimus in Saül, quem constabat jam à Domino reprobatum & abjectum esse, manum mittere non præsumpsit; multo magis cavendum est, ne manum detractionis, aut vituperationis, seu indiscretionis, aut dehonorationis quidam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Dei Ecclesiæ. Quod omnibus fidelibus, omnibusque Dei ordinibus summopere cavendum sit, ne clanculo aut publicè unctum Domini detractionibus aut vituperationibus dilanient: perpendentes illud exemplum Mariæ, quæ pro eo quod Moysi famulo Domini propter Æthiopissam detraxit, in immunditia lepræ multata sit. Et illud Psalmistæ: *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* In Exodo, cap. LXIX. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.* In eodem cap. LXXIII. *Non suscipies vocem mendacii.* In eodem, cap. LXXIV. *Nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium.* In eodem, cap. LXXV. *Non sequeris turbas ad faciendum malum.* In eodem, cap. LXXVI. *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.* In eodem, cap. LXXVII. *Pauperis quoque non misereberis in negotio.* In eodem, cap. LXXX. *Non declinabis in judicium pauperis.* Beda in Apocalypsim: » Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Hæc propter falsatores dixit, non propter eos qui simpliciter quod sentiunt dicunt.

Domnus igitur Aldricus acceptâ apostolicæ auctoritatis epistolâ sedi suæ restitutus, cùm annos XXI jam Cenomannensem rexisset ecclesiam, in pace defunctus est, & in ecclesia sanctorum martyrum Vincentii & Laurentii honorificè sepultus. Post cujus obitum ingens motus & irruptio vehemens paganorum non solum in nostram, sed & in omnes finitimas regiones facta est. qui omnia ferro & igne vastantes, magnam stragem de populo Christiano dederunt: & non solùm laïcos, sed etiam clericos & monachos plurimos crudeliter occiderunt, ecclesias Christi subvertentes, & omnia sancta loca bestiali sævitia destruentes. Quod si quis pleniùs investigare desiderat, in gestis & annalibus Regum Francorum sufficienter poterit invenire.

XXIV. De Roberto Cenomannensi Episcopo.

Per idem tempus domnus ROBERTUS, vir magnæ religionis & prudentiæ, communi omnium assensu Episcopatum Cenomannicum suscepit. qui & ipse non solùm à prædictis paganis, sed etiam à Britonibus, & ab his qui ei subditi esse debuerant, magnam persecutionem sustinuit. Nam monachi monasterii sancti Karilefi ab jure Cenomannicæ matris ecclesiæ se subtrahere cupientes, indignationem Regis Karoli & Episcoporum regni ejus adversus eum vehementer commoverunt; pro eo scilicet quod ipse contra voluntatem ipsorum in jus atque ditionem ecclesiæ suæ laborabat præfatos monachos modis omnibus revocare. Sed ipse Domni NICOLAI Papæ auctoritate & auxilio fultus, cujus gratia & familiaritate propter probitatem suam admodum fruebatur, omnium æmulorum suorum insidiis & infestationibus viriliter restitit, & eosdem monachos, licet pertinaciter resistentes, antiquo ecclesiæ suæ dominio atque potestati non absque grandi labore subdidit ac substravit. Cujus rei evidentissimum præstant indicium epistolæ præfati Papæ, quas Karolo Regi Francorum & Episcopis regni ejus, necnon & monachis sancti Karilefi pro ejusdem Episcopi auxilio & defensione direxit: in quibus eosdem monachos de inobedientia & contumacia sua vehementer increpavit, & ut secundum sanctorum Patrum institutiones proprio Episcopo subderentur, apostolica auctoritate monuit & præcepit. Ipse enim in tantum præfati Papæ gratiam fuerat consecutus, ut idem Papa eum nimio amore diligeret, & ei scrinium eburneum cum sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, ac beati Ambrosii Mediolanensis Episcopi, & aliorum sanctorum sacrosanctis reliquiis transmitteret, quas idem Episcopus cum quo decuit honore, & totius cleri vel populi festiva gratulatione suscepit, & in sinu matris ecclesiæ futuris temporibus profuturas cum debita reverentia collocavit. Epistolas autem præfati Papæ, & aliorum apostolicorum virorum, quæ sibi pro consolatione & tuitione ecclesiæ suæ directæ fuerant, in quodam libro collegit, easque ad posterorum memoriam in armario matris ecclesiæ statuit reservare: in quo videlicet libro multa de actibus ejus inveniuntur inserta. Præterea sciendum est, quòd ipse matrem ecclesiam, à paganis incensam, diligenti studio renovavit, & ex consilio Romani antistitis jam denuo celeberrimè consecravit. Sedit autem in episcopatu annos XXVJ. quibus expletis, felici consummatione carnis sarcina deposita, ad cælestis vitæ patriam, sicut credimus, est translatus, sepultusque est in ecclesia sanctorum martyrum Vincentii & Laurentii.

XXV. De Lamberto Cenomannenſi Epiſcopo.

CUi ſucceſſit domnus LAMBERTUS Epiſcopus, & ſedit in epiſcopatu annis vj. qui magnis perturbationibus oppreſſus, nullam actuum ſuorum memoriam poſteris dereliquit.

XXVI. De Gunherio Cenomannenſi Epiſcopo.

IN cujus locum GUNHERSUS venerabilis Epiſcopus ſubſtitutus eſt, qui perverſorum hominum & ſolo nomine Chriſtianorum tribulationibus & anguſtiis intolerabiliter oppreſſus, & omni humano auxilio deſtitutus, in hanc poſtremo querimoniam & lacrymabilem vociferationem erumpere compulſus eſt.

Audite, amatores Chriſti & juſtitiæ, audite Reges terræ & principes, audite ſcelera & inaudita mala, mihi Gunherio indigno Cenomannicæ eccleſiæ Epiſcopo, & univerſæ mihi commiſſæ eccleſiæ a ROTGARIO nefando viro, & à ſuis multipliciter illata, qualia à Chriſtianis * nec perpeſſa eſt parochia. Quanta verò ſint, nec verbis, nec ſcriptis ullo modo comprehendi aut explicari queunt. Rapinæ ſiquidem ab eis tamquam pro lege tenentur: adulteria, ſacrilegia, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & reliquæ divinæ legis prævaricationes ſine ceſſatione fiunt. Nam cùm primo iſdem Rotgarius noſtram adiit parochiam, irruens in quamdam noſtræ eccleſiæ villam, nomine *Balian*, quæ præcipua ex noſtræ eccleſiæ villis habebatur, quidquid inibi reperire potuit, devaſtavit atque diripuit. Nefanda quoque & inaudita ſcelera ibidem ab eis perpetrata noſcuntur. Mulieres verò à propriis maritis violenter auferebant, & inceſta maculatione fœdabant: ipſos quoque feminarum viros tamdiu diverſis affiiciebant tormentis, donec pro ſe & uxoribus ſuis redemptionem darent. Homines namque ipſius villæ univerſos fugavit; & in tantum afflixit, ut vix ibi perpauci homines remanerent. Multa etiam ſacrilegia & innumera adulteria inibi ab eis perpetrata ſunt. Denique is cùm noſtram irruiſſet civitatem, & eam ingenioſè quibuſdam fraudulenter conſentientibus fuiſſet ingreſſus cum ſuis, quantas in eadem civitate & juxta eccleſiam in manſionibus clericorum prædas tunc egerint, & qualiter univerſa ſtirpitus deprædantes evacuaverint, indicibile habetur. Sicque poſtea adeo ipſius præfati tyranni & ſuorum inſolentia tumorque efferbuit, ut nec timore, nec amore Dei, nec reverentia cujuſquam à cœpta poſſint inſania cohiberi. At ubi in eadem urbe à ROBERTO & à Regis fidelibus obſeſſus eſt, nobiſque ad Regem inde egreſſis, omnem ſubſtantiam noſtram & noſtrorum, & omnia quæ in ipſa eccleſia incluſa ob refugium omiſeramus, diripuit ac devaſtavit: vinum quoque & muratum juxta altare poſitum, nuſquam Deo & ſanctis ejus dans honorem, violenter abſtulit; cuſtodes etiam ipſius eccleſiæ meæ abjiciens, & ſuos homines ad cuſtodiendum ponens, & ad ſuum ſuorumque dominium ipſa ſanctorum ſacra nequiter ac ſacrilegè uſurpans. Ipſa etiam civitas tota, & omnes eccleſiæ ob ipſius irrevocabilem perfidiam tamdiu ab Epiſcopia generaliter à Miſſarum ſollemniis & ab officio divino excommunicatæ manſerunt, quamdiu ipſe ſacrilegus & ſui in eadem pertinacitate, & feritate ſteterunt. Ipſas quoque excommunicationes Epiſcoporum & anathemata quantum contempſerint, & pro nihilo duxerint, rei exitus indicavit; cum ingreſſu ſuo ex noſtra civitate vinum & annonam noſtram & omnia noſtra & omnium noſtrorum, ſine timore & reverentia Dei conſumpſit penitus, ac immiſericorditer devaſtavit. Ceterum poſt hæc Robertus Comes civitatem noſtram ingrediens recepit eam, & dedit eam Gauzlino. Ipſe autem Gauzlinus pacificatis, & in ſuam fidelitatem omnibus adunatis, cùm inde egreſſus eſſet, RAOULFUS & reliqui, qui ad Rotgarii fidelitatem tendebant, congregantes ſe in unum, noſtros homines & omnes Gauzlini fideles à civitate ejecerunt, ipſamque civitatem violenter tenere & dominari cœperunt, & veluti beſtiali more ſævientes, abſque timore Dei univerſa vaſtaverunt: clericorum & noſtrorum hominum manſiones iterum invaſerunt, & omnia illorum ſuæ ditioni mancipantes, eos ab ipſis manſionibus projecerunt. Portam quoque & omnes ipſius civitatis aditus ita nobis clauſerunt & obſtruxerunt, ut nec aqua deforis, nec cetera neceſſaria à noſtris ullo modo deferri potuiſſent. Me quoque, qui eos caritatis ſtudio ab errore ſuo corrigere dicebam, ita abominatum & exoſum habebant, ut nec loqui nobiſcum ullo modo vellent, & alios mecum loqui prohiberent. Preſbyteros paroch iæ noſtræ, qui in capite jejunii pænitentes ad pænitentiam ſuſcipiendam adducebant, nec portam ingredi ſinebant; ſed potius intrare volentes crudeliter dehoneſtantes percutiebant. Rotgario denique regreſſo, & ab eis in civitate ſuſcepto, memetipſum (quod eſt gravius & immanius) extra civitatem noſtram expulerunt, & ante portam ipſius civitatis lapides ſuper me projecerunt, & circa me atque meos ferina & beſtiali immanitate deſævierunt, mea meorumque omnia devorantes & devaſtantes. His ita pro tantis factis atrocibus Seniorem noſtrum, & Archiepiſcopum, & reliquos Epiſcopos conſulere non diſtulimus, quid nobis agendum deinceps foret. Poſtquam autem ad Regem perreximus, villam ſedis noſtræ nequiter invaſit, & ſuis hominibus diſperſit, omneſque fruges eorum ſibi uſurpavit, & ad ſuum ſuorumque dominium revocavit. Ipſos homines villarum diverſis tormentis afficientes effugaverunt, & villas deſertas fecerunt, vineas ceciderunt & arbores, manſiones univerſas deſtruxerunt, & omnia uſque ad ſolum diſſipaverunt. Populum Dei humiliaverunt, & hereditatem ejus vexaverunt, viduas & advenas interfecerunt, & pupillos occiderunt. Infra quoque ipſam civitatem nec Deo honorem deferentes, nec religioni vel ætati parcentes, manſiones rurſus clericorum noſtrorum omnium invaſerunt, omnemque ſubſtantiam eorum, & univerſa quæcumque repererunt, penitus diſſipantes, & multas manſiones ibidem deſtructas reliquerunt. Noſtris autem ſummis neceſſitatibus Regi & Epiſcopis intimatis, miſerunt legatos ad eumdem Rotgarium, ut Deo, & nobis, & eccleſiæ noſtræ ſatisfacere, & perpetrata mala ſecundum jus emendare procuraret, ſi ſocietatem Chriſtianorum deinceps habere voluiſſet. Quorum adhortationibus acquieſcens, promiſit ſe quantocius emendaturum, & pro poſſe ſuo ſatisfacturum. Sed cùm has promiſſiones ex toto ſecundum morem ſuum neglexiſſet, miſimus & vocavimus eum, non ſolum bis, ſed etiam frequenter, ad pænitentiam & ſatisfactiones. Quas vocationes cùm ſuperbè contempſiſſet, conſilio Regis & Epiſcoporum uſi atque freti, eumdem Rotgarium cum ſuis juxta auctoritatem canonicam excommunicavimus, & anathematis vinculo innodavimus. Unde iſdem neceſſitate compulſus, & excommunicatione conſtrictus, obtulit & mandavit emendationem, licet ſubdolam, ſicut rei exitus modò indicat, & totis viribus Deo & nobis ſe ſatisfacturum proteſtans. Nam antequam ſe noſtræ præ-

* Paganis.

sentiæ exhibuisset, ad matrem ecclesiam nostram sua sponte discalceatis pedibus cum suis veniens, ad altare accedens, promisit se à malis deinceps cessaturum, & de præteritis juxta vires emendaturum. Post hanc verò promissionem adeuntes quidam de suis quamdam ecclesiæ nostræ villam, ibique hominibus ipsius villæ plaga crudeli percutientes, pluresex eis gladio interfecerunt, alios autem in fugam verterunt, ipsamque villam ad nihilum penitus redegerunt. Porro cùm isdem Rotgarius per legatos suos iterum emendationem postulasset, considerantes ipsius perditionis interitum, simulque commoti instincta totius lacrymantis populi, ad civitatem usque devenimus. Sed his promissionibus continuò ab eo neglectis, nec civitatem ingressi, nec cum eo locuti sumus, nec ullam emendationem ab eo percepimus, de loco unde venimus regressi sumus. Et licet eadem frequenter petisset, & semper neglecta remansissent; præcipuè ob plebis nobis commissæ salutem & utilitatem, ad civitatem nostram devenimus; ibique cum magno cleri & totius populi desiderantis gaudio suscepti, ecclesiam simul ingressi, oratione finita, ac benedictione accepta, ad propria alacriter sunt reversi. Altera demum die venit Rotgarius cum suis in nostram matrem ecclesiam, nobis adstantibus & omni clero quasi promissionis suæ vota redditurus, & ea quæ nequiter gesserat, pro posse emendaturus. Humilitatem nos in voce intuentes, sed in corde superbiam occultam non agnoscentes, auditis tamen hujusmodi sponsionibus humillimis, cœpimus flecti ad misericordiam, juxta Domini præceptum dicentis: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* & iterum: *Date & dabitur vobis: dimittite, & dimittetur vobis.* Verùm nos tanta ejus humilitate audita, & emendatione, quæ ore profitebatur; non potuimus eum cum suis penitus abjicere, nec vinum asperitatis ultra modum propinare: sed oleo dulcedinis & pietatis ad ipsius pravitatem animandam, ne desperationem facere videremur, delinire curavimus; & sic sponsionibus & in Christo firmatis promissionibus, sinu eos materno copulavimus, & sanctæ communionis gratiæ restituimus usque ad generalem Episcoporum audientiam de hujusmodi negotiis consulendam. Denique his promissionibus inter nos ita inviolabiliter firmatis, cum pace & concordia ab illis recessimus; & Rupiacum nostrum pro nostra necessitate pro parte curavimus. Omnium denique promissionum & sponsionum memoratus Rotgarius oblitus,& prævaricator, & tamquam horribilis canis ad primum vomitum reversus, ad prima flagitia & diversa sacrilegia omnes promissiones irritas faciens, sine timore & reverentia Dei nos ubique prospicientis, quotidie cum suis perpetrare non desiit: videlicet ecclesias violando, in Sacerdotes crudeliter sæviendo, homicidia perpetrando, pauperes Christi famis gladio interficiendo, & eorum substantias, & ultra modum in Christianos debacchando. Difficile est enim tantorum scelerum enormitatem per singula ..... propter tædium maximè audientium. Nam cùm in Rupiaco aliquamdiu moras egissemus, denuo ad nostram civitatem pro Paschali sollemnitate & nostro ministerio peragendo regredi cupientes, ab ipsis, in quibus confidebamus, intrare prohibiti sumus; ita ut nec chrisma juxta morem ecclesiasticam infra civitatem conficere, nec pænitentium reconciliationes agere valuissemus. Post ipsius verò Rotgarii profectionem, nos maximè propter timorem paganorum, & propter populum ejusdem civitatis ad nos confluentem, juxta murum ipsius urbis manere & habitare inviti & coacti cœpimus, ubi multa opprobris & irrisiones & violentias Rotgarii ab ipsius hominibus qui in eadem civitate remanserant, multipliciter sumus perpessi, lapidum & ..... jactibus ab ipsis diversis nobis illatis. Postremo cum eorum insolentias & vexationes nimias ultra modum tolerare nequissemus, & ipsi nos compellerent inde abire; loca propria & civitatem cum luctuoso suspirio relinquentes, recessimus ab eis, flente & lugente clero, & universo populo, de sui pastoris absentia & lacrymabili recessu. Nos verò de medio Babylonis fugientes, & salvare animas nostras cupientes, ad loca refugii opportuna properare curavimus. Quantas denique tribulationes, & quanta damna & discrimina usque modò perpessi sumus, & cotidie perpatimur à malitia Rotgarii & suorum, nec verbo, nec scripto humana lingua exprimere valet. Unde quantum sic hoc scelus terribile & immane & penitus inauditum; nullâ est patientiâ ulli Christiano tolerandum, maximè ob injuriam Christi & sanctorum ejus Canonum conculcationem. sed pro tanti sceleris temeritate temporibus nostris exorti, spiculo ferebretur divino, & pax ecclesiastici ordinis inviolabiliter ab omnibus custodiatur.

XXVII. De Huberto Episcopo.

QUisquis perpetuæ retributionis, supernorum quoque civium existere desiderat particeps, necesse est ex rebus transitoriis, quas in hujus peregrinationis miseria possidet, superno eas remuneratori largiendo, sanctæ Dei Ecclesiæ, ut dignè ei servientibus delegando, indeficientis felicitatis sibi præmium mercari studeat. Quod etiam scripturarum serie taliter oportet alligari, quatenus nequeat per futura tempora violari. Quamobrem ego HUBERTUS Episcopus in nomine sanctæ Trinitatis, considerans labentis ævi deceptiones, meorum quoque peccaminum enormitatem perpendens, atque districti examinis debitas metuens injurias, futurorum etiam bonorum adipisci desiderans inenarrabile gaudium: & quoniam in carne manens, jam fatæ ecclesiæ bonis usus fui, pro viribus me remuneratorem fore vel exiguum studui. Dono denique vineam, quam ædificavi prope civitatem, loco nuncupato in monte sancti Johannis Baptistæ, alio fronte fontana sancti Domnoli, tertio fronte via publica, quarto fronte vallis super fluvium Sartæ. Sunt agripenni quatuor desuper ædificati, vinea optima, in honore Dei & sanctæ Mariæ, Gervasii & Protasii, simul quoque sancti Juliani cum sociis eorum, quorum non est numerus, sed Deus scit nomina, ea devotione ædifico, ut in Canonicorum ibidem Deo famulantium usibus consistant, & irrefragabiliter permaneant, quatinus eorum assiduis precibus tam ego, quàm & prædecessores Deum propitium habere possimus, supernorumque civium cœtum adjutorem sentiamus, vel uti in die tremendi examinis ultrices pœnarum flammas evadere, & veniam peccatorum consequi valeamus. Si verò (quod minimè fieri credo) emissa persona adversus hujus meæ desiderantissimæ devotionis ac saluberrimæ oblationis auctoritatem quidpiam calumniæ conatus fuerit inferre, sit maledictus in civitate, maledictus in agro, maledictus & ante & retro, maledicta viscera ejus & omnia interiora ventris illius; Dei quoque iram omnibus modis incurrat, atque sanctos Dei omnes, quorum exstitit insultator, in cunctis suis actibus contrarios sentiat: pœnis etiam infernalibus tradatur cum diabolo perpetuo cruciandus. Interea quod cupit minimè perficiat; sed hoc verò testamentum ut per diuturna tempora conser-

vetur, atque in omnibus ſtabile perduret, manu propria confirmavi, & nobilibus meæ regionis viris confirmandum tradidi.

XXVIII. De Mainardo Cenomannenſi Epiſcopo.

DOmnus MAINARDUS Epiſcopus Cenomannica generoſitate exortus, germanus cujuſdam Vicecomitis Cenomannicæ civitatis fuit. Hic primùm ſæcularibus deditus rebus, filios & filias multas habuit: & tam idiota ab omnibus æſtimabatur, ut non clericus, ſed laïcus putaretur. Sed cùm diu Cenomannica civitas ſine Pontifice permanſiſſet, & multi per pecuniam Epiſcopatum habere vellent; nonnulli verò per litterarum aſtutiam dignos epiſcopatus ſe eſſe profeṛrent; Dominus qui infirma mundi elegit ut fortia quæque confunderet; & ſecundum quod ſcriptura narrat, quia melior eſt ſimplex ruſticitas, quàm ſuperba prudentia, elegit virum ſcienter inſcium & ſapienter indoctum, domnum videlicet Mainardum, in Epiſcopum, conſentiente clero ſimul & Rege illius temporis atque populo, ob humilitatis & innocentiæ magnitudinem, volente Deo, conſecratur Epiſcopus. Quanta verò vel qualia in Epiſcopatu geſſerit bona, aut quæ Canonicis eccleſiæ ſuæ largitus eſt dona, audiamus. Poteſtatem curtis Genardi, quæ ei jure ex patrimonio debebatur, cum lucis & vineis, & pratis, & omnibus conſuetudinibus ad ſe pertinentibus, dedit ſuis Canonicis: eccleſiam ſancti Johannis terræ illi contiguam item dereliquit Canonicis ſuis. Parochiam verò Taciaci cum eccleſia, & villam quæ nominatur Aveſ.lla, cum maiſnilo quod dicunt Flameiacum, & altero quem nominant Savivarium, cum tertio quod convocant Ulmetellum, hoc totum ſuis Canonicis delegavit. Paruchiam autem cum eccleſia, quæ Septem-Forgas nominatur, & Linaria cum eccleſia & Marciliacum cum eccleſia, & Chariſiacum cum eccleſia, aliaque plura dona, quæ hîc præ tædio non inſerimus, iidem vir bonus ſuis donavit Canonicis. Item terram, quæ vocatur Vicetus, dedit eis Eccleſiam verò matrem die feſtivitatis ſancti Silveſtri Confeſſoris dedicavit, atque ornamentis variis decoravit. Tabulam namque argenteam ante altare ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii politam, ea novo fabricari conſtituit, atque ante altare idem ſanctorum decentiſſimè poſuit. Patroni almi corpus, beati videlicet Juliani Epiſcopi, ex theca vetuſtate conſumpta extraxit, & in nova deargentata, in qua nunc eſt, ſapientiſſimè collocavit. Ornamenta quoque eccleſiæ convenientia, ſcilicet cruces, candelabra, calices, & thuribula, necnon & pallia parieti pendentia, atque veſtimenta levitica, ſeu etiam ſacerdotalia, & omni ætati omnique gradui eccleſiæ concordantia, ſanctæ matri eccleſiæ abundanter tribuit, & ordinationes clericorum in parochia ſua multas peregit. Vixit autem in epiſcopatu annos XX, menſes V., dies III, ac mortuus eſt VIII Junii, & ſepultus in eccleſia ſancti Vincentii martyris, quæ conſtructa olim à Domnolo Epiſcopo ſancto, in qua & ipſe corpore requieſcit.

XXIX. De Segenfrido Cenomannenſi Epiſcopo.

DEfuncto autem Mainardo Epiſcopo, domnus SEGENFRIDUS, vir infelicis vitæ, & per omnia vituperabilis, vacans Epiſcopium & ipſe ſuſcepit. qui quamvis parentibus nobilibus ortus, tamen opera mala geſſit in Epiſcopio, & quidquid Mainardus anteceſſor ſuus ædificavit, hic è contrario per omnia deſtruxit. Nam antequam eſſet ordinatus Epiſcopus, cæpit & ipſe deſtructor eſſe eccleſiæ. Nam curtam anteceſſorum Epiſcoporum, quam Colonias vocant, Fiſcalinorum admodum plenam, mille libris denariorum & plus valentem, & villam, quam Diſiacum nominant ultra fluvium Ledum, dedit FULCONI Andegavorum Comiti, ut ſe apud Francorum Regem de epiſcopatu fideliter adjuvaret. Impetrato autem quod eſſet Epiſcopus, & in ſede jam poſito, oritur contentio inter eum & HUGONEM Cenomannenſium Comitem. quibus litigantibus, exivit Præſul ſine conſilio à civitate ira plenus. qui exiens cauſa vindictæ, venit ad BURGARDUM Vindocinenſem Comitem; & quidquid Comes Hugo vel ipſe in eum dixerit aut fecerit, illi refert. Domnus verò Segenfridus apud eum diu commorans, dedit ei ſexaginta quatuor altariorum revelationes, ſynodus, & circuitiones, inſuper eaſamenta eccleſiæ magna, ſcilicet Cledeis & Alneteis, Pontiacum, & Artineis, atque Ruilliacum vicum, & multa alia, quæ propter prolixitatem prætermittimus. quæ omnia tempore prædicationis novæ beato Juliano ſunt tradita. tali videlicet firmitate ei tribuit, ut nulli deinceps Epiſcoporum in dominium habere liceret; ſed ipſe Comes & heredes ſui de Epiſcopis tenerent, ſi guerram Hugo Cenomannenſium Comes propter eum arriperet. qui ejus querimoniam vel promiſſionem audiens, promiſit ei adjutorium ſe facturum. Inito autem certamine, vidit Epiſcopus ſibi nihil proficere, ſed magis guerra contra ſe convaleſcente ad detrimentum ſui, non ad honorem, ut priùs poſſet, fecit pacem cum Comite. Et quidem ſatis juſtè, ut qui ad arma divina recurrere noluit, ab armis ſæcularibus non potuerit adjuvari. Ille tamen, ut potuit, in ſedem reverſus, cùm deberet pro rebus eccleſiæ à ſe perditis culpam recognoſcere, & pro tanto facinore peccata deflere, prô dolor! ad cumulum damnationis ſuæ accepit mulierem, nomine HILDEBURGAM, in ſenectute, quæ ingreſſo illo ad ſe concepit, & peperit filias *. quibus mortuis, unus ſuperſtes, nomine ALBERICUS, remanſit, quem adultum ditavit pater rebus eccleſiæ. Duodecim namque Canonici ſancti Vincentii martyris habebant duas villas, quarum una vocatur Sarciaens, & altera Colongiacus, quas olim Domnolus Epiſcopus de jure ſuæ ſedis eis dederat. His ſupradictis Segenfridus falſa emptione, pretio ſcilicet decem & octo librarum denariorum, eccleſiam ſpoliavit, & filio tradidit. Eccleſia verò ad inſtar villanæ eccleſiæ redacta, uno tantùm colitur Sacerdote, fame diſperſis ubique Canonicis: & qui deberet ſpirituales filios in unum congregare, pro carnali è contrario & ipſe diſperſit. Villulam namque, quæ Mantula nuncupatur, ultra fluvium Sartæ, cum eccleſia ſancti Albini, ipſam tulit Canonicis ſuis, & filio tribuit. Audivimus miſerabilem ejus vitam: audiamus pariter & finem. Quadam enim die cum ægrotare cœpiſſet, placuit ut ſanguinem minueret. qui dum eſſet flebotomatus, nocte ſecuta dormivit cum Epiſcopiſſa, qua de re cœpit vulnus intumeſcere, & dolor uſque ad interiora cordis devenire. Videns verò Epiſcopus ſe ad occaſum jam pertrahi, poſtulavit ad ſanctum Petrum Culturæ ſe monachum fieri. qui dum eſſet factus monachus, ſtatim mortuus eſt. Vixit autem in epiſcopatu annos XXXIIJ, menſes IJ, dies XVJ, & ſepultus eſt in eccleſia ſancti Petri Culturæ, quæ olim eſt ædificata à Bertranno Epiſcopo, in qua & ipſe corpore requieſcit.

* l. filios & filias.

XXX. De Aveſgando Cenomannenſi Epiſcopo.

SEpulto autem Segenfrido Epiſcopo & monacho, domnus AVESGAUDUS nepos ipſius ſedem epiſcopalem ſuſcepit. Hic ab HERBERTO Comite Cenoman-

nensi propter injuriam ecclesiæ suæ, quam illi faciebat, multa adversa passus, omnia mirabiliter sustinuit, & quamvis malus à multis diceretur in tempore, tamen castus habebatur in corpore. Postquam autem ordinatus est Episcopus, gravis infirmitas hac occasione orta est ei in naribus. Die etenim quadam contra ocdincia suum dum pergeret venatum, cervum canes fugare cœperunt. Episcopus autem dum clangendo persequeretur, cecidit de caballo super faciem, fortiter percussus in naso: quo ulcere non potuit sanari diebus vitæ suæ. Et certè satis justè, ut qui contra regulam operatus est, à justo judice in propatulo percussus est. Nec longum post tempus, accidit ut faceret Episcopus castellum causà refugii, nomine Dunellum. Quo firmato, venit nocte Herbertus Comes cum multitudine equitum, & cepit illud vi, atque destruxit ante diluculum. Pro qua re petivit Præsul Belismum fratris sui Guillelmi Castellum, & inde excommunicavit Herbertum Comitem, totumque episcopatum suum; & fecit guerram, sed non prævaluit, qualem potuit fortiorem. Utroque autem pacato, iterum absolvit diœcesim suam, & venit in civitatem ad manendum, in qua diu stans aliquid operatus est. Fecit namque episcopales domos, quæ antea ligneæ fuerant, petrinas, & hospitalitatem pauperum Christi, quæ necdom & loco illo lignea erat, constituit petrinam. Fecit & ornamenta ecclesiæ plurima. Volens autem Episcopus aliquid Canonicis suis dare, nihil habens de dominio quod dare potuisset, tamen caritativè dedit eis medietatem venditionis præbendarum ecclesiæ suæ. Et contra fecit, quod utinam non fecisset. hoc est emit Canonicis suis ecclesiam de Prorigniaco, & ecclesiam de Loiaco, & dedit unam Hildeburgi sorori suæ primogenitæ, & alteram Godehildæ germanæ suæ secundæ. Evenit autem, sicut sæpe evenire solet, ut Herbertus Comes res ecclesiæ rursus invaderet. Videns verò Episcopus se tot injurias non posse sufferre, fugit de civitate, & dedit de rebus ecclesiæ Herbranno cuidam militi doloso pensiones & decimas vinearum prope urbem, & terram eis sancti Pavatii ecclesiam, nomine Mutam: ita tamen ut cum eo contra Comitem Herbertum arriperet guerram. quod se facturum promisit, sed tamen non adimplevit, prodotor! nec postea domum perdidit*. Audiens autem Comes, quod fugisset Antistes, invasit vi domos suas, confregit horrea frumento plena, promptuarium cellarii evacuavit, & quidquid invenit ibi, secum tulit. Nec hoc suffecit ei; sed etiam servos & mancipia Episcopi, & colibertos tamdiu tenuit in carcere, donec cuncta reddiderunt quæ habebant. Quod cùm audisset Præsul, excommunicavit episcopatum, quandiu in contentione fuerunt. propter quod constituit castellum, nomine Firmitatem, super fluvium Idoneæ, ut esset ibi in refugium. Audiens autem Comes, quod Firmitatem firmaret contra eum, ex qualicumque parte potuit, congregavit exercitum, habuitque Alanum fortissimum Comitem Britannorum sibi in adjutorium, & venit ad castellum, & obsedit illud. Ex una enim parte vallaverunt illud Britanni, ex altera Cenomannici. Quid plura? tamdiu ibi steterunt, donec necessitate compulsus Præsul, qui intus erat inclusus, & sui, Comiti reddiderunt. Videns autem Episcopus virtute contra Comitem non posse subsistere, abiit Carnotum ad Fulbertum Episcopum, qui tunc temporis sapientia & sanctitate inter Galliarum Episcopos, velut lucifer inter cetera astra cæli, resplendebat: multum deprecans, ut auctoritate divina, nisi resipisceret, excommunicaret eum. Cujus precibus vir sanctus parens, misit epistolam sale satis conditam, & scripsit in ea, nisi ab hac malitia se temperaret, & rectum ei faceret, excommunicatum, omnimoque damnatum à Domino se crederet. Audiens autem Herbertus, quod vir sanctus excommunicasset eum, mandavit ei deprecatoriis verbis, ut veniret cum Episcopo Avesgaudo in civitatem Cenomannicam, & utrorumque audiret culpam, & suo judicio alterutrum faceret rectum. quod & factum est. Pacato autem utroque, Comite videlicet & Episcopo, rediit Fulbertus Carnotum. Domnus autem Avesgaudus in sede remansit. Illo quoque in urbe residente, iterum atque iterum cœpit Comes irritare eum: & quia, sicut aiunt, duo grossi non possunt in uno sacco conversari, non potuit toties Præsul & tanta opprobria pati: sed abiit ad castellum, nomine Firmitatem, quod Comes ei reddiderat, ex quo tempore cepit illud. In quo diu conversans, & semetipsum lacrymando quòd tam nequiter egisset, reprehendens in corde suo, disposuit Jerusalem se iturum, ibique pro tantis sibi illatis injuriis clamorem ad Dominum se facturum. Apparatu autem magno facto, sicut tanto decet Episcopo, Jerusalem civitatem reginam profectus est. Peractis ab eo orationibus lacrymosis, & sicut excogitaverat, & facultas exposcebat, elemosynarum denariis, ut rediret disposuit. Quo redeunte, Virdunis Lotharienси regno, volente Deo, obiit peregrinus. Vixit autem in episcopatu xlij, & sepultus est honorificè à Ramberto Virdunensi Episcopo in episcopali ecclesia beatæ & gloriosæ Dei genitricis Mariæ, pluribus ab eo ibi relictis donis.

* ʃa rediit.

Fulb. ep. 7.

Charta de fundatione monasterii B. Johannis de Mota.

Hic charta ad supplendas pagellas duas edita est ex fragmentis mss. n. stra Stephanotis.

CUm omnium peritissimus fabricator Deus, &c. Unde ego Suavis Miles hæc mente pertractans vigili, peccatorumque veniam à Domino cupiens promereri, quemdam locum meo tempore constructum à genitore meo piissimo jam defuncto Achardo, necnon genitrice mea piissima adhuc superstite Helvisa, sub honore videlicet sancti Præcursoris Jesu-Christi Domini atque omnium Redemptoris Baptistæque Johannis, venerandorum deinde sanctorum reliquiis plurimorum nobiliter insignitum, juxta castellum, quod jure hereditario dono Senioris mei Gervasii teneo, licentia & permissione ejusdem, cum consensu & unanimi voluntate jam dictæ matris ecclesiæ Helvisæ, fratrumque meorum Harduini, Hugonis, Raynaldi, Rodulfi, ac sororum mearum Helоеdardis, Hilelinæ, Adelæ, Agnetis, Helvisae, omnipotentis Dei amore, cujus absque ulla ambiguitate credimus, munere sumus, movemur, vivimusque, perpetualiter ipsum locum, & quidquid ad eumdem locum pertinet, vel pertinere videbitur, videlicet decimam, vicariam furti, raptus & sanguinis, omnesque insuper omnimodis totius loci reditus & consuetudines, cum ecclesia, & quidquid ad eamdem pertinet ecclesiam vel pertinere videbitur, totam videlicet decimam totius parochiæ sancti Johannis & sepulturam, & primitias, spontaneaque dona; quæ si dabuntur in terris cultis & incultis, cum silvis, & pratis, & aquis ad ipsam pertinentibus, omnesque redhibitiones, quas hactenus in proprios usus tenuimus, omni tempore ab hodierna die, ac deinceps, totum ex integro de jure nostro in potestatem & dominium congregationis monasterii Miciacensis possidendum trado sub nomine Christi & pretiosissimi Protomartyris Stephani, atque eximii ejusdem Domini nostri Confessoris Maximini: scilicet domnus meus Gervasius quæ ibidem proprium tenebat concessit cuncta, & ut idem locus à nobis amplificetur bonis in omnibus, atque ab omni incursione con-

suetudinum permaneat omnimodis tutus; quò inibi degentes Deoque servientes, ac pro nobis monachi Domini clementiam exorantes, vivant quietiùs, & Christo famulatum reddant castissimum libentiùs. Hortatu etiam in hoc, tam ego, quàm dominus meus Gervasius, atque admoniti à supradictæ inclitæ congregationis Patre venerando capitis canitie dealbato, FULCONE nominato, adivimus in cunctis egregium antistitem Cenomannensem AVISGALDUM, Comitemque nobilissimum itidem Cenomannensem HERBERTUM, multimoda id prece deposcentes, quo ipse à Deo Pontifex constitutus, altaris ecclesiæ longè superiùs nominatæ synodales ex toto consuetudines, jam nominati Protomartyris, necnon & egregii Christi hîc modò recitati Confessoris, monachorum conventui ob suæ remedium animæ libens tribueret, nomenque tanti piissimi Confessoris loco vicarii haberetur perenniter. Vir quoque illustris, præfulgens in sæculo divitiis Comes, usque in sui potestate Comitis idem videbatur locus fore, tale commercium à Christo profuturus, ut propriè annueret nequaquam apud eos ulla hujus rei fuit difficultas, quin citiùs quæ petebantur opere efficaci complerentur. Cuncta clericorum namque suprafatus Sacerdos advocata nobili communitate, parique voto atque omnium nostrum desiderio, jam dictus reverendus Comes, laicorum maxima ex parte suorum, convocata nobilium multitudine, necnon domino meo assistente Gervasio, fratribusque ipsius AVISGAUDO, GUILLELMO, ROBERTO, cum ceteris residentibus, atque in hac nobis re pro posse juvantibus, quod petebamus, iidem vir nobilissimus, sæpe vocitatus Comes HERBERTUS voce cunctis intimavit clarissima Antistitis jussu provisoreque omnium piissimo annuente rerum domino tam præsul quàm clerus, Comes etiam ac laicorum populus, istius modi donationem voce dixerunt consona justissimam. Talium itaque tantorumque fretus auctoritate virorum, &c.

XXXI. De Gervasio Cenomannensi Episcopo.

AUdito autem à consodalibus peregrinis, quod mortuus esset Avesgaudus Episcopus, dominus GERVASIUS, vir nulli in regno sapientia & honestate secundus, sedem Avesgaudi avunculi sui gaudenter suscepit. qui cum esset benedictionem adeptus, HERBERTUS Comes, cognomine BACCO, avunculus HERBERTI, qui fuit temporibus Avesgaudi Episcopi, invidiæ stimulo instimulatus, eo quod rebus ditior, vel melior illo diceretur à multis, simulque causa invadendi thesaurum sancti Juliani, per duos annos aditum intrandi prohibuit ei. Expleto autem duorum annorum spatio, recepit eum in sede Herbertus Bacco. Ille verò in cathedra gloriosissime repositus, dedit suis Canonicis dona, quæ nemo alius ante eum dedit, quæ ad recitandum digna memoriæ commendavimus. Primùm dedit ei medietatem thesauri altaris beati Juliani Episcopi, & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, & omnium altarium ecclesiæ Cenomannensis. Omnes verò decimas & omnes census, & omnia suburbana ad illum pertinentia, quæ tunc usque Archiclavi tenere solebant, tribuit eis. Post hæc perpetualiter concessit altaria omnium ecclesiarum, quas hactenus habuerunt, vel a-modo habituri sunt. De patrimonio autem suo dedit idem Episcopus villam prope civitatem, super Idoneæ fluvium sitam, nomine *Benays*, cum duodecim vinearum aggpenis ibidem positis. Dedit & ecclesiam eis quandam in territorio Lepdunis positam, Patriniacum vocatam, dum viveret dimidiam; post mortem verò ejus totam. Sic & universas consuetudines & exactiones, quæ à prædictorum Canonicorum terris patri persolvebantur, pertinentes ad idem castrum *Lie* vocatum. Concessitque Canonicis illam aulam patris sui, sitam in ejusdem prædio, in orientali scilicet civitatis angulo, cum omnibus areis inde nuncatis, infra & extra murum circumquaque adjunctis, cum nemore quod extra murum est. De rebus prædictorum Canonicorum injustè ablatis ejusdem Episcopi studium restituit, scilicet ecclesiam sancti Audoeni in Belino, cum terris in eadem parochia positis; & ecclesiam sancti Martini de Latiniaco, terrasque de illa Wastina, & ecclesiam de Musecna infra quintam Cenomannicam, & ecclesiam sancti Albini cum terris in eadem parochia degentibus, & villam *Gerwelz*, & Marciacum. In pago Cenomannico ecclesiam de Aciaco cum potestate. In eodem pago ecclesiam sanctæ Gemmæ supra fluvium Sartæ, item ecclesiam de Ptoliaco cum eadem potestate, Cutteauram vocatam, & duo molendina in fluvio Sartæ sub muro civitatis posita. Hæc omnia supra exarata partim hereditario jure sunt data, partim commutatione seu redemptione à prædicto Episcopo acquisita, ac regali auctoritate perpetualiter corroborata, & sigillo HENRICI Francorum Regis signata.

Domno autem Gervasio in sede residente, Herbertus Bacco cœpit eum irritare. Videns verò Præsul suum episcopatum nec per Regem, nec per seipsum à Baccone posse defendi; petivit quiddam à Rege Henrico, quod utinam non petisset. scilicet ut daret Episcopatum GAUFRIDO Andegavorum Comiti, solummodo dum viveret, ut liberiùs à Comite Cenomannico illum defenderet: illo etenim mortuo in regiam manum rediret. quod factum versum est in malum. Audiens autem Herbertus Bacco, quod ita Præsul egisset, invidia motus, accusavit eum apud Gaufridum Comitem, multum deprecans, ut ab Episcopatu & honore paterno privaret eum, si posset. Quod cum audisset Gervasius Præsul, consilium iniit cum parochianis & heroibus terræ, dicens illis, ut exheredarent illum Bacconem, forasque civitatem projicerent, & rectum heredem, HUGONEM videlicet, Herberti filium, bonæ indolis adolescentem, omnino honore exheredatent. quod & factum est. Hugone autem apicem Comitatus adepto, monachus effectus est Herbertus Bacco. In tantum autem Pontifex Gervasius dilexit Hugonem, quem de sacro fonte susceperat, ut quæreret ei uxorem, BERTAM videlicet nobilissimam fœminam, Alani Britannorum Comitis olim conjugem. quæ res Gaufrido Comiti valde displicuit, sicut probavit eventus rei. Hugo cum suis militibus propter uxorem abiit: Gaufridus autem Castellum *Lu* igne cremavit. Pro talibus enim factis extunc nimis alter alterum odivit, scilicet & Comes Pontificem, & Pontifex Comitem. Videns ergo Gaufridus quod consilio domini Gervasii Episcopi ad ruinam & ad suum detrimentum Hugo Comes uxorem fortissimam duxisset, Judam portans in pectore, mandavit in dolo Gervasium Episcopum, ut traderet eum: quem traditum misit in carcerem, ac tenuit eum in vinculis usque ad septem annos. sperans se pro hoc castrum *Lu* * habiturum. Sed nihil ei profecit, quia illud bene custodierunt milites castellani. Dum hæc ita se haberent, mortuus est Comes Cenomannicus Hugo, Gervasio præsule adhuc in vinculis constituto. Dominus verò Gervasius de morte Comitis valde est contristatus, & Gaufridus Andegavensium Comes è contrario gavisus. Comite autem Hugone secundum legem Christianorum sepulto, Gaufridus Comes honorem suscepit usque ad decem annos. Cives verò Cenoman

* al. *Lid.*

nici uxorem Hugonia cum infantibus plorantem per unam portam projecerunt, & Gaufridum Comitem gaudentem intrare fecerunt. Cum autem audisset præsul Gervasiua in vinculis quæ fecissent heroes Cenomannici; vitæ diffidens, non habuit aliquam spem ultra vivendi: venit *Annolit*, castellum *Lir* reddidit. Dum hæc agerentur, Comes Gaufridus Gervasium de carcere exire permisit, tali videlicet sacramento, ut quandiu ipse Gaufridua adviveret, intra civitatem Cenomannicam Gervasius non intraret. Cum verò videret Præsul, quòd neque in urbem, neque in castellum suum posset intrare; abiit ad WILLALMUM Normanniæ Comitem, ac quidquid ei Gaufridus fecit, vel quomodo eum tradidit, illi mærens retulit. Quod cum audisset Willelmus Comes, misericordiâ motus, dedit ei aurum & argentum, castella fortia & dona largissima. Dum autem Præsul Gervasius in Normannis apud Comitem moraretur, accidit ut WIDO Remensis ecclesiæ Archipræsul moreretur. Audito autem à Rege Henrico, quod mortuus esset Wido, dedit Archipræsulatum Præsuli Gervasio: qui gaudens suscepit illum, postquam x,x annos Cenomannicam rexit ecclesiam.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego GERVASIUS, sanctæ Cenomannensis ecclesiæ non merito Præsul, dum divina mihi, licet indigno, inspirante gratia, præteritorum reminiscor, spe frui merear certiore, insudandum reor. Quapropter sunt exercenda caritatis opera per dilectionem, in qua Lex pendet & Prophetæ, ut per visibile significetur invisibile, id est qui diligit Deum diligat & fratrem suum. Quis mihi dignius frater sit requirendus, quàm noster clerus, sanctæ matris utero renatus, ejusdemque activis & contemplativis uberibus altus? qui quotidie quantis cassatur crudelium injuriis, memoria nequit teneri. Illud tamen recensendum quod Veritas ait: *Si mundus vos odit, scitote quia priorem vobis me odio habuit.* & Paulus: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Quas omnino vitare non possumus, Petro admonente ante omnia, mutuam in nobismetipsis caritatem continuam habeamus, quæ operit multitudinem peccatorum, & quæ, si perfecta, foras mittit timorem. Item Jacobo: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas remanet in eo?* Ergo filioli mei, hujus ecclesiæ commilitones Canonici, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate; & quæ nobis dedit Deua, compartiamur. Nemo verò velut dives ad mensam sedeat avarus: vos autem ad ostium, ut Lazarus linguâ caninâ linctus. Simul simua Lazari Apostolicâ linguâ lincti, à divite largo micam suscipientes: qui dum ad inferna descendit, non Abrahæ guttam depoposcit, sed ejus sinum reddidit confertum: & ut legem adimpleamus, alter alterius onera portemus. Propitietur Deus, nesciat ut nostra superba sinistra, quid factura sit humillima dextera: sed coram hominibus lux luceat in nobis, ut dum viderint opera bona, glorificent eum à quo processerunt, & à quo omne datum optimum, & omne donum optimum descendit perfectum. Et quia mos fuit semper, & decet, ut quæ memoriis forent retinenda, legali testimonio corroborarentur, & litteris notarentur; si qua vobis distribuo, pergameno describo: similiter & pactum quod à nostris postulo Canonicis, tam præsentibus quàm futuris. In primis pro magna mihi mole peccaminum indulgenda, sanctique antecessoris, & avunculi mei AVESGAUDI requie impetranda, ceterorumque antecessorum nostrorum hujus sedis Episcoporum, necnon genitoris cum genitrice mea, HAIMONIS scilicet & HILDEBURGÆ, cunctorumque fidelium, qui judicaturus est redivivos extrema die; deligamus nostris sumptibus medietatem cunctarum oblationum hujus sanctæ sedis ecclesiæ, vel altarium, cunctasque ibi decimas pertinentes, cunctos census, & suburbia, quæ Archiclavi tenere solebant, exceptâ p oferenda, quam Archicapellanus de manu Pontificis Missam cantantis recepit, vel si aliquid sanctuario datum fuerit ornamentum ecclesiarum, quas canonico victui ..... possidetis altaria distribuimus. De patrimonio autem meo vobis villulam quamdam prope civitatem, super Idoneæ fluvium sitam, nomine *Benais* cum omnibus consuetudinibus terræ pertinentibus, cum xij vinearum agripennis ibidem positis. Similiter & ecclesiam me vivente dimidiam, & decedente totam, nisi ante placuerit, in territorio Letdunis sitam, Patriacum vocatam, quam prædicti parentes mei viventes jure possederunt, & à novo reædificaverunt, propriéque mihi dimiserunt. Universas quoque consuetudines vobis trado, quæ à vestris terris patri meo persolvebantur, pertinentes ad ejusdem castrum *Lir* vocatum. Concedoque vobis illam aulam patris mei, sitam in ejusdem prædio, in orientali scilicet civitatis angulo, cum omnibus areis indominicatis, infra & extra murum circumquaque adjunctis, cum nemore ad constituendas claustri officinas, ad quod ædificandum elaborare nitor, ut ibi Domino regulariter & canonicè studeatis militare: in qua sacratissimam Dei ecclesiam sancti Salvatoris antiquitus fundatam reædificavi atque decoravi, quam devotissimè obsecro venerari. Claustro verò nondum præparato, & quamdiu simul non comedetis, prædictæ oblationes non dividantur vagantibus clericis, sed ecclesiæ tantummodo servitoribus assiduis, vel Episcopi Capellanis, Canonicis & sancto Vincentio: ut in Dominica die recipiant in capitulo præcedentis hebdomadæ oblationes .... his, qui in eadem assiduè servierunt. In quo, lectione finita, decantent psalmum, *Levavi oculos meos ad montes*, cum oratione Dominica, & precibus, & collecta pro nobis propria cum ceteris benefactoribus. Videant nempe fratres, ne tempore sterilitatis minus serviant ecclesiæ, quàm fertilitatis. Quod verò compascimur, ut vestris potiar precibus assiduis cum dilectione perfecta; ne quis Canonicorum Dominicam aut privatam Missam celebrare præsumat absque collectis pro me superstite vel defuncto, in solemnitate cum silentio, in hebdomada ceterarum modo. Annuale avunculi mei Domni Avesgaudi Episcopi quotannis decenter agatur, qui Jerosolymis rediens apud Verdunum vj Kal. Novembr. obiit in pace, ibique sepultus est à sanctissimo RAMBERTO Episcopo in basilica suæ sedis. Sic & qui & eadem die accidit sorori ejus, quippe matri meæ Hildeburgæ. Nec prætermittatur illud patris mei Haimonis xviij Kal. Februarii accidens: necnon & ordinationis meæ xiiij Kal. Januarii; meque nutu Dei migrante, vertatur in illud. Ut autem hæc paginola quocumque annuali meo recitetur in Capitulo, obsecro, moneo, & percupio: & quo parum promerui suffragia, fratrum caritas exuberet. Si qua verò nostro vobis famulante studio de rebus vestris antiquitus amissis recuperatis, chartula placet depingi. Ecclesiam sancti Audoëni, terrasque de illa Vastina, & ecclesiam de Murcena infra quintam Cenomannicam; ecclesiam sancti Albini cum terris in eadem parochia degentibus, & villam *Germeiz*, & Marciatum; in pago Cenomannico ecclesiam de Aciaco cum potestate; in eodem pago ecclesiam de Monciaco.

Omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus-sancti

auctoritate, & ab eodem cum ceteris apostolis beato Petro apostolo potestate tradita, necnon & canonum lege sancita, & ministerio nobis tradito indignis, excommunicamus & anathematizamus, & Christianorum consortio sequestramus omnes hujus scedulæ prævaricatores, vel præscriptarum rerum fraudatores, raptores, & invasores, sive calumniatores, contra sanctæ matris ecclesiæ Cenomannicæ filios scilicet & adscriptos Canonicos, præsentes vel futuros, quamdiu non resipuerint, vel illis canonicè non emendaverint, aut satisfecerint amen. Nec verò quispiam, quod absit instigante diabolo ad hanc excommunicationem pro nostra fragilitate vilipendat, memor illius veritatis, *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, &c. Qui vos spernit me spernit.* Aquâ verò qua regenerantur fideles, hoc bonitate sua factum, an Domini præcepto? Si quis dominus fideli suo imperaturus legatum miserit, quod fidelius attenditur, persona loquentis, an timor mittentis? Qui autem ad hæc obturaverit aures, memor sit Ananiæ & Saphyræ, qui quia obturaverunt, interierunt. Similiter Simon Magus, & ceteri quam plures. Hæc excommunicatio facta est ab Episcopis & Sacerdotibus subscriptis, &c. à plusquam quingentis sacerdotibus in sancta synodu sanctissimi Abbatis Cluniacensis Munasterii ODILONIS, cujus admonitione hæc egimus; domni ARNULFI Turonorum Archiepiscopi carissimi patris nostri, domni Gervasii hujus sedis Episcopi.

XXXII. De Wlgrino Cenomannensi Episcopo.

UT autem audivit GAUFRIDUS Comes, quòd verè regnum alterius ecclesiæ Præsul Gervasius suscepisset, congregavit populum terræ suæ & omnem clerum, ut Cenomannensi ecclesiæ eligerent Episcopum. Illis verò in unum congregatis, WLGRINUM monachum & Abbatem, virum prudentem & bonum ædificatorem..... Hic namque Wlgrinus ex Vindocinensi castello ortus, miles quidem primùm, deinde monachus effectus in cœnobio sancti Martini Monasterii-majoris sub Abbate ALBERTO, qui tunc temporis monasterium illud honestè regebat, Christo regulariter militavit. Videns prædictus Abbas illius industriam, constituit eum omnium monachorum cœnobii Priorem. Audiens autem Gaufridus Andegavorum Comes opinionem Vulgrini, quia esset Prior bonus, ædificator nimis, petivit ab Abbate Alberto, ut daret eum sibi, quatinus sanctorum Sergii & Bacchi monasterio, quod destructum erat, & in quo vix duodecim monachi vivere poterant, Abbatem constitueret. cujus petitioni Albertus Abbas obtemperavit, & Vulgrinus Prior Abbas constituitur monasterio illi. Paucos enim annos in monasterio illo conversatus est: sed destructum, valdeque redactum ad nihilum, magnum ex novo construit, & ornamentis variis decoravit, vineis, terris, ecclesiis, atque omnibus bonis ditavit; & LX ibi monachos suo in tempore abundanter vivere fecit. Videntes autem ejus prudentiam, animique sagacitatem, Cenomannensi ecclesiæ, quæ parum destructa erat, ordinaverunt Antistitem. qui quamvis pauperior & humilior antecessoribus Episcopis fuerit, tamen majura opera exercere tentavit. Quinto namque ordinationis suæ anno fundamenta matris ecclesiæ amphora quàm fuerant inchoavit, sed morte inopina superveniente perficere non potuit. Hic autem vir dono Dei & prudentia animi per quinque grados ad alta conscendit: de clerico in monachum, de monacho in Priorem, de Priore in Abbatem, de Abbate in Antistitem. Vixit autem in episcopatu annos viiij, menses viij, dies xij; & mortuus est ac sepultus in Capitulo sancti Vincentii martyris. Unicuique autem Canonico dedit unum aureum: reliqua verò ad fabricam ecclesiæ reservavit, præter id quod familiæ vel parentibus dereliquit.

XXXIII. Gesta domni Arnaldi.

POst obitum domni Vulgrini domnus Arnaldus Episcopatum Cenomannicæ urbis adeptus est. Hic verò Arnaldus ex Abrincensi territorio oriundus, nepos fuit ROTBERTI cujusdam grammatici sapientis ac religiosi viri, qui tempore suo tam sanctæ doctrinæ exercitio, quàm sacrorum librorum instructione, seu dirutarum ecclesiarum restauratione maximam Cenomannensi ecclesiæ utilitatem noscitur contulisse. Cujus disciplinæ prædictus Arnaldus admodum eruditus, & cum eo ab ipsius pueritiæ tempore conversatus, honestatis quoque ipsius exemplum studuit imitari. Unde post ejus mortem loco ipsius successit, & scholarum regimen, primò domni Gervasii venerabilis Episcopi, postmodum Wlgrini temporibus prudentissime gubernavit. Statura quidem parvus: sed brevitatem corporis morum probitas honestabat. Cùm itaque præfatus Wlgrinus ab hac luce migrasset, clerus & populus Cenomannensis ipsum in Episcopum elegerunt: cujus tamen electioni contradixere nonnulli, nullam omnino causam aliam prætendentes, nisi quia filius fuerat sacerdotis. Undè Cenomannenses clerici ad Papam Alexandrum legationem miserunt super præfati viri electione, super adversariorum objectione illius sententiam expetentes. quibus memoratus Papa apostulica auctoritate rescripsit, quod videlicet in Christo spiritualiter renato generatio carnalis nihil posset officere, quo minus ad sacerdotium promoveri deberet, si nullus eo melior in ecclesia illa poterat reperiri. Hac igitur Cenomannenses auctoritate suffulti, præfatum Arnaldum in Episcopum consecrari fecerunt. qui cùm aliquo tempore in pontificali cathedra resedisset, fabrica novæ ecclesiæ, quam præsul Wlgrinus inchoaverat, fundamentorum mobilitate atque lapidum debilitate corrupta, innumera crepidine ruinam sui cœpit terribiliter minitari: quam dum artifices fulcire conantur, repentino fragore nocturno tempore collapsa est. Erat autem ipsius fabricæ arcus maximus super loculum, in quo beatissimi Juliani corpus quiescebat, exstructus, hinc atque inde pyramidibus ingenti altitudine collocatis. Ibi itaque sanctissimi Confessoris virtus indubitanter emicuit, dum tantæ molis machina subito corruente, ita basilicæ ipsius tectum, quo sancti membra tegebantur, integrum atque incolume permaneret, ut ne minimum quidem ipsius tecti scindula ruinæ tam terribilis ictibus læderetur. Inde jam dictus Episcopus totam cœpti operis fabricam usque ad ima fundamenta destruens, denuo ipsam ecclesiam fundamento firmiori & solidiori lapide construere cœpit; & parti superiori, quæ vulgò cancellum nominatur, etiam tectum imposuit; membrorum quoque, quæ cruces vocantur, atque turrium solidissima fundamenta antequam moreretur instituens. Sed quia Cenomannica civitas sub ipsius Episcopatu multis seditionibus oppressa est, non incongruum reor, aliqua ex his, quæ digna memoriæ judicavi, compendiosè gestis ipsius inseréere.

Hujus namque tempore Vuilius* Princeps Normannorum, qui etiam Cenomannensem Comitatum, exstinctis atque omnino deletis ejusdem Comitatus heredibus, adquisierat, cum maximo Francorum, Normannorum, Cenomannorum atque Brittannorum exercitu in Angliam transvectus, Anglos bello devicit, &

* al. Willelmus.

interempto ipsorum Rege ARALDO, totius Angliæ regnum obtinuit. Ubi dum aliquo tempore rerum bellicarum occupationibus teneretur, Cenomannensium proceres unà cum populo ab ipsius Regis fidelitate unanimiter defecerunt: & mittentes in Italiam, Athonem quemdam Marchisium cum uxore & filio, qui vocabatur HUGO, inde venire fecerunt, seque, & civitatem, & totam simul regionem eidem Marchisio tradiderunt; milites regis, & omnes Normannos qui in civitate remanserant, de munitionibus & de tota simul regione penitus expellentes; quodam Regis Dapifero, UNFREDO nomine, in ipsis munitionibus interempto. Quod cùm vidisset Episcopus, ne perfidiæ civium præbuisse videretur assensum, confestim ab urbe discessit, atque in Angliam prospero transvectus navigio, à Rege honorificè receptus est. Quod cum adversarii cognovissent, domos ipsius cunctasque possessiones protinus invaserunt, omnia quæ ad ipsum pertinere videbantur, pertinaciter diripere gestientes. Quapropter ipse apud Regem non multo tempore commoratus, cum ipsius licentia ad sedem suam redire disposuit, multis ab eo muneribus honoratus. Sed cùm cives sui odio Regis Anglici nequaquam eum in civitatem paterentur intrare, extra urbem in sancti Vincentii monasterio cum sua familia commorabatur. Sed clerici ejus absentiam non ferentes, facta cum adversariis concordia, illum suæ sedi restituunt. Interea Athon Marchisius, cuncta regione tam vi, quàm muneribus adquisita, cognita etiam levitate Cenomannensium, cum jam deficiente pecunia quam in eis nimio copiosè erogaverat, fidem quoque ipsorum erga se pariter deficere persensisset; reversus est in Italiam, in manu GAUFREDI de Meduana, viri nobilis, & vetusti admodum ingenii, uxorem cum filio derelinquens. Erat autem uxor ejusdem Marchisii GERSENDIS nomine, filia HARBERTI Cenomannorum illustrissimi Comitis, qui vocatus est Evigila-canem: quæ primo quidem THEOBALDO Duci Campaniæ in matrimonium tradita, sed ab eo, repudio interveniente, discedens, præfati Athonis postmodum fuerat copulata conjugio.

Hujus igitur Gaufridus de Meduana tutor, & quasi maritus est effectus, cum adversum cives quasdam occasiones quæreret, & novis quibusdam exactionibus eos molirentur opprimere; consilium inierunt, qualiter ejus pravis conatibus obsisterent, nec se ab eo vel quolibet alio injustè opprimi paterentur. Facta itaque conspiratione, quam communionem vocabant, sese omnes pariter sacramentis astringunt, & ipsum Gaufridum, & ceteros ejusdem regionis proceres, quamvis invitos, sacramentis suæ conspirationis obligari compellunt. cujus conjurationis audaciâ innumera scelera commiserunt, passim plurimos sine aliquo judicio condemnantes, quibusdam pro causis minimis oculos eruentes: alios verò (quod nefas est referre) pro culpa levissima suspendio strangulantes; castra quoque vicina diebus sanctæ Quadragesimæ, immo Dominicæ Passionis tempore irrationabiliter succendentes. Dum itaque quidam ex primoribus ejusdem regionis, HUGO scilicet de Silliaco, quibusdam injuriis adversum se conjuratorum animos irritasset; subito per totius regionis populos legatos miserunt, contra præfatum Hugonem, qui sanctis institutionibus obsistebat, tumultuosæ multitudinis agmina concitantes: congregatoque exercitu, Episcopo & singularum ecclesiarum Presbyteris præeuntibus, cum crucibus & vexillis, ad castrum Silliacum furibundo impetu diriguntur. Cùm autem haud procul à castro consedissent, Gaufridus, cujus supra mentionem fecimus, ipsorum comitatui fraudulenter adjunctus, non longè ab eis castra posuit: & clam cum hostibus per internuntios collocutus, ad dissipandos conjuratorum conatus modis omnibus laborabat. Facto ergo mane, adversarii de castro egressi, cùm exercitum ad pugnam provocare cœpissent, nostris repentino clamore excitis, & in occursum hostium irruere præparantibus, expeditorum machinatione rumor in castris subitò exortus est, falso asserentium, quorundam sceleratorum consensu adversariorum partibus esse traditam civitatem. Rusticorum itaque multitudo hinc timore hostium, illinc falso rumore perterrita, projectis armis in fugam conversa est: in qua fuga, quanti capti, quanti vulnerati, quanti à semetipsis in torrentibus & in semitarum angustiis oppressi atque extincti sunt, non est opusculi præsentis evolvere. Et, ut de ceteris taceam, tam nobilibus quàm ignobilibus, quos non solum milites, sed & mulierculæ passim per agros velut damulas pro arbitrio capiebant; ipse quoque Episcopus, prò dolor, ab ipsis comprehensus, & custodiæ mancipatus est. Qua de re civitas nostra in luctu & tremore posita, huc atque illuc velut navis absque gubernaculo ferebatur. Attamen prædictus Hugo, quia homo liberalis erat, nolens Episcopum injuriis attrectare, sine dilatione eum ad propria cum honore dimisit. Gaufridus autem de Meduana, utpote sibi male conscius, cives susceptos habens, Hugonem quidem puerum ad patrem in Italiam dimisit; ipse verò ad castrum, quod Carcer vocatur, secessit; Gersendis autem in civitate remansit. quæ videns Gaufridum propter nequitiam suam civibus exosum, non facile in eorum amicitiam posse redire, cùm propter illicitam familiaritatem, quæ jam inter eos male succreverat, ejus absentiam sustinere non posset, cœpit machinari, qualiter ei traderet civitatem.

Quadam itaque die dominica quorumdam perfidorum consensu Gaufridus in quamdam arcem civitatis, quæ juxta matrem ecclesiam sita erat, cum octoginta fere militibus ingressus, cœpit hostiliter agere, & in perniciem civium totis nisibus anhelare. quibus civibus compertis, totius regionis proceres, & præcipue FULCONEM Andegavorum Comitem subito convocarunt, & Gaufridum cum suis omnibus intra ipsam munitionem repentina obsidione concludunt. Hostes verò de munitione egressi, vicum qui sancti Vincentii vel sancti Audoeni dicitur, nocturno incendio concremarunt. Cumque duas turriculas eidem arci proximas, & quasdam domos illis adhærentes ad suum præsidium occupassent, nec inde facile armis potuissent expelli; nostri ex improviso eisdem domibus, quamvis ecclesiæ proximis, ignem immittentes, illos inde fugere compulerunt, non absque grandi labore tecta ecclesiæ jam vicino incendio defendentes: hincque illos acrius persecuti, ac telis, & diversorum generum machinis expugnantes, non modicam eis formidinem imimmittebant. Quibus Gaufridus perterritus, quorumdam nostrorum consensu de munitione latenter egressus, imminens periculum nocturnæ fugæ beneficio tremebundos evasit: ceteri verò cùm auxilio quod eis Gaufridus promiserat frustrarentur, & ita undique conclusi essent, ut nulla ex parte aliquis eis pateret egressus; cumque deficientibus alimoniis munitionem quoque crebris machinarum ictibus cernerent conquassari; tandem necessitate coacti, sese & munitionem Fulconi Comiti tradiderunt. Cives autem ita commoti, ac sibi in futurum præcaventes, interiorem partem ejusdem munitionis muro civitatis coæquaverunt, exteriores parietes ad urbis præsidium integros relinquentes.

Interea jam dictus Episcopus Romam profectus, dum per terram Athonis Marchisii reverteretur, ab eodem Athone captus, & cum suis omnibus in custodia positus est: & postmodum pœnitentia motus, quod tantæ honestatis virum injustè contristare pra-

sumpsisset, digna satisfactione eum placare studuit, atque post septem menses multis muneribus honoratum ad sedem propriam cum magna veneratione remisit.

Per idem tempus Willus Rex Anglorum, innumerabili exercitu congregato, ad Cenomannicum pagum advenit, castrum Fermacum obsedit, agros & vineas & omnia quæ in circuitu erant, igne ferroque devastans. Sed cum ejus impetum castellani sustinere non possent, pacem cum eo, prout melius potuere, fecerunt. qui mox recepto castro, & positis in ejusdem castri munitione custodiis, ad civitatem profectus est, circa fluvium Sartæ, in loco qui Maptula dicitur, castra constituens. ad quem locum proceres civitatis egressi, cum eodem Rege de pace colloquium habuerunt; & acceptis ab eo sacramentis, tam de impunitate perfidiæ, quàm de conservandis antiquis ejusdem civitatis consuetudinibus atque justitiis, in ipsius dominium atque imperium sese & sua omnia dediderunt. Ex eo ergo tempore sæpe dictus Episcopus in sede sua quietè residens, ecclesiæ suæ utilitatibus, in quantum poterat, providebat. Terram namque, quam Muram nominant, & ecclesiam de Sauntaco, quæ ab jure suæ sedis dudum alienatæ fuerant, maxima pecuniæ effusione redemit. Et terram quidem suis vel successorum suorum usibus retinuit: ecclesiam verò canonicis suis moriens dereliquit. Dedit etiam ecclesiæ suæ scyphum argenteum cum operculo ad reponendum caput sancti Vincentii martyris, & candelabra argentea, quæ ibi eatenus non nisi stagnea, seu ænea habebantur; & episcopalem casulam optimo aurifrisio decoratam, in qua festivis diebus præsenti quoque tempore in eadem ecclesia Domino ministratur. Et hæc quidem minima in recordatione tanti viri ju e videri potuissent, nisi eum difficilis & sumtuosa restauratio suæ defendisset ecclesiæ, quæ videlicet tantos sumtus tantumque studium exposcebat, ut sexaginta annorum spatio nequaquam consummari potuerit. Gravi etiam corporis infirmitate detentus, plurima quæ facere disposuerat prætermisit. qua infirmitate triennio fere vexatus, dum annis ferme xv Cenomannensem rexisset ecclesiam, expletis totius vitæ suæ quasi septuaginta annis, tertio Kalend. Decembris in senectute bona defunctus est, & in monasterio sancti Vincentii, in ipso monachorum oratorio, ante gradus silices, quibus ad altare conscenditur, sepulturæ honorificentiam consecutus. Cujus animæ omnipotens Deus vitam & requiem tribuat sempiternam, amen. Hic denique tempore domini Ugonis Episcopi in capitulum ejusdem monasterii translatus est, & locatus ad sinistram domini Hoelli Episcopi, anno Domini millesimo centesimo ij, die translationis sancti Bertranni Episcopi.



CAPUT, XXXIV.

De Hoello Episcopo.

Nutrierat autem prædictus Pontifex à principio episcopatus sui quemdam bonæ indolis juvenem, non tam sibi carnis cognatione, quàm honestæ conversationis imitatione conjunctum, Hoellum nomine: eruditumque sacris literis, omnique morum honestate præditum, favore totius Cleri ejusdem ecclesiæ Decanum statuerat: in quo gradu tanto amore totius populi erga se illexit affectum, ut eo jam tempore non minorem quàm Episcopo omnes illi reverentiam exhiberent. Cùm enim & venustate vultus, & alacritate sermonis, & ingenii solertia, animique liberalitate cunctis præcelleret; humilitatis tamen & patientiæ tam egregius exstitit observator, ut se omnium minimum judicans, ab infimis quoque personis multoties impune se pateretur illudi. Unde factum est, ut post decessum memorati Antistis in electionem ipsius omnes unanimiter convenirent, ipsumque episcopatu dignissimum voce consona proclamarent. Sed quia propter contentionem quæ inter Willum Regem Anglorum, & Fulconem Andegavorum Comitem de eodem episcopatu exorta erat, Radulfus Turonorum Archiepiscopus Turonis eum ordinare non potuit; ipsius assensu atque præcepto omniumque suffraganeorum ejus, cum magno honore ordinatus est in Rotomago civitate, à domino Willelmo ejusdem urbis Archiepiscopo xj Kalend. Maii, anno ab Incarnatione Domini millesimo lxxxv. Hic itaque pontificali cathedra sublimatus, tam modestè, tam prudenter, tamque religiosè sacerdotale cœpit officium exercere, ut omnem antecessoris sui famam factis insignibus obumbraret. Frequentissima semper, sed honesta, tam clericorum, quàm laicorum familia comitatus, erga omnes religiosos, & præcipue monachos, hospitalitatis gratia singularis. Exhinc ergo quem bonæ voluntatis affectum erga Cenomannensem ecclesiam, in qua nutritus fuerat, semper habuit, operum exhibitionibus ostendere non tardavit. Continuo namque fabricam novæ ecclesiæ, in qua antecessores ejus multo tempore laboraverunt, tanto studio aggressus est consummare, ut cruces atque turres, quarum antecessor ipsius (ut supra ostensum est) jecerat fundamenta, brevi tempore ad effectum perduxit; eisque celeriter culmen imponens, exteriores etiam parietes, quos alas vocant, per circuitum consummavit. Sed & cancellum, quod ejus antecessor construxerat, pavimento decoravit, & cælo: vitreas quoque per ipsum cancellum, per quod cruces circum quoque laudabili, sed sumtuosa nimium artis varietate disponens.

Hic ergo propter probitatem suam Radulfo Turonorum Archiepiscopo viro illustrissimo tanta erat familiaritate conjunctus, ut in omnibus ecclesiasticis negotiis illius consilio uteretur, atque in suis persecutionibus illum adjutorem & comitem irrevocatum haberet: cum ceteri suffraganei propter metum sæcularium potestatum, nullum ei solatium exhibere præsumerent. Unde idem Archiepiscopus in ultimo vitæ positus, in epistola, quam ei novissimam scripsit, dum de persecutorum suorum injuriis & ceterorum Episcoporum inobedientia quereretur, inter cetera, quæ in ejus laude protulit, in hæc postremo verba gemebundus erupit: O quam beata foret, inquiens, Turonensis ecclesia, si duos aut tres tales habere filios meruisset. Post mortem quoque ipsius Archiepiscopi, cùm ecclesiam cerneret non mediocriter desolatam, & clericos per loca plurima persecutionis immanitate dispersos; ubicumque necessarium erat, illis infatigabiliter succurrebat: adeo ut non solum ab eis indignationem Principis, quæ adversus eos vehementer exarserat, sapienter avertere, verùm etiam inter ipsos & eumdem Principem industria sua pacem integerrimam satageret reformare. Dum autem pro his & ceteris ecclesiasticis utilitatibus Turonis moraretur, omnia ecclesiastica negotia in ejus audientia tractabantur, totamque curam ecclesiæ illius imperio disponebant; omnia quæ necessaria erant, ipsi, suisque omnibus de ipsius ecclesiæ facultatibus ministrantes, eique per omnia tamquam Archiepiscopo debitam reverentiam exhibentes. Nam & eo tempore in ipsa ecclesia synodum tenuit, & Archiepiscopi vices secundum antiquum ecclesiæ nostræ privilegium in cunctis sapienter explevit. Celeberrimum est enim Cenomannen-

sis ecclesiæ Præsulem post Turonensem Archiepiscopum totius Turonensis diœceseos obtinere primatum, nullumque in Turonensis Episcopii Antistitem rite posse sacrari, & post decessum Archiepiscopi cuncta ejusdem ecclesiæ negotia illius arbitrio debere disponi. Sed his omissis, ad propositam narrationem velocius æstimo redeundem.

Hujus itaque primo ordinationis anno, tanta terræ sterilitas fuit, ut sextarius tritici septem solidos venderetur. Cumque fames populum oppressisset, essetque impossibile unius copiis generalem afflictorum indigentiam sustentari; ex communi cleri plebisque consilio, aurum & argentum quod erat in tabula altaris sanctorum martyrum Gervasii & Protasii pius temerator accepit; illudque fideli dispensatione pauperibus erogavit. Nec multo post tota civitas nostra nocturno incendio conflagravit. Quia enim hujus quoque tempora nequaquam vacua persecutionibus extiterunt, propter rerum novitatem indignum judicavi quædam ex his silentio præterire. In illis namque diebus WILLUS Anglorum Rex strenuus, mortuus est, ejusque morte tota Cenomannorum regio perturbata; & intra reliqua mala, quæ iisdem temporibus contigerunt, surrexit quidam nobilis adolescens, qui erat de genere Cenomannensium Consulum, HALIAS nomine, & cœpit calumniari ipsum Comitatum, ingressusque castrum quod Baledonem nominant, regionem undique devastabat; maximeque adversus civitatis habitatores, qui ei viriliter resistebant, multis insidiis, assiduisque deprædationibus grassabatur. Sed cùm res parum procederet, putaretque consilio Præsulis qui in fidelitate Rotberti Comitis immobiliter perdurabat, suis conatibus obviari; quorumdam perversorum consilio in tantam prorupit audaciam, ut in Christum Domini manum mittere, eumque apud castrum patrimonii sui, quod Filla dicitur, in custodia ponere non timeret; clericosque suos ita ab ipsius fecit præsentia removeri, ut cum nullo eorom nec familiare, nec publicum posset habere colloquium: rusticumque Presbyterum ejus obsequio deputavit, ne custodum calliditas latina posset confabulatione deludi. Inter hæc venerabilis Episcopus tanta constantia pontificalem dignitatem servavit, ut nec terroribus, nec blanditiis, vel quibuslibet impetus ad honestatis injuriam flecteretur. quod cùm innotuisset primoribus regionis, ad ereptionem Pontificis se omnes unanimiter properabant. Clerici namque pastoris sui persecutionibus condolentes, non solum cives proprios, sed vicinarum regionum populos tam per semetipsos, quàm & per litteras victiis Episcopis destinatas impigro discursu commovere non cessabant, matris ecclesiæ omniumque ejusdem civitatis vel suburbii ecclesiarum januas ad doloris indicium spinarum aculeis obstruentes. quibus Helias compertis, pænitentia ductus, Pontificisque genibus provolutus, veniam precabatur. At ille, ut erat mitissimus, satisfactionem illius animo tranquillo suscipiens, receptis omnibus quæcumque sibi, vel suis ablata esse videbantur, ad sedem propriam com maximo cleri plebisque festivè occurrentis tripudio regressus est.

Interea GAUFRIDUS, cujus supra mentionem fecimus, ratus se oportunum tempus invenisse, quo regionem denuo perturbaret; HUGONEM filium ATHONIS, jam adultum, crebris legationibus sollicitans, ut in regionem veniret obtinuit. Cùm ergo esset apud castrum quod Carcer dicitur, occurrerunt ei proceres civitatis, sacramenta fidelitatis quæ ROTBERTO Comiti promiserant, pro nihilo reputantes. Episcopus autem cernens sibi periculum imminere, si levitati ipsorum aliquem præberet assensum; paucis contentus comitibus, ab urbe cum festinatione discessit, & profectus ad Principem, cuncta ei quæ gesta fuerant enarravit. Ipse autem Rotbertus ultra modum inertiæ & voluptati deditus, nihil dignum ratione respondens, quæ Cenomannenses fecerant, pro eo quod inepto homini nimis onerosi viderentur, non multum sibi displicuisse monstravit. Non enim curare videbatur, nisi ut Episcopatus tantùm in ejus dominio remaneret. Unde præcepit Episcopo, ut ad ecclesiam quidem reverteretur: de Episcopatu verò nullatenus Hugoni Marchisio responderet. Interim Hugo communi omnium assensu in civitatem receptus, in domibus Episcopi mansionem accepit. Unde Episcopus de Normania regrediens, divertit in monasterium sancti Vincentii, atque inde cum Marchisio per internuncios loquebatur. Comes autem malo ingenio Episcopum circumvenire cupiens, postulabat ut ab ipso donum Episcopatus acciperet. Cumque Episcopus ejus petitionibus nequaquam vellet adquiescere, animadvertissetque sibi pæne ab omnibus insidias præparari; relicta civitate, in castris circumpositis morabatur. Comes autem vinum & annonam, cunctamque ipsius possessionem invasit, & res sanctuarii in suos usus retorquere non timuit. Hæc autem omnia quidam ex clericis pertinaciter fieri suadebant. Multos enim ipsorum non pro sua culpa, sed pro ipsorum nequitia olim patiebatur infestos: ex quibus maximus, & quasi signifer quidam, Hilgotus nomine: ab ipso quidem Episcopo Presbyterii ordine sublimatus; sed more perverso beneficiis sui ordinatoris ingratus, modò latenter detrahendo, modò apertis contumeliis debaccando, virum mansuetissimum quiescere non sinebat. Et quia oportune de eo sermo exortus est, quanta his diebus in eum crudelitate sævierit, non tacebo.

Cùm enim paulo superiori tempore Decanus ecclesiæ, GUICHERIUS nomine, vir honestæ conversationis, & litterarum scientia non mediocriter adornatus, mundanæ vanitatis molestias fugiens, monasticæ professionis habitum suscepisset; quidam quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi quærentium, cùm dudum viri venerabilis laudibus inviderent, nec in ejus actibus facilè possent occasionem calumniæ reperire; sub specie veræ amicitiæ persuaserunt ei, ut fraterculum duodennem, qui necdum perfectè litterarum elementa didicerat, in ejus loco constitueret, & contra ecclesiastica instituta inductum, prudentibus puerulum senioribus anteferret. Quod factum cùm clericorom plurimos graviter offendisset, Hilgotum tamen maxime, qui etiam omnia ejus benefacta consueverat depravare. Reperta igitur oportunitate, quamdiu cônceptum invidiæ venenum impune posset evomere, adjunctis sibi quibusdam pestilentibus, qui militiæ ipsius semper fuerant incentores, cœpit commovere clericos, & nequitiæ suæ quasi quibusdam stimulis instigare, ut ad injuriam Episcopi puerum illum deponerent, & quemdam nobilem juvenem, GERVASIUM nomine, nepotem scilicet illius nominatissimi GERVASII ejusdem ecclesiæ quondam Episcopi, in loco ejus constituerent. quæ res equidem facilem obtinuit effectum, tum amore illustris avunculi, tum quia fratres ejus eo tempore nimia familiaritate Principis uterentur. Hoc itaque modo filius iniquitatis & intolerabilem Episcopo mæstitiam inferebat, & amicos ejus qui in ecclesia remanserant, non mediocriter affligebat. Unde quidam ex ipsis perfidorum insolentiam non ferentes, cum jam dictum Comitem sumta paulatim audacia cernerent sacrorum etiam vasorum direptionibus inhiare; salubri consilio pretiosis quibusque latenter sublatis, ad suum Pontificem fraude fidelissima confugerent,

apud castrum Sablolium cuncta quæ secum tulerant, sub tuta custodia reponentes. Porro Episcopus de thesauro ecclesiæ securus, cum omnia perturbari videret, cedendum tempori arbitratus, quibusdam ex clericis ad custodiam eorum quæ delata fuerant deputatis, ad Regem Anglorum se contulit, ejusque liberalitate levamen maximum suæ persecutionis accepit. Hilgotus autem & qui cum eo erant, cùm se ita cernerent esse delusos, nimio furore succensi, omnes quotquot invenerunt de familia Episcopi per Comitis violentiam cœperunt graviter opprimere; & alios quidem urbe expellere, alios pecuniarum exactionibus prægravare, alios verò intolerabiles contumelias irrogare. Denique cum quadam die unum ex pueris Episcopi nunciatum esset in civitatem venisse, subita correpti insania, illuc celeriter cucurrerunt; comprehensumque puerum in officinam fabri, quæ fortè proxima occurrerat, quasi sacrilegum detrudentes, utrasque genas illius ferri candentis adustione coxerunt: homines insensati, omnique maledictione dignissimi, qui dum Episcopi sui famam illustrissimam cupiunt offuscare, semetipsos potius perenni condemnantes infamia, execrabilem cunctis sæculis nequitiæ suæ memoriam in innocentis facie depinxerunt. Similiter & alium puerum, per quem quidam è civibus Gradulfo fratri suo, uni videlicet ex clericis, qui Sablolii remanserant, quædam necessaria transmittebat, in ipso itinere comprehendentes, omnibus quæ portabat vehementer ablatis, ad domum Hilgoti, in qua omnes quasi in sentinam confluxerant, reduxerunt; cumque diuturna maceratum inedia, artaque reclusum custodia tantis affecerunt injuriis, ut infra septimum diem spiritum exhalaret. Eodem modo & mulieres quasdam aliis clericis quædam familiaria deferentes comprehenderunt, eisque calcibus & pugnis sævissime conculcatis, nulla obsistente verecundia, cuncta quæ portabant bestiali rapacitate diripuerunt. His subito per populum divulgatis, tanto odio & execrationi eos habere cœperunt, ut & sacro Ordini publicè detraherent, & ipsorum consortium pariter & obsequium devitarent: adeo ut matris ecclesiæ limina, quæ miro amore ac reverentia frequentare consueverant, jam propter ipsorum nequitiam plerique dedignarentur intrare. Ipsa namque ecclesia ornamentorum suorum schemate spoliata, horrorem quemdam lucifugum ingredientibus prætendebat. Ita religiosissimi clerici, dum Episcopi sui facta prudenti consilio corrigere nituntur, semetipsos primitus, & totam pæne ecclesiam irrationabiliter subverterunt.

Interea Episcopus post menses fere quatuor de Anglia reversus, cum præfatos sacrilegos cerneret in sua malitia perdurare, litteris eos convenire studuit, monens & episcopali auctoritate contestans, quatenus à sua perversitate desisterent, aut officia divina nullatenus celebrare præsumerent. Et quamvis plurima pars clericorum d. Episcopi persecutione dolerent, vellentque si fieri posset, toto animo illius jussionibus obedire; prævaluit tamen seditiosorum sententia, ut nec ab incœpto desisterent, & contra interdictum Episcopi divinum officium invitis fratribus usurparent. Cum ergo ratio postularet, ut ecclesiasticæ animadversionis gladio ferirentur, qui pro culpis suis interdicta sibi divina mysteria ausi fuerant temerare; suspendit tamen excommunicationis sententiam, quoad usque eos, ipsumque Comitem honestarum personarum vivis vocibus conveniret, eisque pastoralis exhortationis debitum ministerium exhiberet. Duobus itaque boni testimonii Diaconibus, Ottoni Ravinlendis filio, & Radulfo de Batra, hujus legationis injunxit officium; quia videlicet illos & sibi fideles, & populo acceptissimos esse cognoverat. Hos ergo cum vidisset populus, parata motus pietate, cœpit ingemiscere graviterque conqueri, quod scilicet paucorum factionibus oppressi, egregium pastorem virosque venerabiles, quorum optimam conversationem ab ipsis cunabulis cognovissent, natali solo injustissime paterentur expelli: homines autem turpissimos, qui totam vitam flagitiis & scortationibus transegissent, eorum bona impunè diripere, & Episcopi sui persecutionibus impudenter insultare, universamque ecclesiam improbis moribus perturbare nequaquam se ulterius esse passuros, quin tantorum auctores scelerum digna animadversione multarent. His & hujuscemodi questibus vulgaris turba commota, ad domum Hilgoti, quæ ecclesia malignantium, & quasi spelunca latronum facta fuerat, cum festinatione concurrunt, eamque violento impetu, magnoque circumfusi clamore, alii per ostium, alii verò per tegulas, quidam verò effractis irrupere fenestris. Cumque intra domum seditiosorum neminem reperissent, direptis omnibus quæcumque manus eorum invenire potuit, cum plausu maximo ad propria rediere. Hilgotus enim & qui cum eo erant, adventum eorum clamore prævio cognoscentes, nimio pavore perterriti adituque posteriore digressi, fœdissimis sese abdidere latibulis. Hoc nuncio Comes turbatus, colloquio quod jam initum fuerat interrupto, legatos Episcopi sine ullo dimisit effectu.

His itaque transactis, cùm Episcopus cerneret nondum tempus advenisse remedii, timens ne si rem acrius persequeretur, gravioris emergeret causa discordiæ, divertit in vicum, quem veteri vocabulo Solemnas appellant: ubi monachi sancti Petri sub cella regulari degentes, ipsi ejusque sociis devoto affectu hospitalitatis gratiam tribuerunt. Ibi ergo residens, & sacri chrismatis consecrationem explevit & dominicæ Resurrectionis solemnia alacriter celebravit. Diebus etiam Pentecostes eodem in loco secundum ecclesiasticam consuetudinem synodum tenuit, universis undique cum processionibus suis solemniter convenientibus; ita ut privati vici incolæ urbani conventus frequentiam mirarentur. Quod audientes adversarii, intolerabili cruciabantur invidia, quòd viro illustrissimo nihil eorum molimina nocuissent; quin potius ipsa sua persecutione ampliorem illi gloriam adquisissent: eo vehementius contristati, quòd mater ecclesia propter ipsorum odium populorum frequentatione deserta, & quasi in solitudinem redacta, perfidia eorum redditibus solitis frustrabatur. Huc accedebat, quòd ipsi etiam stabularii, caupones, macellarii, atque pistores, sed & mulierculæ, quæ vilioribus mercibus insidebant, aliique quamplurimi, quibus comprovincialium concursus lucrum maximum conferre consueverat, adversus eos intolerabiliter murmurabant, pro eo quod ipsorum causa negociationis suæ quæstu sese conspicerent esse fraudatos. Quos dum ipse Comes adversum se quoque eadem causa fremere cognovisset, cernens sibi periculosum esse, si contra omnium vota civitatem pateretur diutius pastoris sui præsentia desolari; inito cum optimatibus consilio, sibi Episcopum pacificare, eumque quantocius cum suis omnibus ad ecclesiam revocare curavit. Vigilia itaque Apostolorum Episcopo ad sedem suam redeunti, innumerabilis utriusque sexus multitudo tertio vel quarto ab urbe miliario in voce exultationis occurrens, deduxerunt eum ad monasterium sancti Petri de Cultura; ibique à monachis ejusdem loci cum qua decuit pompa ac veneratione receptus, Apostolorum natalicia solemniter celebravit. Peracta solemnitate, clerici matris ecclesiæ, qui super vetitum ejus officia celebrarant, & ob hoc die Pentecostes ab ipso excommunicati fuerant, ad eum humiliter venerunt, singuli singulos libros usque ad eumdem locum pro satisfactione co-

tam omni populo deferentes, errorisque sui veniam voce lacrymabili postulantes: quorum pius pater pœnitentiam intuens, & ipse cordis compunctus, faciemque lacrymarum imbre perfusus, clementer eis veniam contulit statimque eos à vinculo excommunicationis absolvens, singulosque paterno amore complexus, pacis ac dilectionis osculo confortavit. Sicque in crastino tota monachorum ejusdem monasterii & innumera populi multitudine comitatus, ad ecclesiam veniens, à clero civitatis cum hymnis & canticis & inæstimabili totius plebis gratulatione receptus est. Gervasium tamen, cujus supra mentionem fecimus, qui contra decreta ecclesiastica Decani nomen & honorem usurpaverat, ab ipsius ecclesiæ societate in perpetuum esse fecit exsortem. Et quia idem Comes maxima ei damna intulerat, ob restaurationem eorumdem damnorum, domos ipsius, atque cellaria, claustrumque ecclesiæ per circuitum, & quamdam villam ipsius, quod Colonias nominant, & aliam villam Canonicorum, quæ Mantula dicitur, ab omni publica consuetudine atque exactione liberas atque immunes fecit; & diablagium quod inde accipiebat, & tel qua omnia quæ ad fiscum ejus pertinere videbantur, procerum suorum consilio atque astipulatione remisit, & beato Juliano futurisque Episcopis perpetualiter reliquit, atque concessit. Et ne aliquis successorum suorum institutionem ejus ipsamque immunitatem de reliquo destruere aut depravare præsumeret; pro corroboratione ejusdem facti, totam ecclesiam per gyrum, simul cum claustro & ædibus pontificalibus, publica processione, & aqua benedicta omni populo prosequente circumdari atque prætaxari fecit. Deinde ecclesiam cum eodem Episcopo ingressus, remissionem atque immunitatem quam ecclesiæ fecerat, clero beati Juliani, & utraque sancti Petri tam clericorum, quàm monachorum congregatione omnique populo audiente, atque Episcopo recitante, promulgari præcepit, sicut in ejusdem Episcopi descriptionibus hactenus habetur insertum.

Transactis autem paucis diebus, cùm præfatus Comes propter inconstantiam suam bonis omnibus haberetur infestus; omnibus quæ habere poterat in pecuniam redactis, Heliæ cognato suo (cujus supra mentionem fecimus) ipsam civitatem totumque Comitatum, quantum in ipso erat, vendidit: sicque inhonestæ mercationis pretio sarcinatus, in patriam suam cum magno repedavit opprobrio.

Spiritus autem tranquillitate recepta, in constructione novæ ecclesiæ, quæ propter ejus desolationem penitus intermissa fuerat, summo cœpit studio laborare, & ad transferendas sanctorum reliquias, superiores partes ejusdem basilicæ diligenti sollicitudine laborare, oratorium scilicet quod chorum vocitant, sedemque pontificalem, altaria congrua dimensione disponere, pavimenta sublimere, columnas ac laquearia gratissima varietate depingere, parietes per circuitum dealbare, nihil omnino prætermittere, quod aut usui fore crederet, aut decori: hoc sollicitus præcipue, ne quid in tota fabrica adventantium conspectibus displiceret. Omnibus itaque elegantissimè præparatis, ad sanctorum translationem Archiepiscopum Turonensem, & vicinarum urbium honestiores personas convocare curavit: quatenus eorum præsentia & solemnitas celebrior, & populus efficeretur devotior.

Translatum est autem corpus sanctissimum beati Juliani, & aliorum sanctorum reliquiæ in eamdem basilicam xvj Kalend. Novembris, anno ab Incarnatione Domini millesimo xc iij, ordinationis autem ejusdem Episcopi viij. in qua videlicet die, si Deus sibi vitam concederet, ipsam basilicam statuerat dedicare. Ad hanc verò translationis celebritatem tanta non solum ex nostra regione, sed ex circumjacentibus provinciis populorum multitudo noscitur convenisse, ut nullus nostræ ætatis tantam aliquando se vidisse meminerit.

His & hujuscemodi studiis occupatus, quamvis in ecclesiæ constructione totum posuisse studium videretur, non minimam tamen gerebat sollicitudinem clericorum: eoque non mediocriter angebatur, quòd ecclesiasticis possessionibus persecutionum assiduitate vastatis, victum ipsorum vehementer attenuari videret. Unde & privatis muneribus singulos, & publicis largitionibus lætificans universos, perennem liberalitatis suæ memoriam futuris temporibus propagabat. Hac de causa duas ecclesias, id est ecclesiam de Espino, & ecclesiam de Alona, & unam mansuram terræ apud Novam-villam, suo tempore noscitur adquisisse, easque Canonicorum victui perpetualiter delegasse. Sed & in possessione suæ sedis, in villa, quam Colonias nominant, honore sancti Nicolai ecclesiam à novo ædificavit, & circa ipsam ecclesiam burgum magnum instituit. In eodem quoque territorio super fluvium Sartæ, in loco qui Muta dicitur, duos molendinos magno labore construxit, ipsamque ecclesiam, vicum, & farinarios suis & successorum suorum usibus deputavit.

Eodem ferè tempore Romam profectus, & à beatæ memoriæ Papa Urbano II. inæstimabili honore receptus, apud Placentiam Apostolico interfuit concilio: indeque regressus, cum eumdem Papam nunciatum esset in Gallias advenire, cum ceteris Episcopis illi gratulabundus occurrit, & Arvernense Concilium sua præsentia decoravit. Nec multo post memoratum Papam cum incredibili honorificentia in domo sua Cenomannis excepit, eique cum omni comitatu suo per triduum cuncta necessaria hilariter & abundantissime ministravit: quamvis eodem anno non solum annonæ, sed & omnium quæ ad cibum pertinent, maximum constet exstitisse defectum. O viri venerabilis tempora fortunata! cui etsi cetera felicitatis argumenta deessent, id solum tamen ad commendationem ejus gloriæ posset omnino sufficere, quod inter omnes antecessorum titulos solus universalis Papæ & sacerdotum omnium Principis sacrosancto hospitio legitur honoratus. Sed quid ago? quid imprudens felicitatem nomino, quæ mortis miseria cernitur admisceri? Hanc de temporali felicitate lætitiam nihil aliud, quàm quamdam futuri luctus materiam possumus æstimare. Cùm enim temporalis felicitas nequaquam possit esse durabilis, necesse est te quandoque de ejus infortunio contristari, de cujus fugitiva prosperitate minister fueras gratulatus. Ecce iste cui paulo ante tamquam felicissimo congaudebam, in tantam me magnitudinem repentinæ mortis acerbitate dejecit, ut per multa tempora vix potuerim consolari. Etenim cum inter Coepiscopos probitatis laudibus emineret, facie hilaris, colore vividus, ingenio perspicax, cibo & potu sobrius, membrisque omnibus incolumis haberetur; & omnia corporeæ salutis indicia vitam longiorem promitterent, ut nihil minus eo tempore quàm carnis formidaret interitum; pro dolor! inopinatis cœpit febribus æstuare, & veris rerum effectibus verbis propheticis attestari, quia *homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt*. Cujus ægritudinis molestia brevi tempore graviter maceratus, dum assistentes medici de ejus salute desperare cœpissent, priores ecclesiæ, & quosdam sibi familiari caritate conjunctos ad se vocari præcepit, eorumque consilio disposita domo, & clericis famulisque suis congruis muneribus distributis, viginti marcas argenti ad restaurationem tabulæ altaris, quam famis tem-

pore

pore pauperibus dederat, dereliquit, cetera omnia usque ad interulam & calceos vicinis ecclesiis atque pauperibus erogavit: adeo ut nec mantile quidem quo manus tergeret, retineret. In extremum autem populum qui ad ipsum convenerat, monitis spiritualibus, in quantum poterat, allocutus, universos sibi subditos omnipotenti Domino, qui eos sibi commiserat, commendabat, in tantum, ut quoscumque pro culpis suis à fidelium societate ecclesiastica censura removerat, ab omni excommunicationis vinculo misericorditer relaxaret. Sicque fratribus oscula præbens, ac dominicæ passionis immortalibus mysteriis sub confessione fidei catholicæ recreatus, ab istius mortalitatis ærumnis ad æternæ quietis refrigerium, ut in Domino confidimus, est translatus. Obiit autem quarto Kalend. Augusti, anno dominicæ Incarnationis millesimo ac vij, ordinationis verò suæ duodecimo, totiusque ætatis quasi quinquagesimo: sepultusque est in monasterio sancti Vincentii, in capitulo videlicet monachorum, ad domni Wlgrini lævam, humili sarcophago collocatus, alumnis amicisque suis luctum irremediabilem; sibi verò, sancta Cenomannensis ecclesia, prudentiæ ac religionis suæ memoriale perpetuum derelinquens. Ipse namque (quod ad æternæ vitæ perceptionem animæ illius Christo tribuente proficiat) paulo antequam de hoc sæculo vocaretur, quasi sibi in futurum providens, & de fidelium animarum æterna salute sollicitus, stabili confirmavit edicto, ut Missa pro mortuis quotidie post horam primam in fratrum conventu publicè cantaretur, institutumque suum ipsius celebratione officii per se ipsum primus devotè atque humiliter non dedignatus est inchoare.

Plurima prætereo ne garrula pagina quosdam
Lædat, & ostensis quæ sunt recitanda recusent.
Hoc tantùm paucis volui concludere verbis,
Quod dedit ecclesiæ duo cymbala maxima nostræ.
Addidit his libros, candelabra, pallia, cappas,
Urceolumque simul, corturarumque decorem,
Atque sacerdotum, levitarumque sacratas
Induvias, torquesque auro gemmisque micantes,
Auratasque stolas, pretiolaque dona quotannis,
Pro quibus æternam mereatur habere quietem.

CAPUT XXXV.

De Hildeberto Episcopo.

VEnerabilis quoque HILDEBERTI, non imparis meriti, actus describere disposui, ne laudabilis ejus memoria inerti silentio tegeretur: & qui multos luculentis scriptorum suorum exhortationibus in lucem veritatis induxerat, ipse scriptoris inopia obscurus, & apud posteros incognitus haberetur. Hic itaque ex Lavarzinensi castro, mediocribus quidem, sed honestis exortus parentibus, à domno HOELLO, venerabilis memoriæ Episcopo Cenomannensis ecclesiæ, scholarum magister & Archidiaconus factus, & post decessum ipsius propter scientiæ & honestatis suæ meritum, communi cleri plebisque assensu in ejus loco substitutus est. Vir utique moribus placidus, verbo & actione modestus, & inter omnes illius regionis clericos litterarum studiis præcipuus: qui quamvis à pueritia sub litterarum studio sedulus institisset, sumto tamen Episcopatu sanctarum scripturarum lectionibus propensius incumbebat. Animus enim ejus, bonis artibus eruditus, otiosus esse non poterat. In lege namque Domini secundum Prophetam die ac nocte meditabatur, & divinarum scripturarum libros aut ipse legebat, aut coram se legi faciebat; atque inde, quasi apes prudentissima, multiplicium sententiarum flosculos colligens, dulciores melle sententias excerpebat: ex quibus tamquam sapiens pigmentarius potum mellituum conficiens, suis auditoribus aliquando scriptis, aliquando vivis vocibus propinabat: utriusque sexus & diversæ ætatis personis epistolas exhortatorias dirigens, in quibus tam utiliter ac subtiliter disputabat; ut characterem veterem imitatus, omnium illius temporis scriptorum ingenia, & sententiarum gravitate, & verborum venustate videatur excedere. Cum verò in ecclesia loqueretur, populus quidem verba ejus devotissimè audiebat; sed studiosius audiebatur à clericis, quoniam latina lingua expeditius quodammodo atque vivacius loquebatur. Cujus scripta, tam prosa, quam versibus luculentissime edita, & per diversa loca celeberrime divulgata, scienter & eloquenter ejus præconium nobis tacentibus futuris temporibus propagare sufficiunt. Ipse autem, ni fallor, nondum ad annos ætatis excellerat, cum ad honorem Episcopatus electus est. Unde metuens ne caro more suo semper adversus spiritum concupiscens, vigorem spiritus sui blanditiis emolliret; cœpit corpus suum cibi & potus parsimonia, stratus duritia ac cilicii asperitate domare; vigiliis & orationibus insistere, & secundùm Prophetam, per singulas noctes lectum suum lacrymarum inundatione lavare; & si quæ fuerant juventutis delicta, eleemosynarum largitione redimere. Cum verò ad altare sacrosancta mysteria celebraturus accederet, totus compungebatur in lacrymis; sicque in spiritu humilitatis, & in animo contrito salutarem hostiam divinis conspectibus offerebat. Mensæ quoque ejus pauperes & peregrini semper fuêre participes: quibus omni sabbato, humillimo nostri Salvatoris exemplo, ad vesperam pedes lavare consueverat, magnopere satagens, ne bonum ejus propositum, in quantum fieri poterat, cuiquam fieret manifestum. Et quamvis cum Maria ad pedes Domini sedens, contemplationis ejus dulcedini, si fieri posset, vacare jugiter elegisset; tamen eum ad Marthæ sollicitudinem pastoralis officii cogeretur necessitate transire, dici non potest quàm studiosè, quàm strenuè exteriorum ministrationibus insistebat: & ea, quæ antecessorum suorum negligentia vel destructa fuerant, vel omissa, infatigabili studio restaurare satagebat. Continuo namque domum capituli, quæ ibi ea multo tempore nulla penitus habebatur, laudabili opere cœpit à fundamentis construere, eamque decenter & undique vitreis illustravit; multaque alia facere disponebat, nisi magnis supervenientibus tribulationibus fuisset impeditus.

Eo namque tempore inter Regem Anglorum & HELIAM Comitem bellum gravissimum exortum est, pro eo scilicet quod idem Rex Cenomannensem Episcopatum calumniabatur, ideoque ordinationi Episcopi moliebatur obsistere. Cùm autem eum ordinatum audisset, inimicitiarum, quas dudum mente conceperat, manifestis bellorum incursibus patefecit. Cujus inceptis, licet viribus impar, dum Comes Helias conaretur obsistere, hostesque qui adversus eum venerant, incautius sequeretur; ab ipsis prô dolor! comprehensus est, & Rotomagum usque productus, in arce ipsius civitatis in vincula conjectus est. cujus infortunio non solum civitas, sed & tota Cenomannensis regio perturbata est. Quo comperto, FULCO Andegavorum Comes protinus cum filio suo GAUFRIDO, cui filia Heliæ Comitis jam desponsata fuerat, in civitatem advenit, & consensu civium in munitionibus civitatis custodiam posuit, ibique relicto filio ad alia negotia properavit. Interea Rex Anglorum cernens civitatem Principis sui præsi-

dio destitutam, quorumdam perfidorum civium assensu illuc accedere properavit; & circa Culonias vicum Episcopalem cum magno exercitu consedit, ipsumque vicum, cum ecclesia quæ ibidem erat, igne concremavit: & omnia quæ ibi Episcopus habebat, crudeliter devastavit. Oderat enim illum, sicut supra dictum est, pro eo quod contra calumniam illius episcopatum acceperat. Cives autem cum bellico apparatu de civitate egressi, contra ejus exercitum viriliter obsistere conabantur. Rex autem perfidorum consilio se intelligens deceptum, facto vespere cùm imminentis noctis profundum silentium advenisset, cum exercitu suo clam discessit, & castra vacua hostibus dereliquit. Cives autem mane surgentes cùm semetipsis ad pugnam præparare cœpissent, comperto Regis abscessu, castra illius invaserunt, & neminem ibi reperientes ad propria reversi sunt. Quo audito, Helias timens ne Fulco Comes proscriptioni ejus intenderet, mandavit ad se Episcopum, & quosdam ex primoribus civitatis ex consensu Regis, & cœpit agere cum eis, eosque suppliciter deprecari, quatenus casibus illius condolentes, modis omnibus niterentur, qualiter civitatem Regi traderent, ipsumque à vinculis liberarent. Timebat enim quod Fulco Comes, Regis deceptus muneribus, cum eo pacem faceret, atque civitate tradita perpetuo damnaretur exilio. Episcopus autem & qui cum eo venerant, ejus angustias miserantes, cum Rege de ejus liberatione locuti, cum eo tale pactum fecerunt, ut si eorum consilio atque ingenio sibi civitas traderetur, ipse Heliam Comitem quietum & liberum abire permitteret. quod negotium industria Præsulis celerius quàm sperabatur effectum; eodemque tempore & Regi civitas, & Consuli abeundi libertas reddita est. Rex ergo recepta civitate, & positis in munitionibus ejus copiosis virorum, armorum, escarumque præsidiis, in Angliam transfretavit.

Interea Helias apud castrum Lid & in castris circum positis morabatur, atque vires suas quasi taurus in latebris silvarum, ad nova certamina, in quantum poterat, reparabat, castella sua vallo atque fossa muniendo, ac sibi vicinorum amicitias atque auxilia conciliscendo. Denique sequenti æstate magno vicinorum atque amicorum exercitu congregato, non longè à civitate improvisus advenit: cui milites Regis simul cum populo usque ad Pontem-Leugæ hostiliter occurrentes, cùm ejus impetum sustinere non possent, in fugam conversi sunt. Ille verò amne transmisso, eos viriliter insecutus, atque cum suo exercitu civitatem nullo prohibente audacter ingressus, eos qui in munitionibus erant, repentina obsidione conclusit. At illi qui erant in arce, facto vespere ignem maximum incendentes, in subjectas domos ardentes faculas summa instantia jactare cœperunt. Ignis verò flante Euro convalescens, totam civitatem cum magna parte suburbiorum consumsit. Quo incendio populus stupefactus, atque in mæstitiam conversus, non satis fidum Comiti præstabat auxilium. Comes verò contra munitiones machinas atque tormenta ad jactandos lapides erigens, eos qui intus erant, summo conamine expugnare nitebatur. At illi contra machinas ejus machinas facientes, omnia ejus molimina frustrabant. Cernens igitur quia nihil proficeret, & quod ejus paulatim dilaberetur exercitus Regisque timore perterritus, qui cum maximo exercitu suis properabat succurrere; propriæ saluti consulens, relicta obsidione repente à civitate discessit. Quo comperto, quatenus timor simul ac luctus animos civium invaserit, & quanta populi multitudo cum mulieribus & parvulis relictis omnibus quæ habebant eum secuta sit; & hi qui in civitate remanserant, quàm crudeliter & quàm inhumane ab hostibus sint oppressi, & miserum est audire, & nimis tædiosæ prolixitatis exponere. Nisi enim Regis liberalitas prædonum sævientium rapacitatem compesceret, diebus illis pro certo civitas nostra ad extremum pervenisset excidium: Denique Rex civitate pro suo potitus arbitrio, & positis in ea custodiis, iterum in Angliam reversus est.

Quidam autem ex clericis à principio promotioni Præsulis invidentes, & dolos tota die contra eum meditantes, illum apud Regem graviter accusabant, nuntiantes eum conscium fuisse proditionis, quando Helias Comes consentientibus civibus civitatem occupavit, & milites Regis in munitionibus obsedit. Unde eum Rex suspectum habens, & contra eum semper occasiones quærens, instanter atque pertinaciter ab eo exigebat, ut aut turres ecclesiæ unde sibi damnum illatum fuisse quærebatur, dirui præciperet; aut post ipsum remota omni occasione in Angliam transfretaret. Qui licet invitus, Regis tamen urgente imperio, vellet nollet, maris pericula subire coactus est: ibique cum Rex iterum stimulantibus æmulis de turrium destructione cœpit vehementer urgere; eique ob hanc causam intolerabilem inferre molestiam. Ceterum quo facilem & celerem effectum affectus Regis obtineret, obtulit Pontifici maximum pondus auri & argenti, unde sepulcrum beati Juliani honorificè, immo ad ignominiam sempiternam fieri potuisset. Nam talis instabat conditio, ut statim turres ecclesiæ delerentur. cujus pactionem toxicatam Hildebertus prudenter respuens dixit: Nos caremus in partibus nostris artificibus, qui tantum opus congruè noverint operari: ex hinc regiæ congruit dispositioni tam diligens opera & impensa, in cujus regno & mirabiles refulgent artifices, & mirabilem operantur cælaturam. Verumtamen Hildebertus magnis undique coartabatur angustiis, quia sibi & de Regis offensione periculum, & de turris destructione sibi & ecclesiæ suæ imminere grande prævidebat opprobrium: propter quod à Rege dilationem petebat, donec super his consilium accepisset. Qua vix impetrata, cernens sibi nequaquam esse utile in illis regionibus diutius immorari, breviter ad suam reversus est ecclesiam. Detulit plane duo preciosa cimbala, & optimam cappam de pallio, & duas pelves argenteas cum aliis ornamentis, quibus hucusque nostra ornatur ecclesia.

Interea Præsul de præcepto Regis vehementer anxius, de urbis incendio, de domorum & omnium rerum suarum destructione, de civium expulsione; primo tamen de clericorum, quos violentia Regis ab urbe eliminaverat, dispersione mæstissimus, Dei omnipotentis clementiam jugiter precabatur, ut ab ecclesia & populo sibi commisso iram indignationis suæ dignaretur avertere. Misertus autem Dominus afflictionis illius, indignationem suam ultra quàm sperari poterat, mitigavit; & facies inimicorum ejus ignominia & confusione replevit, ut canticum eorum in luctum, & organum eorum in vocem flentium verteretur. Nam Rex ille quondam opulentus, qui in virtute sua confidebat, & in multitudine exercitus & divitiarum suarum gloriabatur, qui non tantùm domesticis, sed & finitimis circumquaque populis, tamquam leo ferocissimus, terribilis habebatur; repente contritus & usque ad terram humiliatus, cum omni gloria sua velut fumus evanuit. Dum enim quadam die in silvam venandi gratia perrexisset, ab uno ex militibus qui secum ierant sagitta percussus, interiit. Quod cùm Comes Helias comperisset, sine mora cum populo, qui eum secutus fuerat, ad civitatem venit, & eos qui in munitionibus erant rursus obsidione concludit. qui dum novi

Regis adjutorium tribus mensibus & eo amplius exspectassent, & omni auxilio destitutis nullum ex parte aliqua patuisset effugium; tandem coacti de munitionibus egressi sunt, & Consulis liberalitate membrorũ & vitæ impunitate donati, in patriam reversi sunt.

Pacata igitur civitate, & hostibus inde effugatis, Hildebertus Romam proficiscitur: quem PASCHALIS Papa in notitiam suam attentius recepit & familiaritatem. Deinde illo Apuliam, Siciliamque progressu, sibi universi, quasi Angelo Dei, honorem exhibebant & reverentiam. Dux enim Apuliæ, & avunculus ejus Comes Siciliæ ROGERIUS, audita fama scientiæ Præsulis & honestatis, illum cum maximo honore & incredibili reverentia susceperunt. inde verò Rogerius Dux ccc libras thuris pretiosi propriis confecit manibus, & per ipsum sancto Juliano cum maxima balsami quantitate, & cum quinque palliis pretiosis, & vinagiis argenteis & deauratis, & acerra argentea, cujus materiam artificium superabat, destinavit. Rogerius etiam Comes Siciliæ ad faciendum opus beati Juliani centum uncias auri, ad victum Canonicorum decem libras Cenomannensis monetæ delegavit. In eisdem quoque regionibus erat quædam sancta & nobilis matrona, quæ visione angelica sæpenumero inspirata, in honore & nomine patroni nostri pissimi Juliani cœnobium construxerat: & hæc socios Præsulis itineris ignaros, & noctis tenebris per quæque devia oberrantes, honesta hospitalitatis gratiâ donavit, & quoddam pallium nostræ transmisit ecclesiæ; & hîc beatus hospitalis Domini invocantibus se non defuit Julianus. Præterea ab Episcopis & ceteris optimatibus ejusdem provinciæ idem Hildebertus multis diversis generis muneribus honoratus, tandem ad ecclesiam suam cum pace & gaudio remeavit, magnamque partem eorum quæ secum detulerat, ecclesiis civitatis prudenti dispensatione distribuit: cetera in ecclesiæ restauratione & domorum episcopalium constructione abundanter expendit. Ipse enim easdem domos de occidentali parte in orientalem partem ecclesiæ transtulit, easque juxta sancti Salvatoris ædem, in loco ubi aula domni Gervasii Præsulis antiquitus fuerat, decenti opere collocavit. qui etiam in villa episcopii sui, quam Viriacum nominant, tribus ferme miliaribus ab urbe distante, aulam lapideam cum cubiculis & cellario construxit, eamque terris, vineis, decimis augmentavit. Ipsius igitur consilio ac diligenti exhortatione liberalis Comes HELIAS lectum, in quo sancti Juliani beata membra requiescunt, auro decoravit, & argento: concessit etiam nostræ ecclesiæ quidquid antecessores sui HUGO Comes HERBERTI filius, & WILLUS Rex Anglorum, & HUGO Comes Marchisi filius suis temporibus eidem contulerant ecclesiæ, diablagium videlicet, consuetudines, exactiones, & quemcumque in claustro, in episcopalibus domibus & apud Culonias, & in tota terra Canonicorum, quæ infra quintam continetur, obtinere dicebatur, justè vel injustè, excepto raptu atque incendio. Præter hæc concessit quidquid ejus socer GERVASIUS de Castro Lid in terra Episcopi & Canonicorum, quæ ultra Idoneam fluvium est, beato contulerat Juliano. Denuo omnes sacerdotes & clericos ab omnibus costumis & publicis exactionibus immunes instituit esse & quietos. Ad ædificationem verò nostræ ecclesiæ cxlvij aureos dedit, & ad componendum thuribulum cotidianarium ij marcas argenti, & Canonicis v marcas. Præterea ad unam crucem faciendam l uncias puri auri moriens beato Juliano dereliquit: de quo postmodum Hildebertus crucem magnam, gemmis & emblematibus illustratam composuit. Ex eo itaque tempore constructioni ecclesiæ attentius insistebat.

A. al. et.

Ea fere tempestate dum Comes ROTRUDUS Perticensis in turri Cenomannica captus teneretur, & idem Episcopus ad eum trepidum mortis accessisset; delicta confitetur, flagitat veniam, sua largitur, disposita confirmat testamento. Rogat ut ipse matrem ejus adiret, & de testamento testimonium perhiberet, ne alicujus ingenio posset annullari. Episcopus verò Comitis precibus permotus, cum Hugone Decano, & Fulchardo Cantore Novigentum progreditur. quibus primo à matre Comitis osculum pacis porrigitur, & coram eis devotè testamentum confirmatur. In crastinum HUBERTUS Capreolus, Dapifer ejusdem Comitis, existimans Decanum captionis Comitis conscium exstitisse, Episcopum cum omnibus suis cepit, eosque carcere mancipavit. Qui verò hujus rei seriem certius voluerit cognoscere, in epistolis ejusdem Pontificis plenius inveniet. Sed de his hactenus,

ADAM, planè vir honestæ conversationis & vitæ, ex nostra diœcesi oriundus, & tunc sancti Sepulcri Domini Canonicus, per R. Vicecomitem & G. de Braitello quamdam crucem ecclesiæ nostræ transmisit, in qua duæ cruces de ligno in quo Dominus JESUS passus est, locantur; supra secundam crucem lapis de monte Oliveti inde quo Dominus cœlos conscendit, positus est; dexterà lapis de Gethsemani, ubi Dominus captus est; lævà lapis de Gabatha, ubi Dominus cæsus est; subtus lapis de petra Calvariæ quæ in passione Redemptoris scissa, & ejus cruore superfusa est; lapis de sepulcro Domini in majori continetur foramine. Hanc igitur Hildebertus in canticis & organis & lacrymarum inundatione, clero astante & populo, suscepit, eamque in matrem ecclesiam cum qua decuit reverentia collocavit, anno Domini millesimo c xvj, iij feria Paschæ.

Per idem fere tempus, in adjacentium finibus regionum surrexit quidam hypocrita, quem propria actio, mores perversi, dogma detestabile scorpionibus & parricidalibus dignum protestantur suppliciis. Is enim ovium spoliis lupi rapacis rabiem occultans, vultus & oculorum incitatione mari conformis naufragoso, coma succinctus, intonsus barba, corpore procerus, pernix incessu, nudis humo, bruma debacchante, serpens vestigiis, expeditus affatu, terribilis sono, juvenis ætate. Nullus ei nitor in vestitu, victus ejus à publico in promtu dissimilis, hospitium in ædibus burgensium, mansio in porticu, cœna, cubile in cœnaculo, minime siquidem ad instar Danielis Prophetæ, sed juxta illud, *Mors intravit per fenestras vestras.* Quid multa? idem namque miræ sanctitatis & scientiæ circumquaque rumore, non merito; falsitate, non vero habitu erat celebrior, non moribus, non religione, sed opinione. Matronæ etiam atque impubes pueri (nam utriusque sexus utebatur lenocinio) pro varia vice huic accedentes, excessus suos profitentur; sed augmentant, plantas ejus, clunes, unguina, tenera manu demulcendo. Isti plenè tanti viri lascivia exhilarati & adulterii enormitate, publicè testabantur, numquam se virum attrectasse tantæ rigiditatis, tantæ humanitatis & fortitudinis: cujus affatu cor etiam lapideum facilè ad compunctionem posset provocari. Hujus itaque religionem & cælibem vitam monachi & viri anachoritæ, & universi regulares deberent imitari. Asserebant quoque sibi à Domino Deo antiquam & authenticam Prophetarum collatam fuisse benedictionem, & Spiritum quo mortalium expressus ceteris incognitos, visa tantùm eorum facile cognosceret & proderet. Cum hujusmodi fama nostram afflaret regionem, populus propria levitate proprio applaudens detrimento, cotidie & tota die illius illudi confabulationibus suspirabat & ejus ad-

ventum, quò citius posset hæresis suæ consors in remotus fieri & particeps. Solet enim accidere multoties, quod plerisque ea sunt gratiora, quæ sibi magis officiunt. Ceterum hoc volvenda dies en attulit ultro. Ipse enim nostros compatriotas viperino afflatu suo disponens inficere, eidem Episcopo duos ea discipulis suis, tam vita, quàm habitu sibi similes, ad instar Salvatoris ante faciem suam destinavit: qui cùm die Cineris nostræ suburbia civitatis attigissent, eos plebs universa malo fervens proposito, tamquam Domini universitatis Angelos susceperunt. Gerebant ea doctoris cuusuetudine baculos, vexillum crucis in quorum vertice ferro fabricatum erat infixum, colore & exteriori conversatione speciem prætendentes pænitentium. Hos idem Pontifex, vir maximæ pietatis, minùs argolici equi formidans insidias, blandè recepit & devotè, eisque hilarem frontis gratiam exhibuit & liberalitatis. Et quamvis Romanum iter assumsisset, tamen inter cetera suis injunxit Archidiaconis, ut illi pseudo-eremitæ HANRICO (hoc enim nomine vocabatur hæreticus) pacificum ingressum & licentiam sermocinandi ad populum permitterent. Quo mœnia civitatis ingresso, vulgus solito more (ut diximus) applaudebat novitati, & potiùs personam mirabatur incogniti, quàm probati. Quid mirum? Æstimabant illum suam honestate famam excedere, cui rumor præconiu, quo frequentius utitur, excellebat. cujus schismate, factionibus, privatis largitionibus, plerique clericorum excæcati, plebeculæ declamationibus alimenta ministrabant, tribunal præparantes. unde concionator ille turbas alloqueretur obsequentium sibi populorum. Ceterom dum orationem haberet ad populum, eidem clericis ad pedes ejus residentibus & flentibus, tali resonabat oraculo, acsi dæmonum legiones uno hiatu ejus ore murmur exprimerent. Verumtamen mirum in modum facondus erat: cujus sermo ita mentibus vulgi per aures infusus hærebat, quasi recens venenum interius membris indagatis, circa vitalia totis collectis viribus, cum vita inexorabile exercens odium, se inflectit avidius, jugiterque degrassatur. Qua hæresi plebs in clerum versa est in furorem, adeo quod famulis eorum minarentur cruciatus, nec eis aliquid vendere, vel ab eis emere voluissent: immo habebant eos sicut ethnicos & publicanos. Præterea non tantùm ædes eorum obruere, & bona dissipare; sed illos lapidare aut affigere patibulo decreverant, nisi Princeps & optimates ejus, cognita illorum nequitia, nefandis ausibus suis, vi potius quàm ratione (bellua enim rationem non admittit) restiterent. Quidamque ex clericis in eadem urbe manentibus. Hugo scilicet de Osello, & Willus Qui-non bibit-aquam, & Paganus Aldricus, cùm quadam die ad eum gratia disceptandi accessissent, vehementer verberati & in buccis, in luto & in cœno contumeliosè obruti & sordidati, vix sine mortis discrimine impetum furiosæ plebis potuerunt sustinere: immo postquam evaserunt periculum, eorum profectio similis fugæ videbatur. Illi enim ab ipsis comprehensi nullatenus evasissent periculum, nisi Comitis & optimatum ejus patrocinio latebras subire potuissent. Nam (sicut dictum est) princeps civitatis illorum errori resistens, nullatenus à clericorum tuitione volebat resilire. Clerici verò per quemdam Canonicum eidem hypocritæ litteras, quia viva voce cum eo loqui non audebant, in hunc modum transmisere.

» Ecclesia nostra te & socios tuos in vestimentis
» ovium venientes, sed intrinsecus lupi rapacis mo-
» lientis insidias, cum pace recepit & honore. Ipsa
» etiam tibi affectum & effectum fraternæ caritatis
» exhibuit, existimans quod populum de salute ani-
marum fideliter commoneres, & semen verbi Dei «
in cordibus eorum sinceriter seminares: sed tu pro «
pace iram, pro honore opprobrium, pro caritate, «
odium, maledictionem pro benedictione perverso «
ordine reddere, & Ecclesiam Dei fallacia tua per- «
turbare præsumsisti. Nam inter clerum & popu- «
lum discordiam seminasti, ac seditiosæ plebis mul- «
titudinem cum gladiis & fustibus adversus ma- «
trem ecclesiam traditione decies iterata commo- «
visti: nobis osculum Judæ porrexisti, nosque & «
universum clerum publica injuria hæreticos ap- «
pellasti. Insuper (quod pejus est) multa contra «
Fidem catholicam quæ fidelis Christianus retra- «
ctate exhorrescit, perniciosè & infideliter protu- «
listi. Igitur ex auctoritate summæ & individuæ «
Trinitatis & totius orthodoxæ Ecclesiæ, & sanctæ «
Dei Genitricis Mariæ & sancti Petri Apostolorum «
principis, & Vicarii ejus reverendi Patris nostri «
PASCHALIS Papæ, atque antistitis nostri HILDE- «
BERTI, tibi sociisque tuis malè & damnosè er- «
rori tuo blandientibus penitus prohibemus, ne in «
toto Cenomannensi Episcopatu ulterius, nec pri- «
vatim, nec publicè, prædicationem facere, nec «
perversorum dogmatum ineptias propagare præsu- «
mas. Si verò contra tantam auctoritatem usurpa- «
veris nefandis faucibus tuis dehiscentibus denuo «
virus eiicere, eadem auctoritate ejusque privile- «
gio suffulti, excommunicamus te, omnes cum- «
plices, fautores & adjutores tuos, & ipse, cu- «
jus divinitati non desinis contraire, te in die di- «
stricti judicii æterna maledictione faciat manci- «
pari. «

Ille verò apices minimè recepit; sed WILLUS Musca seriem litterarum coram eo retulit. Huic sanè supplicium astantes mirabantur: nam in propatulo, ut sibi visum fuerat, Hanrico audacter opprobria ingerebat. Hanricus plane singulis litterarum distinctionibus caput mutando, Mentiris, iterabat. Sanè nisi Dapifer Consulis illic adesset, cujus conductu Willelmus iter illud sumserat, numquam vivus ad matrem remearet ecclesiam. His ita gestis, nec minus apud S. Germanum & sanctum Vincentium sacrilegos agebat conventus, ubi dogmatizabat novum dogma, quod feminæ, quæ minus caste vixerant, coram omnibus vestes suas cum crinibus nudæ comburerent; nec quilibet amplius aurum argentum, possessiones, sponsalia cum uxore sumeret; nec illi dotem conferret; sed nudus nudam, debilis ægrotam, pauper duceret egenam; nec curaret sive castè, seu incestè connubium sortirentur. Dum ea, sicut in posterum dixerat, agerentur, ille quid singulæ haberent venustatis mirabatur, quæ ceteris candore excelleret, vel nitore corporis splendidior haberetur. Ex jussu tamen illius plebis actio pendebat universa, & affectus. Tanta auri, tanta argenti affluentia, si vellet, redundaret, ut opes omnium solus videretur possidere. Licet plane multa reciperet, tamen parcebat cupiditati, ne nimis ambitiosus videretur. Verumtamen plura sibi retinens, pauca ad restaurationem pannorum qui (sicut dictum est) incensi fuerant, conferebant. Ejus quoque admonitu multi juvenum ducebant venales mulieres, quibus ipse pannos pretio quatuor solidorum emebat, quo nuditatem suam tantummodo supertegerent. At vetus Judex opibus quallatis hæretici, ceteris innotuit qualis esset arbor, folia proferens sine fructu: quæ tamen occupat terram, & quæque circumquaque germinantia exstinguit, nesciens exspectare hiemem, sed æstate arescit, & moritur. Juvenes enim qui nequam ejus consilio uxores acceperant, parvo temporis dilapso curriculo, aut fame aut stupro compulsi mulierum, ad alias partes

transf. olabsut, feminas relinquentes totius egentes auxilii. Sicque illi aliis in adulterio adhærebant; & ipsæ adhuc maritis suis superstitibus, aliorum connubia illicitè exspectabant. Nemo enim ex illis qui ejus exhortatione conjugium inierunt, cum multi essent, umquam uxori suæ, vel viro conjux fidem exhibuit vel reverentiam; vel quælibet alia mulier, quæ fornicationi, deliciis vestimentorum, jurejurando abrenuntiasset, potuit se continere: sed in dies augmentando facinora, in deteriora delapsa est.

Hæc & multa his similia exactor ille jugiter perficiens, adventu cognito Antistitis, qui (sicut prælibavimus) Romam profectus fuerat, secessit in castrum sancti Karilefi: ibique & in locis circumpositis morabatur, nequaquam incæptu desistens, sed cotidie ad quæque pessima innovstus. Nam sacratissimo die Pentecostes, cùm etiam parvuli fideles officiis soleant divinis devoti interesse, ipse miserrimus omnium, adscito sibi quondam adolescente clerico, cujus indicio postea tota illius petulantia denudata est, clam secreto noctis silentio ad domum cujusdam Militis proficiscitur, ibique cum matrona domus in thalamo luxuriosè tota die usque ad meridiem immoratur. Sic nec timore divino, nec pudore hominum lasciviæ suæ voluit temperare, donec enormitatem sui facinoris finitimis & exteris populis innotesceret. His ita pertractatis, & præfato Pontifice, multa maximaque clericorum suorum stipante caterva, suburbia civitatis ingresso, & signum Dei vivi paterno affectu ore & manu progente in populum, felle cordis & sermonis in injuriam Creatoris commoventur, ejus signaculum & pontificalem respuentes benedictionem. Nolumus, inquiunt, scientiam viarum tuarum, nolumus benedictionem: cœnum benedic, cœnum sanctifica; nos babemus patrem, habemus pontificem, habemus advocatum, qui te excedit auctoritate, excedit honestate, excedit scientia. Huic clerici iniqui, clerici tui adversantur, ejus doctrinæ contradicunt, hunc quasi sacrilegum detestantur & respuunt, verentes quod eorum scelera denudaret prophetico spiritu, & hæresim suam & corporis incontinentiam privilegio condemnaret litterarum. Sed hæc omnia sine dilatione in eorum capita redundabunt, qui sancto Dei vocem cælestis prædicationis, nescimus qua consilii audacia, interdicere præsumserunt. Episcopus autem misertus erroris eorum & insipientiæ, opprobria ab eis sibi illata clementer sustinuit, Deum majestatis assiduè exorans, ut plebis errorem admixtum clarioni compesceret, ne ecclesiæ suæ schisma inferre potuissent. Sed juxta vocem Psalmistæ pro salute delinquentium exorantis, *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*; idem Dominus Deus repentino incendio maximâ partem suburbiorum civitatis permisit comburi, ut saltim temporali jactura malum propositum suum deponerent, & nomen sanctificatum, nomen Dei vivi invocarent. Pontifex verò illud Prophetæ recinens, *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te*, paucis evolutis diebus seductorem adiit, & ejus impietatem divina auctoritate continuit. Cum verò simul inirent colloquium, Episcopus sciscitatur, cujus meriti sortitus esset professionem. At ille ignorans quid esse professio, obmutuit. Denuo requirente Episcopo, cujus Ordinis fungeretur officio? ait ille: Diaconus sum. Tunc Episcopus, Profer igitur si hodiernis interfuisti mysteriis. Respondit, Non. Pangamus ergo Domino Deo hymnos matutinales. quibus incæptis, Henricus profitetur sed se etiam ignorare. Episcopus tamen volens omnino ejus referare insipientiam, Dei genitricis solitos psalmos canere cœpit. Horum quoque nec versus noverat, nec seriem. Sicque rubore confusus, vitam suam, genus dogmatizandi, & præsumptionem profitetur. Re vera lixa erat, nullam adeptus scientiam, sed totus deditus petulantiæ: tamen sermocinandi ad populum, & tessaras jaciendi notitiam prosecutus. Hinc scriptum est: Vera gloria radices agit atque propagatur: ficta omnia celeriter transeunt, & tamquam flos feni decidunt, nec quicquam simulatum potest esse diuturnum. Verùm tamen Episcopus cognita levitate & impietate Henrici, apostolica sibi prohibuit auctoritate, ne ipse amplius in episcopatu suo permaneret: sed ad alias partes, nostris parcens, gressus dirigeret. Ille verò convictus industria Pontificis, clam aufugit; & ceteras regiones, nisi ocior esset fama, simili modo perturbaret, & viperino hiatu suo inficeret. Hæc de Henrico adnotavi, & gestis Hildeberti inserui ad commodum & doctrinam posterorum; ut caveant ne ecclesia Christi aliquando hujusmodi erroribus valeat perturbari. Denique idem Hildebertus modis omnibus procuravit, qualiter furorem plebis ratione pariter & humilitate mitigaret, quam Henricus contra clerum seditiosè concitaverat. Eos enim Henricus sic sibi illexerat, quod vix adhuc memoria illius & dilectio à cordibus eorum deleri valeat vel depelli.

Hildebertus autem opus ecclesiæ, quod per longa tempora protractum fuerat, suo tempore insistens consummare, dedicationem ultra quam res exposcebat accelerans, multa inibi necessaria inexpleta præteriit. Anno plane Domini millesimo c xx, in octabis Paschæ, die scilicet majoris letaniæ, consecravit eam in honore & nomine sanctæ & gloriosæ semperque virginis Mariæ & beatorum martyrum Gervasii & Protasii, & piissimi confessoris Juliani. Statuit quoque in octavis Paschæ ejusdem dedicationis anniversarium per annos singulos solemniter celebrari. Archiepiscopi verò, Episcopi plures cum Abbatibus, & multis vicinarum ecclesiarum personis venerabilibus in hac consecratione affuerunt. GUILLELMUS Turonensis Archiepiscopus, vir genere generosus, persona conspicuus, ætate juvenis, virtute animi & actuum probitate ceteros antecedens, consecravit majus altare in honore & nomine Domini Salvatoris & beatæ Mariæ ejus genitricis, & sanctorum martyrum Gervasii & Protasii. GAUFRIDUS verò Rotomagensis Archiepiscopus, qui nostræ Decanus fuerat ecclesiæ, & in quo litterarum scientia, morum maturitas, discreta justitia, ordinata fulgebat liberalitas; festivus consecravit altare sepulcri beati Juliani in honore & nomine ejusdem Confessoris. Noster sane HILDEBERTUS, cujus laudes in præsenti pagina continentur, consecravit altare, quod est in superiori & digniori crypta, in honore & nomine sanctæ & gloriosæ semperque Virginis Mariæ & omnium sanctorum. MARBODUS quoque Redonensis Episcopus, senio confectus, obtutu orbatus oculorum, sed virtute animi, subtilitate ingenii, salubri consilio, consummata sapientia fulciens infirmitatem corporis, consecravit altare quod est in dextro membro ecclesiæ ad nomen & honorem sanctorum Petri & Pauli, & omnium Apostolorum. RAGINALDUS Audegavensis Episcopus, homo versutus, qui postmodum sua industria in tantum LUDOVICI Regis Gallorum sortitus est familiaritatem, ut ab eo Remensis Archiepiscopus substitueretur, consecravit altare crucifixi in honore Salvatoris, & in commemorationem sanctæ Crucis. Hæc autem consecratio eadem die eademque hora generaliter (ut diximus) celebrata est. cujus consecrationi interfuit Comes Andegavensis, scilicet FULCO FULCONIS filius, & venerabilis Comitissa uxor ejus ARAMBURGIS, filia Comitis HELIÆ, quam paterno jure Comitatus Cenomannensis contingebat. qui scilicet Fulco ac præfata Aremburgis cum à præscriptis rogarentur Episcopis, ut de redditibus suis ad honorem

Dei & salutem animarum suarum aliquid providerent, quo velut dotalitio quodam consecrata donaretur ecclesia, juxta petitionem eorum se facturos promiserunt.

Deinde paucis diebus evolutis, idem Comes & Comitissa Cenomannis venerunt, & unà cum multis Baronibus matrem ingressi ecclesiam, ante altare beatissimi Juliani, præsentibus Episcopo Hildeberto & ejusdem ecclesiæ Canonicis, dederunt beato Juliano unam feriam * in civitate Cenomannensi, in anniversario die consecrationis matris ecclesiæ, tribus continuis diebus celebrandam, scilicet die sabbati & die Dominica, & die Lunæ. Dederunt etiam omnes reditus illorum trium dierum quoscumque, vel quocumque modo Comes habebat in civitate, vel in burgis, tam in consuetudinibus, quàm in forfactis, nihil omnino eorum sibi retinentes, præter effusionem sanguinis in illos malefactores, qui censura curiæ premuntur. Quidquid autem pecuniæ apud latrones vel forsactores invenietur, in pecuniali composito ipsius forfacti ecclesiæ erit, effusio autem sanguinis curiæ ministris adscribetur. Hujus sanè donationis medietas episcopalem spectabit mensam; alia verò in usum cedet Canonicorum. Fecit autem hoc donum, sicut scriptum est, unà cum Comite ipsa etiam Comitissa, quod filius eorum GAUFRIDUS concessit. Porro cum recitatum esset istud donum, tam Baronibus, quàm populo, & ab omnibus approbatum; ipse Comes assumens filium suum Gaufridum, & de terra elevans inter brachia sua, posuit super altare beati Juliani, offerens ei & ipsum puerum, & per eum & in ipso præfatum beneficium adjungens, hoc audiente populo: Tibi sancte Juliane, meum filium commendo, & terram meam, tu utriusque sis protector & defensor. Relinquens igitur præfatum puerum super aram, atque uberrimis perfusus lacrymis recessit, brevi intervallo Jerosolymam, sicut disposuerat, profecturus.

In his diebus erat in Apulia Miles quidam, nomine GAUFRIDUS, filius GAUFRIDI de Meduana, unus scilicet ex nostræ regionis primoribus, argento & auro & magnarum possessionum divitiis, quas in illis partibus adquisierat, opulentus, qui ob amorem & memoriam patriæ suæ capellariam suam, id est quædam pretiosa ornamenta, quæ in capella sua habebat, Deo & sanctissimo patrono nostro Juliano voverant se daturum. Is ergo Jerosolymam profecturos, misit Episcopo nostro litteras suas, in quibus continebatur, ut ei aliquos de clericis suis mitteret, viros fideles & industrios, quibus ornamenta illa tuto possent & sine aliqua fraudis suspicione committi. Quo nuncio Episcopus lætus & hilaris effectus, misit illuc duos ex Canonicis nostræ ecclesiæ, Gervasium Archidiaconum Paganellum, & Hugonem de Lavarzino, tunc temporis Archipresbyteri officio functum, tradens eis abunde stipendia, quæ tanto itineri necessaria videbantur. qui injunctum sibi negotium strenuè peragentes, & omnia, sicut vir ille mandaverat, absque difficultate recipientes, cum ornamentis illis prospero itinere ad ecclesiam nostram divina gratia comitante reversi sunt. Episcopus autem cognito eorum adventu, cum ecclesiastico apparatu & festiva cleri & populi processione, extra civitatem eis lætabundus occurrit, & tam sancta tamque pretiosa munera cum qua decuit veneratione suscipiens, cum ingenti cleri plebisque gratulatione in secretario matris ecclesiæ collocavit. Erat ibi in primis quædam aurea tabula, in qua erat iconia sancti DEMETRII Martyris, miro artificio mirificè fabricata, cujus materiam, licet auream, mirabilis artificii excellentia mirabilius superabat. Ibi quoque thesaurus incomparabilis, thesaurus desiderabilis signatur, scilicet quædam uncia * ejusdem Martyris, cum dente sancti Johannis Baptistæ, & quidam capillus gloriosissimæ Dei genitricis, tabula etiam altaris in itinere deportanda, auri simul & argenti ex utraque parte laminis vestita ductilibus. Ibi nempe una costarum recluditur protomartyris Stephani. Deinde duo libri, unus evangeliorum, alter missalis, auro & argento purissimo elegantissime decorati. Præterea duo candelabra argentea optime deaurata, sed melius fabricata, cum thuribulo argenteo, & duobus baculis similiter deauratis, & cruce argentea auro & gemmis illustrata, & calice argenteo interius exteriusque deaurato, necnon duæ preciosæ planetæ optimo aurifrisio adornatæ, & duo anuli aurei pontificales, cum duabus cappis sericis, & quodam palliolo & manili, & alba & stola & manipulo. Idem verò Gaufridus Jerosolyma reversus, ad ostendendum quantam devotionem, quantumque affectum erga beatum habebat Julianum, causa peregrinationis Cenomannis advenit. cujus adventu præcognito, Hildebertus cum personis ecclesiæ suæ & primoribus civitatis illi festinanter occurrerunt, & hilarem frontis gratiam & mentis ... prætendentes. Interea interius quibusque pre... ecclesia parata, & universo lumine accenso, & thesauro prælibato super majus altare imposito, Gaufridus processione humiliter resutata, ad limen ... dilectæ & diu desideratæ pervenit ecclesiæ. Ille verò ecclesiam devotè ingressus, suam orationem (ut credimus) peroravit, & patrono suo vexilla obtulit, utrinque decentes auro interlita. Hildebertus autem & Canonici ejus eum cum summa reverentia & honore in ædibus episcopalibus susceperunt, sibi & suis ad vota sua hilariter necessaria ministrantes.

Tantis ergo divinæ gratiæ beneficiis Hildebertus animatus, cœpit & ipse divinæ bonitati pro modo suo cooperator existere, & ecclesiam libris, palliis, cappis & sacerdotalibus atque leviticis indumentis & preciosissimis ad chorum parandum dorsariis sive scamnalibus, laudabiliter cum januis ante chorum adornare. Tabulam quoque altaris sanctorum martyrum Gervasii & Protasii simul & beatissimi Juliani partim ex argento, quod bonæ memoriæ domnus HOELLUS Episcopus antecessor ejus ad hoc opus reliquerat, partim ex eo quod ipse aliunde adquisierat, pro qualitate temporis honorificè restauravit. Fecit etiam ex proprio suo duas capsas, auro & argento pulcherrime circumtectas, in quibus sanctorum Turibii, atque Victoris, necnon & sancti Innocentis, & aliorum ecclesiæ nostræ Episcoporum reliquias, & sanctæ Tenestinæ, & Adæ, & sancti Hilarii Presbyteri soletter consignavit. Aliorum quoque sanctorum corpora, quæ in secretario ecclesiæ in quibusdam thecis jam vetustate consumptis invenerat, in sarcophago lapideo retro altare beatæ Mariæ in superiori sede cryptæ cum debita reverentia collocavit.

Sanè sana dispositione Hildebertus, prudens ac diligens sibi & universis suis Canonicis, pennâ contemplationis ad æthera scandens, caritatis jecit seminarium, quod intra & supra omnia ejus opera honestatis pariter & religionis emicat splendore, & liberalitatis. Hoc plane beneficium suis præponderat excessibus: & quanto discretionis oculo perpenditur, tanto rationi proximum invenitur. Statuit enim in Capitulo matris ecclesiæ, cunctis Canonicis assensum præbentibus, quatenus pro anima uniuscujusque Canonici à die obitus sui usque ad anniversarium præbendæ, quam vivens obtinuerat, ex integro reditus per quinque & quinque sol. distribuerentur sacerdotibus ecclesiæ, qui minimâ sunt Canonici. Ipsi nempe Missam, horas, vigilias defunctorum singulis diebus totius anni curriculo bini & bini per

* nus feris

xxx dies pro ejusdem fratris anima Domino Deo nostro in nostra matre ecclesia honestè & regulariter decantarent : & si reditus præbendæ hujusmodi excederet eleemosynam illud incrementum pauperibus & ædificationi Cenomanensis ecclesiæ conferatur. Præposituras etiam ecclesiæ, quæ ex dono Episcopi Canonicis, sicut Archidiaconatus, in camera pontificali conferebantur, nostro dimisit capitulo, ita ut ipsæ in obedientias verterentur, nec aliquis eas tenere potuisset, nisi assensu totius Capituli. Præterea dedit cereum quem Episcopus habet pro censu de castro Lid, ad xviij cereos faciendos, qui sunt super januam chori. Hujus etiam ope & vigilanti studio plurimæ ecclesiæ, quas laïcorum violentia de jure ecclesiæ nostræ olim subtraxerat, ad ejusdem ecclesiæ dominium revocatæ, & ad victum Canonicorum, ipso disponente atque concedente, deputatæ sunt. Ecclesiam scilicet de Doreta, ecclesiam de *Iublent*, ecclesiam sanctæ Mariæ de Gurzenna, ecclesiam sanctæ Mariæ de Nova-villa, ecclesiam de Poncisco, ecclesiam de Ruiliaco, ecclesiam de Troo, capellam sancti Quintini, ecclesiam sancti Georgii de Plano, ecclesiæ sancti Johannis de Arceis medietatem, ecclesiam de Cergiaco, ecclesiæ de *Colans* medietatem, ecclesiæ de *Monkolkol* medietatem, ecclesiæ de Novigento medietatem, ecclesiæ de *Tronches* medietatem, in parochia de *Brens* tantum terræ, quantum duo boves arare possunt. Erant autem in ipsa parochia quædam aliæ ecclesiæ, de quibus non poterat eas ex integro in dominium matris ecclesiæ revocare. Statuit ut inde annis singulis census nostris redderetur Canonicis, scilicet de ecclesia sancti Audoeni v sol. de ecclesia de Alliaco v sol. de ecclesia sancti Vulfacii v sol. Ad mensam suam ecclesiam sancti Symeonis de Passeio & ecclesiam de Celiiaco, quæ sunt episcopii, retinuit. Nomina verò earumdem ecclesiarum huic opusculo inserui, quatenus quicumque hæc legerint, Hildeberti piam memoriam devotius studeant celebrare. Oratorium etiam cum revestiario ad tuitionem & defensionem ornamentorum ecclesiæ à novo fundavit, & forniceo opere cooperuit, ne reliquiæ sanctorum vel thesaurus ecclesiæ posset aliquando incendio populari, sive latrocinio.

Si à nobis Tullianæ torrens eloquentiæ proflueret, vix Hildebertum dignis laudibus possemus extollere : licet nostra commendatione non egeat. Hujus enim fama subtilitate carminis longe lateque in tantum noscitur excrevisse, ut in extremis partibus & ignotis frequentior servi notitia quàm dominæ, filii quàm matris, alumni quàm Reginæ, præsulis quàm ecclesiæ habeatur & potior. Ita per eum titulus sanctitatis ecclesiæ & antiquitatis exteris gentibus cognitus est, cui ipsa dignitatem contulerat, commiserat prælaturam. Rexit siquidem eam annis xxix & mensibus vj. cui tam honestè præfuit & discretè, ut ad arcem excellentioris dignitatis divina assignatione merito sit vocatus.

Ea quidem tempestate Gillebartus Turonensis Metropolitanus moritur. cujus sedis Hildebertus sortitus apicem, concedente Ludovico Rege Francorum, Genomannensibus & Turonensibus clericis & populis devotum præbentibus assensum. Hunc tamen nec collati honoris elatio, nec opum affluentia, nec carnalis luxus prostravit titillatio. Ætatis enim semper pariter & Ordinis conservabat dignitatem. Tandem verò xv Kalend. Januarii : in senectute bona, spiritu lætus & alacer, astris animam, artus urnæ reddidit, & sepultus est Turonis ad honorem nominis Dei in dextro membro ecclesiæ sancti Mauricii. Rexit quoque feliciter eamdem Turonensem ecclesiam vj annis, & mensibus sex, & fuit vita ejus quasi lxxx annorum. cujus animæ clemens & misericors Dominus requiem & lucem tribuat sine fine, amen.

Porro hujus temporibus abbatia sancti Georgii de Bosco restaurata est, quæ antiquitus destructa fuerat. Hæ verò à novo fundatæ sunt : monasterium de Caruia, & de fonte sancti Martini, ecclesia de fonte Gihardi, ecclesia sancti Martini de Luccelo, ecclesia sanctæ Mariæ de Bello-loco.

CAPUT XXXVI.

Gesta Guidonis Episcopi.

PLerique mortalium plerisque litterarum contradicunt monimentis, arbitrantes ipsis opifices falsa pro veris adstruere, vel gratia voluptatis, aut sui subtilitate comprobanda ingenii. Sed qui majorum auctoritati fidem non adhibet, ignoro qualiter vulgi rumoribus adquiescat. Eis persæpe parva augentur, maxima decrescunt, certis exstinctis incerta probantur. Poëtarum tamen est fingere commentum, Rhetoricis illustrare coloribus prolixa succinctè, brevia consultis declamationibus exarare. At rerum certarum exsecutor, fidem historiæ figmento postposito præsentibus insinuat & posteris. Hunc morem stilus noster profitetur, dum gesta & obitum Guidonis Cenomannensis Episcopi, quibusdam ibi competenter insertis, quæ suo tempore noscuntur accidisse, strictim adnotare decrevimus. Verebamur enim, ne fama ultra verum limitem vagaretur, vel sui moris immemor, quod rarum est citra deficeret. Ambigui tamen sumus unde sumamus exordium, an magis super Guidonis doleamus interitum, an probitates describamus. Ceterum diligentis est tam amici deflere occasum, quàm laudes membranis inserere. Caritas enim vis naturæ est. Igitur quod ipsa compulit aggrediamur.

Occasum igitur nostri Guidonis succincta defleamus ratione, titulos generis ejus, scientiæ, probitatis pariter & honoris, assignando. Is enim ducentis lustris cum xxvij ab Incarnatione Domini evolutis, demptis tamen inde tribus mensibus cum diebus xv, septimo Idus Februarii, polo animam, terris cadaver exanime commendavit. Mors enim justorum finis laboris est, portus vitæ, beatitudinis initium : cujus felicitatis Guido, nisi fallimur, consors, gratia non debito effectus, jugiter contemplatur, quem in articulo mortis positus ita professus est : Non videbo, inquit circumstantibus, alterum diem vivus, sed in carne mea videbo Salvatorem meum. Hac igitur beata professione prolata, ovibusque sibi à Deo commissis attentius absolutis, quievit in Domino. In capitulo nempe sancti Vincentii ad dextram Wlgrini antecessoris sui honorificè tumulatur.

Huic sane litterarum scientia dignitatem, libertatem liberalitas, auctoritatem firma Fidei catholica præbuit constantia. Hujus nobilitas ex splendore ingenii & morum venustate sortitur incrementum. Plurimum tamen majorum, sed plus propria claritate rutilabat. In Britanniis quidem ex villa beati Armagili nobili exortus prosapia, pro studio litterarum naturale solum, parentum affluentiam deseruit & contempsit. qui diu apud nos commoratus, suam moribus egestatem, ærumnas ingenio, ætatis infirmitatem illustravit honestate. Sed parvo temporis dilapso curriculo, ad alias partes transvolavit : ibique positos in disciplinis magistri Anselmi multimodam perpessus injuriam, quo liberalibus artium informaretur rudimentis, divinæ paginæ assequeretur peri-

tiam, vicinis & remotis excelleret Doctoribus. Guidonem igitur laudabilis Anselmi familiaritas commendavit, excivit clementia, gravitas coërcuit; instituit fides, formavit doctrina, exemplum eliminavit à discipulo quidquid displicet in homine. Anselmus enim plus moribus quàm personis, plus ingenio quàm generi, plus Deo detulit quàm homini. Sed ut de multis laudibus Guidonis pauca dicamus, placidi mores in eo resplendent, & sibi ad favorem patrocinantur. Cum verò ipse scientia polleret litterarum, & urbanitatea ejus suis præponderarent excessibus; aliorum tamen semper mirabatur prudentiam, cujusque boni relator operis, & secutor ingenii. Illis etenim temporibus inter Doctores Galliæ modo legendi meruit principatum, industria ac urbanitate sua Regum, & Pontificum interesse conciliis, fulciri patrocinio, preciosis vestibus ornatum, opibus affluentiam, gratiæ honoris incrementa. Ceterum collegas suos ratione potiùs & obsequiis, quàm potestate, doctrina quàm prælatione, regere consuevit. Sic sane se undique liberato, ne præ stoliditate vilesceret, nec insolesceret magisterio. Omittimus de Scholarum regimine, quo tantam famam atque laudem in Galliis, similemque in Anglia adeptus est, ut per multa tempora eas ibi regeret: & quotidie in eis spaciosi orbis multitudinem, venustatem, natalem subtilitatem ingenii secundæ fortunæ copiam mirabatur. Opulenta enim multitudo clericorum totius Angliæ, Normaniæ, Cenomanniæ cum plerisque Galliorum, experta Guidonis scientia & placiditate morum, suis aspirabat interesse doctrinis, & anhelabat erudiri. Cenomannis plane confluebant, disciplinam Guidonis atque contubernium quasi cæleste scientea oraculum. Ad hujus itaque commendationem Hildebertus prædecessor ejus, ROTGARIO Salisberiensi Episcopo inter cetera talem destinavit epistolam.

» Guidonem, inquit, fratrem filiumque nostrum
» eo non debeo defraudare testimonio, quod non
» minus vitâ, quàm litteraturâ promeruit. Unus ex
» ex nostra ecclesia exceptus est, cui ad fructum
» scientia, ad exemplum mores exuberant: unus
» ille tibi pro multis, quoniam in illo uno multos
» magistros invenies. Porro diuturnior ejus apud te
» conversatio pauca me super eo scripsisse conclamabit.

Multum sanè familiaris exstitit eidem Salisberiæ Præsuli, & amicus in tantum, ut ab eo variis & preciosis ditaretur muneribus, honoribus donaretur. Uno etiam eodemque tempore novimus eum & vidimus Salisberiensis ecclesiæ Magistrum scholarum & Canonicum, Lincolniensis Canonicum, Rotomagensis Canonicum & Archidiaconum, Cenomannensis Canonicum, Archipresbyteratus, Magistri scholæ & Præcentoris dignitate sublimatum. Numquam eum sibi tanti honoris subripuit collectio, nec opum pervenit affluentia, nec propter scientiam infecit elatio. Hoc planè vitium numquam actu professus est vel affatu: sed ad laudem ingenium, humilitas ad gloriam, ad liberalitatem opes redundant, animus & dignitas. Guido tamen idcirco à doctrina clericorum nolebat abstinere, alumnis & subjectis prodesse desiderans dum poterat, juxta illud Apostoli: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Circa divinum Officium sic erat sollicitus, quò semper, in causa inevitabilia præpedisset, nocturnis horis devotus adesset & diurnis. Infantes quoque cum junioribus qui in choro deserviunt, docuerat binos & binos singulis hebdomadibus, tam ad nocturnos quàm ad Missam, responsoria decantare canonicè, sacerdotibus & altari ministrare; semper sub silentio, demisso vultu, ordinatis vestibus, boris astare canonicis. Eos nempe divinis canticis & ceteris ecclesiasticis officiis attentius erudivit. Rebelles verò & negligentiorea modò verbere, modò clementia hortabatur, quatenus bonis artibus animum applicarent: hoc enim sui juris erat. Nam Præcentorea cum Magistris scholarum ad hoc in ecclesia constituuntur, quo eorum dispositione canonicum ibidem competenter celebretur officium: pueros quoque & adolescentes firma coërceant disciplina, ne illorum incuria vel procacitate contemptus ibi possit pullulare aut scandalum.

Præterea mensa Guidonis multiplici, nobili, jugi cœtu circumsedentium clericorum, sæpius militum numerositate, frequentius turba ceteri ordinis, maxima quoque & decenti semper constipatur seriè famulorum. Is omnes edocti sunt; corpore, vestitu, obsequiis regiam imitantur familiam. Ibi plane argenti congeries convivantium pascit obtutus, alternus cibus tam arte conditus, quàm pretio, ventrem: pigmenta & larga diversitas potionum & convivam excitant ad potandum, & satiant. Nulla tamen ibi delusio, nulla mordacia linguæ contentio, nullus conviva nec pro sui, nec pro sermonis alterius erubescit turpitudine. Nec mirum: quidquid enim ibi profertur, aut nihil est, aut urbanum, aut materia gaudiorum.

Illis igitur temporibus millesimo c xxv anno ab Incarnatione Domini, ILDEBERTUS Cenomannorum Episcopus in Turonicam translatus est metropolim: ipse verò eamdem nostram viduatam flore simul & fructu suæ prudentiæ illustravit ecclesiam. Tunc FULCO Andegavorum Comes Episcopi nostri omnes terras cum ceteris possessionibus se relinquens, arripuit: famulos quidem suos utique distribuit, qui fruges Episcopi colligerent, & census cum ceteris reditibus conservarent. Interim Consul super præfata invasione semel, secundo & tertio ad rationem mittitur, & ab eodem Archiepiscopo vivia vocibus conventus est & correptus. Hortabatur enim ne ecclesiæ Christi talem irrogaret injuriam, unde interiori suo homini perpetuum adquireret detrimentum, suisque successoribus damnosum præberet exemplum. Nam antecessores sui nihil umquam ibi reclamaverant, nec inde aliquam poterat investituram prætendere. Primo tamen extra se positus nullatenus rationi adquievit; sed postmodum visa ægritudine uxoris suæ, majorem divinæ animadversionis veritus indignationem, ipse sibi, res Episcopo, dignitas reformatur ecclesiæ. Famulis enim suis inde amotis, redditus episcopii ministris ecclesiæ restituit & tutelam. Ad hoc Cenomannensium denariorum vj libras cum iiij sol. quos de iisdem redditibus habuerat, per manum Rotberti Raginaudi altari beati Juliani, clero præsente & populo, culpam & excessum confitendo restauravit. HEREMBURGIS enim Comitissa uxor ejus hoc illi suggesterat: quæ prolixo macerata languore, citra ejusdem anni curriculum in pulverem resolvitur.

His atque aliis Ecclesia Christi diu agitata turbinibus, rectore carens, vix singulis poterat resistere, singulis respondere. Numquam enim frequentiam procellarum, numquam scopulorum collisionem urgente tempestate posset evadere, ni Deo propitio, qui non derelinquit sperantes in se. Ceterum sustinuimus pacem, & venit confusio; quæsivimus bona, & ecce turbatio. Sunt enim nonnulli, qui totam spem inserunt in motibus rerum, jactura saginantur subjectorum, sua non Christi quærentes, tenebris lucida, certa consueti dubiis involvere; instituti ad fallaciam, & alia instituunt. Is autem non verentur episcopatum affectare, pretio gratiam Spiritus sancti

i

in nundinam convocare: cùm nullus adsit venditor, auri, argenti & gemmarum copia profertur in publicum, si aliquis Principum horum cupidine posset inflammari. Si quoque cùm suam erubescant detegere ambitionem, innectunt moras, moliuntur qualiter blanditiis, muneribus, perjuriis, rubiginosâ pecuniâ, tædio, timore, dilatione, aut majoris violentia potestatis, seu quolibet perverso ingenio animos possint venari hominum aut ferari. His & talibus astutiis fit talis tantaque dissidentium clericorum turbatio, quod status Ecclesiæ diu titubaret. quia sicut quidam ait: Cum multi illorum essent episcopales, cuncti Episcopi esse non poterant. Ipsi quoque inter se susurrant, neminem esse pontificali cathedra idoneum, nisi quem statura corporis & spissitudo, multiplex ingenium, locorum discursio, fœcunditas opulentiæ, mirabilem efficiunt, non commendant. Præterea priusquam aut à Deo, aut ab homine exsequetur electio, mitras Pontificis sibi & principi tenebrarum usurpant, & præparatas accelerant: sed eas tineæ decerpunt in abscondito, quas lascivia composuit, temeritas delegavit. Hujusmodi sane ornamenta non decent sanctum Domini: nec sortem debent ultimere in sacerdotio, quos tanta redarguit offensio, denotat infamia, propulsat ambitio. Sed ille qui dissipavit consilium Achitophel, eorum contempsit arrogantiam, decipulas simul & ignorantiam annullavit, ecclesiæ suæ pristinam eligendi reformando libertatem. Si quis nempe super his (quod minus credimus) contra nos in iram exarserit, prius necesse est ut ipse profiteatur sese hujusmodi consilium criminis fuisse, principem aut consortem. Nemo enim nuncupativè hic designatus est, nemo personaliter, nemo descriptione. Quonimdam tamen leniter pulsatur ambitio, minime ut amplius delinquant, sed ne appetitum erubescant vel momento refrenare delinquendi. Ceterum in his minus est immorandum, cùm res unde agitur in promptu sit, & nostri sit propositi nullatenus in divortio.

Igitur Cenomannenses clerici inito consilio in unam convenere sententiam, Guidonem, qui schemate tractandi, prærogativa declamationis ad populum plurimum pollebat Hildebertum; sed plus uberiori fonte artium, earumque rivulis redundantibus præcellerat, in pastorem sibi & Episcopum canonicè eligentes, anno scilicet Domini M C XXVI. Hic quo quia Domini Dei experti sumus clementiam, qui matris patrem, hunc prævidit filium: quo, sicut filia Cenomannensis imitatur in fide Turonensium genitricem; ita filius genitori moribus, vita, ingenio, divitiis concurreret & honore. Hic denique ab eodem Archiepiscopo Turonis cum qua decet reverentia & honore consecratus est. Quamvis Guido ante Pontificem ad instar Pontificis doctrina, conversatione, liberalitate degeret & expensis; tamen factus Pontifex, eodem genere & sublimiori auctus, suos instituit, tractavit familiam, sumptus ampliavit, mensæ pauperes adhibuit, seclusas quæ manent in suburbio civitatis victu sustinuit & vestitu, leprosis largas contulit eleemosynas, quotannis in vestimentis egenorum c solid. distribuens, nocte verò ante auroram in basilica sancti Salvatoris excessus diurnos lacrymis, votis, precibus pariter & flagellis expiabat. Legerat enim: Vicinatur innocentiæ felicitata correptio. Quid referam, quanta pia patris providentia, quantis secretis eleemosynis, quibus exhortationibus pauperum cœtus sanctimonialium visitavit, supplevit egestatem, vitam instituit, lætantium gaudiis congratulatus est, mærentibus condoluit, dissidentes reconciliavit, carcere mancipatis ac infirmitate debita caritatis adhibuit suffragia? Hic itaque juxta illud sapientis, Fidelium calamitates, indigentiamque miseratus, fecit in terris opera cælorum. Totis enim nisibus desudabat modò vas Domini sese facere, modò alios in vasa Domini præparare. Studebat vitam æternam, non favorem mortalium promereri. His operibus caritatis totum se Domino Deo aliquando holocaustum, aliquando sacrificium concremavit. Noverat planè prophetias cum lege versari, circa caritatem vel in caritate contineri: sed vitabat ne bonum propositum suum alicui fieret manifestum. Verebatur enim quod animus hominis more suo vulgi favoribus delinitus insolesceret. Qua de causa malebat Deum testem habere, quàm homines, creatorem quàm creaturam; non turbam, sed conscientiam. Hic Guido ascito secum Ulgerio Andegavorum Episcopo, qui tunc temporis sapientia, moribus, sanctitate, quasi lilium inter spinas, topazion inter silices, balsamum inter ceteros liquores prævalet: sic inter affines & longinquos rutilabat Episcopos. De parva capsula in scyphum argenteum caput pretiosi Martyris Vincentii decenter extraxit, & locavit. Arnaudus sanè illum cum operculo ad hoc opus Cenomannensi ecclesiæ, cui multo magis profuit, quam præfuit, reliquerat. Propter hoc ambo Pontifices pretiosissimas reliquias plurimorum sanctorum eodem die infra magnum Crucifixum signaverunt, altare sancti Johannis Baptistæ consecrantes.

Sane citra biennium Episcopatus Guidonis Willelmus de Buris, qui jamdudum causâ pœnitentiæ Jerosolymam profectus fuerat, ibique tam sua probitate, quàm scientia honorificè remanserat, Cenomannis cum aliis boni testimonii nunciis advenit. Is planè obtulit beato Juliano Dominicæ crucis reliquias, cum pretioso pallio & vexillo, quod *Transfartat* dicitur, in cujus hasta laminæ ductiles erant, viiij marcas argenti continentes. Præfato quoque Fulconi ex parte Stephani Patriarchæ, & Baudoini Regis Jerosolymorum & primorum ejus legationem detulit, & epistolas. Baudoinus enim inops melioris sexus, debilitate virium confectus & senio, saluti subjectorum, & honori filiæ suæ, in quantum poterat, maturum providebat consilium. Cognita igitur Comitis discretione & morte uxoris ejus, Guillelmum illi destinavit. Hortando enim ipsum precabatur, quò tutelam Jerosolymitanæ plebis susciperet, & loca ubi Christus natus, passus est, & resurrexit, Gallicis partibus præponeret: ibique laborem pro quiete, egestatem pro divitiis, exilium pro patria, crucem pro palma, mortem pro vita, contumelias pro honore, martyrium subiret pro gaudiis. Verumtamen offerebat illi sceptra Jerosolymorum, si filiæ suæ sese dignaretur conjugio copulari. Comes vero saluberrimo usus consilio, tantis petitionibus adquievit. Proceres sui filio ejus Goffrido subjiciuntur ditioni, cui Mathildis Henrici Regis filia celebri conjungitur connubio. Hæc autem uxor fuerat Henrici Imperatoris Allemaniæ. Huic siquidem sceptrum Angliæ cum ducatu Normaniæ pertinebat. Nam Willelmus frater ejus, cui Fulco Mathildem filiam suam infaustis nuptiis copulaverat, maris extinctus fuerat naufragio. quæ Rege amisso mortali, mortalium amplius contempsit connubia, Regis immortalis sumpto velamine, religionis in perpetuum sortita consortium. Fulco tamen auri, argenti maximis copiis confertus, feliciter Jerosolymam transfretavit, ibique sceptrum Jerosolymorum pariter cum uxore adeptus est, & coronam. O ineffabilis Dei misericordia, qui ex occiduis partibus ad regimen orientalium nostrum prælegit Principem, ut ibi ipse ad honorem diadema susciperet, ubi Christus coronam recepit contumeliæ: ibi purus homo, Rex mortalis cum adversariis Christi dimicaret; ubi Deus

homo, Rex verus, mirabili conflictu de nostris triumphavit.

Goffridus igitur, licet annis adolescens, tamen in exordio sui principatus virtute animi sese ratione subjiciens, suos, tam dux quàm miles, consultu & armis ab hostium incursione protegebat; adversarios quoque suis strenuè resistens tam constanter eos aggrediebatur, donec munitiones eorum simul cum ipsis suæ subjiceret voluntati. Mathildis verò uxor ejus Cenomannis prolixo degens tempore, ibi filium suum, qui postea nuncupatus est HENRICUS, peperit, & extemplo ad honorem Domini quoddam pallium beato Juliano allegavit anno millesimo centesimo xxxiij. In vigilia autem Paschæ ipsum infantem per manum nostri Guidonis in nostra matre ecclesia sacro baptismate fecit purificari, Clero adstante & populo; statimque eum super altare beati Juliani cum votis & lacrymis solemniter offerri præceperat; ut idem Confessor illum in filium spiritualem adoptaret, ejusque advocatus esset perpetuus & patronus. Rex autem Anglorum, eidem puero consors nominis, avus generis, quondam terram in Anglia Guidoni contulerat, quæ Præfato Pontifici per singulos annos xv marcas argenti exsolvebat, unde Præsul mensæ suæ vij reservans, alias vij ex more suis conferebat Canonicis: reliquum genio pro stipendio itineris derelinquens. Ceterum MATHILDIS Normanniam regressa, ibi diu gravi detenta est infirmitate: quæ formidans sui dissolutionem, excessuum suorum sumpta pœnitentia, inter cetera quæ ecclesiis & pauperibus Christi larga liberalitate distribuit, tria pretiosissima dorsalia cum tapeto ad decorem domus Domini nostræ contulit ecclesiæ.

Triennio Episcopatus Guidonis transacto, Romana ecclesia gravi & damnosa dissensione perturbatur. Nam plerique Romanorum canonicas impugnantes sanctiones, supra INNOCENTIUM Papam, virum innocentis conversationis & vitæ, latenter inordinate PETRUM LEONIS ad honorem summi Pontificis subrogare præsumserunt: quorum actionibus concurrit psalmodia, ubi dicitur: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Qui dum Petro parant regnum, detrimentum totius Ecclesiæ moliuntur, disponunt & dedecus. Petrus dum Petri sedem invasit, nullam christianæ religioni reverentiam exhibuit: Petrus dum Petri prælaturam, quæ modò unius spectat personam, divisit, catholicæ ecclesiæ coronam ademit, & contrivit specialius. Hic itaque Petrus potiùs in munitionibus suis quàm in Deo, in divitiis quàm in Petro, in injuria quàm in jure, in violentia spem suam posuit, quàm in pace. Hic Petrus ex Judaïsmo duxit originem, Antichristi præco, satanæ filius, schismatis propagator, inventor mendacii, legis turbator, prædo ecclesiæ, fidei violator, exordium cladis medium & clausula; hic Petrus thronum paravit, non cathedram; sacrilegium, non sacramentum; opprobium sortitus est, non honorem. Interea Innocentius, vitâ innocens, fide catholicus, ingenio prudens, potiùs jure quàm facultatibus præpotens, adventu suo Gallicanam illustravit ecclesiam. Hoc igitur schismate universalis Ecclesia ita videtur turbari, ut in plerisque locis in una sede, ad instar capitis, duo constituti sint Canonici, Archidiaconi, Sacerdotes, Abbates, Archiepiscopi verò consecrarentur & Pontifices. Quo tempore HILDEBERTUS Metropolitanus Turonensis corpore dissolvitur: quo defuncto Canonici ejusdem ecclesiæ diu violentia GOFFRIDI Comitis propriis sedibus sunt expulsi. Cum verò Pontificem canonicè deberent eligere, in partes divisi sunt. Quidam illorum contra sanctorum scita canonum quemdam PHILIPPUM, aliis reclamantibus, & præsumtionem illorum calumniantibus, elegerunt. Philippus quidem non intrans per ostium in ovile ovium, sed ascendens aliunde, Petrum suum, Petrum Leonis, primogenitum satanæ adiit, & ab eo pro honore opprobrium, pro benedictione maledictionem, pro sacramento suscepit sacrilegium: unde festinanter rediens, sedem Turonensem occupavit. Interim HUGO, vir prudens, nobilis, à saniori parte eorumdem clericorum canonicè eligitur. Hic verò in Cenomannensi ecclesia à Guidone & comprovincialibus Episcopis consecratur. quo Philippus cognito, secum ornamenta ecclesiæ deferens, furtim aufugit. Hugo tamen ab ecclesia sancti Martini, ut mos est, usque ad sedem suam, præsente Comite, plebecula tamen reclamante, ipsi & suffraganeis ejus multa inferente convicia, deportatur. Profitebantur nempe se esse duplicis capitis membra dum ei consentiunt, & ejus imitantur actiones. Alter enim anathematizat alterum, alterius resistit institutis, contradicit operibus, condemnat propositum.

Guido interim omnibus Canonicis astantibus & assensum præbentibus, in suo constituit capitulo Assumptionem beatæ Mariæ, quæ ab antiquo, usque ad sua tempora apud nos minus, quàm deberet, solemniter colebatur; eodem modo eodemque honore, sed majori ambitu celebrari, quo solemnitas sancti Gervasii æstivalis in nostra servatur ecclesia; & octavas Assumptionis, sicut festum sancti Laurentii. Concessitque idem Pontifex de censu proprio unde duplices beo, & thus valeat præparari in eadem Assumptione ad nocturnos. Nam antea ea festivitate uno tantùm duplice & thure ad laudes nostri utebantur Canonici. Sed cùm in eodem capitulo sæpenumero super defectu servitii ecclesiæ à Guidone generaliter recta & gravis ventilaretur conquestio; Canonici talia Guidoni objiciunt: « Vestra pater, inquiunt, culpa & aliorum Pontificum incuria hoc accidit. nempe contra statuta canonum, clericos diversarum civitatum ac regionum titulis præditos, Cenomannensi ecclesiæ adscribitis & adscripserunt collegio; qui tempore festivitatis bis in vita sua vel semel in anno ibi venientes, ecclesiæ extorquent beneficia, non merentur dignitate: insolescunt, nec Deo gratias, nec aliquod ecclesiæ persolvunt obsequium. » Cùm Guido hujusmodi nullatenus valeret contraire assertionibus, talem dignitatem suis concessit & contulit Canonicis & potestatem, ne ipse amplius, vel aliquis successorum ejus in posterum, Canonicum alterius ecclesiæ possent in Cenomannensi ecclesia Canonicum substituere, nec Decanus revestire, nisi ex generali totius capituli assensu. Si verò ipse vel quilibet successor ejus hoc decretum vellet destruere in posterum, vel aliquo impetu tentaret violare; eisdem Canonicis eidem contulit, voce protulit, auctoritate confirmavit dignitatem, reclamatione majoris audientiæ hujusmodi quassandi propositum. quibus à Guidone prolatis, universis simul surrexere Canonici, & demisso capite Guidoni gratias peregere, illud decretum voto confirmantes & verbo.

Anno quoque Domini mill. cent. xxxiiij, luna xiiij, iij Nonas Septembris, viij ordinationis Guidonis, præsidente Cenomannis Goffrido Comite, regnantibus Fulcone Jerosolymis, Ludovico Francis, Anglis Henrico, tota Cenomannensis civitas, cum omnibus ecclesiis quæ intra muros continebantur, evanuit in favillas. Suburbia quoque ejus hinc & inde à vivario usque ad pontem lapideum, & inde seriatim usque ad capellam Culturæ, & tunc denuo usque ad Malum-pertusum, tam rapinis, quàm favillis dissipata sunt & succensa. Sanè ex quo eadem civitas primitus fundata fuit, nec scripto, nec senum rela-

tione me illius tantum recolo infortunium didicisse, quantum in illa die videtur recepisse. Cujus exitio nostra plebs versa in mærorem, nullum admittit solatium: vix ipsa clero, vix clerus plebi, vix dives egeno, vix sanus infirmo suffragia potest exhibere. Licet suarum rerum amissione graviter afficerentur, tamen matris suæ ecclesiæ gravius eos videres turbari destructione. Ipsa enim tam venustate sui, quàm claritate tunc temporis vicinis & remotis excellebat ecclesiis. Ceterum sacratissimum corpus beati Juliani, quod urgente incendio in cœnobium sancti Vincentii delatum fuerat, & usque ad festum Apostolorum Simonis & Judæ ibi remanserat; eodem die, maxima turba nostræ diœcesis præeunte & subsequente, in matrem Cenomannensem cum summa reverentia refertur ecclesiam. Totius sanè civitatis, suburbiorum, & nostræ regionis erat ibi jugiter talis concursus populorum, quod cœnobitæ propter frequentiam multitudinis vix divinum officium juxta Ordinem suum & Regulam poterant celebrare. Plebs enim universa pio amore & honore suum patronum prosequentes, alii votis & orationibus suis peractis ad propria remeabant: juniores per officinas fratrum oberrantes, tandem in cimiterio ad cacos & aleam ludendo cotidie & tota die residebant. Præterea monasterium illud caterva juvencularum constipatur, sicque frequentia contentur, ut eas ab ingressu monasterii oporteret prohiberi. Re vera si membra pissimi Confessoris in illo cœnobio per quinquennium remanerent, cænobitæ vix accessum plebis paterentur, ne Ordo suus depravaretur, aut funditus deleretur. Ex hinc ecclesiæ quoque civitatis, quæ hactenus miro parochianorum frequentabantur affectu, cum ipsa civitate desolatæ remanerent & desertæ. His ita se habentibus, Guido præcipue super matris ecclesiæ combustionem contulit. Ad cujus restaurationem cc libras Cenomannenses dedit, sine mora contulit & omnibus modis desudavit, quomodo ipsa ad perpetuitatem decenter potuisset restaurari. Eo siquidem tempore pseudoeremita, de quo scripsimus superius, denuo in remotis partibus virus suæ hæresis cæpit propagare, & ecclesiam Dei nequitiæ suæ attramento corrumpere. Aurem suam tantum historiæ & litteræ prophetarum accommodans, dogmatizabat perversum dogma, quod fidelis Christianus nec retractare debet, nec erudire. Sed misericordia Dei, qui semper respicit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum, ille Henricus ab Aratensi * Archiepiscopo captus est, & Domino Papæ Innocentio Pisis in authentico Concilio præsentatus, ibique iterum convictus, & generaliter hæreticus appellatus, ad postremum carcere mancipatur. Cui postquam permissio concessa est abeundi ad aliam provinciam nova secta, novo cursu, novum iter assumpsit delinquendi, quam protinus ita turbavit, quod minimè Christiani ecclesiarum adireot limina; sed divinum contemnentes mysterium, sacerdotibus oblationes, primitias, decimas, infirmorum visitationes, & solitam denegabant reverentism. His modò supersedendum est, & ad alia properandum.

* f. Arelatensi.

De Ecclesia sancti Lupi.

Nollius prudentis latet notitiam, vix actus mortalium, nisi scripto exprimerentur, ad succedentia veraciter posse tempora pervenire. Hinc accidit, quod ego Guido, humilis Cenomannensis ecclesiæ minister, universis ministris qui paginam istam viderint, legerent, vel audierint, notum & certum facio, me sæpius quemdam militem Gervasium de Donnofronte super ecclesiam sancti Lupi ad rationem misisse, quam ipse & antecessores sui violenter & injuste diuturno tempore tenuerant: exhortando, ne ipse ad usus suos perniciosè longiùs extorqueret, quod divina gratia disponente usum spectabat clericorum. Ipse verò divino instinctu compunctus, nostris adquievit exhortationibus: & ecclesiam illam cum presbyteratu & decimis pertinentibus ad eam, & quidquid habebat in illo cimiterio, nobis integrè, quietè, in eleemosyna dimisit, concessit atque donavit; ejusque repudium in manu nostra roboravit. Hujus verò eleemosynæ dimissionem Rogo frater Gervasii suo confirmavit assensu, & ejus firmiter tenendæ & servandæ plegius fuit & fidejussor. Gervasius autem dedit nobis & alios plegios aliosque fidejussores, scilicet Juhellum de Meduana, Hugonem de Arum, Mauritium de Gorran, Willelmum *de Mongerol*. Ceterum ut Gervasius pro caritate sua aliquam temporaliter haberet retributionem, dedimus ei xxx libras Cenomannensis monetæ, & Drogoni fratri ejus xx sol. Hoc autem factum est anno mill. cent. xxxiij. Ii sunt testes hujus rei. Hugo Decanus, Ansgerius Cantor, Hugo Archidiaconus, Albericus Gauterii, Turoldus de Colant, Albericus de Miletia. In aula episcopali plegii dati fuerunt anno Domini mill. cent. xxxiij, sub eorum testimonio quorum nomina subinferuntur. Rotbertus medicus, Willus de Villeio, Simon de Carcere, Andreas Musicus, Brientius clericus Episcopi, Paganus de Colseio, Rotbertus Andegavis.

De ecclesia sancti Georgii.

Eodem modo eodemque tempore Gauterius filius Gauterii de sancto Georgio, Willo & Herberto fratribus suis matri & sororibus eorum astantibus & concedentibus, ecclesiam sancti Georgii, cum presbyteratu & decimis ad eam pertinentibus, in manu nostra integre quiete dimisit in eleemosyna, nobisque eam pro animæ suæ & parentum suorum salute concessit atque donavit. Sed ut ipsi quoque pro larga liberalitate sua aliquam temporaliter caritatem obtinerent, xl libras Cenomannensium denariorum Gauterio & matri ejus & fratribus attentius dividendo contulimus. Hujus autem eleemosynæ diligenter tenendæ & servandæ ij viri plegii fuerunt, Juellus de Meduana, Robertus de Villeio, Willus de Siliaco, Hugo filius ejus. Et pactum fuit quod Gauterium Strabonem darent super hoc nobis in plegium. Hoc viderunt & audierunt isti, Hugo Decanus, Ansgerius Cantor, Hugo Archidiaconus, Albericus Gauterii, Fulco Ribola, Nicolaus Præses, Herbertus Solarius.

De ecclesia de Graceio.

Quidam verò alius Miles Garinus probus, propter Dei amorem & animæ suæ & filiorum suorum, atque antecessorum salutem, amicis suis astipulantibus, parentibus autem suis assensum præbentibus, ecclesiam de Graseio, cum presbyteratu & decimis ad eam pertinentibus, integrè in manu nostra culpam suam & excessum confitendo reddidit & quietè, eamque nobis perpetuo concessit possidendam: ita ut ipsius & filiorum suorum memoriam pro tanto beneficio in nostris synodis haberemus. Verumtamen eidem Garino in caritate contulimus quamdam cupam v marcarum argenti, cujus materiæ artificium excellebat.

Has igitur ecclesias multis maximisque impensis de laica potestate ad nostram retulimus, easque nostris jure perpetuo obtinendas Canonicis delegamus, ita ut de redditibus earum illi tantum Canonici xj sol. habeant, qui quotannis nostro interfuerunt anni-

mens, præfatum petiit Pontificem, ut cum eo testamentum fidelitatis jurejurando firmaret & federet: quod videns esse servus Dei tam ad suum dedecus, quàm ad opprobrium ecclesiæ, tamquam vir fortis animi, audacter resistens denegavit. Iratus tunc Comes, suæ doleus petitionis affectus steriles fieri, eum proscriptioni deputavit & exilio. Mox in homines tam Canonicorum quàm suos, relicta juris consuetudine, manus extendens, illa immisericorditer exactione census eorum arripuit; & sic multorum inopias & dolores augmentavit. Ejus vinum & annonam vendidit, & multa quæ in domibus suis erant asportavit. Quadam verò die dum quidam tantæ insolentiæ complicee & ministri, res Canonicorum venundare præsumeret; ante cujusdam ostium, Amelini scilicet de Alineriis, ubi tabernam edixerant, cruce, quam in ramis Palmarum populus consuevit adorare, posita, ad diu inauditos cymbalorum sonitus populus convenit, inscius quid hoc esset. Qui videns quæ fiebant, erupit in lacrymas, & excommunicationis perterritus sententia, nihil sibi vetitum deinceps emere præsumpsit. Fidelium interea devotio Dominum jugiter precabatur, ut & Comitem tranquillum redderet, & de injuria violenter illata recognoscere faceret. quod spe factum est celerius. Comes enim divino inmuente consilio errorem suum cognoscens & peccatum, pacem cum Episcopo reformavit: & quæ illius annona & vino evacuaverat cellaria, replevit & horrea: quicquid minus juste in ipsum egerat & ecclesiam, pollicitus est emendare. Felix exul voti compos, propriis rediens ad ecclesiam, cum magno cleri plebisque susceptus est tripudio: cujus facies tamquam facies angelica videbatur. Longo namque afflictus exilio, canos in genas, barbam in pectus passus erat descendere: fuitque illius exilium xi fere mensium spatio.

Eodem anno, post labores & exilii sollicitudines non modicas, volens respirare, (nullam etenim diu corpori suo medicinam adhibuerat) dum quadam die in sancti Victurii cellula sanguinem minueret, ignis circa meridiem à vico sancti Vincentii prosiliens, sibi opposita usque ad muros civitatis & domos Episcopales, tegmenque sacelli beati Juliani adhuc stramineum, cum fenestris vitreis concremavit & macerias, & in summis imagines sculptas lapidibus deturpavit. Populus verò solita civitatis metuens incendia, majoris capsæ ostio fracto, cum securibus, cum impetu, devotionis tamen studium redolente, beatissimi Juliani corpus sanctissimum abstraxit: quod ad eumdem locum, ubi Episcopum esse audierat, transportavit. Præsul porro, quem nulla potuit frangere adversitas, nulla extollere prosperitas; suæ non immemor probitatis, domos præfatas decentius quàm fuerant reparavit, domumque petrinam ex parte sancti Audoeni positam, decenti filiorum * interpositu numerosas fenestras habentium cum sua camera continuavit.

* f. solariorum.

Paucitemporis intercidente spatio, ejus nutu & precibus HUGO Metropolitanus noster Turonensis, ULGERIUS Andegavensis, HAMELINUS Redonensis DONOALDUS Aletensis Episcopi, & bonæ memoriæ viri multæque religiosæ personæ, sexto-decimo Kalend. Novembris Cenomannis convenerunt, qui beatissimum patrem nostrum Julianum, ipso die à lignea basilica, in occidentali membro ecclesiæ intra macerias facta, post incendium in qua fere triennio requieverat, in redivivam solemniter, cleri cantibus insultante, populo congaudente, transtulerunt ecclesiam. Illum verò diem vir Dei, nullius capera discretionis, esse celebrem quotannis & solemnem decrevit... virum fortunatum præcipuè, cui religiosarum personarum discretio favorque popularis adplaudebat: ante cujus conspectum dum quidam regularis Canonicus sancti Georgii de Luco in causam traheretur, qui subreptæ pecuniæ esse particeps & conscius suspectus habebatur, multis ad unum concurrentibus conjecturis accusatus, se non esse reum ejus criminis & calumniæ aiebat. Sed in ejus negatione testes insurgebant, quorum voce per multas ventilationes causa judicio collata est: quatenus his de quibus accusabatur, se obnoxium non fuisse in manum poneret Pontificis. quod suo fecit infortunio. Divinæ etenim judicio potentiæ, latebras cordium inspicientis & angulos, ipso die ejus manus miseri igne gehennali succensa est, nec clamare cessavit: Væ mihi, merui quæ patior. donec in dolore vitam finivit & gemitibus. Tanto urbs Cenomannica florebat Pontifice, ejus sanctis pollebat documentis: sed nihil in mundo diu permissum est prosperitate gloriari. Cùm enim tam venerabili redoleret doctrina, annonæ & vini fertilitate, omnibusque quæcumque melior potest conferre fortuna, ad plenum redundaret; in vico Heraudi, à domibus (ut fertur) HUGONIS Archidiaconi ignis nocte exiliens, partem suburbiorum & civitatis usque ad claustrum lugubri protugavit incendio. Heu quantus tunc dolor urbis & gemitus! quanta mulierum lamenta, quàm tristes puerorum lacrymæ, cùm miserabiles plerique essent vel hostibus, qui de lignis voracis flammæ reliquiis sibi tuguris facientes, inopi victu solvebant jejunia. Alii Bruma debacchante frigoribus afflicti sunt: alii quorum census usura vorax avidumque in tempore feous consumpserat, omnia vendentes quæ habebant, mutatis officiis, de inopibus pauperiores de tristibus facti sunt miseriores; ideoque multi præ pudore fugerunt & inopia.

Sed durior calamitas, & intolerabilis acerbæ famis cruciatus Cenomannicam, ut plures, afflixit provinciam. Væ miseris, quorum venter longis exinanitus jejuniis, dubiis tandem pascebatur radicibus, frondes arboreas, urticas & interdum atriplices undis domabant ferventibus, quibus pauco sale conditis vescebantur. Instar plerique pecudum campum tondentes dentibus, notis & ignotis graminibus spoliabant. Si quandoque famelicos cibum naturæ consolatorium manducare contingeret, aut imperfectus avido & ardenti hærebat stomacho, languorem pariens immedicabilem; aut ægra diu trahentes corpora, in mortem subito resolvebantur. Cum gemitu tantæ miseriæ & angustiis, illud memorans evangelicum, *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, reus erit gehennæ ignis*; venerabilis ille compatiens Episcopus, clerum & populum uberrime lacrymis vultum rigantibus diligenter ammonuit, ne mundana cælestibus, temporalia præferrent sempiternis: sed sua pauperibus erogantes, thesauros sibi facerent, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt & furantur. Parochiarum quoque thesauros quæ in urbe sunt & in suburbiis, distribui præcepit egentibus. quod servi Dei humanitatis amplectentes studio, ejus tam venerabili præceptu nil murmurantes assenserunt. Ipse verò tam boni operis exemplar & speculum, duobus fere millibus cottidie, unicuique panis quadrantem faciebat impertiri: infantulis equidem, & matribus eos lactantibus, & quibus longa ætas dentes & vigorem rapuerat, lac & pultes & olera saginis impinguata nimio pietatis erogabat affectu. Communis per urbem distributio non nisi audito majoris cymbali sonitu fiebat: quia tanta multitudo ad unum locum confluerct, ut multi spe fraudati nihil acciperent, aut aliquis præ turba pupillus opprimeretur. Ipso & subsequenti anno hujusmodi caritatis apud ipsum

necessitatis tempore non cessavit exhibitio, usque dum messis falcem recepit jam matura.

Ecce novum & formidabile, & his etiam qui audierunt vix credibile prodigium, quod dum legeris, aut impossibile, aut fictitium te non dubito putaturum. Ecce quantis artibus & insidiis callidi hostis fideles ubique circumvolvit versutia: quantis machinis & impugnationibus Fidei Christianæ propugnacula tentet obruere. In domo Nicolai præpositi fantasia, quod in libris gentilium Faunos solet appellari, omnes credentes, in fide Christi modice carbolicos, ut mulieres pleraſque & simplicis ætatis pueros, noctibus jugiter caterrebat. Sæpe etenim cum sonitu tamquam tympanorum sonitu luxorio, nec dissonanti digitorum audiebatur conflictu: sæpe testarum fragmentis, seu quibuslibet sordibus immundis jacularoribus admirantibus & incredulis illudebat: sæpe crebris lapidum jactibus, ac si cum magno conamine viribus natterentur hectoreis, tectum domus, parietes concutiebat & laquearia, pulvinaria, lances, scyphos & hydrias de loco ad locum invisibiliter transferebat; candelas igne procul posito succendebat; in cibos dum coquerentur, aut mensis appositos, furfuris paleas, & immundos cineres, & amara fuliginis infundebat; filis, quos longo tractu ordiros Amica uxor Præpositi ad telum paraverat, scamnum quoddam juxta ignem positum per mille mæandros & nodos laqueorum indissolubiles, ad illius inextricabilis labyrinthi similitudinem, intexuit: quod luce reversa multi intuentes, taliter posse fieri obstupebant, utc talem esse opus hominis irretituram asserebant. Sacerdotes aspersis aqua benedicta parietibus signum crucis dominicæ in fide sanctæ & individuæ Trinitatis ore & manu in suas omniumque in domo frontes pingebant habitantium, qui quod à sæculo auditum non fuerat, relatu formidabile se audisse veraciter aiebant. Circa primam & secundam noctis vigiliam vox exilis, tamquam parvulæ vox esset puellæ, in apertos & intelligibiles distinctè sermones erumpens, suspiria & miserabiles longo tractu cordis ab imo ducendo gemitus, se esse Garnerium pro certo fatebatur. Heu mihi, inquiebat, quoniam de longinquis partibus, per quæ tempestatum pericula, quantas passus sum nives & frigora, quantis ignibus incalui, quantam aeris intemperiem huc adveniens sustinui! frater mi Nicolae, glos mea & nepotes cæterique amici mei, non terreamini; non enim alicui nocere permissa est mihi potestas: sed tamen utramque postem frontis & cordis crucis munite signaculo. mala namque agmina, avide inferre malum affectantia, mecum venerunt, mecum recessura: à quorum ut valeam separari pernicioso itinere, & requie perfruar sempiterna in sancti Spiritus veneratione Missam unam, alteram pro defunctorum salute fidelium cras facitote celebrari. Amica, glos mea dulcis, dum communibus auris vescerer, mihi amata, ne nuditas mea frigus sentiat, vestes pro me pauperibus non differas erogare. Tunc de multis interrogatus, multa disserere, indicare instantia, ventura nunciare, præteritorum, quæ jam oblivionis rubigo corroserat, recordari: hos damnatos, hos salvos, hos nondum, sed tamen ad vitam prædestinatus manifestare. Missos ceterum à Pontifice viros, scientiæ & discretionis armatos industria, penitus exhorruit, nec in sermones ipsis præsentibus ausus est erumpere. De hoc scripsisse sufficiat.

Præfatæ probitatis Pontifex, quem Spiritus-sanctus accensa caritatis præviabat lampade, cuique non immerito ceterarum chorus virtutum arridebat, sanctæ prædicationis semina in mentium sulcos spargere non cessabat fidelium: unde manipulos probabiles areæ cælesti destinabat. In cujus temporibus Abbatia de Dahales substructa est, ejusque primum Abbatem benedixit. Alis virtutum tendens ad æthera, nostræ sinum matris ecclesiæ prædivitibus decoravit ornamentis, ad honorem sponsi, sponsæ thalamum quàm decenter præparando: quorum species ornamentorum succinctè proposui scriptis præsentibus perstringendas; ut cum legerit vel posteritas, ad consimilem laudem animetur & gloriam. Dedit autem xj serica dorsalia lato rotarum ambitu, diversisque floribus & figuris nexilibus intertexta, quorum operi Constantinopolis synodus coloribus inviderec. Hæc etiam variis, competenti tamen ordine, decoraverat marginibus. Aureum quoque calicem, factis ex electro politum monilibus, smaraudis & topaziis, multisque pretiosissimis redimitum lapidibus, cujus pondus cum patena iiij marcatum: alium quoque calicem argenteum, intus & extra deauratum, tres bacinnos argenteos, thuribulum, vascula duo, inter tenacia ducta per medium, vinum & aquam in calicem fundentia ✠ leonem, justam, & cantarum, vasa scilicet purissimo argento conflatilia, sculpta mirifice: quorum opus exsuperans materiam, sui commendat artificis peritiam. Quorum pondus xxviij marcarum cantharus xvj, leo iiij, bacinnus subpositus iiij, ceteri bacinni ij, thuribulum j. calix j. justa & ampullæ j. Necnon larga ejus gratia aliud dedit vasculum, gemmulis undique sæptum nitentibus, acerræ exprimens similitudinem, si non ab inferiori capite modice falcsto unci speciem retineret. Per hoc foratum subtilissimè vinum quandoque funditur in calicem, ne pili, sive quæ immunda aer movet agirabilis, valeant admisceri. *Syon* antiquiorum vocavit ducta discretio, & à subdiacono festive geritur pro manipulo. Largitus est præterea crucem eburneam cum duobus phylacteriis, beatissimi patris nostri Juliani & sanctorum innocentium reliquias continentibus. Aliam quoque crucem parvulam, aurea tamen fabricatam materia, quàm de ligno crucis Domini, & de ejus sepulcro continere veraciter perhibebat; illud mente recolens Propheticum: *Domine dilexi decorem domus tuæ, &c.* Dedit cortinam, iij tapetas, duas cappas, capsulam purpuream, dalmaticas ij, & tunicam, iij stolas, albas v. quas, una excepta, recenti decoraverat pallio: pueros autem altaris subministrantes officio, in festis diebus tunicis indui disposuit.

Sed quia mors nullis parcit animantibus; quàm sit hujus mundi fallax & damnosa professio, quàm cito flos ejus sterilis exarescat, quàm fragilis nostræ carnis luxus & gloria, etiam insipientes & parvulos potest non latere. Unde quidam ait,

Nec decus ætatis, nec gloria nobilitatis,
Tollit posse mori, quia mors non parcit honori.

Hic enim qui innumeris opibus floruerat & divitiis, cui quæ in mundo videntur esse prospera, diu arriserunt; cui fortuna sui vultus detexerat fallaciam, inferendo quæ pejor, conferendo quæ melior suis largitur alumnis, quartanæ febris ignibus viribus corporis cœpit repente destitui. qui diu Job imitatus patientiam, dum quæ commiserat Deo confiteretur & sacerdotibus, ab inferiori irriguo fons emanans lacrymarum, ad superius irriguum largis imbribus properabat. Ambo namque adeo utiliter data sibi fuerant irrigua. sicque corde compunctus & afflictus spiritu, juxta illud propheticum, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, suæ supellectilis reliquias, Christum mente recolens, Christum verbo sequens & opere, Christi pauperibus indesinenter faciebat impertiri. Nocte & die, licet artus morbo fatiscerent, matutinas & horas diurnales aut cantabat, aut cantari coram se faciebat. Suorum tandem finem dierum sentiens imminere, suis x solid.

singulatim impertitus est Canonicis, & eisdem xl solid. censûs, qui quotannis suo interfuerint anniversario, & clericis stallum in claustro, quod à Pagano Bove emerat, prædicta largitus est conditione. Quibus in unum convocatis, benedicens ait. Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui mihi servulorum minimo, indigno sacerdotii & episcopatus officiali, hos famulos tuos regendos commisisti, tibi Domine reddo, tibi trado. esto eis Domine turris fortitudinis à facie inimici, custos eorum assiduus, protector sempiternus. Hæc eo loquente, pauci erant quorum oculi lacrymis carent. Catervatim hoc audientes ad eum confluebant populi, benedictionem ab eo & absolutionis postulantes gratiam. quibus crucis vexillum dominicæ quæ in ejus tenebatur præsentia, innuebat osculari, dum manus morbo deficeret & labore. Sic tandem vitæ præsentis cursum finiens, sui laboris expectans bravium, virtutum refertus aromate, Nonas Februarii cælo spiritum, terræ corpus reddidit. Sepultus est summo honore & reverentia in sancti Vincentii capitulo; ubi instituit, ut Episcoporum sepultura ignis nocturnus noctibus singulis olei liquore pasceretur, cujus spiritus inter cives æthereos boni servi audiens, *Euge*, requie potiatur sempiterna, præstante Domino Jesu-Christo, cui honor & gloria per infinita sæculorum sæcula, amen. Prædictus bonæ memoriæ Pontifex sedit annos vij, menses iiij, dies xvij. Cessavit episcopatus xj menses.



CAPUT XXXVIII.

Gesta domni Guillelmi Episcopi.

IMagines rerum, licet admirandæ fuerint pulcritudinis, senectutis tamen obductæ caliginibus, compositionis elegantiam & coloris amittunt pulcritudinem, nisi doctiore manu artificis illa ex insolentia superveniens deformitas reformetur. Sic quoque humani actus, quantumvis laudabiles & famosi extiterint, quasi fumus & umbra transiens evanescunt, & ab hominum memoria, labente curriculo temporum, citiùs elabuntur, ni scripti vel alterius memorialis beneficio in notitiam plurium deducti, ibi pulcrius elucescant. Inde est quod licet ex ingenii tarditate timuerimus felicis recordationis domini GUILLELMI Cenomannensis Episcopi vitam & actus in lucem proferre; amor tamen personæ, timorem foras excutiens, nos induxit, ut saltem more balbutientium, qui ad plenum verba formare nequeunt, de ipsius origine, & vita, & operibus, & donis pro modulo nostro loqui aliquid aggrediamur: recipientes exinde majorem audaciam, quòd in angulis falsitas latitans, phaleris verborum expetit palliari: veritas verò nuda in lucem prodire non formidans, schemate verborum, aut aliena palliatione non indiget colorari. Nos ergo si quid plus, sive minus quàm oportet, sive ex ingenii nostri imbecillitate, aliquid non tam bene, ut oportet, à nobis dictum fuerit, veniam postulantes, dicimus quod Guillelmus venerabilis Cenomannorum Episcopus sacris litteris & moralibus disciplinis ad sobrietatem imbutus, forma speciosus eleganti, & morum honestate, quanta decet Episcopum, insignitus, ac etiam majoribus majestativa quadam gravitate præcellens, Xantonensi pago oriundus extitit, nobilibus patre & matre nobilitatis ducens originem. cui tamen generositati sua mentis nobilitate tanto conspectius præcellebat, quanto in schola virtutum morum honestate aliis eminentior habebatur. Hic ab ecclesia Remensi, in qua erat major Archidiaconus, ad ecclesiam Cenomannensem evocatus, & in ea sedem episcopalem adeptus, xl duobus annis & eo amplius ibi sedit, & favorem cleri ac militum & populi ita promeruit, ut probabile, immo necessarium videretur divinam gratiam eum copiosius perfudisse, qui ab omnibus amabatur.

Huic ergo ecclesiæ non magis præesse quàm prodesse desiderans, primo in ea divinum amplians cultum, gloriosæ Virginis Mariæ debita singulis horis officia primus instituit celebrari. Ipse omni die sabbati in honore ejusdem Virginis matutinas ix lectionum, & Missam solemnem in capella sua celebrabat. Nobis & aliis sociis suis, qui cum eo eramus, diu occultaverat: sed post mortem ejus ex more Confessoris sui in nostram & multorum exiit notitiam, quod ipse psalterium, & numerum psalmorum, & versuum cujusque psalmi corde tenus retinens, ipsum psalterium & vigiliam mortuorum, & commendationem singulis noctibus, dum ceteri aliquieti solent indulgere, decantabat. Sic bello secretiore, ut sensualitati spiritus liberius dominaretur, corpus affligens, orationibus & vigiliis, nihilo minus tamen hora statuta surgens primus ad matutinas, exspectatis in ecclesia sociis suis, eas cum tanta devotione & hilaritate celebrabat, ut illius operis labor non gravis nec onerosus, sed otium & jocunda refectio videretur. Cùm autem post matutinas ad lectum veniens, ibi paululum quievisset; in mane ad ecclesiam accedens, quamdiu corporis vires labori fuerunt commensurabiles, omni die sacerdotalibus ornamentis indutus, atque eis, tamquam sibi innata fuissent, decenter ornatus, cum tanta reverentia & episcopali gravitate ad altare accedebat, ut Christi miles & sacerdos probatissimus appareret: ibique Deo Patri super altare Filium offerens, sicut ex suspiriis, quæ ab imo trahebantur, & ex lacrymarum abundantia per quas sindones, quibus in altari corpus Christi erat superpositum, completæ inveniebantur, certius conjici poterat, se ipsum pro suis & aliorum fidelium peccatis offerebat hostiam Deo, ut credimus, acceptabilem in odorem suavitatis.

Omnibus autem, quæ in ecclesia hora illa diei solebant, rite peractis, ipse ad libros veniens, & in scripturis sacris oculos & mentis intellectum figens, in lege Domini ita studiosè meditabatur, ut si quis lectionem suam propter alia negotia interrumpere attentaret, ipse quasi surdus auditor, eum non audiebat: & si fortè ex instantia vel ex importunitate cujuslibet ab illa contemplatione revocaretur, id admodum graviter sustinebat.

Inde ad causas exiens, multa diligentia & diligenti inquisitione de eis cognoscebat: atque ipse omnibus idem, utpote apud quem non erat personarum acceptio, atque omnibus omnia factus, eas compositione, aut directa judicii libertate ita studiose dirimere intendebat, ut nulli gravis existens, unicuique jus suum conservaret.

Os suum, quod Domino consecraverat, ei mundatum conservabat; quia in ipsius ore dolus non est inventus, neque ullum, nisi ex humana tepiditate, mendacium. Et ut omne mendacium declinaret, quia in multiloquio noverat non deesse peccatum, pauca loqui consueverat. Verba tamen proferebat multo sententiarum pondere fecundata, ut quivis auditor facile adverteret, minus dictum, & verbis illis plus fuisse significatum. Ceterum quia humanæ promissiones sunt de futuro contingenti, & habent se ad utrumlibet, & multoties ex insperato contra voluntatem promittentis finem alium sortiuntur, ab omni promissione cavebat; & nulli aliquid promittens, sibi suam dandi libertatem omnino liberam conservabat, ut à via veritatis non declinaret. Vias ad mendacium proclives præ-

cludere intendens, juxta Prophetam ori suo tam fidelem circumspectionis custodiam posuerat, ut ei non liceret, nisi quantum veritas, & oratio, & persuasio morum, & consilium & ratio permitterent, evagari. Erat enim consilio providus, affatu mitis, nulli in verbo aut opere gravis, ad omnem statum fortunæ se æquanimiter habens, communi omnium utilitati providere desiderans, ut veraciter credi posset eum non sibi, sed toti vivere mundo; honestate conspicuus, quam verbis & exemplo prædicabat. Cum enim tota vita ipsius esset prædicatio, non poterat saltem exemplo non prædicare, quod ipsius vita manifestius edocebat. Aures suas intellectui hac dote maritaverat, quod si verba turpitudinis, aut vanitatis, aut adulationis, aut detractionis, aut quæ ad rem non pertinent auribus insonarent; intellectus surdus auditor quasi non advertens intelligebat, & quasi non audita abeo evanescere videbantur. Ut autem detractiones & detractionum latores à se repelleret; sæpius commemorabat, quemdam sapientem laboribus detractionum consuetum respondere. Nescio quid dixit is, quem vocas detractorem, sed quid tu dixeris scio, audiens ab ore tuo mihi convicia irrogari. & statim in personam detractiones taliter evomentem objectis conviciis mordaciter vindicabat. Si verba ad dilectionem Dei & proximi, ad legem divinam, ad discussionem æquitatis, ad exhortationem morum, ad commendationem virtutis pertinentia auribus se offerrent; intellectus multa aviditate ea recipiens, & intimo mentis interiore ea conservans in eis delectabatur, & sibi erant refectio salutaris. Oculos intellectui famulantes juxta Psalmistam castigaverat, ne viderent vanitatem: quam si fortè eos videre contigisset, ne intellectus per consensum offenderetur, sub quadam indignatione tam cito revocabantur, ut quasi non videntes eam vidisse crederentur. Intellectus autem rationi obtemperans, non secundum oculorum levitatem evagabatur: & si aliquando ad discutiendum de mundi vanitatibus, ut eas declinaret, egrediretur: infra tamen rationis metas se cohibens, in erroris proclivia vix aut numquam poterat inclinari, quem à primæva ætate Præsul eo familiarius edocuerat cœlestis disciplinæ non omittere documentum, & in schola virtutum dedicaverat per divini operis cultum, & ad æternæ beatitudinis fructum spretis hujus mundi oblectationibus propensius anhelandum.

Causis omnibus ventilatis, & recto judicii libramine terminatis, ad mensam consequenter accedebat: quæ licet diversis & exquisitis ferculis coram eo festivius resplenderet, quorum sapor palato illius adulari, & gustum ejus alliciendo seducere niteretur; ipse tamen suam ita servabat sibi temperantiam, ut necessitati satisfaceret, non voluptati. In edendo ac bibendo rationis & modestiæ sic utebatur habenis, ut singulis diebus ad eamdem fere quantitatem cibum & potum sumeret; & post prandium æque sobrius ut antea inveniretur hora cœnæ. Recipiebantur ad refectionem xiij pauperes vel amplius omni die. Extra domum verò omnibus leprosis qui illuc convenerant, cibaria ferebantur. Coram eo semper apponebantur scutellæ pauperum vel infirmorum, quibus de singulis ferculis partiebatur. Nec eo contentus, paropsidem suam argenteam, ferculi medietatem vel amplius continentem, alicui de vicinis infirmis vel pauperibus transmittebat. Errantes pio affectu corripiebat, & ejus brevis sermo ita penetrabat medullitus, ut verbulo uno omnia illius viscera concuteret, quem corrigere intendebat. Morosus in cunctis actibus suis, & sine multiloquio magnificus, opera suaviter disponens, ad votum suum ita feliciter consummabat, ut in ejus actione divina dispositio resultaret. Parcè laudabat, parcius, immo numquam vituperabat. Rarus ad familiaritates; quas cum admisisset, constantissime retinebat. Annis singulis instante hiemis horrore pauperes vestiebat, senes ac debiles & orphanos alebat. quibus in domo sua Cenomannis, eo tam absente quàm præsente, certa erat præbenda cotidie assignata.

Verùm juxta Apostolum dicentem, quod per visibilia invisibilia Dei conspiciuntur; mirabilia opera Dei, scilicet cælum & terram, aërem & mare, & ornatum eorum, scilicet solem & lunam & alios planetas, & sidera, & alios aliorum ornatus, & alia magnalia Dei attendens, per hæc intelligebat conditoris bonitatem, potentiam, sapientiam, pulcritudinem, misericordiam, bonitatem ex his quod tam bona & tam bene omnia fecit. cujus ubertate domus & torrente voluptatis suæ electi inebriabuntur, satiati cum apparuerit eis gloria Dei tuæ permansionis.... cum admiratione intelligentes, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Potentiam, quia quæcumque voluit fecit, Rex regum, Dominus dominantium, Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio, etiam contra aërias potestates; Dominus virtutum, Rex magnus & potens super omnes deos, quem tremunt Angeli & Archangeli, ad cujus vocem contremiscit cedrus paradisi, cujus opera mirabilia ejus potentiam apertius monstrant; ineffabilem sapientiam, quia sapientiæ ejus non est numerus, & magnitudinis ejus non est finis. Ut enim de aliis taceamus, fabricam mundi & solem & lunam & alios ornatus elementorum quis condidisset, nisi omnem sensum transcenderet ejus sapientia? O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Pulcritudinem, quia qui plantavit aurem, non audiet, & qui finxit oculum non considerat? Similiter qui tam diversis rebus, tam diversas pulcritudinis species tam eleganter assignavit, nonne certius exinde probatur eum habere inæstimabilem admirandæ pulcritudinis elegantiam? Ipse nimirum est speciosus forma præ filiis hominum, cujus pulcritudinem sol & luna mirantur: immo ipse est supereminens pulcritudo, de cujus plenitudine in omnem pulcritudinis speciem particulariter emanavit emanatæ pulcritudinis donum divina gratia largiente. Misericordiam, quia peccatis hominum parcit, & super eos solem suum oriri facit. Et licet omnia conclusa sint sub peccato, omnium tamen miseretur; & his qui peccare non desistunt, infinita tamen beneficia non desistit misericorditer impertiri. Suavis enim est Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Unde David: *Misericordias Domini in æternum cantabo. & misericordia Domini plena est terra.* In his secretius meditabatur, exinde quod divina majestas summopere sit diligenda, certissima colligens argumenta; nec ex illa diversitate nominum quæ de Deo dicuntur, in ipso intelligebat substantiarum pluralitatem, nec accidentium diversitatem: quia ipse sine omni accidente vere subsistens est, & bonitas divina, & potentia, & sapientia, & vera pulcritudo, & misericordia, & verus Deus, & vera divinitas. Et licet tam diversa nomina de ipso dicantur; eis tamen una sola substantia divina intelligitur. Unde quando dicitur hæc omnia sunt unus Deus, & unus Deus hæc omnia; illa pluralitas non est ex pluralitate rerum, sed ex diversitate vocabulorum. Et ergo quem vere diligebat, in quem veraciter & catholicè credebat, qui toto corde & tota anima, &, si fieri possit, magis quàm verbis & intellectu exprimi & intelligi possit, est diligendus, puro corde & corpore famulabatur. Etsi enim carnalis macula ei adhæreat, intellectu quod bonitas Dei eum ad pœnitentiam

tentiam

tentiam adduxerat, qui octoginta annis & eo amplius vitam ejus produxerat; ipse non secundum cor impœnitens iram in diem judicii thesaurizaverit, sed omnibus maculis, tam mentis, quàm corporis, per pœnitentiam abolitis, se ita detersaverat, ut post districtum judicium ad dexteram Filii Dei inter bonos, sicut creditur, sedem habeat coronandus.

Idem Episcopus utilitati omnium, & maximè personis religiosis ex caritate cupiens providere, in domo sua Cenomannis cameram inferiorem lapideam, & capellam juxta positam similiter lapideam personis religiosis ædificaverat, & sic disposuerat, ut eis locus orationis oportunius deserviret: ibique monachi Cistercienlis Ordinis, ea quibuscumque partibus, quacumque hora ad prædictam civitatem, ubi nullam aliam habebant mansionem, venirent, à servientibus Episcopi, qui ad hoc erant præcipuè destinati, cum multo honore recipiebantur, & de bonis Episcopi eis sufficienter providebatur. Rursus venerabilis Episcopus semper & maximè in tempore famis pauperibus largus, in duabus infirmitatibus, quibus eum vidimus, universa quæ habebat pauperibus erogavit. In una earum textum ex auro & lapidibus preciosis de suis anulis valde preciosum fecit fabricari, & ipsum ea conditione quam versibus quos composuit, & in superficie textus fecit annotari, intelligere poteritis, ecclesiæ beati Juliani assignavit, quatenus in tempore famis pauperibus distribueretur: in quibus preciosa materia preciosius quàm in textu resplenderet. Sunt autem versus hujusmodi,

Gemma nitens, aurum rutilans, junguntur, ut ex his
Arte simul vinctis nobile surgat opus.
Nobilius quæcumque tamen disjuncta futura,
Vendita cum fuerint, pauperibusque data.

Contigit in penultima infirmitate reverendi Præsulis, in qua fere omnes de ipsius vita desperabant, quod in illo vero examine fortunæ cum quidam de servientibus qui ab eo multa beneficia receperant, omissa sollicitudine, quam circa eum gerere debebant, emolumento temporali potius deservirent, & pro eo eum multa instantia, quæ sibi semper gravis extiterat, & tunc eum gravius molestabat, equos & alia requirerent, & ut illius qualemcunque laborantis quietem perturbarent; ipse hoc versu eos notans, non tamen quasi irascens, sed quasi in agone ludens, ait:

Nec d[illegible] fructus habet, nec qui loca mutat amicos.

Et postea cum sentiret sudorem, qui vel vitam præscribere, vel eam diutius conservare videbatur, sic in deteriorem partem pronum, ut tamen liceret sperare timenti, adjecit:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Numquid mirabile est istud ac memorabile, quod seni octogenario in tali articulo tantam Deus rationem & memoriam conservasset? Ultima infirmitate laborans idem Præsul reverendissimus, & omni honore dignissimus, multos habuit Confessores; & si quæ peccati in eo macula remanserit, lacrymis ejus & suspiriis & pœnitentia illud mali residuum omnino credimus expiatum. In vigilia festi transitus beati Juliani surgens à lecto ægritudinis, venit in capellam Ebiaci, ibique fecit Missam celebrari: & stans debita veneratione audivit Evangelium, ibique exspectavit dominicam, quæ in fine Missæ per sacerdotem mittitur, salutationem: & multa devotione recepto corpore Christi, à quo salutationem & in quo salutem receperat, ad lectum ægritudinis remeavit. Quanta essent de morte ipsius lamenta inter socios suos, quantus dolor & afflictio spiritus in cordibus eorum, licet mæroris illius & anxietatis particeps ego extiterim, nec manu scribere, nec lingua depromere possum. Tantus erat dolor, ut productioni vitæ illius unusquisque sociorum, sicut videbatur, de propria vita cuperet impertiri. Altera die, cum jam prope videretur ut in fata concedere deberet; ipse ad terram super cinerem positus, peracta commendatione animæ, quam Petrus Abbas Belli-loci, & multi alii cum lacrymis celebrabant, & clericis adhuc dicentibus psalmos qui in morte solent decantari, circa horam tertiam in festo beati Juliani, cujus serviens devotus & dispensator fidelis extiterat, quasi illa beata vocatione commonitus, *Euge, serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*: non quasi in morte laborans, sed quasi de temporalibus triumphans, & ad civium supernorum consortia suspirans, exspiravit anno Domini mill. cent. lxxx. vj. In eo autem nos qui præsentes eramus, multæ recepimus admirationis materiam, quod inter vivum & mortuum, nulla nec in colore, neque in minus ordinata membrorum positione via notari poterat diversitas: sed quasi dormiens, & in tranquilla pace, ac bonæ carnis, non vera tamen glorificatione apparens, melioris vitæ statum repræsentabat. Magnum credimus hoc inter ipsum & beatum Julianum fuisse familiaritatis & dilectionis indicium; quia die illa, quam gloriosi Confessoris diem natalem solemnem devotius in terris homines venerabantur, cælesti curia fidelium devotioni applaudente, idem Confessor prædictum Episcopum, heredem cathedræ suæ, in qua sederat rector humilis & fidelissimus dispensator, ad suæ beatitudinis participium, ut credimus, evocavit.

Eadem die circa noctem fuit corpus ejus Cenomannis ad ecclesiam beati Juliani deportatum. cui in choro ecclesiæ posito, postquam pontificalibus fuit infulis, tamquam accessurus ad altare, decoratus, erectis circa ipsum candelabris, & altis trabibus ad cereos sustinendos, Canonici & alii clerici debitas exsequias reddiderunt, in vigiliis, in psalmis, in orationibus, in suffragiis ac magnis luminaribus, & aliis quæ circa funus agi solent, multum honorem, tamquam patri & pastori suo, exhibentes. Tribus diebus atque noctibus, luminaribus accensis, jacuit ibi corpus dilectissimi Patris, nec tempus ociosum præteriit, in quo personarum religiosarum conventus, aut aliæ personæ vigilias non celebrarent, aut alia officia mortuorum.

Mansuetissimus pater qui semper pacem dilexerat, dum ageret in extremis, timens quod Canonici beati Juliani qui filiali eum affectione diligebant, in eadem ecclesia vellent sibi eligere sepulturam, & inde inter Canonicos & Monachos sancti Vincentii iræ & contentionis materia oriretur; præcepit ut ad patres suos in Abbatia sancti Vincentii apponeretur. Secundum ergo ordinationem ipsius, cum personæ quas tantæ sepulturæ honor exspectabat convenissent, in ecclesia B. Vincentii ante altare martyrum Vincentii & Laurentii, quod vicinius est choro monachorum, debito honore exhibita est ei venerabilis sepultura. Nunc ad reverendi patris opera transeamus.

Ipse cui sermo præsens famulatur, Cenomannis à parte ecclesiæ sancti Audoeni fecit grangiam lapideam, lapidibus tectam & spatiosam. Prope locum illum fecit cameram, quæ altior dicebatur, ubi ipse jacebat: cujus ab utroque latere fenestræ progredientes eam claro lumine irradiabant. quarum materiam, licet commendabilem, superabat opus. Nam & opus earum & compositio cameræ ingenium artificis, quod in eis pulchrius & subtilius relucebat, admodum commendabant. Cameræ illi capellam continuam posuerat, quæ etsi prima manu artificis nihilo minus pulcrius resplenderet; imagines tamen ibi pictæ ingenio admirabili viventium speciebus expressis conforma-

sequentes, pauperibus Christi unusquisque secundum propriam facultatem multa beneficia conferebant. Et sic ipsi qui pauperes ex diversis locis ad ipsos confluentes majori pietate consovebant, Christianæ pietatis charactere insigniti, quem venerabilis Antistes illis sanctæ fidei & bonorum operum doctrina & exemplo impresserat, & eis quasi in testamentum sempiternum reliquerat, ad laudem ipsius, cujus vestigia sequebantur; de misericordiæ operibus pro peccatis suis in odorem suavitatis Deo per manus pauperum offerre procurabant placabiles hostias & immortales.

Hucusque de reverendi Pontificis origine, & vita, & operibus sub brevitate, ne prolixitas fastidium, aut tædium generaret, pro modulo nostro tractavimus: amodo munera quæ ecclesiæ beati Juliani contulit, sub eadem styli brevitate prosequamur. Episcopatus multas ecclesias, quarum nomina alibi continentur, eas de manu laicali redimens, adquisivit, & redditum Episcopatus plurimum amplisvit. Capitulo autem dedit patronatus ecclesiarum de Charnea & de Brolio, & medietatem patronatus ecclesiæ beatæ Mariæ de Lavalle Capellanus tamen qui in ecclesia illa de Lavalle per Capitulum advocatur, & redditus ampliores & majorem habet in eadem ecclesia prærogativam super x libras Cenomannenses, quas Capitulum pro partibus Canonicorum habet in ecclesia de Charnea: institutum est à venerabili Antistite piæ recordationis Guillelmo, ut Canonici qui suæ depositionis diem anniversarium celebrabunt, annuatim lx sol. Cenomannenses inde percipiant. Anniversario autem bonæ memoriæ Raginaudi Remensis Archiepiscopi, & matris sæpè dicti Guilelmi, quod pro utroque eadem die celebrabitur, xxx sol. Cenomannenses; anniversario Guillelmi *Passavant* patris sui, alios xxx sol. de summa illa annuatim Canonicis, qui illis anniversariis intervenerint, reddendos in perpetuum assignavit: quatuor libræ quæ remanent, Capitulo communiter dividentur.

Reddidit in Capitulo ecclesias istas, de Pruliaco Gaudini, de Loenna, de Nogento-Bernardi, quas Canonici se possedisse asserebant; sed multis annis possessione earum caruerant. Concessit in Capitulo ecclesias istas, quæ suo & aliorum auxilio conquisitæ fuerunt, de *Grts*, de *Horp*, de *Colrnz*, sanctum Medardum de Hostille, ecclesiam de Uncinis, quas Canonici numquam habuerant. In tribus capellis domus suæ Cenomannensis, una quæ inferior erat, & dicebatur Monachorum, altera media inter cameram & aulam sita, quæ Picta vocabatur, tertia altior, quæ in turri sita ecclesiam cathedralem vicinius speculabatur, tres lampades ordinavit, ut ibi lumen ad honorem Dei, & beatæ Virginis matris suæ, & decori habitationum gloriæ Dei singulis noctibus deserviret. Ne autem oleum eis deficeret, & ne successoribus Episcopis oneri viderentur; ipse in claustro stallum comparavit, unde oleum illud reciperetur, & residuum illius redditus in alias majoris ecclesiæ necessitates poneretur.

Huic autem ecclesiæ dedit textum aureum, cui inserti lapides pretiosi tantum pulcritudinis & pretii conferebant, ut licet quorumdam opinione ex auro major textus auctoritas proveniret, lapides tamen cum auro super eadem auctoritate quasi de pari contendere videbantur. Anulos aureos pontificales quatuor, unum cum smaraudo, alterum cum topasio, tertium cum hyacinthio, quartum cum sapphiro, qui Gaiferius nuncupatur, capsas duas argenteas, quæ sunt super altare martyrum Gervasii & Protasii, pelves argenteas quatuor, quarum duæ majores octo marcas ponderant, subtili opere deauratæ, aliæ duæ quatuor marcas & eo amplius: candelabra argentea quatuor, quorum duo totam habent superficiem deauratam; alia duo cunctis distinctionibus sunt deaurata, calicem argenteum intus & exterius deauratum, infulas sericas quinque, unam de purpura nigra auro intextam cum bestiarum figuris, alteram de samito rubeo, quintam de multeia stellatam cum floribus violarum; albas undecim, quatuor solemnes cum paramentis aureis, duas alias paratas non ita solemnes, & quinque absque paramentis, & totidem manipulos, stolas quatuor, duas solemnes nigras auro intextas cum manipulis similibus, & duas alias, unam rubeam, & aliam candidam; dalmaticas tres candidas; tunicas quatuor, sandalia tria paria cum caligis, capas sericas sex, unam purpuream, quatuor de samito; sextam de pallio varii coloris, pallia undecim, thuribola argentea duo, unum tota superficie deauratum, alterum per loca, mitras duas, baculos pastorales duos quorum unus est argenteus. cophinos sex, tapeta septem, duo idonea poni ante altare, tria super scamna, duo in cathedris; vinaria duo argentea bibliothecam * in duobus voluminibus, decreta Gratiani in magno volumine, aliorum librorum volumina, imagines duas Petri & Pauli. * id est Biblia.

Hic omissa sunt acta quinque Episcoporum, initio hujus chronici compendio relata, nempe

XXXIX Raginaldi	XLII Mauricii
XL Hamelini	XLIII Gaufredi de Lavalle.
XLI Nicolai	

CAPUT XLIV.

Gesta Gaufredi de Loduno Episcopi

In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, amen. Legimus in parabolis Salomonis, *Majora te ne quæsieris, & altiora te ne scrutatus fueris.* Ideoque præsumptuosum & temerarium esse videtur, dum in ardua materia, quæ sermones exigit luculentos, rudi stilo procedit sermo tam horridus quàm incultus. Verumtamen blanda violentia precantium amicorum onus aliquando compellit aggredi supra vires: & sicut lex est amicitiæ ne rogemus res turpes, aut faciamus rogati: sic eadem lege constringimur, ut honestæ petitioni, quantum sufficimus, obsequamur.

Igitur venerabilis pater & pastor ecclesiæ Cenomannensis Gaufredus de Loduno, dominus Treviarum Andegavensis diœcesis, clarus sanguine, clarior exstitit morum nobilitate. qui patre matreque defunctis, duobusque ipsius Episcopi fratribus humanis rebus exemptis, Baroniam Trevisrum, tamquam verus heres, adeptus, quamdiu vixit, sapienter ac feliciter gubernavit. Hic in ætate primæva litteris initiatus, postmodum anno ætatis suæ quartodecimo relictis figmentis poeticis & aliis ethnicorum libris, sacræ paginæ fructus uberrimus legit & elegit, æterna transitoriis anteponens. Idem honestatem jungere continuans, contra carnis male blandientis lenocinia, mundum manu, mundum carne in suo perpetuo se servavit; nec oblitus illius verbi Davitici: *Qui emittis fontes in convallibus*, sicut humilem se foris exhibuit, sic humilitatis thesaurum inæstimabilem intus perpetuo custodivit. Idem ab adolescentia Domini jugum ferens, quasi quædam præludia futuri sacerdotii capam clausolam * in studio semper habens, ornatus quos exigit nobilitas generis, extra gessit, non ut morem gereret voluptati, sed ut quantum secundum Deum poterat, munda- * f. clausam.

lium satisfaceret voluntati. Sicque reddidit quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Ejus itaque crebrescente fama, felicis recordationis MAURICIUS tunc Cenomannensis Episcopus vocavit eum in ecclesia Cenomannensi ad Cantoriam cum præbenda, ubi laudabiliter se habuit, & per incrementa temporum bono se semper exhibuit meliorem. Vocavit inquam eum dictus Mauricius; qui ad ecclesiam Cenomannensem vocare consueverat viros theologos & famosos, aliosque viros peritos, providos & discretos. qui ligna Libani levigata, & undique parata ad ponendum in ædificio Salomonis, noverat eligenda; de quibus plures vidimus in Archiepiscopos, plures in Episcopos promoveri. O felices nos animo, si per patrum semitas graderemur, si mores eorumque virtutes presso sequi vestigio conaremur! sed nemo in se tentat descendere, nemo! sed præcedenti spectatur mantica tergo. Denique dictus Cantor ad regimen ecclesiæ Cenomannensis assumptus, humili se factus est humilior, patientior patiente.

Post modicum verò temporis inter Archiepiscopum Turonensem & ipsum super quadam jurisdictione gravis est exorta querela; & cùm ab Archiepiscopo suspensus fuisset de facto, suspensione hujusmodi non servata, de meritis appellationis confidens, pro tuenda ecclesiæ libertate cum duobus Archidiaconis & quibusdam Canonicis suis, cum apparatu magno, nec considerata expensarum quantitate, licet immodica, Romam venit: ubi à Papa GREGORIO nono honorabiliter est receptus. Et cum fortè putaretur ab adversariis redire confusus, rediit absolutus ab Papa: Legatusque per totum regnum Franciæ constitutus, cum quanta humilitate legationem suam exercuerit, quanta diligentia ecclesiam suam rexerit, sufficienter sum insufficiens explicare: cùm subditorum propriam sibi reputaverit passionem, congaudens in Domino gratulanti, & in visceribus caritatis compatiens patienti. Idem numquam inventus est otiosus: aut studebat in sacra pagina (prædicationis enim gratia clarus erat) aut orationi, contemplationique vacabat. Mitioribus socium, omnibus amabilem se præbuit & benignum. Idem monasterium Cartusiense fundavit à primo lapide, capellam ibi faciens testitudineam, cellasque melioribus totius Ordinis non minores. Clausuram quoque lapideam, cum aquæductu per cellas magnis fecit expensis, & proviso de redditibus, munera muneribus superaddens, monasterium ipsum feliciter consummavit. Jamque quàm honorifice corpus beati Juliani in novum opus transtulerit, audiemus.

Temporibus igitur venerabilis patris Gaufridi de Loduno, domini Treviarum, tunc Cenomannensis Episcopi, felici fine complenda assignatur dies, qua corpus B. Juliani in novo opere transferretur (quod factum est die Lunæ post octavas sancti Paschæ anno Domini mill. ducent. quinquag. quatto) in crastino paschalis solemnitatis adest in ecclesia beatissimi Confessoris ex omni conditione sexu, ætate, numerosa totius civitatis Cenomannicæ multitudo ad liberandam ecclesiam: rudera extrahunt, ecclesiam ipsam certatim mundare volentes. Adsunt matronæ cum reliquis mulieribus, quæ contra mulierum morem accuratis vestibus non parcentes, in pannis variis, in indumentis scarlaticis viridibus, seu alio colore fulgentibus, extra ecclesiam sabulum portabant. Multæ scobem ecclesiæ multiciis deportantes, ipsa multicia squalore pulveris squalere gaudebant. Aliæ sabulo ecclesiæ lactentium parvulorum gyrumnulos implentes, sic eos extra ecclesiam deferebant. Quid mirum? laudem infantium divino operi decebat adesse, ut tanto officio infantes & parvuli aliquam viderentur operam præstitisse. Triennes vel circa parvuli, in quibus jam sacræ fidei insignia quodammodo præludere videbantur, vix adhuc se portantes, pulverem extra ecclesiam in suis panniculis asportabant. Majores verò ætate & corpore robustiores, magna ligna & ponderosiores lapides citiùs & faciliùs quàm credi posset, extra ecclesiam deferebant: minores levibus pro qualitate virium operam dabant: majores ad gravia de ecclesia tollenda pro viribus laborabant. qui brevi tempore sponte fecerunt, quod multi conductitii per longa tempora non fecissent. Hoc autem continuè singulis feriatis diebus factum est, nullo exterius edocente. Quid plura? tantus erat in populo Dei fervor, tantus devotionis ardor, quod videntes admirabantur, & considerata tanta devotione, se non poterant à lacrymis præ gaudio continere. Voluerunt etiam cives, ut lumen quod cordibus inclusum habebant, exterius appareret. Unde habuerunt & ordinaverunt, ut per officia singula fierent cerei capaces magnitudinis ad mensuram facultatis, qui arderent in die solemni. Fecerunt autem quidam de majoribus cereum ducentas ceræ libras habentem: fecerunt & alii cereos diversorum ponderum juxta seriem facultatum. Nam qui in aliis pauper erat, ad faciendum pro rata cereum divitem se gerebat. Nec oblivioni tradendum est, quod diversi diversorum officiorum cereos deferentes cum laudibus offerebant exultantibus animis & musicis resonantibus instrumentis. Præter horum multitudinem cereorum, fecit ecclesia cereos, circa chorum & in presbyterio dispositos in gyrum. Et erant tonellæ in ipsa nave ecclesiæ cereorum multitudine circumornatæ. Corda omnium intus flammantia foris ostendebant luminaria numerosa. In iis omnibus fletus aderat gaudiosus, & lacrymæ risui felici fœdere jungebantur. Præterea cum cives ipsos sub intermuatione pœnæ corporum & amissionis rerum in exercitum trahere vellet Princeps, elegerunt magis utrique periculo subjacere, quàm diu desideratam translationem patroni sanctissimi non videre. Addete liber de clausoriis & cultoribus vinearum; qui videntes cereos aliorum, ad quorum exemplum nihil fecerant, inter se mutuo loquentes aiebant: Alii fecerunt momentaneum luminare, faciamus vitreas, quæ illuminent ecclesiam in futurum. Fecerunt autem formam integram quinque vitreas continentem, in quibus ipsi per officia depinguntur. Nec à laudibus civium putavimus esse tacendum, quia etsi luminaria fecerint sumptuosa, nihilominus fecerunt vitreas, in quibus per officia sunt depicti.

Adest dies universaliter expectata, ab Episcopo tamen & clero maxime peroptata, transferri suspirantibus de squalore & angustia veteris operis, ad pulcritudinem & latitudinem structuræ majoris. Vocati sunt nobiles & Prælati, quorum quidam juxta parabolam Evangelii se excusaverunt, alii venerunt. Adfuerunt Turonensis Archiepiscopus, Abrincensis, Andegavensis, Redonensis, Dolensis Episcopi, cum Episcopo Cenomannicæ civitatis. Sed quia convenerat populus super numerum, tam de diœcesi, quàm de partibus alienis; inito consilio de sancto corpore per noctem transferendo, vigilata parte noctis, venit ad ecclesiam Metropolitanus cum Episcopis memoratis: inter quos Cenomannensis Episcopus, velut alter Symeon in ulnis optantum pignus suscipiens, velut alter Saül ceteris excelsior, inter pressuras circumstantium pondus sine pondere pressuræ, molestias grato labore ferens, velut alter Issacar supposuit humerum ad portandum: & sic thesaurum desiderabilem imposuit super altare sanctum. Idem à sancta die Paschali usque ad repositionem corporis sancti non longè recedens à civitate exigente præ devotionis affectu, peregrinationis causa qualibet die semel cum orationibus &

oblationibus ecclesiam visitabat. Idem videns cives non sicut conductitios, sed intensu mentis affectu, & toto corporis nisu, prout dictum est, operantes, de tanta populi devotione gaudens, tamquam pius & mansuetus pastor, à lacrymis sibi temperare nequibat. Idem vigilia translationis & die fecit cœnam magnam vocatis: & ex affectu rogans quos vocare potuit & habere, impleta est ejus aula discumbentibus, nemine excluso, necnon & aliæ domus & cameræ, sed & omnes episcopales officinæ. quod cùm adhuc non sufficeret, per virgultum suum fecit tentoria collocari, ubi Barones & nobiles, & alii discubuere multi. De qua cœna multum quod loqueremur erat: sed ne sermo prolixior teneras offendat auriculas, ad alia transeamus. Igitur pannus sericus quo sancta tegebatur theca, cum elevaretur, tam suavem effudit odorem, ut excedere videretur omnium aromatum species in immensum. Per quindecim verò dies super ipsius Confessoris altare reliquiæ servabantur, quas custodiebant bini & bini Canonici, per horas suas noctu dieque ad hoc specialiter deputati. Sed quia cives instanter petierant ea nocte custodiam sanctæ thecæ, ut qui semper erant sancto corpori & ecclesiæ ceteris propiores, ecclesiam sanctam & corpus sanctum propius aliis custodirent; hoc cum humiliter & justè peterent, eis non poterat denegari. Quo concesso, præter custodiam nobilium, Vicecomitis videlicet Bellimontis, domini Montis-fortis & aliorum vassillorum Cenomanniæ; venerunt loricati cives in chorum, tota nocte vigilantes, & custodientes cum omni diligentia corpus sanctum. Statutum etiam fuit & laudabiliter ordinatum, quod per totam quindenam omnes conventus, tam de civitate, quàm suburbiis, in principio cujusque noctis vigilias solemniter decantarent; Canonici matutinas in horis antea consuetis: similiter & de Missis. Interea populi fama excitati ex omni fere Francia ad sanctas reliquias venerandas cum omni devotione, vigiliis orationibus & laudibus advenêre. Sicque continuata sunt solemnia tam à clero, quàm à populo nocte & die per totam quindenam, tam in ecclesia, quàm in urbe.

Jamque tam cleri quàm populi devotionem audivimus: amodo qualiter in ecclesia sua beatissimus Dei Pontifex operatus fuerit, audiamus. In ipsa translationis nocte erant in ecclesia tam viri, quàm mulieres quindecim & amplius, graviter infirmantes. Alii dæmoniaci, alii sacro igne succensi; quorum duodecim infra primam sequentis diei redierunt incolumes & sani: alii verò superstites remanserunt divinam misericordiam exspectantes: sed infra paucos dies liberati, ad propria rediere, qui & aliorum præcedentis infirmitatis & subsequentis liberationis laudabile testimonium gavisi sunt perhibere: & sic in ecclesia de infirmantibus nec remansit unus. Curatorum jam dictorum fuit unus de Lavenio, alius de Belino, quidam de Ameneio, alii de Lavalle, alii de Monte-mirabili, & alii quorum nomina & patriam ignoramus. Præterea quædam muliercula de Ludio, quæ per idem tempus in ecclesia morabatur, usum brachiorum & manuum non habens, plenam & perfectam adepta est sanitatem. Item de civitate sanati sunt duo, de Quinta unus. Cuidam etiam mulieri, quæ per quinque hebdomadas loquendi usum amiserat, reddita est loquela. Præterea mulier quædam de Praretia Sagiensis diœcesis, cùm venisset ad sanctam translationem, & haberet manum aridam, & brachium usque ad cubitum, cum magna devotione manum obtulit ceream, quæ diu pependit super altare beatissimi Juliani: mulier verò sine moræ dispendio perfectæ restituta est sanitati. Fama igitur crebrescente, & eundo vires amplius acquirente, venêre multi suorum incommodorum remedia petituri. Mulier quædam juvencula de Rochabiliæ ad ecclesiam deportata, sparsis per colla capillis, vultum habens terribilem, oculos minaces & torvos, & inhumanum sonans, manibus virorum fortium vix trahi potuit ad altare beatissimi Confessoris Postmodum verò (prout moris est) in cereo posita, clamans & quos poterat tangere discerpens, tandem arrepta somno dormivit; & sic miraculosè sanitatem recepit. Quidam è contra clericus in domo cujusdam scansoris manens, & febre quartana laborans, ob dormivit in loco super quem diu fuerat sanctum corpus: nec mora reliquit eum somnus cum febre, adeo quod febrilis incommodi vestigia postea numquam sensit. Sic & quidam juvenis, dictus Michaël de *Gorran*, clericus nostri chori, filius Præpositi de Burgo-regis, & alii quartanarii sanati sunt multi. Per idem tempus contigit ut milites non longè ab Ebronio torneamenti ludum, prout moris est, exercerent: inter quos vir nobilis dominus Tilieri tot torneatorum incursibus & obviationibus violentis mirabiliter præcipitatus cecidit, & ejus equus sub eo. qui cùm esset in statu quod totum torneamentum super eum irruebat, nec humano locus erat subsidio, & idem non nisi solam præstolaretur mortem; tandem beatissimum Julianum ad mentem revocans, divinum sensit auxilium. Nam equus cum eo surrexit, & ipse quasi solus esset in campi planitie, ab omnibus torneamentium incursibus se liberatum invenit. Inde domum rediens, cum uxore & familia venit ad ecclesiam beatissimi Confessoris, ex toto mentis affectu, quantum poterat, grates agens. Obtulerunt autem singulis singulos cereos. Nec enim & ipse ceream militis imaginem quamdiu ad sanctam capsam vidimus dependentem. Nec silentio prætermittendum est quod iisdem temporibus in territorio de Castro-Ayeraudi Pictavensis diœcesis accidit, in vico, qui Senilliacus appellatur, erat ibi quædam mulier arrepta à dæmone, prout ipsius actus, gestus, & verba manifestissimè ostendebant. Cumque hujusmodi facti fama increbuisset per parochiam & loca circũstantia, quædam bona mulier prædicti castri incola, nata tamen de parochia supradicta, quæ limina sancti aliquando visitaverat, & tunc & antea multa de miraculis ejus audierat, ad locum prædictæ energuminæ causa visitationis accedens, ut ipsam vidit taliter infirmantem, de meritis sancti confidens maritum ejus ad hoc induxit, quod vovit se mulierem ad Cenomanensem ecclesiam & sancti reliquias adducere vel mittere, vel se pro ea ejusdem sancti limina visitare. Quid plura: præfata matrona prædiolum suum, quod non longè per dimidium miliare distabat, adiit: & exinde sine mora ad domum prædictæ energuminæ rediens, invenit eamdem ratiocinantem & restitutam pristinæ sanitati. Sub eodem tempore puer quidam septennis de villa, quæ vulgò *Corpum* appellatur, cùm à nativitate surdus & mutus esset, cum matre sua venit ad solemnitatem. qui cùm ante sanctum altare expassis manibus genua flexisset, sub brevissimo intervallo gloriosissimam Dei Matrem & beatissimum Julianum alta voce, multis qui aderant audientibus, appellavit. sicque jocunditatem audiendi & loquendi commoditatem accepit. Sed cum rerum nomina penitus ignoraret, parvo tempore didicit res propriis nominibus appellare, & vocabula conjungere adeo competenter & ordinatè, sicut alius ætatis suæ. Sed quid ulterius vexabimus linguam? Iste sanctus dignè in memoriam vertitur hominum, cujus meritis & precibus glorioſis in ecclesia sua, sed & beatæ Virginis, in cujus honore idem fundavit ecclesiam eamdem, sacer ignis extinguitur, energumini liberantur, hospites ubicumque necessitatis tempore, ejus invocato nomine colliguntur. Ipsum ergo rogemus, ut cùm venerimus ante tribunal districti Judicis, de nobis tamquam de propriis filiis dicat: *Ecce ego & filii*

mei, quos dedit mihi Dominus. Ipsi Deo laus honor & gloria per infinita sæcula sæculorum, amen.

Nunc de aliis quæ ipsius temporibus acciderunt, nunc prosperis, nunc adversis, aliqua perstringamus. Cujus temporibus Deus ultionum Dominus, qui plagis olim percussit Ægyptum, Christicolas transmarinos, suis forte culpis exigentibus, flagellavit. Initis enim treugis inter Soldanum Babyloniæ & nostros incolas transmarinos, venerunt quidam populi feroces & bellicosi, qui Coramini vocantur: quos suscipiens Soldanus Babyloniæ, non servata fide treugarum, sub dissimulatione contra Christianos nostros in Syriam transire permisit. Ipsi verò ubiquaque extra fortalitias invenerunt, tam ferro quàm incendio miserabiliter vastaverunt. Quadam die Christiani de terris maritimis universaliter convenerunt, contra Coraminos ad prœlia processuri; & infausto congressu eorum multitudini resistere non valentes, miserabiliter & innumerabiliter sunt occisi. Ipsi quoque magistri militiæ Hospitalis & Templi in prœlio ceciderant: & sic Coramini cum victoria Jerosalem venientes, quos invenerunt universaliter percusserunt gladio non parcentes: templum quoque Salomonis, & turrim David funditus eruerunt, & (quod sine lacrymis audire non potest vel dicere Christianus) sepulcrum Domini subverterunt. Eodem verò Episcopo in curia præsente, prædictus Papa GREGORIUS FEDERICUM Imperatorem Romanorum & Siciliæ Regem excommunicationis vinculo, culpis suis exigentibus, innodavit; quem ejusdem Episcopi temporibus INNOCENTIUS Papa quartus, convocato apud Lugdunum Concilio generali, omni honore imperii & regni sententialiter privavit. Ejus temporibus multi Barones de regno Franciæ assumpto crucis signaculo transfretaverunt in subsidium terræ sanctæ. qui cùm in transmarinis partibus morarentur humilitatis filii Dei prorsus immemores, assumpta superbia, omnique humilitate procul abjecta, carnis opera sectarentur; ira Dei incidit super eos, & traditi sunt in manu gentium. Unde factum est quod in Planguarce plures occisi, multi capti, ceteri rediêre confusi.

Ejus temporibus LUDOVICUS Francorum Rex Christianissimus pro eodem succursu crucem assumpsit, & in adventu suo cœpit Damietam, muris & turribus circumseptam, sponte fugientibus Sarracenis. Idem verò Rex (quod non sine dolore fateor me proferre) apud Mansuram captus, & Soldani Babylonici carceri mancipatus, ex superabundanti misericordia Dei non sine magno fuit miraculo liberatus. Nam cum in captivitate Rex, ut dictum est, teneretur, ipsi Sarraceni Soldanum dominum suum occiderunt, Regem Franciæ liberantes: & (quod maximam recipit admirationem) recuperata civitate Damieta, eam funditus everterunt. Rex verò postea multis fortaliciis in terra sancta firmatis, cum uxore quam secum duxerat, & liberis quos ibi genuerat, ad propria cum gaudio reversus est incolumis & sanus: idemque in timore Dei & in amore justitiæ, & ecclesiæ defensione plures postea vixit annos. cujus temporibus Rex idem, quem fortuna sic depresserat, ardens, & in principio regni sui ipsum fecit de suis hostibus triumphare. Nam cum bellum contra Comitem Marchiæ & Angolismæ movisset regio apparatu, quibusdam ipsius Comitis fortaliciis captis, & præcipue Xantonensi civitate, Comitem ipsum mirabiliter contudit, & ad servitium suum redire coegit, fugatu Rege Angliæ, qui venerat in auxilium Comitis supradicti. De Rege tam Christianissimo, tamque politicis, quàm gratuitis virtutibus illustrato, audeo dicere, quia inter fortunæ vultus ambiguos, uniformis hæc æquanimiter & prospera sustinuit, & adversa calcavit; & in prosperis Regis immemor, & in adversis Rege major, fortunæ derisit ambiguitatem. Unde majus fuit patienter sustinere captionem, derisum, & carcerem; nec animo turbari, quàm de Damieta, vel simili victoria gloriari, juxta id, *Salus major*, &c. Ejus temporibus castra moverunt Cumani contra Hungaros, acciti in auxilium Tartarorum. Et erant Tartarini exleges homines, audaces, efferi, bellicosi. Ii venerant ab extremis partibus Orientis, qui equos & animalia innuentes, haustu sanguinis alebantur. Ii collecta super numerum multitudine, factis & ordinatis pluribus aciebus, quasi locustæ terrarum multarum longitudinem & latitudinem implevere. Horum intellecto nomine & divulgata ferocitate, quisquis audivit, expalluit. Nam per multorum prædicationes & rumores, de ipsorum potentia crebrescentes, regna multa timore valido sunt concussa. Inito autem congressu, inter Hungaros & Cumanos cum belligeris supradictis, ex parte Hungarorum, ut dicitur, plusquam centum millia hominum ceciderunt: nec multu post cum Antiochia à Sarracenis fuisset potenter obsessa, misit Princeps Antiochiæ petens auxilium Tartarorum. qui cum in fortitudine venissent, à facie eorum fugerunt citissimè Sarraceni, & obsidionem, quàm incœperant, dimiserunt.

Ejus temporibus furorem suum diabolus contra Ecclesiam excitavit. Nam surrexerunt quidam maledicti pastores, qui dæmoniaco spiritu vehementius agitati, magistros sibi puerulos elegerunt, qui contra Fidem multa turpia exercerent, & infirmos dicerent se curare: ribaldis & trutannis infirmantes se mentientibus, & per eos falso asserentibus se curatos. Collectis igitur infinitis pastoribus, furibus, homicidis, creaverunt sibi fraudis & malitiæ suæ magistros, centuriones pariter & decanos: & sic instigante diabolo, congregati ut delerent Ecclesiam, & disperderent nomen Christi, per civitates & castella, populis illudentes, asserebant se à Deo missos, & ad partes transmarinas in terræ sanctæ subsidium profecturos. Venerunt Turonos, ubi à civibus sunt honorificè recepti. Populus enim levis & credulus facile trahitur in errorem. Ibi nefaria & inhonesta matrimonia faciebant, & alia plurima contra Fidem. Demum cum ipsorum civium comitatu fratrum Prædicatorum domos fregerunt, inventa diripientes spolia, vasa Domini rapientes & prô dolor! turpiter attrectantes: Fratres verò per latibula fugerunt attoniti & exsangues. Venerunt Aurelianum, ubi graves terrores clero & scholaribus incusserunt, & iis injurias & molestias multipliciter intulerunt. Quadam die, dum eorum magister, vir infidelis, sceleratissimus & infaustus, quem HUNGARUM appellabant, dum super Pontem-Ligeris graderetur, scholarem inspiciens transeuntem, ipsum extracto gladio trucidavit, & in aquam projecit. Venerunt Parisius, ubi visa tam effera, tam horrida, tam copiosa multitudine, retroactis temporibus inaudita, scholares & clerici clausis foribus in domibus latuere, donec liberati sunt per regiam potestatem. Venerunt Bituricas, ubi inenarrabilibus injuriis clero & civibus irrogatis, Miles quidam septus multitudine bellatorum, dictum Hungarum invadens, cum lancea perforavit. qui, ut audierunt astantes, Machometum vociferans pessimus exspiravit; ceteri verò fugêre dispersi. Venerunt ad castrum, quod Malamurs appellatur: ubi indignè congregati, dictorum jam infidelitate pastorum, & malitia plenius intellecta, maledictam illam multitudinem invaserunt, alios occiderunt, alios suspenderunt; reliqui fugere confusi; sicque cessavit tempestas.

In ejus temporibus Palmam civitatem Lombar-

diæ pro Ecclesia Dei stantem Imperator obsederat Fredericus, & civitatem novam fundare cœpit ante Palmam in opprobrium & contemptum Palmensium civium, quasi nomine synonymo Victoriam appellavit. Quadam verò die egressus est Imperator, sicut moris habebat, cum canibus & avibus animo pro spatiandi. Cives verò Palmenses irruentes in exercitum Frederici, per papiliones & castra feliciter irrumpentes, & à dextra lævaque quos inveniebant ultore gladio ferientes, tandem irruperunt ad tentoria Frederici; & ingressi spolia detraxerunt, aurum & argentum & omnia utensilia pretiosa pro libito rapientes, executione gladii finem litibus imponentes, obviantia quæque funditus percusserunt, & Thadæum in castris summum Imperatoris consiliarium occiderunt. Sicque turbatus recessit exercitus Frederici. quod audiens ipse, confusus aufugit, & sic Palmenses cum palma destructa Victoria civitate, quam fundare cœperat Fredericus, devictis & fugatis hostibus ad Palmam cum palma redire spoliis onerati.

In ejus temporibus Bononienses stantes pro Ecclesia Dei bello volunte lacessere Mutinenses. Is fautores impii Frederici ecclesiam infestantis, Bononiensibus omni tempore viribus obsistebant: contra quos castra movere Bononienses, & præmissis bellatoribus sequebatur Bononiensium laudabilis multitudo. Venerat autem Mutinæ Sardiniæ Rex Henricus, dicti filius Frederici, in Mutinensium subsidium & succursum: qui quadam die de propriis armis depositis, arma mentitus aliena, dissimulatione dumtaxat ad tempus, contra Bononienses exivit, apertis januis civitatis. Inito autem congressu percusserunt Bononienses in ore gladii Mutinenses, captaque civitate duxerunt multitudinem captivorum: inter quos inventus dictus Rex, captivitate detentus diu fuit Bononiæ, vinculis & carceri mancipatus.

In ejus temporibus inter virum illustrem Carolum filium Regis Franciæ, Comitem Cenomanniæ ex una parte; & Cenomannensem ecclesiam ex altera mota lite, idem Episcopus ecclesiæ necessitati condolens, pro qua paratus erat non solum compati, sed & pati, Romam iter aggrediens, Anagniam venit: ubi Alexandrum Papam quartum cum Cardinalibus inveniens, inventaque gratia in oculis eorumdem, quod intendebat morte præventus non potuit adimplere. Nam infra septem dies post adventum suum, die scilicet inventionis sanctorum martyrum Stephani protomartyris ejusque sociorum, in domo Fratrum Minorum sepultus est cum honore. Obiit autem anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Pontificatus sui anno vigesimo, mensibus circa decem.

Jamque quam ecclesiæ suæ largus exstiterit, quot & quanta, tam vivens quàm moriens eidem erogaverit, ad imitationis exemplum in medium proferatur. Hic igitur ecclesiam vivens redditibus ampliavit, multis & jocundis muneribus honoravit, jus patronatus præbendarum Siliaci laudabiliter adquisivit, decimas multas de manu laicali retraxit. Patris, matris, sororis & duorum fratrum anniversaria de suo instituit in hac ecclesia perpetuò celebranda. Dedit enim quatuor albas, quarum una erat parata paratura decenti, item stolam & manipulum rubri coloris cum imaginibus deauratis; aliam quoque stolam cum manipulo de serico mirabiliter operato; stolam etiam & manipulum tertium auro intexta, cum imaginibus bestiarum & arborum subtiliter intextarum, & elegantia subcinctoria tria, unum preciosis margaritis ornatum; collarium quoque rubri coloris, auro mirabiliter intextum, quinque paria corporalium cum reservatorio, octo etiam mappas ad ornamentum altaris cum manutergiis multis, sexdecim albas telæ candidæ & delicatissimæ, duas mappas sericas. Dedit quoque sandalia, & sotulares rubei serici, auri preciosorumque lapidum varietate distincta. Dedit etiam quinque paria vestimentorum pontificalium, videlicet casulam, dalmaticam, tunicam: quorum unum par est de samito rubeo, secundum de cendato inforciato rubeo, tertium de samito viridi, quartum adurini coloris, quintum de candido borguetanto. Dedit etiam in primo reditu de Roma samitum, de quo fecimus duas capas; alia vice rediens unum pallium rotatum. Ipse etiam in quadam infirmitate sua duos tapedas subtus pedes servientium ad altare, & duos minores mirabili opere, quorum unus operit sedem regentium chorum; mitras quoque quatuor candidas, & quintam ex auro & lapidibus pretioso mirabiliter insignitam. Baude-quinum unum ad ponendum ante altare; duos pannos sericos de armis Regis Franciæ; quinque paria cerotecarum, & duas paraturas argenteas deauratas ad opus earùmdem cerotecarum; cambutam argenteam magni ponderis deauratam & opere decoram, cum baculo pastorali, & duos bacinos octo marcarum argenti, per loca deauratos, turibulum argenteum cum acerra & cochleari ejusdem materiæ; duos orceolos argenti cum pyxide argentea ad hostias reponendas. Dedit etiam decem & septem anulos auri, novem cum saphyris, unum grossum ad instar oculi bovis; decimum largum & latum episcopalem habentem saphyrum, in medio & in circumferentia lapidibus pretiosis aliis insignitum, duos cum topaziis grossis, unum cum carbunculo, qui vulgò dicitur *rubi*; duos cum granatis, unum cum camahuto, & alium cum crystallo: & est pondus dictorum anulorum una marca & tres unciæ auri: & isti anuli appositi sunt de mandato ipsius Episcopi ad frontale capsæ beatissimi Juliani. Dedit etiam antiphonarium pulcherrimum, tria gradualia, quorum majus cum grossa nota & littera, troparium, collectarium epistolarum, evangeliarium, missale & duos ordinarios, & duas cathedras episcopales. Domum quoque de Ducio multis sumptibus emendavit. In manerio Ebiaci domum novam & amplam episcopalem cum suis pertinentiis de novo ædificavit, & emit locum & plateas adjacentes, ubi novum illud ædificavit ædificium. Fecit etiam muros per circuitum à parte villæ cum introitu convenienti. Manerium de Celsiaco magnum & conveniens penitus innovavit. Parisius in colle sanctæ Genovefæ ædificium magnum & muris convenientibus circumseptum, quod de proprio patrimonio acquisivit. Episcopatum quoque dimisit liberum & sine onere debitorum: domos quoque dimisit supellectilibus convenientibus, immo & abundantibus non desertas.

A D N O T A T I O N E S.

In præmissa acta Episcoporum Cenomannensium.

ACta hæc Episcoporum Cenomannensium ex regesto pontificali cathedralis ecclesiæ rogatu meo describi curavit R. P. Abbas monasterii S. Vincentii ex nostris, qui regestum illud à venerabilibus Canonicis ejus Capituli commodato impetravit, postulante in primis humanissimo viro domino Godefrido Archidiacono, favente etiam domino *le Vayer* majori Decano meritissimo, atque cooperante D. Mulleroto Cano-

nico, in cujus manus duplex actorum eorumdem exemplar traditum est. Ex eodem Pontificali eruditissimus Baluzius gesta Aldrici Episcopi accepit, eaque Miscellaneorum suorum tomo tertio inseruit. Postea verò cùm integra etiam aliorum Episcoporum acta obtinuisset; eorum editionem à me occupari facilè permisit, novo Conciliorum auctario ipse impeditus. Ego verò nequod ejus Miscellaneis detrimentum afferrem, Aldrici acta non integra, ita ut ab eo edita sunt, retuli, sed caeptim ea ipso delibata, ne praclara ejusdem Episcopi facta hic omnino desiderarentur.

Duæ quasi partes, horum sunt Actorum: prima à B. Juliano ad Aldricum; altera ab Arnaldo ad Gaufridum de Loduno. Unus idemque prioris partis auctor esse videtur. Idem enim in omnibus genius ac stilus, idemque scopus, nempe in primis, ut abbatia sancti Carilefi aliæque in jus ecclesiæ Cenomanicensis asserantur. Eo quippe consilio relata sunt, ut passim auctor in titulis indicat, tot vetera primæ ac secundæ stirpis instrumenta, quibus acta ista maximè illustrantur. Auctor verò in capite iiij de Beraro pag. 274. scribit, se duo monumenta omisisse, *quæ præ vetustate legi non poterant*. Idem legitur in capite xxj non semel, ubi de præceptis & chartis à Francone seniore impetratis. quod argumento est, auctorem ab eo tempore longè abfuisse. Non desunt tamen rationes, quæ diversos fuisse auctores adstruant. Qui gesta Principii Episcopi scripsit capite vij pag. 245. ait, eum quotidie Missam celebrasse; *sicut ab ipsis didicimus*, inquit, *qui cum eo conversari solebant*. & infrà, *ut prædicti sui discipuli nobis retulerunt*. Atqui trecentis annis Aldricu superior fuit Principius, ut proinde auctor unus ea idem Aldrico superstes fuisse, & Principii discipulos vidisse non potuerit. Similia fortasse argumenta occurrent studio solertori, in quibus nescio an censeri debeat illud, quod scriptor elogii S. Victurii in capite vj pag. 244 asserit, se *libellum de ejus vita & moribus* composuisse. Verùm reponi potest, auctorem illum, qui Aldrici facta recenset, quædam præ oculis habuisse monumenta de Principio, ab ejus discipulis tradita, quibus ipse usus sit in ejus elogio concinnando. Consimiles enim loquendi formulæ hoc seculo apud alios occurrunt auctores. Sed hoc lectoris arbitrio permittere satius fuerit.

Posterior pars à variis auctoribus scripta est, pro variis Pontificibus, sub quibus quisque vixit. Prætermissa sunt tamen post Aldricum novem Antistitum; & post Willelmum, qui trigesimus octavus Episcopus fuit, quinque aliorum acta, quæ compendio initio chronici referuntur, cum ferè Episcoporum omnium ad Gaufridum de Loduno, qui xliv loco sedit. Pro numero Episcoporum acta hæc in totidem capita à nobis distincta sunt ob commodum lectorum.

Primus à B. Juliano Episcopus numeratur sanctus Turibius, qui pag. 242 memoratur obiisse *xvj Kal. Maias P. C. Viatoris ij*. qui annus post Viatoris consulatum secundus incidit in annum Christi cccc xcvij. Hæc non bene cohærent cum missione Juliani, prout à beato Clemente facta traditur in ejus gesto & apud Letaldum monachum in actis S. Juliani. Deinde aut corrigendus capitis secundi titulus, ubi Turibius *tempore Antonini Imperatoris* sedisse dicitur: aut corrigenda epocha de Viatoris consulatu, sub quo ejus obitus reponitur. Certè hæc omnino perturbata. Sed illud monstri simile, quòd Victurius, quartus à Turibio Episcopus, pag. 244 B. Martini discipulus, idemque mortuus fertur *Fausto juniore & Longino bis Coss.* qui consulatus anno cccc xc respondet. Neque enim fieri potuit, ut qui Martini discipulus fuit, ad hunc annum perveniret; aut verò Turibii successor quartus ante ipsum Turibium obierit. Fallunt ergo ejusmodi notæ consulares: tametsi mirum sit, eas ab hominibus recentioribus appositas fuisse, & non magis exceptas ex vetustis monumentis: cùm in aliis Episcopis id genus characteres non sint appositi. In his ergo locis cæcutit auctor, ut in tanta antiquitate: nec scio an rectiùs census ulos ecclesiæ à primis illis Episcopis alligatos, aut monasteriorum conditiones ab eisdem factas dixerit.

Acta sequentium ab Innocente Episcoporum accuratiora sunt, optimæ notæ instrumentis illustrata. Erit tamen fortasse qui quædam pro suspectis habeat, ut (ne quid dicam de testamento S. Carilefi) diploma Theoderici Regis de moneta pag. 278 quod *anuli sui impressione subter sigillasse* jusserit, formula secundæ stirpis Regibus usitatâ, non tertiæ. Plerique enim existimant, cudendæ monetæ concessionem ecclesiis factam non esse ante Caroli simplicis principatum. Verùm id falsum esse demonstravimus in lib. 3. de re diplomatica cap. 1. & Theoderici diploma pro ecclesia Cenomannensi auctoritatem accipit à litteris Ludovici Pii, quæ in actis Aldrici referuntur apud Baluzium pag. 99.

Jam verò in his actis multa observatione digna occurrunt. Primò basilicam sancti Vincentii, in qua B. Germanus Parisiorum Episcopus sepultus est, à Chilperico Rege innovatam fuisse, pag. 257. non obscurè colligimus ex testamento Bertchramni Episcopi, quod eximium est antiquitatis monumentum. Hinc conjicio, veteres Regum statuas, quæ ad ecclesiæ nostræ majorem portam etiam nunc prostant, Chilperici ætati esse tribuendas. Neque enim ulla hujus ecclesiæ aut destructio, aut instauratio facta perhibetur ex eo tempore usque ad Nortmannorum procellas: quibus major hæc porta antiquior est. In actis Herlemundi illud observatione haud indignum, quod pag. 282 chartæ Herlemundi nomen Pippini cum Dagoberto Rege præmittitur hoc modo: *Dagobertus Rex Franciæ vir illuster, Pippinus Major-domus.* Unde intelligas, Pippino Heristallensi nihil defuisse præter regium nomen. Ejusdem Dagoberti junioris epocha disertè probatur ex diplomate relato pag. 283 quod datum est *die Jovis, Kalendis Januariis, anno secundo regni* ejus. quæ notæ anno DCC xiij conveniunt. Ex diplomatis Theoderici Calensis, à pag. 285 adductis, constat eum Dagoberti, non Austrasiæ, sed Francorum Regis, & quidem Childeberti filii, filium esse; *parentem* vero, id est consanguineum, Chilperici ejus decessoris: qui Chilpericus *genitorem* suum Childericum, Chlodovei junioris filium; Theodericum *avunculum* appellat in suis litteris, quæ exstant in lib. 6 de Re diplomatica.

Neque insuper habendum est id quod legitur pagina 286 in lemmate diplomatis Childerici Regis in hæc verba: *Sequitur exemplar prædicti præcepti Childerici vel Chilperici Regis*: ubi hæc verba, *vel Chilperici*, arguunt dubitationem exscriptoris, qui utrum legendum esset ignorabat. Et certè non levis hoc loco difficultas: neque ex contextu trium diplomatum, quæ Chilperico seu Childerico sub Gauzioleno Episcopo tribuuntur, facile distingui potest, cui ea conveniant. Prima lectione existimaveram Childerico Merovingicæ stirpis postremo Regi tribuenda esse ob annos regni decem, immo & quindecim, in chronicis notis hic adscriptos, cùm Chilperico, qui quatuor tantùm annos regnavit, assignari non possint. Verùm Childericus annos non excessit novem. Adeo ut mendum in chronicas notas irrepsisse dicendum sit, nec proinde quidquam certi inde pro Childerico confici posse. Libratis utrimque momentis, omnino Chilperico diplo-

mata

mata hæc tribuenda censemus, cum in enumeratione Præceptorum pag. 291 & 293, & in actis Aldrici apud Baluzium, ante litteras Theoderici referantur. Nihil verò mihi magis singulare videtur, quàm præceptum Childeberti Regis pag. 283 de Comitatu Cenomannico, confirmantis id quod à Clothario ipsius patruo & avia Baltechilde concessum fuerat, ut in pago Cenomannico *accipere non debeant Ducem aut Comitem, nisi per electionem ipsius pagi Pontificis & pagensium.* quæ prærogativa mihi planè singularis videtur.

His adde quæ de electione Episcoporum à pag. 285 & 288, de Chorepiscoporum item potestate, pag. 289, tum de Chirmiro Abbate sancti Vincentii, qui Vicedominus per totum Episcopatum constitutus est, pag. 281. De Henrici hæreticorum ejus nominis antesignano pag. 315 ac demum de festo Assumtionis Deiparæ Virginis sollemniori facto per Guidonem Episcopum, pag. 322. Ubi in mentem venit id quod in Annalibus Bertinianis legitur ad annum DCCCLXII occasione cujusdam miraculi de camisio sanguine intincto inter lavandum in die Assumtionis: quod camisium Hunfridus Morinorum Episcopus in eadem ecclesia ad testimonium reservari jussit. *Et quoniam*, inquit Annalista, *eadem festivitas ab incolis parochia illius non ferialatur: & celebrari, & feriari debito honore ab omnibus eamdem sollemnitatem præcepit.* Ex quibus intelligitur, festum istud serius in Gallia præceptum: & valde mirum est in ecclesia Cenomannensi, cujus patrona erat in aliis beata Virgo, usque ad sæculum XIJ ejus festum Assumtionis neglectim celebratum fuisse.

Hic quædam dicenda essent ad supplendam historiam illorum Episcoporum, quorum facta in his actis non referuntur. Sed illud præstare liceat iis, quorum maximè interest: nobis certè per otium non licet. Interim consulendus tomus fusioris Galliæ Christianæ, sed præcipuè Corvaiserius, qui hæc acta præ oculis habuit, dum Episcoporum Cenomannensium gesta gallicè scriberet. De Avesgaudo Episcopo non unæ exstant Fulberti Carnutensis litteræ, quas inter epistola 7 eum tuetur adversus vexationes Herberti Comitis Cenomannensis, in quem Leutberici Senonensis Archiepiscopi opem pro Avesgaudo implorat Fulbertus. At in subsequente refertur epistola ad eumdem Avesgaudum, in qua Fulbertus purgat se de objectione sibi facta, quasi ejus confessionem prodidisse diceretur. Ad eumdem Avesgaudum epist. 17, in qua de Raginardo hæretico, directa videtur. De Arnaldo trigesimo tertio Cenomannorum Episcopo, quem filium Sacerdotis fuisse ex his actis constat, intelligendus est Gratianus Di. 63. cap. 34. ut rectè observavit eruditissimus Baluzius in notis ad Gratianum pag. 466. ubi advertit decretum istic unum de Arnaldo referri Gregorii VIJ ad Bartholomæum Archiepiscopum Turonensem: non verò Urbani II. & verò eidem Arnaldo scriptam esse epistolam 27 lib. 7 ejusdem Gregorii.

EDitis actis superioribus compendiosius eorumdem exemplum (ut jam dixi) mihi traditum est ex Bibliotheca Colbertina, descriptum manu propria clarissimi Andreæ Chesnii: ex quo præter alia accepi quæ sequuntur, ad supplenda gesta quinque Episcoporum ab Hugone de sancto Karilefo Episcopo XXXVIIJ.

XXXIX. Willelmus, Santonensi pago oriundus. Hic ab ecclesia Remensi in qua erat major Archidiaconus, ad cathedram Cenomannensem evocatus, eam rexit annis amplius XLII. Obiit anno MCLXXXVI.

XL. Reginaldus, antea Cantor & Archipresbyter, sedit minus annis III. Obiit IV Nonas Augusti. Cessavit episcopatus menses XV.

XLI. Anselmus electus anno MCXC, Romæ consecratus à Celestino III, sedit annos XXVIII, menses V, dies XXV. Obiit fere centenarius anno MCCXVIII, XI Kal. Novemb. Cessavit episcopatus à media Quadragesima usque ad diem Martis post Octavam Pentecostes. Cessit annis IV ante obitum.

XLII. Nicolaus electus die Martis post Octavas Pentecostes MCCXVIII, sedit anno 1. Cessavit episcopatus mense I.

XLIII. Mauricius electus anno MCCXIX, Turonis consecratus Dominica infra Octavas Ascensionis. Fidelitatem præstitit Ludovico Regi. Sedit annos XVI, & obiit III Idus Januarii, Rotomagum translatus.

XLIV. Gaufridus de Lauduno, dominus Treviarum, Andegavensis diœcesis, Mauricio ad Archiepiscopatum Rotomagensem translato, Episcopus ex Cantore ecclesiæ Cenomannensis creatus est. Excommunicatus ob jurisdictionis controversiam quamdam ab Archiepiscopo Turonensi, Gregorium IX adiit: absolutus ab eo est, Legatusque per Franciam constitutus. Monasterium Cartusianum in Cenomannia fundavit. Lite mota inter Carolum fratrem sancti Ludovici Comitem Cenomanniæ & ecclesiam, Alexandrum IV adiit, & Anagniæ obiit die Inventionis sancti Stephani, ibique sepultus in ecclesia Fratrum Minorum anno MCCLV, III Non. Augusti.

Hucusque gesta Pontificum.

XLV. Gaufridus *de Lavalle* sedit annis tribus.

XLVI. Guillelmus Rollandi, patria Cenomannensis, antea Cantor. Orta inter Principem & clerum controversia, Romam profectus est. Rebus confectis in reditu Januæ obiit pridie Nonas Augusti. Sedit annis fere tribus.

XLVII. Johannes de Challeio sedit annos XVII.

XLVIII. Petrus Rotarii sedit annis III.

XLIX. Gaufridus *Freslon* sedit annis XIV. Tyrensis Episcopus à Clemente IV creatus est anno episcopatus sui VIIJ. Obiit XVIIJ Kal. Decemb.

L. Gaufredus de Asseio, de parochia sancti Martialis ortus. Sedit annos VIJ, menses VIIJ, dies XXJ. Obiit anno MCCLXXVII, tertia Junii, olim Scholasticus, Archidiaconus major, Cantor.

LI. Dionysius Benedicti, alias *Benaiston*, de Falesia, Episcopus à Bonefacio VIII creatus. Sedit annos IIJ menses X. obiit VIIJ Martii MCCXCVIIJ.

LII. Robertus de Cluioeampo. Sedit annos IX menses V dies IIJ. Obiit in festo S. Michaelis anno MCCCIX.

LIII. Petrus *Gongeul* sedit annos XX.

LIV. Guido *de Lavalle* sedit annos XIJ.

LV. Gaufridus de Capella, de Capella S. Albini prope Cenomannos ortus, cujus nepos fuit Petrus de Furesta Cardinalis. Sedit anno XIJ.

LVI. Johannes de Credonio. Sedit annis VIIJ.

LVII. Michaël de Brechia sedit ann. XIV, menses IIJ, diebus XX.

LVIII. Petrus *de Faur*. Sedit ann. XVIJ diebus XX.

LIX. Gonterius de Balinera.

LX. Adam Castellani diœcesis Lugdunensis. Sedit ann. XLI diebus XX.

LXI. Johannes Dierreio, seu de Anseis. Sedit ann. IX.

LXII. Martinus *Berruyer* Turonis natus, sedit annos XVIJ.

LXIII. Theobaldus à Luxemburgo, mortua conjuge. Sedit ann. IX.

LXIV. Philippus à Luxemburgo, legitimus filius Theobaldi Episcopi, Cardinalis à Julio II. quorum in scholis studuerat, & Legatus à latere factus est. Stationes in ecclesia sua ab eodem obtinuit pro Quadragesima. Horologium insigne ecclesiæ dedit. S. Vincentii monasterium reformavit. Franciscum à Luxemburgo nepotem episcopatu donavit, quem biennio obtinuit. Illo Romæ mortuo iterum recepit. Sedit ann. XLII computato biennio nepotis. Obiit die Ascensionis M D XIX. Mausoleum ejus cupreum, & nepotis Comitis *de Martignes*, ac Theobaldi Episcopi, destructa ab hæreticis.

LXV. Ludovicus à Borbonio Cardinalis. Sedit ann. XIV, mense 5, diebus vj.

LVI. Renatus à Bellaio Consul Parisiensis, natus in Cenomanoia, frater Johannis Episcopi Parisiensis, in cujus domo Parisius obiit, & in ejus ecclesia sepultus anno M D XLVj. Sedit ann. Xj.

LVII. Johannes Bellaïus Cardinalis, fratri successit. Idem Episcopus & Gubernator Parisiensis. Guillelmi Langæi fratris mausoleum in ecclesia majore fecit. Mortuus Romæ. Sedit annos X.

LVIII. Carolus *d'Angennes* dictæ. Carnotensis, Cardinalis à Rambulleto nominatus, Johanne cedente Episcopus anno M D LVI. Obiit XXIX Martii, M D LXXVIj. receptus anno M D LIX.

Claudius *d'Angennes*, iij Aprilis M D LXXXVIIj receptus. Obiit XV. Maii M DCI.

ADNOTATIO.

IN superiori indice Gaufridus de Landuno ordine XLVI *locatur post Mauricium: at in nostro post sequentem Gaudefredum* de Lavalle, *uti & in fusiori Gallia Christiana. In Amelino, qui* XLI *ordine est, tam in indice Chesniano, quàm in nostro, qui actis Cenomannensium Episcoporum præmissus est, nonnihil difficultatis occurrit in eo, quod Amelius anno* M C XC *electus, annos* XXVIIJ *sedisse dicitur, scilicet ad annum* M CC XVIIJ, *quo ejus successor ponitur: & tamen sedes vacasse dicitur annos* IV.

Ad hæc notare convenit, Lamberti Episcopi, numero XXV, *epistolam ad Hildebrandum Sagiensem exstare in Appendice ad notas Reginonis pag. 625 apud eruditissimum Baluzium, qui mihi aliam brevem epistolam Gunheri seu Guntherii Episcopi* XXVJ *altero communicavit ex ms. codice Colbertino num. 697 prout sequitur.*

GUnterus divina annuente potentiâ Cellomannorum humilis Pastor, Rodulfo Laudunensium Pontifici, hujus & perpetuæ jocunditatis optabilia præmia. Decuerat ergo, juxta Domini præceptionem, tam pro communi debito humanæ conditionis, qua præcipimur in invicem diligere, quàm etiam pro ministerii nobis à Deo concessi saluberrima devotione, simulque affinitatis, qua nectimur, propinquitate, ut secundùm Apostolum alter alterius onera portassemus, & si quid pateretur unum membrum, omnia membra compaterentur; ut uno animo, uno ore, per nos Trinitas sancta glorificaretur in sæcula.





EXCERPTA

Ex instrumento Visitationis Quam fecit SIMON Archiepiscopus Bituricensis, per provincias Bituricensem & Burdegalensem.

Anno M CC LXXXIV.

ANno 1283 die Veneris post festum beati Gregorii, SIMON Bituricensis Archiepiscopus diœcesim Claromontensem, causâ visitationis intrare volens, de *Chabreys* venit Exoldunum in Abbatiam loci. Martii 17.

19 Dominica sequenti visitavit Prioratum sancti Paterni Exoldonensis.

20 Die Lunæ venit ad Casale-Benedictum, & Prior loci ejusdem & Capitulum per suas litteras sigillo Conventu sigillatas dederunt potestatem plenariam providendi ipsi Monasterio de Abbate, quandocumque ipsum Monasterium per resignationem fratris JOHANNIS tunc Abbatis contigerit vacare.

21 Die Martis, festo sancti Benedicti, ad Prioratum de Vodolione Burgidolensem.

22 Die Mercurii ad Prioratum de Lineriis.

23 Die Jovis ad Aliscampum.

24 Die Veneris ad Nigrum-lacum Abbatiam Ordinis Cisterr.

25 Die Sabbati ad sanctum Amandum.

26 Die Dominica ad *Charenton* Abbatiam Monialium.

Intravit deinde diœcesim Claromontensem.

28 Die Martis apud Silviniacum.

29 Die Mercurii ad *Pesson* Prioratum de sancto Porciano.

30 Die Jovis ad Monasterium *Jelleigny* Prioratum conventualem de Casa Dei. Ibi finavit procurationem Prior de Firmitate super Aligerim, & Prior de Lengero, Cluniacensis Ordinis.

31 Die Veneris ad *Fleurey* Prioratum de Abbatia Turnutensi.

1 Sabbato ad Veronnes super Aligerim, Prioratum de sancto Porciano. Aprilis.

2 Die Dominica in ramis-palmarum ad sanctum Gilbertum Abbatiam Præmonstrat.

3 Die Lunæ ad Arthonam Canonicorum sæcularium.

4 Die Martis ad *Teillede*, Latinè Terletas, Prioratum Casæ-Dei.

5 Die Mercurii ad Abbatiam de *Chantoin*, Ordinis sancti Augustini in suburbio Claromontensi.

6 Die Jovis in Cena Domini ad Claromontem.

7 Die Veneris visitavit Abbatiam sancti Andreæ Præmonstrat.

8 Sabbato visitavit Chamaleriam, & sanctum Genesium Canonicorum sæcularium.

9 Dominica Paschæ visitavit ecclesiam sanctæ Mariæ de Portu.

10 Die Lunæ ad *Sarellac* Prioratum Casæ-Dei.

11 Die Martis apud *la Foulleuze* domum Templariorum.

12 Die Mercurii ad *Ballon* Prioratum Casæ-Dei.

13 Die Jovis ad *Lasellac* Prioratum Casæ-Dei.

14 Die Veneris ad Thunacum Prioratum sancti Illidii Claromontensis.

15 Sabbato ad Vichiacum Prioratum sancti Illidii.

Aprilis. 16 Die Dominica apud Cuciacum Abbatiam Monialium.
17 Die Lunæ ad Abbatiam Montis petrosi Ord. Cistert.
18 Die Martis ad Landosium Canonic. ſæcul.
19 Die Mercurii ad *Maisſat* * Prioratum ſancti Launomari Bleſenſis. Ibi ad ſupplicationem Prioris & Monachorum quaſdam reliquas occultas in altari majori, videlicet duo capita fere integra, cum pluribus fragminibus oſſium parvis, & pluribus panniculis involuta, quorum capitum unum dicitur B. Launomari Abbatis, aliud ſancti Ebrulfi Abbatis, de dicto altari levavit, ut eum majori reverentia & honore de cetero haberentur: & ea craſtino ſequenti repoſuit in quadam capſula quoad tempus.

* vulgo *Maisſat*, Latinè Magenciacus.

20 Die Jovis ad *Tyart* Canonicorum ſæcularium.
21 Die Veneris ad Abbatiam Tiernenſem Ord. Cluniac.
22 Sabbato ad Nigrum-ſtabulum Prioratum Cluniac.
23 Dominica ad *Argeroles* Prioratum Cluniacenſem.
24 Die Lunæ ad *Salvibar* Prioratum de Cluſa.
25 Die Martis ad ſanctum *Dider* Prioratum Caſæ-Dei.
26 Die Mercurii ad *Cullat* Prioratum de Cluſa.
27 Die Jovis ad *Martach* Prioratum de *Sancilanges*.
28 Die Veneris ad *Chalure* Prioratum Caſæ-Dei.
29 Sabbato ad *Sallanc* Prioratum Caſæ-Dei.
30 Dominica ad *Vineros* Prioratum de *Sancilanges* Cluniacenſem.

Maii. 1 Die Lunæ ad *Orlanc* Prioratum de Cluſa.
2 Die Martis ad Monaſterium Caſæ-Dei plures ex ſuis ſociis, ut intereſſent collationi faciendæ quarumdam clauſularum contentarum in privilegiis Caſæ-Dei, per quas nituntur Monachi ſe eſſe exemtos, tam in capite, quàm in membris: & fuit facta dicta collatio ad privilegia, quæ fuerunt lecta à principio uſque ad finem, & diligenter inſpecta, tam in filo, quàm in bulla. Primum privilegium lectum & inſpectum fuit Urbani II, ſecundum Lucii III, tertium Honorii III, quartum Alexandri IV, quintum Alexandri III, ſextum Clementis IV, ſeptimum Urbani IV, octavum Paſchalis.
Eodem die Martis venit ad ſanctum Germanum *Lerm* Prioratum Caſæ-Dei.
3 Die Mercurii ad *Axerach* Priorum Caſæ-Dei.
4 Die Jovis ad *Ville* Prioratum Piperacenſem Ord. Aug.
5 Die Veneris ad *Villebride* Prioratum de Piperaco.
6 Die Sabbati ad *Conz* Prioratum Monialium Ordinis ſancti Benedicti, ubi tunc erant duæ Prioriſſæ in diſcordia, & egebat Monaſterium reformatione quoad ſpiritualia: temporalia erant in manu Regis Franciæ, ob litem duarum prætendentium Prioriſſarum.
7 Die Dominica ad *Mazerat* Prioratum Caſæ-Dei.
8 Die Lunæ ad Abbatiam Caſæ-Dei.

Inde viſitavit à menſe Septembri provinciam Burdegalenſem, comitantibus ipſum Johanne Abbate ſancti Sulpicii Bituricenſis, fratre Gilone ejus ſocio, &c.

Et primò venit in Abbatiam Fontis-Gombaudi diœceſis Bituricenſis, à qua diſtat Anglia diœceſ. Pictav. per 2 leucas ſatis mediocres. Inde ab Abbatiam ſancti Savini ſunt 4 leucæ mediocres, inde ad Mortuum-mare 6 leucæ; ibi ſunt Canonici ſæculares. Inde ad Pictavum 5 leucæ ſatis mediocres: inde ad Prioratum de Lezigniaco 5 leucæ ſatis mediocres, receptus à Priore & ſociis. Inde ad Prioratum ſancti Hilarii de Metullo 7 leucæ Pictavinæ. Prioratus eſt S. Joannis Angeriacenſis.

Apud Lezigniacum auditâ Miſſâ venit quædam Monialis Ordinis Fontis-Evraudi ad dominum Archiepiſcopum, quæ à tribus annis inantea incœpit jejunare, ut dicebatur, ter in Sabbato, ſcilicet die Lunæ, die Mercurii, & die Veneris, abſque aliqua comeſtione & ſine potu: aliis diebus non multum comedebat, & ſine vino & abſque carnibus. Et fuit ſecretò locuta domino, ac ſi confiteretur, omnibus videntibus. Illa Monialis habebat ſecum matrem ſuam: filia erat Militis ſatis divitis, commorantis in quodam manerio prope Lezigniacum, & erat ipſa Monialis de Prioratu *Bornenil*.

De Metullo ad S. M. de Cella 2 leucæ. inde ad S. Severinum 5 leucæ. inde ad ſanctum Johannem Angeriacenſem 5 leucæ, cujus Abbas præ ſenectute debilitatus equitare non poterat.

De Santonibus ad Pontem 4 leucæ: inde ad Prioratum de Niorto prope Mirebellum 5 leucæ longæ. Interim declinavit ad Abbatiam *de la Tenaille*, diſtantem à Ponte per 4 leucas. Abbas Tenaliæ & Prior de Niorto fecerunt inſimul procurationem. De Niorto ad Blaviam 7 leucæ: inde ad Maucam 5 leucæ: inde ad Burdegalam 4 leucæ longæ.

Ad Abbatiam ſanctæ Crucis Burdegalenſem declinavit: & cùm eamdem pacificè & abſque contradictione aliqua crederet intrare, præſertim cùm præcurſores domini, & coquus, clericos coquinæ, oſtiarius domini, mareſcallus, pincerna, ceterique officiales domini cum ſummariis ad argentum & vaſamentum argenteum benigniter cum hilaritate vultus ibi fuiſſent recepti, & intus ſua cibaria præparata & neceſſaria quæſita; hinc undique valvas eccleſiæ clauſas invenit, nec ſibi patuit aditus, nec ſibi voluerunt aperire, qui clauſas tenebant, licèt cum inſtantia pluries, ut aperirent, requiſiti. Tandem venerunt Decanus Burdegalenſis, & Decanus S. Severini, & alii plures cum eis, ad dominum ſtantem ante valvas, & ei dixerunt: Domine cariſſime, litteram quam heri dediſtis apud Blaviam, in Capitulo legimus, & oſtendimus Concanonicis noſtris: quæ lecta & audita non placuit eis, nec fuerunt contenti ea, &c. Tunc dominus converſus ad fores eccleſiæ ſanctæ Crucis, Abbatem & Monachos, licèt eos non videret, primò, ſecundò, tertiò monuit, ut ipſum ad viſitationem & procurationem admitterent; & in monendo ad fores pulſabat: & cùm videret ſe ad præmiſſa non admitti, nec ipſos monitionibus ſuis parere, in ſcriptis excommunicavit eoſdem, & ſuum executorem, Decanum S. Aſterii Petragoricenſis conſervatorem jurium Eccleſiæ Bituricenſis, rogavit ut id faceret, ad quod erat deputatus: & tunc dictus conſervator dictos Abbatem & Conventum modo quo ſuprà monuit, ut dominum reciperent. quos monitis ſuis parere nolentes excommunicavit in ſcriptis, & eccleſiam eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto: & poſt per longum tempus dominus cum confuſione, rubore & verecundia ſtans ad fores clauſas eccleſiæ, plebe infinita adſtante, videns quòd nihil haberet quod ultrà poſſet facere, receſſit in feſto S. Lucæ.

Inde venit dominus apud ſanctum Geraldum, Abbatiam Silvæ-majoris, & fuit ibi multùm honorificè & ſollemniter campanis pulſatis & proceſſionaliter à Priore & Conventu ipſius Abbatiæ, Abbate abſente, receptus. Sunt ibi Monachi nigri, & eſt locus multùm inſignis: & quia non comeduntur in corpore Abbatiæ carnes, dominus cum ſuis ſociis comedit ſupra portam, & comedit ibi carnes. Et venerunt ad dominum quidam Monachi, inhibentes Abbati S. Sulpicii, ne carnes comederet ibi. quia

ipse faceret contra constitutionem Ordinis sui. Sed dominus respondit, quòd Prælatus & sui socii non adstringuntur regulis suis, cùm sit eorum superior: & propter hoc ipse voluit, quòd dictus Abbas comederet carnes. quod fecit, & fuimus bene procurati.

Inde ad S. Emilianum, inde ad Bastidam sanctæ Fidei, Aginnensis diœcesis; inde ad Portum sanctæ Mariæ, inde Agennum, inde recessit ad sanctam Liberatam die Martis ante festum S. Simonis.

Die Veneris in vigilia Simonis & Judæ venit Petragoricas.

Die Dominica exivit apud Majolinum Prioratum Monachorum nigrorum de sancto Martiali Lemnvic. & veniendo ad Majolinum vidit in Abbatia *Chancelade* Episcopum Petragoricensem; & sunt ibi Canonici regulares.

Die Martis, in vigilia omnium Sanctorum, venit apud sanctum Amandum, Abbatiam Monachorum nigrorum.

NOVEMB.

1 Die Mercurii, festo omnium Sanctorum, venit apud Hallamvillam, Angolismensis diœcesis: & sunt ibi Canonici regulares.

2 Die Jovis venit apud *Fontenay* Xantonensis diœcesis, Prioratum de sancto Johanne Angeriacensi.

3 Die Veneris apud sanctum Cannatum, Prioratum de sancto Gildasio, Bituricensis diœcesis.

4 Die Sabbati apud Rupellam Prioratum de *Cluny*.

5 Die Dominica apud Boetum Prioratum de Monasterio-novo.

6 Die Lunæ apud *Affort* Prioratum de Burgidolensi.

8 Die Mercurii apud *Niort* Prioratum de *Charoz*.

9 Die Jovis ad sanctum *Gelais* Prioratum de *Cluguy* Pictav.

10 Die Veneris ad sanctum Maxentium Abbatiam Monachorum nigrorum.

11 Die Sabbati ad *Agoves* Prioratum Canonicorum regularium de *l'Estrpe*.

12 Die Dominica ad Vermos Prioratum de S. Maxentio.

13 Die Lunæ ad *Pamprou* Prioratum de S. Maxentio.

14 Die Martis ad Vinoniam Prioratum de S. Cypriano.

15 Die Mercurii ad Lugudiacum Prioratum de Abbatia de Malleziaco.

16 Die Jovis ad Abbatiam S. Benedicti de Quinciaco, in qua sunt Monachi nigri.

17 Die Veneris ad Nobiliscum Abbatiam Monachorum nigrorum.

18 Die Sabbati ad *Boërrce* Prioratum de Nobiliaco.

19 Die Dominica ad Prioratum de Luccio & de S. Martiali Montis-Maurilii.

Anno M CC LXXXV.

JULII.

13 Anno 1285 die Veneris post quindenam beati Johannis Baptistæ intravit Simon Archiepiscopus Bituricensis causâ visitationis Lemovicensem diœcesim. Comitabantur ipsum Johannes Abbas S. Sulpicii Bituric. frater domini, Gr. Capellanus suus, Monachus S. Sulpicii, Frater Hugo de Ferneriis Monachus S. Sulpicii: & venit primò ad Abbatiam de Albispetris Ord. Cistert.

15 Dominica sequenti ante festum Magdalenæ ad Nozetas Prioratum Burgidolensem.

16 Die Lunæ ad *Vouzrines* Prioratum Burgidolensem.

17 Die Martis ad Abbatiam Prati-benedicti Ord. Cistert.

18 Die Mercurii ad *Pradeaux* Prioratum Burgidolensem.

20 Die Veneris ad *Jarnage* Prioratum conventualem de Clusa.

21 Die Sabbati ad Garectum Prioratum S. Savini Pictaviensis.

22 Dominica, festo Magdalenæ, ad Abbatiam Agedunensem Ordinis S. Benedicti, ubi moratur Prior S. Pascentii Monachus Agedunensis.

23 Die Lunæ ad Bonum-locum Abbatiam Ord. Cistert.

24 Die Martis ad Turrem S. Austregesili Prioratum Burgidolensem.

25 Die Mercurii ad *Goson* Prioratum Stirpensem Ord. Aug.

26 Die Jovis ad Abbatiam Cambonensem, ubi receptus fuit à Præposito & Monachis dicti loci.

27 Die Veneris ad Abbatiam Evahonensem, ubi receptus fuit à Præposito & Conventu dicti loci. prædicavit in Capitulo præsentibus Præposito & Conventu dicti Monasterii, & aliis Prioribus foraneis, videlicet Priore de Cauntella, Priore de *Domairac*, Priore sancti Petri de Monte-Lucio, Priore de Tullo, Priore de Neris, & pluribus aliis, Priore de *Trenant*.

28 Die Sabbati ad *Rujgnac* Prioratum Evahonensem.

29 Dominica sequenti ad *Manicat* Prioratum Silviniacensem.

31 Die Martis festo S. Germani ad Monast. Vasoliense Canon. secul.

AUGUSTI.

1 Die Mercurii S. Petri ad Vincula ad Feletinum Prioratum Cambonensem.

2 Die Jovis ad *Meignac* Prioratum Dolensem. distat à Feletino 3 magnis leucis.

3 Die Veneris ad Abbatiam de Bona-aqua Ordinis Cistertiensis. distat 6 leucis à *Mainbas*.

4 Die Sabbati ad Portum-Dei Prioratum conventualem Casæ-Dei, bonum & divitem, sed inter arduos colles situm. distat 3 magnis leucis à Bona-aqua.

5 Dominica ad Bortum Prioratum Cluniacensem, quem tenebat Episcopus Claromontensis, 3 leucis à Portu-Dei.

6 Die Lunæ ad sanctum Angelum Prioratum conventualem de Karrofo, 5 leucis à Borto.

7 Die Martis ad Maymacum Abbatiam Ord. S. Bened. ubi Monachi multùm dissolutè vivebant.

8 Die Mercurii ad *Vedrines* Prioratum Casæ-Dei. Ibi finavit Prior de *Ventador* Cluniacensis. distat 1 leuca à Vedriois.

9 Die Jovis ad Tutelam Abbatiam Ord. S. Benedicti.

10 Die Veneris, festo S. Laurentii, visitavit Abbatiam eamdem.

11 Die Sabbati ad Obazinam Abbatiam Ordinis Cistert. distat à Ventadoro 7 magnis leucis. Post prandium eadem die visitavit dominus Moniales ibidem prope existentes extra portam in nemore: quæ nullo tempore vitæ suæ exeunt claustrum, ut dicitur, nec intrant claustrum homines, nisi cum Prælatis vel personis honestis. Priorissa servat unam clavem, & Prior claustralis de Obazina aliam.

12 Die Dominica venit ad *Argentac* Prioratum conventualem de Clusa.

13 Die Lunæ ad *Brivasac* Prioratum Solemniacensem.

14 Die Martis ad Bellum-locum Abbatiam Ord. S. Benedicti, cujus Hugo Abbas fecit domino ho-
15 magium. mansit ibidem die Mercurii Assumptio-
16 nis beatæ Mariæ, & die Jovis.

17 Die Veneris ad *Albignes* Prioratum de Clusa.

August. 18 Sabbato ad Brivam Prioratum Ord. S. Auguſtini.
19 Die Dominica fuit ibidem.
20 Die Lunæ ad *Voſies* Abbatiam Ord. ſancti Benedicti.
21 Die Martis apud Uſarchiam Abbatiam Ord. S. Bened.
22 Die Mercurii apud Arnacum Prioratum ſancti Martialis Lemovicenſis.
23 Die Jovis ad Prioratum S. Roberti, de Caſa-Dei.
24 Die Veneris, feſto S. Bartholomæi, apud *Dalon* Abbatiam Ord. Ciſtert.
25 Sabbato apud ſanctum Aredium Canonicorum ſæcul.
26 Dominica apud Chalas Prioratum conventualem Ord. S. Aug.
27 Die Lunæ apud Solemniacum Abbatiam Ord. S. Bened.
28 Die Martis apud Calucium caſtrum Geraldi de Malomonte.
29 Die Mercurii apud Petram Buſſeriam Prioratum Solemniacenſem, qui debet unam procurationem cum Priore de Caro-vico de Abbatia S. Auguſtini Lemovic.
30 Die Jovis apud Aurelium Prioratum convent. S. Auguſt.
31 Die Veneris apud Ortegiam Prioratum convent. Ord. S. Aug. Ordo eſt per ſe.

Sept. 1 Sabbato apud Monaſterium Haëutenſe Canonic. ſæcul.
2 Dominica apud *Paëmbac* Prioratum ſancti Martialis.
3 Die Lunæ apud ſanctum Leonardum Prioratum conventualem Ord. Auguſt.
4 Die Martis ad Lemovicenſem civitatem.
5 Die Mercurii viſitavit Canonicos eccleſiæ majoria.
6 Die Jovis viſitavit Prioratum S. Andreæ, Abbatiam ſancti Martini.
7 Die Veneris viſitavit Abbatiam S. Auguſtini Ord. S. Bened.
8 Sabbato, feſto nativitatis B. Mariæ, venit ad Abbatiam ſancti Martislis.
9 Dominica viſitavit Abbatiam de Regula.
10 Die Lunæ ad ſanctum Martialem, inde apud Carnum juata Axiam, Prioratum S. Martialis.
11 Die Martis apud Rupem-Cavardi Prioratum de Caroſo.
12 Die Mercurii apud Nautronum Prioratum de Caroſo.
13 Die Jovis apud Bruxeriam Prioratum conventualem de Cluſa.
14 Die Veneris apud Salas Prioratum conventualem Ord. S. Auguſtini.
15 Sabbato apud *Peruſiac* Prioratum de Caroſo.
16 Dominica ad Abbatiam Stirpenſem Ord. S. Auguſtini.
17 Die Lunæ ad S. Junianum Canonic. ſæcular.
18 Die Martis apud *Beux* Abbatiam Ciſtert.
19 Die Mercurii ad Grandimontem.
20 Die Jovis apud *Ambaſac* Prioratum S. Auguſtini Lemovicenſis.
30 Eodem anno completa viſitatione diœceſis Lemovicenſis intravit diœceſim Bituricenſem, & venit apud Maluerum Prioratum ſancti Martialis.

Octob. 1 Die Martis apud S. Nazarium.
2 Die Mercurii apud *Vigno* Prioratum de Caroſo.
3 Die Jovis apud Argentonium Prioratum S. Gildaſii de Caſtro-Radulſi.
4 Die Veneris ibidem cum Prioratu ſancti Marcelli de ead. Abbatia.
7 Die Lunæ apud *Ruſec.* Prioratum ſancti Martialis Lemovic.
8 Die Martis apud Oblincum Prioratum de Abbatia Dolenſi.

Anno M CC LXXXVI.

Martii. 28 Anno 1286 die Jovis, poſt mediam Quadrageſimam, intravit dominus Simon Archiepiſcopus Bituricenſis diœceſim Catuarcenſem cauſa viſitationis: & primò declinavit apud Marcellum, & cariſtia tunc temporis erat incomparabilis. In comitiva domini erant GUIDO Abbas Monaſterii Virſionenſis, frater domini; Frater JOHANNES Marſac Monachus Virſionenſis, & Frater Hugo Monachus ſancti Sulpicii Bituricenſis, Pænitentiarius domini.
29 Die Veneris venit apud *Varrac*, Prioratum de Tutela Lemovic. diœceſis.
30 Die Sabbati apud Rupem-amatoris Prioratum Abbatiæ Tutelæ, Lemovic. diœceſis diſtat à Soliaco 2 leucis.
31 Die Dominica venit apud Soliacum Decanatum conventualem de Auriliaco. diſtat à Marcello 2 leucis.

Aprilis. 1 Die Lunæ apud Gordonium Prioratum de Vicano, à quo diſtat dimidia leuca.
2 Die Martis apud Vicanum Prioratum conventualem Ordinis S. Aug. 3 leucis à Rupe-amatoris.
3 Die Mercurii fuit ibidem.
4 Die Jovis viſitavit eumdem Prioratum.
5 Die Veneris venit apud Fontes Prioratum conventualem Abbatiæ de Figiaco.
6 Sabbato apud Capdenatum Prioratum de Auriliaco, & finavit Prior de Cardelaco Ord. Cluniacenſis.
7 Dominica in ramis-palmarum apud Figiacum Abbatiam Ord. S. Benedicti, abſente Abbate, qui ierat ad Regem.
8 Die Lunæ viſitavit Prioratum de Caſſegnoliis, qui eſt de Abbatia Figiacenſi. Finavit procurationem Prior de Burgo, qui eſt de Auriliaco.
9 Die Martis apud Mareilliacum Abbatiam nigram. diſtat à Loco-Dei, diœceſ. Ruthenenſis, 5 leucis.
20 Die Mercurii apud civitatem Caturcenſem, & venit ad Monaſterium Monialium B. Mariæ Deauratæ ejuſdem civitatis.
11 Die Jovis viſitavit Moniales prædictas, poſtea Prioratum S. Urſicini ejuſdem civitatis, qui eſt de Marciliaco.
12, 13, 14, 15 Diebus Veneris, Sabbati, Dominica Paſchæ, die Lunæ fuit ibidem.
16 Die Martis apud Cartuſium Prioratum conventualem de Cluſa, 4 leucis à Duravello. Remiſit procurationem Prior de Vigantia, qui eſt de Marciliaco, in medio viæ de *Concoreſt* ad Archas.
17 Die Mercurii apud Archas Prioratum de Marciliaco, 2 leucis à Gordono.
18 Die Jovis apud *Luſer* caſtrum Epiſcopi Caturcenſis. Finavit Prior de Duravello, qui eſt de Moiſſiaco, 3 leucis ab Archis.
19 Die Veneris apud Moiſſiacum, diſtat à Garda-Dei 5 leucis.
20 Sabbato apud Caſtelnm domum Abbatis in diœceſi Toloſana ex Gratia.
21 Dominica apud Abbatiam Montis-Albani, quæ eſt ſub Abbate Caſæ-Dei, Abbate tunc abſente, qui erat Romæ. diſtat à Moiſſiaco 4 leucis.
22 Die Lunæ apud Caſtraeum Prioratum conventualem de Auriliaco, & habet Decanum. diſtat 2 leucis à Monte-Albano. Ibi Abbas S. Marcelli Ord. Ciſtert. ſe excuſavit ad excipiendo Archiepiſcopo propter paupertatem.

APRILIS.

23 Die Martis ad Gardsm-Dei Abbatiam Ord. Cistert. distat à Caturco 5 leucis.

24 Die Mercurii apud Calciatam Peioratum de Figiaco. distat à Caëraco 1 lenca.

25 Die Jovis apud Capellsm Templariorum. distac ab Abbacia Belli-loci, diœcef. Ruthenensis, 2 leucis.

26 De Veneris apud Castlacium Prioratum de sanctu Antonino Ord. S. Augustini.

27 Sabbato apud sanctum Antoninum Prioratum conventualem Ord. S. Augustini, qui partim in diœcesi Ruthenensi, partim in Albiensi, distac à Calciata 2 leuc..

28 Dominica aote festum Apostolorum Petri & Panli, [*lege* Philippi & Jacobi] anno eodem 1286, completa visitatione diœcesis Caturcensis, intravit Albiensem: & primò venit apud *Voor* domum Templarium. distat à sancto Antonino 2 leucis.

29 Die Lunæ apud Visncium Prioratum ecclesiæ Albiensis. distat à *Rabastrins* 2 leucis. Eadem die finavit procurationem, quam mandaverat Priori de Podio-celsi Abbatiæ Auriliacensis, ad supplicationem fratris Abbatis sancti Germani de Patris Paris. ex gratia. distat Podium-celsi à *Voor* 3 leucis: inde *Rabastrins* 3 leucis.

30 Die Martis apud *Sisteol* Prioratum Abbatiæ de Galliaco: & inde ad Galliacum Abbatiam Ordinis S. Benedicti: & dicunt se esse sub Abbatia Casæ-Dei. distat à Viancio 1 leuca. De Galliaco ad *Rommanour* Prioratum Abbatiæ Massiliensis 2 leucis.

MAII.

1 Die Mercurii visitavit Abbatiam.

2 Die Jovis apud Candelium Abbatiam Ordinis Cistert. distat ab Albia 3 leucis.

3 Die Veneris apud Lanetum [*an* Lantrum] Prioratum sancti Pontii Tomeriarum. distat à Rupetorno 2 leucis, & Rupetornus à Castris 1 leuca, & ab Albia 4 leucia.

4 Sabbato apud Castras Abbatiam Ordinis S. Benedicti. distat à Candelio 4 leucis.

5 Dominica apud Bullatum Prioratum de Abbatia Castrensi.

6 Die Lunæ apud sanctum Amantium Prioratum S. Pontii Tomeriarum.

7 Die Martis apud Caunam Prioratum sancti Pontii Tomerariarum. demandavit procurationem suam Prior sancti Gervasii propter viarum discrimina.

8 Die Mercurii apud *la Carme*, deinde apud Ambiletum Prioratum sancti Victoris Massiliensis.

9 Die Jovis intravit civitatem Albiensem.

10 Die Veneris apud Prioratum de Esceuria Abbatiæ Galliacensis.

11 Sabbato reversus Albiam visitavit Monasterium sancti Salvii.

14 Die Martis ante Rogationes intravit diœcesim Ruthenensem: venit apud Varenum Prioratum Abbatiæ Aurelianensis. distat ab Escuria 3 leucis.

15 Die Mercurii apud Bellolocum Abbatiam Ord. Cistert. distat à Spinacia semileuca.

16 Die Jovis apud *Lespinace* domum Hospitaliorum. distat à Vareno 1 leuca. Ibi finavit Prior de Valle-Aurel. Abbatiæ de Auriliaco: & Monachi Abbatiæ Loci-Dei Ordinis Cistert. distat à Capella Templariorum 2 leucis.

17 Die Veneris apud Najatum Prioratum sancti Antonini Ruthenensis.

18 Sabbatum apud Rivum-petrosum Prioratum S. Martialis. remisit Priori de Lusiaco & de *Privazac* Abbatiæ Casæ-Dei.

19 Dominica ante Ascensionem apud *Privazac* Prioratum Casæ-Dei.

20 Die Lunæ apud *Rainbac* Prioratum Abbatiæ Conchensis. Eadem die finavit Prior de Villanova Monasterii Moissiscensis, & Prior de Petrucia Monasterii Figiacensis, & Prior sancti Juliani Monasterii Figiacensis.

21 Die Martis apud Asperias Prioratum sancti Martialis Lemovicens.

Die Mercurii apud *Flumbac* Prioratum Conchensem, inde apud Abbatiam de Conchis.

22 Die Jovis, festu Ascensionis, fuit in Abbacia de Conchis.

23 Die Veneris apud Albinum Prioratum conventualem Ordinis sancti Augustini.

24 Die Sabbati transivit per *Monbrisain* Prioratum Auriliacensium, & venit ad Bornesellum Prioratum Conchensem.

25 Dominica apud Claras-valles Prioratum Abbatiæ de Brantolmio.

26 Die Lunæ apud *Marcillac* Prioratum Conchensem.

27 Die Martis apud *Lemosain* domum Templariorum.

28 Die Mercurii apud Silvam domum Templariorum.

29 Die Jovis apud Canaberes domum Hospitalariorum.

30 Die Veneris ad Abbatiam Bonæcumbæ Ordinis Cistert.

31 Sabbato vigilia Pentecostes intravit civitatem Ruthenensem.

JUNII.

1 Die Dominica fuit cum Episcopo.

2 Die Lunæ fuit cum Capitulo.

3 Die Martis cum Priore sancti Amantii Burgi Ruthenensis, & dedit sibi subsidium super Priorem Castri-novi de Levezone Massiliensis Abbatiæ, & super Priorem sancti Genesii ejusdem Monasterii.

10 Anno prædicto die Martis post Trinitatem, completa visitatione diœcesis Ruthenensis, intravit Mimatensem. Et primò per colles & valles venit apud sanctam Enimiam Prioratum conventualem sancti Theofredi.

11 Die Mercurii apud *Flurac* Prioratum Casæ-Dei.

12 Die Jovis apud civitatem Mimatensem.

13 Die Veneris fuit in Capitulo. Finavit procurationem Prior de Espanisco Abbatiæ de Auriliaco, & Prior de Calniaco Cluniac. & Prior de Cheriaco conventualis Abbatiæ Massiliensis, & Prior de Canonica ejusdem Monasterii.

14 Sabbato ad ecclesiam de Rivo-torto.

15 Dominica apud Malteolum Prioratum sancti Egidii.

16 Die Lunæ apud *Salgut* Prioratum Cluniac.

17 Die Martis apud *Sancergut* domum Præpositi Bruiacensis, completa jam visitatione diœcesis Mimatensis.

Anno M CC LXXXVII.

MARTII.

1 Anno 1287 die Lunæ post Ramos palmarum dominus Simon Archiepiscopus Bituricensis. intravit diœcesim Claromontensem. Et primò venit apud Silviniacum Prioratum conventualem, Prioratum de Firmitate-Moniali, distantem hinc 3 leucis; Prioratum *de Bernay* Ord. Cluniacensis. distat Silviniaco 3 leucis.

APRILIS.

1 Die Martis apud Vernolium, à Silviniaco 5 leucæ. Finavit Prior de Salis, distans à Vernolio 3 leucis.

2 Die Mercurii apud sanctum Porcianum Prioratum conventualem, distat à Vernolio una leuca. Visitavit Prioratum de *Breo* Ordinis Cluniscen-

fis distat à sancto Porciano 3 leucis ; & Prioratum de *Janzer* distantem à sancto Porciano 4 leucis. Aprilis.

3 Die Jovis ad Abbatiam sancti Gilberti, distantem à sancto Porciano 2 leucis.

4 Die Veneris ad *Chambarande* Prioratum Monasterii Menatensis, distantem 2 leucis à sancto Gilberto.

5 Sabbato ad Ecclesiam de Karosio, domus militiæ Templariorum de Marchia. Finavit Prior de Elcurolis Ordinis Cluniacensis. distans inde 2 leucis.

6 Dominica Paschæ apud Naves.

7 Die Lunæ sequenti anni 1287 apud *Gannat* Prioratum Issiodorensem post 3 leucas. Finavit Prior sancti Boniti de Monte-Panterii Ord. Cluniacens. distans à *Gannat* 2 leucis.

8 Die Martis apud sanctum Genesium Prioratum Ebroliensem, distat à *Gannat* 2 leucis. Finavit Prior de Montibus Ord. Cluniac. distat à *Genét* 3 leucis.

9 Die Mercurii apud Aquas-sparsas. distat à sancto Genesio 1 leuca.

10 Die Jovis ad *Lusillac* Prioratum Casæ-Dei. distat ab Aquas-sparsas 2 leucis, & à *Buyllon* 1 leuca.

11 Die Veneris apud *Buyllon* Prioratum.

12 Sabbato apud *Marengues* Prioratum Casæ-Dei. distat à *Buillon* 1 leuca.

13 Dominica apud Bellum-regardum distat à *Marengues* 2 leucis.

14 Die Lunæ apud Clarum-montem.

15 Die Martis visitavit ecclesiam sæcularem sancti Genesii.

16 Die Mercurii visitavit ecclesiam sæcularem de *Chamaliere* : tractavit de multis, primò de contentione quæ vertebatur inter ecclesiam Claromontensem & Casam-Dei Abbatiam.

17 Die Jovis apud Montem-Ferrandi Prioratum Casæ-Dei.

18 Die Veneris visitavit Prioratum de *Cheronac* Casæ-Dei. distat à Claromonte 2 leucis. Finavit Prior de *Rasac* Ord. Cluniac. distat à Claromonte dimidia leuca.

19 Sabbato apud Crestum Prioratum Casæ-Dei distantem à *Charonat* una leuca.

20 Dominica ad Prioratum de Ursceo Monasterii de Moriaco. Finavit procurationem Prior de *Chavaros* Ordinis Cluniac. & Prior Pontis-castri Ordinis Cluniac.

21 Die Lunæ apud sanctum Saturninum Prioratum Abbatiæ Issidorensis, & venit ea die unam leucam.

22 Die Martis ad sanctum Nectarium Prioratum Casæ-Dei, & ipsa die fecit duas leucas.

23 Die Mercurii ad Montem-acutum Prioratum Ord. Cluniac. & fecit ipsa die unam leucam.

24 Die Jovis apud Gresiacum Prioratum Casæ-Dei, & fecit 4 leucas, & venit ad S. Germanum *Lembron*, distantem à Gresiaco 2 leucis.

25 Die Veneris visitavit ecclesiam sancti Germani *Lembron*.

26. Sabbato apud *Berlhonde* Prioratum Selsiniarum, & ipsa die fecit 2 leucas.

27 Dominica apud veterem Brivatem Prioratum Abbatiæ Piperacensis, Ord. sancti Aug. & fecit 2 leucas.

28 Die Lunæ apud *Ville* Prioratum Piperacensem, & fecit 1 leucam.

29 Die Martis de *Ville* equitando unam leucam venit apud *Azarac* Prioratum Casæ-Dei.

30 Die Mercurii equitando 3 leucis venit ad Nonnetam Prioratum Casæ-Cei.

1 Die Jovis, festo Apostolorum Philippi & Jacobi, apud Issiodorum Abbatiam Ord. sancti Benedicti, & fecit 2 leucas. Maii.

2 Die Veneris apud Cornomum, inde apud sanctum Andream Prioratum Casæ-Dei.

3 Sabbato apud *Chavirhac* Prioratum Selsiniarum.

4 Dominica apud *Vic* Prioratum Magni-loci.

5 Die Lunæ apud Selsinias Prioratum conventualem Ord. Cluniac.

6 Die Martis apud Magnum-locum Abbatiam S. Benedicti.

7 Die Mercurii apud *la Foilleuze* domum templariorum.

8 Die Jovis apud *Nazac* ecclesiam collegiatam.

9 Die Veneris ad Abbatiam de *Riem*.

10 Sabbato ad domum de Stanno.

11 Dominica visitavit Monasterium de *Mezac*, Abbate absente.

12 Die Lunæ visitavit Prioratum de *Volvic*, deinde venit apud Prioratum de *Marzac* Monialium.

13 Die Martis apud *Trillede* Prioratum Casæ-Dei, & equitavit 2 leucas.

14 Die Mercurii apud *Celville* Prioratum de Menato, & fecit 4 leucas.

15 Die Jovis Ascensionis Domini cum Episcopo Claromontensi.

16 Die Veneris apud *Albiac* Prioratum de *Riom*, & equitavit 4 leucas.

17 Sabbato apud Ebrolium Abbatiam.

18 Dominica apud Prioratum de Velcia Abbatiæ Ebroliensis, & regressus est Ebrolium.

19 Die Lunæ apud Locum-rubeum Prioratum conventualem Ord. S. Augustini.

20 Die Martis apud Menatum cum novo Abbate & Episcopo Claromontensi : & novus Abbas installatus est, & Missam novam celebravit.

21 Die Mercurii equitando 3 leucas venit apud Bellam-aquam Abbatiam Cistertiensem.

21 Anno 1287. Dominica, in festo B. Matthæi, intravit diœcesim Claromontensem ad visitandum ea quæ non visitaverat. Et primò venit apud *Marcillac* Prioratum Abbatiæ Menatensis. Septemb.

22 Die Lunæ apud Montem-acutum.

23 Die Martis apud *Poinçac*, Prioratum Abbatiæ Ebroliensis.

24 Die Mercurii ad ecclesiam S. Gilvasii, & Prioratum de *Chambonet*.

25 Die Jovis apud Montem-freinum Prioratum Abbatiæ Ebroliensis.

26 Die Veneris apud ecclesiam S. Præjecti.

27 Sabbato apud Rupem *Dagen* Prioratum Abbatiæ sancti Genulfi, Bituricensis diœcesis.

28 Dominica ad Prioratum de *Dourre* Abbatiæ sancti Genulfi.

29 Die Lunæ, festo B. Michaëlis, in domo de *Beaulieu* cum Abbate Menatensi.

30 Die Martis visitavit Prioratum de *Saint-Bar* Abbatiæ Cambonensis.

1 Die Mercurii apud *Mantes* Prioratum Cambonens. Abbatiæ. Octob.

2 Die Jovis apud *Giac* Prioratum Abbatiæ de *Mozac*.

3 Die Veneris apud Herviancum, exceptus à Capitulo loci.

4 Sabbato apud *Agelè* Prioratum sancti Illidii.

5 Dominica apud Orcivallem, ibi dimisit iter de eundo ad Aurillacum propter frigus.

6 Die Lunæ apud *Brifons* Prioratum Casæ-Dei.

7 Die Martis apud Clarum-montem.

8 Die Mercurii ibidem.

9 Die Jovis in Abbatia Sancti Illidii.

Octob.

10 Die Veneris ad sanctum desiderium Prioratum Casæ-Dei.
11 Sabbato ad *Cunynlhac* [an *Caunilhac*] Prioratum.
12 Dominica apud S. Germanum *Lerm.* Prioratum Casæ-Dei.
13 Die Lunæ apud Harlencum-burgi Prioratum de Clusa.
14 Die Martis visitavit Prioratum de *Mascat* & *Dambert*, Ord. Cluniac. inde ad *Salvihac* Prioratum conventualem de Clusa.
15 Die Mercurii apud Abbatiam Thiernensem.
16 Die Jovis visitavit ecclesiam collegiatam Thiernensem.
17 Die Veneris apud Montem-petrosum Abbatiam Ord. Cist.
18 Sabbato apud Cuciacum Abbatiam Monialium.
19 Dominica apud Prioratum de Montibus Ord. Clun.
20 Die Lunæ ad Prioratum de *Dreturay*.
21 Die Martis ad Prioratum de *Fleuret*.
22 Die Mercurii ad *Jaligny* Prioratum conventualem de Casa-Dei.
23 Die Jovis apud *Becay* Prioratum de *M[illegible]ac* Ord. Clun.
24 Die Veneris ad sanctum Germanum de Fossatis Prioratum de *Mozac*.
25 Sabbato apud *Rit* Prioratum conventualem Cluniac.
26 Dominica apud Lundosium cum Capitulo.
27 Die Lunæ apud *Gordac* cum Priore Casæ-Dei.
28 Die Martis apud V[illegible]um cum Capitulo.
29 Die Mercurii apud *Maignçat* * Prioratum sancti Launomari Blesensis : exinde venit in Bituriam per naves.

supra *Maisfat*, pag. 319.

Hæc sunt loca quæ dominus Bituricensis non visitavit in ista visitatione.

Prioratus de *Veriæ* Abbatiæ Ebroliensis.
Prioratus de *la Crosille* & *Donquart*, qui ad unam procurationem tenentur.
Prioratus de *la Morget* Abbatiæ Menatensis.
Prioratus de *Chambener* Abbatiæ M. [illegible]acensis.
Prioratus de *B[illegible]ille* Abbatiæ sancti Illidii.
Prioribus de *Calves* Abbatiæ Salmarum.
Prioratus de *Mauriac*, qui subest Abbatiæ sancti Petri Vivi Senonensis, & est ibi Decanus.
Prioratus de *Drinac* Abbatiæ Aurillacensis.
Abbatia Monialium S. Benedicti de *Brejac*.
Prioratus de *Ploes*.
Abbatia Aurillacensis vacabat Abbatia anno 1291, circa Pascha.
Prioratus de *Charmel* Ord. de Corona.
Prioratus de *Bredon* Abbatiæ Moissiacensis.
Prioratus sancti Flori Cluniacensis.
Abbatia Monialium de Casis.
Prioratus de *Chantejon* Casæ-Dei.
Prioratus de *Lamac* Casæ-Dei.
Prioratus de *Vaillac* Cluniacensis de Volta Cluniac.
Prioratus de *Maserat*.
Abbatia Casæ-Dei, vel Prioratus de *Saillant*.
Prioratus de Casma Casæ-Dei. Usque huc possumus conduci sine expensis. Exinde apud Clarum-montem, exinde apud *Jauzarz* Abbatiæ sancti Illidii, exinde cum Capitulo de Arcona, exinde cum Priore de Vichiaco, de Volta cum Abbatissa de *Bleolle*, exinde apud *Compr*. Item omisit Prioratus de *Fornox*, de *Sallare*, de *Martvillac* de S. Sindulio, de *Chembron*, qui omnes sunt in compositione facta inter Archiepiscopum Bituricensem & Abbatem Casæ-Dei.

Anno M CC XC.

Septemb.

25 Anno 1290. die Veneris ante festum B. Michaëlis intravit dominus Bituricensis diœcesim Lemovicensem causâ visitationis. Et primò declinavit ad Abbatiam de Columba Ord. Cistert.
26 Sabbato equitando 6 leucas venit apud Dauracum, receptus à Capitulo.
27 Dominica equitavit 6 leucas, venit ad Abbatiam Stirpensem Ord. S. Augustini.
28 Die Lunæ fuit ibi ex gratia.
29 Die Martis festo S. Michaëlis equitando 3 leucas ad Petrusiam Prioratum Burguliensis Monasterii: & est ibi Conventus novem Monachorum.
30 Die Mercurii equitando 5 leucas venit apud S. Junianum.

Octob.

1 Die Jovis equitando 2 leucas ad Rupem-Cavardi Prioratum de Carofo.
2 Die Veneris equitando 3 leucas ad Salas Prioratum Conventualem Ord. S. Augustini.
3 Sabbato equitando 2 leucas apud Buxeriam Prioratum conventualem de Clusa.
4 Dominica equitando 3 leucas apud Nantronium Prioratum de Karrofio.
5 Die Lunæ equitando 6 leucas apud Apem Prioratum Monast. S. Aug. Lemovicensis.
6 & 7 Diebus Martis & Mercurii fuit ibi apud Calucium.
8 Die Jovis equitando 5 leucas venit apud Solemniacum Abbatiam Ord. S. Benedicti.
9 Die Veneris venit Lemovicas in Abbatiam S. Aug.
10. Sabbato apud sanctum Martinum.
11 Dominica apud Aureliacum Prioratum Ord. S. Bened.

Anno M CC XCI.

Anno 1290 Dominica secunda Quadragesimæ de castro suo de Navis equitando per 7 leucas, venit ad Bellam-aquam Abbatiam Cistert.
Die Lunæ equitando 4 leuc. apud Evahonium præposituram Ord. S. Augustini.
Die Martis equitando 1 leucam apud Cambonum præposituram Ord. S. Benedicti.
Die Mercurii equitando 3 leucas apud Rugniacum Prioratum Evahonensem.
Die Jovis equitando 2 leucas apud Memacum Prioratum de Soviniaco Cluniac. Ord.
Die Veneris equitando apud Bonumlocum Abbatiam Ord. Cistert.
Sabbato equitando 4 magnas leucas apud Albueonium Prioratum Cambonensis-Monasterii.
Dominica 3 Quadragesimæ equitando unam leucam ad Monasterium Rosiliense. Erat Annuntiatio B. Mariæ.
Die Lunæ equitando 1 leucam apud Feletinum Prioratum Monasterii Cambonensis.

ADNOTATIONES.

Excarpta *hæc inveni in membranis nostri Claudii Chantelovii, qui ea sine dubio descripserat ex authentico instrumento Visitationis Simonis de Sulliaco Archiepiscopi Bituricensis. Instrumentum istud* in archivis Episcopalibus *suo tempore adservatum fuisse, tradit auctor Patriarchii Bituricensis in cap.* 74, *nempe Christophorus Ulterdemus Sulpicianus Monachus, ut plerique; aut certè Benedictus Vernerius ejusdem loci Cœnobita, ut alii sentiunt: quorum ille anno* M D LXIII *mense Maio, hic mense Octobri anni* M D LVII *decessisse fertur. Hanc visitatio-*

rationem aggressus est Simon à mense Martio anni M CC LXXXIV, *quod tempus ad finem anni superioris scriptor revocat secundum veterem calculum, quo is usus est. Visitationis socios habuit Simon Johannem Monasterii S. Sulpicii Bituricensis Abbatem, &* alios plures viros cùm scientiâ, tum moribus præditos, *inquit Patriarchus scriptor. Johannes Simonis frater erat, ut patet ex instrumento visitationis ad annum 1285. Ex his porro excerptis illud utilitatis derivari potest, quod Monasteria & Prioratus provinciarum Bituricensis & Burdegalensis, locorumque intervalla in eis designentur; referamus quæ nonnulla observatu non indigna.*

In his occurrit illud, quod scribitur de Simonis accessu in Monasterium Silva-majoris, ubi quia non comedebantur in curpore Abbatiæ carnes. *Archiepiscopus* cum sociis suis comedit carnes supra portam. *Illud enim à majoribus nostris Regula servantibus religiosè cautum est, ne sæcularibus etiam personis, quantumvis dignitate præstantibus, concederetur carnium esus intra Cœnobii cancellos. Hinc Gregorius Papa IX, referente Matthæo Parisio, sub finem anni 1240, Ottoni Cardinali & apostolicæ Sedis in Anglia Legato mandavit, quatenus* cibis regularibus, *cùm ad visitandos Cistercienses accederet,* esset contentus absque esu carnium, *quas ille ab his exigere volebat cum pecuniaria procuratione.*

In visitatione diœcesis Claromontensis anno M CC LXXXIV *facta, Simon Archiepiscopus die quarta Aprilis ad* Teillede, *Latinè* Tecletas, *Prioratum Casa-Dei accessisse dicitur. Hic locus olim Abbatia fuit, habuitque Moderatum Abbatem sub finem sæculi* VII, *ut lego in actis S. Bonits, ubi* Moderatus Teclatensis Monasterii Rector *laudatur. Hinc locum de Camalariensi Monasterio, ubi sancta Thecla olim requievit, ex conte lum interpretatus est Johannes Savaro in lib. 2 de ecclesiis diœcesis Claromontensis. Quam conjecturam emendat superius instrumentum. Memoratur item Prioratus* de Teillede *ad annum* M CC LXXXVII *die 13 Maii. Camalariensis vero ecclesia sæcularis,* Chamalieres, *die 16 Aprilis ejusdem anni. Tecleta porro locus est haud procul à Riomago versus Cambidobrum opidulum,* Combronde.

E X C E R P T A
EX EODEM INSTRUMENTO.

HIc habetur qualiter reverendus Pater dominus Simon Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ primas, primò anno Domini 1284 mense Septembri, Dominica die post festum beati Matthæi Apostoli & Evangelistæ, Burdegalensem provinciam jure primatiæ suæ causa Visitationis intravit: in cujus societate erant religiosi Johannes Abbas monasterii S. Sulpicii Bituricensis, fratres Simon dictus *Palin* & Johannes de sancta Severa Ordinis Fratrum Minorum, magister Guillelmus de Medunta Officialis Lemovicensis & Canonicus Bituricensis, Johannes ejus clericus, dominus Guido de *Noailles* Capicerius Pictavensis, D. Helias Porta Abbas sæcularis ecclesiæ S. Asterii Petragoricensis diœcesis, concessiator provisionis seu ordinationis à sede apostolica super jura primatiæ prædictæ, Helias ejus clericus, D. Otho de Salinis Canonicus Magdunensis, D. Cono Capellanus Virsionensis, & plures alii, &c.

⁂

Bego Abbas Belli loci facit homagium domino Archiepiscopo Bituricensi.

UNiversis præsentes litteras inspecturis Bego humilis Abbas Bellilocensis; Lemovicensis diœcesis, salutem in domino. Noveritis quod cùm nos & conventus noster nomine ecclesiæ nostræ Bellilocensis à reverendo Patre domino Simone Bituricensi Archiepiscopo, Aquitaniæ Primate, nomine sacrosanctæ Bituricensis ecclesiæ, tenemus in feodum, & tenere debemus villam nostram Bellilocensem cum pertinentiis & juribus ad ipsam spectantibus; cum prædicta omnia moveant de feodo & dominio Bituricensis ecclesiæ, prout evidenter per probationes legitimas productas coram Officiali Nivernensi super hoc delegato judice reverendo patre Simone Dei gratia ac tituli ..... sanctæ Ecclesiæ presbytero Cardinali, tunc apostolicæ sedis Legato, apparet, & per definitivam sententiam ab eodem contra nos pro Bituricensi Archiepiscopo promulgatam: item cum nos teneamus in feodum à D. D. Archiepiscopo, nomine Bituricensis ecclesiæ omnia temporalia Prioratuum omnium .... administrationum & obedientiarum ad .... monasterium nostrum spectantium ac omnes alias villas nostras cum pertinentiis suis & juribus omnibus, ac omnia feoda & retrofeoda ad monasterium nostrum spectantia, videlicet Reparium, &c. cum ipse Archiepiscopus noster, & rerum nostrarum temporalium dominus sit superior temporalis, & resortum habet à nobis tamquam dominus temporalis superior, & habere debet & successores sui in perpetuum, necnon eidem & successoribus jurare tenemur fidelitatem, ac eidem claves Bellilocensis tradere in novo adventu suo, anno Domini M CC LXXXV, decimo nono Calendas Augusti, die Martis quarta decima ejusdem mensis in Vigilia Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, in monasterio nostro, videlicet in Capitulo nostro, circa tertiam pulsata campana ad congregandum conventum nostrum in dicto capitulo reverendo in Christo patri domino Simoni Dei gratia Bituricensi Archiepiscopo, Aquitaniæ Primati supradicto nomine Bituricensis ecclesiæ, homagium fecimus, & juramentum fidelitatis de omnibus supradictis, præsentibus & ad hoc vocatis religioso viro Johanne Abbate sancti Sulpicii Bituricensis, venerabilibus viris domino Guidone *de Noailles* Capicerio Pictavensi & magistro Johanne *Gresillon* Canonico Bituricensi, fratribus Simone de Bleiis & Johanne de sancta Severa Ordinis Minorum, Petro de Rupe Archipresb. de castro Bituric. diœc. &c.

Epistola domini contra Præpositum Acuti monasterii super pluralitate beneficiorum.

SImon Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas, Universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Nuper Lemovicensem diœcesim visitantes, dum per villam *Bellegarde* transitum faceremus, ex clamosa insinuatione parochianorum ecclesiæ sancti Silvani prope villam prædictam frequenter didicimus, quod venerabilis vir magister Raymundus de Albuçonio tria beneficia, quæ inferius annotantur, tamquam intitulata detinebat, quorum unum ex altero non dependet, in suæ salutis præjudicium & scandalum plurimorum: videlicet ecclesiam sancti Silvani, curam animarum habentem; ac Præposituram ecclesiæ Rasoliensis, necnon & Præposituram ecclesiæ Hacutensis, quæ præpositturæ in dictis ecclesiis dignitates reputantur.

Postea autem ad ecclesiam Rasoliensem descendimus, visitationis officium exercentes: ubi Canonici dictæ ecclesiæ nobis hæc eadem retulerunt. Tandem ad ecclesiam Hacutensem declinavimus causa visitationis officium exercentes: ubi Canonici dictæ ecclesiæ clamorem præcedentium confirmantes, non sufficiebant admirari, qua conscientia tam enormem excessum non compatiendo prædictis ecclesiis toleraremus. Cùm autem præmissa essent notoria & manifesta, & adhuc sint; ac Episcopus dictæ Lemovicensis diœcesis quoad præmissa negligens fuit, ut dicitur, & remissus; licet beneficia quæ tanto tempore vacavissent, quòd ad nos vel ad Sedem apostolicam esset eorum devoluta conferendi potestas, jure metropolitano seu auctoritate Sedis apostolicæ conferre possimus; tamen juxta verbum Apostoli dicentis, *Nemini cito manum imponas*, volentes super præmissis habere certitudinem pleniorem, ipsum magistrum Raymundum die sabbati antè Nativitatem beatæ Mariæ Virginis vocavimus coram nobis apud Hacutensem; & ab ipso petiimus diligenter, utrum præfatum clamorem opere complevisset. qui nobis respondit, quòd præfatam ecclesiam parochialem ac dignitatem prædictas detinuerat per longa tempora, & adhuc etiam detinebat, fructus & exitus dictorum Beneficiorum levando & percipiendo. quæ beneficia, ut dicebant, successivè fuerat assecutus: primo Præposituram Rasoliensem, deinde Præposituram Hacutensem, & ultimo ecclesiam parochialem prædictam; asserens tamen fuisse super præmissis cum ipso à Sede apostolica dispensatum: quam dispensationem ad nostram conscientiam informandã ab ipso nobis petiimus ostendi. qui nobis respondit, quòd dispensationem prædictam non habebat ad præsens, nec habere poterat: sed die certa à nobis sibi assignata illam nobis ostenderet & offerret. Et nos ad supplicationem ipsius diem Veneris in vigilia Nativitatis beatæ Mariæ sibi assignavimus pro hoc coram nobis apud Lemovicensem, ad ostendendam & exhibendam nobis dispensationem prædictam, si quam habet, & ad procedendum ulterius ut jus erit. quam diem præfatus Raymundus gratanter & voluntariè acceptavit, præsentibus religiosis viris Johanne Abbate sancti Sulpicii Bituricensis, fratre Johanne de Phletino Ordinis Prædicatorum Lemovicensis, ac discretis viris domino Guidone *de Noailles* Capicerio Pictavensi, Magistris Johanne *Gesillon* Canonico Bituricensi, Ademaro de Ripperparia, & Petro de Virsione clericis, & D. Johanne de Vernolhis Canonico Lemovicensi, ac religioso viro Priore de Maravalle Lemovicensis diœcesis, & pluribus aliis. Datum dicta die sabbati ante Nativitatem beatæ Mariæ apud Hacutensem, anno Domini M CC LXXXV.

Anno prædicto, diebus Mercurii & Jovis, scilicet ante Ramos Palmarum, apud Vicanum in claustro ecclesiæ de Vicano, coram domino Archiepiscopo & mandato suo, personæ infra scriptæ, parochiani de Gorgonio, qui super usuraria pravitate erant quàm plurimum diffamati, coram domino propter hoc vocati abjuraverunt, & mandato domini summas infrà scriptas, quas se confessi fuerunt habuisse per juramentum suum restituere promiserunt, & stare juri super his coram eo.

Bertrandus de Fornariis abjuratus usuras, ut præmittitur, promisit restituere centum solidos monetæ currentis, quos, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem.

Girardus la Orivida abjuratus usuras, ut præmittitur, promisit restituere quindecim solidos, quot, prout confessus est, habuerat per usurariam pravitatem, &c.

Die Lunæ post festum sancti Martini hiemalis, venit dominus apud Tellhacum, ubi fuit secum ipsa die dominus Episcopus Carnotensis, qui de patria sua venerat obviam corpori bonæ memoriæ PHILIPPI * Regis Franciæ, defuncti in Arragonia.

Die Martis sequenti fuit dominus apud Plenipedum *, ubi ad expensas suas esse voluit, sed Abbas dicti loci noluit sustinere. Et fere media nocte surrexit & ivit apud Dunum-Regis *, ubi corpus memorati Regis erat: & in aurora, die Mercurii sequenti venit in capellam castri de Duno Regis, ubi invenit corpus dicti Regis defuncti. Et postmodum in dictam capellam venit PHILIPPUS * novus Rex Franciæ ad audiendam Missam. quem dominus in introitu dictæ capellæ salutavit, & aspersit aqua benedicta, & cepit licentiam ab eo, ut unà cum Episcopo Carnotensi conduceret corpus Regis defuncti usque Bituricas. & factum fuit ita. Et ad expectandum novum Regem receptum fuit dictum corpus in ecclesia de castro Bituricensi à domino Archiepiscopo & Episcopo Carnotensi, & Canonicis dictæ ecclesiæ: & ibi habuit vigilias *suas*. Postmodum verò congregatis processionibus Bituricensibus in majori ecclesia, dominus Archiepiscopus & Carnotensis Episcopus cum dictis processionibus perrexerunt ad ecclesiam de castro Bituricensi: & recommendatione facta corporis, delatum fuit corpus processionaliter ad majorem ecclesiam, & receptum in ea à domino Archiepiscopo, & Episcopo Carnotensi, præsente novo Rege, qui corpus prædictum gestabat inter brachia unà cum multis Baronibus, &c.

* Audacis.
* Plainpied.
* Dun-le-Roy.
* Pulcher.

ADNOTATIO.

ACta hujus visitationis compendio quondam descripserat noster Clar. lum Chamelotius, prout ea edita sunt in tomo 2 Analectorum. Postea eadem acta integra reperit, noster Clar. lum Stephanotius, eorumque exemplum ad nos transmisit, exscripta ex codice clarissimi viri D. Jacobi de Givès, apud Aurelianos antehac regii Advocati. Quia vero prolixiora sunt acta ista, integra hic exhibere non visum est operæ pretium: sed sufficere, ut fragmenta superiora repræsentarentur.

INCERTI POETÆ VERSUS DE ORDINE COMPROVINCIALIUM PONTIFICUM.

I. *Episcopi Salezburgenses.*

DIcta Jovavo fuit quondam metropolis ista,
Quam primo fundans HRODBERTO rexerat almus.
Post hunc VITALIS Antistes rexit eamdem.
Ipsius inde FLOBARGISUS, qui est fultus honoris.
Quartus JOHANNES fuerat, sedemque regendo.
Advena VIRGILIUS statuens quam plurima quiotus.
Multo plura gerens ARNO super omnia sextus.
Septimus hinc successit ADALRAM pastor optimus.
Tempore namque suo statuens quam plurima pulchrè.
Octavus veniens LIUPHRAMMUS Præsul ovilis,
Officium Domini renovans formosius æque.

II. *Archiepiscopi Saltzburgenses.*

HIc locus, ut fertur, dudum Juvavo vocatus,
Magnus honore fuit, ut modò signa probant,
Tempore quo gentem HRODBERTUS Episcopus istam
Rexerat, & struxit sedis ovile sacrum hic:
In qua Pontifices multos post rite sedentes
ARN successit ovans rector ovile regens.
Quem CAROLUS Princeps regni superauxit honore
Archiacerdotis, dignior ut fieret.
Quem LEO Papa sui veste vestivit honoris,
Et privilegia dans mox solida vit eum.
Ut regionis apex ac summus Episcopus esset,
Urbsque hæc metropolis tempus in omne foret.
Huic successit ADALRAMMUS Antestis amatus,
Quem Papa EUGENIUS compsit honore pio.
Post hunc successit LIUPHRAMMUS rite Sacerdos,
Functus apostolici munere GREGORII.
Nam velut Archisacerdotes in sede manentes,
Legitime functi numine apostolico,
Plurima diversis struxerunt stemmata rebus,
Ut vice quisque sua optime prævaluit:
Sic reliquos successores, in sede futuros
Talia vota simul semper habere decet.
Cunctis præteritis patribus simul atque futuris
Donet in arce poli gaudia magna Deus:
Et veniam scelerum subjectis præstet eorum,
Et gaudere simul in requie jugiter.

III. *Episcopi Ratisponenses.*

HIc Reginensis sedis vocitatur ab urbe,
Quam rexit primò WICTERPUS Episcopus ille.
Post alius CAUVIPALDUS qui nomine dictus.
Tertius SIGIRICUS erat sacratus ad aulam.
Post hunc jam fuerat SINOBERTUS in ordine quartus.
Quintus ADALWINUS fuerat, sedemque regendo.
Post hunc BATURICUS tenuit pius optime sedem.
ERCHANFRIDUS ovans sequitur hinc pastor opimus.

IV. *Episcopi Frisingenses.*

FRigisiensis enim sedis hæc aula vocata est,
CORBINIACUS ovans quam primus rexerat almus.
Inde Dei famulus ERMPERHTUS nomine sedit.
Tertius hinc JOSEPH, præclarus nempe magister.
ARPEO quartus erat, facundo famine fretus.
Quintus apostolicam tenuit pius ATTO cathedram,
Post hunc HITTO pater sedem jam rexerat almus.
Exhinc successit ERCHANPERHT pastor amatus.
Ecce pius sedem præsens nunc ANNO gubernat.

V. *Patavienses Episcopi.*

PAttaviensi ergo sedi est hæc aula dicata,
Quam tenuit primo VIVULUS jam ipse Sacerdos.
Nomine post illum Antistes mox rite BEATUS.
Tertius est etenim SIDONIUS auctus honore.
ANTHELMUS quartus meritis & dogmate magnus.
Hinc WISURICUS ovans sedis conscendit honorem
Nuper WALDRICUS felix vir in ordine sextus.
Nunc sedet ANTISTES magnus ill. * sedis honorem. * Urolfus.

VI. *Episcopi Sabionenses.*

HÆc sedis vallis Noricanæ dicta Sebana,
INGENUINUS habens primo quam rexerat almus.

Analect.

MASTULO secundus sedique regendo cathedram.
Post illum pastor servavit ovile JOHANNES.
Præsul ALIMUS erat meritis qui & dogmate quartus.
Quintus honore sedet ill. * fultus eodem. * H inricus.

Epitaphium Virgilii Episcopi Saltzburgensis.

HIc pater & Pastor, humilis doctusque Sacerdos,
Corpore VIRGILIUS pausat, quem Hibernica tellus
Disponente Deo partes direxit in istas,
Quique regebat ovans præsentis culmina sedis
Ferme quaterdenos caris cum fratribus annos:
A quibus ille & amatus erat, piè quos & amavit.
Interim & erexit pulcro molimine multa
Templa, loco quædam nunc quæ cernuntur in isto.
Insuper & miseris largus simul omnibus aptus.
Pro quo, quisque legis versus, orare memento.

Epitaphium Arnonis Archiepiscopi Saltzburgensis.

QUisque velis cryptam subsistens nosse viator,
Scito quod ipse mihi vivus hanc ARNO peregi,
Qui fueram rector præsentis regmine sedis,
Ac opibus multis, multoque potitus honore:
Nunc hic omissis cunctis mea membra quiescunt.
Te rogo, nunc Dominum precibus pulsare memento,
Ut mihi det veniam scelerum quæcumque patravi:
Quatenus æternam merear habitare quietem.

Epitaphium Adalrammi Archiepiscopi Saltzburgensis.

SUm * quod es ipse fui, tu nunc perpende viator, * l. Ta.
Communem & mecum commiserefce vicem:
Nunc vivis, spiras, & agis fortasse quod optas,
Atque tuis mundus usibus ipse patet.
Ad votum famulantur opes, elementaque cedunt,
Ac rerum servit machina trina tibi.
Usus & his ego, dum præsens mihi vita maneret,
Omnia & hæc habui suppeditante Deo.
At cum fallacem vultum fortuna recepit,
Me mea tunc modò jam non habuisse liquet.
Ammisi sed non mea nunc, quæ sunt mea mecum,
Sentio: pro simili conditione geme.
Flecte etiam precibus pro me jamjamque Tonantem,
Atque animæ veniam quæso precare meæ.
Dicor ADALRAMMUS, fueram qui rector ovilis
Præsentis Domini istius ecclesiæ.
Corpus Adalrammi, quod præsule floruit urbs hæc,
Hæc sub mole jacet, tu rape Christe animam.

Aliud ejusdem.

SI quis non valeas præsens cum voce referre,
Qualia jam fuerant Pontificis merita:
Solve tamen gemitus more conpunctus amici,
Quod citò migravit tantus amore Pater,
Nomine ADALRAMMUS, sedem qui rexerat istam,
Cujus in hac aula membra sepulta jacent.
Strenuus ipse ministerio super omnia sacro,
Ut decuit, fuerat per tris lustra vigens.
Creditur hinc animam gaudere per alta polorum,
Quo Dominus meritis præmia retribuit.
Pro qua qui recitas versus, dic pectore puro:
Da Domine clemens huic animæ requiem

Ut cum vivificet salpiux hanc ultima carne,
Integrum facias gaudia bina frui.

Epitaphium Liuphrammi Archiepiscopi Saltzburgensis.

PAlma Sacerdotum, rerum doctrina bonarum,
Ecclesiæ princeps, sidus in orde micans,
O LIUPHRAMME pater inopum, tutor miserorum,
Omnia to peragis, jusserat ut Dominus.
Te pastore lupus vacuum detraxerat alvum,
Latrandi sciolus nutrieras catulos.
Et quia cuncta placent Christo tua gesta sereno,
Ventilat en sordes, ut suus esse queas.
Castigat sobolem, recipit quam Rector in aulam,
Pulveris ut maculas discutiat pedibus.
Corpus inane cadit, melior pars inde resurgit:
Nunc æterna vigent, & moritura ruunt.
Spiritus exhilarat, vitiorum pugna recedit.
Noo virtus aoimæ perficietur ita.
Gaudia sic etiam rutilaot, peccata peribont.
Tristia despicias, prospera fata videns.
O quàm dulce fiet regnum, quod constat in ævum!
Quod sine peste manet & bona cuncta tenet!
In quo nobilium turmæ lætantur avorum,
Et cupiuot patriam nos retinere suam.
Ac simol & sanctæ matres castæque sorores,
Optantes placidam nos remeare viam.
Insuper Omnipotens, cunctæ bonitatis origo,
Nos properare jubet, & pietate juvat.
Qui te perpetuo sanum perducat ad illum,
Ut laudes Christi nomen in arce poli.

De Ariete Episcopo.

NObilis hanc ARES cognomine dictus avito,
Digoanter chartam perlegat ore sacro.
Jure Pater tali vocitaris nomine sancte,
Caularum Domini qoi bene pascis oves.
Dux Aries gregis ad vitam, cui nemo resistit,
Factus apostolico Pastor honore cluis.
Hinc Ælim locos & bisseno fonte redundat,
Et palmis septem frugifer est decies.
Quapropter Pastor, Præsul, Pater atque Sacerdos,
Io prece quam fundes, sis memor oro mei.
Advena sim licet, exilis, vilissimus, excors;
Sublectus vestris sum tamen obsequiis.
Inde precor, si quid possom, mandare memento,
Quod prompto faciam pectore servitii.
Certius ut credar, precor indulgere velitis
Usus io nostros ot salis exiguum.
Sal si qoidem terram debet condire fidelem:
Fiat ut à vobis id quoque quæso mihi.
Corporeum sal significet rem quam peto justam,
Quod præstare, Pater, supplico care velis.
Tu sal namque potens salis impertire saporem,
Escæ oe nostræ sint nimis insipidæ
Quæ dignanter agens in sæcula sine fine ullo,
Perpetua Antestis obsecro pace vale.

H L. R E X.

INmensas grates volumus tibi dicere, BALDO,
Qood tua magna fides sic inconcussa moistur,
Nobiscum dicta firmasti ot tempore prisco.
Namque aoimum nostrom pia lætificant tua scripta,
Quæ nobis sæpe mittis, hortaris & optime nobis,
Et bonitate tua pandis in amore beoignu,
Quæ tua sic nobis mittit sollertia magna.
Nunc verò nuper misisti talia scripta,
Non potuit totum noster qnod noscere sensos,
Est quia per totum contextum in ænigmate sirme.
Conscius ipse tota quid opus addiscere verbis?
Hoc tamen oramus ut nobis pandas apertè.

A D N O T A T I O N E S.

EX præmissis versibus, quos saeculo ix scriptos fuisse constat, corrigendi sunt vulgati indices Episcoporum metropolis Saltzburgensis.

Et primo quidem ex classe Saltzburgensium Episcoporum expungendi sunt ANSALOGUS, SAVOLUS, *&* EZIUS, *qui post Vitalem apud Hundium recensentur. Deinde post Virgilium Bertricus quoque removendus.*

Secundo multum discriminis est item in catalogo vulgato Episcoporum Ratisponensium, quorum duplex est classis. Una Episcoporum, qui quasi extra ordinem eam ecclesiam rexerunt, octo numero, nempe S. LUPUS, RATHARIUS, S. RUOPERTUS, S. EMMERAMMUS, S. ERNALDUS, ALBERTUS, VALIPHOLÆCUS, VIOTERAUS, *&* S. WINIFRIDUS *seu Bonifacius. Altera classis est Episcoporum post hos ordinariorum, quorum primus* S. GARIBALDUS *nominatur, hic Cauvibaldus seu Gauvibaldus appellatus.*

Nulla est in Frisingensibus, nisi penes nominum lectionem, diversitas: at in Pataviensibus magna est. Nam ante Virolum seu Vivilonem, qui hic primus habetur, numerantur apud Hundium duodecim Episcopi, & post Vivilum BEATUS *desideratur.*

In ordine Sabionensium Antistitum, vulgo Seben, *quorum sedes postea Brixinam migravit, ante Ingenuinum ponitur* S. CASSIANUS; *& post Ingenuinum undecim alii ante Mastalonem, qui in his versibus secundus est.*

Quis sit Aries Episcopus, fictum an verum nomen; quisve locus Ælim, ubi ejus sedes, nobis incompertum. Alienigenam se dicit poeta; & forsan Anglus erat. Atqui Aries Anglicè lingua Aramme vocatur. An is Adalrammus Archiepiscopus Saltzburgensis? fateor me hærere, maximè cum vocabulum Ælim nescio quo pacto Saltzburgo tribui possit.

Eadem ferme difficultas de Baldone Episcopo, ad quem sequentes versus. Is videretur esse Bardo Moguntinus saeculo xi Antistes, nisi codicis obstaret antiquitas; itemque Hludovici Regis nomen versibus inscriptum, quod de Ludovico Germania Rege interpretor. Atque ob hanc rationem non possunt hi versus convenire Waldoni Episcopo Basileensi, qui ante Carolum M. vivere desiit. Sed hæc non sunt tanti, ut iis diutius immoremur.

ALCUINI VERSUS DE AQUILA EPISCOPO SALTZBURGENSI.

PEr montes, campos AQUILAM mea cbattula quære,
Pontificem magni nominis & meriti.
Inventum ut Valeat millenu carmine canta,
ALBINI officio dic vale perpetuum.
Dic, Memor esto tui semper, Pater alme, magistri
In precibus sacris per loca sancta Patrum,
Dic quoque, dic supplex, dic [quæso] sancte Sacerdos;
Justitiam sequere semper in ore tuo.
Non tibi blanditiæ sæcli, non vana voluptas,
Nou timor aut terror cordis in antra cadat.

Plena salutiferi sed jam fiducia verbi
Possideat pleuum pectus amore Dei.
Judicium promat justum tua lingua, Sacerdos,
Ut Christo placeat quicquid in ore sonat.
Spiritus è cælo veniens tua pectora, Præsul,
Lætificet, habitet, sanctificet, repleat.
Plus æterna Dei Christi est metuenda potestas,
Quàm terrena quidem, quæ velut umbra volat.
Omnipotens Judex, justis qui præmia præstat,
Det tibi verba piæ pacis in ore tuo.
Tempora sunt nimium variis nunc plena periclis,
Quæ quondam sancti præmunuêre Patres.
Ætates hominum, mores mutantur & actus:
Utque momenta quidem, vita citu fugiet.
Nec redit ipsa dies, mensis, nox hora vel annus,
Sed fugiens fugiet, fontis ut unda fluens.
Tristia se lætis immiscent tempora nostris,
Utque vices faciunt noxque diesque suas.
Gaudia jam veniunt, veniunt & tristia statim.
Non est qui fuerat, transiet omnis homo.
O Pater, ideirco facias, dum tempus habebis,
Mente, manu, lingua, quæque Deo placeant.
Ore sonet Christi laudes, & vera loquatur,
Et totum redolet pectus amore Dei.
Totius atque bonis iustent jam corporis actus:
Membra simul placitis nocte dieque Deo.
Ut totus placeas magno tu judice Christo,
Ut te conservet semper ubique Deus.
Posco memento tui, Præsul præclare, magistri
In precibus lacrymis per loca sancta sacris.
Ut veniam mitis præstet cui Christus ab arce,
Quæ gessit scelerum vita nefanda precor.
Tu sine fine vale pastor, patriarcha, sacerdos,
Sit tibi Christus amor, lux, via, vita, salus.

MONITUM.

Hujus Chronici Scriptorem vixisse sæculo XII. *intelligimus ex tempore in quo desinit. Auctoris nomen mihi incompertum. Monachus certè fuit Cœnobii Aureliacensis, olim Arvernensis Diœcesis, nunc sancti Flori quòd sæculo superiori à regulari in sæcularem statum conversum est.*

BREVE CHRONICON AURILIACENSIS ABBATIÆ.

QUoniam transacta tempora à majoribus neglecta & oblivioni sunt tradita, ut qui vel quales post beati GERARDI transitum, vel eodem vivente Aurilicensis Cœnobii Rectores sive Abbates fuerint; & qui vel ex his primi, & qui novissimi fuerint, pæne sunt incerti & non nisi paucis cogniti: quicquid ex his certis testimoniis comperimus, præsentibus & futuris pandere & describere curamus; ut quod hactenus fuerit ignotum, deinceps omnibus legentibus, & scire volentibus sit manifestum.

Illustris vir GERALDUS mittit ad CAROLUM Regem Franciæ, qui cunctam & sapienter & benignè regebat Galliam, & beato Geraldo familiarissimus & bene carus propter illius sanctitatem & nobilitatem erat, videlicet propter privilegia & honorem Cœnobii, ut nulli subjiceretur, nisi sancto Petro, id est summo Pontifici, ad censum duodecim [a] solidorum persolvendorum quolibet anno: in reliquis esset in potestate & auctoritate Fundatoris, & VIERNÆ [b] sororis ejus, & Monachorum illic Deo famulantium. Hoc jure impetrato, in proprium Legati remissi sunt.

[c] ADALGIRUS vivente Geraldo Protopastor seu primus Abbas fuit, & ad dictum Regem missus Legatus à Geraldo, postea obiit, & ibidem sepultus est. Paullo pòst obiit Dei amicus Geraldus.

Primus, ut accepimus, post depositionem supradictam confessoris Christi Geraldi, Aurilacensis Cœnobii exstitit Abbas JOHANNES [d] nomine, qui duxit originem ex præclara ejusdem Geraldi stirpe. Hic dum nobilitate & industria præpolleret, Romano Pontifici carus fuit, & ab eodem impetravit privilegium, ut Aurliaci Cœnobium ab omni dominatione esset absolutum, nisi sancti Petri & Romanæ Sedis, ad censum XII solidorum Turonensium. Hic dedit centum mansos Conventui, & roborata fuit donatio auctoritate summi Pontificis, qui tunc vivebat, JOHANNES nomine. Prædictus Johannes Abbas obiit Auriliaci, & ibi inhumatus est.

ODDO Venerabilis Abbas tertius Auriliacensis & Cluniacensis, rogatus à TURPIONE Lemovicensi Episcopo & ab Aimone Tutelensi Abbate, descripsit vitam beati Geraldi. Habuit Coabbatem ARNULFUM. Vixit tempore LEONIS Papæ successoris Johannis, & tempore RODOLFI Gallorum Regis, qui confirmavit libertatem loci. Moritur vir pius & religiosus Oddo, & ibidem sepultus [e] est.

AURALDUS Monachus Conchensis, ex pago Rodenico nobilibus parentibus natus, Abbas Cœnobii Auriliaci creatur. Hic prophetiam B. Geraldi implevit; & cùm basilica esset angusta propter affluentem populum, de novo fundatam ecclesiam ampliavit, & construxit aliud Monasterium ad Cadenacum.

GERALDUS de sancto Sereno Abbas quintus, alumnus terræ de Caturcana, & castro de sancto Sereno oriundus, perfecit ædificium basilicæ à prædecessore suo inceptum: & vocatis Episcopis illud consecravit, & dedicatio facta fuit anno dominicæ Incarnationis M CCCC LXXII, Indict. V, Papa JOHANNE feliciter sedente in cathedra apostolica. In altum diversa

a *XII. solidorum.*] Sanctus Geraldus sæpius Romam adiit, *& beato Petro Aureliacum facto sollemniter testamento delegavit, cum suaris appendiciis, quæ Monachis quos ibidem congregare disposuerat, ad omne stipendium sufficere possent. Censum unique delegavit, qui ad urnum beati Petri annuatim redderetur.* Testis sanctus Odo Abbas Cluniacensis, itidemque Auriliacensis in lib. 2 de vita sancti Geraldi cap. 4. Censum fuisse decem solidorum, quem biennio quoque persolvebat, tradit idem auctor in ejusdem lib. cap. 17.

b *Viernæ sororis ejus*] Avigernam sanctus Odo in lib. 2 de vita sancti Geraldi cap. 18

c *Adalgirus.*] Adelcarius, sive Adalgarias, Adalbertusve appellatur in fusiori Gallia Christiana, ubi dicitur sancti Geraldi consanguineus & Monachus Vabrensis, nescio quo fundamento, nisi quod sanctus Geraldus *nobiles quosdam pueros ad Vabrense Cœnobium direxit, sub norma regulari imbuendos*, ut scribit sanctus Odo in lib. 2 cap. 6

d *Ista nat ex Geraldi stirpe.*] Id patet ex litteris Raimundi Auriliacensis, ac Bernardi Tutelensis Abbatum, quas eruditus vir Stephanus Baluzius refert in appendice Actorum veterum ad Reginonem, quibus litteris concordia initur inter Monachos Auriliacenses & Tutelenses de quibusdam ecclesiis & prædiis, quæ litis materiam utrisque præbebant. Has verò ecclesias atque possessiones *Johannes Abbas, qui propinquus beati Geraldi dinoscitur fuisse*, tenuisse memoratur

e *ibidem sepultus est.*] Sanctus Odo mortuus est Turonis, ibidemque sepultus in ecclesia sancti Juliani, non verò Auriliaci.

Sanctorum pignora sunt recondita. Hic reædificavit ecclesiam beati Clementis [f], quam Geraldus pater B. Geraldi olim fundaverat. Hic Romam visitavit ac Hierosalem. Sub hoc Respublica Monachorum valde augebatur, & metuens aliquos sibi insurrecturos, beneficio maluit alligare vicinos, quibus dereliquit decem millia mansos, præter oppida videlicet Comitibus Turenænsi, [g] Carladensi, & aliis ex Cacarei partibus, & ex vicinis nobilibus. Hujus facti valde eum pænituit: & nisi virtus divina subvenisset, redigebatur Cœnobium in pauperiem. Sed postea quotidie augmentatum fuit. Moritur Geraldus, & in basilica sepelitur ad lævam majoris portalis.

f

g

RAIMUNDUS Caturcensis nobilis, ex castro Sanra * nominato, Abbas eligitur. qui curat erudiendum GERBERTUM [h], adolescentem obscuro loco natum: sed quia ingenio erat vafer, præclarus in litteris evalit. Hic impetratâ licentiâ propter aviditatem sapientiæ multa circumibat regna, & ad notitiam Imperatoris pervenit. qui eum Remis statuit Episcopum, deinde Ravennæ, postea in Summum Pontificem evexit. Hic multa bona contulit Cœnobio, & misit munera RAIMUNDO [i] sodali, videlicet libros Grammaticorum, & expositiones in Hieronymum & Ambrosium. Moritur Abbas, & ad dexteram portæ sub arcu lapideo sepelitur.

* Cod. Clar. Vaura.

h

i

ADRALDUS, vir laudabilis, ex oppido quod dictum est sancti Christophori, matrem habuit prædivitem, quæ Abbati commendavit magnum pondus auri & argenti. Adraldus absente matre in ornamentum basilicæ omnia consumit. Imaginem ex pellucido auro B. Geraldo fabricavit: altare argenteum decoravit pluribus gemmis. Comitissa Narbonensis eodem tempore obtolit calicem crystallinum, plurimis lapidibus pretiosis ornatum. Leo [k] Abbas de Fundo & Episcopus Caietæ apud Fratres eum visitat, vir sanctus, qui vivens sub crypta quadam se reclusit de consensu Fratrum, & ibi moritur. Adraldus obiit XVIII Kal. Novembris, juxta Raimundum sepultus.

k

GERALDUS nobili loco satus, cognomento de Vaxis, prædecessorum religionem non secutus, sed fraudulentos, est secutus. Cœnobii bona diripiuntur à Geraldo de Caturcia *, nobili incola de Vaxia, & munita quoque Cœnobii occupat. Sepelitur Geraldus juxta sepulcrum Raimundi, habens pedes * ponè parietem basilicæ.

* Cod. Clar. Cabreleia.

* Idem penes.

GERALDUS de Calcidia Abbatem se decrevit. Hic malè administravit Monasterium. Pudor est ejus acta recensere. Moritur paulo post XV Kal. Julii. sepelitur ad prædecessoris tumulum.

GERALDUS, ab origine nobilis Caturcensis, felix, religiosus. difficile est enarrare, quomodo ipso vivente effulserit decoratum Monasterium multis divitiis. Monachos habuit discolos, non obedientes, quamvis vir pius esset & clarus. Obiit VIII Kal. Maii, sepelitur in prænominato loco paulisper supra tumulum Geraldi de Vaxia.

PETRUS de Limaniis bona prædecessoris sui prodigaliter dissipavit, expers laudis moritur, sepelitur eo loco, quo Geraldus de Vaxia & de Cilindia *. Iste, & alii Geraldus de Vaxia, & Cilindia, suis parentibus & voluptati operam dabant, neglecto Cœnobio & Fratribus.

* suprà Calcidia, & ita etiam hic in Cod. Clarom.

EMILIUS Abbas, profusor bonorum Cœnobii, tamen disciplinæ regularis observator, Fratribus jucundus & gratus, senex moritur. sepelitur ad Salvatoris templum, deinde translatum in Magdalenes ante portam.

PETRUS [l] Soliacensis Decanus, oriundus de castro Cisenuii, nobilis, prudens, religionis amator, obediens, castus, humilis; quamdiu Monachus erat, Fratrum animos devinxit. Abbas ecclesiam bene administravit, reparavit ædificia, & plures ecclesias recuperavit. Hic URBANUM Papam post Claromontense Concilium Aurillacum devexit. Caturci moritur, Aurillacum deportatur: plangitur cum summo luctu à Clero & populo. Vir pius sepelitur in arcu, qui inest parieti ecclesiæ B. Benedicti extrinsecus: cum summo honore sepultus est anno Domini M C VII.

l

PETRUS de Roca, nobilis, oriundus Subalbero * sancti Geraldi in castro de Roca, distante per leucam ab Aurillaco, facie decorus, ingenio pollens, moribus ornatus, familiaritate acceptus, honestate præditus, claustra quæ priùs lignea fuerant, lapidea exstruxit, marmorea altaria ædificavit. Cùm diversa montanorum loca peragrasset, invenit lapidem marmoreum longè ab Aurillaco, de quo geminas conchas fabricavit, unam in claustro, alteram ante domum Abbatialem. Plenus dierum moritur: sepelitur in Magdalene extra portam septemtrionalem, anno Domini M C XXVIII.

* Cod. Clarom. sub Allodio S. Benedicti ex castro Roquamatoris oppidi, distante.

CHRONICON

MONASTERII S. MICHAELIS

in pago Virdunensi.

CUM ad ædificandum olim testimonii tabernaculum, Domino per Moysen jubente, alius offerret aurum, alius argentum, alius autem pilos caprarum; non præjudicabatur tenuitas pauperum comparatione divitum, quoniam cuncta erant necessaria ad ædificationis usum. Legis quoque præcepto prohibebatur quosque accedere vascula manu ad altare dominiacum. Hæc autē omnia, quia indagationibus allegoricis sunt perscrutanda, ne litteræ mordacis acredinem imitans

f *Ecclesiam beati Clementis.*] Hanc ecclesiam à patre sancti Geraldi constructam fuisse, eidem perhibet sanctus Odo in lib. 2 cap. 5.

g *Comitibus Turenensi.*] Sic S. Odo Abbas Godefredum *Comitem Torennensem* vocat in lib. 1 de vita sancti Geraldi cap. 7 tametsi nunc Vicecomites Torennenses appellantur.

h *Gerbertum adolescentem*] Is est Gerbertus Scholasticus, Monachus primum Aurillacensis, tum Bobiensis Abbas, deinde Remorum, postea Ravennæ Archiepiscopus, ac demum Pontifex maximus, Silvester appellatus.

Is Raimundum magistrum suum appellat in epistola 16. Raimundus verò is ipse videtur, qui postea Abbas fuit post Geraldum, & cui Gerberti epistola 41 inscripta est *Raimundo Monacho Aurillacensi* Sane si quis ambas epistolas, nempe 16 & 45, conferat, de eodem Raimundo utrubique agi facilè intelliget. Nam in epistola 16 Gerbertus à Geraldo Abbate studiorum suorum socium postulat, *Magistrum nostrum quondam*, inquit, *Raimundum*: idipsum verò à Raimundo Monacho petit in epistola 45.

i *Raimundo sodali*] Immo potius magistro seu præceptori, ut superiùs probatum.

k *Leo Abbas de Fundo*] Id est Monasterii Fundanæ civitatis in Latio Leo iste alius est à beato Leone Abbate Cavensi, sancti Alferii successore: tametsi uterque eodem tempore florebat. Hic quidem tantùm Abbas, ille etiam Episcopus fuit Caietæ in Campania Romana Is Concilio Romano interfuit anno M LIX sub Nicolao secundo, itemque consecrationi montis Casini Alexandro II. Pontifice anno M LXXI, referente Ughello in Italiæ sacræ tomo I, ubi de ejus Monachatu & Abbatiali dignitate nulla mentio.

l *Petrus Soliacensis Decanus.*] Non Sublacensis, ut perperam legitur in Gallia Christiana. Est autem Soliacum, *Souillac*, Ordinis sancti Benedicti Monasterium in diœcesi Caducensi.

quisque vertatur in nauseam; noverit difficillima observatione quæque Mosaicæ legis amaricata, gratia Evangelii medulcata: nec crederet non posse placari Deum, nisi cruore mugientium taurorum, oviumque balantum, seu caprarum: sed qualicumque vili dumtaxat portiuncula, quod manus ejus invenerit, non odore uberrimo, sed devotione intendat offerre humillima; meminerítque illius evangelicæ viduæ duo æris minuta pluris pretii æstimata, quàm cujuspiam auri talenta immensa.

His & similibus divinæ clementiæ provocatus documentis, maximéque postulatus à Patribus Monasterii sancti Michaëlis, amplius autem à domino NANTERO Abbate ejusdem loci, Patre meo, senectutis baculo, cujus ope utcumque sustentor & amminiculor; statuti summatim succinctéque de loci ejusdem structura à fundamento, veluti superficiem tangendo perstringere: dehinc de Abbatibus usque ad ipsum, quàm verissimè potero, paucis absolvere: antiquiora verò à fidelibus viri narrata, vera vel veri similia, idcirco decrevi abbrevianda, quia nullius eorum, præter unius, dico autem SMARAGDI, scripto, vel visu, vel auditu perceperim. De præsentis autem viri, scilicet Nanteri, actibus latiùs & veriùs dilleri poterit, cùm ad id loci ventum fuerit: cum quo fere quinquennio commoror, & quem à pueritia, priusquam pubesceret, novi; cujus mores & disciplinæ normam licebit dicere, minimè verò laudibus efferre, prohibente sententia Salomonis: *Ne laudaveris*, inquit, *hominem in vita sua. Omnis enim homo in fine probatur.* Obsecro autem eos qui hæc forte lecturi sunt, ne causentur propter solœcismos aut metacismos, vel quid horum simile frequentiùs incurrisse, seu hominis negligentiâ narrationis seriem vitiasse: sed dictum prudentis meminerint, Omnia, inquit, fert ætas, animum quoque. nec propter plumbeam fistulam, limpidissimam abjecerint aquam: sed si quid negligentiùs dictum repererint, fraterna dilectione supportantes corrigant; si quid autem utile, tenaci glutino cordis trajiciant fundo, & ad ædificationem posterorum hæc utcumque descripta pernotescant.

Eccl. 11. 30.

Virgilius Egl. 9.

De notitia fundatoris nullum hactenus evidentius scriptum invenimus, præter quod in testamento ipsius de fundatione loci ipse ita loquens introducitur: *Ego* WOLFANDUS *Comes*, *filius* GISLARANNI, *&* ADALSINDA *conjux mea*, *filia* ADALBERTI, &c. de tempore autem ita ibidem legitur: *Anno* XIIII *regni domini mei Childeberti.* & in altero testamento: *Anno* XV *domini mei Childeberti Regis.* item in alio testamento: *Anno* II *domini mei* THEODORICI. Quia igitur in nulla Chronica reperimus aliquem Childebertum, vel aliquem Theodoricum proximis inter se regnasse temporibus, præter Childebertum Brunichildis & Sigisberti filium, & Theodoricum, ipsius Childeberti filium; ideo sub ipsorum temporibus prædictum Comitem Wolfandum fuisse cognoscimus.

Ceterùm à senioribus nostris traditum habemus, quòd ipse Princeps Wolfandus orationis gratiâ Garganum montem in Apulia regione maris Adriatici aliquando adierit, & pignora reliquiarum inde sumta detulerit, spondens in honore sancti Michaëlis Archangeli se fabricaturum ecclesiam, & de proprietate quibus affluebat rerum copiosè ditaturum. Reversus ergo in patriam cogitabat anxius, quoniam in loco quod cupiebat & quod promiserat, fabricare posset.

Erant in confinio prædicti montis qui tunc CASTELLIO, nunc autem Vetus-Monasterium vocatur, prædia ejusdem Principis Wolfandi, unde frequentiùs solitus erat abrupta montium & concava petere vallium, peragrans lustra saltuum delectatione venatûs pro captione ferarum. Quocumque autem ibat, ferebantur secum pignora reliquiarum, ne qua negligentia careret thesauro haud parvo acquisito. Una igitur dierum jubet sibi in eodem monte Castellionis parari prandium, ut post exhilares venationis labores cum suis convescens, ab ardoribus solis defenderetur arborum umbris. Horâ denique qua jusserat, ventum est ante Principem: non cum strepitu; sed reverenter assidentes recumbunt. Sacerdos reliquiarum portator eminus respiciens, in ramis cujusdam arbusculæ capsellam cum reliquiis suspendit, deinde fit conviva cum ceteris: tenebris sole fugato mersoque in oceano, quique festim ad propria cum Comite redierunt. Sacerdos hac festinatione reliquiarum oblitus, domum perveniens, memor sui neglectûs, quantocius eò reversus, quod reliquerat invenit; capsellam pendentem in arbore, porrigens manum, dum cupit apprehendere, videt altiora petere. Conscendens igitur arborem, quanto altiùs protendit manus, tanto sibi conspicit fieri longiùs, desperans omnimodè jam de comprehensione. Reversus nuntiat Comiti & satellitibus factum mirabile: qui concito gradu eò regressi, divinam cernentes manifeste virtutem adorant: lætique Deo & Archangelo Michaeli grates agunt, quia ad exsequendum gloriosi Principis desiderium locum se elegisse talibus declarabat indiciis.

Celebratis igitur in Dei & Archangeli veneratione noctis illius excubiis, facto mane Comes ad incipiendum desideratum opus anhelans, sed reliquiarum recuperatione dubitans; ne arborem succidens temeritatis culpam incurreret, ante ipsam devotus ad orandum prosternitur: surgensque, mirum dictu! videt arborem ad eam se mensuram contraxisse, ut capsella facilè manu capi posset. Tunc præ gaudio lacrymis perfusus, cum multa reverentia accedit ad capsam: quam complexus diutius osculabatur, deinde lacrymis roratam Sacerdoti reddit. Mox ad sanctum opus religiosus operator accingitur, arborem succidit, & in gyrum ejus fundamentorum sarculo jaciendorum spatia designat, truncum scilicet includens, ut altari ibi postea superstructo & ipse cum ceteris reliquiis sepeliretur. Quod cùm postea ædificio expleto factum sit, ad conservandam tanti miraculi memoriam & ad repræsentandum divinæ virtutis indicium, ipse truncus ita sub altari sepultus adhuc usque hodie se vivere manifestat, dum per murum altari contiguum stipitem ex abdito foras emittens, ramorum densitate murum extrinsecùs vestit, & in nuces annuatim fructificat, quæ ægris etiam multoties profuisse probantur.

Constructo itaque Monasterio, religiosus Comes Monachorum turmulam ibi aggregavit, & ad earum usus quidquid habebat, per testamenta donavit: quæ modò jam vetustate confecta, vix nisi rescriptorum amminiculo legi queunt. Deinde ne sæcularium frequentatio occasione orandi Deo vacantes postmodum inquietaret, haud longè ab ipso Monasterio, à latere meridiano ecclesiam in honorem beati Petri Apostoli construxit, in qua sibi suisque divina celebraretur. Similiter & domina ejus conjux Adalsinda inter utramque illarum ecclesiarum capellam in honore Dei Genitricis constituit, in qua & ipsa secretiùs oraret, & divinum cultum exsequeretur: ubi etiam usque hodie sepulturæ unius cujusque & unius ipsorum infantuli conspiciuntur. Post decessum autem ipsorum Monasterium sub tuitione Regum, infra quorum regni terminos consistebat, conservatum est, & eorum largitionibus ampliatum, privilegiis roboratum: in quibus tantam loci liber- NOTA.

Abbas prædicti Monasterii sancti Michaëlis dedit duobus fratribus, Widoni & Stephano, septem mansos & dimidium cum molendino in villa Ormarilcurte super fluvium *Marræ*, eo pacto, ut solvant singulis annis xv solidos Kal. Maii, aut xxx modios vini in festo sancti Remigii & , si motus fuerit aquæ, xxx anguillas in festo sancti Andreæ.

Ipsius Ducis tempore facta est commutatio inter CAROWARDUM * Abbatem, & Valterum quemdam nobilem, dante Abbate quidquid erat sancti Michaëlis in villa Torralias, & Valtero dante quidquid habebat in villa de Losa, ita ut post decessum ejus utrumque esset juris ecclesiæ.

* al. Sarovardum

Ante hujus Frederici tempora, regnante scilicet Ludovico Arnulfi Imperatoris filio, prædecessore Henrici primi, quidam Comes ANSELMUS dedit sancto Michaëli in perpetuum quidquid habebat apud Saponerias: itaque STEPHANUS Abbas & Episcopus concessit ei & filio ejus Theutero tenere Harevillam in vita sua, ut post utriusque decessum emeliorata in jus Monasterii rediret.

Illo Frederico rebus humanis exempto, cùm filius ejus Theodoricus in principatu ei successisset, & super Abbatiam dignitate Advocati potiretur; ille cujus præcipuè causâ hoc opus insumimus, ille, inquam, dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione semper erit, domnus scilicet Abbas NANTERUS, inter celebres monasticæ religionis personas quasi stella matutina gloriosus emicuit. Hæc de præfati Monasterii antiquitate, & de quorumdam Abbatum ejusdem loci vel Regum successione ab ipso fundationis exordio usque ad nostra tempora, sola ea, quæ scripto potiùs quàm relatu colligere potuimus, simpliciter & succinctè perstrinximus.

Nunc ad propositam nostræ narrationis seriem reflectamus articulum, & vitam & mores actusque domni NANTERI, quomodo prælatus honore, præmotus ordine, qualiter cum ætatis augmento in annis juvenilibus augmentatus sit morum disciplinis, nihil falsi de nostro intromittentes velut adulationis garritu, exsequamur: quippe quoniam cum eo conversamur, & magis vita quàm audita narrabimus.

Hic igitur adhuc adolescentulus ab Abbate suo in discipulatu Capellani constitutus, frequenter cum eo ad palatium & per plura locorum habuit comitatum, & in tantum prudentiæ in brevi accrevit, ut Abbas velut fastidiens mundialis pompæ negotia, eum jam quasi consecretalem primorum existimaret, & cujus fidei possent committi quæ sunt tacenda, præter quibus diriguntur, secreta legationum & consiliorum. Denique Dux THEODORICUS, cujus ditioni Abbatia subdita erat, eum jam bene cognitum ad quoscumque Regni Principes dirigebat legatum, & maximè ad consobrinum suum Regem Francorum: quoniam noverat eum in responsis acutissimum & linguæ Gallicæ peritiâ facundissimum.

Processu verò temporis non modico evoluto, Abbas Cœnobii ejusdem vitâ decessit: cum voto & applausu sanioris consilii Fratrum præfatus Princeps Monachum sibi dilectum, non ætatis juventam, sed morum attendens industriam, honore donat prælationis, rerum administrationem concedit, Virdunense Pontifice præsente: à quo suscipiens curam animarum, statim benedictionis apice ad id officii congruente sublimatus est. Adeptus ergo duplicis culmen honoris, terrenarum videlicet provisionem rerum, salvandarum quoque (quod majus est) curam animarum, sollicitabatur noctes dieque, ne quid dispendii sub sua cura restringeret. Utriusque rei culpabatur à compluribus priorum negligentia conversatio vitiosa: quod quia in propatulo est, ne cui adhæserit animo, quid hujusmodi referre pudet. Vir itaque strenuus quod erat vitii quomodo rescecet, & quod virtutis inferat auxius, quoniam per se solum id fieri non posse considerabat; prudentissimum adiit virum RICHARDUM Abbatem, sub eodem tempore in sanctæ religionis cultu nominatissimum: cujus consilio fretus & auxilio, de Fratribus quos in eodem loco invenit, instruendos ei committit; & de suis quos secum retinuerat ut docerent, aliquos caritatis largitione abduxit. Propitiante itaque divina clementia altrinsecus operata caritas, & petitorem levat onere sollicitudinis, & largitorem manet bravium dignæ retributionis. Tanta est veræ caritatis sublimitas, quæ præstantiorem afficit utrumque nescia fallere veris Christicolis unanimitas.

Opportunè igitur cunctis pro temporum qualitate ordinatis riteque compositis, insuetæ peregrinationis insolitus pedes arripit iter, & pro quotidianis excessibus Romam orationis gratiâ ad limina usque Apostolorum properare contendit. Sumtis itaque stipendiis tanto itineri necessariis, valedicens Fratribus, cum benedictione regulari juxta morem in viam exeuntium novus proficiscitur peregrinus: junxitque se ei quidam Clericus Coloniæ Canonicus ejusdem gratia devotionis, qua & ipse Romam petens causâ orationis, cui accessus & recessus viarum & difficultates Alpium (nam frequenter illuc ierat) & quæque locorum nota erant. His ergo, ut est consuetudinis, sermone viam alleviantibus, placet utrisque simul gradiantur, ut nescius itineris à se antè intacti erudiatur à superveniente socio, ut isdem locorum peritus capiat solatium de collocutione fraternæ dulcedinis. Igitur cum in dies mutuis confabulabantur colloquiis familiariùs, & satis alterius animus alteri sit notus; Abbas rem priùs nemini creditam conviatori aperit, & sibi super ea, si valeat, opem ferat precatur: scilicet ut de sanctorum corporibus Martyrum, quorum multitudo Romæ excedit numerum, sua opera pecuniis quibus urbis accolæ nimiùm inhiant, quoquo modo aliquid extorquere possit. At ille priùs defigens terræ obtutus, paululum obticuit: dehinc capite erecto respondit, nulla ratione se in hoc negotio ei posse subvenire; habere autem Romæ quemdam Abbatem, sibi fidum amicum, apud quem solebat hospitari, ubi & ipse, si vellet, ad hospitandum divertere posset. Quia verò Abbas confessus fuerat, Deo vitam concedente se montem usque Garganum profecturum; ab eo responsum accepit, ut sua omnia sibique obsequentes fidei suæ committeret, & cum paucis quò disposuerat pergeret, sub titulo confessionis quæ sibi crediderat, hospiti confitens, instando precibus & promissionibus, ut interim dum rediret, suo desiderio satisfaceret: aliter non posse, nec scire sibi succurrere, communi fide qua vivimus & per Deum obtestans. Tandem igitur finito Romanæ peregrinationis itinere, perventum est ad Monasterium, quod præfatus laudaverat Clericus: ibique, ut promiserat, Abbas loci ejusdem hospitibus cuncta humanitatis exhibet obsequia: & ob laborem longioris viæ aliquantum temporis remorantes, lassitudine fatigata hortatur ut quiete refoveant membra. Abbas verò qui novus venerat hospes, frequenter dicto suadente Clerico, comites & omnem quam secum abduxerat supellectilem, præter quod ei sufficeret, Abbatis committit fidei; festinusque cum paucis montem Garganum petivit, multis precibus, ut à suo conviatore fuerat edoctus, super prædicta qua ampliùs angebatur causa obstrictum relinquens prædictum apud quem hospitabatur Abbatem: deinde celeriùs quàm æstimari possit, maximè autem revocante se qua sollicitabatur causa requirendarum reliquiarum, revertitur ad hospitium; quidquid petierat,

& in promissis acceperat repetens infectum. unde nimium tristis in patriam quantocius festinat regredi: sed aliter quàm putaverat, ei contigit. Nam desperans penitus de acquirendis Martyrum pignoribus, dum (sicut dictum est) reverti festinat, in infirmitatem decidit, ut pæne nemo fuerit eum adspiciens, nec ipsemet, qui de vita ejus non desperaret.

Spatio igitur ibi trium hebdomadarum retardatus, cùm jam paulatim Dei se respiciente clementia meliorari cœpisset; iterum atque iterum eum suo hospite super quod eum appellaverat, priorem cœpit replicare sermonem, ne se vacuum sineret redire, sed sui voti compotem, si posset, efficeret. At ille obtulit ei quædam ossa, dicens de corpore Stephani Papæ esse & Nemesii ejus Diaconi: ea, si vellet, pretio emeret. Cui ille: Audivi, ait, multos nostrorum simili errore delusos; nec sic facilè credas me posse deludi. Nisi enim videro sepulcrum hactenus intactum, & cujus membra intus jaceant, me scriptura docuerit; noveris nullatenus quidquam pretii à quoquam mihi extorqueri. Penes me, ait hospes, non est alia spes recuperandi: sed quia te video inflexibilem ab hac intentione, fraterna dilectione tibi compatior, & ut hodie profectionem intermittas hortor, donec quemdam alloquar cimiteriorum custodem, si quo modo tuis votis prodesse possim. Hæc dicens, properat ad quemdam apud sanctum Valentinum commorantem, cuncta quæ didicerat per ordinem edocet. qui auditis hujusmodi causis affatim gavisus est, magis autem promissis illectus pecuniis assensum præbuit, corpus sancti Callisti Papæ se daturum pollicitus, omniaque, sicut Abbas ipse requirebat, se ostensurum promisit, & intactum usque nunc sepulcrum, & (quemadmodum in gestis Passionum legitur) in superficie tabulæ marmoreæ epitaphium exaratum, dummodo in dandis promissis fides adhibeatur dictis. Conventione igitur facta ventum est ad cimeterium, ubi semper ardent lampades. quo in loco altrinsecus fit juramentum, Abbati cimeterii custode in eodem loco, ut libri Passionum & præsens epitaphium docebat, corpus esse Callisti Papæ, propria manu jurante; & è contra jussu Abbatis Nanteri Monacho suo super sacra spondente, quod promissum erat pecuniarum die denominato mittendum.

Post compositas utrimque sponsiones Monachus arrepta securi tentabat marmoreum avellere tabulatum, quo claudebatur sepulcrum. nam undique cæmentarii artificio sæptum durius lapide fuerat effectum, nec ullo modo junctum potuit cæmentum dividi. quin etiam recusæ secures & bipennes confringebantur, in eminenti loco prospiciente speculatore, ne aliquo superveniente furtum, quod cum grandi fiebat pavore, quodque illis erat in reatum, istis in remedium, quoquo modo foret deprehensum. Sed cùm Monachus nulla ratione marmoream tabulam, ut præfatum est, indissolubili glutino cæmenti compactam valeret effringere; levata securi audaciùs librat ictum in tabulæ medium, quæ claudebat monumentum: defossumque thesaurum omni gemma pretiosius invenit repositum interiùs. quod assumens detulit Abbati ad hospitium, qui nondum ea toto convaluerat: sed domi recumbens cooperatorem Monachum & sibi fideliter obsequentem inter spem metumque positus exspectabat. quem venientem, & quod optabat deportantem, ineffabili suscepit lætitia. Membra Martyris devotè complectitur, linteaminibus novis & candidis involvit, & cum omni festinatione in patriam accelerat reditum, ducens secum illius Abbatis quemdam Monachum, nomine CRESCENTIUM, ad pecunias quas promiserat, reportandum.

Sequenti nocte dum gratiâ soporis petiit stratum, tangitur hujusmodi somnii visu. Videbat, quasi in Monasterio sancti Petri ab ipso Apostolorum principe cuncti residerent Romani Pontifices per ordinem, deesse vero Callistum, locumque sessionis ejus vacuum; nec usquam requisitus poterat inveniri. Expergefactus intellexit visionem, quoniam Roma sive Italia illum procul à se factum amiserat, quem Gallia suscepit ac veneratur, cujus meritis & precibus decoratus virtutum prodigiis & miraculis innumeris, eo loco maximè, ubi sacratissimum corpus ejus à Christicolis fide vigentibus devotè percolitur. Prædictus Abbas, videlicet domnus Nanteros, prioris qua detentus fuerat infirmitatis oblitus Deo sibi opitulante, sanctoque Martyre intercedente, cum magna cordis exsultatione revertitur, gratias Deo agens bonorum omnium largitori, quo protegente, cuncta sibi ad votum successerant, & in cunctis ad quæ se verterat, justo dumtaxat Dei nutu prospera pervenerant, præstante gratia Domini nostri JESU CHRISTI, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Peracto diu optatæ peregrinationis itinere, tandem cum thesauro quod secum ferebat, ad locum, qui vetus Monasterium nuncupatur, pervenit, & in ecclesiam sanctæ Mariæ parieti Monasterii adhærentem membra beati Martyris in arca sigillo & cera munita cautus custos juxta altare diligenter deposuit. Pennâ citivolâ propè longeque manentium aures diverberat fama, Româ redeuntem detulisse Abbatem Sancti cujusdam ossa, cujus meritis dicebantur divinitus fieri mira portenta. Confluit eo uterque populi sexus cum votis & oblationibus, cereorum scilicet luminibus, aliarumque rerum deportatione, Dei & Sanctorum ejus obsequiis competente, alii animarum, alii corporum morbis curari cupientes. Nec duorum aut trium eget testimonio pæne omnibus circumquaque degentibus notum, quod referre in primis volumus miraculum, &c.

Charta CAROLI MAGNI

De libertate loci Monasterii S. Michaëlis.

CAROLUS Dei gratiâ vir illustris, Francorum Rex. Tunc regalis celsitudo fundamenta sui culminis corroborat, quando petitionibus Sacerdotum studet pro eorum quiete vel juvamine obaudire, & ad effectum in Dei nomine mancipare. Cùm itaque venerabilis vir HERMENGAUDUS Abbas sive Episcopus de Monasterio Castellionis in pago Virdunensi, in fine Vindemiaca, ubi consurgit fluvius Morsupia, quod illuster VULFANDUS & conjux sua ADALSINDA in eorum proprietate, in honore sancti Michaëlis Archangeli, vel ceterorum dominorum Sanctorum, ubi ipse cum norma plurima conversari videtur, noscitur construxisse, integra immunitate omnes res, villas, vel facultates, & quidquid præsenti tempore in quibuscumque pagis & terreaturis in Regno Deo propitio nostro, tam ex allode, quàm de comparato, vel de quolibet attracto, seu ex munere Regum præsenti tempore videtur habere, aut quidquid inantea attrahere, vel meliorare potuerit, & quidquid à Deum timentibus bonis hominibus ibidem additum vel collatum fuerit, pro mercede nostra visi fuimus concessisse, sicut bonæ memoriæ dominus & genitor noster PIPINUS quondam Rex fecit, ut nullus judex publicus nec ad causas audiendas, nec freda exigenda, nec mansiones aut paratas faciendas, nec ullas requisitiones inquirendas nec exactandas, nec ad homines suos, tam ad ingenuos, quàm ad servien-

tes, qui super terram ipsius Monasterii commanere videntur, nec fidejussores tollendos, nibi judiciaria potestas penitus ingredi non præsumat: sed jam dictus Hermengaudus Episcopus, aut pars ipsius Monasterii; omnes res vel facultates suas sub immunitatis nomine & omnia feuda concessa debeat possidere, & dominare. Ideo per præsentem præceptionem decernimus ordinandum, quod in perpetuum volumus esse mansurum, ut neque nos, neque juniores successores nostri, nec quilibet ex judiciaria potestate, nec de parte pontificum, nec ad quemlibet hominum, in res vel facultates ipsius Abbatis sive Episcopi, vel Monasterii sui, quidquid præsenti tempore, tam ea allode, quàm de comparato, vel de quolibet attracto, seu ex munere Regum habere videtur, aut quidquid adhuc inantea attrahere, vel emeliorare potuerit, & quod à timentibus Deum bonis hominibus additum vel collatum fuerit, ibi judiciaria potestas ingredi penitus non permittatur: sed, ut diximus, ex nostra indulgentia jam dictus Abbas sive Episcopus Hermengaudus, aut pars Monasterii sui, vel unius congregatio ibidem existentium, aut successores sui, sub integra immunitate omnia feuda concessa debeant possidere & dominare, ut ibidem in ipso sancto loco nostris & futuris temporibus Deo adjuvante in luminaribus proficiat in augmentum, unde & ipsa congregatio pro stabilitate Regni nostri, vel pro salutis patriæ prosperitate Domini misericordiam jugiter debeant exorare: & nullas requisitiones & impedimentum à judicibus publicis aliquo tempore, nec à nobis, nec à succedentibus Regibus, nec de parte fisci nostri, nec de qualibet exinde habere non pertimescat. Et ut hæc præceptio nostra firmior habeatur, vel per tempora melius conservetur, manu nostra propria subscripsimus, & anulo nostro sigillari decrevimus. Signum CAROLI gloriosissimi Regis. Datum in mense Maio, anno quarto regni nostri. Actum Drippione in Palatio regio publico.

Charta LUDOVICI PII & LOTHARII filii ejus,

De libertate electionis Abbatis.

IN nomine Domini & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, LUDOVICUS & LOTHARIUS divina ordinatione ac providentia Imperatores Augusti. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet & futuris, seu etiam successoribus, quia concessimus non solùm veteri Monasterio, quod dicitur Castellio, sed potiùs novo, quod Domino opitulante nostro tempore à fundamentis ædificatum est, nuncupante Marsupium, quod est situm in pago Virdunensi super fluvium Mosæ vel rivulum Marsupium, constructum in honore sancti Michaelis Archangeli, ubi præsenti tempore auctore Deo Abbas SMARAGDUS præest, & Monachis ibidem per tempora degentibus: ut quandoquidem divina vocatione supradictus Abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipsi Monachi inter se invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum Regulam sancti BENEDICTI regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum licentiam habeant eligendi Abbates: quatenus ipsos servos Dei qui ibidem famulantur, pro nobis & conjuge prole que nostra ac stabilitate totius Imperii nostri, à Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manibus propriis nostris subterfirmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Charta LUDOVICI PII

De quadam commutatione à SMARAGDO Abbate facta

IN nomine Domini Dei & Salvatoris JESU-CHRISTI LUDOVICUS divina ordinatione & providentia Imperator Augustus. Si nos ea quæ fideles Imperii nostri procerum opportunitatibus inter se commutaverunt, nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, & hoc ipsum postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, industria, quòd vir venerabilis HILDOINUS Abbas innotuit serenitati nostræ, eo quòd Smaragdus religiosus Abba ex Monasterio sancti Michaelis, quod est constructum in pago Virdunensi super fluvium Marsupii, ubi ipse ingreditur in fluvium Mosam; necnon & quidam homines his nominibus, Adalhardus, Rodaldus, & Aldarnus, de quibusdam rebus pro communi utilitate & compendio nuperrime inter se commutationem fecissent. Dedit igitur prædictus Smaragdus Abbas ex ratione Monasterii sui prædictis hominibus ad eorum proprium ad habendum in pago Barrense, in fine vel villa quæ vocatur Lauziacus, mansum unum cum terminis & laterationibus suis: & è contra in compensatione hujus rei dederunt memorati homines Abbati ad partem jam dicti Monasterii sui ex eorum proprio in pago Virdunensi, in fine vel villa quæ vocatur Godmovilla, pratum unum. Unde & duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas, se præ manibus habere professus est: sed pro integra firmitate petiit celsitudini nostræ, ut ipsas commutationes denuo per nostrum mansuetudinis præceptum pleniùs confirmare deberemus. Cujus petitioni denegare noluimus: sed sicut unicuique fidelium nostrorum justè petentium, ita nos illis confirmasse, atque in omnibus concessisse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut quidquid pars justè & rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat; vel quidquid exinde facere voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio.

Charta LUDOVICI PII

De libertate & immunitate prædicti Monasterii S. Michaelis.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, LUDOVICUS divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quam futurorum, sollertia, quia vir venerabilis SMARAGDUS Abbas ex Monasterio Castellionis, quod Marsupium nuncupatur, quod est constructum in

honore sancti Archangeli Michaelis & sanctæ Mariæ semper Virginis, vel sancti Petri Apostolorum principis, detulit nobis immunitatem domini & genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ pissimi Augusti, in qua invenimus insertum, quòd ipse & antecessores ejus, Reges priores videlicet Francorum, præfatum Monasterium propter divinum amorem & reverentiam ipsius loci sancti, semper sub plenissima defensione & immunitatu tuitione habuissent. Ob firmitatem tamen postulavit nobis prædictus Abbas Smaragdus, ut in amorem Dei & reverentiam prædictorum Sanctorum paternæ auctoritati firmitatis gratiam nostram superadderemus & auctoritatem. Cujus petitioni nos libentèr acquievimus, & ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostræ auctoritatis confirmavimus. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex vel quilibet ex judiciaria potestate, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti Monasterii, quas moderno tempore justè & legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii, tam ingenuos, quàm & servos super terram ipsius Monasterii commanentes, injustè distringendos, vel ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt, penitus exigere præsumat: sed liceat memorato Abbati suisque successoribus res prædicti Monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere; & quidquid exinde fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione præfato Monasterio concedimus, ut in alimoniam pauperum & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat perpetuis temporibus in augmentum: quatenus servos Dei, qui ibidem famulantur Deo, pro nobis & conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius Imperii nostri à Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Dominum exorare delectet. Et ut hæc immunitatis nostræ auctoritas firmior habeatur, & diligentiùs conservetur, manu nostra propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Datum sv Nonas Junii, Christo propitio, anno tsi imperii domini Ludovici serenissimi Imperatoris, Indictione nona. Actum Aquisgrani Palatio regio in Dei nomine.

Charta Ludovici Pii

De libertate carrorum & sagmariorum.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Vicariis, & Centenariis, Telonearis, Actionariis notum sit, quia concessimus Monachis in Monasterio, quod est situm in loco qui dicitur Castellionis, quod nuncupatur Mansurpium, quod est constructum in honore sancti Michaelis Archangeli & sanctæ Mariæ semper Virginis, vel sancti Petri principis Apostolorum, degentibus, ubi etiam vir venerabilis Smaragdus Abbo præest, ut de carris & sagmariis necessaria ipsius Monasterii vel congregationis ibidem Deo famulantibus deferentibus, nullus teloneum, aut alias quaslibet exactiones requirere aut exactare præsumeret. Item neque de patellis quæ sunt in Marsallo & in subteriori Vico, aliquod tributum de hoc quod ad opus necessitatemque defertur, exigere præsumerent; sed in nostra eleemosyna concessum atque indultum habeant. Unde jubemus atque præcipimus, ut nullus quislibet de carris aut sagmariis prædictorum Monachorum necessaria deferentibus, undecumque fiscus teloneum exigere poterat, ullum teloneum, aut tranaticum, aut portaticum, aut pulveraticum, aut ullum excursum, vel ullum censum aut ullam redhibitionem accipere audeat: sed licitum sit eis absque alicujus illicita contrarietate, per hanc nostram auctoritatem, homines eorum cum carris & sagmariis illorum cum his quæ deferunt, libere atque securè ubicumque properant, ire & redire: & si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut vendiderint, nihil ab eis prorsus (ut dictum est) exigatur. Data tv Nonas Septembris, anno tertio imperii Ludovici pissimi Augusti, Indictione X. Actum Aquisgrani Palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Charta Ludovici Pii.

De dono & libertate cellæ de Sallona.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator semper Augustus, ac Francorum Rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ retributionis ac remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quàm futurorum, sollertia, quòd nos devotionem nostram specialem habentes ad Monasterium almi Michaëlis gloriosissimi Archangeli, quod est situm in Imperio nostro super fluvium Mosæ, ubi fluvius Marsupii intrat in Mosam, prout avus noster Pipinus & genitor noster Carolus Magnus habuerunt, qui illud Monasterium cum Duce Wolfardo fundaverunt, eidem Monasterio donamus cellam de Sallone cum villa, quæ dicitur *Lertianz*, villam quæ dicitur Fezonis-curtis, villam Plugeandis, villam Abonis-curtis, villam *de Romans*, mediam partem Almericurtis, septem mansos in Malodicurte, villam quæ dicitur Moricurtis, villam Curcellæ, cum omnibus dictarum villarum appendiciis, servis, ancillis, bannis, finagiis, aquis salsatis & non salsatis, aquarumve decursibus, cum nemoribus, pratis, terris cultis & incultis. quam quidem cellam Sallonæ dictus genitor noster Carolus Magnus fundaverat in honore sanctorum Dionysii & Privati. Volumusque & præcipiendo jubemus, ut nullus Princeps, nullus judex, vel quislibet ex judiciaria potestate, in rebus prædictis præsumat attentare ultra voluntatem Monachorum prædicti Monasterii sancti Michaëlis. Et hanc donationem ob hoc fécimus, ut pro remedio animæ nostræ, conjugis & prolis, & pro Imperii totius statu Dominum assiduè exorare studeant. Et ut hæc per omnia tempora inviolabiliter observentur, manu nostra propria subter firmavimus, & bullarum nostrarum impressionibus insigniri fecimus. Data octavo Kalendas Julii, Indictione decima, octavo regni * domini Ludovici imperantis in Francia, & imperii ejus anno secundo. Actum Compendio Palatio regio in Dei nomine feliciter. * Nota.

ADNOTATIONES.

MONASTERIUM *sancti Michaëlis in pago Virdunensi condidere Wolfandus Comes, filius Gislatanni, & Adalsinda conjux ejus, Adalberti filia,* anno xiv Childeberti Regis, *ut praferunt eorum littera citata in præmissa hujus Monasterii historia, quam Monachus anonymus tempore Nanteri Abbatis,*

sub initium sæculi XI compositus. Idem auctor alias memorat Wolfandi litteras (testamentum vocat) datas anno secundo Theodorici Regis. Priores litteras anonymus de Childeberto, Sigiberti & Brunechildis filio; posteriores de Theodorico ipsius Childeberti filio interpretatur: ratus nullum alium, sive Childebertum, seu Theodoricum, proximus inter se regnasse temporibus. Aliam inivere sententiam recentiores nonnulli, Sigebertum secuti Monachum, qui Wlfoaldo Majoris-domus Childerici tribuit Monasterii S. Michaëlis conditionem ad annum DCLXVII. At certum existimo, eam regnante Childeberto tertio, qui ab anno DCXCV ad DCCXI Francis imperavit, contigisse; & quidem anno DCCIX, qui sequenti ineunte, qui Childeberti annus regni quartus-decimus fuit. Id confirmatur diplomate Pippini Regis, quo Monasterio Dionysiano concedit locum aliquem in pago Viedunensi, qui appellatur ad montem sancti Michaëlis Archangeli, super fluvio Marsupio * quem Wlfoadus quondam, inquit, pro vita sua, id est pro vitanda morte, nobis dedit, pro eo quòd illud castellum ibidem volebat ædificare ad inimicos nostros recipiendos, sicut comprobatum est: & ad Francorum judicium propter hoc missus fuit ad causas. quæ litteræ datæ sunt Compendio, anno quarto regni Pippini, apud Dublerium. In his porro litteris Wlfoalde nomine, quem ad Pippini Regis tempus pervenisse constat ex hoc loco, non alium, quam Wolfandum Comitem Cœnobii sancti Michaëlis auctorem designare intelligitur, tum ex nominis similitudine, tum ex loci dominio. Certè Cœnobii sancti Michaëlis auctor à Sigeberto Wlfoaldus appellatur: & locus in litteris Pippini designatus, in quo Wlfoaldus castrum ædificare voluerat, idem ipse est, in quo Wolfandus Cœnobium ædificavit. Ejus enim situm Carolus Magnus in privilegio, quod anno quarto regni sui concessit Hermengaudo Abbati, describit in hunc modum: Cum itaque venerabilis vir Hermengaudus Abbas sive Episcopus de Monasterio Castellionis in pago Virdunensi, in fine Vindemiaca, ubi consurgit fluvius Marsupia; quod illuster Wolfandus & conjux sua Aldasinda in eorum proprietate in honore sancti Michaëlis Archangeli, vel cæterorum dominorum Sanctorum, ubi ipse cum norma plurima conversari videtur, noscitur construxisse, &c. En utrubique locus in pago Viedunensi ad fluvium Marsupium seu Marsupiam, Wlfoaldi seu Wolfandi proprietas appellatur: quem locum Ludovicus Pius in suis ad Smaragdum litteris statuit super fluvium Mosæ, vel rivulum Marsopium, id est, ut in aliis explicat, super fluvium Marsupii, ubi ipse ingreditur in fluvium Mosam. Denique in postremo Ludovici Augusti diplomate superius edito, Pippinus & Carolus Magnus perhibentur sancti Michaëlis Cœnobium condidisse cum Wolfando Duce, qui proinde Pippini tempore vixisse dicendus est. Hæc de istius Monasterii situ & primordiis.

* vulgo Massonpe.

Anonymus prædictus in syllabo Abbatum Ermengaudo subjungit Smaragdum, cujus elogium refert atque epitaphium, in quo Smaragdus duodecimo die, quam Sol sub Scorpionis signo erat, hoc est duodecimo die Octobris, decessisse memoratur. Ossa ejus in primario sepulcro exsistunt, nec publicam hactenus obtinuit sanctitatis appellationem. tametsi ejus scripta, ut rectè observat Anonymus, auctoris pietatem ac sanctimoniam satis probant Amicum fuisse Frotarii Tullensis Episcopi, apparet ex Frotarii epistolis prima & tertia, quæ posterior communi Frotarii & Smaragdi Abbatis nomine Ludovico Augusto inscripta est.

De ejus scriptis varia fuit hactenus auctorum sententia, aliis Smaragdo Anianensi Monacho, aliis cognomini Luneburgensi Abbati tribuentibus. Verum ea omnia quæ jam edita sunt, unius Smaragdi Abbatis Virdunensis esse, persuasum habeo. Et quidem Luneburgensis serius vixit (vixit enim sæculo X) quàm ut ei tribui possint ea: quæ Caroli Magni aut Ludovici ejus filii principatu composita esse constat. Smaragdus verò Anianensis non fuit Abbas. quod nomen mss. codices isti auctori fere tribuunt. Denique præter Anonymum jam dictum, Honorius Augustodunensis ita de Smaragdo agit in libro 4 de luminaribus Ecclesiæ cap. 6. SMARAGDUS Abbas Monasterii sancti Michaëlis. Lectiones & Evangelia in divinis officiis legenda per circulum anni exposuit, & librum monasticæ professioni congruum composuit, quem DIADEMA MONACHORUM vocavit, & Grammaticam majorem, Donatum exponendo, explicuit. Nec admittenda est commentatio Auberti Miræi, id de Monasterio sancti Michaëlis in Saxonia interpretantis, manifesto errore, cùm Monasterium istud Saxonicum seu Luneburgense conditum sit ab Hermanno Saxoniæ Duce post medium sæculum X.

Præter ea opuscula quæ Honorius enumerat, alia etiam edidit Smaragdus, nempe librum, cui titulus est, VIA REGIA, Ludovico Pio, (ut Holstenius existimat) aut certè Carolo Magno necdum Imperatori nuncupatum, qui in Spicilegii tomo 5 vulgatus est. Item epistolam Caroli nomine ad Leonem Papam III scripsit anno DCCCIX, quum Imperator pro quæstione de Spiritus-sancti processione Romam misit Bernarium Warmatiensem, Jesse Ambianensem Episcopos, & Adalhardum Corbeiæ Abbatem: quibus etiam socium dedit Smaragdum, qui collationem hac de controversia cum summo Pontifice habitam postea scriptis redegit: in quo statim ab ipso exordio satis innuit se etiam collationi prædictæ interfuisse. Collatio ea edita est apud Sirmondum in tomo 2 Conciliorum Galliæ; epistola verò in Supplemento Lalandi, cum hoc titulo: Epistola CAROLI MAGNI Imperatoris ad Leonem tertium Papam urbis Romæ directa, à ZMARAGDO Abbate sancti Michaëlis in diœcesi Virdunensi edita de processione Spiritus-sancti. Ex quo apparet, quanta Smaragdi nostri existimatio fuerit apud Carolum Magnum.

Commentarius in Regulam sancti Benedicti ab eo compositus est post Synodum Aquisgranensem anni DCCCXVII, in qua definitum est, ut alleluia in Septuagesima intermitteretur, & mensa Abbatum in communi esset refectorio. quod utrumque statutum laudat auctor in Regula capita 15 & 53. Commentarius iste perperam editus est inter opera H Rabani, cùm constet eum esse Smaragdi ejusdem, cujus est Diadema Monachorum & Via Regia. Nam in duabus istis lucubrationibus dum auctor agit de confessione, eadem verba utrubique repetit, ut patebit conferenti eu cap. 8. & eadem fere verba sunt in capitulis 7 & 17 Regiæ Viæ, quæ in capitulis 10 & 12 Diadematis cum commentario in Regula ... pus 16 Diadematis cum commentario in Regulamatis. Porro librum hunc, Diadema scilicet Monachorum, ex Patrum sententiis defloravit hortatu Josephi Abbatis, ut fidem facit codex Thuaneus, in cujus fine hæc leguntur: Hunc modicum libellum SMARAGDUS de diversis virtutibus collegit JOSEPH ABBATE, & ei nomen Diadema Monachorum imposuit: quia sicut diadema gemmis, ita hic liber fulget virtutibus. Dubium est, num Joseph iste Abbas tum fuerit sancti Michaëlis, an Smaragdus; propter hæc verba quæ leguntur sub finem præfationis: Volumus inquit Smaragdus, ut ad eorum (Monachorum) Capitulum quotidie legatur Vespertinum. demissiùs forsan locuturus, si ipse tum Abbas non fuisset.

Commentarius in Donatum, nusquam typis (quod scimus) excusus, ita inscribitur in exemplari Corbeiensi num. 524: IN CHRISTI NOMINE INCIPIT GRAM-

*f. mirificus. MATICI SMARAGDI ABBATIS MIRIFICE * TRACTATUS. *& in alio n° 525* : INCIPIT TRACTATUS IN PARTIBUS DONATI, CUJUSDAM PRESBYTERI ZMARAGDI. PROLOGUS IPSIUS. Cùm secundùm intellectus mei capacitatem Grammaticam Fratribus traderem, cœperunt aliqui audita libenter accipere, & de tabellis in membranulis transmutare; ut quod libenter auribus hauserant, frequentata lectione fortiùs retinerent. Unde occasione accepta cœperunt me suasorio sermone compellere, ut expositionis nostræ ita protelarem sermonem, ut cum auctoritatibus Scripturarum octo partes exponendo concluderem, & in libelli perfectione finirem. Quibus tandem frequenter cogentibus consentivi, & opitulante Christo usque ad finem partium expositionis nostræ sermonem perduxi. Quem libellum, non Maronis aut Ciceronis, vel etiam aliorum paganorum auctoritate fulcivi, sed divinarum Scripturarum sententiis adornavi: ut lectorem meum jocundo pariter artium & jocundo Scripturarum poculo propinarem, ut grammaticæ artis ingenium, & Scripturarum divinarum pariter valeat comprehendere sensum. & hoc quare fecerim, Lector, audi. Sunt etenim aliqui naturali simplicitate præditi, & alii sub prætextu sanctitatis occulti, & alii tarditatis ignoviâ pressi: qui aiunt, quoniam in grammatica arte Deus non legitur, nec nominatur; sed paganorum tantùm & nomina resonant & exempla: & ideo à nobis meritò calcata dimittitur & neglecta. nescientes, quia aliud est de arte tractare, & aliud de Deo loqui. Nos autem intellegentes, quia populus Israël egrediens de Ægypto, vasa aurea & argentea secum detulit, Ægyptum scilicet exspolians se vestivit; & quod à paganorum abstulit ritu, Domino obtulit in obsequio. Quod nos ejus ope fulciti, non figuraliter aut umbraticè, ut illi, sed spiritaliter & veraciter implentes, à paganis bene dispositum artis grammaticæ desciisis ingenium, & libenter illud in Domini offerimus sacrificio. *Hæc ideo retuli, tum ut auctoris consilium hoc in opere cognoscant homines litterati, si tanti est: tum ut demonstrem, Smaragdum hunc Præceptoris munus aliquando gessisse. Opus istud dividitur in libros quatuordecim, quibus in secundo codice subjicitur quintus-decimus de orthographia. Non otiosum fuerit aliquid ex libri secundi capite decimo de Patronomicis huc adferre.*

In Francorum Gothorumque genere, *inquit*, hæc patronomica species frequentatur multotiens. A parte enim gentili & à Theodisca veniunt lingua de quibus in exemplo Gothorum pauca primùm ponimus nomina, quorum hæc sunt exempla. ALTMIR, GLITMIR, RIGMIR, RAINMIR, WATMIR, WIGMUNT, RIGMUNT, RATMUNT, WIMUNT, & similia. Quorum hæc est in Latinum interpretatio. ALTMIR, namque Vetulus mihi interpretatur; GLITMIR, Decorus mihi; RIGMIR, Potens mihi; RAINMIR, Nitidus mihi; WATMIR, Vestimentum mihi; WIGMUNT, Volens bucca; RIGMUNT, Potens bucca; RATMUNT, Consilium oris. *Et infra*: Francorum patronomica secundùm Theodiscam linguam hæc sunt nomina. HELPERICH, ALTRICH, ARTRICH, AINARTH, RICHART, STEINHART, RICHARHT, RAINHART, ARCHARAT, FULRATH, TANCHRAT, FASTRATH, GOTRAHT, RAGMMAN, GUTHMAN, *al. WIZMAN ARIHMAN, RICHMAN, WITMAN *, SUARZMAN, LIUBMAN. Quorum hæ sunt interpretationes. HELPARICH, Adjutorium potens; ALTRICH, Senex potens; ARTRICH, Durus potens; AINARTH, Unus durus; RICHARHT, Potens consilium; STEINHART, Lapis durus; RAINHART, Nitidum consilium; ARCHARAT, Durum consilium; FULRATH, Plenum consilium; TANCHRATH, Grande consilium; FASTRATH, Firmum consilium; GOTRAHT, Bonum consilium; RAGHMAN, Consiliarius homo; GOTHMAN, Bonus homo; ARHTMAN, Durus homo; RICHMAN, Potens homo; WITMAN, Candidus homo; SUARZMAN, Nigrus homo; LIUBMAN Amatus homo. *Porro hoc opusculum scriptum fuisse imperante Karolo Magno, patet ex pluribus, quæ auctor de eo profert, exemplis, quale est illud in ejusdem libri cap. 21 de quatuor nominum speciebus*: Ergo si placet, sic istæ quatuor propriorum nominum species jam hodie apud nos teneantur, ut dicamus prænomen IMPERATOR, & sit illi proprium dignitatis, quod nulli alio in suo convenit regno; dicamus KAROLUS, & sit illi proprium quod accepit in baptismo; dicamus FRANCUS, & sit illi appellativum in genere suo; dicamus PRUDENS, & sit illi agnomen appellativum accidens ei extrinsecùs. *In priori tamen codice propterea quòd imperante Ludovico Augusto scriptus est, exemplum traduxit Librarius ad Ludovicum hoc modo*: Dicamus prænomen IMPERATOR, & sit illi proprium, *&c.* dicamus nomen CHLODWICUS, & sit illi proprium quod accepit in baptismo, dicamus FRANCUS, *&c.* dicamus PRUDENS, *&c. Ex qua lectionis varietate colligitur, neque Carolo superstiti agnomen srobui solitum fuisse Magno, neque Ludovico, cognomen Pio.*

Ex superioribus manifestum est, Litterarum studia in isto S. Michaelis Monasterio viguisse Abbate Smaragdo Præceptore: & verò diu perseverasse constat ex libro de vita S. Johannis Abbatis Gorziensis, qui in Cœnobio S. Michaëlis super Mosam fluvium moratus *dicitur*, ubi tum temporis Hildebaldus quidam Grammaticam professus, ex discipulis D. Remigii, quondã doctissimi ea ætate Magistri, scholas habebat.

In quodam mendoso ejusdem Cœnobii instrumento agitur de ecclesia sancti Michaelis dedicatione anno DCCCLXXIX *facta, deque veteris Monasterii instauratione, quam Henricus Imperator* anno Incarnationis Domini DCCCCLVII *incœpisse, ac perfecisse perhibetur. Hactenus subsistit S. Michaelis Monasterium sub Benedictina S. Vitoni Congregatione, quo ex loco religiosus vir Carolus Georgius Novitiorum Præfectus superius Chronicon mihi submisit.*



MONITUM.

IN bibliotheca Einsidlensi exstat unus in multis membraneus codex optimæ notæ, ante annos octingentos scriptus: in quo primum reperiuntur Notæ seu abreviationes Julio Cæsari adscriptæ, cum earum interpretatione: deinde collectio Inscriptionum Romanarum numero LXXX *cui collectioni subjecta est Descriptio regionum Urbis, ac recensio veterum ædificiorum & basilicarum, quæ tempore illo, quo hæc descriptio facta est, in Urbe stabant. Notæ prædictæ ferme conveniunt cum eis, quas exhibent Valerius Probus, Petrus Diaconus, & Petrus Apianus una cum collega suo Bartholomeo Amantio. Ideoque eas denuo recudere non visum est pretium operæ. Inscriptiones verò partim, maximè priores, apud* Gruterum, *Amantium, & Mafochium, & in* Roma Subterranea *inveniuntur: Descriptio regionum Urbis nusquam. Proinde animus erat, omissis Inscriptionibus, quæ jam apud alios vulgatæ sunt, ineditas dumtaxat hoc loco exhibere cum*

subjecta descriptione. Verùm postea aliter visum est, nempe ut integram collectionem ederemus, in margine assignando auctorum loca, ubi jam editas videre licet. Id autem à nobis factum est ob duas omnino causas. Una quod hæc Inscriptionum Romanarum collectio omnibus vulgatis antiquior sit, & fortasse prima omnium, quæ umquam factæ fuerint: cùm nulla (quam quidem sciamus) prodierit ante EPIGRAMMATA ANTIQUÆ URBIS, *à Jacobo Masochio in lucem prolata Romæ anno* M D XXI. *Ideoque antiquæ nostræ collectioni religionem habendam duximus, ut non dimidiata, sed integra publicaretur. Altera causa est, quòd nonnulli tituli, qui editis desunt, in hac collectione supplentur, uti & verba quædam & lacunæ. Sic quæ in nostra collectione integra est septima, apud Gruterum mutila reperitur, sicut & 47. Quamquam fateri decet, quasdam etiam apud Gruterum, quàm hic, esse integriores. At titulos aliquos supplet hæc collectio in Inscriptionibus 12. 23, 25, & 71. ubi aliquanti momenti erant. Inscriptio omnium postrema tempore est vigesima sexta, quæ est Honorii Papæ I. mortui anno* DC XXXVIII.

Descriptio porro veteris Romæ, etsi brevis, non parum conferet illustrandæ antiquitati: tametsi in hoc argumento jam multi desudarunt auctores, quorum catalogum accuratum exhibet Floravantes Martinellus in Roma sacra, vulgata anno M DC LIII. *Hæc præmonuisse satis, ne (quod ait Spartianus)* enormior sit prologus quàm fabula.

Pauca tandem hic observabimus in quasdam Inscriptiones, ceteras antiquariorum studio ac diligentia illustrandas relicturi.

ANTIQUA COLLECTIO VETERUM INSCRIPTIONUM ROMANARUM.

Gaut. 161 1. * al. Salario.

1 *In ponte Tiburtino* *.

IMPERANTE domino piissimo ac triumphali semper JUSTINIANO piissimo Augusto, ann. XXXVIII*, NARSAS vir gloriosissimus ex præposito sacri palatii Consul * atque Patricius, post victoriam Parthicam *, ipsis eorum Regibus celeritate mirabili, conflictu publico superatis atque prostratis, libertate urbis Romæ ac totius Italiæ restituta, pontem viæ Salariæ usque ad aquam, à nefandissimo TOTILA tyranno destructum, purgato fluminis alveo, in meliorem statum, quàm quondam fuerat, renovavit.

*al. XXXVIIII. * al. ex-Consul. * al. Gothicâ

Gr. 161. 2.

2 *In ipso ponte in Occidente.*

QUàm bene curvari directa est semita pontis,
Atque interruptum continuatur iter!
Calcamus rapidas subjecti gurgitis undas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia vestra, Quirites,
Et Narsim resonans plausus ubique canat:
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

3 *In ponte sancti Petri.* a

Imp. Cæsar, divi Trajani Parthici filius, divi Nervæ nepos, TRAIANUS HADRIANUS Augustus, Pontif. maxim. Tribuniciæ potest. XVIIII, Cos. III. P. P. fecit.

4 *In Adriano.* Gr. 461 6.

Imperatori Cæsari, divi Marci Antonini Pii, Germanici, Sarmatici filio, divi Pii nepoti, divi Hadriani pronepoti, divi Trajani Parthici abnepoti; divi Nervæ Adnepoti, LUCIO ÆLIO AURELIO COMMODO Augusto, Sarmatico, Germanico, Maximo, Britannico, Pontifici maximo, tribunici potestat. XVIII. Imperat. VIII. Consuli VII. Patri Patriæ.

5 *In alio loco pleniùs scripsi.* G r. 251. 1.

Imp. Cæsari L. AURELIO VERO Aug. Armeniac. Medic. Parthic. Pontific. M. Tribunic. pot. VIIII. Imp. V. Coss. III. P. P.
L. ÆLIO divi Hadriani filio Coss. II.

6 *In arcu S. Petri.*

Quod duce te mundus surrexit in astra triumphans,
Hanc CONSTANTINUS victor tibi condidit aulam.

7 *In arcu intus Roma.* Gr. 287. 1. *sed mutila.*

IMPPP. clementissimis, felicissimis, toto orbe victoribus, D. D. D. N. N. N. ARCADIO, HONORIO, THEODOSIO Auggg. ad perenne indicium triumpho, quo Getarum nationem in omne ævum dom. extir. arcum simulacris eorum tropæisque decora S. P. Q. R. totius operis splendore.

8 *Intus Roma.* Gr. 181. 10

FL. Philippus V. C. præfectus urbi Nymphium, sordium squalore fœdatum, & marmorum nuditate deforme, ad cultum pristinum revocavit.

9 *In forma Virginis.* Apiani. 195.

TI. CLAUDIUS, Drusi fil. Cæsar Augustus, Germanicus, Pontifex max. Trib. potest. [V] Imp. XI. P. P. Cos. desig. IIII. arcus ductus aquæ virginis disturbatos per C. Cæsarem, à fundamentis novos fecit, ac restituit.

10 *In absida* * *S. Petri.* G r. 1163 7. *al. in throno.

Justitiæ sedes, fidei domus, aula pudoris;
Hæc est quam cernis, pietas quam possidet omnis:
Quæ patris & filii virtutibus inclyta gaudet,
Auctoremque suum genitoris laudibus æquat.

11 *In ambone S. Petri.*

Scandite cantores Domino, Dominumque legentes,
Ex alto populis verba superna sonent.

Ex altera parte.

PELAGIUS jun. Episc. Dei famulus fecit, curante Juliano P. P. Scn.

a *In ponte S. Petri*] Pons iste vocabatur Ælius, teste Dione seu Xiphilino in fine lib. 69, ubi Hadrianus sepultus dicitur πρὸς αὐτῷ τῷ ποταμῷ πρὸς τῇ γεφύρᾳ Αἰλίᾳ, *juxta flumen ad pontem Ælium, ubi monumentum fecerat, propterea quod Augusti mausoleum plenum erat.* Ælius Spartianus idipsum clariùs in Hadriano: *Fecit & sui nominis pontem & sepulcrum juxta Tiberim...... cùm titulos in operibus non amaret.* Hodie *Ponte di santo Angelo.*

G s 1050. 6.

12 *In theatro.*

*V. Grut. 449. 7.

PETRONIUS * Maximus V. C. præfectus urbi curavit.

G x. 247. 4

13 *In columna Trajani.*

Senatus populusque Romanus Imp. Cæsari, divi Nervæ F. Dacico, Pontif. Maximo. Trib. Pot. XVII. Imp. VI. Cōs. VI. P. P. ad declarandum quantæ altitudinis mons & locus tantis operibus sit egestus.

G x. 10. 6.

14 *Item ibidem.*

S. P. Q. R. Imp. Cæsari, divi Trajani Parthici filio, divi Nervæ nepoti, TRAJANO ADRIANO Aug. Pont. Max. Trib. Pot. II. Cōs. II. qui primus omnium Principum, & solus, remittendo sestercium novies millies centena milia... debitum fiscis, non præsentes tantùm cives suos, sed & posteros eorum præstitit hac liberate securos JULIA Aug. mater Augg & castrorum matronis restituit. SABINA Aug. matronis.

G a. 171. 1.

15 *In arcu proximo ponti S. Petri.*

Imperatores Cæsares D. D. D. N. N. N. GRATIANUS, VALENTINIANUS, & THEODOSIUS Pii, felices, semper Auggg. arcum ad concludendum opus omne Porticuum maximarum æterni nominis sui pecunia propria fieri ornarique jusserunt.

Mafsh. 14.

16 *In thermis Diocletiani.*

D. D. N. N. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS invicti Seniores augusti, patres Imperatorum & Cæsarum, & D. D. N. N. CONSTANTIUS & MAXIMIANUS invict. Augg. & SEVERUS & MAXIMINUS nobilissimi Cæsares, thermas felices Diocletiani Aug. fratris sui nomini consecrarunt, coemptis ædificiis pro tanti operis magnitudine, omni cultu perfectas Romanis suis dedicaverunt.

Maz. 1. b.

17 *In porta Prænestina.*

Ti. CLAUDIUS Drusi, & Cæsar Augustus, Germanicus, Pontif. Max. Tribunicia potestate XI. Cōs. V. Imperator. XXVII. Pater patriæ, aquas Claudias ex fontibus, qui vocabantur Ceruleus & Curtius, à miliario XLV. item Anienam novam à miliario LXII. suâ impensâ in urbem perducendas curavit.

Maz. 1. b.

18 *Item in ipsa porta.*

Imp. Cæsar VESPASIANUS Aug. Pont. Max. Trib. Pot. II. Imp. VI. Cōs III. desig. IIII. P. P. aquas Curtiam & Ceruleam perductas à divo Claudio, & postea intermissas dilatasque per annos VIIII. suâ impensâ urbi restituit.

Maz. 1. b.

19 *Item in ipsa.*

Imp. Cæsar divi Vespasian. Aug. Pont. Max. Tribunic. pot. X. imp. XVII. Pater patriæ, Censor, Cos. VIII. aquas Curtiam & Ceruleam perductas à divo Claudio, & postea à divo Vespasiano patre suo urbi restitutas, cum à capite aquarum solo vetustate dilapsæ essent, novâ forma reducendas suâ impensâ curavit.

G x. 180. 10

20

VALENS & GRATIANUS pii, felices, ac triumphatores semper Augg. porticos areasque macello * Liviæ ad ornatum urbis suæ addi, dedicarique jusserunt.

21

C. DELLIO. A. f. ser. Voculæ Trib. milit. Leg. I. IIII. viro curando. R. Q. provinc. Ponti & Bithyniæ, Trib. Pl. Pr. Leg. in Germania, Leg XXII. primigeniæ Helviæ. T. F. PROCULA uxor fecit.

22 *In Ponte superiore trans Tiberim.*

Domini nostri Imperatores Cæsares Fl. VALENTINIANUS pius, felix, maximus, victor ac triumphator semper Aug. Pont. Maximus Germanic max. Alamann. max. Franc. max. Gothic. max. Trib. pot. VII. Imp. VI. Cōs. II. P. P. P. Et FL. VALENS pius, felix, max. victor, ac triumf. semper Aug. Pont. max. Germanic. max. Alamann. max. Franc. max. Gothic. max. Trib. pot. VII. Imp. VI. Cos. II. P. P. P. Et FL. GRATIANUS pius, felix, max. victor ac Y Germanic. Y triumf. semper Aug. Pont. max. Alamann. max. Franc. max. Gothic. max. Trib. pot. III. Imp. Cons. I. P. P. P. Pontem felicis nominis Gratiani in usum Senatus & populi Romani constitui: dedicarique jusserunt.

22 *Prope pontem balineum Juliorum Akariorum, in absida scæ Anastasiae.* G x. 1164. 6.

Antistes Damasus picturæ ornarat honore
Tecta, quibus nunc dant pulchra metalla decus.
Divite testatur pretiosior aula nitore,
Quos rerum effectus possit habere fides.
Papæ HILARI meritis olim devota Severi,
Nec non Cassiæ mens dedit ista Deo.

24 *In foro Palatini.*

Forum populo Romano domini & Principes nostri VALENTINIANUS, VALENS, & [GRATIANUS] curante Flavio Eupraxi V. C.

25 *In ecclesia scæ Savina.* G x. 1174. 10. sed sine titulis.

Culmen apostolicum cum CÆLESTINUS haberet,
Primus & in toto fulgeret Episcopus orbe,
Hæc quæ miraris fundavit presbyter urbis
Illyrica de gente PETRUS, vir nomine tanto
Dignus, ab exortu Christi nutritus in aula,
Pauperibus locuples, sibi pauper: qui bona vitæ
Præsentis fugiens, meruit sperare futuram.

26 *In absida sci Pancratii.*

Ob insigne meritum & singulare B. Pancratii martyris beneficium, basilicam vetustate confectam extra corpus Martyris neglecti antiquitatis * exstructam HONORIUS Episcopus Dei famulus, abrasa vetustatis mole, ruinaque minante, à fundamentis noviter plebi Dei construxit, & corpus Martyris, quod ex obliquo aulæ jacebat, altari insignibus ornato metallis, loco proprio collocavit. *f. antiquitus.

27 *In obelisco Baticano.* G a. 22X. 6.

Divo Cæsari, divi Julii Augusti Cæsari Aug. sacrum.

28 *In via Appia.* G x. 152. 6.

Senatus populusque Romanus clivum Martis pecuniâ publicâ in planitiem redigendum curavit.

29 *In arcu, in circo maximo.* G a. 244. 6.

Senatus populusque Romanus Imp. TITO Cæsari, divi Vespasiani F. Vespasiano Augusto, Pont. max. Trib. post X. imp. XVII. Cos. VIII. P. P. Principi suo, quod præceptis patris consiliisque & auspiciis gentem Judæorum domuit, & urbem Hierosolymam omnibus ante se Ducibus, Regibus, gentibus aut frustra petitam, aut omnino intemptatam delevit.

30 *In Septizonio.* G a. 191. 5.

Imp. Cæs. divi. M. Antonini Germ. Sarm. fil.

divi

divi Commodi frater, divi Antonini pii nepos, divi Hadriani pronepos, divi Trajani Parth. abnep. divi Nervæ ad nep.

31 *In monumento.*

Io Fr. p. xxII. in ag. p. xxvI. M. Camurius p. f. Rom. Soranus. Hoc monumentum heredem non sequitur. Sed [si] hoc monumento ullius candidati nomen inscripsero, ne valeam.

32 *Ad sanctum Sebastianum.*

O quàm cito parvulis serenitas nutrimentorum ad cruciatum vitam perducere cogitasti.

33 *In basi Constantini.*

Dn. CONSTANTINO maximo, pio, felici ac triumphatori semper augusto, ob amplificatam toto orbe rem publicam factis consulisque S. P. Q. R. dedicante ANICIO PAULINO juniore C. V. Conf. Ord. Præf. Urbi.

Mar. 4. b. — 34 *In arcu Severi.*

Imp. Cæs. Lucio SEPTIMIO M. fil. SEVERO PIO PERTINACI Aug. Patri patriæ, Parthico, Arabico, & Parthico, Adiabenico, Pontif. Max. Tribunic. potest. xI. Imp. xI. Conf. III. Proconf. & Imp. Cæs. M. AURELIO L. fil. ANTONINO Aug. pio, felici, Tribunic. potest. vI. Conf. Proconf. P. P. optimis fortissimisque Principibus ob rem publicam restitutam, imperiumque populi Romani propagatum insignibus virtutibus eorum domi forisque S. P. Q. R.

35 *In Capitolio.*

Senatus populusque Romanus incendio consumptum restituit DIVO VESPASIANO Augusto.

S. P. Q. R. Impp. Cæss. SEVERUS & ANTONINUS pii, felic. Aug. restituerunt.

* abhinc. Gr. 100. 6. — S. P. Q. R. ædem * concordiæ vetustate conlapsam in meliorem faciem opere & cultu splendidiore restituerunt.

Mar. 4. — 36 *In arcu Constantini.*

Imp. Cæs. Fl. CONSTANTINO Maximo P. F. Augusto S. P. Q. R. quod instinctu divinitatis mentis magnitudine cum exercitu suo, tam de tyranno, quàm de omni ejus factione uno tempore justis rempublicam ultus est armis, arcum triumphis insignem dicavit, liberatori urbis, fundatori quietis.

Mar. 5. — 37 *Ad VII Lucernas.*

Senatus populusque Romanus divo TITO, divi Vespasiani f. Vespasiano Augusto.

Gr. 160. 4 — 38 *In Capitolio.*

S. P. Q. R. Imp. Cæs. divi Antonini fil. divi Veri Parth. max. fratr. divi Hadriani nep. divi Trajani Parth. pronep. divi Nervæ abnep. M. AURELIO ANTONINO Aug. Germ. Sarm. Pontif. max. tribunic. pot. $\overline{XX}$. Imp. $\overline{VII}$. Cos. $\overline{III}$. P. P. quod omnes omnium ante se maximorum Imperatorum glorias supergressus, bellicosissimis gentibus deletis aut subactis.

Gr. 146. 1. — 39 *Ibidem.*

Libertati ab Imp. Nerva Cæsare Aug. anno ab urbe condita DCCC XXX. XXXII. XXXIV. oct. restitu. S. P. Q. R.

Gr. 387. 3 mendose. — 40 *Ibidem.*

CEIONIUM RUFIUM ALBINUM V. C. Conf. Filosophum, Rufi Volusiani bis ordinarii Conf. filium, Senatus ex consulto suo, quod ejus liberis post Cæsariana tempora, id est post annos CCC LXXX & I. auctoritatem decreverit Fl. Magnus Januarius, vc. cur. statuatum.

41 *Ibidem.* — Gr. 101. 1.

Pietati augustæ ex s. c. quod factum est D. Haterio Agrippa. c. Sulpicio Galba Cos. TI. CLAUDIUS Cæsar Aug. Germanicus, Pontif. max. trib. pot. III. Cos. Imp. III. P. P. dedicavit.

42 *Ibidem.* — Gr. 387. 3.

Locus adsignatus ad NIGRO & COSCONIANO cur. operum publicorum.

43 *Ibidem.* — Gr. 137. 8.

TI. CLAUDIUS, Drusi f. Cæsar Aug. Germanicus, Pontif. max. trib. potest. $\overline{V}$. Cos. $\overline{III}$. designatus IIII. Imp. x. P. P. ex S. C. CAIUS Calpetanus Statius, Sextus Metrobius, M. Perpenna Lurco, T. Satrius Decianus, curatores tabulariorum publicorum fac. cur.

44 *Ad Tiberim.* — Gr. 178. 6.

Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS Augg. perpurgatis fontium rivis, & itineribus eorum ad perennem usum refectis, Tiberino patri aquarum omnium, & repertoribus admirabilium fabricarum, priscis viris honori dederunt, curante aquas L. Ælio Dionysio cv.

45 *In monum. in via Salaria.*

Cn. Domitius primigenius & Afrania Burri lib. cenis *, conjuges vivi fecerunt sibi, & libertis libertabusque suis, posterisque eorum in fronte. p. xxxv. H. M. H. N. S. — * f. fenes.

46 *Item.* — Gr. 199. 6.

Imp. Cæsar M. AURELIUS ANTONINUS Aug. Germanicus, Sarmatic. hos lapides constitui jussit propter controversias, quæ inter mercatores & mancipes ortæ erant, uti finem demonstrarent, vectigali foriculari & ansarii promercalium secundum veterem legem semel dumtaxat exigundo.

47 *In Janiculo ante Æcclesiam Johannis & Pauli.* — Gr. 1114. 5. mendose.

Claudius Julius Eclesius DYNAMIUS. vc. & inl. urbis Præf. p. amore patriæ conpulsi, ne quid diligentiæ deesse videatur studio nostro adici vovimus, ut omnium molendinariorum fraudes amputentur, quas subinde venerabili populo atque universitati fieri suggerentibus nobis agnovimus. Et ideo stateras fieri præcepimus, quas in Janiculo constitui nostra præcepit auctoritas. Unde hoc programmate universitatem nosse decernimus, frumenta cum ad hæc loca conferenda detulerint, consueta fraudibus licentia possit amoveri. Primo pensare non differant. Deinde postquam fregerint, propter fidem integræ observationis, adhibitis iisdem ponderibus agnoscant, nihil sibi abstulisse licentiam fraudatorum. Accipere autem secundum constitutum brevem molendinarios jam in Janiculo, quàm per diversa præcipimus per modium unum nummos III. ita quod si quis eorum inlicita præsumptione farinam crediderit postulandam, deprehensus & multæ subjaceat, & fustiario supplicio se noverit esse subdendum *. Illud autem humanitas nostra propter corporatorum levamen adicit, ut si qui voluntate propria non conpulsus, sed donandi animo farinam offerre voluerit — * abhinc des. Gr.

64 Item.

h T. AURELIUS ANTONINUS[h], M. Aurelii Cæsaris filius, Imp. Antonini Augusti Pii, P. P. nepos.

65 Item.

T. ÆLIUS AURELIUS, M. Aurelii Cæsaris & Faustinæ Aug. filius, Imp. Antonini Augusti Pii nepos.

66 Item.

DOMITIA FAUSTINA, M. Aurelii Cæsaris filia, Imp. Antonini Augusti Pii, P. P, neptis.

Gr. 1172. 9. *67 In via Pincia, in sepulcro Proti-martyris.*

Extremo tumulus latuit, sub aggere montis.
Hunc Damasus monstrat, servat quod membra piorum.
Te Protum retinet melior sibi regia cæli:
Sanguine purpureo sequeris Hiacynte probatus.
Germani fratres, animis ingentibus ambo:
Hic victor meruit palmam, prior ille coronam.

68 In sepulcro Hiacinti.

Sepulcrum sancti martyris Hyacinti LEOPARDUS Presbyter ornavit. Depos. III. Id. Sep.

69 In via Pincia.

Pamphilus, Basilissa, Protus, Hiacynthus, Hermes, ubi Dominus cæcum illuminavit. Arcus, murus. Inter Aurelia & Portuensis sanctus Processus, & Martinianus, & Pancratius, Abdo & Sennes.

70 In via Appia.

Soter, Xystus, Urbanus, Marcellianus & Marcus, Januarius, & ecclesia, ubi decollatus est Xystus, Sebastianus.

Gr. 1175. *sine titulo.* *71 In sepulcro Nerei & Achillei, in via Appia.*

Militiæ nomen dederant, sævumque gerebant
Officium, pariter spectantes jussa tyranni.
Præceptis pulsante metu servire parati,
Mira fides rerum! subito posuere furorem.
Conversi fugiunt, ducis impia castra relinquunt,
...... clypeos, faleras, telaque cruenta.
Confessi gaudent Christi portare triumphos.
Credite per DAMASUM possit quid gloria Christi.

72 In porta S. Petri usque ad S. Paulum.

* in sinistra. In S.* scI Laurentii & Theatrum Pompeii, & per porticum* usque ad scm Angelum & templum & Jovis. In d.* Theatrum: iterum per porticum usque ad elephantum. Inde per Scholam Græcorum: ibi in sinistra ecclesia Græcorum. Ibi est aqua subtus montem Aventinum, currens scala usque in montem Aventinum, & balneum Mercurii. Inde ad portam Ostensis. Inde per porticum usque ad ecclesiam Mennæ: & de Mennæ usque ad sanctum Paulum Apostolum: inde ad sanctum Felicem, & Adauctum & Emeritam. Deinde ad sanctam Petronellam, & Nereum, & Achilleum. Inde ad sanctum Marcum & Marcellianum. Inde ad sanctum Soterum: inde ad sanctum Sixtum: ibi & sanctus Favianus, & Antheros, & Miltiades. Inde ad sanctum Cornelium. Inde ad sanctum Sebastianum. Inde revertentes per viam Appiam ad ecclesiam, ubi sanctus Syxtus cum suis diaconibus decollatus est. Inde ad portam Appiam. Ibi Forma Jopia, quæ venit de Marsia, & currit usque ad ripam. Inde ad cochleam fractam. Inde ad Arcum recordationis. In S. Thermæ Antoninianæ. In d. Xystus. In s. Nereus & Achilleus. Inde per porticum usque ad Formam. Inde ad VII. vias. Ibi sancta Lucia & Septizonium. In S. circus maximus. In dex. Palatinus. Et sic per porticum maximum usque ad Anastasiam, & inde semper.

* an. posticum.
* in dextera

73 In via Ostensi[i]. i

ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ
ΚΑΙ. ΑΙΓΥΠΤΟΥ. ΡΑΣΗΣ
ΛΕΥΚΙΩΙ. ΙΟΥΛΙΩΙ. ΟΥΗΣΤΙΝΙΩΙ
ΚΑΙ. ΕΠΙΣΤΑΤΗΙ. ΤΟΥ. ΜΟΥΣΕΙΟΥ
ΚΑΙ. ΕΠΙ. ΤΩΝ
ΕΝ. ΡΩΜΗΙ. ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΩΝ
ΡΩΜΑΙΚΩΝ
ΤΕ. ΚΑΙ. ΕΛΛΗΝΙΚΩΝ. ΚΑΙ
ΕΠΙ. ΤΕΣ. ΠΑΙΔΕΙΑΣ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΕΠΙΣΤΟΛΕΙ. ΤΟΥ
ΑΥΤΟΥ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ.

74 In sepulcro scI Felicis. Gr. 1171. 18

O semel atque iterum cum vero nomine FELIX,
Qui intemerata fide, contempto principe mundi,
Confessus Christum, cælestia regna petisti.
O verè pretiosa fides, cognoscite fratres,
Qua ad cælum victor pariter penetravit Adauctus.
Presbyter his VERUS, DAMASO rectore jubente,
Composuit tumulum, sanctorum limina adornans.

75 In basilica scI Sebastiani.

Hic habitare prius sanctos cognoscere debes,

h *M. Aurel. Antonin.*] Duos ex Faustina filios suscepisse M. Aurelium ex Capitolino & Lampridio constat, nempe L. Ælium Aurelium Commodum, & Antoninum Geminum. Hic aliorum duorum occurrit mentio, ac proinde M. Aurelio quatuor filios fuisse dicendum est. Certè quod M. Aurelius in hac & sequenti inscriptione tantum *Cæsar*; & quod Antoninus *Pius*, non *Divus*, appellatur, conjicere licet, hos ante Antoninum Pium fato fuisse functos. Nec quemquam movere debet, quòd Faustina M. Aurelii uxor hic *Augusta* vocetur. siquidem Imperatorum filiæ *Augustarum* nomine donabantur, teste Capitolino in vita Antonini Pii. Si hæc ita se habent, consequens videtur, Domitiam Faustinam, cujus num. 66 legitur inscriptio, aliam fuisse ab illis tribus M. Aurelii filiabus, quas Commodus moriens superstites reliquit; aliam quoque à Lucilla, quam idem Commodus occidit. Fuerint igitur quinque, ut minimùm, M. Aurelii ex Faustina filiæ.

i *In Via Ostensi.*] Ita constanter in codice Einsidlensi *Ostensis* legitur, non *Ostiensis*, ut num. 72 & in Descriptione Urbis. Præclara verò est in primis hæc inscriptio, ex qua discimus, Lucium Julium Vestinium, Alexandriæ & totius Ægypti Sacerdotem, necnon Musei Alexandrini præfectum, custodem Romæ Bibliothecarum, cùm Latinorum, cum Græcorum librorum; atque institutioni Hadriani præpositum ab ipso Imperatore, scilicet Trajano si bene capio sensum horum verborum, ἐπὶ τῆς παιδείας Ἀδριανοῦ ἐπιστολεῖ τοῦ αὐτοῦ αὐτοκράτορος. Nisi quis velit his verbis significari, Vestinium Hadriano Imperatori à Studiis & epistolis fuisse. Certè Hadrianus ipse apud Alexandriam in Museo multas quæstiones professoribus proposuit, & propositas ipse dissolvit, ex Spartiano. Idem *Bibliothecam Ulpiam* eo in loco, ubi postea Diocletianus thermas excitavit, statuisse traditur à Capitolino. Apud Gruterum pag. DLXXXIV. num. 7 legitur *C. Julius C. L. Hieronymus in Bibliotheca Græca.* Nescio an Vestinius successor datus sit Suetonio Tranquillo, de quo hæc Spartianus: *Septicio Claro præfecto prætorii, & Suetonio Tranquillo epistolarum magistro, multisque aliis, qui apud Sabinam uxorem familiarius se tunc egerant, successores dedit.* Heliodorus magister epistolarum Hadriani fuit, teste Dione.

Analect.

Nomina quisque Petri pariter Paulique requiris.
Discipulos Orieus misit, quod sponte fatemur:
Sanguinis ob meritum Christum qui per astra secuti
Ætherios petiere simus, regnaque piorum.
Roma suos potius meruit defendere cives.
Hæc DAMASUS vestras referat, nova Sidera, laudes.

76 In porta Papia.

NERONI JULIO D. F. GERMANICO, Ti. Cæsari Germanici Augusti nepoti, Julio II. F. Augusti F. Aug. pronepot. Divi Proo. Cæsari Augusti nepot. Divi nepot. Pont. Cæsari Pontifici Divi Pron. Cæsaris Cos. ter. Imp. ter. Augurique tribuniciæ potestatis VIII.

77 Item ibi.

^a L. LIVIA. IMP. Cæsari, LIVIA * I. Divi F. Augusto Drosi F. Pontific. maximo, uxori Cæsaris Aug. Cos. III. Imp. III. tribuniciæ pot. VIII. Patri patriæ Aug. XV. Vir S. F. VII. vir Epulon. Cos. XIII. Imp. XVII. tribunic. potest XXX.

78 Item ibi.

Cæsari I. Cæsari Druso Julio Ti. Claudio, Augusti F. Augusti F. Germanici F. Drusi Germanici F. Divi nepot. Aug. pronepot. Neroni Germanico Pontif. Cos. Auguri, Cos. design. Germanico Imperatori principi juventutis.

79 In foro Papia.

Sex. Sextilius Sex. F. Papiria Fuscus, Flamen Romæ, & divi Claudii IIII. vir D. Pontifex, Augur, Salius grat. o. o. præfect. fabri. o. n.

80 In icona scĩ Petri [k].

k ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΛΟΓΟΝ ΘΕΝCΕΧΡΤCΩ
ΤΗΝ ΘΕΟΤΑ ΤΡΤΟΝ ΠΕΡΑΝΕΝΗ
ΒΕΒΗΚΩ COY ΚΑΘΝΤΜ.

DESCRIPTIO REGIONUM URBIS

A porta scĩ Petri usque ad...

IN D. ^a Circus Flamineus. ^a In dextera.
Rotunda.
Thermæ Commodianæ.
Forum Trajani & columna ejus.
Tiberis. ARCUS.
S. Hadriani.
Scĩ Cyriaci. FORUM.
Scã Agatha. Ibi imagines Pauli & sanctæ Mariæ SUB.
Thermæ Constantini.
Scĩ Vitalis in vico longo, ubi caval. ope.
Scãe Euphemiæ in vico Patricii.

In porta scĩ Petri usque ad Por. in sinistra. Per Ar.

Scĩ Apollinaris.
Scĩ Laurentii in Lucina.
Obeliscum. FORMA VIRGI.
Scĩ Silvestri. Ibi balneum.
Scĩ Felicis in Pineis.

Scãm Luciam in Orthea.

IN S. * Scĩ Laurentii in Damaso. ^a In sinistra.
Theatrum Pompei. Cypressus.
Scĩ Laurentii. Capitolium.
Scĩ Sergii, ubi umbilicum Romæ.
[ARCUS] SEVERI.
Cavallus Constantini.
ROMANUM.
URA. ^a ^a Subura.
Pudentiana in vico Patricii.
Laurentii in Formonso, ubi ille assatus est.
Iterum per Suburam. Thermæ Trajani ad vincula.

Viam Salariam.

CUM. ^a IN D. Circus flamineus. Ibi scã Agnes. ^a Arcum.
Thermæ Alexandrianæ, & Sc. Eustachii.
Rotonda, & thermæ Commodianæ.
IN S. Columna Antonini.
Scã Susanna, & aqua de Forma Lateranense.
Thermæ Sallustianæ, & pyramidem.

A porta Numentana usq. For.

IN S. Thermæ Diocletianæ.
Scĩ Cyriaci. Scĩ Vitalis.
Scãe Agathæ in Diaconia.
Monasterium scãe Agathæ.
Thermæ Constantini.
In via Numentana foris murum, in sinistra, scãe Agnes,
In dextra scĩ Nicomedis.

A porta Flaminea usque.

Paritorium.
Scĩ Silvestri, & sic per porticum usque columnam. AR.
Forma Virginis fracta.
Scĩ Marcelli. Iterum per porticum usque ad Apostolos.
In via Flaminea foris murum,
In dextera, scĩ Valentini.

A porta Tiburtina usque forum Romanum.

IN D. Thermæ Sallustianæ.
Scã Susanna, & Cavalli marmorei.
Scĩ Marcelli.
Ad Apostolos.
Forum Trajani.
Scĩ Hadriani.

k *In icona S. Petri*] Græcæ hujus Inscriptionis sensum planè difficilem reddunt mendosi quibusdam in locis characteres. Consultis amicis, hæc tandem restitutio probabilior & genuina visa est.

ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΛΟΓΟΝ ΘΕΑCΘΕ ΧΡΥCΩ
ΤΗΝ ΘΕΟΓΛΥΠΤΟΝ ΠΕΤΡΑΝ ΕΝ Η
ΒΕΒΗΚΩC ΟΥ ΚΛΟΝΟΥΜΑΙ.

Ad verbum: DEUM VERBUM INTUEMINI, AURO DIVINITUS SCULPTAM PETRAM, IN QUA STABILITUS NON CONCUTIOR. Aureæ quippe vel inauratæ basi imposita erat illa S. Petri statua, haud dubiè elegantissima. Nulla verò epigraphe huic aptior inscribi poterat, quàm ista: *Ne me intuemini, sed Deum Verbum*, id est *divinitus sculptam in auro Petram, in qua firmiter, collocatus jam ampliùs non vacillo, ut olim, cum pedibus meis incederem.* Qua in epigraphe auctoris ingenium commendat sententiæ gravitas & acumen lectoribus inopinatum, qui S. Petri statuam contemplaturi, oculos ad basim restrictere, ac sistere admonentur. In vocabulo ΠΕΤΡΑΝ forsan connexæ, aut potiùs unitæ erant litteræ Ε & Τ, ut unicam litteram facere viderentur. Hanc restitutionem referre debemus acceptam V. C. Ulrico Obrechto, Advocato generali & civi Argentoratensi, magnæ eruditionis & humanitatis viro, qui conjicit, hanc statuam fuisse positam illo priori ævo, cùm adhuc inter Christianos, velut sollemni proverbio symbolum hoc frequentaretur, à Suida relatum:

Πέτρῳ πεποιθὼς, ἐλπίδας χρηστὰς ἔχε.

Id est *Petro seu Christo fidens, spem bonam habeto.*

Via Lateranense.

Scī Laurentii in Lucina.
* Antonini. TONINI * Obolifcum.
Columna Antonini.
Via Lateranenfe.
Thermæ Alexandrianæ.
* Euftachii. Scī Euftadii *, & Rotunda.
Thermæ Commodianæ.
Minervium, & ad fanctum Marcum.

Subura.

Scī Ifidori.
Scī Eufebii, Via fubtus mon.
Scs Vitus.
Scāe Mariæ in præfepio.
Iterum S. Viti.
Scāe Eufemiæ.

Item alia via Tiburtina.

* Arcum. Forma Claudiana. Per Ar. *
Scāe Bivianæ. Nympheum.
In via Tiburtina foris murum, in finift.

A porta Aurelia usque ad Por.

Fons fcī Petri, ubi eft carcer ejus.
Scī Johannis & Pauli.
Sci Gregorii, fcī Sergii. Per pontem,
Capitolium, Umbilicum. Per Ar.
Scī Hadriani. Equus Con.
Sci Cyriaci, & thermæ Conftantini. Forum Ro.
Forma Claudiana.
Item Thermæ Diocletiani.
Scāe Agathæ.
Scī Vitalis.
Scāe Pudentianæ.
Scī Laurentii in Formonfo, ubi affatos eft.
Monafterium fcāe Agathæ.

Usque ad fcūm Vitum.

* Arcum. CUM. * fcāe Agathæ.
Scī Eufebii.
In finiftra fcī Hippolyti, in dextera fcī Laurentii.

Viam Prænestinam.

Molinæ, Mica aurea, fcāe Mariæ.
Scī Chryfogoni, & fcāe Cæciliæ.
Palatinus. ad fcūm Theodorum.
Scā Maria antiqua.
Scī Cofmæ & Damiani.
Palatium Trajani.
Monafterium fcāe Agathæ. SUBURA.
Scī Laurentii in Formonfo, fci Vitalis.
Scā Pudentiana, & fcā Eufemia.
Palatium Pilati, fcā Maria major.
Scs Vitus. Nympheum.
Scā Biviana.
Forma Claudiana.
In via Prænestina, foris murum, Forma Claudiana.

A porta fcī Petri usque. Per Arc.

Circus Flamineus, ibi fcā Agnes.
Thermæ Alexandrinæ.
Scī Euftachii, Rotunda.
Thermæ Commodianæ.
Minerviam. Ibi fcā Maria.
Ad fcm̄ Marcum.
Forum Trajani, & columna ejus.
Tiberis. R. * PER AR. * Redeundo per arcum.
Scī Hadriani, Forum Romanum.
RA. * Scā Lucia in Ortheo. * Subura.
Sci Silveftri, fcī Martini.
Palatium juxta Hierufalem. 1
Hierufalem [1].
Amphitheatrum.
Forma Lateranenfe, monafterium Honorii.
Porta Prænestina.
Scā Helena, fcs Marcellinus, & Petrus.

Porta Asinaria.

CUM * * Arcum.
Scī Laurentii in Damafo.
Theatrum Pompei.
Cypreffus.
Scī Laurentii in Minerva.
Capitolium.
Scī Sergii. Ibi umbilicum Romæ.
Scī Georgii.
CUM * SAVARI. * Arcum.
Scā Maria antiqua.
Scī Cofmæ & Damiani.
Palatius Neronis, Aeclefia fci Petri ad Vincula.
Arcus Titi & Vefpafiani.
Palatium Trajani, Amphitheatrum.
Ad fcm̄ Clementem.
Monafterium Honorii. Forma Claudiana.
Patriarchium Lateranenfe.

De septem viis usque porta Asinaria.

In finiftra, Johannis & Pauli.
Forma Lateranenfe.
Ad fcm̄ Erafmum.
Scā Maria Dominica.
In via Latina, intus in civitate.
In finiftra,
Oratorium fanctæ Mariæ.
Scī Gordiani.

De porta Appia usque fancto.

Cochlea fracta. Thermæ Antoninianæ [m]; m
Arcus recordationis.

Inde per porticum usque.

Ad fanctum Theodorum.
Palatinus.
Teftamentum. Arcus Conftantini.
Meta fudante.
Caput Affricæ
Quatuor Coronati.
Scī Johannis in Lateranis.

Porta Metrovia.

In dextera Clivus-Tauri.
Ad fcm̄ Stephanum in Celio montem.
Item alia via de porta Metrovia in dextera,
Ad fcm̄ Syxtum. In finiftra aeclefia fcī Johannis.
Extra civitatem, in dextera, fcī Januarii.
Oratorium fcī Syxti.
Scā Eugenia fcm̄. Theodorum.

[1] *Hierusalem*] Id eft bafilica quam vocant in Jerufalem. Eam olim dictam fuiffe *in Sessurio* intelligimus ex Capitulari Evangeliorum, fcripto ab annis feptingentis in codice membraneo bibliothecæ noftræ Urcenfis, in quo hæc verba. *Feria vj*, fcilicet majoris hebdomadæ, *in Sessurio, quod est in basilica Hierusalem*.

[m] *Thermæ Antoninianæ*] Sic etiam in Infcriptione 72, non *Antonina*. Earum auctor Antoninus Caracalla, ἀπὸ τῶν Ἀντωνιανῶν λουτρῶν, apud Eutropium.

*La * Graca in via Appia.*

* Schola.

Forma Jobia, ſcī Neri & Achillei.
Scā Xyſti.

Ad Formam per VII. vias.

In ſiniſtra, Circus maximus.
Mons Aventinus, Sepuzonium.
Et ſic per porticum * uſque ad. . . .
Item in eadem via extra civitatem ad ſcm̄ Januarium, ubi Syſtus martyrizatus eſt.
Scā Eugenia.
Ad ſcm̄ Theodorum.

* an poſticum.

In via Portenſis extra civitatem.

In via Aurelia extra civitatem, in dextra ſcī...
In via Salaria extra civitatem, in dextera ſcī...
In via Pinciana extra civitatem, in dextera ſcǣ...
Proti & Hiacynti. Scī Heemetis.

In dextera.

Sancta Lucia.
Palatinus.
Scam̄ Anaſtaſiam.
Scā Petronella. Nerei & Achillei.
Marci & Marcelliani. Ad ſcm̄ Soterum.
Scī Cornelii, Xyſti, Faviani, Antheros & Militiadis.
Ad ſcm̄ Sebaſtianum.

Item in dextera.

Abdo & Sennes.
Paucratū, Proceſſi & Martiniani.
Saturnini, ſcā. Felicitatis cum VII filiis.
n Baſiliſæ, ſcī Pamphili n.
o Scī Johannis caput. o

A porta ſcī Petri cum ipſa porta uſque portam
p Flamineam, turres XVI p propugnacula DCC. LXXXII. poſternas III. neceſſariæ IIII. feneſtræ majores forinſecus CVII. minores LXVI.

A porta Flaminea cum ipſa porta uſque ad portam Pincianam clauſam, turres XXVIIII. propugnacula DC XIIII. neceſſ. III. feneſt. majores forin. LXXV. minores CXVII.

A porta Pinciana clauſa cum ipſa porta uſque ad portam Salariam, turres XXI. propugnacula CC XLVI. neceſſ. XVII. feneſt. major. forinſ. CC. minores CLX.

A porta Salaria cum ipſa porta uſque Numentanam turres X. propugnacula CXC VIIII. neceſſ. II. feneſt. major. forinſ. LXXI. minores. LXV.

A porta Numentana cum ipſa porta uſque Tiburtinam, turres LVII. propugnacula DCCCVI. nec. II. feneſt. major. forinſecus CCXIIII. min. CC.

A porta Tiburtina cum ipſa porta uſque ad Prænestinam, turres XVIIII. propugnacula cum porta Prænestina CCCII. neceſſ. I. fen. major forinſ. LXXX. minor. CVIII.

A porta Prænestina uſque Aſinariam, turres XXVI. propugnacula DIIII. nec. VI. feneſt. majoe. forinſ. CLXXX. minor. CL.

A porta Aſinaria uſque Metroviam, turres XX. propugnacula CCCXLII. nec IIII. feneſt. major. forinſ. CXXX. minor. CLXXX.

A porta Metrovia uſque Latinam, turres XX. propugnacula CC XC III. nec XVII. feneſt. major forinſ. C. minor. CLXXXIII.

A porta Latina uſque ad Appiam, turres XII. propugnacula CLXXIIII. neceſ. VI. fen. majoe. forinſ. LXXX. minor. LXXXV.

A porta Appia uſque ad Oſtenſem, turres XLVIIII. propugnacula DC XV. nec. XXIIII. fen. major. forinſ CCCXXX. minor. CCLXXXIIII.

A porta Oſtenſe uſque ad Tiberim, turres XXXV. propugnacula DCC XXXIII. nec. XVII. feneſt. majoe. forinſ. CXXXVIII. minoe. CC XI.

A flumine Tiberi uſque ad portam Portenſem, turres IIII. propugnacula LVIIIII. feneſt. major. forinſ. X. minor. XV.

A porta Portenſi uſque Aureliam turres XXVIIII. propugnacula CCCC. neceſ. II. fen. majoe. forinſ. CXXXVII. min. CLXIII.

A porta Aurelia uſque Tiberim, turres XXIIII. propugnacula CCC XXVII. neceſ. XI. fen. major. forinſ. CLX. min. CXXXI.

A flumine Tiberi uſque ad portam ſancti Petri, turres VIIII. propugnacula CCCC LXXXVIIII. fen. major. forinſ. XXI. & minor. VII. poſternæ II.

Porta Scī Petri in Hadriano.

Sunt turres VI. propugnacula CLXIIII. feneſt. majoe. forinſ. XIIII. min. XVIIII.

Sunt ſimul turres CCC LXXXIII. Propugnacula VII. XX. Poſternæ. VI. neceſſariæ. CVI. fen. majoe. forinſ. II. LXVI.

RYTHMUS SATYRICUS DE TEMPORIBUS ROTBERTI REGIS.

Orbis magni monarchiam dolus LANDRICI nititur
Per energiæ ſtudium ſollemniter evertere.
Eſt lapis unus in Sion, quem dicunt petram ſcandali,
Quæ cecidit ſuper caput Achitophel jam ſepties
Sed cùm cadit lapis ſemel, cadit vi ſeptenaria:
Contritum ſpiritaliter Burgundionem vidimus.
Achitóphel Burgundia ætati noſtræ reddidit,
Multum crinitus Abſalon cujus ſprevit conſilium.
Intrat ſæpe palatia verſipelis regalia,
Occultat naſum pellibus, pectus ſubdendu fraudibus.
Jam Catilinâ nequior amicis præbet oſculum;
Sed prætendit decipulas ſapore fellis ebrias.
Alter Jugurtha loquitur, non ex fide, ſed de fide,
Pro veris amicitiis reddens inimicitias.
Ad Regum pergens ſolium, Reges ſalutat, non amat:

n *Baſilica S. Pamphili*] Ignota hæc baſilica omnibus auctoribus, qui de Roma antiqua ſcripſerunt, Boſſardo, Marliano, etiam Martinello, qui de Romæ baſilicis obſoletis ſpeciatim tractavit. Pamphilus martyr Romæ in Martyrologio notatur ad 21 Septembris. S Baſiliſſæ etiam baſilica, quæ eadem in Inſcriptione 69 numeratur, ignota eſt.

o *S. Johannis caput*] Si de capite ſancti Johannis Baptiſtæ intelligatur hic locus, multum favebit Romanis, qui caput ſancti Joannis Baptiſtæ oſtendunt etiam nunc in baſilica S. Silveſtri, quæ dicitur *ad caput*, ut ex Martino Polono refert Baronius in Martyrologio ad diem 31 Decembris, ob reconditum in ea caput Præcurſoris Domini vel *ad campum Martium*, ut vetera loquuntur monumenta. Confer tamen *caput Affrica* ſupra pag. 112.

p *Turres XVI*] Hæc Romæ deſcriptio Urbis muros repræſentat in eo ſtatu, quo poſt Beliſarii inſtaurationem fuerunt, atque etiam nunc ferme perſeverant.

Sed est quasi tegurium alto cucumerario.
Non est auditus in Thovan, nec inventus in Corbanian,
Peior usus in vultibus, amicis ignorantibus.
Sed didicit Episcopus, quòd tristis fuit clericus:
Itur à Chela Worchias, à Worchiis Parisius.
Crassi risus commotio est regni perturbatio:
It juxta sæpem mingere qui Reges scit seducere.
Statum subvertit Principum, hostis Francorum Procerum,
Diffusis currens ratibus, sicut Crassus vulpennius.
Non percipit ADALBERO, Achitophel cur rideat:
Vulpes portat in pectore, qui suis nescit parcere.
(* *f. succifer.*) Dolis armatus justiter * HENRICO tollit feminam,
Priùs WIDONI gratiam, timens sponsæ prudentiam.
Uxor petit Vasconiam, Achitophel malitiam,
Dum per juraodi sarcinam totam conturbat patriam.
Honoris fundit terminum, intrans Regis palatium;
HENRICUS sit æditaus, dicit BUDONIS filius.
Fiat Rex HUGO monachus, Rex ROBERTUS Episcopus;
Habens hic vitam simplicem, alter vocis dulcedinem.
Obscura fraudum legio regnat Landrici stomacho,
Cujus munit sententias Nabuzardan auctoritas.
Cachinnis ostendit dolum; respectus & periculum:
Acuta sunt novacula perfidiæ duritia.
Promissionis scissio præsentatus in subdolo,
Verborum sub membraculo in mendoso volutabro.
Saliva mixta fraudibus ejus versatur fraudibus:
Sermones cum periculis ejus versantur syllabis.
Herodiadis nuptias renovavit illicitas:
Incesta propter basia sperat Pruvini mœnia.
Archatriclinus impius gavisus est pro mœnibus:
Potentiorem fieri se credidit pro nuptiis.
Dormivit Rex in lectulo, Landrici pontificio:
Dormit BERTÆ promissio, irascitur Burgundio.
Eglon noster novissimus, cujus ut non turpissimus:
Multis est fastus dapibus, non placet Pruvinensibus.
Secundum lunam patitur, spe vacia contringitur:
Pruvinum numquam perdidit, quod habere non potuit.
Plumbi scribatur lamina, ne transeat memoria:
Ut posteri sint providi, si post mortem surrexerit.
Achitophel prosperitas est Europæ captivitas,
Qui pejor fit quotidie, periturus tardissimè.

ADNOTATIONES.

HOs rythmos ex ms. codice Belvacensi eruit venerabilis vir Godefridus Hermannus Canonicus Belvacensis. Landricus, qui præcipuus scenæ artifex, est filius Bodonis Comitis Nivernensis, dominus Dunensis, contra quem Fulco Nerra graves gessit discordias. Landricus vir iniquus, dolo & omni malitia repletus *dicitur in capite 7 de gestis Consulum Andegavensium. qui mores rectè huic loco quadrant. Idem hic dicitur* Achitophel, Crassus, Architriclinus, & Eglon. *Adversarius ejus Odo Campaniæ Comes,* Lapis in Sion *appellatus.* Nabuzardan, *ipsiusmet fautor, videtur esse Hugo Belvacensis. qui* inter ipsum Regem *Robertum* ejusque conjugem nequam semen odii sparsit, suique gratia præmii Reginam ei fecerat odiosam, tantam à Rege gratiam consecutus, ut Comes palatii haberetur, *ex iisdem gestis in tomo* 10 *Spicilegii pag.* 466. *Adalbero Episcopus Laudunensis, alio nomine Ascelinus,* vetulus traditor & falsus Episcopus Lauduni *dictus, quòd Carolum Ducem Lotharjensium, cujus consiliarius erat, cujus in verba juraverat, die Cœna Dominica anno* DCCCCXC *Hugoni Regi Francorum, perfus Laudunensi nocte patefactis, tradidit. Is autem Lotharii Regis favore anno* DCCCCLXXVII *Roriconi in sedem Laudunensem successerat. Vixit ad annum circiter* MXXX. *quo tempore Widonem clericum, Beroldi Suessionensis Episcopi nepotem, sibi successorem contra præscripta canonum allegit: qua de re Geraldi Cameracensis Antistitis graves epistolæ exstant, tum ad ipsum Adalberonem, tum ad Ebalum Metropolitanum, tum ad Beroldum Suessionensem. Forsan is est Wido, cui gratiam sive apud Regem, sive apud Reginam Constantiam Landricus præripuisse hic perhibetur. Idem ipse Clericus est dictus, ob idque, nempe quod regia gratia excidisset,* tristis. *Hinc missi legati* Calam, *& Cala Worchias & Parisios, ubi Rex versabatur, ut gratiam resarciret. Idem Landricus* Henrico tollit feminam, *id est Constantiam Reginam ejus matrem, quæ Henrico adversabatur. Constantia petit Vasconiam: cum interim Achitophel seu Landricus Bertam, ob consanguinitatis & affinitatis vinculum à Roberto Gregorii V judicio antea separatam, in regium thorum (quod aliunde incognitum) reduxit, atque Roberti filios Hugonem Monachum, Henricum Æditaum, Robertum Episcopum fieri machinabatur, Pruvini ipse promissione ob malas artes à Berta delusus. Is mihi videtur hujus ænigmaticæ satyræ sensus: qui si quibusdam minus arrideat, alium afferant, per me licet, meliorem. Certè quod Landricus Robertum Regem facere Episcopum meditabatur, non de alio quam de Roberto Roberti Regis filio interpretari vix cetera sinunt: cum id in ipsum patrem agitare longè esset à Landrici animo, qui Bertam ei reconciliaverat. Hugo* Absalon *dici videtur ob decoram formam & cæsariem, qui Landrici consilia spreverit.* Lapis ille in Sion, *qui Landricum* spiritualiter contrivit, *non alius (ut jam dixi) quàm Odo Campaniæ Comes, Landrici adversarius & debellator, ex lib. de gestis Consulum Andegavensium cap. 8. Nec mirum, quòd Constantiam Reginam, Odonis sororem, Landricus Odonis æmulus ex aula deturbare satagit, idque tandem re vera perfecit. Ceterum Berta, in Roberti amorem redire meditabatur, teste Odoranno, cùm Robertus iter Romanum aggressus est. At diversum videtur fuisse istud factum, quod rithmi hujus auctor hoc loco commemorat, cùm tempus & alia circumstantiæ non conveniant.*

BREVES ANNALES RATISPONENSES.

ANno à Nativitate Domini DCC XLVIII Pippinus Grifonem de Bajowaria expulit, & Tassiloni Ducatum dedit.

DCC L Pippinus Rex factus est.

DCC LIIII Bonifacius martyrizatur.

DCC LXXIIII HRodpertus translatus est.

DCC LXXXIIII Hiltigart Regina, & Arper Episcopus obierunt, & Atto Episcopus factus est.

DCC LXXXV Pugna Bajowariorum cum HRodperto ad Pauzana. Virgilius Episcopus & Oportunus Abbas obierunt.

DCC LXXXVI Hartrat malum consilium fecit: & signum in vestimentis hominum. Aro Episcopus ordinatus est.

DCC LXXXVII Dominus Carolus Rex Romæ fuit, & inde ad Leh obsidem Tassilonis filium Theodonem tulit.

DCC LXXXVIII Tassilo captus est: & Hunni ad Furgali & in Bajowaria: & Carolus primo in Bajowaria.
DCC XCI Carolus primo in Hunniam.
DCC XCIII Carolus per fossatum Alhmonem.
DCC XCVIII Arn Archiepiscopus factus est.
DCCC II Odaloc, & Gotehrammus, seu exteri multi interfecti fuerunt ad castellum Guntionia
DCCC III Carolus ad Salaburc monasterium fuit.
DCCC IIII Alhwinus obiit.
DCCC V Leo Papa ad Carisiaco noster Dominus habuit. Cabuanus venit ad dominum Carolum, & Abraham Cagonus baptizatus super Fiskaha.
DCCC XIII Dominus Carolus Imperator Hludowico filio suo coronam imperii imposuit.
DCCC XVII Paschalis Papa factus est, & Baturicus Episcopus.
DCCC XVIII Pernhardus Rex carmalum levavit.
DCCC XVIIII Pernhardus interiit. Hiltibaldus Episcopus obiit, & Odolfus Comes. Liudwit carmalum levavit.
DCCC XX Hostis magna contra Hludwicum.

ANNALES WEINGARTENSES.

DCCC XI Haito Episcopus super mare transivit.
DCCC XIII Egino Constantiensis Episcopus ob.
DCCC XVI Cozpertus Abba efficitur.
DCCC XXII Haitoni Erlobaldus successit.
DCCC XXIII Wettinus obiit
DCCC XXX Initium basilicæ sancti Galli.
DCCC XXXIII Francorum dedecus.
DCCC XXXV Dedicatio basilicæ sancti Galli.
DCCC XXXVI Haito Episcopus obiit.
DCCC XXXVIII Puato Diaconus lapsus est in Judaismum.
DCCC XLIII Judith obiit.
DCCC XLVII Tattu & Erlobaldus ob.
DCCC XLVIII Walahfredus obiit.
DCCC LVI Leo Papa, Lotharius Imperator, Truago * & Rabanus obierunt. * Drogo.
DCCC LVII Serenissimi Hludovici Regis filia Hiltigart ob.
DCCC LVIII Folcwinus Abba obiit.
DCCC LX Hiems magna, & mortalitas animalium.
DCCC LXI Fames validissima.
DCCC LXII Gens Hunnorum Christianitatis nomen aggressa est.
DCCC LXIII Eberht, Liutolf, Erchanger, Liutfrid, Ruadolf, Purghart, & aliquam plurimi istius regni Principes obierunt.
DCCC LXVI Caroli sereni Regis soror Irmingart ob.
DCCC LXX Rastizius Dux à Ludowico Rege, & Soltaous ab Imperatore captus est.
DCCC LXXI Salomon Episcopus obiit. Hludowicus & Karolus cum patre pacificati, data Rætia Karolo.
DCCC LXXII Grimaldus Abba ob.
DCCC LXXIIII Altfridus, Ratoldus, Ermenricus [a] Episcopi, Pernoldus Comes obierunt.
DCCC LXXVI Hludowicus Rex, Hemmaque Regina, & Karlmannus filius Karoli obierunt.
DCCC LXXVII. Berta filia Regis Hludowici ob.

ANNALES EINSIDLENSES, ad cyclos paschales.

Anno DCCCC LVII Eberhardus Pater obiit.
DCCCC LVIIII Gregorius Abba effectus est. Rambertus monachus efficitur.
DCCCC LXXV Ruodman Abba obiit. Witegowo Augiæ Abba præficitur.
DCCCC LXXXVI Cellæ B. Meginradi basilica aucta est.
DCCCC LXXXVII Etich Augustæ civitatis Episcopus obiit: Tuto Episcopus successit. Hilteradus & Albericus monachi obierunt. Regilo Comes obiit.
DCCCC LXXXVIII item Regilo filius ejus Comes obiit.
DCCCC XC Landoldus Comes obiit. Mancgoldus Comes obiit. Erchanbaldus Episcopus obiit. Bernharius monachus obiit.
DCCCC XCI nascitur Berchtoldus Herimanni filius, qui in beati Cella Meginradi baptizatus, & [ab] Abbate Gregorio fonte susceptus [est]
DCCCC XCIII Hadevig Dux obiit.
DCCCC XCIIII Henricus Dux Bavariorum obiit: filius ejus Henricus succedit. Wolfkangus Episcopus obiit.

ALII ANNALES EINSIDLENSES.

DCCCC LXXII Wolfgangus monachus ad Ungaros missus est, qui secundo anno Radesponensis Episcopus ordinatus est.
DCCCC LXXX Gamenolfus Episcopus (Const.) obiit & Gebehardus à fratribus electus ordinatus est.
DCCCC XC Adalbertus Renangiæ Abba miserabiliter occisus est. Hug. Wrziburg. Episcopus obiit.
DCCCC XCIIII Volfgangus Radesponensis ecclesiæ Episcopus obiit: cui Gevehardus successit.
DCCCC XCV Gevehardus Constantiensis Episcopus obiit: cui Lantbertus monachus successit.
DCCCC XCVI Gregorius divæ memoriæ Abba obiit. Mancgoldus Presbyter obiit.
ī I Hugo potentissimus Marchio obiit.
ī VII Episcopium in Pabenberg constructum est, & Eberhardus primus Episcopus ibi ordinatus est.
ī VIII Mogontiensis ecclesia cremata est.
ī XI Willegisus Archiepiscopus obiit. Erchenbaldus Fuldensis Abbas successit.
ī XII Ecclesia in Episcopio Pabenberg primum consecrata est. Ernust filius Liulpaldi Marchionis Dux constituitur.
ī XIIII Heinricus Rex Romæ Imperator effectus est.
ī XV Ernust Dux sagitta occisus est, & filius ejus parvulus successit.
ī XVII Heinricus Imp. in Burgundiam usque Rhodanum fluvium super Rodulfum Regem avunculum suum in dolo. qui postea sine effectu rediens, Turegum venit, & sedit illic V hebdomadas.
ī XVIII Lantpertus Constantiensis Episcopus obiit. *rec. manu.* Heinricus Wraiburgensis Episcopus ob.
ī XXIIII Prun Episcopus à fratre suo Heinrico Imp. in exilium missus est.
ī XXV Heinricus Imp. obiit.

a * *Ermenricus*] Ipsissimus est Ermenricus Episcopus, cujus libelli fragmenta superius retulimus.



DIES
INTRANTES ET EXEUNTES.

MEnse Januario intrante dies duo, & exeunte dies septem.
Mense Februario intrante dies novem, & exeonte dies quinque.
Martio intrante dies tres, & exeunte dies octo.
Mense Aprili intrante dies decem, & exeunte dies octo.
Maio intrante dies sex, & exeunte dies octo.
Junio intrante dies novem, & exeunte dies decem.
Julio intrante dies quatuor, & exeunte dies decem.
Augusto intrante dies sex, & exeunte dies duodecim.
Septembri intrante dies tres, & exeunte dies septem.
Octubri intraute dies novem, & exeunte dies undecim.
Novembri intrante dies octo, & exeunte dies duo.
Decembri intrante dies duodecim, & exeunte dies tredecim.

ADNOTATIO.

HOc scriptum de diebus mensis intrantis & exeuntis exstat in codice S. Emmerammi apud Ratisponam, ex quo colligendum videtur, si non ubique, saltem quibusdam in locis menses non fuisse divisos in duas tantum partes, ita ut primi decem dies mensi intranti, mensi verò exeunti reliqui dies assignarentur: sed dies solum aliquot pauciores mensi tum intranti, tum exeunti fuisse assignatos. Vide quæ de mense intrante & exeunte seu stante observavit summæ eruditionis Carolus Cangius in suo Glossario.



VETERIS POETÆ
CARMEN APOLOGETICUM
INTERLOCUTORIBUS
GAUFRIDO ET APRILE,
Adversus obtrectatores Curiæ Romanæ.

PAstor apostolicus de cardine Solis ad undas
Æquoris occidui quem timet omne solum:
Imperio cujus tepido famulantur ab axe
Usque sub arctoas terra remota plagas:
Ille mihi dixit: Tu qui nuper cecinisti
Ecclesiæ lacrimas, scribe, resume stilum.
Cude novos versus, fac carmina, conde libellos.
Nam gravis in vitio pectora torpor alit.
Versibus eloquere, quis sit status Urbis avitæ:
Detur materiæ Curia nostra tuæ.
Aggrediar dixi. quis enim quod propria vibret,
Non faceret prompta, sollicitaque manu?
Te duce, sancte Pater, tentabunt nostra profundum
Vela, periclosas nec patiemur aquas.
Sed genus hoc verbi ponetur in ore duorum,
Et sic propositos ire videbo pedes.
Adspirent igitur susceptis versibus illi,
Quorum præter opem spirat in Orbe nihil.
Dii mihi difficiles audenti ferri labores,
Tangere speratos sæpe dedere sinus.
Multotiens metri dum me vallaret abyssus,
Prospera fluctivagæ vela dedere rati.
Vos etiam domini, quorum patientia nota est,
Non bene limato parcite quæso stilo.
Plurimus impugnat Romam detractor, & ipsa
Curia multorum morsibus alma patet.
At quicquam si metra queunt, ubi sermo laborat,
Carmine concludam, lingua dolosa, tibi.
Et Papæ defensor ero, metroque perenni
Non mea cessabit musa juvare Patrem.
Non igitur nobis labor hic opponitur, immo
Defendunt sacrum carmina nostra Patrem.
Et quis non defensus erit, quem carmina magnis
Æqualem superis tollere laude volunt?
Hæc sunt tela, quibus non est obsistere, tela
Carminis attingunt interiora viri.
Hoc genus armorum clypeo dominatur Achyllis,
Ajacem superat. Hectoris arma præit.
Hoc semel infixum sedet immedicabile telum:
Investigatrix non removebit acus.
Non minùs absentem metrorum vulnerat arcus,
Quàm si pro signo stet feriendus homo.
Sic feriunt vivos armati spicula vatis,
Duret ut æternum post sua busta dolor.
Non igitur breve vulnus habet percussus ab arcu
Carminis, hic nervus cuique timendus erit.
E contra non est major medicina poësi,
Sanat & officioso fit theriaca viro.

NUper apostolica GAUFRIDUS sede relicta
In patriam redit cuncta peracta tenet.
Obviat APRILIS, Hispana gente profectus,
Obviat, inque vicem verba salutis agunt.
Iste locum nondum Romanæ viderat urbis:
Alter erat tota cognitus urbe diu.
Postulat Aprilis, ut se de gente locique
Moribus expediat: postulat, ille favet.
G. Quid Romæ facturus es? & quid quæris in urbe?
Cur te sub longo climate mundus habet?
A. Ille refert: Studiis lustris ter quinque, nec ulla
Respondet meritis philosophia meis.
Papa meos solus poterit relevare labores,
Et removere sitim fonte perennis aquæ.
Hunc peto, si forsan nostri miserebitur, & si
Paupertatis hiems tanta movebit eum.
Ampla tenent alii stipendia divitis agri;
Hic tribus, hic senis, dives at ille decem.
Sed mihi sufficeret præbendula pauperis horti,
Quinque talenta valens, quinque, parumve magis.
Credo quod urbis apex, sanctissimus ille virorum,
Si me cognoscat, non neget ista mihi.
Ditat eos qui pauca sciunt vir sanctus, & à me
Forsitan excutiet pulveris istud onus.
Sed precor incipias, quis sit status urbis, amice,
Et si sint illic tempora dura refer.
Fama sonat quod res nummis priùs empta duobus,
Patre duplum faciat adveniente sacro.
G. Fers aliquid Gaudridus ait? Fero, subdidit alter,
A. Sit licet exiguum, non tamen ære vaco.
Rumor enim loquitur quod Curia sacra requirat
Munus, & absque illo litus aretur ibi.
Nescio si sic est: tu cùm sis cognitus Urbi,
Hærentem dubie non dubitare sinas.
G. Frater amice, tibi res hæc narrata sinistrè est:
Falleris, & sic non erudiendus eras.
Peccat Romanæ quisquis sic derogat urbi.
Sed linguas hominum quis domuisse potest?
Ventus in excelsos sua dat spiramina montes,
Et livor claris novit obesse viris.
Aurea sunt illic, Aprilis, secula, Roma

Urbs sacra, vena boni, mellea dona fluit.
Nulla queri poteris, postquam perveneris illuc:
Omnibus hæc urbs est deliciosa bonis.
Non placeat superis Papa presente beaso,
Deterius solito quod sit in urbe forum.
Non aliter pœnas lueret vir talia temtaus,
Quam solet inventus fur nocuisse vulens.
Omnia de circum veniunt regione jacenti,
Protinus ut Papam Roma beata vidit.
Grana Ceres mittit, & Bachina dona Lyæus,
Transmittit fetus pinguis oliva sacros.
Byssus ab Æthyopum Romam deducitur oris,
Et tellus alias barbara mittit opes.
Cocco bis tinctos Urbi dat Græcia pannos.
Quid moror? huic urbi servit uterque polus.
Deliciæ si quis ubi sint ignoras, in Urbem
Tendat, & inveniet omne quod orbis habet.
A. Insolitus timeo ne me distemperet aër,
Et mea Tuscus ibi presbyter ossa tegat.
G. Si pietatis adhuc opus est in climate nostro,
Si perfectus amor urbs habet ista duo.
Esto quod arripiat te febris in urbe, (quod absit,)
Physicus est ibi, quem tibi Roma dabit.
Roma tenet medicos pro febricitantibus altos,
Qui res exiguas de patiente petuns.
A. Si forsan moriar, quali tumulabor honore?
Exsulis exequias quis celebrare solet?
G. Tot digitos in utraque manu, tot in ore rotundo
Non niveos dentes dinumerare potest;
Quot tibi Missarum sollemnia sacra dabuntur,
Clauserit extremum si tibi Roma diem.
Ante tuum corpus summo reverenter honore
Compositum, clerus lumina mille feret.
Turis odor fragrans myrrhæ jungetur odori,
Purpura defunctum te preciosa teget.
A. Quis rerum divisor erit, Gaufride, mearum,
Si fuero ingressus carnis in Urbe viam?
Quis mihi promittet, ne, si mea lumina condam,
Diripiat nostras hospes avarus opes?
G. Non tibi pro capitis oculo, quicumque sit hospes,
Senseris in cujus ultima fata domo.
Auferet è marcis, quamvis sint mille valorem
Festucæ, vel si res minor esse potest.
Hospes in hospitio cujus decesseris illic,
Dividet in requiem cuncta relicta tuam.
Sic etenim cautum est, sic urbis provida virtus
Constituit, lex est inveterata loco.
A. Lætus eo. sed dic, est an procurator in urbe,
Consequar optatas quo mediante preces?
G. Deseret infantem mater priùs, herba pelorum,
Piscis aquas, virides garrula rana lacus,
Sponsa virum, juvenem, tener infans ubera matris:
Quàm procurator non sit in urbe sacra.
A. Est ne fides aliqua procuratoribus illis?
Qui se credit eis num bene tutus erit?
Audivi quod dant adversis partibus arma:
Et sic occultè munus utrinque petunt.
Spem faciunt illi quod vincere debeat in re
Proposita, & litis ferre trophæa suæ.
Mox redeunt, & idem promittunt illius hosti,
Et sic exhaurit tertia bursa duas.
Nescio, non credo, sed talia verba frequenter
Audio, nec pennas res habet ista breves.
Præterea didici, quod lites, probra, tumultus
Exagitant illos, sed male credo, viros.
Dissimulanda tamen sunt talia, dummodo litem
Contestando suam verbera nulla trahant.
G. Frigida mendacem confundat passio linguam,
Quæ ferit innocuos & sine labe viros.
Hoc genus est hominum, fallacia nulla reperta
In quibus esse solet, & nota nulla mali.
Fraus, dolus, impietas à mentibus exulat horum,
Longiùs exagitant pectoris omne nefas.
Simplicibus contenta modis hæc turba virorum
Ignorat penitus jurgia, verba, minas.
Quando sedent illic, ubi marte negotia pugnans
Quæque suo, cessant murmura, lingua silet.
Nemo loqui præsumit ibi, nisi quicquid honestum,
Aut justum fuerit: cetera verba vacant.
Ambitus ut servat consueta silentia claustri
Vocibus exclusis: sic locus ille tacet.
Petrus ab Assisio subitam quia nuper in iram
Surrexit, solito litigiosa movens:
Turpiter ejectus ideo fuit, & locus ille
Non potuit strepitum dissimulare viri.
Inter eos fraterna fides livore remoto
Regnat, & è puro pectore manat amor.
Quicquid promittunt, triplici quasi fune ligatum est:
Alludunt rebus consona verba suis.
Spondeat aut juret tibi rem Cistercius Abbas,
Illorum superat sponsio nulla fidem.
Omnes obscuri vellent mage vincla subire,
Candoris nivei quàm violare fidem.
Tempore res aliquas debent persolvere certo?
Persolvunt citiùs, præveniuntque diem.
Dedecus esse putant contendere judice coram,
Utque alibi mos est, verba probrosa pati.
Litis ante ingressum norunt sopire querelas;
In radice mali quæstio nata perit.
Si duo contendunt verbis quandoque parumper:
Tertius in medium commoda pacis agit.
A. Quis breviore via, quis pro mercede minori
Expediet factum dic, vir amice, meum?
G. Eligito quemcumque velis, valet unus ut alter
Quilibet ex illis, qui tibi frater erit.
Sed tamen illius vites consortia Petri,
Cujus nequitiam publica fama refert.
A. Pande dies igitur, Gaufride, & tempora narra,
Quæ cedant factis expedienda meis.
G. Quarta dies quodcumque tenes. Aprilis, agendum
Terminat, & reditum lux tibi quinta dabis.
Hoc tamen excepto, si sit tua maxima causa:
Tunc cedunt factis tempora plura tuis.
A. Qualiter istud erit cum non ego solus in urbe
Ante sacros oculus expediendus eam?
Nonne velut pontus terrarum colligit undas,
Sic universos urbs trahit illa viros?
Numquid non veniunt à cardine solis ad urbem,
Quique sub occidui climatis orbe stent?
Nonne petunt Urbem gentes aquilone moratæ?
Et qui sub tepido longius axe jacent?
An non ut pisces veniunt redeuntque sub undis,
Sic varios homines Roma videre solet?
G. Sic equidem, Gaufridus ait, sed curia sacra est
Officiatorum plena juvante manu.
Ut multæ cernuntur apes vallibus Æthnæ,
Sic ope multorum curia fulta viget.
Sunt ibi qui norunt formare negotia quævis,
Et sunt qui formas abbreviare sciunt.
Scriptorum numeri non clara mente recordor,
Sed mihi cum quadam nube venire solet.
Nec facile est omnes numero deprehendere certo,
Sed possunt decies, ut reor, esse decem.
Istorum labor est chartas grossare oblatas,
Et grossas cameris restituisse suis.
Sunt ibi qui referunt sacri Pastoris ad aures
Ardua vota hominum sollicitasque preces.
Quis stupor est igitur aut admiratio mentis,
Si potes absolvi tempore ab urbe brevi?
Crede mihi si mille viris comitatus ad urbem
Ibis, adhuc plures urbs habet ista viros:
Omnibus una quibus mens est atque una voluntas.

Contrahat ingentem ne quis in Urbe moram.
Protinus expediunt quicquid sit ad expediendum,
Et mora sollicitos non tenet ulla viros.
Festinant, urgentque die noctuque laborea,
Inceptum donec perficiatur opus.
Res quandoque datur tribus expedienda diebus,
Quam tamen instantet expedit hora brevia.
Prima dies igitur scribit quodcumque petendum,
Et tua portabit vota secunda Patri
Tertia grossabit, bullatum quarta videbit,
Et potes in quinta dicere: Roma vale.
Forsitan horrebas quod te Romana teneret
Sumptibus innumeris curia sacra nimis?
Hoc impossibile est, & ni sint omnia vera,
Hanc frontem videat nullus in Urbe magis.
A. Littera, quid dices, si rescribenda bis aut ter
Exstiterit, Romæ nonne marabor adhuc?
G. Hoc factum fortuna regit, casusque gubernat!
Errorem tamen hunc quisque cavere studet.
Scriptor enim studio scribenda volumina tanto
Exarat, ut nulla parte notanda putet,
Et tibi tua res ipsi facienda daretur,
Posset in obliquas currere penna vias.
Deterius forsan per te tua facta venient,
Quàm per scriptoris qui viget arte manus.
Si tamen à capite forsan tua littera scribi
Debeat, hic error à tribus esse potest.
Aut male narrabis narranda, vel abbreviator
Apponet factis plusve minutve tuis.
Ipse vel interea scriptor dum scribet, Aprilia
Castra super Rhodani fortè levabit aquas.
Quique nocens fuerit discussa lite repertus,
Huic incumbit onus ut reparetur opus.
Sacramenta putes quis scriptor frangere vellet,
Et violare Patri quam dedit ipse fidem?
Sponte sua nullus commissa negotia turbat,
Si tamen excedit dextera, corda gemunt.
Sed jam simus in hoc, quod rescribenda sit omni
Contingente modo, gratia, an arte dato.
Hoc correctoris factum dependet ab arte,
Qui jubet ut redeat charta sapore novo.
Ille tibi apponet, per se tibi demet, amice,
Rem qua non poteras consuluisse tibi.
Ille oculus tuus est: & ne qua parte vacillet
Res tua, subtili lumine lustrat opus.
Illius officium est ut sal dimittat in ollam,
Ad mensam veniat ne cibus absque sale.
Ille piper dapibus & condimenta ministrat,
In quorum gustu lingua stupere potest.
Ille mihi quidam faber esse videtur, & ipsos
Fabrorum ritus officiumque sequi.
Si producta nimis sit littera, ponit in ignem
Ingenii, & crebro verbere curtat opus.
Si brevis est, & eget ut sit producta, favillas
Excitat, & rursus massa sub igne calet.
Malleus eductam tandem sic corripit illam,
Longius ut crescat, amplificetque viam.
Littera limata non est tua cassidis instar:
Quæ facit ut radiet, lima fidelis adest.
A. Chartula quid faciam si cassa remittitur ad me?
Dic lacerum digito quis raparabit opus?
G. Nonne patrum pater est totius Pastor ovilis,
Et superat cunctos compatiendo patres?
Ipse suas ita pascit oves, & providet illis,
Ut de pastura nulla queratur ovis.
Facta Dei ratione vigent fulcita perenni:
Pastor & à simili singula rite facit.
Grandia dat magnis, & parvis parva, secundum
Quod pollet meritis iste vel ille suis.
Doctus es, & magno didicisti multa labore.
Cur cassarentur ergo petita tibi?
Spem teneas igitur, animi fiducia tecum
Firma sit, & nulla parte timere velis.
Illud apostolicum (quid miri?) munus habebis,
In patriam gaudens unde redire potes.
Ecce ego qui nondum tanto sum dignus honore,
Quo contentus eo, munus ab Urbe fero.
Ad duo Papa videt: ad se qui maximus exstat,
Et simul ad meritum suscipientis opem.
Et quid perdit in hoc, si dat res ecclesiarum,
Quas emit moriens in cruce verus homo?
Certè sicut aquas in se mare colligit omnea,
Atque iterum certo tempore reddit eas:
Sic res Ecclesiæ Pater omnea possidet almæ
Sanctus, & acceptas rite refundit opes.
A. Si contradictum fuerit mihi forsitan illic,
Absolvi per quem littera capta potest?
G. Contradicatur, certus sedet arbiter illic,
Officio cujus discutietur opus.
Si res est simplex, & non præjudicat ulli,
Expediet cursus absque labore suos.
Si verò talis fuerit qua forte gravari
Inde potest aliquis, altera forma subit.
Tunc sub dissimili ponetur judice causa,
Nec poteris veteri ad tua vota frui.
Sic enim servat sua curia jura cuique,
Ne quisquam vere possit ab Urbe queri.
Cum fuerit concors conventio facta repente,
Mittitur ad bullam charta refecta sacram.
Auditor litis qui prœlia tempetat, & qui
Oppositas partes fœdere sæpe ligat:
Ille, non inficiat, superat genus omne metalli:
Duritia per est nullus in orbe viro.
Non faciet pro fratre magis vir ferreus ille,
Quàm si mittat ei barbara terra virum.
Justitiæ libram sic omnibus arbiter iste
Exhibet, ut neutro claudicet illa pede.
Obice perpetuo clausas sub vecte perenni
Inferni portas quis reserare potest?
Nullus: & à simili constantia pectora judex
Hic immotato robore semper habet.
A. Dic, reverende comes, Vicecancellarius Urbis
Quo studio longum tempus abire videt?
G. Ille secunda manus Papæ est, mediaque diei
Pondus & æstatis parte levare solet.
Surgit ad auroram, graditurque ad prœlia primus,
Pugnaque sub tali judice prima sedet.
Inde jubente viro, quæ littera marte triumphans
Vicerit, ad bullam post sua bulla datur.
Hujus & hoc opus est, & regula certa, legendas
Ut fetat ante Patrem. cùm vacat hora sacrum,
Plus albis candoria habens, sicut ultima fornax
Fervet, & ad purum quodque reducit opus.
Non rogus impositum sic sic examinat aurum,
Nun medicinales sic tosa colat aquas.
A. Dic precor ut possim voto breviore potiri,
Lectorem precio conciliare licet?
Turis honore Jovem placari sæpe videmus,
Mitior est frugum mater ad exta suis:
Bachus ad incœpta pro capro deponit ira,
Cum videt in templo viscera fusa suo.
Omnia muneribus placantur numina sumptis,
Et divina manus quærit honoris opus.
Præterea video quod si non jungitur axis,
Tardius incœptum continuatur iter.
Cera ligat tabulas, & eas confœderat apte,
Et cetera navis tutius intrat aquas.
G. Iste modus non est, Aprilis, in Urbe: sed illic
Muneris illiciti quisque recusat opes.
Hoc quod habent gratis de cæli munere puro,
Non dant pro rebus quæ nivis instar eunt.
Præterea sic ditat eos clementia Papæ,
Ne cuiquam sit opus ut male quærat opes.

Gutta quid exigua confert brevis addita puncto?
Quid juvat accensus flamma minuta rogos?
Sic nihil est quodcumque potest vir pauper in illos
Fundere, non brevis est apta crumena viris.
Papa satis largitur eis, postponite curas
Vos, quibus hæc sacra est urbs adeunda viri;
Nullus in urbe solet contingere munera Lector,
De quibus ante Deum pectora læsa gerat.
Disce quid acciderit famosa nuper in urbe,
Disce, nec in vanum verba notanda cadant.
Gratia Lectoris quemdam promovit in illis,
Pro quibus ad sacros venetat usque pedes.
Ille velut simplex, & qui non noverat Urbem,
Quid faciam dixit, clamne redire decet?
Est ne boni species, & quo laudetur honestas,
Ut nihil accipiat qui mihi multa dedit?
Hic mihi pro tanto servivit, & omnia dudum
Quæ volui finem jussit habere suum.
Non igitur male gratus ero, qui grandia pro me
Fecit, & ad portum carbasa nostra tulit:
Quamvis ille nihil hac pro mercede requirat,
Non tamen idcirco munera nulla feret.
Excitat in prædam, cogitque sitire cruorem.
A sue depenso portio jacta caues.
Dixerat, & caute rediit Lectoris ad ædem,
Imposuitque viri quinque talenta thoro.
Ære dato, gressum tacite dimovit: at hospes
In cameram rediens condita dona videt.
Unde venis, inquit, inimica pecunia, quæ te
Imposuit lecto dextra nefanda meo?
Quid facis in nostris penetralibus, ô maledicti
Æris imago, mihi morte perosa magis?
Hercle tot horrendos mallem reperisse colubros,
Et quæcumque homini monstra nocere solent.
Ille meo, quicumque fuit, detraxit honori,
Qui posuit laqueos in mea damna suos.
Ite ait, & subito hunc investigate profanum,
Qui studuit famæ prodigus esse meæ.
Verùm si lateat, quoniam latitare latronum
Est proprium, qood vox nominis ipsa sonat,
Continuo nummos inter spargatis egenos:
Nesciat hospitium gutta minuta meum.
Hoc factum Papæ sanctas pervenit ad aures,
Censuit & dignum laude favore virum.
A. Audio quod cassat quam plura negotia Lector,
Quorum nulla fuit mentio facta Patri.
Quæ si lecta forent aliquo mediante favore,
Forsitan optatam Papa tulisset opem.
Pinguia dum veniunt & macra negotia mixtim,
Hæc læta facie suscipit, illa gravi.
Quod videt insipidum, communem mittit in ollam:
Quod sapit & pingue est, decoquit olla minor.
Hæc tantum dominis . . . servatur amicis,
Sed de communi quilibet haurit homo.
Olla minor factis detur, comes optime, nostris:
Exhorret stomachus vas generale meus.
Quid tibi, si sic est, sacra de Sede videtur?
An res est quæ sit laude notanda gravi?
G. Dum sic distinguit oblata negotia Lector,
Non furit, & non est vir ratione carens.
Omnia longuinqui cognovit temporis usu,
Quæ Pater admittit, quæque negare solet.
Ne sacras igitur teneat sermonibus aures,
Et det inutilibus tempora multa sonis:
Cassat eas quas Papa preces transire vetaret,
Quam citò prodiret primus ab ore sonus.
Quæ verò retinent formam cursumque probati
Tramitis, hæc numquam supprimit, immo legit.
Cumque laboravit commissa negotia Papæ,
Mente legens pura, præmia nulla petit.
Non terrena cupit, sed quæ sine tempore durant
Munera: res alias pulveris instar habet.
A. Si sermo, Gaufride tuus, non deviat à re,
Romulea nullus regnat in urbe Simon.
G. Ista vetus misereri comes est insania vulgi,
Hæc stolidos semper crede referre viros.
Nullus in urbe Simon, sed nec simonia moratur:
Nec speciem, nec habet urbs benedicta genus.
Res individuas etiam non ponimus illic:
Nullus enim precio spirituale petit.
Eloquio testante sacro Samaria vidit
Sola viri fraudem, pertimuitque ursas.
Sed multis, ut fama refert, terræque, marisque
Distat ab urbe sacra millibus ille locus.
Ex quibus arguitur, & sic concluditur amens
Ille qui in dominica non fuit urbe Simon.
Roma virum factumque viri non noverat umquam,
Re nisi qood gesta rumor in urbe fuit.
Mercator tanti sceleris mercede recepta,
In puncto stygias raptus adivit aquas.
Vox Petri percussit eum: Tua perdite, inquit,
Munera sint tecum perniciemque trahant.
Quod petis, argento nec fulvo quæritur auro,
Non Deus hoc fragili munere dives eget.
Hujus ad exemplum noster se Papa retorquet,
Et comitatur in hoc curia tota Patrem.
Qoid valet hîc? Simonis ignotum nomen in urbe est.
Barbara nulla magis nomina Roma putat.
Si tamen est aliquid Simonis de corpore restans,
Nolo petas ubi sit: nam didicisse nocet.
A. Istud habes, Gaufride, meum quod fortiùs urit
Pectus, & interior scire laborat homo.
Nulla meam potius mentem doctrina juvabit,
Quàm mihi si pateat qua sit in urbe Simon.
G. Hæc tua supponit, vir simplex, quomodo flamen,
Urbis enim Simonem mœnia nulla tenent.
Religiosos erat, & spiritualia quærens,
Regales illi displicuere domus.
Sed mihi plura loqui de re non expedit ista,
Ne super astra ferat labra tulisse loquens.
Non adeo sum stultus adhuc, ut claustra, Priores,
Abbates, monachos, in mea fata vocem.
Placatos habuisse bonos non gloria parva est,
Qui prodesse simul & nocuisse sciunt.
Sufficiat novisse tibi, nec plura require,
Qui Simon exemplo ducit ad ima suo.
Non mihi suspectus Cistercius Ordo vel albus:
Non nigri, aut illi, qui crucis arma gerunt.
Excludo muliebre genus, velamina quarum
Horrent perversi facta nefanda viri.
Pontificum ne putas quod mystica cornua tangam?
Absit, & insanus talia cadat homo.
Jam non Præpositos, jam non involvo Decanos;
Pectora me quisque judice pura tenet.
Alter in urbe fuit magica perfectus in arte,
Roma sed hunc Simonem dixerat esse magum:
Æthereas qui dum signum facturus ad arces
Iret, & in cælum penna levaret eum;
Ad partes rediit sanctis orantibus imas
Et male præsumptum continuavit iter.
Namque cadens solidæ collisit corpora terræ,
Et stat in indicium petra perenne rei.
A. Melleus iste mihi sermo, Gaufride, videtur.
Melleus, & nivei pocula lactis habens.
In causam fortasse traham, si me trahat alter,
Aut gravor, aut aliquem forte gravare, volo,
Quis poterit Gaufride meam defendere causam?
Quem mihi tutorem curia sacra dabit?

G. Troja viris numquam caruit, qui bella moverent
Hostibus, & quorum laude superba foret.
India nec fortes qui cervos vincere possent,
Atque feras alias, tygribus orba fuit.
Sic neque Romulea domus est doctoribus expers:
Fons utriusque facet juris in urbe viget.
Legibus armata est & canone Roma frequenter:
Ecclesias alias rivus ab urbe rigat.
Ars alibi speculata viget: sed practica Romam
Novit, & ex rerum fonte resultat honor.
Parthus retrogradis privabitur ante sagittis,
Quàm desint linguæ spicula, Roma, tibi.
Auditore dato vel judice, longius ite
Me monitore preces & manus ære gravis.
Judicii librâ non munere flectitur illic.
Constantes animos præmia nulla movent.
Illa vetus soli Romæ mensura remansit,
Quæ cumulat modium, cuique refertque suum:
Et quæcumque alibi juris scintilla relucet,
Hic, ni decipior, stillat in Urbe rigor.
Illic justitia dextra lævaque relicta,
Aspicit in mediis scandala nulla viis.
Si tua causa bona est, dabitur sententia pro te:
Si minus, orbis eam justificare nequit.
Quod nuper est factum, res est formidine plena.
Res est quæ reliquos justificare potest.
Causidicus fuerat quidam corruptus in Urbe,
Injustæque rei ferre spopondit opem.
Quid factum est? dum nocte daret sua membra
sopori,
Digna super sontem Judicis ira ruit.
Dæmon adest, oculoque virum condemnat in uno,
Dicens nequitiæ sint ea signa tuæ.
Si magis in causa fueris deprehensus iniqua,
Latro ferox, reliquo lumine cæcus eris.
Provisum est, & sic erebi statuere potentes:
Sic placuit stygiis qui dominantur aquis.
Ille sequente die factum manifestat, & omnis
Concussa est subito Roma stupore gravi.
Pæne viri nomen lapsum fuit ore loquentis:
Sed satis erepto lumine notus erit.
Prætereo, Aprilis, factum memorabile quoddam,
Quod Romæ nuper accidit, istud erat.
Ecce Castranum Comitem submovit ad urbem
Cujusdam viduæ longa querela bonæ.
Causa super patris dotem tangentibus orta est,
Atque aliis rebus, utpote rure, domo.
Ille Comes multos pro se conduxit utrimque:
Traditus, ut poscunt jura, libellus erat.
Obtinuit pauper in causa femina tandem:
Confususque abiit lite cadente Comes.
Unde patet quod Roma libram sic dirigit æque,
Ut passus faciant dives inopsque pares.
A. Perge per inceptum, comes ô fidissime, callem.
Et dubiæ mentis luminis affer opem.
Sit benedicta dies; sit felix hora diei,
Quæ me felicem te recitante facit.
Hospes & hospitium quæ nos junxere, per ævum
Durent, & stabili sint cumulata bono.
Ardeo plus & plus, magis & magis æstuo Romam
Conspicere, & pedibus oscula ferre sacris.
Jam mihi ab urbe procul quædam redolentia surgit:
Jam locus ille mihi spirat à Roma novum.
Dicto, sed adstantem tua me solatia reddunt:
Et mihi jam videor urbe potente frui.
Dic age quid faciunt quibus est à cardine nomen,
Post Papam quibus est immediatus honor?
G. Expediunt causas, magnique negotia mundi:
Extinguunt lites, fœdera rupta ligant.
Isti participes onerum, Papæque laborum,
Sustentant humeris grandia facta suis.
Ecce aliquis, si Papa jubet, petit æquoris undas,
Atque ad inhumanos non timet ire viros.
Hic partes Siculas, hic te Germania gaudens
Visitat, hic flavos*, Patre jubente, viros.
Sed cur enumerem totius climata mundi,
Diversosque situs & loca ab Urbe procul?
Omnibus una sedet Patri parere voluntas,
Et facere ut Christi multiplicetur honor.
Hi sunt, quis dubitat? qui portant fœderis arcam,
Nec super impositum præcipitatur opus.
Hæc sunt, ni fallor, animalia visa Johanni,
Aspectus quorum jaspidis instar erat.
Istæ igitur statuæ, totus quibus incubat orbis:
Hæ sunt, quas curvant pondera nulla, bases.
Nec ratione vacat, quod habent à cardine nomen.
Deservire solent nomina rebus in his.
Porta suos postes sine cardine claudere nescit:
Nec bene præter eos Pastor ovile regit.
Cardo tenet portam, nec quid valet illa remoto
Cardine: sic Papa nil valet absque viris.
Isti sunt flores, quos matris protulit hortus
Ecclesiæ quorum germine vernat ager.
Crescit in hoc horto florum genus omne: sed istos
Præcipuos flores nulla pruina premit.
Munere perpetui gaudent juvenescere veris,
Et semper rutilis prætadiare comis.
Si dicam quod sint violæ, non mentiar ex hoc.
Nam cælo similis vita colorat eos.
Fortè rosas dixisse placet? mirabile non est.
Vulnera nam Christi pectore semper habent.
Lilia candoris nivei dixisse licebit;
Nam carnis stimulo ponere frena solent.
A. Unde viros potero quando me Roma videbit
Noscere, Gausride, quæ mihi signa dabis?
G. Vestibus incedunt communibus: attamen illud
Quod caput insignit, ut rosa verna rubet.
In vultu macies, in corpore languor, in ipso
Gestu nescio quid spirituale sedet.
A. Et quid habent, vel cur facies jejuna videtur?
Squalorem quare carceris ora tenent?
Numquid deficiunt quæ sunt ad corporis usum?
An rebus, quibus est vita juvanda, carent?
G. Non sic, Aprilis, non sic, comes optimè, verùm
Præparat egregias larga coquina dapes.
Quando vocat tempus Patres ad prandia sacros,
Et stat diversis mensa repleta bonis:
Quid credis? comedunt ne putas, Aprilis amice,
Omnia quæ dives fercula mensa gerit?
Non ita: sed Roma pactum diversa reformat:
Mos est angelico vivere more viris.
Decipiunt carnem, nolentes carnibus uti:
Decipit & Bachum mater aquosa senem.
Asperiore cibo contenti, pinguia mandant
Cæcis, debilibus, pauperibusque dari.
Si tamen interdum digitos carnalibus escis,
Et placeat timidas apposuisse manus:
Protinus absistunt, & primo gustus in ore
Desipit, & carni displicet ipsa caro.
Sacra meam quater hanc viderunt limina frontem,
Et sum rimatus urbis opera sacræ.
Unde tibi cum sim toti notissimus Urbi,
De rerum serie vera referre scio.
A causis si quando Patres & litibus aurea
Expediunt, studii protinus arma petunt.
Hinc ubi librorum pertransiit hora, peterrant
In terra positi pectore claustra poli.
Cælestes speculantur opes, mundoque labanti
Succurrunt humili sedulitate precum.
O quotiens meritis istorum justa Tonantis
Dextera placata est: continuitque minas!
Vindicis assumptam jejunia longa securim
Impediunt, & nox longa sopora egens.

* id est Anglos.

Et quàm sæpe putas curvato poplite Regem
Orant, ut miseris parcat ab arce reis?
A. Continuo, venerande cumes, sermone perorâ
Æquoreas nondum phœbos adibit aquas.
Magna dies nostris sacer est narrantibus, & me
Leniret cantu fistula nulla magis.
Quid facit Antistes, Pastor sacer orbis & urbis?
Quid facit & studium quod solet esse viro?
Estne adeo sanctus, ut prædicat orbis eumdem?
Si sic est, merito mundus adorat eum.
G. Ista meas vires, Aprilis, quomodo vexat!
Res est ingeniis altior ista meis.
Num quid sit Papa facile est evolvere verbis?
Exiguum pectus quomodo magna premit?
Papa brevis vox est, sed virtus nominis hujus
Perlustrat quicquid arcus uterque tenet.
Hic est Elias magni de vertice montis,
Cælesti timidos qui ferit igne viros.
Hic Samson typicus, quo percutiente Philistim,
Sternit milienos faux asinina viros.
Liberat Ecclesiæ deprehensis vulpibus agrum.
Nec jam schismaticus vexat ovile lupus.
Non dubitat forti Pater obvius ire leoni,
Maxillisque graves inseruisse manus.
Iste David noster, cujus virtute Golias
Corruit, in funda vulnera mortis habens.
Herculis exemplo mundi ne corruat axis
Hic cavet, atque humeris grande retentat onus.
Præ cunctis aliis sacræ desudat in agro
Ecclesiæ, & cunctos Papa labore præit.
Ejicit arentes herbas, circumfovet illas
Quæ proferre boni germen odoris habent.
Ecclesiæ muris hortum complectitur altis,
Et spatiantur oves absque pavore lupi.
Pro grege multotiens animam sanctissimus iste
Exposuit Pastor, nulla pericla timens.
Ista procul toto dat lumen in orbe lucerna,
Lucet, & à cæli lampade lumen habet.
Non est ista latens modio candela sub arto:
Sed nitet in media præradiatque domo.
Hoc mundi commune jubar, sidus generale,
Omnibus in media nube revelat iter.
Nec tenebris noctis, nec solis aduritur igne:
Fulget in adversis casibus, inque bonis.
Non ventus, non aura potest extinguere lumen
Illud & æterno manere flamma calet.
Nocte Pater media, quando sopor occupat omnes,
Fessaque membra tenet fractus anima quies:
Surgit ad arma precum, toto quoque corde Tonanti
Supplicat, ut miseras intueatur oves:
Non videat quæ sint mundi delicta fluentis,
Non qua sit homo conditione miser:
Sed magis ad fontem veniæ, qui semper abundat,
Aspersisse velit, & tumulare nefas.
Cumque thorum lacrimis sic humectavit obortis,
Sollicitoque Dei corde rogavit opem:
Lux subit, & sacrum poscunt altaria numen,
Officiumque Pater audit, adestque tremens.
Egreditur posthac in consistoria, causas
Audit, & longis tractibus orbis adest.
Res sit in exemplo, quemdam te finge leonem
Cernere, & in mediis finge sedere feris.
Ut veniunt abeuntque feræ, regemque precantur,
Vultibus ut pavidis & reverentur eum:
Sic Papam venerantur oves, sic poplite flexo
Ante pedes almos procidit omnis homo.
Inde potest aliquis, quicumque sit, ore soluto
In serie verbi dicere quicquid habet.
Et quod multotiens mirabar, maximus ille
Quemlibet alloquitur, verba recepta notans.
Sæpe aliquem tenuit causa longissimus annus,
Nec potuit finis litibus esse suis:
Protinus ut facta est sincera relatio Papæ, *
Explicat impliciti Papa laboris onus.
Non longè suspendit opus, non hæsitat in re,
Non quærunt tardas pectora clara moras;
Sic sit, ait, vel non. Sic res dissibulat omnes;
Sic longas causas terminat ore brevi.
Et quamquam superet Papæ prudentia Fratres: * — * Cardinales.
Unus ut ex illis est tamen inter eos.
Nil proprio facit arbitrio, licet omnia possit:
Consilium prudens sæpe minoris habet.
Sufficiat quamvis immenso providus orbi,
Vult tamen externo dogmate Papa regi.
Atque ita dum residet, mundumque gubernat ab alto,
Et numerus Fratrum cingit utrimque virum.
Sæpe preces, aliquis timidè quas exhibet illi,
Accipit, & pauper exhilaratus abit.
Sic mihi dum pavidis accessi gressibus illum,
Quam non sperabam, gratia facta fuit.
Ille tamen qui me promovit, & ante tribunal
Duxerat, adjecit: Flecte, poeta, genu.
Gaietanus erat, qui cardinalis instar habendo
Crescit, & in postis ædificatur opus.
Cujus si ille sint nostræ sua carmina musæ,
Tempus in omne suum fama celebris erit.
Immo prius obitum faciam, ne vivere cesset,
Carmine perpetuo busta novabo viri.
A. Jam stilus à cœptu declinat themate, jamque
Carpere diversum velle videris iter.
Proposita discurre viâ, Gaufride fidelis,
Et sine felle cumes dissere facta Patris.
G. Cumque fatigatum vario luctamine tandem
Perdita restaurans sub novet hora Patrem,
Quamvis lauta sacræ ponantur fercula mensæ,
Contentus tamen est asperiore cibo.
Si mare transmittat pisces, si silva feram,
Si venant quas vir arte fefellit aves:
Pauca Pater timido temptat gustare palato,
Cetera mittit eis, nulla coquina quibus.
Non mora longa placet, subitò sacra mensa levatur:
Redduntur grates qui dedit illa Deo.
O quot in orbe scio, quorum prolixior esca est,
Major in appositis quos tenet hora cibis!
Qui quando comedunt hoc quo vescuntur adorant,
Et clauso inclinant lumina sæpe mero.
Prandia non satiant alios geminata, sed almo
Cotidie satis est unica mensa Patri.
Inde Pater solium cum commensalibus altum
Intrat, & in medium quæstio pulcra datur.
Hic aliquis quærit? non dedignatur in ipsis
Grammaticæ dubiis opposuisse vius:
Cur ita transpositos tres verba gerundia casus
Declinare solent, curque supina duos.
Cur numerus talis accessit partibus istis,
Et casus plures non habuère regat.
An sint in genere verborum, nominibusve
Grammaticus certis associanda putet.
Alter adest quærens universalia quare
Septem sint numero, si trahat indè duo.
Sint incorporeis ea subsistentia rebus,
An mentis ratio separet illa procul.
Subjectumque tribus cum sermo sit artibus idem,
Qualiter à reliquis differat una trium?
Alter ab eloquii sic incipit ore diserti,
Ponit & in medios hoc breve thema viros.
Artis Rhetoricæ cùm sit persuasio finis,
Quis color ad finem junctior esse solet?
An quo sermo nitet, vel quo sententia fulget,

An magis irradiet mixtus uterque color?
Objicit hic aliquis contra te musica, sicque
Arguit, & verum te . . . . . trahit.
Cæleitis cùm sit ut quidam musica dicunt,
Cum sese feriunt corpora magna poli:
Quæ ratio est quod non talis vox pervenit ad nos,
Cum tamen ex tonitro concutiatur humus?
Quærit arithmeticus, cur septenarius inter.
Res numeri solus mystica sacra ferat.
Divinum trahat unde suum, de partibus ipsis,
An magis à specie quæ dator ecce rei.
Cur non est æque sacer octonarius, aut plus,
Augmentum monadis cum superaddat ei.
Quærit iter radio qui scit describere terram,
Mensuram cujus portio nulla latet.
Si terræ & magno quo claudimur undique cælo,
Ex æquo centrum participatur idem.
Linea si major fuerit conjuncta minori,
Afficere hanc illi qua potes arte parem?
Quæritur hic etiam quæ constellatio regnat,
Cùm generator homo prospera nulla videns.
Quis sit & ascendens tunc cum post bella potimur
Laudibus, & cingit laurea summa caput.
Quove sub aspecto connubia talia fiunt,
Nulla quibus flamma est, sed glacialis amor.
Disputat inde aliquis qui physica corpora novit,
Physicus & socium comparis artis habet.
Cum sint humores in corpore quatuor omni
Organico, sumptus quos alit atque cibus:
Quæritur an pariter omnes generentur, an unus
Per prius & reliqua posteriore loco?
Rursus adest aliquis qui novit carminis artem,
Quæ de natura constat & arte pedum.
Cur tantum pedibus senis vel quinque laborat
Metricus, & plures nescit habere pedes.
In pedibus medus cur est cæsura, nec istud
Primus & extremus commoditatis habent?
Instat adhuc alius præcinctus dogmate legum,
Aut juris doctor Justiniane tui.
Femina si qua suo quæsivit cornua sponso,
An sit legitimo jure fuganda thoro.
Tytius hunc fundum possedit pluribus annis,
Nec meminit quod ei quæstio mota foret:
Si juvat hunc quæro præscriptio temporis ampli,
Semper an actori justa querela patet.
Hic naturalis ad naturalia sese
Torquet, & in turbam tale volutat onus.
Cum nihil ex nihilo, sed sit res omnis ab ente,
An sit ab æterno primula massa rei.
Præterea cum sit generatio continuorum,
Si mundus durat tempus in omne rogat.
Iste minora petit, cur tempora noctis opacæ
Plus madeant pluviis, quàm radiosa dies.
Quærit item; quare brumali tempore semper
Plus solito pluviæ multiplicentur aquæ.
Et quæ sit ratio, quod ab uno fonte recedunt
Tot species, pluviæ, grando, pruina, nives?
Disputat hic etiam, cui biblia tota fatetur
Imperium, & vires scripta profunda suas.
Cur temtavit Abram scrutatio pectoris alti,
Aspectum cujus nulla latere queunt.
Quærit item proprio si Christus sanguine mundum
In cruce sanavit, quid sacra limpha lavat?
Vel sic: Qui verbo potuit succurrere mundo,
In cruce propter quid vulnera dira tulit?
Aut ita: Dum tenuit crucifixi membra sepulcrum
Condita, ubi interea spiritus ejus erat?
Rursus ait, si mundus erat redimendus ab arce,
Cur Deus extremo tempore factus homo est?
Omnibus his vigiles præbet sacer arbiter aures:
Quodque aliis durum est, hoc leve Papa gerit.
Talibus ecce viris solium papale refulget,
Et tales gemmas ardua tigna gerunt.
A. Eloquio superas magnum recitator Ulyxem:
Mira refers, sintque hæc omnia vera precor.
O mihi si tali mensa residere liceret!
Diceret & Princeps, Sit mea mensa tibi.
Non loquor hoc, quòd deficiat mihi potus & esca:
Sed vellem studiis junctior esse bonis.
Spicula fortè meis facerem prodire pharetris:
Dura mihi fieret quomodo facta levis.
Nunc responderem, nunc rursus ad arma venissem,
Opponens doctis absque pavore viris.
G. Inveniet quodcumque sitit qui venerit illuc.
Omnibus armata est artibus illa domus.
Est illic aliquis, qui si combusta jaceret,
Inventor fieret, philosophia, novæ.
Erigeret meliore modo novus editor illam,
Vinceret & veteres artis honore viros.
A. Inceptam percurre viam: jam terminus instat.
Jam tibi plura movens non onerosus ero.
Estne locus cum Patre loqui, pedibusque sacratis
Concedi speras oscula ferre mihi?
Audivi quod sæpe viros intrare volentes
A foribus removent verbera juncta minis.
Quodque sacros postes prædura repagula firment,
Sitque per angustum transitus ille locum.
Quis mihi consilium vel opem parabit amicus,
Ut sine fuste queat porta patere mihi?
Expediensne putas, si cautè munera mecum
Illis qui servant ostia sacra feram?
Munere nonne dato vaccas Jove natus abegit?
Vivit adhuc idem Bachus ubique senex.
G. Omnia temporibus distinguit curia certis,
Et poscunt horas quæque gerenda suas.
Quisquis mane Patri, postquam sacra Missa peracta est,
Venerit, admittet pervia porta virum.
Dummodo compositis veniat sub moribus, & sit
Vir placidi vultus, suspicione carens.
Non ibi percussum vidi sua vulnera flentem,
Non male distractas diriguisse comas.
Nec puto quod sit opus, ut quemquam munere flectas.
Omnia qui sacris postibus aditat habet.
Sic etenim ditavit eos pia dextera Papæ,
Muneris ut species nulla perurat eos.
Cumque fores ingressus eris, formidine pulsa,
Securo poteris comminus ore frui.
Disce tamen pedibus in primis oscula ferre
Sacris, & post hoc surge loquenda loquens.
Papa tuis placidas præbebit vocibus aures,
Et tibi de solita se pietate dabit.
Esto tamen brevis, & succinctis utere verbis.
Multa vident paucis pectora magna notis.
Nemo diu teneat dominos sermonibus, audit
Sola libens varios rustica turba sonos.
A. Fortè loqui potero mihi quod placet: attamen arvis,
Non bene fertilibus semina mando ferens.
Sic vellem sermone frui, ne ventus & aura
Deferrent voces & mea vota simul.
G. Hic tibi nostra manus cuinam secreta licebit
Cernere corda procul, non dabit artis opem.
Solus habet secreta Deus cognoscere mentis:
Talibus in factis quis tuus augur erit?
Hac in re dubiis expones carbasa ventis:
Et tua vult illic gratia forte regi.
Res tamen est constans, aliquis de sanguine Papæ
Si tecum fuerit, dicta petita feres.
Si potes, efficias Papæ venturus ad aures,
Proferat illius ut tua verba Nepos.

Papa facit quod sæpe volunt : verumtamen illi
Justa petunt, non rem quæ rationis eget.
A. Dic, Gaufride, precor, dic vir clarissime, quales
Hi sint quos Papæ sanguinis unit amor.
Suntne viri, quorum bona conversatio, suotne
Tales virtutum forma, lucerna boni ?
Numquid in afflictos pietatis viscera ponunt,
Oppressosque juvant Principis ante thronum ?
G. Sic equidem, quoniam genus hoc de semine tali
Pullulat, unde lues crescere nulla solet.
Non homines vidi, quorum perfectio major,
Omnibus inspectante reor urbis habet.
Sic dotes natura suas exhanlit in illis,
Quod jam pæne alios non habet unde juvet.
Semper habent vultus, quasi desuper angelus omen
Eventusque bonos significare volens:
Hoc facile est novisse tibi : procera statura,
Et formæ candor indice prodit eos.
Quilibet illorum de vita & moribus altis
Jure sacer fieret urbis & orbis apex.
Sunt faciles, ut rem faciant pro paupere magnam,
Et tantum cæli munus ab arce volunt.
Nemo redit vacuus vel inexauditus ab illis :
Conspicua cunctos de bonitate juvant.
Quid moror ? ipsorum complexio clara coartat,
Ne quid agant præter nobilitatis opus.
Hos adeas supplex, & te tua vota sequentur :
Et me fata trahant, si tibi falsa loquar.
A. Quid si pœniteo, si me mea culpa remordet,
Quis mihi consilium spirituale dabit ?
Quis poterit mihi me, tamquam baptismatis unda
Laverit, ad primos restituisse gradus ?
G. Alma viros posuit discretio Patris in urbe,
Qui purgant monitis sordida vasa sacris.
Explanatur ibi, quod magni pagina Vatis
Ore sacro longos dixerat ante dies.
Coccinei fuerint si crimina vestra coloris,
Induet his niveum forma novella decus.
Si quasi vermiculus fuerint rubefacta, recentes
Et vultus albos candida lana dabit.
Multotiens illic durissima pectora primum,
Tandem sunt monitis mollia facta piis.
Sæpe dedit lacrimas vir desperatus amaras,
Et sensit quam non ferre putabit opem.
A. Dic, facunde comes, de quo sit bulla metallo ?
Non est visa oculis prô dolor illa meis.
Credo quod ex fulvo, nec miror, splendeat auro :
Conveniens tanto est aurea bulla Patri.
Aurea si non est, argento clara refulget :
Ære figurari non leviore potest.
G. Te tua vir simplex, Aprilis, opinio fallit.
Res est à tali credulitate procul.
Non auro, non argento sacra bulla refulget :
Insignit chartas plumbea forma sacras.
Vix aliquis baculo Romanam deserit urbem
Tutus, & ad proprios pervenit usque lares.
Et quibus insidiis Roma redeuntibus auro :
Undique nocte die semita clausa foret.
Vix plumbum retinent, retinerent qualiter aurum ?
Cautius abstinuit talibus ergo Pater.
A. Quod magis affecto, cœpto sermone perora :
Quales sunt, quibus est credita bulla viri ?
Suntne quibus pietas & qui sine munere bullam
Illuc mendico dent veniente viro ?
G. Accipe quæsiti quæ sit responsio verbi.
Omnia scire volens, singula rite feres.
Venerit ad bullam perfectè pauper & exsul :
Promeruisse potest forte salutis opem.
Alter ab excelso si sit transmissus Olympo,
Ni priùs enumeret munera, litus arat.
Bulla reclamatur, si non in tempore certo,
Dentibus horrendis dilaceratur opus.
Et ni legales sint & sine crimine nummi,
Littera de bulla nulla sequetur eos.
Hanc ego furnacem certo quia lumine vidi,
Semper in intuitu mentis habebo meæ.
Ponitur incudi pars quædam parvula plumbi,
Et redit argenti tempore forma brevi.
Malleus impositæ vix dat tria verbera massæ,
Et subito plumbum se novat ære novo.
A. Forsitan alchimia est, nam talia multa videmos,
Cùm melior species surgit ab ære rudi.
G. Non ita, sed virtus, papalibus insita verbis,
Naturæ speciem sic variare solet.
Virtus verborum Papæ sic imperat æri,
Ut faciat quicquid verba sacrata jubent.
Sæpius audisti quod vis sermonibus apta est,
Et quod naturam callida verba trahunt.
A. Non video plura mibi quærenda supersunt ;
Jamque patent oculis mœnia sacra meis.
Si juvat ergo preces in cælum fundere quicquam,
Dii referant monitis præmia digna tuis.
Hic patriam repetit, hic sacram tendit in urbem :
Hunc loca nota vident, hunc peregrina domus.

ADNOTATIO.

Carmen mox editum nobis suppeditavit codex Einsidlensis, in quo nullum exstat Auctoris nomen. An fuerit Gaufridus ille, interlocutorum princeps, incertum. Quamquam ex narrationis serie id parum veri simile videtur. Quisquis fuerit Poëta noster, medio sæculo XIII *vixit, ut colligitur ex iis qua dicit de Cardinale Gajetano. quod vel de Johanne Gajetano Ursino, postea Pontifice sub nomine Nicolai* III*, vel de Jacobo Gajetano Anagnino, qui paullo post floruit, intelligendum est. Certè vixit post Consilium Lugdunense anni* MCCXLV*, quo in Concilio Cardinalibus concessum est rubri pilei insigne, cujus mentionem facit Poëta versu 618. Mirum verò est illis temporibus exstitisse tam felicis ac facilis venæ poëtam. qui præter hoc carmen, etiam aliud de Ecclesia calamitatibus scripsit. Memorantur inter illius temporis Poëtas Alexander de Villa-Dei, Minorita Dolensis Aremoricus,* Doctrinalis metrici *auctor ; itemque Conradus de Mure, conditor* Fabularii *carmine haud ignotus, itemque Præcentor ecclesiæ Tigurinæ, unde parum distat monasterium Einsidlense, ubi hoc carmen invenimus. An Conradus Poëta nostri venam assequatur, viderint, qui ejus* Fabularium *legerunt. Huc facit, quod ad oram codicis ms. littera C semel ad versum 17 sola, deinde semper cum G. & A. interlocutoribus apponitur. quæ littera* Conradum*, an* Carmen *aut quidvis aliud significet, lectorum esto judicium. Saltem id visum est hoc loco adnotare ad qualemcumque conjecturam.*

EPITAPHIA PRINCIPUM ET ILLUSTRIUM PERSONARUM.

I.

CHRODEGANGI

Episcopi Metensis.

QUISQUIS ab occasu venis hîc, vel quisquis ab ortu,
Præsulis hic cineres scito jacere pii.
Moribus ornatum, virtutum tramite rectum,
Egregium meritis hæc tenet urna virum.
Cui sancti actus, lex meditatio, dogma fidele,
ROTGANGUS nomen, gloria Christus erat.
Romuleâ de sede sibi data pallia sancta
Extulit, huncque Patrum extulit ille Pater.
Instruit sanctæ Clerum hinc munia vitæ,
Ordine in Ecclesia luxque decusque fuit.
Exemplo & verbis animos ad cælica regna
Misit, & in tanta floruit arte satis.
Virtutes retinens, vitiorum monstraque vitans;
Satque in eo viguit pontificalis apex.
Solator viduis fuit, & tutela misellis,
Sensit & hunc sibimet orphana turba patrem:
Regibus acceptus, populo venerabilis omni,
Vita ejus cunctis norma salutis erat.
Post vitæ cursum senio veniente peractum,
Terram dat terræ, mittit ad astra animam.

II.

TEUDULFI seu THEODULFI

Episcopi Aurelianensis.

Illius cineres saxo servantur in isto,
Qui quondam populis Præsul & Abba fuit.
Non noster genitus, noster habeatur alumnus:
Protulit hunc Speria, Gallia sed nutriit.
Urbs populosa satis Ligerum super Aurelianis,
Quæ olim læta fuit hoc residente Patre.
Prò dolor! hunc pepulit propria de sede malignus,
Mœnibus his traditus exsul, & exsul erat.

III.

DROGONIS & PIPPINI

Caroli Calvi filiorum.

Quisque videns nostra solerti corde figuras,
Perspice quàm subito defluat orbis honos.
Rege sati fuimus, nomen qui nomine duxit
De Magni Magnus, de Caroli Carolus.
Nec licuit totum vitæ complectier annum:
Sed rapuit nostras debita mors animas.
Si, genitor, nostram digneris visere tumbam,
Rex, nostros obitus ne doleas petimus.
Terris sublati, placida regione locati,
Cum Sanctis requie perpetua fruimur.
Vos nostri memores felices este parentes.
Hoc PIPINUS ego posco, simulque DROGO.

IV.

ETHGIVÆ REGINÆ

Caroli Simplicis uxoris.

Quæ fueram quondam titulis generosa superbis,
Quæ Ducibus Regni regimen memorabile Francia:
Hic ETHGIVA premor, terræ sub pulvere pulvis.
Quod quisquis cernis, casus reminiscere mortis,
Orans ut requies detur mihi carne solutæ.
VII KAL. JAN.

V.

GOTFREDI

Monachi Dionysiani.

Hîc celebris recubat vitâ redimitus honestâ
GOTFREDUS Monachus carus, Monachusque beatus.
Aræ & Domini dignusque minister & aræ.
Dum vixit, valuit, tenuit, dilexit, amavit
Justitiam veramque fidem pacem quoque puram.
Appetit hunc inimica ferox nulli pia mors, mors
Urque foret solitum dissolvit pectore flatum.
Jamque dies Februus bissenos solverat orbi,
Terra tegit corpus, clarum sed in arce polorum
Contegat ut Christus, lector, deposce, precamur.

VI.

FREDERICI

Comitis & Monachi.

Scire volens, lector, tumulo quis conditur isto,
Noveris hîc magni FREDERICI membra locari.
Inclitus ipse Comes, magnatis regia proles,
Legit amore Dei Monachatus sorte beari.
Vir bonus atque pius, nulli probitate secundus,
Normâ justitiæ enituit mirandus in orbe.
Assumtus Christo copuletur fœdere longo,
Præmia cum superis indeptus vivida lucis.
Prætereuns dicat: Fredericus pace quiescat.
Idibus octavis tulit hunc Januarius astris.

VII.

GIRBERTI

Abbatis Fontanellensis

Quarta Septembris solvit sua debita membris,
Luce sua propria fungitur ex patria.
Abbas GIRBERTUS, plenus pietate repertus,
Hoc jacet in tumulo, non careat titulo.
Hunc genuit florem Magunria, nobiliorem
Quo nullum genuit, cernere nec valuit.
Hic supradictus nullo discrimine ductus
Tempore militiæ lux, decus Ecclesiæ.
Pauperibus vixit; caput in membris benedixit:
Mors sibi vita fuit, vivere namque fuit.

VIII.

WILLELMI

Abbatis Mettensis.

Funere cum tristi sacram defertur ad ædem
Defunctus vita Monachorum rector & Abbas
WILLELMUS, sparsi notus per climata mundi.
Hoc Pater Arnulfus requiescit corpore sanctus,
Regia Mettensis prope mœnia deforis urbis,

Qua sibi parte tenet spirantes Auster odores,
Ecclesiæ specimen referens ubi dignè cacumen,
Aris bis senam faciat domus alta catervam,
Cùm petit ordenas Janus de more Calendas,
Sole sub occiduo vel cedit vesper olympo,
Post triduumque Dei spectantur gaudia nati.
Hoc quoque perlecto verborum callicinsto
Vestrorum Fratrum Christi sub lege piorum
Plangere didicimus vos lamentabile funus.
Ex queis Rainardus unus de nomine dictus,
Alter & alterius renovavit funere planctus.
Pro quibus æterno petitis dare carmina Christo,
Quod fieri dignum nos ducimus & perfectum.
Is simul adjunctis retinet quos cartula cunctis,
Hancque vicem nostris deposcimus apte rependi.
Vel quos forte sua jam linquere contigit ima:
Aut quos fluctivagæ collidunt flumina vitæ.
Pondere quo carnis mereantur concite solvi,
Ac simul angelicis conjungi perpete turmis.

IX.

Hariulfi

Abbatis Aldemborgensis.

Pontivo natus pronus studiis Hariulfus,
Almi Richarii claustra puer subiit.
In quibus imbutus, deceat quid nosse magistrum;
Aldemborgensis tertius Abba fuit.
Rem sibi commissam pro viribus amplificavit,
Crescere, Petre, tuis semper opes sinens.
Fratribus exemplum prætendens compatientis,
Multa nimis tacuit, quæque loqui docuit.
Centula quos Fratres retinet, coluit seniores.
Illis quod sit honor cernere semper amans.

Idem ad Centulenses

De Chronico suo.

Centula diligo te doctricis captos amore,
Ultima cùm tibi do munuscula, mater avito:
Atque vicem referens dic nato: Nate valeto.
Comprobat hinc magnum circa vos semper amorem;
Talia scribendo qui vobis auget honorem.
Et memor est vestri, si quis locus accidit illi;
Conferat ut nostræ condignam notitiæ rem,
Quam puto vos latuisse diu, nec vestra tenere
Condita secretis armaria clavibus arcet.

ADNOTATIONES IN EPITAPHIA.

In Epitaphium I.

Chrodegangi *Metensis Episcopi epitaphium eruit ex pervetusto codice Vitoniano, in quo habentur carmina Theodulfi Episcopi Aurelianensis, cum paucis aliorum versibus hinc inde insertis. Hinc conjecturam caperem epitaphii hujus auctorem esse Theodulfum, nisi alter suaderem salebra nonnulla, quæ in Theodulfum non facile cadunt. Chrodegangus obiit* pridie Nonas Martias in diebus Pipini Regis: *requiescitque* in Gorzia Monasterio, quod ipse à fundamentis construxit, *teste Paulo Diacono in libro de Metensibus Episcopis. Laudatur maximè ob piè institutam Clericorum vitam, quibus Regulam præscripsit ex sancti Benedicti Regula magna ex parte desumtam.*

In Epitaphium II.

Et *hoc Theodulfi epitaphium ex eodem codice descripsi. Eum natione Italum fuisse tradunt, hoc est (uti Sirmondus opinatur) ex Gallia Cisalpina. Speriam seu Hesperiam ipsi patriam tribuit epitaphium: sed æquivocum est nomen istud, aliquando Italiam, aliquando Hispaniam significans. Vetus Chronicon à Chesnio editum in Historiæ Franciæ tomo 4, eum desinit pag. 36 his verbis:* Floruit etiam in his temporibus apud urbem Aurelianensem Teodulfus Episcopus, qui propter scientiæ prærogativam quâ pollebat, à memorato Imperatore Karolo Magno ab Italia in Gallias adductus, & Floriacensem ab eo Abbatiam, & Aurelianensem simul meruit Episcopatum. *At his obstat, quod Theodulfus ipse se ex Hispania ortum esse non obscurè innuit in Parænesi ad judices, his versibus:*

Mox sedes, Narbona, tuas urbemque decoram
Tangimus, occurrit quo mihi læta cohors.
Relliquiæ Getici populi, simul Hespera turba
Me consanguineo fit duce læta sibi.

Ubi Theodulfus consanguineos vocat Hesperiæ populos in Septimania degentes, qui ex Hispania eo confluxerant. Nisi sic consanguineos dicit hoc nomine, quòd ex eadem gente tam Gothi illi Septimaniæ populi, quam Ostro-Gothi in Italia degentes, ex quibus procreatus esset Theodulfus, processissent. Mortuus est Theodulfus anno DCCCXXI, *exsilii* VII, *veneno necatus, sive in reditu, ut in Chronico prædicto legitur, sive post reditum Aurelianos, ut apud Letaldum Miciacensem Monachum in libro de miraculis sancti Maximini Abbatis: qui liber in primo Sæculo Benedictino typis vulgatus est. Theodulfi obitus in Necrologio nostro Monasterii sancti Germani Pratensis ante annos* DCCC *exarato reponitur* XIV *Kalend. Octobris. Lege alias plura.*

In Epitaphium III.

Drogonis *& Pippini epitaphium scripsit Milo Monachus Cœnobii Elnonensis, seu sancti Amandi in Belgio, ubi educati ac mortui sunt. Hujus rei fidem facit vetus codex Elnonensis, in quo habetur hoc epitaphium cum ejusmodi titulo:* Tempore Milonis Monachi, gemini fratres Drogo & Pippinus, filii Caroli Magni, liberalibus disciplinis instituti sunt in Cœnobio sancti Amandi, ubi & sepulti sunt prope sacellum sanctorum Petri & Pauli cum hoc epitaphio. *Hic Caroli Magni nomine intellige Carolum Calvum, qui* Magni *nomine donatur, tam in ipso epitaphio, tam epistola quadam Nicolai Papæ primi, tum in vetere nostro Necrologio Germanensi ad* XI *Kalend. Aprilis, quo die ponitur obitus* Rothildis Abbatissæ & Monachæ filiæ Regis Magni Caroli.

In Epitaphium IV.

Ethgivæ *epitaphium fugientibus litteris jam penè obliteratum eruimus ex crypta subterranea Monasterii sancti Medardi apud Suessiones, ubi jacet in sacello, quod* Sepulcri *dicitur. Nupta fuit primùm Carolo Simplici; tum eo intercepto ab æmulis in patriam, id est in Britanniam insulam, unà cum filio Ludovico fuga elapsa: ac demum secundis nuptiis conjuncta cum Heriberto Comite Viromanduorum. Hæc ab aliis vocatur Eadgiva, Ogiva, corruptè Ogina.*

IN EPITAPHIUM V.

DE *Goifredo Monacho Dionysiano nihil habeo adnotandum. Ejus epitaphium legitur in mſ. codice viri clariſſimi Claudii Joli Cantoris Pariſienſis : qui codex complectitur Retractationes ſancti Auguſtini ab annis fere octingentis manu deſcriptas.*

In quodam codice membraneo Bibliotheca Metenſis ſancti Arnulfi inveni epiſtolam encyclicam Monachorum Cœnobii Dionyſiani, qua ſignificant, quemdam Fratrem *ſuum*, *nomine* WARNARIUM, nuper monaſticæ inſtitutioni addictum. IIII. Kal. Octobris, ſpiritum exhalaſſe, *cui adjungunt* alium Fratrem, nomine HERDRADUM, qui corporis ſenio jam multum feſſus, magnæque infirmitatis debilitate attritus, ſex diebus in ſacro vivens habitu, ſeptimo rebus exemtus ſæculi vitam reddidit Creatori. *Hac obiter.*

IN EPITAPHIUM VI.

VIR *illuſtris originis fuit Fredericus Comes, Imperiali ſanguine procreatus; cujus pater Godefridus; fratres Adalbero Virdunenſis Epiſcopus, Hermannus* Comitum nobiliſſimus; *Godefridus & Gozelo Duces. Is multis dilaudatur ab Hugone Abbate Flaviniacenſi in Chronici parte 2 cap. 3. Eximium modeſtia, aliarumque virtutum ſpecimen edidit Monachus ſub Fingenio & Ricardo Abbatibus Monaſterii ſancti Vitoni initio & progreſſu ſaculi XI. Ejus Epitaphium erui ex mſ. codice Corbeienſi.*

IN EPITAPHIUM VII.

GIRBERTUS *Fontanellenſi Monaſterio præfuit poſt medium ſæculum XI, mortuus anno M LXXXIX. ab Orderico Vitali ſanctoque Anſelmo laudatur. Illud epitaphium condidit Deodatus, uti apparet ex mſ. codice Cœnobii ſancti Audoeni apud Rotomagum in quo apponitur hic titulus* : Epitaphium DEODATI ſuper GIRBERTUM Abbatem.

IN EPITAPHIUM VIII.

QUIS *& quantus fuerit Willelmus Abbas Metenſis Monaſterii ſancti Arnulfi, quivis facilè intelliget ex ipſius epiſtolis, quas ſuperiùs edidi. Eſt qui hoc epitaphium tribuat alteri Willelmo, qui eamdem Abbatiam rexit ſub finem ſaculi XIII. Verùm potiùs convenit Willelmo primo, qui hactenus inter Abbates ejuſdem loci adnumeratus non eſt. Certè quòd Willelmus iſte in epitaphio dicitur* notus per climata mundi, *nulli magis congruit quàm Willelmo primo, qui religione & ſcientia ſuo tempore clariſſimus fuit.*

IN EPITAPHIUM IX.

HARIULFUS, *Monachus primum Centulenſis ſeu ſancti Richarii in Pontivo, tum Abbas Aldemborgenſis in Belgio prope Brugas, ſuummet ipſius epitaphium ſcripſit in fine Chronici Centulenſis : quod Chronicon in tomo quarto Spicilegii editum eſt ad fidem exempli Cheſniani. Hoc in exemplo deerant nonnulla, qua ex autographo per me recuperato excerpſi, in his epitaphium ſuperiùs relatum. Ex eo verò diſcimus, Hariulfum Abbatem Aldemborgenſem non alium eſſe ab Harſulfo Monacho Centulenſi, ſecus quàm nonnullis videbatur. Floruit ſub finem XI ſæculi Hariulfus, cujus obitus in veteri Necrologio Centulenſi notatur his verbis* : XIII Kalendas Maii

obiit Hariulfus ſenior. *ut diſtinguatur ſcilicet ab alio Hariulfo Levita & Monacho, qui XIII Kalendas Junii obiiſſe memoratur.*



ALIA EPITAPHIA.

I.

ORIGENIS.

Ille ego ORIGENES doctor veriſſimus olim,
  Quem primum fidei gratia clara dedit.
Si mihi credere vis, libros tot milia ſcripſi,
  Quot legio miſſos mittit in arma viros.
Nulla meos umquam tetigit blaſphemia ſenſus,
  Sed probus atque vigil, tutus ab hoſte fui.
Sola mihi caſum Periarchôn dicta dederunt.
  His me conjectum undique tela premunt.

II.

HILDINI & HATTONIS

Epiſcoporum Virdunenſium.

Sim licèt anguſtum lapidis ſub tegmine buſtum;
  Sum tamen eximium valde domicilium,
Epiſcoporum complectens oſſa duorum,
  Es, Hildine, prior, Hattoque poſterior.
O Deus omnipotens, cæleſtia gaudia donans,
  His piè ſubvenias, quos ſimul hîc ſocias.

III.

BERENGARII.

Epiſcopi Virdunenſis.

Cultus juſtitiæ, clarum quoque dogma ſophiæ,
Clauditur hac urna, perfunctus luce diurna.
Præſule ſub tanto monachus cœpit hîc ordo,
Qui dulces Domino laudes ferit in decachordo.
Hic Berengarius humiles ſe ſubdit ad actus,
Dum Monachus factus, priſcum commutat honorem
Præſulis Auguſti dum tandem lumina currunt,
Extremum ſidus pridie eſt ſortitus in Idus.

IV.

RAIMBERTI

Virdunenſis Epiſcopi.

Plebs Virduna tuis gaude decorata patronis,
Quorum tu cineres ſervas tibi, ſed polus ignes.
Quos inter felix Præſul, RAIMBERTE, quieſcis.
Te veteres ponit ſtructore, novoſque reſumit
Hæc ædes mores, in qua noctuque diuque
A Monachis laudes divinæ vociferantur.
Hieruſalem vadis, ſed vadens ſidera ſcandis,
Ter-deno Aprilis de carcere corporis exis :
Mente tibi fixi cruce corporis æmule Chriſti.
Bellagrada priùs tenuit reſolubile corpus;
Poſtea Virdunum BERNERI ardore relatum,
Hicque ſepulcra tuis donantur debita membris.

V.

RICHERI

Virdunenſis Epiſcopi.

Præſulis indigni, JESU, miſerere RICHERI,

Quem reprobum meritum vergit ad interitum.
Nempe levi cura neglexi publica jura,
Invigilans legi segniter, atque gregi.
Per te spero tamen veniam, scelerumque juvamen.
Qui legis hoc carmen, dic, rogo, lector, Amen.

VI.

MATHILDIS

Comitissæ Saxoniæ.

Stemma Magnorum MATHILDIS erat titulorum,
Felicem pariendo Duci sobolem GOZFRIDO.
Vivens multa dedit Christo, ac moriendo reliquit.
Edidit Ecclesiæ te, Præsul ADALBERO, nostræ.
Inde Duces, Comitesque duos, qui nobilitatis
Ecclesiæque decus vixerunt & decus aulæ.

VII.

LUDOVICI

Comitis & Monachi.

Heu LUDOVICE Comes, patriæ dulcissime fomes,
Et pacis soboles, hîc te premit aspera moles.
Hæccine falsorum fastus compensat honorum,
Quòd jaces exemtus, patriæ pro pace peremtus?
Sed bene quis moritur, cum pro pietate feritur.
Ergo cruentatus, habitum sumis Monachatûs:
Sicque perornatus repetis cælestia gaudens.
Ætherei cives hunc consocient requiei.

VIII.

HERMANNI

Ex Comite Monachi.

Mausoleo HERMANNUS tegitur conclusus in isto,
Nobilitate cluens, generosa stirpe refulgens,
Princeps magnificus, diva pietate refertus,
Justitià validus, recto moderamine cautus:
Et qui militiæ flos exstitit atque lucerna,
Ecclesiæ soboles, procerumque industrius heres,
Speque salutifera contemnens terrea cuncta.
Ductus amore Dei, sacratæ relligioni
Subdit se, extremum mox librat ad æthera flatum.
Junius hunc quinto subvexit ad astra Kalendas.

IX.

LICTARDI

Comitis, dein Monachi.

Nomine Lictardus, Comes hîc pausat tumulatus,
Imperiale decus, Conradi stirpe creatus.
Sed post tale decus, vestem sumit Monachatûs,
Et sua devotus dat, centenis cumulatus,
Pauper pauperibus, Christo dives sociatus.
Exorare Deum oro se sit quisque paratus.
Maio mortuus est, atque in hac æde sepultus.

X.

GELDUINI.

Ex Comite Monachi.

Post senium fessus, jaces isthic funere pressus
Gelduine Pater, monachili schemate Frater.
Te, Comes illustris, divus perflaverat ignis;
Qui dum vixisti, Monachatum sic coluisti;
Ut Domino gratus, confratribus esses amatus.
Unde Dei pietas tandem dedit has tibi metas,
Tot tantisque bonis præstans gaudere patronis,
Quorum nunc meritis socieris fine beato,
In regno supero cumulatus schemate vero.

ADNOTATIONES IN EPITAPHIA.

IN EPITPHHIUM I.

HABENTUR *hi versus initio librorum Periarchôn in veterrimo codice Corbeiensi cum hac inscriptione*, TITULUS ORIGENIS SUPER TUMULUM A SEIPSO COMPOSITUS. *immo potiùs a quodam studioso in persona Origenis.*

IN EPITAPHIUM II.

De *Hildini electione ita scribit Bertarius Presbyter Virdunensis in Historia Episcoporum Virdunensium, & post eum Hugo Abbas Flaviniacensis in Chronico.* Defuncto HERILANDO Antistite abiit pars Clerei & plebis Virdunicæ ad Ludovicum Imperatorem anno DCCCXXVII, & petierunt sibi dari domnum HILDINUM de Allemannia virum bonum & sanctum, qui in episcopatu suo multas ecclesias construxit, & multa bona operatus est. *Idem Hugo Hildini obitum refert anno* DCCCLI *Idibus Januarii; additque cum Bertario, eumdem sepultum fuisse in* crypta sancti Vitoni, *exaltus in episcopatu viginti quatuor annis.*

Hildino successit HATTO, *post cujus excessum anno* DCCCC XXV domnus & sanctissimus Pater Berardus Episcopus factus est, *inquit Bertarius Presbyter, qui ab ipso educatus est. Obiit Hatto Kalendis Januarii sepultus item in crypta sancti Vitoni,* juxta corpus Hildini.

IN EPITAPHIUM III.

Anno DCCCC XL, *testante Hugone Abbate, sedi Virdunensi admotus est Berengarius, ortu Saxonicus, Ottonis Imperatoris consanguineus, qui basilicam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in qua requiescit corpus beati Vitoni, meliorem in statum reduxit, auxit, & ornavit; ibidemque Monachos Clericorum loco substituit, præfecto Abbate Humberto ex Tullensi Monasterio sancti Apri.*

IN EPITAPHIUM IV.

Heimonem Virdunensem Episcopum excepit Rambertus seu Rambertus, anno Incarnationis dominicæ M XXIV, *qui Hierosolymam proficiscens in villa Bellagrada obiit anno* M XXXVIII, *pontificatus sui anno* XIV, *quo ex loco Virdunum tempore Richardi successoris relatus à Clericis Bernero & Bernardo,* in ecclesia sancti Martini & sancti Agerici à se incœpta honorificè sepultus est, *Baldrico Abbate. Hæc ex Hugone & ex continuatione Historiæ Virdunensium Episcoporum.*

IN EPITAPHIUM V.

Laurentius de Leodio in continuatione Historiæ Episcoporum Virdunensium, anno, *inquit*, dominicæ Incarnationis M LXXXVIII, post Theodericum electus est Decanus Mettensis Ecclesiæ RICHERUS, vir pius & honestus. Moritur anno M CVII, sepultus apud sanctum Vitonum ante altare sancti Laurentii. *Idem suum ipsius epitaphium composuit.*

IN EPITAPHIUM VI.

MATHILDIS, Saxoniæ Comitissa, *ait anonymus monachus Historiæ Virdunensium Episcoporum con-*

timator, Monasterio sancti Vitoni ornamenti plura contulit, crucibus & tabulis aureis, & textu, cum filio comite HARIMANNO altare decoravit. *Hac* Comitissa Comiti GOOSFRIDO copulata, quinque filios ex ipso genuit, videlicet ADALBERONEM nostræ civitatis post Wicfridum Episcopum, & FREDERICUM & HARIMANNUM Comites; duos quoque Ducatûs prosapiâ pollentes, GODEFRIDUM atque GOZELONEM. *Decessit circiter annum* M IX, *humata in Monasterio sancti Vitoni.*

IN EPITAPHIUM VII.

Ludovicus Chisuicensis Comes, filius Ottonis Comitis, tempore Raimberti Episcopi, cujus est epitaphium quartum, a Bullionensibus militibus Godefridi Ducis, cui Imperator urbis Comitatum abstulerat, quem Richardo Virdunensi Episcopo tradiderat, intra urbem oppressus, eo quòd illum episcopalis auctoritas prædicto Comitatui præfecisset, *extinctusque est, monastico habitu (pro more illorum temporum) ante extremum halitum accepto. Ejus obitus contigit sub annum* M XXV, *sepultura in ecclesia sancti Vitoni.*

IN EPITAPHIUM VIII.

Herimannus filius fuit Godefridi Comitis, cognomento Gibbosi, & Mathildis, de qua supra in epitaphio sexto, frater Frederici Monachi, cujus epitaphium retuli in Analectorum tomo I. Prædictus Herimannus tradidit beato Vitono Rogeri-curtem, &c. *ut legitur in continuatione Historiæ Episcoporum Virdunensium, qua in Spicilegii tomo* XII, *nec non Bertarii & Laurentii Monachi historia vulgata est.*

IN EPITAPHIUM IX.

Eodem tempore vivebat Comes Lictardus, alias Liotardus, Conradi Imperatoris nepos, qui Ballodium *Monachis Cœnobii S. Vitoni* tradens, *sub Richardo Abbate* in eodem loco factus est Monachus, *testante Contiauatore mox laudato.*

IN EPITAPHIUM X.

Geldulnus Comes pater fuit Waleranni Abbatis Cœnobii sancti Vitoni, & Hugonis Episcopi Lingonensis, qui à Leone Papa IX in Remensi Concilio depositus est, referente Hugone Abbate. Sepultus est Geldulnus in monasterio sancti Vitoni, quo ex loco eruderat ac religiosus vir Bartholomæus Senocus, nunc in sancti Agerici Abbatia Prior, præmissa octo epitaphia mihi suppeditavit.

EPITAPHIUM BEATI BEDANI PRESBYTERI.

Hoc Christi famuli BEDANI membra sepulcro,
Cum sanctis surrectura, clauduntur honeste:
Cujus nunc æterna capit jam præmia lætus
Spiritus, angelicis cælo portatus in ulnis.
Qui nova cum priscis, ceu dives, munera promens,
Electus fuerat Doctor, dignusque Sacerdos:
Corpore dissolvi cupiens, & vivere Christo:
Et cælestia contemplans, terrena nec ambit.
Hujus enim titulo breve non queo scribere plura.
Cujus ad exemplum mores Brittania rimans,
Grandisona merito veneratus laude resultat.
Sexagies decimus jam tune & novies nonus
Annus ab ad ventu Christi de Virgine nati
Fluxerat, & trina triplex Indictio vivit,
Nonaque Februarii ter triplicaverat horas,
Cùm gaudens anima ad Christi perducitur aulam,
Corporis & felix adsatim lumina claudit.
Ast in acie victor bellator Regem adorat,
Ecclesiæque decus vivit per sæcula beatus.
Discipulus cecinit cujus hos LUTINGUS amoris
Versus; & miserum me sancte tuere Magister.

ADNOTATIO.

Hoc *epitaphium est Bedæ Senioris, monachi Lindisfarnensis, cujus meminit Venerabilis Beda in libro de vita S. Cuthberti cap.* 37. Annuit ille, & quosdam nostrûm secum retinuit, in quibus erat major BEDA Presbyter, qui ministerio ejus familiariter semper adesse consueverat. *Ex hoc autem epitaphio, quod crassâ minervâ* LUTINGUS *ejus discipulus cecinit, discimus annum & diem Bedæ Senioris obitus, scilicet* annum DC LXXXI, *quo anno vigebat* Indictio nona, *& quidem* nona Februarii. *Huic epitaphio subjicitur hymnus de eodem in hunc modum.*

Ardens amoris mentio
Utcumque paucos carmine
Versus bonæ memoriæ
Cogit Magistri scribere, &c.
Ores pro Beda sedulo,
Deum precando cùm roges.

In fine hymni legitur: VI. Id. Maii natalis sancti Bedæ Presbyteri, *qui dies forsan translationis est.*

EPITAPHIUM LANTFRIDI PRIMI ABBATIS BENEDICTOBURANI.

EN LANTFRID dominus primis natalibus ortus,
Debita solvit humo quæ sibi debet homo.
Ætatis flore sponsi currens in odore,
Pluribus exemplum præbuit ipse bonum.
Fratres germanos WALDRAM, GONDRAMQUE vocatos,
Aulâ Pippini traxit ad arma Dei.
Plures hac arte trahit ad consortia vitæ,
Ad bona ceu speculum quisque tenebat eum.
Insons exsul erat: rex CAROLUS hune revocabat.
Regum summe Deus, solve sit unde reus.

Aliud ejusdem

Abbas Lantfridus, virtute Dei redimitus,
Judicis adventum sustinet hîc superum.
Istud cœnobium qui jusserat hoc fore primum,
Prudens coolilio, strenuus obsequio.
Fervens cottidie Christi properavit amore
Cœnobium variis hoc decorare modis.
Qui dum vivebat, mansuchos in honore regebat.
Qui legis hæc oro funde preces Domino.

De tribus primis ejusdem loci Abbatibus.

EN tres Abbates, meritis & germine fratres,
Muro defuncti sunt modò suppositi.

Hi dum vixerunt, hoc cœnobium statuerunt,
Multos thesauros cui dederant & agros.
Ex his LANTFRIDUS eluit Abbatis vice primus,
Qui vir perprudens hic bona plura studens.
Jam sextas Julias mensis dum continet Idus,
Exutus carne, debita solvit Adæ.
Frater WALTRAMMUS cui successit venerandus,
Huc qui contulerat quidque boni poterat.
Idibus at Februi quivis de carcere mundi
Emigrans, animam reddidit ille piam.
Tunc ELILANT fratrum suscepit municipatum,
Germanos gestis æquiparando bonis.
In nonis-decimis Septembris & ipse Kalendis
Mortuus est membris, victitat ast meritis.
Duxerat en vitam CUNDHRAM Pater iste sacratam,
Qui BENEDICTE tui sollicitusque gregis,
Augebatque locum cum fundo largiter istum,
Et sua tradendo fœnore pro supero.
In nonis-decimis Februarii & ipse Kalendis
Ad Dominum rediit, qui dedit esse sibi.

ADNOTATIO.

Hos versus raptim descripsimus ex codice monasterii Burensis seu Benedictoburani in Bajoaria ad Alpes Tirolenses: qui codex homilias, per annum in ecclesia legi solitas, continet cum prævia epistola Caroli M. quam in tomo primo Analectorum retulimus.

ADELMANNI SCHOLASTICI

RYTHMI ALPHABETICI DE VIRIS ILLUSTRIBUS SUI TEMPORIS.

ARMONICÆ facultatis adspirante gratia,
Refero viros illustres, litterarum lumina,
Quos recenti recordatur mens dolore saucia.
Bestiali feritate mors acerba sæviens
In scholares efferata tamquam leo rugiens,
Passim dedit strages dirè plusquam aër pestilens.
Carnotenæ decus urbis memorande Pontifex,
Te primùm, Pater FULBERTE, dum te conor dicere,
Fugit sermo, cor liquescit, recrudescunt lacrimæ.
Deploranda singillatim multa quidem memini,
Utpote convictor senis hærens sæpe lateri,
Aure bibens oris fontem aureum melliflui.
Eheu! quanta dignitate moralis industriæ,
Quanta rerum gravitate, verborum dulcedine,
Explicabat altioris arcana scientiæ.
Floruere te fovente Gallorum studia,
Tu divina, tu humana excolebas dogmata,
Numquam passus obscurari virtutem desidiâ.
Gurges altus ut minores solvitur in alveos,
Utque magnus ex se multos fundit ignis radios,
Sic insignes propagasti per diversa plurimos.
HILDIERUM, quem Pupillam nuncupare soliti,
Quòd pusillus esset, immo perspicacis animi,
Ceterorum princeps atque communiceps Præsuli.
Is Magistrum referebat vultu, voce, moribus:
Hippocratis artem jungens Socratis sermonibus,
Nec minus Pythagoreis indulgebat fidibus.
Karitate Sigo noster plenus atque gratia,
Multa præbens ore, manu advenis solatia,
Singularis organali regnabat in musica.
LAMBERTUS Parisiacum, ENGALBERTUS Genabum,
Occupabant lectionum otio venalium,
Quæstum de pube Francorum captantes non modicum.
Martini quoque concivem, sed non æquè sobrium,
Dignum duco memoratu RAINALDUM Turonicum,
Promptum lingua, stilo largum, valentem grammaticum.
Nec tua, GIRARDE-GILBERTE, fraudabo nænia.
Ligerim flavum revisens ab Jordane & Solyma,
Occidisti propter Mosam sub Virduni mœnis.
O & te dira peremit æmulorum factio,
Postquam missus es Europeam perflagranti studio,
Scholas multas expilasti, WALTERE Burgundio.
Prô! si numquam revertisses ad fines Allobrogum,
Quanta nunc auctoritate decorares Latium!
Docens quidquid revexisti ab hortis Hesperidum.
Quis te tandem, sacer * heros, satis sæpe fleverit, * Fulberte.
Cujus hos & multos plures officina protulit,
Quorum quisque præ se tulit, quod te usus fuerit,
RAGINBALDUS Aggrippinas, vir potens ingenio,
Barbaras aures Latino temperans eloquio,
Notus arces ad Romanas ab usque oceano.
Situs est in urbe nostra longus hospes Legia,
Legia magnarum quondam artium nutricula
Sub WATHONE, subque ipsa, cujus sunt hæc rythmica.
Tres mihi Camena cives memora de pluribus,
Illum, procul quem exstinctum transalpinis febribus,
Lugent artes, lugent urbes cum suis Primatibus.
Vix amissum quereremur, ODULFO superstite,
ALESTANUM, quantus erat veteris * scientiæ, * f. uter is.
Sicut hi, quos erudivit, satis pollent hodie.
Xerapelinos ornatus cum paucis jugeribus
Præsul durus denegarat, at tu Mettim profugus,
Multas illic opes nactus, WARINE, es & conditus,
Ypogæis & antiquæ parentis in gremio
Dormientes, excitandi mane mundi ultimo,
Pace æterna perfruantur te, Christe, propitio.
Zelo grandi cor accensus pro carorum funere
ADALMANNUS hæc deflebat in Nemetis litore,
Suos ipse idem illic observans quotidie.

ADNOTATIONES.

Hos rythmos ex ms. codice Gemblacensi rogatu meo descripsit religiosus vir Michael Delmerius, ejusdem Monasterii Bibliothecarius, qui operam mihi suam in multis aliis liberaliter impendit. Quis fuerit Adelmannus istorum versuum auctor, nemo eruditus ignorat. nempe ille ipse est Berengarii condiscipulus sub Fulberto Carnotensi Episcopo, grammaticus, & ex Clerico Leodiensi Brixiensis Episcopus, *teste Sigeberto in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 153. ubi vocatur* ALMANNUS, *qui duas epistolas de veritate corporis Christi Domini in Eucharistia, unam ad Berengarium, alteram ad Paulum Primicerium Metensem scripsit. In exemplari Gemblacensi istis rythmis præmittuntur hæc verba,* Mitto etiam tibi rythmicos versiculos juxta ordinem Alphabeti digestos, quos ante annos aliquot, cùm adhuc Leodii essem, me ad amicos quosdam meos, quorum plures ipse noveras, lamentaliter recensente compositos reperi nuper & edidi. *Quæ verba sunt Adelmanni hos versus mittentis ad Berengarium, de quo in fine rythmorum hæc leguntur:* RESPONDIT BERINGARIUS: Nascitur ridiculus mus. *Qui Berengarius Aldelmannum ironicè* AULUM-MANNUM *vo-*

care solitus erat, ut tibi licet subdunt. Multa in hos versus notanda forent: sed tantùm ea observo, quæ mihi obvia sunt.

Ad litteram K laudatur SIGO, *Abbas scilicet Monasterii sancti Florentii Salmurensis ad Ligerim, vir suo tempore clarissimus: cujus æqualis fuit* RAINALDUS, *Turonicæ sancti Martini ecclesiæ Archiclavus seu custos, de quo hic mentio fit ad litteram M.*

Stropha incipiens à littera N, mendosa apparet in primo versu: Nec tun, Girarde-Gilberte, fraudabo nænia. *vi leturque legendum.* Nec tua, Girarde glaber, te fraudabo nænia.

Ad litteram S. agitur de Wathone, sub quo Legia magnarum artium nutricula *floruisse dicitur*, subque ipso cujus sunt hæc rythmica. *Ex quibus discimus Adelmannum fuisse Scholasticum seu præfectum scholis in urbe Leodiensi, scilicet post Wazonem, qui Wazo dicitur ab Anselmo Canonico Leodiensi, cujus hæc verba in lib. de Episcopis Leodiensibus cap.* 84. Hic (*nimirum Wazo*) primùm sub Notgero Præsule Capellanus existens, postea ab eodem scholarum donatur magistro. *Chronicon Leodiense apud Labbeum in Bibliotheca nova tomo 1 hæc habet:* Anno M XLI obiit Hithardus, succedit Walto. *cujus obitus reponitur anno* M XLVIII. *Ubi vides Watonem non alium esse à Wazone, uti legitur apud Anselmum, qui pro Hithardo Nithardum scribit. Ergo, ut superius præfatus sum, Adelmannus scholis Leodicensibus præfectus est, quod nemo hactenus, ni fallor, observavit.*

Sub littera X agitur de Warino, qui videtur fuisse Clericus Leodiensis, tum Monachus in Cœnobio Gorziensi, demumque Abbas in Metensi Asceterio sancti Arnulfi, ut patet ex ipsius Warini epistola superiùs edita. Præsul ille durus, *qui Warino* xerapelinos ornatus cum paucis jugeribus *reposcenti denegasse hic memoratur, Durandus est Leodiensis Episcopus, cujus nomen inter lineam adscriptum est in codice ms. Ergo hic Warinus à Durando Leodicensi Episcopo pauca jugera sibi dari petierat cum aliquâ in Leodicensi Ecclesiâ dignitate, aut quâ alia, cujus insigne erat vestis xerampelina. Quæ cum durus Antistes Warino negavisset, ille iratus clam Metensem in urbem fugit, ubi cum Abbatiâ S. Arnulfi multas opes nanctus est. Xerampelinos ornatus Gemblacensis Codex sic interpretatur:* Xerapelinæ vestes dicuntur veteres & prælicciæ, pampineum habentes colorem; & ponuntur hoc loco pro quibuscumque antiquis vestibus. *Quæ interpretatio docet nos, hoc loco legendum* xerampelinos ornatus. *quæ vox Græca ex duabus composita est, scilicet* ξηρὸς, *quæ aridum siccumve, &* ἄμπελος, *quæ vineam significat. Itaque* xerampelini ornatus *dicuntur vestes pampini sicci colorem, qui color siccæ rosæ dicitur, imitantes, ut viri docti in Juvenalem observarunt.*

VIRORUM ALIQUOT ILLUSTRIUM ELOGIA.

De WILLELMO *Archiepiscopo Remensi.*

VIII Id. Septembris obiit vir magnificus WILLELMUS Remensis Archiepiscopus illustris, ac victoriosi Regis Francorum Philippi avunculus, tanto nepote præ sui regalis animi excellentia non indignus. Hic primò hanc Carnotensem rexit ecclesiam, adsumtus postmodum ad cathedram Senonensem, de qua tandem translatus est ad Remensem.

Dum verò hujus ecclesiæ curam gessit, eam multipliciter ampliavit. Præbendales enim omnium Canonicorum proventus, qui ante tempus suum ad communem locum Loëns consueverant undique convenire, per loca certa sub certo numero præbendarum secundùm valorem annuum eorumdem locorum divisit: per quod præbendæ singulæ fere in duplo sunt, sicut à Canonicis ipsis compertum est, augmentatæ. Jurisdictionem etiam, tam sæcularem, quàm ecclesiasticam, dedit in locis illis, in quibus ipsi fructus percipiunt præbendales: quam jurisdictionem antea totam quatuor Præpositi obtinebant. Electionem etiam & præsentationem personarum ad ecclesias eorumdem locorum eisdem Canonicis contuiit: quæ similiter prius ad eosdem quatuor Præpositus pertinebant. Ad speciale verò commodum & augmentum ipsum Episcopi Carnotensis, qui pro tempore fuerit, granicam Busseti, sitam in parrochia Bellivillaris, cum muris & aliis ædificiis multis & magnis, maximo sumtu suo in manu forti construxit, & tres carrucatas terræ ad eamdem granicam pertinentes, quæ temporibus prædecessorum suorum Pontificum Carnotensium per eorum impotentiam ab antiquo desertæ remanserant & incultæ, per contentionem ac violentiam nobilis viri Ebradi, qui tunc erat dominus .·. & Vicecomes Carnotensis, viriliter ac potenter ad culturam redegit. Dorsalia chori sub eleganti opere contextam continentia historiam Incarnationis Domini, à dextra parte chori; & historiam sancti Stephani, à sinistra, huic ecclesiæ dedit, & alia plura ornamenta contulit, & ab aliis conferri sollerter & providè procuravit.

Hic dum vixit, Regis & Regni consiliarius, quasi secundus Rex habebatur, moribus & scientiâ commendandus, in omnibus per omnia tantus erat, ut in multis cathedralibus ecclesiis, vacantibus earum sedibus, multi de domo sua, maximè consortii sui gratiâ, Episcopi sint assumti. Pro ejusdem verò anima Gaufridus de Alneolo, per eumdem factus Canonicus hujus ecclesiæ Carnotensis, accepti beneficii non immemor nec ingratus, huic ecclesiæ L solidos annui redditus acquisivit, distribuendos Canonicis annuatim, quos .·.·. pro anima ejusdem Archiepiscopi anniversario contigerit interesse. scilicet à Johanne Majore de Campo-Seru prædictus Gaufridus de Levilla, & de Campo-Garnerii masoriss, & quicquid in earumdem villarum territoriis possidebat & granicis, & hæc omnia contulit idem Gaufridus huic ecclesiæ in perpetuum possidenda, tali tamen conditione, quod Canonici, qui in prædictis locis fructus percipient præbendales, in nativitate beatæ Mariæ solvent annuatim unusquisque XXV solidos prædicto anniversario distribuendos. Concessit etiam dominus RAGINALDUS tunc temporis hujus ecclesiæ Pontifex, & Adam Capicerius, quòd ad prædictum anniversarium celebrandum sollemne luminare singulis annis præparetur. Præterea emit idem Gaufridus in parrochia Amanciaci apud *Salvages*, à Martino *de Girodeth*, quodam herbergamentum cum vinea & virgulto & prato, sito juxta virgultum illius herbergamenti, & terras ab eodem Martino & aliis in territorio *de Salvages* sitas, continentes circa sexdecim sextarios sementis. quæ omnia tenet Herveus, qui manet in prædicto herbergamento, à Capitulo Carnotensi & dicto Gaufrido de Alneolo ad admodiationem ad quindecim annos, ita quòd ipse Hervus debet solvere eidem vel Capitulo Carnotensi singulis annis ad nativitatem Domini quatuor libras & dimidiam Carnotensia monetæ. Hæc omnia cum

prædictis quinquaginta solidis dedit idem Gaufridus in augmentum anniversarii Archiepiscopi supradicti, statuente Capitulo ad petitionē ipsius, ut juncto cum præmissis quinquaginta solidis hoc augmento distribuantur inde quadraginta solidi annuatim Clericis non Canonicis in hunc modum, quòd viginti solidos inter se habeant, qui ad Vigiliam interfuerint; & viginti, qui ad Missam: totum verò residuum distribuatur ita Canonicis, quòd simili modo medietatem inde percipiant existentes ad Vigiliam, & medietatem existentes ad Missam.

Ad patriæ portus stellæ maris hunc regat ortus,
Fatalem cujus natalis prævenit hujus.

ADNOTATIO.

Guillelmus *Archiepiscopus Remensis, Theobaldi Magni Campaniæ Comitis filius, cognomento Ad-albas manus, multis laudatur, cum aliis, tum in Gallia Christiana, ubi sub annum* MCCII *obiisse dicitur, & quidem* VII. Id. Octob. *hic* VIII. *Hoc verò elogium, & quæ sequuntur numero quinque, ex eodem Carnutensi Necrologio desumta sunt.*

De Ludovico *Comite Blesensi.*

XVI Kal. Maii obiit Ludovicus illustris Comes Blesensis, qui ad partes transmarinas in servitium Dei iter aggrediens, septem libras & dimidiam nobis dedit & assignavit, in molendinis suis de Carnoto annuatim percipiendas, ad suum & matris suæ Adelicæ & uxoris suæ Katerinæ anniversaria in hac ecclesia celebranda: scilicet quinquaginta solidos pro unoquoque. Qui etiam caput sanctæ Annæ matris beatæ Virginis genitricis Dei apud Constantinopolim acquisivit, & huic sanctæ ecclesiæ cum pallio pretioso transmisit. Unde ex tanti præsentatione thesauri & susceptione materni capitis in domo filiæ facta lætitia magna in populo, Clerus hujus ecclesiæ & Comitissa Katerina, quæ ex parte prædicti Comitis viri sui caput præsentavit, in id concorditer convenerunt pro intuitu statuendo, ut singulis annis de oblationibus factis prædicto sancto capiti centum solidi in augmentum & ampliorem venerationem anniversarii ejusdem Comitis adderentur: ex quibus distribuerentur sex denarii singulis non Canonicis, & residuum Canonicis, qui anniversario interfuissent: & præterea conferrentur ex eisdem oblationibus centum solidi pro remedio præfati Comitis ejusdem die obitus ad refectionem pauperum de Eleemosyna Carnotensi, & multa alia huic ecclesiæ bona fecit.

ADNOTATIO.

Hic est Ludovicus, Theobaldi cognomento Boni filius, is qui in obsidione Andrinopolitana captus est anno MCCV, *referente Hugone Monacho Antisiodorensi, & ab hostibus cæsus, ut alii addunt. Ejus uxor Catharina, Radulfi Clarimontensis Comitis filia, in eodem Necrologio laudatur his verbis:* Obiit Katerina nobilis Comitissa Blesensis & Clarimontis, quæ caput beatæ Annæ matris beatissimæ Virginis genitricis Dei Mariæ, à viro suo illustri Comite Ludovico apud Constantinopolim acquisitum, & huic missum ecclesiæ, cum pretioso pallio præsentavit.

De Philippo Augusto *Francorum Rege*

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimo tertio, pridie Idus Julii, obiit Philippus Francorum Rex illustris apud castrum Meduntam: qui sensus industriâ vir prudentissimus, virtute strenuus, gestis magnificus, fama præclarus, victoriosus in bellis, ac triumphis multis & magnis plurimùm gloriosus; jus & potentiam Regni Francorum mirabiliter dilatavit, & regalem fiscum ampliavit in multis. Multos etiam præclaros Principes terris, militibus, armis, & opibus præpotentes, Regno suo & sibi graviter adversantes, debellavit viriliter, & devicit. Ecclesiarum quoque defensor maximus & protector, istam præcipuè sanctam ecclesiam speciali favoris gratia, & quasi quodam amoris privilegio fovit propensiùs, & protexit; & quem habebat erga ipsam dilectionis affectum, multotiens effectu operis comprobavit.

Porro ipse ab annis teneris zelator Fidei Christianæ, vexillo crucis affixo, humilis in sua juvenili ætate contra Sarracenos in manu valida transfretavit: ubi in obsidione Aconitanæ urbis usque ad ejus consummatam debellationem plenamque recuperationem præclarè & efficaciter laboravit; ac postmodum vergens in senium, proprio filio primogenito non pepercit, quin eum mitteret bis adversus hæreticos Albigenses cum magnis sumtibus & expensis; & alias tam in vita sua, quàm in suo decessu, multa largitus est ad ejusdem negotii Albigensium subsidium & juvamen.

Præterea dando pauperibus, & dona plurima caritativè per loca varia dispergendo, eleemosynarum fuit largissimus seminator.

Sepultus est autem in ecclesia beati Dionysii dignè & honorificè, sicut tali & tanto Principi competebat. Ad ipsius enim exsequias (quod non sine nutu & providentia Dei gestum esse videtur) affuerunt duo Archiepiscopi, videlicet Remensis Willelmus, & Senonensis Galterus; & viginti Episcopi, videlicet de Romana curia, Conradus Portuensis Episcopus Cardinalis, & Sedis apostolicæ in terram Albigensium tunc Legatus; de Anglia, Pandulfus Norvicensis Episcopus; de Remensi provincia, Catalaunensis Willelmus, Belvacensis Milo, Noviomensis Girardus, Laudunensis Ansellus, Suessionensis Jacobus, Silvanectensis Garinus, Attrebatensis Pontius, Ambianensis Gaufridus; de provincia Senonensi, Carnotensis Galterus, Altisiodorensis Henricus, Parisiensis Willelmus, Aurelianensis Philippus, Meldensis Petrus, Nivernensis Ragnaldus; de provincia Rotomagensi, Bajocensis Robertus, Constantiensis Hugo, Abrincensis Willelmus, Lexoviensis Guillelmus; de provincia Narbonensi, Fulco Tolosanus. qui Prælati de mandato domini Papæ, immo de ipsa potiùs (ut credibile est) ordinatione divina, pro negotio Albigensi tunc temporis erant Parisius congregati. Missam autem exsequialem celebrarunt simul Portuensis Episcopus & Remensis Archiepiscopus una voce, ad duo altaria propinqua, ceteris Episcopis cum Clericis & Monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus, & eis respondentibus, sicut uni: inter quos affuit Johannes illustris Rex Hierosolymitanus, qui in Franciam venerat pro negotiis & necessitatibus Terræ-sanctæ, præsentibus ad hoc incliti prædicti Regis Philippi filiis, Ludovico primogenito, & Philippo.

Sæpedictus autem Philippus Rex, tale condidit testamentum. Legavit ad subsidium Terræ-sanctæ

trecenta milia librarum Parisiensium, videlicet præfato Regi Johanni centum milia, militiæ Templi centum milia, hospitali Hierosolymitano centum milia. Donavit etiam AMALRICO Comiti Montisfortis viginti milia librarum Parisiensium, ad uxorem ejus & liberos de Albigensi terra & manu hostium reducendos. Præterea dedit quinquaginta milia librarum Parisiensium pauperibus eroganda; magnam etiam summam pecuniæ dicitur legavisse ad emendandas, si quas fecerat, exactiones injustas.

Insuper instituit viginti Monachos Presbyteros in ecclesia beati Dionysii, qui tenentur pro anima ejus singulis diebus celebrare Missas & orationes alias, sicut ecclesia orare pro defunctis Fidelibus consuevit.

Capitulum autem hujus ecclesiæ nolens ei esse ingratum, sexaginta solidos annui redditus de camera assignavit, & statuit ad ejus anniversarium celebrandum. Et superaddidit Milo de Croceio, Canonicus hujus ecclesiæ & Clericus dicti Regis, quadraginta solidos similiter annuos: ex quibus viginti solidi Canonicis; quindecim verò, Clericis non Canonicis, qui anniversario interfuerint, & quinque restantes solidi matriculariis & pulsatoribus campanarum in utraque turre. Habebunt etiam matricularii Clerici portionem in summa, quæ Clericis non Canonicis deputatur. Totalis autem summa pecuniæ una deputabitur ad Vigilias præcedentis diei, & altera medietas ad Missam subsequentis diei, quos assignavit super campi partem de Brajaco, quam emit à Stephano Majore de Campo-Sero dictus Milo.

De BARTHOLOMEO *Episcopo Parisiensi.*

XIV Kal. Novembris de carnis ergastulo est egressus venerabilis Pater bonæ memoriæ BARTHOLOMÆUS Parisiensis ecclesiæ reverendus Antistes, prius autem hujus sanctæ ecclesiæ Canonicus Presbyter & Decanus, scientiâ vir illustris, & maximè in utroque Jure, canonico videlicet & legali, plenissimè institutus; honestate vitæ plurimùm commendabilis, & in hujus ecclesiæ negotiis exsequendis incessanter attentus, & mirabiliter approbatus dignisset. cibus eorumdem. Qui cùm sibi commissum Decanatus officium diu prudenter & laudabiliter administrasset, mox ab illo ad culmen altius, hoc est ad prænotatum Pontificatum, acclamantibus ipsius meritis est assumtus. qui etiam huic ecclesiæ cappam sericam dedit: & de bonis ipsius in parrochia de *Antos*, in loco qui dicitur Boelotum; XXX solidi annui redditus sunt acquisiti ab illo, qui præbendam suam ibi percipit, anniversario ejusdem Episcopi singulis annis persolvendi. Ad idem etiam anniversarium acquisiti sunt XXX solidi annui redditus apud *Bongelon*, in illa videlicet terra, quæ ad anniversarium bonæ memoriæ Rad. Camerarii fuit emta: & sic utraque summa XXX solidorum, LX scilicet solidi, huic anniversario sunt assignati.

ADNOTATIO.

BARTHOLOMÆUS *ab anno* M CC XIII *ad* M CC XXVII *ecclesiæ Parisiensi præfuit, obiitque* XIV *Kal. Novembris, ex hoc Necrologio, non* XIII, *ut legitur in Gallia Christiana.*

De SIMONE *Episcopo Meldensi.*

SECUNDO Non. Decembris obiit bonæ memoriæ reverendus quondam in Christo Pater dominus SIMON Festucæ de Fonte-Bluaudt, quondam Canonicus & Archidiaconus Vindocinensis in ecclesia ista Carnotensi, post-modum Meldensis Episcopus, qui dedit huic sanctæ ecclesiæ capsulam *, dalmaticam, tunicam cum tribus albis paratis, munitis stolis & manipulis & amictis, & tres cappas, & duos pannos sericos de Turquia rubeos, ad officium Apostolorum faciendum deputatos. Item pro anniversario suo faciendo centum solidos annui redditus, percipiendos & habendos singulis annis in festo sanctorum Simonis & Judæ Apostolorum, super possessionibus infrà scriptis, videlicet uno herbergamento, duobus arpentis vineæ retro sitis, & pluribus peciis terrarum, sitis in villa & territorio *de Bray*: quæ omnia emta fuerunt à Johanne *de Bray* armigero, per manus possidentis pro tempore possessiones antedictas, & quas ad præsens Petrus dictus *Chauvel* tenet & possidet. Item dedit nobis apud Unum-pilum unum herbergamentum, & dimidium arpentum vineæ, & novem sextaria terræ, sita in territorio de Uno-pilo, quæ venerabilis vir dominus Richardus de Hanesiis, Concanonicus noster, tenet à nobis in precariam pro quinquaginta solidis, reddendis singulis annis in festo sanctorum Simonis & Judæ, ad usus anniversarii prædicti. Summa totalis septem libræ & decem solidi: de quibus Clerici chori habent quintam partem, scilicet triginta solidos, & Canonici residuum.

* *l.* casulam

ADNOTATIO.

SIMON, *ordine* 71 *numeratur inter Episcopos Meldenses in Gallia Christiana, ubi ejus obitus die septima Decembris reponitur, hic die quarta, sub annum* M CCC XVIII.

De ARMANDO *Archiepiscopo Aquensi.*

VIII Idus Maii reverendus in Christo Pater dominus ARMANNUS de Narcesio, quondam Canonicus & Præpositus de Ingreio, ac Decanus in ista sancta ecclesia Carnotensi, Capellanus ac familiaris sanctissimi Patris domini Johannis Papæ XXII, Auditorque sacri Palatii, & postea Archiepiscopus Aquensis in Provincia. Dum Capitulum istius ecclesiæ in Curia Romana litigaret contra dominum R. quondam Episcopum Carnotensem, jura & libertates ac privilegia hujus ecclesiæ fideliter custodivit: & non solùm sui diligentiâ, adjutorio, sed etiam amicorum potentiâ, totis viribus se exhibuit præcipuum defensorem, ac Concanonicos suos istius ecclesiæ in Curia Romana existentes laudabiliter confortavit, & sustinuit in adversis. His verò non contentus; beneficii accepti non immemor seu ingratus, anno Domini M·CCC XXIX dictæ ecclesiæ dedit centum libras Turonenses, de qua summa pecuniæ Capitulum assignavit, & assedit eidem pro quadam Missa de sancto Spiritû pro ipso celebranda in nostra ecclesia Carnotensi ad majus altare, octava die Maii, scilicet in vigilia sancti Nicolai æstivalis, super terra S. Georgii super Auduram à Capitulo acquisitam, & per dominum Episcopum Carnotensem admortizata. Si verò contigerit dictam terram à Capitulo retrahi, seu extra manum suam poni, Capitulum voluit & ordinavit; quòd dictæ sex libræ accipientur super Matutinas ecclesiæ pro dicta Missa celebranda, & per Matutinam distribuendæ: & post ejus decessum fiat ejus anniversarium sollemne, prout moris est fieri in ecclesia Carnotensi: ad quod habemus ad præsens C solidos super prætoria sancti Georgii super Auduram per tenentes ipsam.

A D N O T A T I O.

ARMANDUS *de Nartesio, in editis de Barcesio, ordine 44 memoratur in serie Archiepiscoporum Aquensium, apud Sancta-Marthanos, ubi anno* M CCC XLVIII *decessisse perhibetur, nempe* XII Kal. Augusti, *hic* VIII Id. Maii.

M I S C E L L A N E A,
EPISTOLARUM, DIPLOMATUM, &c.

I N C I P I T
E P I S T O L A A V I T I
P R E S B Y T E R I
AD PAPAM PALCONIUM.

BEatissimo dilectoque semper in Domino Papæ PALCONIO atque universo clero & plebi sanctæ ecclesiæ Bracharensis AVITUS presbyter in Domino æternam salutem. Memores vos esse mei cupio & precor, sicut & ego in quantum valeo in sanctis locis memoriam vestri habere non cesso. Tribulationibus vestris meo dolore compatiens, & pro discidio patriæ in locis sanctis incessabiles lacrymas fundens, ut & vobis Dominus restituat libertatem, quos admonere voluit, aut illis tribuat mansuetudinem, quos prævalere permisit. Et ego quidem, beatissimi fratres, teste Domino nostro Jesu Christo frequenter volui venire ad vos, ut vobiscum vel mala tolerarem, vel bonis fruerer: sed impeditum est desiderium meum per totas jam Hispanias hoste diffuso, ventus ne & sancta loca relinquens, & ad vos forte non venissem, & ubicumque interceptus inrationabilis sudaciæ pœnas luerem. Sed quoniam misericors Deus meo votu vestroque merito procurare dignatus est indulgentiæ suæ gratiam; primùm ut dilectissimus filius & compresbyter meus Orosius usque ad has partes ab Africanis Episcopis mitteretur; cujus mihi caritas & consolatio vestrum omnium præsentiam reddidit. Deinde ut diebus ipsis, in quibus jam ipse reditum ad vos incredibili desiderio parabat, beatus & sanctus verè corona gloriæ nostræ in Christo Jesu Domino nostro primus martyr Stephanus se revelare & manifestare signis & virtutibus evidentissimè consequentibus dignaretur. Quem ego tantarum rerum ordinantis Dei occasione percepta, dignum duxi caritati vestræ præmittere, ut ipse præsens advocatus & patronus obsequentium sibi petitionibus dignetur assistere, qui eum pateretur etiam pro inimicis suis orare dignatus est. Itaque dilectissimi fratres memoriam vestri incessabiliter habens, & tam congruentem ordinantis Dei dispositionem videns, promeritus sui da Presbytero cui fuerat revelatum partem aliquam inventi corporis promererit quam festinato expetitam, secretoque perceptam ad vos dirigere non distuli. Quam ob rem mihi vobis per sanctum filium & compresbyterum meum Orosium; reliquias de corporis beati Stephani primi Martyris, hoc est pulverem ejus carnis atque nervorum. Et quod fidelius certiusque credentibus esset, ossa solida atque manifesta, suis antiquis non novis pigmentis vel odoribus pinguiora Ut autem nulla esset dubitatio; ipsam ad vos subditam scriptis meis sancti Presbyteri, cui hæc omnia revelata sunt, epistolam conscriptionemque transmisi; quam me pro fide veritatis plenius cognoscenda, rogante & petente dictavit græco primùm ipse sermone; sed per me postea in Latinum versa est. Quæ ut vos sancti & beati fratres quàm veracier gesta sunt, tam fideliter habeatis, suscepta imploro. Certus sum enim quoniam sicut ipse beatus Martyr dignatus est nuntiare, pro salute mundi periclitantis se manifestavit: ita auxilio & præsentia tanti patroni si vos tale pignus digno studio diligatis, mihi in Domino dilectissimi, tuti ex hoc quietique vivetis. Gratia Domini nostri Jesu-Christi & sancti Spiritus vobiscum.

A D N O T A T I O.

CUm *Lucianus Presbyter revelationem corporis Protomartyris Stephani*, temporibus Honorii & Theodosii Augustorum *sibi factam, græco sermone in litteras retulisset, teste Gennadio*; Avitus Presbyter, homo Hispanus genere, antè relatam Luciani Presbyteri scripturam in latinum transtulit sermonem, & additâ epistolâ suâ per Orosium occidentalibus edidit, *ut scribit idem Gennadius de scriptoribus ecclesiasticis cap. 47. Hæc est illa epistola, quam ex veteri codice sancti Galli descripsimus.*

BELLESARII SCHOLASTICI
VERSUS ACROSTICHI
De SEDULIO Poëta.

S EDULIUS Christi miracula versibus eden S
E micat, invitans parvæ ad sollemnia mensa E
D ignum convivam; non hunc qui carperet illu D,
V ix quod nobilium triplici fere aula parat V.
L ætum quod ponet sub aurea tecta tribuna L,
I n quo gemmiferi totque aurea vasa canistr I
V ivi pro modico portant sibi prandia vict V,
S ed quod olus vile produci pauperis bortu S.
A t post delicias properant qui sumere mag A,
N ituntur parvum miserorum spernere germe N,
T utum quod nihil est, dum cū nil ventre tumescit T.
I nsidias membris movens animæque ludent I.
S i tamen his dapibus vesci dignatur egen S,
T emnat divitias animus, paucisque quieic T
E xemplo adsumptus Domini, qui milia quinqu E
S emotis cunctis modicis saturavit ab esc - - - S,

Sedulius Domini per cuncta novalia pergens,
En loca prospexit molto radiantia flor - - - E:
Discurrit per prata libens, quod gramine Davi D,
Vidit divino modulantem carmina cant - - - V,
Laudabili psallente viro resfluunt citharæ me L
Ille obi grandisoni captus dulcedine plectr I
Uritur, & celeri graditur per lilia pass - - - U;
Sacrarosque iterum latè conspicit amœno S,
Æteroa Christi fluvio quos abluit und - - - A.
Nam passus torpere diu Doctoris acume - - N,
Tunc sua Daviticus dilectus plectra posposci T,
Irrita polluti contemnens numina mund - - I
Signa crucis fronti ponit, breviterque triumpho S
Tangit, Christe, tuos, numerosaque præmia liba T
Ergo dum vario decorat vera color - - - - E
Stabunt bi garula dicti testudine versu - - - S.

HIERONYMUS IN CATALOGO

SEDULIUS versificus, primò laïcus in Italia Philosophiam didicit, postea cum aliis metrorum [generibus] heroïcum Macedonio consulante docuit. In Achaia libros suos scripsit in tempore Valentiniani & Theodosii.

ADNOTATIONES.

PRÆMISSI *versus exstant in veteri ms. codice Corbeiensis Bibliothecæ post Sedulii carmen Paschale, cum titulo hoc versibus præfixo:* VERSUS BELLESARII SCHOLASTICI. *qui Bellesarius seu Bellisarius, quisquis tandem ille sit, hocce gemino acrostichio docet nos, (id quod Sigebertus Gemblacensis Monachus postea adnotavit in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 6.) Sedulium Antistitem seu Episcopum fuisse. Observatio versibus postposita, quæ Hieronymum auctorem in apographo præfert non exstat in vulgato Hieronymi libro de Scriptoribus ecclesiasticis. Eamdem ego quondam legi in vetusto exemplari Monasterii Lirensis in hunc modum:* Incipit ars Sedulii Poetæ, qui primo laïcus in Italia Philosophiam didicit; postea cum aliis metrorum generibus heroicum metrum Macedonio consulante docuit, in Achaia libros suos scripsit tempore Imperatorum minoris Theodosii filii Arcadii, & Valentiniani filii Constantii. *Ex quibus apparet quantum à vero aberrent, qui hunc Sedulium eumdem esse putant cum Sedulio Scoto seu Hiberno Presbytero, ejusdem Poeta, quem sæculo octavo floruisse constat.*

HONORII SCHOLASTICI
VERSUS
AD JORDANEM
RAVENNENSEM EPISCOPUM.

SI fontis brevis unda latens demersa tenetur,
　Ignotæ & viles esse putantur aquæ.
Quas cum docta manus produxerit arte magistra,
　Pura fit cassiliens nympha vocata manu.
Tunc prægnantis humi laxantur viscera partu,
　Et subitò sterilis flumina terra creat.
Non aliter validum genuino robore lignum
　Imbutis digitis dextra domare solet.
Arboris & speciem, humanis non usibus aptam,
　Cogit in externum crescere factor opus.
Sed cùm te potior Seneca meliore magistro,
　Quem ut moneas, lucem cordis habere facis:
Non dubitare queam Lucillo clarius illo,
　Æternas Christi sumere dantis opes.
Cedat opus priscum, vera nec luce coruscans,
　Nec de catholici dogmatis ore fluens.
Ille mihi monumenta dedit: te vera docente
　Nec dedit, infida quæ sibi mente tulit.
Nam cum de pretio mortis regnante perenni
　Lucillum imbueret, ac sine morte perit.
At tu cùm doceas homines superesse beato
　Ea obito, Christum morte sequendo pia;
Erigis, & Senecam dominus verusque magister
　Ingenuis fidei me superare facis.
Unde precor Lucillum alium, nec pectore talem,
　Quæ me nosse cupis, scire precando jube.
Discipulumque tuum penès isto nomine dictans,
　Conforta, revoca, corripe, disce, mone.

ADNOTATIO.

HI *versus ad librum Jordanis Episcopi de summa temporum præmittuntur in codice Elnonensi cum hac inscriptione:* Rescriptum HONORII Scholastici contra illas epistolas exhortatorias Senecæ. *Et in fine versuum hæc adduntur:* Expliciunt versus Honorii Scholastici ad Jordanem Episcopum ad rescripta Senecæ ad Lucillum, quam ei scripserat exhortatoria sæculum relinquere, & veram amplectere Philosophiam. *Quis fuerit ille Honorius Scholasticus, mihi est incompertum. V. C. Hadrianus Valesius existimat Honorium Scholasticum, Jordanis Ravennatis Episcopi æqualem & amicum, eum omnino esse, quem Cassiodorus in cap. 25. de divinis lectionibus Julium Oratorem Cosmographiæ auctorem vocat; Nicolaus Faber, Ludovici XIII. felicis memoriæ Præceptor, Julium Honorium, apud Valesium in Præfatione ad Notitiam Galliarum, pag. 4. Jordanes verò Ravennensis Antistes fuit medio sæculo VI, qui prædictum Honorium ad contemtum sæculi & ad veram Philosophiam, id est monasticam vitam, amplectendam adduxit.*

****

VENANTII FORTUNATI
VERSUS
AD CHILDEBERTUM REGEM
Sigiberti R. filium.

REx regionis apex & supra regna regimen,
　Qui caput es capitum, vir, capitale bonum.
Ornamentorum ornatus ornatibus ornans,
　Qui decus atque decens cuncta decenter agis.
Primus & à primis, prior & primoribus ipsis,
　Qui potes ipse potens, quem juvat Omnipotens.
Dulcia delectans, dulcis, dilecta potestas,
　Spes bona vel bonitas, de bonitate bonus.
Dignè nec indignans, dignos, dignatio dignans,
　Florum flos, florens flore, flore fluens;
CHILDEBERTE cluens hæc FORTUNATUS amore
　Paupere de censu pauper & ipse fero.
AUDULFUM famulum commendo supplice voto;
　Me quoque: sic nobis hîc dominetur apex.

ADNOTATIO.

HI *versus, ni fallor, desunt in editis, à me excepti ex codice Virdunensis Cœnobii sancti Vitoni ab annis fere octingentis manu scripto, in quo Theodulfi carmina continentur.*

V E R S U S

In velo quod à CHINTILANE Rege Romam directum est.

DIscipulta cunctis Domini prælatus amore,
Dignus Apostolico primus honore coli;
Sancte tuis Petre meritis hæc munera supplex
CHINTILA Rex offert, pande salutis opem.

A D N O T A T I O.

CHINTILA, *Vesigothorum in Hispania Rex, qui prædictum velum Romam ad sanctum Petrum transmisit, regnavit ab anno* DC XXXV *ad* DC XXXIX. *Hos versus mihi exhibuit codex Monasterii Elnonensis in Belgio.*



M O N I T U M.

H*As Formulas descripsimus ex veterrimo codice Weingartensi, in quo eas reperimus sub hoc titulo:* IN CHRISTI NOMENE INCIPIUNT DICTATI. *Has tamen* FORMULAS ANDEGAVENSES *appellamus, propterea quod ex actis illius Provinciæ expressæ sint ab eo, qui eas in communes formulas, detractis nominibus propriis, redegit, retinendo passim nomen* Andecavis civitatis. *Item* Childeberti *Regis nomen non semel in iisdem occurrit. quod argumento est, acta illa regnante Childeberto, primo an secundo, condita fuisse. Certè ante Childebertum tertium. nam in fine Formularum tempus scripti codicis aut ejus exemplaris, nempe annus tertius Theoderici Regis, filii Chlodovei junioris, designatur his verbis.* A principio mundi usque ad passionem Christi V millia CC XXVIIII anni fuerunt. Abinde, peractis regnum Chlodoveo, Chlotario, Theudorigo & Childerico, à mundi initio anni sunt V millia DCCC LXXX, in anno tertio Theudorico Regis. *Si Christi passionem anno ejus ætatis trigesimo (ut multi veterum) statuit hic scriptor, dicendum est ex ejus sententia, Theoderici annum tertium in annum Christi* D LXXX *coincidisse. Ut ut sit, codicem Weingartensem, aut ejus exemplar, ante principatum Childeberti tertii conditum fuisse ex superiori clausula patet. Et quidem Weingartensis codicis scriptura nobis visa est excedere annos nongentos. Omnes codicis nævos, quos sanare facile erat, retinuimus, doctorum virorum secuti exemplum, immo veterum instrumentorum scripturæ rationem, ut constat ex libro 1 & 6 de re diplomatica.*

Quibus legibus regeretur provincia Andegavensis, docent Formulæ sequentes, præsertim LIII & LVII. ubi Lex Romana consuetudo pagi, & principalis seu regalis potestas memorantur. *Abstinemus à fusioribus Notis, quoniam loca, si quæ sunt difficiliora, satis explicant eruditæ Bignonii Notæ in Marculfum.*

INCIPIUNT DICTATI
S E U
VETERES FORMULÆ ANDEGAVENSES.

(I Formula sollemnis de dote.)

HIc est testamentum quarto regnum domni nostri CHILDEBERTO Reges, quod fecit Missus ille CHESTANTUS. Cum juxta consuetudinem Andicavis civitate, curia puplica resederet in foro, ibique vir magnificus illi prosecutor dixit: Rogo te, vir laudabilis illi Defensor, illi Curator, illi Magister militum, vel reliquum Curia puplica, utique obticis puplicis patere jobeatis, quia habeo quid apud acta prosevere * debiam. Defensor principalis simul & omnis Curia puplica dixerunt: Patent tibi cotecis * puplici, prosequere quæ optas. Obedire illa per mandato suo pagina mihi injunxit, ut prosecutor exsistere deberit, qualiter mandatum, quam in dulcissimo jocali * meo illo fici * pro omnis causationis suas, tam in paco *, quàm & in palacio, seu in qualibet loca, accidere faciat illa porciones meas, quem ex alote parentum meorum ei legibus obvenit vel obvenire debit, aut justissimè ei est reddebetum. E contra parentis suis vel contra cujuslibet hominem accidere vel admallare seu & licitare facias inspecto illo mandato, quem in dulcissemo jocali meo illo fici, gestis municipalibus adlegare debeam. Curia vero dixerunt: Mandato, quem tibi habere dicis, accipiat vir venerabilis illi Diaconus & amanuensis. Illi prosecutor dixit: Rogo domno meis omnibus puplicis, ut sicut mandatum istum legebus cognovistis esse factum, ut dotem quam præ manibus tenio, vobis præsentibus in foro puplico jobeatis recitari. Curia verò dixerunt: Dotem quem te dicis præ manibus retenire, illi Diaconus & amanuensis Andecavis civitate nobis præsentibus accipiat relegendum. quo accepto dixit.

* prosequi.
* codices.
* jugali.
* feci.
* pago.
Diaconus amanuensis curiæ

Incipit mandatus.

DOmno mihi jocali meo illo. Rogo adque supplico dulcissima gratia vestra, ut ad vicem meam omnis causationis nosteis, tam in pago quàm & in palacio, seo in qualibet loca accidere faciatis; & illas portiones nostras, quem ex alote parentum meorum mihi legibus obvenisse vel obvenire debit, aut justissimè nobis est redebitum, hæc contra parentis meus vel contra cujuslibet hominum accidere vel admallare seu adlicitare faciatis. Et quidquid exinde ad vicem nostram egeris, feceris, gesserisve, etenim me habiturum esse coguoscas rectum. Juratum mandatum Andecavis civitate Curia puplica.

Incipit cessio.

DUlcissima & cum integro amore diligenda sponsa mea, filia illius, nomen illa, ego illi. Et quia propitio Domino juxta consuetudinem unà cum voluntate parentum tuorum sponsavi, promde cido tibi de rem paupertatis meæ, tam pro sponsalitia, quàm pro largitate tuæ, hoc est casa cum curte

circumcincta, mobile & immobile, silvas, pratus, pascuas, aquas, aquarumve decursibus, junctis & subjunctis, & in omnia superiùs nominata, tu dulcissima sponsa mea ad die filicissimo nupearum tibi per hanc cessione dileco adque transfundo, ut in tuæ jure boc recepere dibeas. Cido tibi bracile valente solidus tantus, tonencas tantas, lectario ad lecto vestito valento solidus tantus, inantes aureas valente soledus tantus, annolus valentes solidus tantus. Cido tibi caballus cum sambucæ & omnia stratura sua, boves tantus, vaccas cum sequentes tantus, ovis tantus, solidis tantis. Hæc omnia subscripta rem in tuæ jure & domenacione boc recipere debias, vel posteris tuis, si inter nus procreati fuerunt, derelinquentis, salvo jure sancti illius, cujus terræ esse videtur. Et si fuerit ullo umquam tempore, qui contra hanc cessione ista, quem ego in te bona voluntate conscribere rogavi, aut ego ipsi, aut ullus de heredibus meis vel propinquis meis, aut qualibet homo vel extranea aut emissa persona venire voluerit, aut agere, vel repetire præsumpserit, ante lite ingressus duplet tibi tantum, & alio tantum, quantum cessio ista contenet, aut eo tempore meliorata voluerit, & repetitione sua non obtenìat effectum: & hæc cessio ista atque volnntas nostra omni tempore firma permaneat.

Post bæc Curiæ ait: Se adhuc aliquid abis ex hac causa aut agere debias, dic tu in præsente. Illi prosecutor dixit: Gratias agemus magnitudine vestræ, quod dotem sua scripta quem prosequio, gestis municipalibus ut habuit caretas vestra allegasse .... fecisse vobis ex more conscripse.

II *Hic est venditio, qui seipsum vendit.*

V. Marculf. lib. 2. c. 28.

DOmno mibi illo, necnon & conjux sua illa, ego illi. Quia conjuxerunt mihi necligentias, quod res vestras furavi, & in aliter transagere non possum, nisi ut integrum statum meum in vestrum debiam implecare servitium: ergo constae me nullo cogente imperium, set plenissima voluntate mea: & si de bae causa reprobus apparuerit, pro ipsa necligentia integrum statum meum in vestrum servitium obligate debiam, ac cedere* à vobis pretium in quod mihi complacuit, soledus tantus, ut quidquid ab hodierno die de memetipso facere volueritis, sicut & de reliqua mancipia vestra obnoxia, in omnibus Deo præsole habeatis potestatem faciendi quod volueritis. Si fuerit ego ipsi, aut aliquis de propinquis meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc vinditionem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inferit inter tibi & fisco soledus taneus vobis componat, & quod repetit vindecare non valeat, & hæc vinditio atque volnntas mea firma permaneat.

* f. accipere.

III *Hæc est venditio de homine in esceno posito.*

V. Marculf. lib. 2. c. 28.

DOmno mihi proprio illo, ego illi. Et quia conjunxerunt mihi culpas & meas magis necligentias pro furta quid feci, unde ego in turmentas fui, & eulogias feci, & morte periculum ex hoc incurrere debui: set habuit pietas vestra datis de tis* vestras solidus tantus. Ideo hanc epistolam venditione de integrum statum omni peculiare meo vobis emittendam curavi, ut quidquid ab hodierna die de memetipso facere volueritis, sicut & de reliqua mancipia vestra originaria, in omnibus Deo præsole habeas potestatem faciendi. Et si fuerit ergo ipsi, aut aliquis de propinquis meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc venditionem, quem ego ipsi bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inferat inter tibi & fisco solidus tantus vobis componat, & quod repetit nihil valeat vindecare, & hæc venditio perenni tempore firma permaneat.

* rem

IV *Hic est venditio de terra conaucta.*

EGo enim illi. Constat me vindedisse, & ita vindedi ad venerabile fratri illa vineola plus menus juctus tantus, & residit in terraturium sancti illius, in fundo illa illa, & accipi à vobis pretium, in quod mihi complacuit, hoc est soledus tantus, ut de ab hodiernum die memoratus emptor quicquid de ipsa vinea facere voluetis, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero (quod esse non credo) se fuerit aut ego ipsi, aut ullus de heredibus meis, aut quælibet obposita persona, qui contra hanc vinditionem quem ego bona voluntate fieri rogavi, venire aut resultare præsumpserit, dupplit tantum & alio tantum quantum hæc vinditio ista conteuit, & quod repetit vindicare non valeat, & hæc vinditio omni tempore firma permaneat. Actum Andecavis.

V *Incipit securitas de superjallicione hic est.*

DUm non est incognetum, qualiter aliquos homo, nomen illi aliquo homine, nomen illo, mallavit de res suas, & ipse illi male ei exinde numqnam fecissit. Proinde ipsi illi ante bonis hominibus convenit, ut hanc epistolam facere deberit, ut nullo unquam tempore contra ipso agere non præsumat. Quod si illi, aut aliqua persona ad vicem suam ipsa causa resultare præsumpserit, soledus tantus inter tibi & fisco conponere debiat, & quod repetit vindicare non valeat, & hæc securitas firma permaneat.

VI *Incipit item securitas.*

DUm non est incognitum, quia ante hos dies aliquos homo nomen illi, litem in via publica aput illo ei habuit, & cobebus* super eum ipsi illi ei posuit: sic taliter convenit ipsius homo ad mediantis bonis hominibus, ut hunc securitate ipsus homo de ipsus cobebus sen & de ipsa lite, quem aput mihi abuit, facere deberit. quod ita & fecit. Et (quod futurum esse non credo) si fuerit ut ego ipsi, aut aliquis de heredibus meis, vel qualibet obposita persona, qui contra hanc securitate resultare præsumpserit, soledus tantus ei conponat, & quod repetit nihil valeat vindecare, & hæc securitas ista perenni tempore firma permaneat.

* f. cobetus.

VII *Incipit securitas.*

DOmno venerabile & in Christo patri illo Abbat. vel omnis congregatio nostra & Domni illius, ego illi. Et quia ad peticionem meam habuit pietas vestra fecistis mihi beneficium de rem vestra, & domni illius, hoc est locello cognomenante, in pago illo, cum casis, campis, terris, mancipiis, acolabus, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, vestrum præjudicium, & domni illius tenire & possedire debuit, & spondio vobis annis singulis einso soledus tantus, & post quoque meum discessum jure vestro & domni illius cum rem meliorata, quan-

tumcumque in ipso loco inventum fuerit, revertatur, & accipiatur absque ullius contrarietate aut repetitione propinquorum meorum annuante Domino, ut mus * est virorum atque magnorum opidi, confirmandum.

* mos,

VIII *Incipit concamius.*

V. Marculf. lib. 2, c. 23. & 24.

IN Dei nomen placuit atque convenit inter illus & illus, ut inter se campellus conmutare deberint, quod ita & fecerunt. Hoc est, dedit illi ad racione illo campo ferente modius tantus, & est super terretorio sancti illius, & subjungat de unus latus campus illius. Similiter in alio loco dedit illi super ipso terretorio ad racione illo campello ferente modiua tantus, & subjungat de uno latere campus illius: ut quicquid exinde facere voluerit, absque præjudicium sancti illius, cujus terra esse videtur, liberam in omnibus habeas potestatem. Si fuerit unus quis qui contra pare suo agere aut resultare præsumpserit, partem quod accepit à pare suo amittit, & insuper multa legis damnum incurrit. Et hæc epistolas uni tenorum conscriptas, quem inter nus * fieri rogavimus, firmas permaneant.

* nos.

IX *Incipit vindicio, quam facit qui seipso vendit.*

DOmno fratri illo, necnon & conjua sua illa, ego illi qui conmanco in pago illo. Constat me vindedisse, & ita vindedi vobis vernacula juris mei, nomen illo, & accipi inde precium in argento uncias tantas: ut quicquid ab hodierna die ipso vernaculo facere volueritis; habendi, tenende, donande, vindende, seu conmutandi, quomodo & de re aliqua mancipia vestra obnoxia exinde facere volueritis, liberam habeatis potestatem. Et si quis, ego ipsi, aut aliquis de heredibus meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc vindicione, quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inter tibi & fisco soledus tantus vobis conponat, & quod repetit, nihil valeat vindicare & hæc vindicio adque voluntas mea perenni tempore firma permaneat.

X *Incipit judicius.*

VEniens homo nomen illi ante venerabile vir illo Abbate vel reliquis viris venerabilibus adque magnificis, quorum nomina subtus tenuntur inserti, interpellabat aliquo homine nomen illo, quasi servicium ei redeberit; & illi taliter de præsente aderat, & hoc fortiter denegabat, quod servitium numquam redebebit. Interrogatum fuit ipsius illo de sua aguacione alius homines in suum servicium habebat, an non: & ipsi illi taliter locutus fuit, ut hoc non redebebat, nam ipsi illi servitium ei non redebebat, at de agnacione aut de conparato ut hoc inter se intenderent, ut dum ipsi illi alius homines de sua aguacione non redebebat. Sic visum fuit ipsius abbati vel quibus in eus aderant, ut ipsi homo aput homines art manu sua XIII in basileca Domne illius, in noctis tantis conjurare deberet quod de annus XXX, seu amplius, servitium ei numquam redebebat: se huc facere potebat, ipsi illi de hac causa contra ipso illo conpascere deberit: sin autem non potuerit, hoc inmendare studiat.

Sacramenti in ecclesia ritus.

XI. *Incipit notitia de supradicto judicio.*

NOticia sacramenti, qualiter vel quibus præsentibus ingressus est illi apud homines tantus ingenuos super altare illius Andecavis civetate, pro eo quod homine nomen illo, ipso pro servitium interpellabat ad vicem genetore suo seu & genetrice sua. Juratus dixit, juxta quod judicius ex hoc loquitur per hanc loco sancto & divina omnia quod hic aguntur, de annis XXX seu amplius sub ingenuetate nomen resedi. Nam & ipsi superius nomenatus servitium non redebi, nec redebio pro reverentia loci. id sunt quorum præsentia.

XI *Incipit judicius.*

VEniens homo, nomen illi Andecavis civetate, ante illo agente vel reliquis qui cum eo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quasi jumento suo ad furtis conditionibus abuisset: & ipsi illi una cum genetore suo ibidem aderat, & hoc fortiter denegabat, quod ipso jumento numquam habuisset. Sic visum fuit ipso agente qui cum ipso aderunt, ut genitor suos illi pro filio suo illo, quia & ipsi genitor apud homines tantus ipsi illi in basilecа domni illius in noctis tantua pro filio suo excusare deberit, se hoc facere potebat, ipsi illi contra ipso illo compascere deberit. Sin autem non potuerit, hoc contra ipso emendare stodiat.

Incipit noticia.

NOticia sacramenti, qualiter vel quibus præsentibus ingressus est illi in basileca domne illius pro judicio illo, agente juratus dixit: Per hunc locu sancto & divina omnia qood hîc aguntur, quæ hic Deo plenius offeruntur, unde me illi repotabat *, quasi jumento suo ad furtis conditionis post me habuisset, & per meum ingenium ipso jumento digere habuisset, nec ipso jumento numquam habui, nec per meum nullum ingenium ipsó jumento unmquam perdedit, nec aliud tibi de hac causa non redebio, nisi isto edonio Sacramento.

* reputabat.

XII *Incipit solsadia *.*

* Impedimentum, excusatio.

NOticia solsadii, qualiter vel quibus præsentibus illi homo placetum suum adtendit Andecavis civetate Kalendas illas, per judicio inlustri il^{lo} Comite, vel auditores suis, ac contra homines his nominibus illus & illus, vel genetrici eorum, nomen illa, unà cum abunculo eorum illo, dum dicerit, quasi aliqua femena, nomen illa, genetore eorum, nomen illo, pro maleficio eum interfecisset. Qui ipsi jam superiùs nomenati placetum eorum legebus à mane usque ad vesperum visi fuerunt custodisse. Nam ipsa femena nec ad placetum advenit, nec misso ad persona addireait, qui sonia redebuisset. Propterea necesse fuerit prædictis hominibus, ut hanc noticiam bonorum hominum manibus roboratas prosequere deberent, qualiter & visi sunt fecisse.

XIII *Incipit item solsadia.*

NOticia solsadii, qualiter vel quibus præsentibus veniens homo, nomen illi, placitum suum ad-

tendit Andecavis civetate, in basileca Domni illiua, unde cum hæc contra homine; nomen illo, quem aute illo agente fuit inratione pro jumento suo, &c.

XIV *Item solsadii.*

NOticia qualiter solfadii vel quibus præsentibus veniens illi in basilica sancti illius Andecavis civitate placetum suum adtendedit contra homine nomen illo, quem ante illo agente fuit iurationes pro agente, quod hoc die illo quod fecit mensis illi dæa tantos, conjurare deberit una cum hominis suis qui illi ad placitum adfuit una cum testis suis pro legibus triduum custodivit & solfadivit; nec illi nec ad placito adfuit, nec ulla persona ad vicem suam direxit, qui ipso placito custodisset, aut sonia nunciate deberit, quos præsens placitua ipsius fuit custoditua aut solsaditus, aut hanc noticiam manibus eorum subter firmaverunt.

XV *Incipit Sacramentalis.*

BReve Sacramenti, qualiter & quos præsentibus ingressus est homo, nomen illi, Andecavis civetate, dæ illo, quod fieit minsis illi dies tantus, in basilecа Domne illius. Juratua dixit*: Per hunc loco sancto & divina omnia quæ hic aguntur, quæ hic Deo pleuius offeruntur, unde mihi homo, nomen illi, interpellabat, eo quod caballo suo furassit, aut in taxato post me habuissit, hoc conjurare quod caballo suo, quem mihi repotabat, numquam furavi, nec conscieua ad ipso furandum numquam fuisset, nec post me intaxata ipso caballo numquam habui, nec alio tibi exinde non redebio; nisi isto edonio sacramento, quem judicatum habui, & legibua transibi. Id sunt qui hunc Sacramento audierunt, manibus eorum subter firmaverunt.

XVI *Incipit noticia.*

NOticis qualiter vel quibus præsentibus illi & illi placitum eorum adtenderunt Andecavis civetate, in basileca Domne illius, pro judicio illo præposito, unde aliqua femina, nomen illa, habuit interpellatus pro illa re qui illi & germanus suoa illi ad ipso placito advenerunt, & homines suos hic præsentaverunt, ut ipso Sacramento excusare deberent. Nam ipsa illa femena ad ipso placito adfuit, & ipso Sacramento nemine recipere voluit, qui illi ex germano suo illi placitum eorum legibus custodierunt. Propterea necessarium fuit, ut ex hoc noticia accipere deberent; quod ita & fecimus.

XVII *Incipit vacuatura.*

DUm cognitum est, quod homo nomen illi vinditione de integrum statum suum ad homine nomen illo, & cogiæ* sua illa, & ipsa vinditione meneme* invenisse non potuerunt. Proinde manus nostras firmatua vobis emittendam curavi ubi & ubi ipsa vindicio inventa fuerit, inanis permaniat, & hæc vacuatura firma permaniat.

* conjugem
* minime.



XVIII *Incipit item vacuatura.*

DUm cognetum est qualiter aliquos homo nomen illi, aliquo homine nomen illo, cantione inmissa habuit pro factum suum, quo ei beneficium facit argento unciss tantas, ut inter annus tantus, qualecumque ei servitium injunxerit, ei facere debiret. Et ipsi homo cautione menime invenire non potuerit. Proinde mano mea & bonorum hominum vacuaturia tibi pruinde dedi, dum tu ris* meas redidisti, ubi & ubi, cautio ipsa iuventa fuerit, vacua & inania permaneat, & hæc vacuaturia firma permaniat.

* res.

XIX *Incipit vindicio.*

DOmno mihi semper illo illi. Et pro necessitatia temporum & vidi* compendium etiam sterilitas & inopia præcinxit, ut in aliter transagere non possum, nisi ut integrum statum meum in vestrum debiam implecare servicium. Ergo constat me nullo cogente imperio, sed plenissima voluntate mea, & accipi à vobis pro suprascriptum statum meum, hoc est in quod mihi complacuit, in auro valente soledus tantus, ut quicquid ab hodæruum diem de memetipso facere volueris, sicut & de reliqua vestra obnoxia, in omnibua Deo præsole habeatis facultatem faciendi. Si quis vero aut ego ipsi, &c. ut supra.

* victæ.

XX. *Incipit ingenuitas à die præsente.*

IN Dei nomen ille; delectissimo nostro illo. Noverit iste pro divinitatis intuitu & animæ meæ remedium vel æterna retributione tua, eatenus à die præsente ingenuum esse præcipimus, tamquam ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nullius tibi heredum ac proheredum meorum nec servicium nec nllum obsequium ultra debere cognuscas, sed potiùs aso defensione sanctum illius in integra valeas residire ingenuitas. Etsi fuerit unus de heredibua meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc ingenuitatem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, venire aot resultare præsumpserit, in primitua Dei incurrat judicium, & de sanctorum loca efficiatur extraneus, & insuper multâ legis damnum incurrat auri libra una, argento pondo tantum; & quod repetit vindicare non valeat, & hæc ingenuitas perenni tempore firma permaniat.

Marculf lib. 2 c. 32.

XXI *Incipit vindicio.*

EGo enim illi constat me vindedisse & ita vindedi ad illo campello ferente modius tantua, & est super terraturia sancti illius, in villa illa, & subjungit de terra illa de ono latere campus illius taxato precio: hoc est in quod mihi complacuit valente soledus tantus, ut quidquid ab hodierna die de ipso campo agere volueris, absque præjudicium sancti illius, cujus terræ esse videtor, liberam in omnibus habeas potestatem. Etsi fuerit ego ipsi, &c.

XXII *Incipit cautio de vinea.*

EGo enim illi. Constat me accepisse, & ita accepi per hanc cautionem ad præstetum beneficium de homine nomen illo, hoc est in quod mihi compla-

cuit, in argento soledus tantus; & in pignore tibi conditionis demitto tibi pro ipso beneficium inter annus tantus vinia medio jucto * tantum qui est super terraturium sancti illius, in villa illa, & subjunge de ono latere vinia illius, ut interim res vestras micum habuero illa blada, quem ibidem Deus dederit in tuam revoces potestatem. Et quod si adsolet ipsi annus tantus completi fuerunt, tem vestram reddere debiam, & cautionem meam recipere facias, aut tibi aut cui cautionem istam dederis ad exagendum.

* jugere.

XXIII *Incipit ingenuitas.*

DIlectissimo nostro illo ego ille. Novetis te pro divinitatis intuitu & animæ meæ remedium vel æterna retributione earenus ad jucum servitudinis tibi absolvemus, ut quandiu advixeris de meum non discedas servitium, & post meum quoque discessum cum omni peculiare quod habes aut laborare potueris ingenuam ducas vitam, tamquam se ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nullius tibi nec servitium, nec nullum obsequium heredum ac proheredum meorum te quicquam redebere cognuscas, nisi sub defensione sancti basileci domini illius præbeas obsequium non requiratur. Si qui (quod futurum esse non credo) si fuerit unus de heredibus meis vel qualibet obposita persona, qui contra hanc ingenuitatem quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, in primitus Dei incurrat judicio, & à liminibus ecclesiarum, basilicarum vel omnium Sacerdotum excommunus accipiat illam maledictionem quem Juda Scariotis accipiat, & mea voluntate cum Christo accipiat misericordia, & quod repetit nunquam valeat sua voluntas obtineat, & ingenuitas ista perenni tempore firma permaneat.

XXIV *Incipit judicius.*

EVeniens illi Andecavis civitate ante illo præposito vel reliquis hominibus qui com eo aderant, interpellabant aliquo homine, nomen illo, quasi animalia per sua menata eos ducere habuisset, & ipsa animalia per sua menata aliquas mortas fuerant, & ipsa pecora illi excorricassit, posteaque mortas fuerunt. Interrogatom fuit ipsi illi quid de hac causa responso daret: & ipsi illi taliter locutus fuit, quod nec sua animalia nunquam menassit, nec per sua menata ipsa animalia degere nunquam habuisset, nec de manus suas excorticatas nunquam fuissent. Propterea visum fuit ad ipso Præposito, vel qoi cum ipso aderant, ut in noctes tantas apud homines tantus ipsi in basileca Domini illius excosare deberit se hoc facere debebat, de hac causa ipsi illi compascere debirit: sin autem non poterit quicquid lex de tale causa edocet emendatè studiat.

XXV *Incipit vindicio qui seipsum vendit.*

DOmino magnifico fratri illo, necnon & conjux sua illa. Nisenim illi & coguje sua illa constat nus vindedisse & ita vindedimus à vobis estus * nostros cum omni peculiare quod babemos aut locare poteremus, manso & terra vel viniolas, quantumcumque ad die præsente possidere vidimur, in fundo illa villa in se super terra ecclesiæ Andicavis, vel ubique habire visi fumus. Unde accipimus de vobis precium quod nobis conplacuit, hoc est in auro valente soledus tantus, ut post hunc diem memorati emptores quicquid de nus ipsis vel de heredis nostris facere voluerint habeant potestatem faciendi. Si quis verò, &c.

a. *supra cap.* 2.
* *l.* statui

XXVI *Incipit securitas.*

DUm non habetur incognitum, qualiter aliqua femina, nomen illa, apud hominem sancti illius, nomen illo, litis intentione habuit de illo rapto, quod ipsa fuit, ut ipsa ad pacem concordiam voluntate ad ipsa femina facere deberent. quod ita & feceront. Unde convenit, ut si homo manu sua firmata exinde accipere deberet, quod ita & fecit, ut se ipsa femena post hunc diem resultare voluerit, contra homine soledus tantos conponat. Facta securitas.

XXVII. *Incipit vindicio proprietatis.*

DOmino venerabile & in Christo Patri illo Abbate ego illi & conjux mea illa. Constat nus vindedisse, & ita vindedimos vobis terra proprietatis nostræ, in loco nuncupante illo, & accipi proinde pretio de vobis in quod nobis conplacuit, hoc est in argento soledus tantus, &c. & hæc vindicio perenni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. Actum est.

XXVIII *Incipit judicius.*

VEniens illi Andecavis civitate ante illo Agente, necnon & illo, vel reliquis qoi eum illo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quasi fossado per terra sua, in loco nuncupante qui vocatur, illa villa, qui aspecit ad illa, et fossadassit. Et taliter ipsi homo dedit responso, quod terra sua fossado fecisset. nam terra ad illo homine numquam fossadasset. Visus fuit ab ipsis magnificis, ut illi in noctis tantas apud homines tantus vicinis circa manentis de ipsa condita mano sua quarta in basileca Domni illius senioris excusare deberet, quod terra sua malo ordine numquam fossadasset. Si hoc facere potebat, quietus & securus resedeat: sin autem non potuerit, contra ipso hominem satisfacere debeat.

XXIX *Incipit judicius.*

VEniens homo, nomen illi, aput femina, nomen illa, qui fuit conjux illa quondam germanus illius, ante venerabile vir illi Abbate, interpellaverunt hominem, nomen illo, quasi servitium qui furront ipsius illi, quondam post se habuisset conmandatas, hoc est illam rem qui illi ad præsens aderat: & hoc totum fortiter denegabat. Interrogaverunt ipsius illi, se * habebat homines qoi de præsente fuissent, ot vidissent quando ipsa rauba * ipsi illi & illi conmandasset. Taliter visum fuit ab ipso Abbate vel qui cum eo aderant, in noctis tantis daret homines tantus bene fidem habentes vicinis circa manentis, qui de præsente fuissent, & vidissent supra scripto illo quondam ipsa rauba ipsi illi conmandasset, ut hoc in basilica Domni illius coojurare deberit, ipsius illic per legem emendare studiat: sin autem non potuerit, de hac causa ipsi illi omni tempore ductus, quietus atque securus valeat resedire.

Abbas judex.

* si
* *hic* depositum. *al.* furtum.

XXX

XXX *Incipit item judicium.*

VEniens illi ante illo Abbate, vel reliquis qui cum eo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quod vineas suas, quæ erant illius, quond in illa ad partiarcias * ei dedisset, ut quamdiu ipsi illi se aptificavit, ipsas vineas ad parciaricias habere debuit. Interrogatum fuit ipsius illi, si ipsis vineas apud ipsas fuerunt, an non. Taliter ipsi locutus fuit, quod illas convenentias quod ipsi illi dicebat apud ipso numquam habuit. Visum fuit ipsius Abbate, ut dum hoc denegabat, quod ipsas convenentias numquam habuit, ut apud homines tantus in basilica Domini illius excusare deberet, quod ipsas convenentias inter se numquam habuissent, se hoc facere potebat, precium quod de ipsu illo acciperet, et reddere debiat: sin autem non potuerit, contra ipso emendare studiat.

* ad partem seu medietatem.

XXXI *Incipit apennis.*

V. Marculf. lib. 1. c. 33. & 34.

DUm non est incognitum, qualiter aliquis homo, nomen illo, & conjuge sua illa, in terra eorum in loco illo, per nocte fuit à pessimis naufragium passus, & exinde perdidit & pecunia sua, & mobile suo, seu & strumenta sua quam pluremas, vindicionis, dotis compositionalis, contullitionis, pactis, commutationis, convenentias, securitatis, vacuaturias, judicius, & noticias. Unde necesse ei fuit advocare judecis seu & vicinis circa manentis seu & universa parocia illa, & ibidem invenirent & ostia sua fracta, & portis suas conquassatis, & ipso loco graviter devastata. Proinde petiit ad ipsos bonis hominibus: in eundem prospectu accesserunt, invenerunt sicut tum esset, cujus nomina subter sunt inserta, ut hunc notitia relatione præsto et adfirmare deberent. quod ita & fecerunt, qualiter melius possit Andecavis civetate adfimare.

XXXII *Incipit item Appennis.*

QUicomque ad latrunculus sceleratoribus, seditionis seu incendiarius in qua provincia vim aut dampnum pertulerit, oportet hoc eidem Rectores circuitu seu Curiales provinciæ, in qua perpetratum fuisse perhibetur, palam ostendere, & publica denuntiatione manifestare. Igitur cùm pro utilitate ecclesiæ vel principale negotio Apostolicos vir, illi Episcopus, necnon & inluster vir illi Comes, in civetate Andecave cum reliquis venerabilibus atque magnificis reipublicæ viris resedisset, ibique veniens homo, nomen illi; palam suggereret, ecu casa sua in loco nuncupante illo, eo quod mali homines per cæcata nocte ad casa sua in loco nuncupante illo advenissent, & ostia sua fregissent, vel res suas aurum, argentum, species, vestimentum, fabricaturas suas, vasa ærea, vel reliquas res quamplures, cum strumenta cartarum vindicionis, cautionis, cessionis, donationis, dotis conposicionalis, contulationis, pactis, commutationis, convenentiis, securitatis, vacuaturiis, judicios & notitias, obleccationis, vel reliquas res quam plures quam longum est per singula minostire, ad furtis caosis deportassent. Unde per ipsas cartas pluras terras post se dicere venditum: & in crastenum locale accessione una cum bonas extraneas personas vicinis circa manentis in ipso locu manibus eorum roboratas accessisse: & ob hoc cognita relatione ante suprascriptus senioris præsentabant ad relegendum, per quem ipsum seniores cognoverunt, quod ipsa causa taliter acta vel perpetrata fuisset. Dum taliter diligentia inquirere videtur, sobiectum fuit ad ipsas bonas straneas personas vicinis circa manentes, qui bene optime ex hoc compertiaderant, quid exinde cognuscibant, veraciter enarrare deberent, se ipsi homo taliter præbuerunt testimonium, ut inspecta illa epistola, quem illi præsentabat, sua denontiatione, veraciter concordabant. Dum sic in omnibus devolgata clarovit si suprascriptus Pontifex & ipsi Comis vel qui cum eo aderant, denontiaverunt ipsius illi, ut quicquid per annorum spatia de eo tempore usque nunc rectè & legaliter possederat: in antea obsolve principale negotio recto tramite teuta lege servit, res suas ipsi aut heredis sui tenire & possidere faciant. Et pro præsente & futura tempora convenit, ut hanc cartola qui vocatur Appennis, præfatorum seniurum vel reliquorum civium eorum manibus roboratas acciperet adfirmare deberet. quod ita & fecit: ita ut duo Appennis coæqualis ex hoc affirmatus accipiat, unum, quem ipsi apud se retineat; & alium quem in foro puplico suspenditur. Facto Appennis.

XXXIII *Incipit notitia ad Appenno firmare.*

CUm per cæca cupiditate per loca orbana semper hostis antiquus bella consurget, & solent homines perfidi & pessimi per malus intolerabilia mala subire tam ab hostibus, quàm latrunculus, per talas & furtes, per captores & rapacis conmovere & conmutare gravis damnos ætatis. Igitur non est incognitum, qualiter aliquo homine, nomen illo, contegit gravis naufragius, quod in villa illa casa soa per nocte fuit effracta, & omnes prælidios suos, aurum, argentum, æramentum, vestimentum, utensilia, pecunia, seu stromenta cartarum quamplurimas, vindicionis, cautionis, cessionis, donationis, dotis conposicionalis, pactis, commutationes, coveneentiis, securitatis, vacuaturias, judicius & notitias, seu & omnes solemnitas, per quem à longo tempore usque modo res suas domenavit, per ipso furte exinde fuit deportata. Proinde necesse fuit sæpedicto illo in crastenum maturius mane judici pupleco vicinis circa manentes ad ipso loco convocare: & ibidem venientes invenerunt sic esset factum, seris incisis ostias concapolatas, portas perforatas, conscensa seu & universa quæ supra memoravimus per ipso furto perinde esset abstracta. Dum sic cessit veraciis, ut melius possit exinde appenne in civetate regione ipse ipsius prosequere & adfirmare, petiit ad ipsius vicinos & judice, qui in ipsa cautione fuerunt, manibus propriis in hunc prospectum notitia relationis adfirmare deberent quod ita & fecerunt.

XXXIV *Incipit (libellus) dotis.*

ANnum IIII regnum domini nostri CHILDEBERTO Reges. Ego in Dei nomen illi fateor me hunc libellum dote scribere deberem, quod ita & fecerim, ad dulcissima sponsa mea, nomen illa, pro amore dulcitudinem suam emitto tibi in cartola libelli dotes casa jam dicta puella sponsa mea illa habiat, teniat, possideat, faciat quod voluerit. Et si quis verò aut ego ipsi, vel quislibet opposita persona, qui contra hoc voluntate meam facta aut libelium dote ista conscripta aut agere præsumpserit, foledus

V. Marculf. lib. 2. c. 15.

sicut à me fuit possessum, possedendum tuo jure recipias, & perpetualiter possideas; & quicquid exinde elegeris, faciendi liberum potiaris arbitrium. Quia rem ipsam aliter quàm quod heredibus meis, illa quarta verò portione reservaverunt, hæc contra vos propinquorum heredibus legitimis meis reservo, ut eu conjux mea illa illas tris portionis, & ipsi heredis mei illa quarta similiter debetis percipere & possidere. Similiter ego illa in ara juxta ut superius contenitur depictum, religionis quos tenet teria mea.... ad vos voluntate mea conscriptas, & ego ad similitudinem conscribere rogavi. Ergo si tu mihi dulcissimus jocalis meus illi superstitis fueris, cùm ego de hac luce discessero, debitumve naturæ complevero, tunc tu tris partis de omne corpore facultatis meæ, quod in pago illo & illo ex alote parentum meorum abire videor, heridis meos in ipsis tris partis fattiden.. ut quicquid de ipsis tris partis de alote meo, se prolis inter nos non fuerint procreati, facere volueris, tam in domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, agris cultis & incultis, pratis, accolabus, sicut à me fuit possessum, possideas, & rebus tam quod ad presens possidere vidror, ut mihi inante justum redebitum est, tu hoc integro jure percipiss recipere, &c.

XLI *Incipit securitas.*

EGoenim illi qui commaneo villa illa sancti illius. Convenit mihi bona voluntate ac securitate ad homine, nomen illo, facr redebere. quod ita & fici, pro eo quod illam rem ad furtis conditionis post habuerit, & accepit exinde argento tantum. Proinde manoo mea & bonorum firmata tibi exinde dedisse, ut post hunc diem de hac causa quietus & securus residias. Et si fuerit ut ego ipse, &c.

XLII *Incipit epistola quem hominem repotavit de res suas.*

DUm cognitum est quod homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, mallavit pro res suas. & ipsi illi male ei exinde numquam male fecisse. Proinde ipsi illi ante bonis hominibos convenit, ut hanc epistolam facere deberit, ut nullo unquam tempore contra ipsum agere non præsumat. Quod si illi aut aliqua persona, &c.

XLIII *Incipit securitas de rapto.*

EGo enim illi. Constat me accepi de illo integro conpositione pro eo quod apud homine, nomen illo, puella sua tradenda fuit, dedi ei ad ipso illo soledus tantus. Proinde manu sua firmata & bonorum hominum accepi, ut post hunc diem neque illi, neque nullus de heredibus suis, nulla calumnia nec repetitione habere non debiss, sed, sicut dixi, de hac causa quietus residias. Et si fuerit aut ego ipsi, &c.

XLIV *Incipit notitia [de matrimonio servorum.]*

V. infrà. 58. NOtitia qualiter illi & illi. Non habitur incognitum, qualiter servus nomen illi, ancilla ad illo, nomen illa, extra voluntatem ad conjugium se conjunxerunt: sed modò nos una pacis concordia convenit, ut de agnatione qui de ipsis procreati fuerint, illi ad ancilla sua duas partes recipiat, ego & illi ad servo suo illo tertia, & quod ipsi aliquid stante conjugio convenerunt, illi servo suo de ipso peculiare duas partes recipiat: similiter & illa ad ancilla sua illa tertis. Proinde ut in postmodum nulla altercatio inter nos non debeat esse, ut manus nostra exinde per duas epistolas uno tenore conscriptas facere deberimus, quod ita & fecimus, & pro rei totius firmitate modò adfirmavimus, ut nec nos ipsi, nec ullus de heredibus vel de propinquis nostris, aut militans stranea persona, qui contra istas epistolas venire voluerit, ad dupla pecunia teneatur obnoxius, & illa petitio non obteniat effectum, & has convenentias inconcusso & inconvulso teniat firmitate.

XLV *Incipit Epistola qui de heredibus alicui aut ecclesiæ delegat.*

LEx Romana & antiqua consuetudo exposcit, ut unusquis homo, dum in suum contenit arbitrium, de rebus suis propriis aliquid pro animæ suæ conpendium dare decreverit, licentiam habeat, & illud quod ad loca sanctorum, ad congregationem monachorum confertur, numquam perit, sed ad memoriam æternam & justitiam reputatur. Igitur ego enim in Dei nomen inluster vir ille, necnon & congive mea inlustra matrona illa, convenit nobis unanimiter pertractantis, ut aliquid de rebus nostris in monastirio nostro, quem communiter ædificavimus, qui est in honore sancti illius infra muro Andecavis constructus, ubi illa Abbatissa custos præesse videtur, concidere deberemus, quod ad die præsente visi sumus fecisse, hoc est locello nuncupante illo, in pago illo, rem proprietatis nostræ, quem de parente nostro venerabile viro illo Abbate propria pecunia cunparavimus, vel die præsente nostra est possessio, hoc est cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, viniis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, movilebus & inmovilebus, junctis & appendiciis & adjecentiis in se habentis ad se pertenentis tum superposito pro omni merito suo, ut diximus, ad prædicta basileca vel congregatio ipsius vel rectorem ipsa volumus esse translatum atque indultum: ita ut quicquid exinde ab hac die jure proprio atque firmissimo congregatio ipsius utilitatibus monasterii ipsius elegerit faciendum, liberam habeat in omnibus potestatem: quia malumus te sacrosanctæ ecclesiæ in honore sancti illius in idipsum monasterio ædificatæ, quàm reliquis heredibus nostris. Quod si fuerit aliquis de heredibus nostris qui contra hanc epistolam cessionis, quam bona voluntate pro nostris expiandis peccatis devovimus, venire aut contrarius vel pulsator extiterit, priùs à communione Ecclesiæ catholicæ sit pulsatus, & æternæ damnationi subjectus; & insuper auri libras tantas, argento pondus x sociante fisco, cujus pulsaverit, componat: nihilo minus epistola atque definitio nostra omni tempore firma & stabilis perduret.

XLVI *Incipit notitia quem hominem in causa sua repellavit.*

NOtitia qualiter veniens illi Andecavis civitate ante venerabile vir illo Abbati, vel reliquis quam plures bonis hominibus, qui cum ipso aderant, cujus nomina vel scriptiones atque signaculum subter tenentur inserta, interpellavit aliquus homines his nominibus illus & illus, dum diceret, quasi vinia sua in loco noncupante illo, malo ordine pervasisset. quia ipse illi & illi taliter in responso [dede-

runt,] quod suctori habebant legitimo nomen illo majure, quia ipsa vinia ad eos dedissit. Sic ab ipsis viris illi fuit denuntiatum, ut die illo Andecavis civitate ipso illo in Autericio præseotare deberit: se hoc non faciebat, cum legis beneficio ipso illo de ipsa vinia revestire deberet. Actum.

XLVII *Incipit mandatus.*

DOmino magnifico illo illi. Rogo, preco, supplico atque injungo per hunc mandatum ad vicem meam hominem, nomen illo, quem ego beneficium ei feci, argento uncias tantas, ipsum meum ubi & ubi, eas vel meas prosequere & admallare & adcausare facias, quomodo ipso debite recipere faceias: & quicquid ad vicem meam exinde facere volueris, egeris, feceris, gesserisve, etenim me habiturum esse cognusce ratum. Mandatum Andecavis civitate, curia puplica.

XLVIII *Incipit charta de sanguinolento*, quem de matricola suscepi.*

* recens nato, exposito.

CUm in Dei nomen nos verò fratris, qui ad matricola sancti illius residere videmur, quos nobis ibidem omnipotens Deus de conlata Christianorum pascere videtur, invenimus ibidem infantolo sanguinolento, cui adhuc vocabulum non habetur, & de cuncto populo parentes ejus inveoire non potuimus. Ideo cunvenit nobis unanimiter consentientes, & per voluntatem marthyrario nomen illo Presbytero, ut ipso infantolo ad homine oomen illo venundare deberemus. quod ita & fecimus, & accepimus pru ipso, sicut apud nos consuetudo est, treanto uno, cum nostro pacto, & intimare rogavimus. Si nus ipsi ant domenus vel parentis ejus, qui contra charta ita venire voloerit, in primitus Christus filius Dei vivi terribilem & metueodum, ut non sit ad gaudium, sed ad ejus detrimentum quod ei incutiat sempiternam pœnam, & quod repetit vindicare non valeat, & hæc facta nustra omni tempore firma permaneat.

XLIX *Incipit judicius de homicidio.*

VEniens illi & germanos suos illi Andecavis civitate, ante viro illuster illo Comite vel reliquis racimburdis* qui cum eo aderant, quorum nomina per subscriptionibus atque signacola subter tenentur inserta, interpellabat aliquo homine, nomen illo, dicebat quasi ante hos annus parentis eoram illo quomodo interfecisset. Interrogatum est, sæpe dicto illu, quid ad hæc causa daret in responsis. sed hoc ad integra fortiter denegabat. Sic juxta adficantes sæpe dictis germanis visum est ad ipsis personas decrevisse judicio, ut quartum in soum quod evenit ipso Kalendas illas, apud homines XII mano sua XIII vicinus circa manentes sibi: sin melius in ecclesia seniore loci in ipsa civitate hoc debiat conjurare, quod ad morte sæpe dicto numquam consentisset, nec eum occessisset, nec consciens, nec consentanius ad huc faciendum oumquam fuisset. Se hoc facere potest, diebus vitæ suæ de ipsa causa securus permaneat: siu autem nun potuerit, in quantum lex præstat huc emendare studeat,

* Judicibus. V Glossar. Cangian. in Rachimburgii.

Incipit Notitia ad supradicta judicia.

NOtitia sacramenti, qualiter vel quibus præsentibus aderant in ipso die Kalendas Martias ingressus est homo, nomen illi, in ecclesia seniore sancti loci Andecavis civitate, secundum quod judicios suos loquitur apud homines XII mano sua XIII. Juratus dixit: Per hunc locu sanctu & divina omnia sanctorum patrocinia, qui hic requiescunt, unde mihi aliquid homenis illi & germanus suos illi reputaverunt, quod parente eorum illo quondam interficisse aut interficere rogasse; ipsum non occisi nec occidere rogavi, nec consciens, nec con.entaneus ad morte sua numquam fui, nec illud de hac causa non redebio nisi istu edonto sacrameoto, quem judicatum habui, legibus traotivi. Id sunt quod de præsente fuerunt, & hunc sacramentum audierunt, & hunc notitiam manus eorum subter adfirmaverunt. Facta notitia.

L *Incipit mandatus:*

DOmino fratri illo ego illi. Negociens rogo, preco, atque suppleco per hunc mandatum ad vicem meam servu meo numen illo, natione gentile: quem mibi consugio fecit ubi & ubi, cum ipso invenire potueris, tam in pago, quàm in palatio, seu in qualiber patria invenire potueris, quicquid exinde ad vicem meam prosequere & excausare, vel admallare eas faceas: & quicquid per hunc mandatum egeris, feceris, gesserisve, etenim me habiturum esse cognusce ratum. Mandatum Andecavis civitate.

LI *Incipit mandatus.*

DOmino magnifico illo, ego illi. Rogo atque suppleco vestra caretate per hunc mandatum, ut omnes causas meas in pago illo ad vicem meam prosequere vel admallare facias, tam in pago, quàm & (si necessitas fuerit) ad palatio, vel ubi locus congruus fuerit, & quicquid exinde egeris, feceris, gesserisve, etenim me in omnibus habitaturis tibi essit cognuscat ratum, quàm gestibus oblecatus. Et ut certius credatur, mano mea subter firmavi, & magnorum meorum subternus decrevi adfirmare. Datum mandatum Andecavis civitate.

LII *Incipit Noticia.*

NOticia qualiter veniens ille Andecavis civitate, die illo, in regionis, quod ficit mensis illi dies tsorus, placitum suum adtendedit. Ac contra aliquus homines his nominibus illus & illus: unde ante hos dies inrationis fuerunt pro vinia sua in loco qui dicitur illo. Unde & autore nomen illo, spoponderunt præseotare ipsa vinia ipsis consignasit. Sed veniens in eo placito illi de mane usque ad vesperum placitom suom legibus custodivit & solsadivit. Nam illi & illi ibidem fuerunt, & hoc quod espoponderunt, menime potuerunt adimplire. Propteria necessarium ipsius illo, ut hanc noticiam manibus bonorum hominum exinde accipere deberit. quod ita & fecit, ut io postmodum quicquid lex inter eos declamt, attendere debiat.

LIII *Incipit cessio*

QUod bonum faustum sie, Lea felicitatis adsatis adsentit, & lea Romana edocit, & consuctudo pagi consentit, & principalis potestas non probibet, ut tam pro se intercidentem, quàm ad dic filicissimo onptiarum obtabile evenitntem. Idcirco ego in Dei nomine illi nomen, ante proseribo ad sponsam meam, nomen illa, filia illius, transcribo ad ipsa per hanc epistola atque cessione, hoc est casa cum curte, vel omni circumcincto suo, hoc est mobile & inmobile, lecto vestito, campo ferente modius tantus, de uno latere est campus, vinia juctus tantus, de uno latere viona illius; silva juctus tantus, de uno latere silva illius; prado juctus, de uno latere prata illius, & est super terratorium sancti illius, in fundo illa villa; bovis tantus, vaccas cum sequentis tantus; vestimento tanto, in turis de soledus tantus, bracilo de soledus tantus, hæc omnia rem superius nomenata quamdiu adviximus, ambo pariter hoc tenere & possedire debiamus, superius nomenata boc tenire & possedire debias. Et se prolem nobis Deus dederit, cum omne integritate ut rem meliorata acceperit, & adfirmare debemus: quod ita & ficimus. Post transitum verò tuum in ipsis revertantur. Et se agnatio de nobis procreata non fuerit, bæc omnia rem superius nomenata, hoc tenire & possedire debiant, & cui volueris derelinquas. Etsi fuerit qui contra hauc epistula adque cessione, quem ego bona voluntatę nulla imperium fieri & adfirmare rogavi venire aut litigare vel infrangere fortasse conaverit, inferat inter tibi & fisco soledus tantus coactus componere debiat, & quod repetit vindecare non valiat.

LIV *Noticia divisionis.*

IN Dai nom. Placuit atque convenit inter illus & illus germanus, ot inter se de rea eorum devidere debuerunt. quod & fecerunt. Accipit illi hoc est casa eum omni circumcincto illo, seu & mancipia vel mobile & immobile, quem in ipsa easa esse videtur, vel vineas, silvas & prata, quantumcumque in ipsa casa aspicere videtur, totum & ad Integrum. Et in contra aceipit germanus suos illi alio locello illo, cum omne rem ad se pertinentis. Unde convenit ut manus eorum firmatas inter se accipere deberent, qood ita & fecerunt, ut unusquis quod accipit habeat, teneat & possedeat, vel cui voluerit derelinquat. Etsi fuerit unus ex nus ipsis qui contra pare suo agere aut resultare præsumpserit, partem suam ad pare suo amittat, & insuper soledus tantus componat, & quod repetit nihil valeat vindecare; & hæc pactio divisionis omni rempore firma permaneat.

LV *Noticia cessionis.*

EGo enim illi. Convenit nobis ad petitionem nutrido nostro, ut aliquo locello nomen illo, in loco qui vocatur illu, pro assiduo servicio suo vel bénevolentia, qui circa nus abire visus est, ei concidere deberemus. quod ita & fecimus, ut post bunc diem ipso locello integrum habeat concessum, ut quicquid de ipso facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Et pro infestantis malis hominibus, convenit multa ibidem iosérere debeamus. quod ita & fecimus. Et si fuerit qui contra epistola ista ullus de heredibus meis, aut qui libet homo, aut extranea persona, qui contra ipsa resultare voluerit, soledus tantus ei componat, & repeticio sua non ubtineat effectum, & hæc epistola omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa.

LVI [*Formula dissolvendi matrimonii.*]

DOminonon dulcissimo, sed amarissimo & exsuflantissimo jocali meo illo illa. Dum non est [incognitum,] qualiter faciente inimico & interdicente Deo ut insimul esse nun potemus; proinde convenit nobis ante bonis hominibus, ut ad invicem nos relaxare deberemus. quod ita & fecimus. Uocumque jocalis meus mulierem [ducere] voluerit, licentiam habeat potestatem faciendi. Similiter & illa convenit, ut ubicumque ipsa femina superius nominata sibi marito accipere voluerit, licentiam habeat potestatem faciendi. Et si fuerit post hunc diem unus ex nus ipsis qui contra hanc epistola illa agere aut repetire præsumpserit, soledus tantus ad pare suo componat una cum judice intercidentem, & quod repetit nihil valeat vindecare, & hæc epistola firma permaneat. *V. Marculf lib. 2. c. 30.*

LVII *Incipit cessio*

LEx Romana edocet, consuetudo pariter consentit, & regalis potestas non prohibet, ut unusquis de rem suam, quem in præsente die possedit, faciat quod voluerit. Ideirco ego quidem in Dei nomen illi, qui commaneo illa vila, quia pertractavi circa animus meus, ut omnis res meas quem in præsente sæculo habere videor, ad filio meo duas partes per hanc epistola cessione ad die præsente tradu ad possedendo, tam casas, domibus, ædificiis, mancipiis, campis, viniis, silvis, pratis, pascuis, aquarumve decursibus, junctis & subjunctis, movelibus & inmovelibus, omni rem meam, pro assidua servitia sua vel benevulentia, et, sicut diai, partis duas deligo atque transfundo ad die præsente; tertia verò parte ad heredis propinquis reservans, hac tamen conditione, ut dum adviaero, mihi in omnibus tam de victo, quàm & de vestito soniare* mihi debiat, & ipsa terra persolvere faciat: & quicquid de ipsis duas partes facere voluerit, babendi, tenendi, donaodi, vendendi, seu commutandi absque præjudicio sancti illius, cujus terræ esse videtur, liberam io omnibus babeas potestatem faciendi. Si quis vero (quod fieri esse non credo) si fuerit ullo unquam tempore, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quilibet homo aut extranea persuna, qui contra banc epistolam cessione ista venire aut agere furtasse præsumpserit, in primitus Dei incurrat judicium, & sanctorum loca efficiatur eatraneus, & insuper ioter tibi & agente sancti illius tantus componat; & quod repetit nullo congenio evindicare non valeat, & bæc cartola omni tempore firma permaneat. *V. supra c. 36.*

* præstare.

LVIII [*Noticia de natis servorum.*]

NOs enim illi & conjux mea illa. Dum non est incognitum, qualiter aliqua femena, nomine illa, servo nostro nomen illo, ad conjugium copulavit, & modò nos bona voluntate convenit, ut quamdiu quidem in conjugio sunt copulati, ipsa femena per nos non debuit esse declinatam in servicio. Et agnacio, se ea ipsis procreata fuerit, ad ingenue- *V. supra c. 44.*

tatem capitis eorum debuit permanere ingenui. Si quoque ut se eis necessitas fuerit, ad servitio caput eorum inclinatur, non ei detur licentia, nisi ad nos vel heredis nostris propinquiores: & peculiare quod sit ante conjugio, laborare potuerit, ipsa femena tercia parte exinde habeat absque nostra repeticione, vel heredum nostrorom. Deinde in hunc epistola nobis intimare conveuit, se nos ipsi, aut heredis vel propinqui nostri, seo quislibet opposita persona, quid ad traditis conveniencias ipsa femena commodolare voluerit, aut contra epistola hæc agere contemtator fuerit, soledus tantus componat, & nihilum dicit & quod repetit, & hæc epistola omni tempore firma permaneat.

LIX [*Notitia de commodato.*]

EGo enim illi qui conmanco illa villa. Constat me accepisse, & ita accipi de homine nomen illo ad prestetum beneficium argento uncias tantas. Sic modo convenit, ut cum multa caretate ipso argento die Kalendas illas mox ventuis Septembris & circum me habere debiam, & ipso die argento vestro reddere faciam, & cautionem meam recipere faciam. Et si exinde negligens aut tardus fuerim, voluntate vestra non habueris, hic modò mihi in hunc cancione placuit inserere, ipsas revestitas in dupplum vobis sic redditurus, aut vobis, aut cui cautionem istas dederis ad ex.

EXPLICIT.

VENERABILIS BEDÆ EPISTOLA AD ALBINUM ABBATEM.

DEsiderantissimo & reverentissimo Patri Albino, Beda Christi famulus salutem. Gratantissimè suscepi munuscula tuæ dilectionis, quæ per venerabilem fratrem nostrum Nothelmum Presbyterum mittere dignatus es, & maxime litteras, quibus me jam secunda vice in ecclesiastica gentis nostræ historia, ad quam me scribendam jamdudum instigaveras, crebet adjuvare atque instituere curasti. Propter quod & ipse tibi rectissimè eamdem historiam, mox ut consummare potui, ad transcribendum remisi. Sed & aliud, quod te partim desiderare comperi, volumen tibi vice remunerationis æque ad transscribendum destinavi, videlicet illud quod de structura templi Salomonis atque allegorica ejus interpretatione nuper edidi. Teque, amantissime Pater, supplex obsecro, ut pro mea fragilitate cum his qui tecum sunt famulis Christi apud pium Judicem sedulus intercedere memineris: sed & eos ad quos eadem nostra opuscula pervenire feceris, hoc idem facere monueris. Bene vale, semper amantissime in Christo Pater optime.

ADNOTATIO.

ALbinus *Abbas, cui venerabilis Beda hanc epistolam direxit, auctor ipsi fuit atque adjutor scribenda Anglorum historia, uti Beda testatur in epistola nuncupatoria ad Ceolwlfum Regem. Albinus iste alius est ab Albino Flacco seu Alcuino, uno fere saeculo ætate superior; Abbas verò in Cantuariensi Monasterio sancti Petri. Is per Nothelmum Londinensis Ecclesia Presbyterum Beda munuscula transmisit, & monumenta, qua Beda necessaria erant in componenda Anglorum historia. Hac omnia constant ex Beda præfatione ad Ceolwlfum. Porro hanc epistolam ex ms. codice Mettensis Monasterii sancti Arnulfi eruit, mihique transmisit vir religiosus Dominus Placidus Benvillonius, ejusdem loci tum Subprior. quo in codice habetur hac epistola cum hac inscriptione:* Incipit Præfatio Præsbyteri ad Alcuinum Abbatum. *Quod argumento est superiorem epistolam Præfationis vice in Anglicana Beda Historia fuisse appositam à scribis nonnullis, qui Albinum hunc eumdem esse cum Alcuino putaverunt.*

Hic observare juverit in vulgata Beda epistola ad Withredum de æquinoctio vero juxta Anatolium, *appositum exemplum anni* DCCCLXXVI. *quo exemplo adductus Baronius Beda ætatem ultra hunc annum prorogavit. Verùm in veterrimo hujus epistola exemplari, quòd in Bibliotheca Laubiensi adservatur, non comparet hoc exemplum, sine dubio insertum à librario, qui eo anno hanc epistolam describebat.*

MONITUM.

I*N parvo codice, sed pervetusto, Abbatiæ sancti Emmerammi apud Ratisbonam, epistola numero quadraginta duæ sub hoc titulo:* INCIPIUNT QUÆDAM EPISTOLÆ EX QUORUMDAM NOVORUM DOCTORUM LIBRIS EXCERPTÆ *Nomina eorum, quibus epistolæ directæ erant, sustulit collector: at eas esse Alcuini constat. Ex illo numero epistolæ sexdecim inter Alcuini epistolas editæ sunt: ceteras hic exhibemus cum brevibus notulis, quæ homines aliquos designant, ad quos litteræ scriptæ erant. Omnes verò ex veteri codice descripsit rogatu nostro religiosus & industrius adolescens Anselmus Grabnerus, cujus in nos sedulitatem & bona officia coram experti sumus. Hæc tantùm præmonere visum est hoc loco.*

ALCUINI EPISTOLÆ NOVÆ.

EPISTOLA I.

Episcopum ad caritatem aliasque virtutes hortatur.

VEnerabili Patri & amabili Doctori & desiderabili fratri ill. nutu Dei Pontifici sive Abbati, ego indignus servorum Christi famulus in totius caritatis jucunditate salutem. Scias verò quod in camera humilitatis, superbiæ non placet habitare: quia quod illa ædificat, hoc illa destruit. Ecce ego, quantum in me est, apertas habeo manus amplectari venientem, non respuere precantem. Hoc apud omnes servare præfinivi, ut nullum abjicerem, sed quemcumque potuissem attraherem. Utinam aliquantum temporis Christo miserante nobis opportunum esset simul habitare, ut frangeretur propheticus panis inter nos, de quo dictum est: *Frange*

esurientes panem tuum. hinc licet nobis duduè una voce & una fide cantare : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* ex eo verò qui ait : *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* O quàm jocunda est caritas, & quàm dulcis præsentia illius, & quàm felix vita, ubi numquam deerit quod amatur semper [a] quæ nunc in absente ardet, tunc in præsente lætatur. Licet ubique Deus præsens sit, tamen aliter in imagine per speculum cernitur, aliter in præsentia per speciem videtur. de qua ista Veritas ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mundatur modò cor in hac peregrinatione, ut in patria illius beatissimæ visionis frui liceat : utamur hoc mundo perituro in caritate non peritura, ut fruamur Deo in gloria permanente. O Domine fac nos diligere te, & odisse eum, de quo dixisti : *Mundus me odit.* ut per te donum Spiritus Paracleti accipiamus, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Noli nos secundum tuæ veritatis promissionem orphanos relinquere, sed mitte in nos spiritum veritatis, qui nobiscum maneat in æternum. O Rex gloriæ & Domine virtutum, bellator noster & pax nostra, qui dixisti, *Confidite ego vici mundum*, vince & in nobis servis tuis, quia sine te nihil facere possumus. Da cum fiducia servis tuis loqui verbum tuum, & loquentibus exemplis ostendere quod ore prædicent. Da velle & perficere, da ut misericordia tua præveniat nos, & misericordia tua subsequatur nos : præveniat ad incipiendum, subsequatur ad perficiendum. Quid plura habemus dicere, nisi ut fiat voluntas tua, qui vis omnes homines salvos fieri? Tua voluntas salus est nostra, gloria nostra & beatitudo nostra per quemdam mentis excessum. O frater venerande, hæc locutus sum non tam ordinatè, quàm epistolaris postulat angustia : sed tam affectivè, quàm intima cordis compunctio exegit. Tu tamen, dulcissime Pater & familiaris meus, patienter sustine cordis mei lacrymas, & tecum reconde quod mecum audisti. Quis scit, nisi ille qui omnia scit, si cras mihi liceat scribere tibi, aut posteras dulces tecum consolationes dicere vel audire? Hodie mihi dedit spatium pietas illa quæ omnia mihi contulit bona quæ habeo. quapropter tacere non debui, quia nescio quid ventura pariat dies. Tu verò, unanimis frater, æternos dies semper habeto in mente, & per patientiam curre iter quod tibi Christus ostendit : quia qui sequitur illum, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ille tibi sit cibus & potus, caritas & gloria. Non subvertat cor tuum ambitio sæculi, adulantium officia, species vanitatis, timor potentium, minæ crudelium : sed ædifica domum tuam supra firmam petram, unde te nullæ tempestates evellere valeant. Sed sta intrepidus linguas detrahentium contemnens, & ora laudantium non curans; & quoscumque poteris, gratia auxiliante superna tecum in hunc statum vitæ rape precibus, monitis, castigationibus, exemplis : ut cum multiplici laboris fructu, multiplici dignus mercede appareas in conspectu Domini Dei tui, meque tuæ salutis consocium assiduis sanctitatis tuæ precibus subvenire memento : quatenus Salvator omnium me multis peccatorum vulneribus confossum larga suæ pietatis clementia salvare dignetur & constituere licet extremum in sorte æternæ beatitudinis tecum, carissime Pater, frater & fili.

EPISTOLA II.

De Fidei puritate tuenda & servanda.

VEnerando Doctori & vere amantissimo Patri illustriss. Episcopo, benevolus servorum Christi famulus in fide & caritate salutem. Exspectans exspecto lætum audire nuntium, quando aliquam opinionem è sublimi volantem partibus in nostris audire mereamur. Quapropter precor omnes aligeras de cælesti sede descendentes potestates, ut Patrem nostrum citò sanum cum omni prosperitate faciat venire ad nos : nos verò velut æstiva hirundo partibus palatinis properare desideramus. Prospera donante Deo nobis sunt, nisi quod infirmitas me fatigatum habet. tamen qui infirmior fortior erit juxta Apostolum : & sæpe prodest infirmitas corporalis, ut fortitudo fidei crescat in anima. Orate pro nobis, ut Spiritus-sanctus Paraclitus inspiret animas servorum suorum ad defendendam catholicæ Fidei veritatem : quia tempus est, sicut legimus prædictum esse in libris sanctis. Tu verò cum tuis semper sanam sequere doctrinam, & catholicam prædica diligenter Fidem, ut æternam mercedem cum multiplici fructu habere merearis. Vivas felix, & gaudeas in Christi amore cum tuis omnibus, Pater carissime.

EPISTOLA III.

Paganos non solùm verbis, sed exemplis instruendos.

SAnctissimo Pontifici & dulcissimo Patri sanctæ Dei ecclesiæ Provisori, ille indignus, tamen bene cupiens prosperitatis vestræ in Christo Jesu æternæ gloriæ salutem. Suavissimas dilectionis vestræ accepi litteras, & lætus de agnitione prosperitatis vestræ legebam eas, exspectans quid illæ mihi nuntiarent de novellis rebus : sed nil de his inveni. tamen volente Deo visurus vos, necessitate coactus habeo dicere quod chartula reticuit. Plura tibi scriberem de prædicationis instantia & honestate morum inter paganos : quia conversationis dignitas solet eos erudire in prædicatoribus, sicut verborum veritas. Sed quia spero citò vos miserante Deo videre, melius hæc colloquendo putavi conferre, quàm scribendo innotescere : nec majorem ardorem habet animus, quàm mens colloquii vestri. Ideo rogemus Dei clementiam, ut concedat nobis in sua misericordia & in nostra prosperitate videre nos facie ad faciem. Gratia Domini nostri Jesu-Christi te in omni bonitate proficere faciat, reverendissime Pater.

EPISTOLA IV.

Transalpinum Antistitem ad se invitat.

DIlectissimo Patri reverendissimo Seniori Transalpino [a] Antistiti, ille humilis pacificam in Domino salutem. Gaudeo quòd aliquam famam de vestro adventu audivi, multum cupiens vestræ beatitudinis faciem videre, & optatam audire loquelam, simulque vestram amabilem prosperitatem agnosce-

a *Inter*] Hæc epistola atque sexta scriptæ videntur ad Willehadum Episcopum Bremensem, qui Saxones primus Fidei rudimentis imbuit.

a *Transalpino*] An Petrus Oldradus Archiepiscopus Mediolanensis, ad quem Alcuini epistola 59. an verò Paulinus Aquileiensis Patriarcha. Confer epistulam 19 infra, & duas sequentes.

te. Veni, veni festinanter, si Deo placeat & sanctis ejus, ut nos videamus. Nullatenus voluissem longius ire, antequam tuæ beatitudinis faciem viderem: multum gaudeo de vestro colloquio, quia nescio quando erit, si nunc non erit. Feliciter lege, & prospere veni, Pater optime, & amice fidelissime, & in Christo carissime.

EPISTOLA V.

Amico parva mittit munuscula.

CLarissimo in Christo Patri illustrissimo clientellus, prosperitati vestræ bene cupiens in veræ caritatis dulcedine salutem. Direxi vobis parva xenia, obsecrans ne despicias munusculi parvitatem. Hæc sunt duo minuta, quæ vidua obtulit in gazophylacium Templi, quam Dominus Jesus laudavit, quia plena caritate offerebat. Vivite vos Deo placentes in omni opere bono, & pro nobis orantes. Valete in perpetuum.

EPISTOLA VI.

De Ecclesiæ vexationibus à paganis & falsis fratribus: ac de eleemosyna, lectione & prædicatione.

DIlectissimo caritatis filio & venerandæ sanctitatis Patri, devotus in fide amicus salutem. Multa habuissem tecum valde necessaria conferre, si tempus & locus & facies vestræ præsentia adesset: sive de generali sanctæ Ecclesiæ statu, sive de speciali rerum ad nos pertinentium vicissitudine. Sed hoc erit dum vult qui omnia disponit quæ sunt in cœlo & in terra, qui quandoque concedat nobis mutua caritatis verba inter nos habere, & cordis arcana verbis pacificis patefacere. Sed tu carissime & omnium Sacerdotum Christi corde nostro junctissime, obsecro intercessiones facere pro nobis, quatenus divina clementia & vos proficere faciat in omni bono, & nos regere dignetur ad salutis nostræ profectum. Multæ sunt hujus sæculi occupationes & diversæ varietates, & eventus miserabiles: & Ecclesia Christi multis modis impugnatur non solum à paganis, sed etiam à falsis fratribus: & ubi fons æquitatis & justitiæ ad omnes per rivulos sanctitatis pertinere debuit, ibi maximè iniquitatis pravitatis profunditas exhalatur, sicut facere à sanctissima Sede audivimus, quid ibi scelerum & nimiæ atrocitatis [a] nuper gestum esse refertur. Timendum est non solum hoc impiissimæ pravitatis scelus, sed etiam majoris mali prodigium, dum in capite talia aguntur, quid in corpore fieri possit, formidandum est. Justitia laborat, & iniquitas abundat, & caritas frigescit, & infidelitas serpit. Sicut venenum, & sicut cancer membra Christi maculare non desistit. Ideo dum tempus habeas, labora in verbo prædicationis, in virtute caritatis, in exemplo sanctitatis, in pietatis officio, in eleemosynarum clargitione, in misericordiæ & pietatis constantia: quatenus ex hujus caliginis miseria ad perpetuæ beatitudinis lucem pervenire merearis, & me tuæ salutis unanimem filium, fratrem consocium, assiduis precibus vel ammonitionibus tecum trahere non desistas. ut pariter dicere digni efficiamur donante æternæ pietatis largitore: *Introduxit nos Rex in cellaria sua, exsultabimus & lætabimur in te.* Excitati animi motus in te tranquilla pace componantur, ut nihil per iram fiat, sed omnia cum consilio: tempus redimentes, donec transeat ira, & tunc dicatur vel agatur quidquid provida consilii sapientia suggerat agendum esse. Clamores pauperum cordis audiat affectus, & larga manus miseriam illorum refoveat. Magnum est, debitorem te habere Deum, quia beneficia pauperum Christi retributio compensat, & quod miser non valet remunerare, hoc omnium Dominus dignabitur recompensare. Cogitatio assidua tibi sit in Scripturis sanctis, & lætitia convivii laus Redemptoris. Dum corpus cibo pascitur, mens divina lectione foveatur, ne anima esuriens inebriato corpore lugeat. Pascatur quod æternum est magis, quàm quod periturum erit. Mens existentia muniatur, & futuram jugiter prævideat mansionem, ut parvi temporis labore perpetua mercatur: quies. Plura tibi scripsissem, nisi pauca scirem sufficere sapienti. Unum verbum in corde sensati melius proficit, quàm multa millia contemtoris. Non cessa semen salutis seminare in corda multorum, ut ex salute multorum multam apud Dei pietatem merearis habere remunerationem. Vive feliciter florens, & proficiens in caritate Christi & præceptis, quæ à Deo data sunt ad æternam beatitudinem generis humani, meique memor carissime Pater, frater, fili, æternis temporibus in Christo.

EPISTOLA VII.

Episcopum, qui paganis Fidem prædicabat, monet ne à recens conversis decimas exigat.

CArissimo Patri unanimoque amico, egregio Superspeculatori in Christi caritate salutem. Litteras tuæ beatitudinis accepi caritate conscriptas, consilio corroboratas, fide sigillatas, in quibus sicut literavi, audivi, sicut speravi, agnovi: nec me ipsius fefellit consilii, nec societatis cooperatio retardavit. Vestrum verò iter ad probandam rei veritatem modò in præsentia dispositum est. & ideo in spe voluntatis Dei lætus hoc perage. Pauci nobis restant dies hujus vitæ: & valde desiderandum est. Deique misericordia toto corde deprecanda, ut illi in opere Dei finiantur. quia plus unusquisque nostrum de fine vitæ judicatur, quàm de initio. In peccatis nascimur, sed gratia renascimur, quæ nos in bono opere currentes comitetur, & usque ad finem firmum perseverare faciat. Tu verò, Pater sancte, amice fidelis, frater dilecte, fili carissime, cum prosperitate bona divina tecum comitante gratia perge in opere Dei, & cum gaudio revertere ad nos, & esto prædicator veritatis, non decimarum [a] exactor: quia novella anima apostolicæ pietatis lacte nutrienda est, donec crescat, convalescat, & roboretur ad acceptionem solidi cibi. Quid imponendum est jugum cervicibus idiotarum, quod neque nos, neque fratres nostri sufferre potuerunt? Igitur in fide Christi salvari animas credentium confidimus. Vadè modò, dilectissime frater, in benedictione Dei & consolatione sancti Spiritus; amicus tuus est tecum in corde. quem utinam etiam habeas socium in opere Dei. Nos matricularæ [b] pro te orare non cessamus, quatenus divina te ubique præveniat & subsequatur gratia, ut

a *atrocitatis*] Id intelligendum de atrocitate commissa in Leonem tertium, cui oculi eruti, lingua recisa, &c. ut notant omnes. Confer Alcuini epistolas 11 & 13.

a *decimarum*] Extant ejusdem argumenti duæ Alcuini ad Carolum M. epistolæ, nempe 7 & 11.

b *matricularæ*] Alcuinus se ipse matricularium, seu p Ecclesiæ S. Martini, passim vocat, ut in titulis epistolarum 18 & 23. Vide infra epistolas 13 & 24.

eu.

cum multiplici pii operis fructu revertaris ad nos. Nos semper suspensi erimus de reditu tuo, donec videamus quem amamus; amplecter manibus quem corde desideramus. Ecce deficiente chartula, non caritate; pennam deponimus, hæc salutationis tantummodo verba subnectentes: Vivas Deo, feliciter vadas, & proficiens floreas in opere Dei, & te ubique euntem & redeuntem summi Regis dextra conservet, venerande, dilectissime, & dulcissime.

EPISTOLA VIII.

Ad Gislam filiam Caroli M.

CArissimæ in Christo [a] filiæ, fidelis in caritate Pater perpetuæ prosperitatis salutem. Corporalis infirmitatis incommoda hoc maximè animum contristant paternum, quod domini mei dilectioni sic citò, sicut volui, præsentari non potui. Credo tamen in ejus clementiam qui allisos solet erigere & infirmos curare, quòd meam adhuc impleat voluntatem in videndo faciem domini mei, vestræque familiaritatis frui alloquio. Tu verò, filia carissima, honestis misericordiæ operibus, vitæ sanctitate ornare memento dignitatem tuam, ut magis probitas laudet conversionis, quàm species auri fulgentis. Si quis diligentius consideret præcepta divina, inveniet in illis doctrinam, quæ est laudis in præsenti vita inter homines, & mercedis æternæ gloriæ apud Deum. Hæc tu nobilissima puella, diligentissimè discere & devotissimè implere satage, ut digna efficiaris à Deo amari & ab hominibus laudari. Tunc habet FLACCUS omni lætitia gaudere totisque viribus tripudiare.

Moribus egregiis virtutum & vita coronis
Floreat, & vigeas filia cara tibi.

EPISTOLA IX.

Discipulum ad resipiscentiam hortatur.

DIlectissimo filio. Dulcissime fili [a], frater, & amice, cujus nomen opto ut cælestis bibliotheca teneat in æternum, olim te genui, nutrivi, alui, & ad perfectum virum usque Deo donante perduxi, artibus studiosè eruditum, sapientiæ sole illuminatum, moribus adprimè ornatum, ita ut tuam laudem tota pæne decantet regio: & latior est fama nominis tui, quàm notitia faciei tuæ. Hujus ego tibi decoris devotus, Christum obtestor, adjutor exstiti, & pro virium meatum portione, te, si non idoneus, tamen voluntarius, sicut potui, & adhuc absentem obnixè orationibus prosequar, quem quondam præsentem sacris disciplinis provexi. Sed per ejus te misericordiam intentius deprecor, qui nos redemit, illuminavit & exaltavit, & suæ agnitionis participes effecit, ne caritati meæ, quæ me non sinit tacere, irascaris, si aliquid durius tecum loquar. Urget enim paternitatis affectus me fari quod pennigero rumore narrante didici, quia quædam magis quæ nec tuæ conveniunt dignitati, nec meæ placent dilectioni: quia omnem famam claritatis tuæ maculis fuscari nigris, ne alius tibi debitum subripiat locum, ut sit novissimus primus, & primus novissimus. Quid est, fili, quod de te audio, non uno quolibet in angulo susurrante, sed plurimis publicè cum risu narrantibus; quòd puerilibus adhuc deservies immunditiis; & quæ numquam facere debuisses, numquam dimittere voluisses. Ubi est nobilissima eruditio tua? ubi est clarissima in Scripturis sacris industria tua? ubi morum excellentia, ubi animi fortitudo, ubi timor gehennæ, ubi spes gloriæ? qui modò illa perpetrare non horrescis, quæ aliis prohibere debuisses. Convertere obsecro intra animum tuum, & dic cum Propheta: *Quis dabit capiti meo aquam, & fontem lacrymarum oculis meis, ut plangam die ac nocte*, non Jerusalem Babylonio igne usturam, sed animam Sodomitanis flammis arsuram. Per singula momenta properat dirus exactor, quem nullus vitare potest. quid respondebis tunc æquissimo Judici tuo, si nunc non corrigis fœdissima facta tua? Obsecro te dilectissime fili, per terrorem illius judicii, quod omnes subire cogimur, tu ab ea die qua hanc perlegas paginolam intimo dolore dictatam, pura caritate conscriptam, sancta fide sigillatam, constanti animo incipies catenam hujus diabolicæ suggestionis & impiæ consentionis dirumpere, & procul à te abjicere: quatenus puras & liberas manus ad Dominum Deum tuum levare valeas, qui præsto est tibi de longinqua regione revertenti accurrere. Si tu non tardaveris surgere & dicere, *Pater peccavi in cælum & coram te, ideò non sum dignus vocari filius tuus*: & non solùm obviare, sed etiam amplectari, osculari, optimaque induere stola & anulo ornare, & calceamentis munire, insuper & deducere dignabitur in domum deliciarum suarum, qua angelicis conjunctus cœtibus, beata æternitate & æterna beatitudine decantabis: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæculum sæculi laudabunt te.*

EPISTOLA X.

Ad Episcopum paganorum prædicatorem.

EVangelico Doctori [a] in Domino salutem. Plurimæ sunt hujus sæculi tentationes & multa pericula sæculum amantibus. Unde, carissime Pater, omni custodia serva te ipsum, & labora in domo Dei, ut proficiat tibi labor tuus in salutem æternam. NIHIL enim stabile in hoc mundo fieri poterit, nisi caritas Christi & servitium illius. *Præterit* enim, Apostolo dicente, *figura hujus mundi*. ILLUD SOLUM REMANET, quod pro Dei dilectione & in præceptis illius peragimus. Erue te ipsum, quantum valeas, de periculis hujus vitæ. Sit guttur tuum tuba super domum Dei. Spiritalis belli signifer esto, & dux in acie Christi, ut amplificetur tibi regnū in terra viventium, & non habeas spem in hac terra morientium: sed ubi vita est æterna, illic fiat omnibus horis intentio tua, spes, & desiderium tuum. Dic Deo Christo: *Anima mea desideravit te in nocte, & spiritus meus in præcordiis vigilavit ad te.* Qui castra Christi custodiunt, vigilare debent, & non dormire: quia vigilantibus, & non desidiæ torpentibus, perpetui regni promittitur gloria. Sæpius tibi scripsissem, si vel fama narrasset mihi, ubi te chartula mea invenire potuisset. Tamen scripta est in corde meo memoria nominis tui cum stilo caritatis, non pennâ peritura, sed permanente suavitate, sæpius ingeminans ex intimo cordis affectu: Quando erit illa dies, ut

a *Christo*] Non dubium quin Gislæ, cujus Patrem se dicit Alcuinus in præfatione ad Commentarium super Johannem. Confer epistolam 101.
a *Dulcissime fili*,] Is est filius ille prodigus, ad quem Alcuini epistolæ 103 & 114.

a *Doctori*] Forsan Willehado Bremensi Episcopo Saxonum doctori, uti & superiores epistolæ 3 & 6, potius quam Dancœ seu Riculfo Moguntinensi Antistiti, etiam in Saxoniam misso, quem Alcuinus *filium* appellare solet, ex epistola 93. non, ut hunc, *Patrem*.

A alcti.

liceat mihi dilectum amplectari meum, & dulcis amplexibus colla constringere Patris venerandi. Videsne qualis sit caritas vera, quæ nulla longinquitate terrarum dividi poterit, nulla oblivione deleri, sed magis magisque accrescit. Felix anima, quæ Deum diligit soluta ab hujus sæculi nexibus ut proficiat in veritatis soliditate, & perveniat ad divinæ beatitudinis visionem, ubi est tranquilla lætitia, & sine ulla perturbatione vita perpetua. ad quam felicitatem, Pater sancte, me precibus tecum deducere satage, ut in Christo fruamur dulcedine caritatis perpetuæ. Saluta ex meo nomine omnes sanctæ Dei Ecclesiæ filios, qui vobiscum Deo deserviunt, & scribe nomen meum in cordibus illorum piæ petitionis affectu, quorum nomina Deus Christus in cælesti libro scribere jubeat, qui ait carissimis sui laboris sociis: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Valete omnes feliciter in Christi benedictione, dilectissimi Fratres.

EPISTOLA XI.

Ad Aquilam Episcopum Salizburgensem.

AQuilæ per alpes volanti, per campos currenti, per urbes ambulanti, humilis terrigena salutem. Ammone subjectos tuos de vitæ castitate, de morum honestate, de orationum vigilantia, de precationis instantia, & unusquisque subjectam sibi plebem bene in Dei voluntatem eruditam habeat, Ecclesiamque benè directam. Unusquisque verò suum in Domino honorificet ministerium, ut non sit vituperio in sacerdote Christi, sed laudatio in prædicatore veritatis: hortenturque singuli ad CONFESSIONIS puritatem, ad pænitentiæ compunctionem: quia hoc SECUNDUM BAPTISMA est in Ecclesia, ut qui post primum erraverit in aliquo delicto, in hoc secundo corrigatur. Sit tibi Deus ubique adjutor, ut proficias in omni bono, & multiplici dignus mercede habeatis in conspectu Domini Dei tui: tantùm orationibus adjuva fragilitatem nostram, ut dirigat nos Christus in suæ pietatis voluntate, ut faciamus quæ bene placita sunt ei. Deus Christus ad profectum suæ sanctæ Ecclesiæ bona valetudine beatitudinem tuam conservare dignetur, desiderande Pater.

EPISTOLA XII.

Ad amicum quemdam Episcopum.

SAnctissimo Pontifici & dulcissimo fratri. Suavissimas dilectionis vestræ accepi litteras, & lætus de agnitione prosperitatis & reversionis vestræ legebam eas, nec majorem ardorem habet animus vester quàm meus conloquii nostri. Ideò rogemus Dei clementiam, ut concedat nobis in sua misericordia & in nostra prosperitate videre nos citò facie ad faciem. Gratia Domini nostri Jesu-Christi te in omni bonitate proficere faciat, fili carissime.

EPISTOLA XIII.

Prælatum infirmus hortatur ad perseverantiam prædicationis & ad scribendum.

CArissimo in Christo Patri ille infirmus in desiderio totius caritatis salutem. Fidei vestræ & firmæ caritatis litteræ me invenerunt sed, Deo donante, melius habentem. Et te summa Dei gratia melius ac melius habere concedat, & opus Dei quod in manibus habes, crescere faciat per multam latitudinem populi. Et ne tepescat animus tuus, nec crebra te exterreat corporis tui infirmitas, nam virtus in infirmitate perficitur. Felix locus & ora, in qua te constituit summus terrarum Rector! sed curre currendo, ut cursum tuum compleat Deus, & fidem conserves, & de reliquo tibi remaneat corona gloriæ. Nos verò peccatorum vincula partim sæculi catenis partim vinculis morborum currere abnegant: & quod in voluntate promptum est, in carne infirmatur. Sed fiat voluntas Domini: & qui cœpit in spiritu, compleat in opere. Quis ego, nisi pulvis parvissima? tamen qui de pulvere evexit Dominus, potest de creatura facere quæ vult: quia omnia quæ vult facit in cælo, qui laboriosas piscatoria manus ab hamo ad cælestis regni transtulit clavem, & de persecutore sanctorum effecit Prædicatorem populorum. Hoc verò considerans, nec de fraterna desperes salute, nec de propria dubites efficacia. Pauci sunt dies laboris, sed plurimi mercedis. Labora, labora pro me & pro te, ut tuus labor mihi proficiat, mea voluntas si quid potest te adjuvet. Trahe me post te precibus tuæ sanctitatis: curremus simul, donec introducat nos Rex in cellam vinariam, ordinans in nobis suæ caritatis suavitatem. Et quia vox vestræ dilectionis ad nos pervenire non potest, sæpius charta, quam relationis vocant, currat. Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma est. Quam pulcri sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Ille qui cœpit caritatis bonum, ipse perficiat in nobis, & ad fidei mercedem perducat. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum ex hoc nunc & usque in æternum. Vivas feliciter, & floreas in opere verbo Dei. Vale Frater in æternum, memento semper orare pro nobis, & memor sit semper Deus adjuvare te.

EPISTOLA XIV.

Alcuinus morti proximus amicum Episcopum ad limina sancti Martini invitat & ad contemtum terrenorum.

OPtimo [a] Præsuli evangelicoque Doctori. Occurrat chartula caritatis calamo conscripta vestræ reverentiæ, frater desiderantissime, tuis susurrans auribus, ut venias, si fieri possit, ad liminâ beati Petri nostri protectorisque vestri, ut tuus tecum familiari consolatione sodalis agere extrema salutationis verba valeat: quia festinat hora divisionis inter fratres, separationis inter amicos, eunti homini in domum æternitatis suæ, & circumeuntibus circa eum in platea plangentibus: tunc vera probabitur amicitia, dum falsa cessabit adulatio. Multi promittunt societatem, sed pauci custodiunt. nec mirum, quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Sed quid ad hæc? Jungat se homo Deo, & habebit cuncta quæ necessaria sunt. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & omnia adjicientur vobis.* Dolores & tribulationes hujus vitæ quotidie admonent Deo jungi, terrena fugere, cælestia amare: sed heu prô dolor! his optamus miseriis diu interesse: & minùs perpetuam quærimus requiem: nostris inhiamus cupiditatibus, minus Dei præceptis inhæremus, qui paterna pietate nos castigat, ut animo hæc tempo-

a *Optimo*] Fortasse Liudgero Mimigardefordensi Episcopo, qui Alcuini discipulus fuerat.

ralia fugiamus, & ad æterna festinemus, ubi vera est beatitudo. Ut ad hanc pervenire merear Deo miserante, tua me sanctitas orationum suffragiis adjuvet. Periculum meum novi, peccata mea agnosco. ideo supplex servorum Christi deposco intercessiones, ut mei misereantur. Spes & consolatio mea omnium Redemptor Deus Christus, cui laus & gratiarum actio pro omnibus bonis, quæ mihi gratuita pietate concessit in hoc sæculo.

Vive Deo felix, mundo nam vivere mors est.
Vera quidem hominis est vivere vita Deo.

EPISTOLA XV.

Ad eumdem, ut videtur, & ejusdem argumenti.

DOmino merito amabili pio Præsuli & pacifico. Perpetua caritas occasionem semper inveniet salutationis ad amicum, ut gaudeat in lectione litterarum. Animus fidelis, cui non est datum lætari in præsentia oculorum: sed melior est fidelis animi aspectus in caritate omni intuitu pupillarum. Ideo animo spiritualiter Deus inspiciendus est, non oculis carnalibus, quos communes habemus cum vermiculis: cujus visio omnis est beatitudo, quæ sanctis promittitur in sempiterna gloria, à qua tolluntur impii ne videant gloriam Dei. Ad hanc perpetuæ beatitudinis visionem nos invicem exhortemur, quia frater à fratre adjuvatus, civitas est firma. Quoddam mihi dispendium esse in absentia faciei vestræ video, multum cupiens amabilem caritatis loquelam, quam inter nos fideliter habere consuevimus. Si aliquando desiderium hoc mihi amabile Deo miserante evenire valeat, ad invicem contemplari, antequam rumpatur vitta aurea, & conteratur rota super fontem, & eat homo exterior in domum æternitatis suæ, plangentibus circa eum amicis; & spiritus revertatur ad judicium illius qui dedit eum. Hujus verò judicii terrore totus contremisco, sæcularisque negotii deposito onere, Deo soli servire, licet pigro corde, & in posito gradu eligam, ne me manus parvum dies illa per omnia inveniat. Sed Deo miserante, vitaque comite, vulnera quæ hujus sæculi miseria mihi infeliciter inflixerat, secundum consilia vestræ sanctitatis mederi adgrediar: hisque transactis inter nos consiliis (quod sine lacrymis non dico) ultimum vale fiat inter me & te, & ego perpetualiter tuis sanctissimis corroboratus consiliis atque orationibus, spectans spectabo, quando revertatur Dominus meus à nuptiis pulsare januam, ut custodem domus vigilantem inveniat, hujusque timendæ horæ momento peracto, utinam tuam beatitudinem propter necessarias pro peccatis meis intercessiones superstitem relinquam. quia fides in extremis probatur, quæ pæne rara invenitur in hominibus. Omnes enim valde ea indigent: sed pauci habere videntur. Te verò divina clementia, Pater desiderantissime, multo tempore in servitio sanctæ Ecclesiæ & multarum profectu animarum proficere faciat; ut cum multiplici laboris tui fructu ad æternam laudabiliter pervenire merearis beatitudinem. Iterum atque iterum dico, & cum lacrymis dico, mei memorem omnipotens Deus te custodiat, & in omni bonitate florere concedat, dulcissime & omnium dilectissime Præsul.



EPISTOLA XVI.

Transalpini Episcopi litteras caritate plenas laudat, & ad conciliandam Ecclesiæ pacem eum hortatur.

VEnerando Patri, evangelicæ lectionis Doctori. Venerunt mihi vestræ dilectionis apices melle dulciores, auro obrizo gratiores, munusculis sigillatæ suavissimis: in quibus perpetuum sanctæ caritatis vigorem in cordis vestri arcano agnovi, quam nec Alpina frigora, nec Italici æstus subvertere potuerunt, sed inter omnes hujus sæculi diversitates & caliginosas tempestates, quasi matutinus lucifer, semper nova exoritur. de qua ipsa Veritas ait: *Mandatum novum do vobis.* Novum quia evangelicum: vetus, quia legale: in quo tota Lex pendet & Prophetæ: in quo totius gratiæ summa consistit. Novum, quia foras mittit timorem. quia quod grave fuit per timorem, leve erit per amorem, testante caritatis Fonte: *Jugum meum suave est, & onus meum leve est.* Ex hujus favo totius chartulæ tuæ resplenduit series. Credas velim, Pater dulcissime, quod non tanta suavitate fratrum vel sororum litterulas legere potui ultramarinas, quanta tuæ dilectionis transalpinas: nec tale post eos tædium fatigat cor meum, quale post tuæ faciei visionem amabilem. Sed patienter ferendum est quidquid jubet Sapientia divina, quæ omnia disponit suaviter, & in cordibus famulorum diffundit suorum, per sancti Spiritus gratiam, dulcissimæ caritatis dona, quæ inter adversa fortis, & inter prospera humilis esse congaudet: in utrique in eo potens, qui omnia potest: secura de se, sollicita de suis. de qua plurima tuæ reverentiæ scribere supervacuum duxi, quia te totum in ea esse multis probamentis agnosco: in qua viriliter vincere adversarios habes, & fortiter pugnare contra inimicos Ecclesiæ Christi, ut corona laudis in die Domini nostri Jesu-Christi te tuosque consequatur. Quædam apologetica verba tuis inserta legebam litteris, æstimans me irasci pro quodam fratre. quod omninò non feci, dum verissimè eum meum esse putabam, si tuus esse voluisset, cavens illud Senecæ sapientis: Elogium meum & tuum mundus destruxit. quia quod Deus conjunxit, homo non separet, nec locis dividatur quod mentibus conjungitur. Ubi una est caritas, ibi diversa non est voluntas. Quapropter obnixiùs deprecor familiarem vestræ dilectionis caritatem, ut mihi, licet indigno, assiduis sanctitatis vestræ precibus apud clementissimum Salvatorem perpetuæ sanitatis medicinam deposcere studeas, & quoscumque Deo Christo fideles invenies famulos, tuæque reverentiæ sacræ dilectionis vinculo conjunctos, me commendare curam habeas, ut nostræ parvitatis nomen in cordibus conscribas deprecor: quatenus ex plurimorum precibus sanctorum plurima mihi solvantur vincula peccatorum. Tu verò, sanctissime Pater, pacificæ ramum olivæ ore ferens in arcam Domini, alienas iniquorum dissensiones tuas fac esse mercedes, revocans eos ad sanctæ pacis concordiam, ut populus electori, & grex pastori, & filii proprio obediant patri, & pater filiis prosit in pace & mansuetudine: ut in omnibus una sit caritatis concordia, ne qua radix ultra amaritudinis ramos venenatæ dissensionis pullulare possit inter sanctissimas ecclesiasticas tuæ dignitatis personas. Sit in ore tuo tuba veritatis, ut pax & veritas ex tuis semper audiantur labiis; & quod Psalmista cecinit, non solum in te im-

pleatur, sed etiam per te in multos proficiat, ubi ait: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, pax & justitia complexæ sunt se.* Hoc est opus tuum in præsenti luce, hoc est merces tua in æterna gloria. Ait enim quidam Poeta de opere carminis Evangelici:

Hoc opus hoc etenim forsan me subtrahit igni,
Tunc cum flammivoma judex descendet ab arce,

Dicam & ego:

Hoc opus hoc etenim non solum subtrahit igni,
Te jam, sed faciat cæli conscendere in arcem.

Lege feliciter, & humiliter agnosce, & veraciter perfice quæ caritas scripsit, & Christus demandavit ut fiant.

EPISTOLA XVII.

Episcopi adventu se frustratum dolet & ad spiritualia mentem convertit.

DUlcissimæ dilectionis Patri transmarinus Cygnus, in sanctæ caritatis pennis perpetuam salutem. Exspectavi, speravi quem optabam: & ecce quem exspectavi, non venit; & quem speravi, non consideravi; quem optabam, non accipiebam: frustrata est exspectatio, evacuata est spes. Et utinam pro spe esset præsentia! nunc esset plenum gaudium. Sed prô dolor! pro exspectata lætitia, tristitia inopinata subrepsit. Infelicitas mea viam vobis obstruxit veniendi, & mihi hilaritatem abstulit gaudendi. Quid facies modò mens caritate vulnerata? estne aliquod solatium, qui tantum vulnus vel aliquod refocillare valeat? an spem quasi falsum omninò à te repellis consolatorem? an inter tenebras tuæ miseriæ quasi scintillam cujusdam ardentis flammæ iterum, tibi illam assumis? Ecce flammâ totum inardescit pectus: cui si spes accesserit, feliciter ardet, si veraciter illi evenerit quod optat. Bona est enim spes in absentia, sed melius est amor in præsentia. Nam spes nostra ad cælestis nos trahit patriæ soliditatem: sed tunc erit perfecta felicitas, cùm plena erit jussio amoris, & videbitur Deus in gloria sua, qui amatur nunc in pectore nostro. Sed hujus exsilii peregrinatio patienter feratur, donec optata beatissimæ patriæ veniat præsentia. Patientia nobis necessaria est, sive in exspectatione speratæ beatitudinis, sive in absentia amicorum carissimorum. Habeam semper hodie in caritate, in spe verò crastinum desiderium, ut veniat quod hodie amatur. Ecce meus variis fluctuat cogitationibus, te consiliatorem quasi portum firmæ stabilitatis sperans venire: sed, ut video, longius à quiete optata fluctibus rapitur, ad quem portum perveniet ignorans. Assiduis tamen sanctitatis vestræ precibus dubitantem in cogitationum disceptationibus amicum, ad firmum divina concedente gratia salutis consilium deducere dignemini. Præstò est ubique pius sanctarum exauditor orationum, qui & fraternæ dilectionis preces exaudire, & in se sperantes Spiritu consolationis sancto adjuvare solet. Ad illius dulcissimam clementiam erigamus spem nostram, simulque de ejus opitulatione indubitantes, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illum tota cordis intentione, tota animi affectione incessanter deprecemur, ut inluminet nobis oculos interiores, ne umquam in morte ignorantiæ obdormiamus.

EPISTOLA XVIII.

Transalpini Pontificis desiderio teneri: omnia turbata esse, & Fidem de Christi divinitate strenuè defendendam.

EVangelico Volucri inter omnes alpinæ celsitudinis aves carissimo in Domino salutem. O si mihi translatio Habacuc esset concessa ad te! quàm tenacibus tua colla strinxissem, ô dulcissime fili, amplexibus! Nec me longitudo æstivi diei fessum efficeret, quin minus premerem pectus pectori, os ori adjungerem, donec singulos corporis artus dulcissimis exoscularer, salutationibus. Sed quia hoc peccata mea impediunt, ut in tardo corpore fieri valeat: quod possum instantius efficiam, pennam caritatis lacrymoso intinguens gurgite, ut suavissima salutationis verba scribantur in chartula: ut per manus currentis veniat ad filium caritatis meæ, qui est pater meritis, frater caritate, filius ætate, ut me legat lugentem, quem non aspicit lætantem. O dura divisio gravis ponderis in corpe! ô dulcis conjunctio in dilectionis visceribus! ô vera fraternitas, quæ numquam dividitur, quæ non minus in absente ardet, quàm in præsenti clarescit! In hac obsecro nostra tecum semper vivat memoria, uti fragilitas nostra vestris fulciatur orationibus: & non recedat de corde nomen diligentis te, sed in Christo sit unitas, sine quo nulla perfecta est caritas. Multas habemus curiositates de Fide catholica, quia plurimi sunt impugnatores. Ideo nobis necessarium est multorum fulciri intercessionibus, ut multis, divina gratia donante, prodesse possimus. Tempora sunt periculosa, & tribulatio super tribulationem semper advenit. Populi in egestate, principes in labore, Ecclesia in sollicitudine, sacerdotes in querelis: omnia turbata sunt. Tamen ille credo miserebitur, cujus misericordia speciosa est in tempore tribulationis: cujus te laudi & honori semper insistere multum gavisi sumus. Reficit enim spiritum nostrum quondam fidelis de religiosa vita nostra memoria, sive domo, sive in itinere. Ideo non est mihi admonere facientem, nec plena implere: sed congaudere gaudentibus, & in tuis profectibus Deum laudare. Dum potens, operare opera Dei; & dum lucem habes, curre, donec pervenias ad bravium æternæ beatitudinis. Ego verò vernaculus sanctæ Dei Ecclesiæ vobiscum stare habeo: & QUOD SACERDOTUM UNANIMITAS CREDIT & prædicat, in hoc ego laboro, & cum meis loquor, & pro filiis sanctæ Dei Ecclesiæ aperiam os meum, si ille implebit illud qui ait: *Aperi os tuum, & implebo illud.* Desiderans docere viam Domini, & confirmare titubantes, & exhortari stantes, & erigere jacentes per eum, & in eo, qui erigit allisos, & solvit compeditos Dominus Jesus-Christus, pro quo mihi, & per quem mihi sermo est, ut eum verum Deum [a] & verum filium Dei omnibus volentibus vel nolentibus audire testemur. Noli tacere; sed clames, & non cessa. Exalta sicut tuba vocem tuam, & ostende omnibus viam salutis æternæ, & dic: Currite, hæc est via regia, hæc est strata publica quæ ducit ad palatium Dei Christi, in quo est pax, laus & gloria: ad quem pervenientes memores estote mei.

a *Deum*] His verbis Felicianam hæresim notat. unde suspicari licet, hanc epistolam Paulino Aquileiensi Patriarchæ directam fuisse: cui quàm amicus fuerit Alcuinus, testes sunt multæ ejus epistolæ, in primis epistola 113. Attamen eum *Patrem* semper, non *Filium*, ut hic, appellare solet Alcuinus. Alii judicent.

EPISTOLA XIX.

Episcopum, suum olim discipulum, laudat ob defensionem Sedis apostolicæ, & ejus libellum contra hæresim Felicianam.

DOmino beatissimo, & merito perpetuæ caritatis alis amplectendo, humilis Levita in Domino salutem. Dulcissima litterarum vestrarum lectione & suavissima prosperitatis vestræ legatione lætificatus, quasi inter febrium ardores refrigerium quoddam mihi advenisset, & canicularibus decoctus flammis rore salutationis vestræ refocillatus, totus in spe roboratus, assurgebam audiens quod semper optavi, legens in litteris quod semper desideravi, apostolicæ auctoritatis salutem, & constantiam religionis sanctæ in eo, quem Confessorem [a] Christi nominare & venerari omnibus Christi electis æquum arbitror; cujus præsentiam super omnes alios hujus vitæ viros desiderarem, si mei corpusculi valetudo me sineret proficere. Tu verò, fili carissime, fili votorum meorum, labora prò capitis tui salute, pro summi Pastoris incolumitate, pro sanctæ Sedis auctoritate, pro catholicæ Fidei integritate, ne fraudulentis morsibus pastorum Pastor pateat. Ego verò optimæ vestræ pietatis devotionem lacrymis prosequor, orationibus assequor, litterarum suffragiis consequor. Cautus esto cui commendes consilia tua, providus in responsis, verax in judiciis, sollicitus discernere quid cui conveniat: & noli oblivisci patrem senio, filium meritis, fratrem caritate. Veniet, veniet enim dies dum ei placuerit qui omnes disposuit dies, quando licebit optatos amplexus patri & filio conjungere, & mutuis se ipsos exhortari consolationibus. Propè enim estis vos terminis paganorum. Sit salus vestra, protectio, & misericordia Deus Dominus noster, qui ait: *Sine me nihil potestis facere.* Commotio magna est in mundo & in mentibus multorum infidelitas, & in nomine Monachorum negligentia. Volunt dici, & non fieri, dicente Scriptura: *Vult piger, & non vult.* id est vult beatus esse, & non vult laborare unde beatus fiat. NON EST claudicandum in Dei servitio, sed via regia gradiendum, ut ad optatum aliquando litus divina auxiliante gratia pervenire possis. Populo quoque, ut sæpius deprecatus sum, prædica instanter verbum Dei, ne ullius anima in tuo pendeat judicio, vel à te quæratur. Ostende illis viam salutis; hos secreta conlatione, illos publica prædicatione confirmans. Unicuique secundum suæ conditionis vel personæ modum hortamenta ingere, potestatibus & judicibus justitiam & misericordiam, junioribus obedientiam, humilitatem & fidem in seniores, omnibus æquitatem, caritatem Dei & proximi, castitatem corporis, benignitatem & pietatem in eleemosynis: quatenus cum multiplici laboris tui fructu ad æternæ beatitudinis sedem pervenire merearis Deo miserante, qui ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Mei quoque ut habeatis memoriam secundum spem meam & fidem vestram deprecor cum sanctis fratribus vestris, assidua intercessione: ut propè cursu nostri agonis completo, veniam peccatorum meorum & aliquam portionem beatitudinis inter cives cælestis habitationis accipere merear. Divina vos gratia comitetur ubique, domine Pater & dilectissime amice, & si tibi causa eveniat videndi amicum nostrum, saluta eum mille millies. Libellum [b] verò catholicæ Fidei perlegebam, & satis mihi placuit in eloquentia sua, & in floribus dictionum, & in fidei ratione, & in testimoniorum auctoritate: ita ut nihil his addi de quæstionibus nuper habitis inter nos & partes Felicianas opus esse arbitrabar: & felix est Ecclesia populusque Christianus, quamdiu unum talem habebit defensorem Fidei catholicæ. Quod rogasti litterarum nostrarum serie sæpius tam appellans sanctitatem, testis est Deus cordis mei, quantum hoc desidero ut sæpius fiat secundum oportunitatem temporis & portitoris, optans ut habeas me præsentem in litteris meis, ut nihil nobis desit in caritatis communione præter oculorum præsentiam. Sed his multo major est & melior perpetua sanctæ caritatis præsentia in Christo Jesu Domino nostro.

EPISTOLA XX.

Episcopo de litteris transmissis gratias agit, eumque ad officium exsequendum hortatur, amorem muneribus præferens.

DOmino merito in membris Christi amantissimo Patri, humilis Matricularius sempiternam salutem. Currente legatione litteræ beatitudinis tuæ venerunt ad me, suavissimæ salutationis afferentes verba. quibus læto perlectis animo, nota agnovi, desiderata consideravi, lætus legebam in omnibus vestri animi sanctissimam de nobis devotionem vigilare. Tua verò sanctitas vigilet super gregem Christi, ne lupinis morsibus aliquid desit gratiæ Christi, tuis subjectis ammonitionibus ad te respiciens: quia perditio cujuslibet animæ pastoris est detrimentum. Ille felix est, qui castigatione Dei catenatus est, & ab hujus sæculi turbatis liberatus procellis: nec umquam tantum divitis sæculi circumfusus lætabar, quantum consideratione quieta vitæ meæ gavisus sum. Opto Deo miserante, ut per tuam efficiatur dilectionem, qood per meam segnitiem fieri non poterit, id est ut amplexibus & alloquiis caritatis vestræ liceat mihi aliquam horam perfrui. Non est Episcopus, cujus magis velim præsentiam uti secundum Dei miserationem, quàm vestram. quod ut fiat, ille efficiat qui ait: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Periculum est fragili animo in hujus sæculi permare tempestate. Martha ministrabat Christo, sed tamen circa plurima occupata Domino dicente legitur esse: Maria verò optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum. Mirabar in quadam chartula dilectionis vestræ quoddam verbum, quod ibi legebam in ea, ubi post competentes & animo meo desiderabiles sensus, dixisti, quod propter occupationes nil mihi transmittere potuisses munusculi. quasi in auro vel argento caritas nostra consistat, dum tanta est, ut verè fateor, in animo meo, vel etiam (ut credo) in tuo, ut in comparatione ejus caritatis omnis divitiarum species vilescat. Illa est vera, de qua modò scripsisti, te pericula fluminum non subire, de quibus dicitur: *Flumina multa non obruent caritatem.* Hæc vigeat in cordibus nostris, non vanæ auri vé

a *Confessorem*] Hic locus de Leone tertio Papa indubiè explicandus est.

a *Libellum*] Alcuinus in epistola 7 ad Carolum M. varios Doctoribus curam refutandæ hæresis Felicianæ demandari cupit, nempe Paulino Patriarchæ Aquilejensi, Richbono seu Richbodoni Trevirensi Episcopo, & Theodulfo Aurelianensi. Hunc locum de Richbodone interpretor. Paulinum finem haud scio an dicturus fuisset.

argenti species, quæ non prosunt possidentibus, sed magis obsistunt, nisi eis, qui illa uti ad salutem animæ tuæ in largitionibus pauperum didicerint, & opere perfecerint. Omnipotens Deus sanctitatem tuam ad multorum perfectionem salute perpetua, benedictione felicem incolumem protegere & custodire dignetur, domine, Pater dilectissime & desiderantissime, atque honore in Domino dignissime.

EPISTOLA XXI.

Archiepiscopum à turba occupationum revocat, & ad Dei laudem & sui memoriam hortatur.

VEnerando Patri & veræ caritatis alis amplectendo, colendo & desiderando Archiepiscopo, humilis Matricularius in Christo salutem. Scio integram in pectore pietatis vestræ dilectionem non solum apud me, sed apud omnes amicos firmiter permanere, quæ probabitur in adversis, laudabitur in prosperis. In cujus pennis sanitas in cujus gressibus scala, quam somniavit Jacob Patriarcha, ascensio ad eum qui ait: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ecce signum discipulatus Christi, & ecce cælestis regni janua, & ecce vitæ nostræ fundamentum, & cumen. Sed vix ibi creditur firma esse, ubi indicio quolibet non apparet, sive in solatio pauperum, sive in exhortatione ad fratres qui proximi sunt, sive in scribendo ad longinquos corpore, proximos siquidem spiritu. Doleo te fratrem carissimum cordis mœrore, propter negotia sæcularia, quæ impediunt quadam nubium concretione caritatis radios, qui ex pectoris vestri flamma multos irradiare potuissent; si non caligine terrenarum occupationum obscurarentur. Tamen vigilet in corde & foras temporibus opportunis fulgorem emittat, ut luceat omnibus qui in domo sunt, qui non sunt cæci ad videndum, vel surdi ad audiendum. Quid est tuo in nomine nominis? nisi apertum habere os ad omnes in veritatis testificatione, per eum qui ait: *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, sed ut magis & magis proficias intende. Multæ sunt tribulationes justorum; quia inter multos vocatos pauci eliguntur: & quo rariores inveniuntur, eo instantius verbum Dei eos predicare necesse est. Pæne omnes quærunt quæ sua sunt, & pauci quæ Christi esse videntur. Pastores curæ turbant sæculares, qui Deo vacare debuerunt. Vagari per terras, & milites Christi sæculo militare coguntur, & gladium verbi Dei inter oris claustra qualibet cogente necessitate recondunt: quem heu pró dolor! perpauci possident, quamvis plurimi se promittant eum habere: sed in die certaminis mercenarios se ostendunt, non milites. His consideratis diligentius, dilectissime Pater, te ipsum considera, circumspice & intende, quis sis, vel quo vadas, vel quid dicas in judicio, in præsentia illius qui te speculatorem posuit populi sui. Me verò secto sæcularibus propemodum exterius negotiis liberatum, sed malè interius multis fatigatum occupationibus atque inanissimis cogitationum turbis, quæ me prohibent puro corde clamare: Jesu fili David, miserere mei: quæ tuis sanctissimis orationibus, frater dilectissime, ut abigantur aliquantulum supplici deprecor obsecratione. Adjuva laborantem, erige jacentem, porrige manum pietatis fratri pæne in salo procellosæ cogitationis immerso. Nec æstimer hæc frustra precari: sed teste Deo dicam, quod satis indigeo de hujus tentationis molestia tuæ sanctitatis precibus sublevari. Corpus coarctare utcumque valeo, sed non cordis vagabundos gressus constringere: quia cælestia tantùm desiderare debuissem. Terreni pulveris caligine pæne oculos cordis excæcatos habeo, nisi ille gratuito pietatis suæ munere illud illuminet, ad quem mihi sæpius cum Propheta clamandum est: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Item, *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Ex parte video, ubi est requies mea, ubi sitis meæ saturitas. Ubi? nisi in eo ad quem Propheta clamavit: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Et ad seipsum conversus in alio dictus loco, quasi hujus petitionis responsionem invenisset: *Hac requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam praelegi eam.* In hanc se exhortaus alio versu inquit: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*, pro quo benedicto munere ad laudandum seipsum excitat: *Lauda anima mea Dominum.* Et quasi ipsa respondisset, subjungens: *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu ero.* Quia semper ero, Dominum meum laudabo dicens: *Laudent eum cæli & terra, mare & omnia quæ in eis sunt.* Hos versus sic junctim posui, quia nihil mihi dulcius videtur cantandum in orationis compunctione, quàm hos ita compositos: deprecans ut meæ devotionis ammonitione eos sæpius cum magno animi gaudio decantare in consuetudine habeas pro æternæ beatitudinis memoria, meique nominis quantulacumque recordatione in hac & in omni salutiferæ petitionis prece. Divina te exaudire gratia dignetur, domine Pater desiderantissime, & nostri cordis amori dulcissime.

EPISTOLA XXII.

Episcopum admonet officii, maximè prædicationis.

DUlcedinem dilectionis brevitas chartæ non explicat: sed spero fides vestræ pietatis tenet quod meæ imperitiæ littera non sufficit proferre. Utcumque enim memoria caritatis absentiæ tristitiam consolatur: & quem sibi præsentari per singula momenta oculus quærit, hunc animus absentem semper amare non desistit. Heu quàm dura est hujus mortalitatis conditio! quæ variis eventibus toties amicos disjungit, nec patitur semper videre amantem amatorem suum. ó quàm felix est æterna beatitudo, ubi semper videtur quod amatur, & numquam cernitur quod non amatur. Ad hanc nos festinare oportet, ut illam intrare mereamur. Nullus nos labor deterreat, nulla delectatio retardet: sed tanto avidius totis viribus tendamus ad illam, quanto beatius illam habere poterit qui intrat. Me tecum, dilectissime frater, obsecro continuis precibus attrahe. Tu verò aries, cui juxta Salomonem nullus resistere valet: ego morbida inter gregem evangelicæ pascuæ ovicula. Tua lingua clavis est regni cælorum. quapropter numquam à bonis sileat, numquam ab ammonitionibus cesset. Superbos & contumaces duris increpationibus castiget, humiles & quietos piis exhortationibus refoveat: talentum quod accepisti, quasi devotus negotiator superaugmentare contende. Non tardat Dominus qui dedit revenire, & rationem exigere pecuniæ suæ. Vide & intentius considera, quantas animas in periculo animæ tuæ regendas accepisti. Fac tibi lucrum ex illis, non damnum. Ad exemplum Domini Dei tui recurre, quomodo per civitates, castella, vicos etiam & domos singulas prædicando cucurrisset, immo convivia publicanorum & peccatorum non abhorruit, quatenus ex familiaritatis

communione prædicationis occasionem haberet. Ita tu ejus roboratus exemplis, ubicumque ad convivia venias, ibi prædicationis officia agere non cesses, ut pro carnalibus quæ ministrant tibi tuisque socius, spiritalia tibi suisque commanipularibus accipiant: memor quanta seipsum districtione pius prædicator Paulus obligavit dicens: *Væ mihi si non evangelizavero.* & iterum quàm terribilia comminatus est Dominus ipsi Ezechieli Prophetæ, dum prædicationis ei officia ingessit: *Fili hominis speculatorem posui te domui Israel.* & post pauca: *Si enim non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, & ille morietur in peccatis suis, & sanguinem ejus de manu tua requiram.* & iterum per Isaiam Prophetam de tacentibus dicitur prædicatoribus: *Canes muti non valentes latrare.* Qui sunt canes muti, nisi Pastores tacentes contra diabolicas insidias per prædicationem latrare non valentes? Idcirco, dilectissime frater, te diligentius obsecro, ut omnes ad tuam pertinentes diœcesim verba vitæ audire facias, vel per te ipsum, vel per tuos adjutores Presbyteros, ut subjectorum tibi salus, tua sit gloria apud Deum. Si quis verò (quod absit) postea . . . sanguis ejus sit super caput suum: tu verò immunis à perditione illius inveniaris, qui prædicasti ei, licet non obedisset tibi. Raro enim aperto marte apud Christianos pugnat antiquus hostis: sed sub prætextu pietatis venena mortiferæ suggestionis occultat. Idcirco quasi pio pastori & prudenti medico convenit tibi commissum præcavere gregem, uti eum in conspectu æterni Judicis immaculatum adducere merearis, & vocem desiderabilem audire dignus efficiaris: Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

EPISTOLA XXIII.

Episcopum hortatur ad subditos erudiendos.

DEsiderando meritoque amando illi sanctissimo Patri humilis terrigena in Domino salutem. Multa mihi dulcedo fuit ex visitatione venerandæ dilectionis vestræ. Licet laborem haberem, tamen ego pietatis tuæ consolatione reficiebar, ita ut juxta beati BENEDICTI responsionem, Pascha me in tuæ dilectionis adventu habere viderer. Sed brevi præsentiæ diu optatæ tempus plangebam, & quantum lætus fui in aspectu faciei vestræ, tantum tristis in abscessu torquebar. Sed quid ad hæc? tale est hujus sæculi gaudium, nos ad futuram lætitiam tendere admonens, quæ numquam finem habitura est, sed semel hausta dulcedo semper præsens esse non desinit, ad quam tota mentis alacritate festinandum. Qualis est illa lætitia, quæ nihil perturbationis habebit, numquam finem habebit? Hæc est in spe modò habenda. Quàm felix est illa dilectio inter fratres, quæ sine fine vivit, sine fastidio augetur! Hortare, Pater sancte, filios nostros communes huic se dignos præparare caritati: suade paternis eos obedire præceptis, verè fratres esse in Domino, & filios æterni Patris, coheredes Christi Dei. Non solum pastorali sollicitudine vobis hæc suadenda sunt, sed omnibus gregis tibi commissi ovibus ingerenda sunt in sancta caritate & castitate permanere. Mundus in maligno positus est, & multi de veritatis via & fidei præceptis se avertunt, sæculo amplius servientes quam Deo: non considerantes oculum divinæ majestatis super eos ubique vigilare, qui unicuique redditurus est secundum opera sua. Quocirca, carissime verbi Dei Prædicator, insta importunè, opportunè, quia plurimi sanæ resistunt doctrinæ, se amantes, non sempiterna quærentes: ex quibus quantos valeas, divina opitulante gratia de flammis erue perpetuæ perditionis, & congrega in caulas Christi ovium: quatenus ex illorum salute tua multiplicetur gloria in die Domini nostri Jesu-Christi. Paternitatem vestram pietas divina regere & perficere faciat in domo Dei usque in diem perfectum, dilectissime Pater.

EPISTOLA XXIV.

Archiepiscopo Fidei Catholicæ & Principis curam commendat, ac S. Rodberti fratres salutat.

SAnctissimo Patri, Archipontificatus honore [a] sublimato, humilis Orator, æternæ pacis & prosperitatis salutem. Veniente dilectissimo fratre orationis gratiâ, suavissima vestræ salutationis proferens nobis verba, & optatæ prosperitatis vigorem annuntians, valde, ut fateor, lætati sumus in ejus adventu: & ut vestra demandavit dilectio, privata mente suscepimus eum dulcissime, cujus familiaritatis alloquio usi sumus. Est enim, ut agnovi in eo, vir valde fidelis, & in sancta devotionis religione. Vestris quoque syllabis quæ attulit perspectis, invenimus eas caritatis pennâ perscriptas, cujus etiam caritatis mellíflua dulcedine refecti sumus semper à vobis & in vobis, quæ nos duabus dilectionis alis ad cælum usque Deo miserante portare poterit. Et hæc est optima pars, quam elegit beata Maria ad pedes sedens Salvatoris, intenta verbum salutis audire ab eo. Proinde maneamus jugiter in caritate perfecta, cujus una pars ad Deum tendit in fide & vitæ honestate, altera verò proximos amplectitur in patientia & benignitate. Per hoc verò quadruvium vestra, frater carissime, intentio pacificè pergat, donec videatur Deus deorum in Sion summæ beatitudinis. In his morare præceptis, aliosque erudire studeas, ut fidem discant Catholicam, eamque sobria operum conversatione ostendant, patientesque atque benefici esse contendant. Vestræ verò devotionis sanctitas prædicabat nostro olim amico verbum vitæ sæpius, ut sit justus in judiciis, & misericors in pauperes, quia scriptum legimus: *Misericordia & veritas custodiunt principem* [b], *& exaltant ambulantes in eis.* b
Recordetur semper quem velit habere in periculis defensorem, eumque diligat & opere; quantum valeat, illius impleat præcepta, nec se inconsultè tradat periculis, quomodo quidam sui antecessores fecerunt, & ideo improba morte perierunt. Sit illi Christus in corde, & præcepta ejus in ore & opere, ut vivat feliciter in hoc sæculo, & in futuro beatam obtineat gloriam. Vestros verò discipulos & capellanos meo precor officio saluta, admonens eos honestè vivere coram hominibus, ut vestra ex eorum conversatione laudetur dignitas. Fratres quoque sancti RHODBERTI [c] Confessoris Christi hortare sæpius, c
ut in sincera caritate, & devota religione, & sanctæ humilitatis obedientia Deo feliciter deserviant, respicientes in perpetuæ beatitudinis remunerationem. Militant enim in castris ecclesiæ militia, quatenus in

a *honore*] Arnonem intelligendum puto, sub quo Episcopatus Salzburgensis in Archiepiscopatum evectus est. Conjecturam capio ex sancto Rodberto Confessore, de quo infra.

b *principem*,] De Geroldo, Bajoariorum post Tassilonem Ducem Protege, hoc dictum puto.

c *Rhodberti*] S. Rudperti monachos Juvavenses intelligere videtur, ad quos Alcuini epistola XXVIII.

cælestibus cum eo sedibus sempiterna felicitate gaudeant: meique ut memores sint non solum eos opto admoneas, sed omnes regionis vestræ famulos famulasque Dei, quorum & quarum multiplicet Deus numerum, & nomina jubeat perscribi in cælesti bibliotheca. Divina vos gratia prosequatur omnes, & ad gloriam perpetuæ beatitudinis pervenire vos faciat, domini dilectissimi.

EPISTOLA XXV.

Solatur Episcopum, à quo Regis ministri servitia exigebant.

DOmino desiderabiliter honorabili & honorabiliter desiderabili sancto Patri venerabili[a] Archiepiscopo, humilis Christicola in Deo Patre salutem. Acceptis vestræ caritatis muneribus omni auro amabilioribus, & apicibus omni favo dulcioribus, in quibus insertum erat de angustia mentis vestræ pro servitio sæculari adversus sanctitatis vestræ dignitatem: ita ut non liceat melioribus instare officiis, nec animarum gregis Christi lucris inservire. Vestra cogitet obsecro beatitudo, quis umquam sanctorum hoc sæculum sine tentatione transigeret? Solus, ut ait beatus Hieronymus in quadam epistola, Salomon semper in deliciis: & ideo fortè peccavit. Exhortans nos ad patientiam beatus Apostolus ait: *Job audistis, & finem Domini vidistis.* Dominus in Evangelio inquit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Recurramus ad Christum tota intentione, assiduis precibus, qui est unicum de tribulatione refugium. Sic Psalmista præcipit: *Jacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Dicamus Deo cum Propheta: *Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitum, ut salvum me facias.* Deus est in cujus manu cor Regis, & quocunque voluerit vertet illud: qui numquam deserit sperantes in se, qui ait vera promissione & fortissimo solatio: *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur,* & cetera quæ in eodem loco profunde satis de spe accipiendæ petitionis effectus disputat, & exemplis confirmat. Ab initio mundi, vel etiam nascentis Ecclesiæ, semper Deo servientes tribulationibus fatigati sunt. Si legeris in divinis libris sæculi eventum, etiam hoc quod dico verum probabis, vel exteriùs famulos Dei apertam pati persecutionem, vel interius in pace Ecclesiæ clandestinis affici incommodis. Contra hæc omnia sola valet in Dei nomine patientia, ipso dicente Domino victore mundi hujus ad discipulos suos, vel magis ad eorum successores: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Memores esse debemus, quid ipsa Veritas tentatoribus respondit: *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt.* Si apostolico exemplo vivamus; & pauperem agamus vitam in terris, sicut illi fecerunt, sæculi servitium justè abdicamus; nunc verò sæculi Principes habent justam (ut videtur) causam, Ecclesiam Christi servitio suo opprimere. Dum beatus Paulus Apostolus dilectum filium suum de singulis ecclesiasticæ dignitatis officiis instruit, ait inter cetera: *Admone illos,* (quos nisi Christianos?) *Principibus & potestatibus, subditos esse, dicto obedire: admone ad omne opus bonum paratos esse* & beatus Petrus consentanea, utpote eodem spiritu, scripsit dicens: *Dominis carnalibus obedite, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Si etiam dyscolis, quanto magis sapientissimo Principi & religione sancta devotissimo debemus prompta voluntate obedire? Nec hoc dico quod non magis optem te cum tuis discipulis Deo vitam in sancta religione quietam ducere atque optimam cum felicissima femina, quæ sedens ad pedes Domini audire verba cælestia elegerat partem, quæ numquam auferetur: sed vereor fortassis, si moveatur causa, nec vestram beatitudinem ad desiderata pervenire posse. Ideo, sicut superius dixi, sola videtur salubris causa, Deo totum precibus in angusto situ nostri desiderii commendare eventum, ut sua sancta clementia & pietate provideat nobis, quomodo pacificè ad nostram pervenire valeamus voluntatem. Si tamen nobis nostra quærenda est voluntas, eo quod ille, id est Dominus Jesus, de se ipso dixit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Ideò decantare in Oratione dominica jubemur: *Fiat voluntas tua.* Nam voluntas Dei omne bonum est, quæ ut semper in nobis fiat, omni mentis intentione & omni operum bonorum executione postulandum est.

Hæc interim sub festinatione propter occupationem diei festi dictavimus: utique missus beatitudinis vestræ ad nos die sanctissima dominicæ Cœnæ venerat, exigens à nobis litteras, ne vacuis reverteretur manibus. Pleniorem Deo miserante responsionem sperate habere, sive de consolatione laboris vestri, aut etiam angustiæ mentis, necnon & de inquisitionibus, quas habuit ex persona carissimorum nobis vestræ caritatis discipulorum. Gloria & laus Deo, apud nos omnia prospera sunt, & apud filios nostros quos nosti, qui una mente vestram salutant beatitudinem, eamque multo valere tempore optant in Domino. Scito certissimè, quod tui nominis memoriam dulcissimam habemus in orationibus apud sanctum Martinum: & si quando spiritus Domini in compunctione visitat cor, semper recurrere in mentem facit vestri nominis recordationem. Deus qui dives est in misericordia, misereatur perpetua pietate vobis Pater, frater, fili carissime in æternum.

EPISTOLA XXVI.

Ad quemdam amicum.

DIlectissimo in Christo filio, humilis Phæbigena perpetua prosperitate salutem. Solet caritas olim germanitate fideli compacta novis sæpius litteris reformari, ut firma agnoscatur in fide, quæ est dulcis in consuetudine. Unde ego chartulam chartulæ conjungo, ut legatur in pagina, quæ est in cordis tabula conscripta, non atramento perituro, sed spiritu sempiterno, qui gemitus excitat inenarrabiles pro sospitate vestra in meo corde. Vestra vero dilectio, ut novi certissimè, nostri nominis non obliviscatur: quia crebra infirmitas cogit nos amicos admonere de sanctarum orationum suffragio, ut propitietur peccatis meis pietas divina, & renovetur vita mea in melius, sicut aquilæ juventus: nec me Judex meus & testis meus judicet secundum merita mea, sed secundum suam magnam misericordiam parcat confitenti sibi servulo se esse peccatorem; nec derelinquat eum in diebus senectutis suæ, sed solatio sancti spiritus foveat eum, & misereatur illi. Hæc eadem verba vestra recordetur de se ipsa sanctissima mens & acutissima prudentia: in qua, dum tempus habes, labora opus Dei, ut in die magno Domini nostri mercedem laboris tui sortiaris cum Sanctis

a *venerabili*] Riculfo Moguntiensi, ni fallor, aut certè alteri cuipiam Archiepiscopo, qui Alcuini discipulus fuerat, ex fine hujus epistolæ

Dei

Dei sempiternam. Divina vos, vestrosque filios, vestramque familiam gratia sempiterna protectione custodiat, præveniat donis, augeat & meritis in æternum.

EJUSDEM ALCUINI VERSUS DE CUCULO.

PLANGAMUS Cuculum, Daphnin dulcissime, nostrum,
Quem subitò rapuit sæva noverca suis.
Plangamus pariter querelosis vocibus illum,
Incipe tu senior, quæso, Menalca prior.
Heu Cuculus nobis fuerat cantare suetus,
Quæ te nunc rapuit hora nefanda tuis?
Heu Cuculus, Cuculus, qua te regione reliqui,
Infelix nobis illa dies fuerat.
Omne genus hominum Cuculum cùm plangat, ubique,
Perditus est Cuculus, heu perit ecce meus.
Non pereat Cuculus, veniet sub tempore veris,
Et nobis veniens carmina lecta ciet.
Quis scit si veniat, timeo, est summersus in undis,
Vorticibus raptus, atque necatus aquis.
Heu mihi si Cuculum Bachus demersit in undis,
Qui rapiet juvenes vortice pestifero.
Si vivat, redeat, nidosque recurrat ad almos,
Nec corvus Cuculum dissecet ungue feró.
Heu quis te Cuculus nido rapit ecce paterno?
Heu rapuit, rapuit, nescio si veniat.
Carmina si curas Cuculus, dum currere possis?
Te Daphnin juvenis optat habere tuus.
Tempus adest veris Cuculus, modo rumpe soporem,
Te cupit & senior, atque Menalca pater.
En tandem nostri librorum prata juvenci,
Solus abest Cuculus, quis rogo pascit eum?
Heu malè pascit eum Bacchus, reor, impius ille,
Qui sub cuncta cupit vertere corda malè.
Plangite nunc Cuculum, Cuculum nunc plangite cuncti,
Ille recessit ovans, flens redit ille putu.
Opto tamen flentem Cuculum habeamus, ut illum
Et nos plangamus cum Cuculo pariter.
Plange tuos casus lacrimis, puer inclite, plange,
Et casu plangunt viscera tota tuos.

ADNOTATIO.

CUCULUS, Menalca, Daphnin seu Daphnis, nomina sunt suppositicia pro veris, qualia de more usurpat Alcuinus, & Theodulfus Episcopus Aurelianensis, qui in libri tertii carmine 3 Menalcam Poëtam laudat; & carmine 1 ejusdem libri Regiæ mensæ præpositum fuisse innuit. Daphnis discipulus fuit Alcuini, cui ipse expositionem in quemdam versum Cantici canticorum dedicavit. Sed quis fuerit sive Menalca, sive Daphnis, aliis inquirendum relinquo. De Cuculo nihil aliud succurrit, nisi quòd existimo eum esse filium illum prodigum, cujus intemperantiam & casum plangit Alcuinus in epistolis 103 & 114. Hos versus itidem erui ex eodem codice Elnonensi.



ALII VERSUS DE GALLO.

DIcta vocatur avis propriu cognomine gallus,
Nuntiat hæc lucem, terrarum decutit umbras:
Tempora discernit, lumbis succingitur, hujus
Subditus imperio gallinarum regitur grex.
Hunc laudans Deus intellectum dicit habere,
Quippe sub obscuro dirimat qui tempora peplo.
Prô dolor! hunc longè properantem sæpta viarum
Artarant quondam, dum tentat pabula rostro,
Ergo cibos solus dum quærens competa lustrat,
Heu. jactans audaxque nimis, multumque superbus,
Insidiante lupo excipitur: quo pondere pressus,
Protinus hanc evadendi sibi repperit artem.
Sæpe meas tua fama, lupe præfortis, ad aures
Venit, & ignoto monuit rumore quod altum
Vox tibi magna sonum claris concentibus edat.
Nec tantum doleo inviso quod devoror ore,
Quantum quod fraudor, liceat ne dicere de te,
Credere quod licuit. Cujus fera credula vocis,
Oblatæque lupus laudis tumefactus amore,
Infernale aperit guttur, faucesque voraces
Pandit, & immensæ reserat penetrale cavernæ.
Sed celer eripitur lucis prænuntius ales,
Ac saltu volat, & ramo citus arboris hæret.
Mox igitur subita jam libertate potitus,
Excelsusque sedens his cantus vocibus edit.
Decipitur merito frustra quicumque superbit,
Et capitur falsis cariturus laudibus escis,
Ante cibum voces dum spargere tentat inanes.
Respicit hæc illos, qui cum sint fabula nacti
Jure salutis opus, privantur fraudibus atris,
Attendendo cavis falsas rumoribus auras.

VERONÆ RYTHMICA DESCRIPTIO ANTIQUA.

MAGNA & præclara pollet urbs hæc in Italia, in partibus Venetiarum, ut docet Isidorus, quæ Verona vocitatur olim antiquitus.

Per quadrum est compaginata, murificata firmiter, quadraginta & octo torres præfulgent per circuitum: ex quibus octo sunt excelsæ, quæ eminent omnibus.

Habet altum laberinthum, magnum, per circuitum, in qua nescius egressus non valet egredi, nisi igne lucernæ vel à filo glomere.

Foro lato specioso sternuto lapidibus, ubi in quatuor cantus magnus instat fornicepa plateæ mirè sternutæ desectis lapidibus.

Fana tempora constructa ad Deorum nomina Lunis, Martis, & Minervis, Jovis atque Veneris, Saturni, sive Solis, qui præfulget omnibus.

• Et dicere lingua non valet hujus urbis schemata: intus nitet, foris candet circumsepta laminis, in ære pondos deauratos metalla communia.

Castro magno & excelso & firma pugnacula, pontes lapideos fundatos super flumen Adesis, quorum capita pertingunt in orbem ad oppidum.

Ecce quàm bene est fundata à malis hominibus, qui nesciebant legem Dei, nova atque vetera simulacra

venerabant, lignea lapidea.

Sed postquam venit .·.·. plenitudo temporum, incarnavit Deitatem nascendo ex virgine, exinanivit semetipsum, ascendit patibulum.

Inde depositus ad plebem Judæorum pessimam, in monumento conlocatus, ibi mansit triduo, inde resurgens cum triumpho, sedit Patris dextera.

Gentilitas hoc dum cognovit, festinavit credere, quare ipse Deus cæli terræ conditor, qui apparuit in mundo per Mariæ uterum.

Ex qua stirpe processerunt Martyres, Apostoli, Confessores, & Doctores, & Vates sanctissimi, qui concordaverunt mundum ad Fidem catholicam.

Sic factus adimpletus est sermo Daviticus, quod cæli cæli clariter enarrant gloriam Altissimi à summo cælorum usque terræ terminum.

Primum Verona prædicavit EUPREPUS Episcopus, secundus DIMIDRIANUS, tertius SIMPLICIUS, quartus PROCULUS Confessor, Pastor & egregius.

Quintus fuit SATURNINUS, & sextus LUCILIUS, septimus fuit GRICIANUS Doctor & Episcopus, octavus Pastor & Confessor ZENO Martyr inclitus.

Qui Veronam prædicando reduxit ad baptismum, à malo spiritu sanavit Galli filiam, boves cum .·.·. vergentem reduxit à pelago.

Et quidem multos liberavit ab hoste pestifero .·.·. Non queo multa narrare hujus Sancti opera, quæ à Syria veniendo usque in Italia, per ipsum omnipotens Deus ostendit mirabilia.

O felicem te Verona ditata & inclita qualis es circumvallata custodibus sanctissimis, qui te defendant & expugnent ab hoste nequissimo.

Ab Oriente habet primum Martyrem Stephanum, Florentium, Vindemialem, & Maurum Episcopum, Mammam, Andunicum & Probum cum quadraginta Martyribus.

Deinde Petrum & Paulum, Jacubum Apostolum, Præcursorem & Baptistam Johannem, & Martyrem Nazarium, unà cum Celso, Victore, Ambrosio.

Inclitos Martyres Christi Gervasium & Protasium, Faustinum atque Jovitam, Eupolum, Calocerum, Domini matrem Mariam, Vitalem, Agricolam.

In partibus meridianis Firmum & Rusticum, qui olim in te susceperunt coronas martyrii: quorum corpora ablata sunt in maris Insulis.

Quando complacuit Deo Regi invisibili, in te sunt facta renovata per HANNONEM Præsulem, temporibus Principum Regum DESIDERII & ADELCHIS.

Qui diu moraverunt Sancti non reversi sunt, quorum corpora insimul condidit Episcopus aromata & galbanen, stacten, & argoido, myrrha, gutta, & cassia, & thus lucidissimus.

Tumulum aureum coopertum circumdat præconibus, color stritus mulget sensus hominum: modo albus, modo niger inter duos purpureos.

Hæc, ut valuit, paravit HANNO Præsul inclitus, per cujus flamma claret de bonis operibus ab Austræ finibus terræ usque nostri terminus.

Ab Occidente custodit Syxtus & Laurentius, Hippolytus, Apollenaris, duodecim Apostoli Domini, magnus Confessor Martinus sanctissimus.

Jam laudanda non est tibi urbs in Auxonia, splendens, pollens & redolens à Sanctorum corpora, opulenta inter centum sola in Italia.

Nam te conlaudant Aquilegia, te conlaudant Mantua, Brixia, Papia, Roma, simul Ravenna, per te portus est undique in fines Liguriæ.

Magnus habitat in Rex PIPPINUS pissimus, non oblitus pietatem aut rectum judicium, qui bonis agens semper cunctis facit prospera.

Gloria canamus Deo Regi invisibili, qui talibus te adornavit floribus mysticis, in quantis & resplendes, sicut solis radius.

A D N O T A T I O

HANC *Veronæ descriptionem, quæ rythmicis numeris incomcinnè fabricata est regnante apud Langobardos Pippino Caroli-Magni filio, ex Italia retulit Ratherius Veronensis Episcopus, tamque in Laubiensi autographo, ex quo tum erui, apponi curavit cum iconographia ejusdem civitatis minio depicta. Ex hac verò descriptione discimus, quænam antiquitus Veronæ templa fuerint, quive primi ejusdem urbis Episcopi: quorum seriem penitus diversam texit Ughellus in Italia sacra tomo 5. primus Veronenses Episcopos recenset hoc ordine, 1 Euprepium, 2 Criscinum, 3 Agapium, 4 N. id est ignoti nominis, 5 Saturninum, 6 Lucillum, 7 Diomidianum, 8 Zenonem, 9 Proculum. Ubi vides Dimidrianum, qui Ughello Diomidianus, ordine septimus est; in hac descriptione secundus: & Proculus, qui hic quartus; Ughello nonus: ac Gricinus, hic septimus; Ughello Criscinus, secundus est Episcopus. Denique Ughellus plures numerat, quorum nomina in hoc indice non comparent.*

T H E O D U L F I
EPISCOPI AURELIANENSIS
C A R M I N A.

I.

De adventu LUDOVICI *Augusti Aurelianos.*

EN adest Cæsar pius & benignus,
Orbe qui toto rutilat coruscus,
Atque præ cunctis bonitate pollet
Munere Christi.
Cernuus, prudens, sapiens, modestus,
Mitis & clemens, moderatus actu,
Temperans, fortis, probus & honestus,
Censor & judex.
Hic decus [Sudam Ecclesiæ paterque]
Ornat hanc sollers, recreat, fovetque,
Erudit, munit, colit, instruitque
Dogmate largo.
Hic potens armis Domino favente,
Viribus gentes reprimit superbas,
Harom & hic victor subigendo calcat
Colla triumphans.
Cujus adventus miserante Christo,
Et nitens multum facies serenat
Civitas temet populosa, nempe
Aurelianis.
Hinc Deo laudes agito per annos*,
Cujus hic nutu properavit ad te
Hujus & vultum tibimet videndum
Præbuit ecce.
Has canat Clerus, simul omnis & plebs,
Has senex pangat puer atque parvus,
Pauper & dives reboent uvanter
Pectore puro.
Hoc chorus Cleri populique turba
Sapbicum * carmen recinens precetur,
Det HLudowico Deus operandi
Tempora longa.

* C. perenrea

* C. Sapplicum.

Prosperum clemens ferat omne semper,
Pellat adversum procul & repellat,
Hujus & vitam tueatur ævo
Tempore clemens.
Cæsaris hujus valeat per ævum
Nobilis conjux seu clara proles,
Gaudeat felix populus domusque
Pace perenni.
* C. Qui. Muuiant urbem hanc proceres fideles;
Qua * pro Christo sua dedicarunt
Hostis adversi toleranda bella
* C. Hi. Corpora casta.
Hic duces sancti reducesque sunto,
Ut tui, Cæsar, faveantque temer,
Horum & obtentu superes duelles
* C. Artibus. Poscimus omnes.
Actibus cunctis placeas Tonanti,
* C. Queis. Et Dei leges mediteris almas,
Quò * viam vitæ valeas tenere
Tramite recto.
Temporis hujus spatio peracto,
Alta conscendens sub ras polorum,
Te pius capter chorus Angelorum,
Et sibi jungat.
O decus Regni, Imperii propago,
* C. potentem. Macte tu semper vigess HLOTHARI,
Et patris sedem teneas potentet *
Sæcla per ampla.
Sit Patri & Natu, tibi Spiritusque
Splendor æternus, honor atque perpes,
Nunc & in præsens, ita & in futura
Sæcula semper.

II.

De eadem re.

O Pater Cleri populique decus,
Cæsar, insignis pietate pollens,
Ut fores nostras adeas libenter,
Poscimus omnes.
O Dei cultor, miserorum & altor,
O pupillorum viduæque tutor,
Summe Rex, clemens, precibus rogamus
Annue nostris.
Ergo jam tandem pracibus rogatus,
Redde te nostris donibus pararis,
Et dies lætos habeas in ipsis
Rex benedicte.
Te Sacerdotum chorus atque Cleri
Torius multum, populique turba;
Namque te major pariter minorque
Cernere gestit.
Rex vale prudens, venerande, salve,
Rex ave nostrum capitu precamur,
Poscimus Christum ut tibi det salutem
Poplite fleso.
Salvet ARBINE precibus beati
Te, tuam prolem, sociamque vitæ
Sorte felici tibi mancipatam
Christus ubique.
Post dies sæcli subeas Tonantis
Regna tu felix, habeas quietem
Inter electos tribuente Christo
Fine perrenni.

III.

De Bilingue.

Ecce nugax labiis Frto qnidam certa susurrans
Nunc joca, nunc fletus, nunc quoque turpe canit.
Blanditias tremulat, volitat nunc mure cicadis:
Auribus ingeminat; quas petit ortivagus.
Dura satis rostro ceu pulsat pectora cornix,
Imbriferos luxus quum vorat ore procax.
Aut rapidis pressas pennis lustrare lacunas
Temptat hirundo celer dulcia voce canens.
Haud secus instabiles percurrit elluo mentes
Infestus juvenum, quos agit aura levis.

IV.

Ad quemdam de muneribus.

Eia meum solito noli convertere carmen;
Ne vacuum redeat, more caveto tuo.
Aut spumantis equi tua nunc vestigia retro
Inpatiens calcet ungula, dona refer.
Ceu rubicundu ostru Romæ de nomine vestis,
Quam vocirâte Patres, fac tibi colla premat.
Veneris ut felix donatus munere pulcro,
Recipias * grates mille suave meas. * l. Accipias,
Veneris at vacuus nostram si forsan ad ædem,
Mille flagris cæsus ibis, inepte, foras.

V.

De Passione Domini.

Omnipotentis opus sacrum sacer ore popellus
Laudibus efferri tam bene tale decet.
Infima quòd magni dignatus conditor orbis
Sponte sua patiet, laude boare decet.
Pertulit humanæ in humano denique natus
Corpore quæ Christus cuncta salutis erant.

VI.

In die Resurrectionis.

Eia camena libens nunc dicito carmina quæso,
Nunc cane posco melos eia camena libens.
Festa decora satis nunc mecum promere certa,
Postmodo ut accipias festa decora satis.
Carmine dignus inest, pangamus carmina cuncti:
Iste dies rutilus carmine dignus inest.
Mors quia victa jacet Christo surgente perempta:
Lætemur cuncti, mors quia victa jacet.
Tartara victa jacent, Christo visente beatos:
Principe devicto, tartara victa jacent.
Expulit inde probos, reprobos dimisit ibidem:
Calcatoque hoste expulit inde probos.
Cælica regna petunt post tartara dira beati,
Erepti à tenebris cælica regna petont.
Verte camena gradum, nec tædia fratribus addas,
* Hic te quæso citò verte camena gradum. * leg. Hinc
Dicito, Præsul ave colloque genuque reflexo,
Hic & in æternum dicito, Præsul ave.

VII.

De Tabella.

Parva brevis gemino potiorque fruorque tabella
Officio, specie intus & apta foris.
Ornatum exterius habitus superaddo ferenti,
Interius servo verba ligata nobis.

VIII.

De Talamasca.

Pusio personæ com vultum obducit inanem,
Quod tremit, hinc terret; quod fugit, inde fugat.

Credo & postratus jacuit, palmasque tetendit,
Ante Redemptorem parvula membra movens.

IX.

Versus in altari.

Hoc altare tibi, cæli terræque Creator,
TEUDULFUS voto cernuus orno pio.
* f. referens. Hoc rogo quisquis adis, revehes* sacra dona precesve,
Tu memor esto mei, si Deus ipse tui.
Pastor oves Domini dapibus hinc pasce supernis,
Quîs pia vita datur, quîs patet aula Dei.
Est super astra pius Pastor, quo pascimur omnes:
* forte Quem. Quæ * dum Pastor amas, pars es & ipse gregis.
Cernis anhelantem hoc ad præsepe catervam?
Hinc alimenta Agni sanguine, carne capit.
Quem draco sæve tremis, qui te leo perfide vicit,
Crimina ceu mundi qui inveterata tulit.
Et nos æthereo potuque ciboque sacrato,
Hicque suæ mensæ participare dedit.
Qui est via, vita, latus, quâ, ad quâ, in qua tutiùs itur:
Cum quo est regnandum jam sine fine pius.

X.

In Xenodochio.

En patet ista domus mediocri exacta paratu,
Utrumque humanis usibus apta tamen.
Quam Deus arce poli famulos miserando revisat:
Cuncta adversa fuget, prospera cuncta ferat.
Hic pudor & verum, pietas probitasque redundent,
Sit præsto alma fides, & procul omne nefas.
Esuriens epulas, sitiens potum, hospes honorem;
Nudus operimentum hic reperire queat.
Fessus opem, languens medicamen, gaudia mæstus
Hinc ferat, & cunctis consulat ista domus.
Det Pater altithronus donum hoc habitantibus istic,
Civibus ut pateat, & peregrine tibi.
Ut fratrum atque Dei reguet dilectio semper,
Virtutesque omnes hac duce conveniant.
Quas miserante Deo mox cōmoda cuncta sequantur,
Livori & sævis sit via nulla dolis.
Jus regat hîc mentes, maneatque opulentia rerum,
Et procul atque procul sit sitis atque fames.
Qui petis has sedes, TEUDULFI quæso memento,
Hæc qui construxit tecta favente Deo.

ADNOTATIONES.

JACOBUS *Sirmondus, Societatis* JESU *Presbyter, Theodulfi Aurelianensis Episcopi opera typis mandavit Parisiis anno* M DC XLVI. *& metrica quidem in sex libros distinxit, notisque illustravit. Eadem Theodulfi carmina continua ferme habentur in pervetusto codice, quam ex Bibliotheca Monasterii sancti Vitoni mihi utendum commodavit religiosus vir Bartholomæus Senocus amicus meus, jam superiùs a me laudatus, quo indicante Willelmi Metensis Abbatis epistolas superiùs editas accepi. Eadem, inquam, in Vitoniano illo apographo carmina referuntur; sed & alia plura, quæ desunt in editione Sirmondi, pauculis aliorum versibus hinc inde absque auctorum nomine insertis. Ex iis quæ Theodulfi esse visa sunt, ea tantum selegi, quæ rei litterariæ prodesse possunt: alia verò, quæ de rebus moralibus tractant, hic solum notare satis esse duxi.*

IN CARMEN I.

Carmen primum de adventu Ludovici Augusti in urbem Aurelianos, jam typis editum est in tomo 6 Canisii sub nomine Jonæ, Theodulfi decessoris. Verùm potiùs Theodulfo auctori tribuendum est, tum quia in ms. Vitoniano inter ejus opera metrica refertur: tum quia adventus iste Ludovici Augusti in prædictam civitatem contigit pontificatu Theodulfi, ut discimus ex ipsius Ludovici vita ad annum DCCCXIV, *ubi de Ludovico hæc leguntur:* Qui cùm Aurelianam devenisset ad urbem, Theodulfus ejusdem urbis Episcopus, vir undecumque doctissimus, causam ejus adventus præsensit: & velocissimè misso perlatore, Imperatori innotescere studuit, hoc tantummodo ei suggerendum jubens, utrum præstolaretur venientem in urbem, an itinere aliquo ei occurreret venturo ad urbem, *&c. Qua occasione primum carmen ac secundum Theodulfus cecinisse videtur. Hic recursum est primum ob variantes lectiones: tametsi fortasse potiùs omittendum fuisset. Porro primus versus tertiæ strophæ mutilus est in codice Vitoniano.*

IN CARMEN VIII.

Quid sit Talamasca seu Talamasca, jam dudum explicarunt viri docti, Vossius in lib. 2 de vitiis sermonis, & præcipuè V. C. Stephanus Baluzius in Notis ad Reginonem. Huc adducunt locum vetusti Concilii Nemensis: Larvas dæmonum, quas vulgus Talamascas vocat, sub anathemate prohibemus. *Hinc vulgatum apud nostrates Gallos* masque *pro larva. Immo etiam occulta litterarum notæ vocantur Talamascæ, ut observat Baluzius: propterea quòd aliud præ se ferant, quàm significent. Hic ergo Theodulfus agit de pictione larvaro.*

Præter superiora carmina hic edita referuntur & alia quæ consulto omisi, nempe Passio Christi, incipiens ab his versibus:

Præmia saltatrix poscit funebria virgo,
Johannis caput abscisum quod lance reportat.

deinde post nonum carmen hic relatum duodecim versus de Paradiso. tum post decimum varii versus de gratia Dei, de venatione, de somno, de quibusdam lapidibus moraliter pertractatis, de quatuor coloribus & quatuor elementis. Denique versus complures in Psalmos quosdam graduales. Hæc indicasse sufficiat.

De Theodulfi Capitulari hic subnotandum existimo quod legisse me recolo in ms. codice Gemblacensi, scilicet Hildegarium Meldensem Episcopum in frequenti Synodo subjectis sibi Clericis præcepisse, ut Capitularis illius decreta accuratè observarentur. Rem sic exponit vetus ille codex.

Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo octavo, regni verò gloriosi Regis Karoli vicesimo octavo. Indictione secunda, sub die quintodecimo Kalendarum Novembrium, convocavit HILDEGARIUS Episcopus Concilium Sacerdotum suæ diœcesis, apud ecclesiam sanctæ Celiniæ, in suburbio civitatis sitam: quibus post multa salutiferæ admonitionis exhortamenta etiam hæc capitula contulit observanda.

INCIPIT CAPITULUM SEU CONCILIUM.

Fratribus & Compresbyteris nostris Meldensis parochiæ Sacerdotibus in Domino salutem. Obsecro vos, fratres dilectissimi, ut subditarum plebium profectum; *&c. omnino ut in Capitulari Theodulfi.*

FLORI DIACONI LUGDUNENSIS

Carmina varia.

I.

QUERELA

De divisione Imperii post mortem LUDOVICI PII.

MONTES & colles, silvæque, & flumina, fontes,
Præruptæque rupes, pariter vallesque profundæ,
Francorum lugete genus: quod munere Christi
* al. versum. Imperio celsum, jacet ecce in pulvere mersum *.
Hunc elementa sibi suniant compuncta dolorem,
Terrarum tractus, maris æquora, sidera cæli,
Ventorum flatus, pluviarum denique guttæ:
Et doleant homines hominum quia corda rigescunt.
Omnia concrepitant divinis cincta flagellis,
Omnia vastantur horrendæ cladis erumnis:
Omne bonum pacis odiis laniatur acerbis:
Omne decus regni furiis fuscatur iniquis.
Ecclesiæ dejectus honos jacet ecce sepultus.
Jura Sacerdotum penitus eversa ruerunt.
Divinæ jam legis amor terrorque recessit,
Et scita jam canonum cunctorum calce teruntur.
Vexantur claræ assiduis conflictibus urbes,
Basilicæ Christi prisco spoliantur honore:
Martyribus jam nullus honos: altaribus ipsis
Nemo metum defert, sacris reverentia nulla est.
Continuis prædis plebes miseranda laborat:
Nobilitas discurs in mutua funera sævit.
Sanguine terra madet, fervescunt cuncta rapinis,
Et rabies scelerum ruptis discurrit habenis.
Flagrat adulterium, perjuria nulla timentur.
Funditur innocuus nullo jam vindice sanguis:
Jam Regum legumque metus mortalia liquit.
Tartareum clausis oculis jamque itur ad ignem.
Quis dignè expediat Monachorum septa revulsa,
Sacratas Domini famulas laicale subisse
Infami ditione jugum; rectoribus ipsis
Ecclesiæ armorum impositum cædisque periclum?
Præsulibus plebes viduæ, doctore cathedræ
Pluribus & plures jacuerunt funditus annis.
Principis hoc terror misera tunc clade coëgit:
Nunc ad tale malum quosdam atra superbia ducit.
Tristis adhuc veteri tabescit vulnere Narbo:
Tristia Remorum pariter quoque mœnia lugent.
Egregios doctosque viros miseranda fatigant
Exsilia; improbitas sævo sedem obtinet auro.
Floruit egregium claro diademate regnum:
Princeps unus erat, populus quoque subditus unus.
Lex simul & judex totas ornaverat urbes.
Pax cives tenuit, virtus exterruit hostes,
Alma Sacerdotum certatim cura vigebat
Conciliis crebris, populis pia jura ministrans.
Hinc sacris Cleris, hinc plebibus eximiisque
Principibus latè resonabat sermo salutis.
Discebant juvenes divina volumina passim.
Littereas artes puerorum corda bibebant.
Crimina tætra vigil crebro censura fugabat:
Hos timor, hos & amor ad fœdera justa vocabat.
Quin etiam externas Fidei conjungere gentes
Cura erat, & domitis imponere frena salutis.
Hinc pagana manus juga relligionis inibat:
Hinc heresis surgens, pedibus substrata gemebat.
Claruit hinc nimium toto gens Francica mundo:
Famaque virtutum fines penetravit ad imos.
Legatos hinc inde suos procul extera regna,
Barbara, Græca, simul Latium misere tribunal.
Huic etenim cessit etiam gens Romula genti,
Regnorumque simul mater Roma inclita cessit.
Hujus ibi Princeps regni diademata sumpsit
Munere Apostolico, Christi munimine fretus.
O fortunatum, nosset sua si bona, regnum,
Cujus Roma arx est, & cæli Claviger auctor,
Tutor & æternus cælorum in secula Rector,
Qui terrestre valet in cælum tollere regnum.
At nunc tantus apex tanto de culmine lapsus
Florea ceu quondam capiti dejecta corona,
Quam varius texit redolenti gramine fulgor,
Cunctorum teritur pedibus: diademate nudus
Perdidit Imperii pariter nomenque decusque,
Et regnum unitum concidit sorte triformi.
Induperator ibi prorsus jam nemo putatur.
Pro Rege est Regulus, pro regno fragmina regni.
Consiliis crebris quæruntur furta nocendi:
Conventu assiduo populantur jura salutis.
Cassatur generale bonum, sua quisque tuetur.
Omnia sunt curæ: Deus est oblivio solus.
Pastores Domini soliti concurrere in unum;
Discidio rerum, synodalia nulla frequentant.
Concio jam populi nulla est, jus omne recessit.
Frustra huc Legatus, aula est ubi nulla, recurrat.
Quid faciant populi, quos ingens alluit Hister,
Quos Rhenus Rhodanusque rigant, Ligerisve, Padusve?
Quos omnes dudum tenuit concordia nexos,
Fœdere nunc rupto divortia ma[illegible] fatigant.
Sæpe malum hoc nobis cælestia signa canebant,
Cùm totiens ignitæ acies, ceu luce, pavendæ,
Per medias noctis dirùm fulsere tenebras,
Partibus & variis micuerunt igne sinistro.
Cùm mediante die populis jejunia festa
Devotasque preces per templa agitantibus alma;
Sol nitidum tristi texit ferrugine vultum,
Ac stellas radiare polo miro omine fecit.
Quod monstrum scimus bellum ferale secutum,
Quo se Christicolæ ferro petiere nefando,
Et consanguineus rupit pia fœdera mucro:
Atque feræ, volucresque simul pia membra vorarunt:
Cùm diri cælo totiens arsere cometæ,
Humano cladem generi excidiumque minantes.
Inter quos unus flammanti crine coruscus
Mense fere toto truculento lumine fulsit.
Quem regionum atrox vastatio, motio Regum,
Et rabies belli, & regni scissura secuta,
Continuis miserum quatiunt terroribus orbem.
Quis finis, quæve ira Dei mala tanta sequatur?
Quæ jam vix aliquis pavitanti corde volutat,
Vix recolit, vix inde dolens suspiria fundit.
Gaudetur fessi sæva inter vulnera regni:
Et pacem vocitant, nulla est ubi gratia pacis.
Stat paries subitam minitans validamque ruinam,
Jam dudum inclinus, scissuris undique plenus.
Inliniturque luto fluido, citiusque casuro.
Mistura hîc paleæ nulla est, membra omnia nutant.
Jam vatis sancti metuendum cernimus Amos Amos 8, 2.
Compleri in nobis deflendo ex ordine visum.
Jam Dominus murum linquit, deponere trullam
Jam parat, & nullam iratus vult ferre lituram.
Jamque etiam uncinum pomorum conspicit ille,
Quo tota evulsis nudetur fructibus arbor.
Jam remanet quercus foliorum tegmine nuda:

Jam Domini egregius flavet sine fontibus hortus.
En sitis atque fames, cecinit quam præscius idem,
Judicio Domini terris immissa perurget.
Cælestis verbi desunt jam pabula & imbres.
Hoc Oriens Boreasque malum, hoc maria undique clamant.
Vocem evangelicam divino ex ore tonantem.
Quis non jam videat doleatque instare piorum?
Filius en hominis veniens ex arce polorum,
Inveniet-ne, putas, fidei vestigia terris?
Cordibus humanis latebrosa foramina vulpes
Inmundæ & cæli nidos fecere volucres.
Fraus hæc atque tumor diri latè obtinet hostis:
Nec locus est Christo, quo vel caput ille reclinet.
Hæc inter gemat & fidat Grex ille pusillus,
Cui Pater æterni conservat gaudia regni,
Deducatque oculis lacrimas noctuque dieque,
Ac precibus vitæ pulsans ad limina perstet.
Exposcat veros inhianti pectore panes
Tres, evangelici memorat quos pagina verbi.
Vera fides confessa Deum per sæcula trinum,
His fruitur dapibus, his fidum pascit amicum.
Non lapidem sumet, si panem pustulet umquam:
Nec pro pisce caput virosi sentiet hydri:
N[illegible]ro ovn fallas inludet scorpius olli,
Fro[illegible] velut mitis, sed caudæ vulnere sævus.
Nam pius ille Pater, qui fons bonitatis habetur,
Ut sol sponte micat, ceu fons uberrimè manat,
Utque ultro placidus rurat de nubibus imber:
Sic bona cuncta suis prono donat numine natis;
Qui tam in hunc vera fidei pietate requirunt:
Qui quod ipe sitiunt, puro amplectuntur amore:
Qui bona sive mala fluitantis temnere mundi
Norunt, instantique Deum virtute sequuntur.
O Domine omnipotens, da nobis mente videre
Tot mala, tot clades; & tot lacrimanda pericla
Da gemere, & toto fac nos ea corde dolere,
Assiduisque tuum precibus deposcere numen.
Qui regis Israhel, cui non dormiat in ævum
Omnia conspiciens oculus: qui lege perenni
Erigis elisos, elidis & ipse superbos,
Supplicibus veniam, tumidis properando ruinam.
Tu nos sancte Pater, hîc verbere cæde paterno:
Tu virgâ baculoque tuo nos corripe, firma:
Omne malum mundi fiat purgatiu nostri.
Qui te semper amant, omni discrimine crescant,
Quatinus erepti pelsgi de fluctibus atris,
Teque gubernante jam portum pacis adepti,
Carpamus dulcem tristi de semine frugem,
Perpetuaque tuos recinamus laude triumphos.

EJUSDEM FLORI
EPISTOLA SEU CARMEN
II.
Ad MODUINUM Augustodunensem Episcopum.

De injusta vexatione Ecclesiæ Lugdunensis.

EGRAGIO, MNDUSNE, viro tibi mitto salutem,
Exiguus magno, vilis & eximio.
Sum modicus, sed magna loquar: quia maximus ille est,
Cujus res parva carmine nunc agitur.
Res divina tibi cantabitur: arrige, quæso,
Sollicitas aures, & pia corda adhibe.
Esto memor, quoniam duras qui prægravat aures,
Ad Domini legem vots odiosa facit:
Et vacuas defert ad Christi altaria voces,
Pauperis ad vocem viscera cruda gerens.
Quid, quæso, sacrosancta tibi nutricula nostra,
Atque eadem genetris Ecclesia hæc meruit?
Ut furiale odium ferali pectore versans,
Moliri hanc contra talia non metuas.
Discindis leges, canonum sacra jura revellis,
Dum materna modò viscera prô! subigis,
Nec metuis demens calces inlidere Christo,
De cujus stimulo terga cruenta geris.
Terga cruenta geris, nec sulcum corrigis, & bos
Cornipeta in Dominum turgida colla vibras.
Dum phrenesis furiale malum tua viscera ferro
Te proprio expetere cogit, & ipse nescis.
Justius invidiâ nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatque animum.
Ecclesiæ reverendus honos à tempore prisco,
Principibus summis Præsulibusque piis,
Curricula annorum florens per plurima fulsit,
Sub pietate Patrum pignora cara fovens:
Et gallina pios pennarum tegmine fetus
Mystica mundanis texit ab insidiis.
Agnoscis, ni fallor, enim quæ nomine tali
Voce evangelica sancta notetur avis.
Illa dolenter avis etiam nunc garrula clamat,
Et nostro gemitus promit ab ore pios.
Teque priùs quàm calce secet, quam verberet alis,
Quamque oculis spoliet, sic pietate vocat.
O fili Moduine, tibi (nam pignus & ipse
Es nostrum, nostro fotus & in gremio)
Quid rogo commerui, tanto quòd tempore tuta,
Sedibus è placidis pignora nostra fugas?
Quid mihi tristitisa cumulas? quid gaudia truncas?
Cur gaudere mea me sobole haud pateris?
Me pietas, me prisca fides munimine forti
Cinxerat, & certis sæpserat auxiliis.
Quique etiam accipitres fuerant milvique rapaces,
Ac soliti natos dilaniare meos;
In placidas versi subita pietate columbas,
Cursu avido nostros expetiere sinus:
Depositoque truci ingenio seu nomine torvo,
Numine & ingenio complacuere meo.
Hospitiis hæsere meis, mea parva secuti
Pabula, & innocuis vivere deliciis.
Rostra unguesque feros quîs me vastare solebant,
Vertêre in nostrum dulciter obsequium.
Adversas volucres virtute atque ore repellunt,
Me vigili studio, me pietate fovent.
Agnoscisne, rogo, venerandæ ænigmata matris?
Et mea quid signent mystica verba capis?
An miserande meam nec vis cognoscere vocem,
Displicet atque oculis hispida forma tuis?
Te gemitus noster peperit, te parvulus ortum
Nidulus excepit, te calor hîc aluit;
In lucemque trahens, tenebrosa ergastula rupit:
Atque dedit vita, luce, salute frui.
Hære igitur matri, dulces ne desere fratres:
Horum solus amor est tibi certa salus.
Cur hanc persequeris, cur dulcia pignora carpis?
Non hæc rostra tibi nostra figura dedit.
Tunde igitur tætrum rostri damnabilis uncum:
Et fuge germana vivere carne ferox.
Utere simplicibus nobiscum dulciter escis,
Et mitis mitem pectore quære cibum.
Sunt pia jura Ducum; pia sunt præcepta parentum:

Quis ego ab initio munior atque segor.
Quid tenebras luci, quid melli absinthia misces ?
Ista tibi semper dissociata manent.
Ex quo conspicuus Christi per sæcula cultus
Fulsit, & idolica fugit ab urbe lues :
Numquam prisca meos vexarunt jura ministros,
Pondere nec sæcli res onerata sacra est.
Semper distinctus duplex hic ordo cucurrit,
Judicibusque suis utraque pars viguit.
Ordinibus sacris reverentia debita cessit :
Plebeios rexit lex sua quemque viros.
Quid mihi nonc veterem tu vis subvertere sæpem ?
Quid mihi maceriam diruis oppositam ?
Cur veteres fines nostro convellere fundo
Niteris, & cunctis pervia rura facis ?
Audi veridico Salomou quid personet ore,
Et mucrone time te jugulare tuo.
Eversor sæpis colubro mordente peribit,
Seque suo qui fert saxa labore premet.
Te preme, te perime : nam me spoliare nequibis,
Auxilus fultam semper ubique Dei.
Post evangelicos clypeos, post tela corusca
Oris apostolici, post pia jura Dei,
Me Constantinus reverendo munit ab ore :
Me quoque Theodosius protegit ore pio.
Archadio dulci perdulcis Honorius hærens
Me dulci eloquio laudat, honorat, amat.
Quid veterana loquar ? nostro nunc ecce sub ævo
Qua placidus Princeps me pietate colit ?
Pro me Concilia sudavit sæpe verendis,
Et valido pressit colla superba jugo.
Legibus antiquis edicta recentia junxit,
Et bona prisca novis auxit ubique bonis :
Ne me per pelagus mundi, per turbida saxa
Obrueret subitu nox fera naufragio.
Verè clara micant sacri mysteria Christi,
Quæ veterum signant gesta beata Patrum.
Jam validum Samson, dum vult peregrina subire
Connubia, impetiit horrisono ore leo.
Quem, veluti tenerum frustatim carperet hedum,
Ille necans, dulces sumpsit ab ore favos.
Sumpsit ab ore favos & dulcia mella leonis,
Qui fremuit pridem, dulciter ecce sapit.
Infremuit mundi Christu vemente potestas,
Gentilem ut plebem necteret ipse sibi.
Infremuit terrore gravi, legesque feroces
Edidit, ac toto terruit orbe pios.
In servis tamen ille suis virtute potenti,
Dum superat mundum, robora dira necat.
Ut malè quod vixit, moriatur ; mortua porro
Impietas dulcem promat ab ore fidem :
Quodque olim rabido fremitu laniare parabat,
Hoc modo jam dulci prædicet ore melos :
Jamque hedus Christi, qui tunc leo torvus abibat,
Peccator veniam postulet ipse sibi.
Sic mundana tibi subjecit culmina Christus,
Cuncta & in obsequium traxit ubique suum.
At tu si veterum nescis pia jura piorum,
Desine quod nescis dilaniare bonum.
Et cape tranquillus, brevius quod pagina verbis
Altera pacifico suggerit eo studio :
Cumque serenato perlegeris omnia vultu,
Et quam non noras videris ipse viam ;
Sub Christi terrore tremens, pietate fideli
Corrige quod pravum perspicis ipse tuum.
Nempe etiam si nulla usquam hæc jura vetarent,
Num gessisse decet talia Pontificem ?
Rem bene constructam tanto sudore, tot annis
Subruere, & sceleri pandere sponte viam ?
Dicere, nullus honos debetur (credite) sacris
Ordinibus : cunctus pulset ubique forum.
Nam istis Cœnobium Mater muliebre gubernans,
Et sacer Antistes, cetera pulvis erunt.
Si pater es Cleri, noli contemnere Clerum :
Nec te sic ut eos erige deicias.
Hæc quoniam non sanctus amor, sed turgidus atro
Fumifluum spirans ructat ab ore furor :
Hæc si mente pia relegas, si pectore puro
Accipias, prodest potio sacra tibi.
Est subamara quidem : sed si patiare, salubris.
Insunt gallinæ zelus amorque simul.
Æstimo, vir prudens nullo te felle moveri,
Cùm videas FLORUM te sic amare tuum.
Nam meliora pii sunt vulnera semper amoris,
Subdola quàm ficta oscula pressa labris.
Et bene non notus, malè si increbescere cunctis
Cœperis, infamis fabula semper eris.

III.

HIMNUS.

In Natale sanctorum Johannis & Pauli.

JOHANNIS PAULIQUE diem sol attulit orbi,
Qui rubra martyrii serta cruora gerunt.
Unicus hos sanguis germano fœdere junxit,
Unica mox fratres morsque fidesque parit.
Olim Romulei servantes mœnia regni
Barbaricos stravant sæpe mucrone globos :
Nunc ovium Christi purissima septa tuentes,
Dæmonicas arcent vi precibusque minas.
Hos morti addixit sacra pro lege tyrannus
Contemptor Christi JULIANUS rabidus :
Unius ille Dei cultum priùs ore ferebat,
Donec ad culmen scanderet imperii.
Ast ubi convaluit misero terrena potestas,
Idolum vero prætulit ille Deo.
Tum famulos Christi lanians, & sanguine pastus
Innocuo, horrendis sævit ubique modis.
Verùm ubi cælesti prospexit Christus ab arce,
Audivitque pii sanguinis ille preces ;
Confestim misero cladem exitiabilis horæ
Destinat, hostili hostis ut ense ruat.
Vastatâ Ecclesiâ Persas in bella vocarat,
Ac multis septus milibus ibat atrox :
Cùm subitò arentes deserti ruris in agros
Devenit, & cuneos perdit ubique suos.
Qua neque victua erat, nec fons, nec fluminis unda,
Caumate sed nimio tota jacebat humus.
Dumque fremens montes, valles, camposque peragrat ;
Sicubi vel modico stilla liquore fluat ;
Incidit adversas condigno errore phalanges,
Perfossusque atra cuspide pectus obit.
Sed rabidus semper, & in ipsa morte rebellis,
Infremit, & summum hac voce lacessit herum,
Ebibe nunc nostrum quem quæris, Christe, cruorem,
Atque avidus læto jam satiare meo,
Ille quidem tales justo sub judice pœnas
Exsolvit, post hæc tartara cæca petens.
At Domini testes sacrato sanguine loti,
Vertice laurigero sidera celsa petunt :
Quos toga pacifico vestit præfulgida cultu,
Regalique ambit purpura clara peplo.
Hos ceu fructiferas florens paradisus olivas,
Irriguo vitæ jugiter amne rigat.
Hi sunt æterno candelabra fulgida templo,
Progenies lucis, & pietatis honos.
Sidereo Regi sublimi semper in aula
Adstantes populis qui pia vota ferunt.

Quorum propitius precibus nos respice, Christe,
Et purga obscenum quicquid inesse vides.

IV.

Titulus Libelli

Ad altare sancti Stephani oblati,

Sanctissimo & gloriosissimo alumno ac patrono nostro beato Stephano Protomartyri dedicatus.

HUNC tibi, prime pii testis fortissime Christi,
Offerimus vario rutilantem flore libellum.
Hic tua prima micas post indita bella corona:
Fulget honos nomenque tuum; tua præmia clamant.
Gamalihel sacer ille senex tua cælitus ossa
Olim ignota orbi reverendo publicat ore,
Ac tua membra pater radianti signat in auro,
Martyrium inlustri depingit flore rosarum.
Se quoque Nichodemi conjungens sorte nepotis;
In geminis auri calathis albentibus almus
Prodis rite rosis tenui vix sanguine tinctis:
Virgineosque artus puri fulgente canistro
Argenti & croceï commeodat floris odore.
Hæc sua laus sequitur, sequitur tua florida virtus,
In Christi virtute potens pietate redundans,
Gaudia dans mæstis, infirmis robora reddens,
Et dura sub morte sitos ac pæne sepultos
Restituens vitæ, vitæ quia testis haberis.
Tu primus Christi calcata morte perennia
Vexillum sublime ferens, hostilia castra
Fulmineis linguæ telis ignitique coruscis
Stravisti, & pulcra palmam de morte tulisti.
Te sequitur reverenda cohors pro nomine sacro
Mille afflicta modis, mille inlustrata triumphis.
Martyribus Martyr tu norma & regula cunctis,
Purpureos ducis cuneos roseasque catervas:
Quorum purpureus de sanguine præmicat orbis,
Quorum florigeris præfulgent astra coronis,
Quorum casta Dei decorantur templa sepulcris,
Quorum tota micant insignia tempora festis,
Quorum cuncta sacris cedunt incommoda votis.
Hos sacer ille videt cæli in regione Johannea
Tantorum inlustres post prœlia dura laborum,
Dat quibus æternas felix victoria palmas,
Atque immortales stola candida præbet amictus.
Non his ulla negat sua clemens munera Christus,
Quos ipse à mundi selectos sorte diremit,
Plantavitque Deo: quò semper robore læto
Crescendo in cælum castiliant, fructusque perennes
Pollensi virtute ferant, & quicquid ab alto
Oratum genitore velint, mox numine prono
Accipiant, tribuantque piis. quos inter egenus
Censeri cupiens, & cordis vulnera deflens,
Ista tremens cecini summisso pectore Florus,
Ut meritis tanti per Christum salver alumni,
Et procerum votis absolvar purpureorum.

. . . . . .

Sanctorum eximiis meritis precibusque beatis,
Quorum perpetuos memorat liber iste triumphos,
Da pater omnipotens veniam, da Christe medellam
His qui supplicibus votis ac mente fideli
Committunt sese tantis per sæcla patronis,
Qui zabulo victo rutilis super astra coronis,
Conspicui, de te quicquid petiere merentur.

. . . . . .

Christe precor veniam segni des mitis alumno.

Tardus sum, tardè sed tibi nemo venit.
Longus præteritis tenuit nos error ab annis,
Sufficiat meritis hæc rogo pœna meis.
Vita brevis superest, in mortem & pronior ætas:
Jam peccare senex nequeo, nolo tuus.

V.

Versus ejusdem.

Ubi ossa S. Cipriani Lugduni condita habentur.

HAec locuples Christi thesaurus conditur arca,
Purior argento, fulvo pretiosior auro,
Clarior & cuncta gemmarum luce micantum.
Hic nempe insigni Doctor suavissimus ore,
Eximius Præsul, Martyr celeberrimus idem,
Lucifer ut nitidus magna Carthagine missus
Emicat, & pulcra Cyprianus sorte quiescit.
Additur huic geminum radianti lumine sidus,
Speratus Martyr cum Martyre Pantaleone,
Cujus cum capite hîc pollent sacra ossa priorum.
Quos pariter Carolo Francorum Principe gaudens
Gallia suscepit, Libycis ditata talentis.
Hos igitur nobis oratio fida patronos
Efficiat, Christo ut cælis veniente coruscis,
Martyribusque suis diademata clara ferente,
Ipsorum meritis lux nos æterna receptet.

VI.

Titulus Absidæ.

MARTYRIBUS subter venerabilis emicat aula:
Martyribus supra Christus Rex præsidet altus.
Circumstant miris animalia mystica formis,
Nocte dieque hymnis trinum inclamantia numen.
Adstat Apostolicus pariter chorus ore corusco,
Cum Christo adveniet certo qui tempore judex.
Vivaque Hierusales, agno inlustrante refulgens,
Quattuor uno agitat paradisi flumina fonte.
Pignoribus sacris clerus Baptista Johannes
Altare inlustrat, pulsceotia pectora purgat.

ADNOTATIONES.

IN his Flori versibus primum locum obtinent carmina duo, quæ V. C. Hadrianus Valesius, Historiographus Regius, ex vetusto codice Petaviano manu propria descripta, cum notulis suis mihi pro sua liberalitate concessit.

In Carmen I.

Primum agit de variis cladibus, quæ ex divisione Imperii, post mortem Ludovici Pii Gallis obvenerunt. Carmen istud in codice petaviano inscribitur in hunc modum: Voto bonæ memoriæ Mannonis liber ad sepulcrum santi Augendi oblatus. *Fuit ergo liber iste Monasterii sancti Augendi, seu Eugendi, in Jurensibus locis, quod modo S. Claudii dicitur; & quidem oblatus à Mannone ejusdem Cœnobii Præposito, cujus rogatu Ado Viennensis Archiepiscopus ecclesiam Viennensem eidem Abbatiæ confirmavit anno* DCCCLXX, *ut patet ex litteris editis in Spicilegii tomo XIII pag. 135.*

V. 37. Tabescit vulnere Narbo. *Quid funesti tum acciderit civitati Narbonensi, silent Annales nostri. Existimem idem illi accidisse quod Re-*

mensi.

tuensi, eo quod Bartholomæus contra Ludovicum Augustum partibus Lotharii faveret, ob idque eum sede sua dejectum fuisse: ex quo diutina illius ecclesia secuta sit orbatio usque ad Berarii ordinationem.

V. 38. Tristia Ramorum, *&c. Id Ecclesiæ Remensi contigit post depositum Ebbonem, vacante sede per annos decem, nempe usque ad annum* DCCCXLIV, *quo Hincmarus vivente etiam tum Ebbone suffectus est.*

V. 39. Doctosque viros, *&c. Nempe Hilduinum seniorem, Walam Abbatem, Barnardum Viennensem, Agobardum Lugdunensem Pontifices, & alios, qui in varia exsilia deportati sunt.*

V. 56. Hinc heresis surgens. *Sic Prudentius in præfatione ad Cathemerinon:* Pugnet contra hereses. *Multa alia peccat Florus in Poetarum leges: at indulgendum illi ætati.*

V. 101 Ardere cometæ. *Nempe annis* DCCCXXXVII *& sequenti,* DCCCXL, *&* DCCCXLII.

V. 115. Inliniturque luto. *Hæc ex imitatione Ezechielis in cap. 13 versu 12 & seq. Quod subditur de Amosi Prophetia, petitur ex cap. 6, v. 1 & 2.*

In Carmen II.

Hoc alterum carmen scriptum est ad Modoinum Augustodunensem Episcopum, qui Augusti-montis Pastor in arce potens *dicitur in alio Flori carmine, quod Petavianus codex itidem continebat. Hic est* Muatwinus *Episcopus, quem Walafridus Strabus versibus itidem celebravit, idemque cui Theodulfus Episcopus inscribit lib. 4 carmen 6. Hic verò severiùs carpitur Modoinus, quòd* nutriculam suam, *id est Lugdunensem Ecclesiam, in cujus sinu adoleverat, malè tractaret, illius ecclesiæ Clericos trahens ad sæculare forum contra Canonum præscripta. Ubi mirandum, quid juris fuerit Modoino Lugdunensi Ecclesia Suffraganeo in Metropolim suam. Nimirum quia magna ejus erat apud Ludovicum Pium auctoritas, facile ipsi fuit, exsulante Agobardo Archiepiscopo, in jura ipsius ecclesiæ invadere. Certè quàm bene audierit apud Ludovicum, argumento est Theodulfi carmen prætitatum, ex quo intelligimus, Modoinum Theodulfo persuadere moliuum fuisse, ut crimen sibi ab Imperatore impositum agnosceret fatereturque: quod is innocens detrectavit. At clariùs Modoini auctoritatem probat Walafridus, eum Galliæ* Proretam *appellans.*

V. 81. Duplex hic ordo. *Clericorum scilicet & laicorum; qui semper forum habuere diversum. Sub Clericali ordine Monachi etiam ante illud tempus continebantur.*

V. 98. Theodosius protegit. *Quippe Ecclesia Gallicana codice Theodosiano utebatur, & ejus libertas ac immunitas legibus Imperatorum, olim suorum, Romanorum utebatur.*

V. 134. Altera. *Alteram hac de re epistolam sive carmen aliud Modoino scripserat Florus, forsan illud ipsum, quod extat in codice Petaviano, qui nunc est Christinæ serenissimæ Sueciæ Reginæ. Habetur quidem aliud item ad Modoinum in Collectione variorum epigrammatum typis Morelianis edita anno* MDL, *incipiens ab his versibus:*

Solvo, Pater, pretiosas hilari de pectore grates,
Quòd referas Floro labra benigna tuo.

Verùm tota hæc epistola eo tendit, ut Modoinum hortetur ad studium sacrarum litterarum.

V. 145. Nam nisi Coenobium. *Verba sunt Modoini, quem Florus loquentem inducit in hunc modum: Præter Episcopos & Abbatissas, ceteri omnes Clerici & Presbyteri laicum forum agnoscant.*

Analect.

In Carmen III.

Hoc carmine seu Hymno actis sanctorum Johannis & Pauli conciliatur fides.

In Carmen IV.

Titulus est libelli ad altare S. Stephani oblati, nempe in cathedrali ecclesia Lugdunensi, quæ beatæ Mariæ & sanctis Stephano & Johanni dedicata est. In exemplari Petaviano, ex quo hos versus noster Acherius quondam describi curavit, exstant hiatus seu spatia vacua duo, non quidem pro versibus, sed pro titulis interserendis.

In Carmen V.

De translatione reliquiarum sancti Cypriani & aliorum in ecclesiam Lugdunensem tempore Caroli Magni, legendi versus Agobardi Præsulis Lugdunensis, & Chronicon Adonis Viennensis.

In Carmen VI.

Hic describitur altaris priscus apparatus in ecclesiæ absida exsistentis, ubi Martyrum reliquiæ sub altare collocarentur, Christi è cruce pendentis effigie superius erecta, pendente in vasculo Eucharistia, sanctorum imaginibus circum appositis.

Sequebatur in codice Petaviano ejusdem Flori carmen de titulo altaris in persona Agobardi, quod carmen Sirmondus dedit in Notis ad Theodulfum. Ad hæc, idem ipse codex continebat metricam quatuor Evangeliorum recapitulationem, quam consulto prætermisi.

HAGANONIS EPISCOPI EPISTOLA

Ad Rampertum Episcopum Brixiensem,

De Maginardo *Monacho in Abbatem ordinando.*

Dilectissimo & reverentissimo fratri atque Coepiscopo Ramperto, servus servorum Dei Hagano æternam in Domino salutem. Sanctitatis tuæ erga divinum cultum vigil piaque devotio cùm apud Ecclesiam Brixianam religionem augere contenderet, Monasterium studuit aptissimo loco extra muros præfatæ urbis, quo beatissimi Martyris Faustini corpus quiescit, conditum iri. His itaque piis æmulationibus tuis, fratrum quoque & Coepiscoporum favor comitatus, suffragia oportuna non abnuit: inter quæ nostram quoque humilitatem convenire voluisti, rogans ut Presbyterum atque Monachum nostrum, virum honorabilem, & adprime officiis monasticis institutum, Maginardum nomine, concederemus, quatinus eum in prædicto Monasterio Abbatem ordinares. Licèt difficile, quia ejus collegio non modicè delectabamur; tamen apostolicâ motu sententiâ, quæ dicit, *Caritas non quærit quæ sua sunt*; ad tantam utilitatem tuæ sanctitati remisimus, & ut in præfato sancto loco à te Pater Monasterii consecrari deberet, concessimus. Hunc ergo à nobis absolutum,

tuæque sanctitati commissum, profusis jam hunc precibus commendamus, ut in vestra ecclesia divini famulatus vestrom Sacerdotumque vestrorom suffragium mereatur, & cooperante gratia Dei, Abbatis officium, ad quod exercendum eumdem vobis concessimus, strenuè valeat exhibere, communi omnium auxilio fultus & manu sua. Deus te incolomem custodiat, frater. Amen.

ADNOTATIO.

CUm Rampertus Brixiensis Episcopus extremos Pontificatus annos ageret, Bergomensis ecclesiæ sedem iniit Hagano, utraque sub metropoli Mediolanensi, cui tum præerat Archiepiscopus Angilbertus. Brixiensi cathedræ impositus est Rampertus anno DCCC XIV, *idemque anno* DCCCXL *sanctorum Faustini & Jovitæ ecclesiam, in qua sacra neglecta erant, restitutam Monachis commisit, quod ad severioris vitæ normam per Leutgarium Abbatem & Hildemarum Monachum, ambos ex Francia partibus Mediolanum profectos, & ad se ab Angilberto Archiepiscopo transmissos, erudivit. Exstat hujusce rei egregium Ramperti monumentum in Bullarii Casinensis tomo 2, ex quo quæ ad rem nostram faciunt, huc transcribo.* Denique cùm nostrorum fidelium, & maximè Sacerdotum, ad hoc multorum saluti profuturum provocaremur opus, petere à sanctissimo viro dommo Angelberto Archiepiscopo fratres curavimus, quibus hojos officii coram nostra committere posset sagacitas. Ipse verò, ut vir doctissimus, multurum affatim illustratione desideratis, (*lege* illustrationem desiderans) & non sua, sed quæ sunt JESU-CHRISTI, per omnia quærens, concessit nobis fratres ex Franciæ partibus advenientes, quosque ob illuminationem suæ ecclesiæ insolubili sibi sociaverat vinculo, LEUTGARIUM videlicet Abbatem, & HILDEMARUM Monachum: quatenus ita nobis præstarent adjutorium, quemadmodum illi nunc præstant & semper præstabunt. quorum vitâ atque doctrinâ plurimi hoc in regno illustrati esse noscuntur. *Insignis est hic locus ad commendationem Leutgarii & Hildemari, qui ex quo Franciæ Monasterio in Italiam profecti sint, fateor me nondum assequi potuisse. Hinc verò Leutgarium sancti Faustini Monasterio alligatum non fuisse colligimus, ne videlicet uni loco intentus, alia istius regionis loca illustrare desineret. Quapropter Rampertus novo Monasterio Abbatem adoptavit Maginardum Presbyterum ac Monachum ex diœcesi Haganonis, Bergomensis (ut quidem puto) Episcopi, ejusdem forsan qui Ebonis Remorum Pontificis restitutioni cum Ramperto, haud dubiè Brixiensi Episcopo, subscripsit anno* DCCC XL. *Ut potius Bergomensi tribuam, suadet vicinitas locorum. Hæc porro Haganonis epistola inter alias formatas epistolas reperitur in vetustissimo Commentario Regulæ sancti Benedicti, qui commentarius ab annis sexcentis Paulo Diacono adscriptus est primùm à Leone Marsicano Cardinale in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 15, tum à Petro Diacono & Bernardo Abbate Casinensi, postea Cardinale, & aliis. tametsi viri docti nostri temporis, Benedictus Haeftenus, & Angelus de Nuce Abbas Casinensis, istud opus Paulo Diacono meritò abjudicarunt. Hanc verò lucubrationem Hildemaro Monacho postliminio restituit optima nota codex ex Bibliotheca Monasterii sancti Benigni apud Divionem, ante annos septingentos scriptus hoc titulo apposito:* INCIPIT TRADITIO SUPER REGULAM SANCTI BENEDICTI, QUAM MAGISTER HILDEMARUS MONACHUS TRADIDIT, ET DOCUIT DISCIPULIS SUIS. Quocirca obsecro, cùm aliquid incompositum, sive inhonestum ibi inventum fuerit, non magistro, sed discipulis imputetur. *Quibus titulum cùm non a recentiori quodam scriptore, sed ab ipsis Hildemari (ut legenti patet) discipulis, qui ex ore loquentis magistri hunc commentarium exceperant, appositum sit; de vero ac legitimo hujus commentarii auctore non sinit nos dubitare. Hunc autem Hildemarum non alium esse, quam Monachum illum Francum, qui à Ramperto mox laudatus est, duo mihi persuadent argumenta, tum ex ætate hujus Hildemari, tum ex loco ubi vixit, petita. Primum est, quòd Commentator in Regula cap. 14 de Sanctorum festis diebus agens, in exemplum adducit festa peculiaria diœcesis Mediolanensis, in qua sub Angelberto floruit Hildemarus à Ramperto commendatus. Alterum est, quòd Commentatoris discipuli ad caput 38 Regulæ de hebdomadario Lectore adducunt Hildemari præceptoris sui epistolam, quam Urso Beneventano Episcopo de recta legendi ratione scripserat. qui Ursus ad eam sedem promotus est Sicardi principatu, sub annum* DCCCXXXIII, *ex Italia sacra tomo 8. quod tempus prædicto Hildemaro apprimè convenit. Verum hæc fusius alias, quando hunc Commentarium cum aliis in lucem proferemus.*

SINDBERTI EPISCOPI ET ABBATIS MURBACENSIS

Epistola encyclica.

REverentissimæ Matrifamiliæ ill. SINDBERTUS dono Dei vocatus Episcopus atque Abba de monasterio MORBAC, in Domino æternam salutem. De cetero comperiat mellisflua caritas vestra, eo quod frater vester nomine ille vel ille, de hac luce migravit (ut credimus) ad Christum. qua ex re obnixe obsecramus almitatem vestram, ut pro ipsius anima sic jubemini agere de psalmis seu missis atque vigiliis, ceo ingens bonitas vestra consuevit. Optamus vos bene valere.

Indiculum ad Episcopum.

DOmino reverentissimo Episcopo ill. SINDBERTUS gratia Dei vocatus Episcopus atque Abba de monasterio MORBAC, una cum fratribus æternam in Christo Jesu Domino nostro salutem, &c.

PRUDENTII EPISCOPI TRECENSIS EPISTOLA.

Ad quemdam Episcopum fratrem suum.

DOmino mihi in Dominorum Domino desiderabiliter venerando ill. merito sacerdotali paternoque culmine insignito, PRUDENTIUS famulorum Christi humillimus, sempiternam in omnium Salvatore salutem. Quantum, mi fratrum carissime, litteræ tuæ perdesiderabilis mihi germanitatis textus meam diu insatiabiliterque collectam sitim æstumque dulcedo recreaverit, quantumque jucundissimæ oblectationis invexerit, fideliter fateor dici nequit: quippe cum tot tantisque perturbationum fluctibus

pæne irrevocabiliter obrutus, ne sibilo quidem (ut dicitur) tui quicquam haurire valuerim, utrum te super: ad dominum jam rediisse contingeret, cùm repente vix tandem à palatinis excubiis, quibus diu inservire coactus fueram, absolutus, latorem quàm desiderabilium mihi apicum . . . vestræ Trecas, cui me divina gratia, non autem ulla meritorum meorum plenitudo præesse dignata est, offendi. Et audito, quod extinctum metuebam, alterius mei nomine, explosis gaudio superante soporibus desperatione potius quàm oblivione contractis respiravi; & supernæ bonitati, quæ inter adversa & prospera suos servare consuevit gratulatus, literarum inlatabili atque multoties iterata recursione inhærens, illic meum ill. germanum unanimem, immo me alterum quæritans, tandem reperisse me plurimum gaudeo: quoniam qui ipso mihi auditu exstinctus videbatur, subitò vivens apparuit; & quem abiisse autumabam, superesse non ambigo. Agens itaque auctori bonorum omnium gratias, indefessè hoc uno inexplebiliter bono afficior, quo te non tam vivere, quàm bene vivere audio, audiens gratulor, gratulans desidero, desiderans postulo; & ut ipse convivere merear, tuis [piis] precibus opto ac meritis, quibus me ab omnibus propositum votumque Christianæ militiæ infatigabiliter obpugnantibus innutabiliter relevari confido. Age nunc, fratrum dulcissime, & duce omnium ordinantis, omnia serenantis gratiâ, me meæque discretioni commissos sanctissimæ instantissimæque intercessionis ope fulcire non desinas: quos plurimum vivere si xenia propriæ adinventionis vel ligatæ, vel solutæ crebro visitans, mittenda imperans, desiderantibus miseris. Bene te semperque in Domino valentem, nosque importunarum clavo supplicationum ad portum optati litoris revehentem virtus omnipotentis brachii conservare dignetur.

Quos voces oculis, lingua, auditusque, manusque
Haasisti, totidem lætificere bonis.

IN NOMINE DOMINI
INCIPIT PROLOGUS
RABANI EPISCOPI
Ad RATLEICUM Abbatem de Martyrologio.

RABANUS servus Christi Jesu & servorum ejus, viro venerabili RATLAICO presbytero atque Abbati, in Domino salutem. Quia rogasti me, frater amantissime, ut Martyrologium per totum annum tibi conscriberem, atque sanctorum festa quæcumque potuissem invenire, ibidem insererem; feci quantum potui, & singulis diebus nomina sanctorum, quæ scripta, sive notata ab antecessoribus in libellis reperi, ibidem inserui: & cujuscumque sancti obitum, sive martyrium, qualiter vitam finierint, legi; breviter, prout valui, notavi. Tu autem quia plurima scripta antiquorum invenisti & legisti, per ea etiam hoc parvum opusculum examinans, utile legentibus quo modo possis facis: ut quod mea imperitia atque infirmitas idoneè efficere non potuit, tua peritia atque industria utiliter perficiat: meque tuis sacris orationibus omnipotenti Deo commendes, ut ipse auctor & tributor salutis nostræ me miserum per suam gratiam & per sanctorum suorum intercessionem à vinculis peccatorum absolutum æternæ beatitudinis participem efficiat.

Te Deus æternus cuncta per tempora servet,
Æternam & vitam det tibi in arce poli.

DUlcissimo fratri ac reverentissimo Abbati GRIMOLDO RABANUS vilissimus servorum Dei servus in Christo salutem.

Hunc ergo ex scriptis confeci rite libellum
Sanctorum patrum, frater amate, tibi.
Ut quorum celebras festa, tu noveris actum,
Et finem vitæ, quo hinc abiere polum.
Sicque beat ipsorum meritis precibusque juvatus,
Ad cæli regnum lætus & ipse migret.
Quo Deus æternus, hominum fortissimus auctor,
Cum sanctis temet collocet atque beet.
Vive mea vires, lassarumque anchora rerum,
Naufragio & litus tutaque terra meo.
Solus honor nobis, urbs tu fidissima semper,
Curisque afflicto tuta quies animo.
Sitque licet montes inter cum fluctibus arva,
Mens tecum est, nulla quæ cohibetur humo.
Te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen amoris,
Exoptans animo prospera cuncta tuo.
Qui mihi te notum dedit & concessit amicum,
Conservet sanum Christus ubique mihi.
Ante solum terra, cælique volabile cyclum
Prætereant, vester quam quoque cesset amor.
Hocque Pater monui, moneo te, iterumque monebo,
Sis memor ipse mei, sicut & ipse tui.
Ut Deus in terris quos hic conjunxit amicos,
Gaudentes pariter jungat in arce poli.

ADNOTATIONES

PRimam ex præmissis epistolis, quæ est Sindberti Episcopi & Abbatis Murbacensis, atque sequentis inscriptionem ideirco retulimus, quod Sindbertus ex serie Abbatum Murbacensium, cumque secutus Carolus Cointius Sindbertum seu Simpertum expungant, uti exposuimus in tomo sexto Actorum nostrorum, ubi eum in prædicto catalogo restituimus. Quia verò his in epistolis Sindbertus Episcopus & Abbas *simul appellatur, dubitare licet, an idem sit ille Augustæ Vindelicorum Episcopus. Etsi enim tempora conveniunt, in multis tamen cœnobiis tunc erant Abbates, qui & absque titulo Episcopi, ut pluribus exemplis alibi demonstravimus. In veterrimo Necrologio S. Udalrici apud Augustam notatur* III Idus Octobris Simpertus Episcopus, *absque Abbatis aut sancti titulo. Eodem tempore alter ejusdem nominis erat Episcopus Ratisponensis notatus in Kalendario S. Emmerammi* III *Kal. Octob.*

Subsequens epistola est Prudentii Episcopi Trecensis, ad quemdam Episcopum, quem germanum unanimem, & fratrum dulcissimum *appellat. Prudentius alio nomine vocabatur Galindo, isque natione Hispanus erat, ex Annalibus Bertinianis. Unde expendere datur, an* Galindo Enneconis, *cujus meminit Eulogius in epistola ad Willesindum Pampilonensem Episcopum, Prudentii frater consanguineusve fuerit. Quamquam Galindo nomen apud Aragonenses & Navarrenses vulgare tunc erat teste Morale.*

Post Prudentii epistolam habetur Rabani prologus in Martyrologium suum ad Ratleicum Abbatem Seleginstadiensem cum versibus ad Grimoldum Archicapellanum inferiùs laudatum, qui prologus deest in editis apud Canisium. Hunc autem prologum cum præmissis epistolis eruimus ex bibliotheca S. Galli.



FRAGMENTA EX LIBRO ERMENRICI MONACHI AUGIENSIS DE GRAMMATICA

Ad GRIMOLDUM Archicapellanum.

Ubi multa de viris illustribus S. Galli.

Diu sanè mihi pertractanti, præceptorum doctissime, quo primo exordium adipiscendæ dilectæ amicitiæ vestræ caperem, inter multa animo opposita occurrerunt mihi duo magna luminaria: luminare majus, quo illuminamur ut diligatur Deus; & luminare minus unde proximus: ad quæ præcepta cetera omnia cohærent, veluti etiam nomini & verbo, in quibus personam tenemus & actum, ceteræ partes omnes invicem adpendent. Cum enim non ignoro te tam in poëmate, quàm in omni arte priorum adprime cautum, in tantum ut interdum comico cothurno, aliquando veri veste septemplici, quam sophia sibi suis manibus texuerat, indutus mirifice incedis. Præter hæc etiam gemmis omnium virtutum adornatus, humilitate præcipuus, justitia temperans, fortitudine serenus, prudentia cautus, temperantia modestus, zelo Dei fervidus, patientia lenissimus, in adversis lætissimus, in prosperis humillimus pates. Et non immerito his virtutum alis ceteros præcellis: quia primo ætatis flosculo inter aulicos beatorum Augustorum mores decentissimos enutritus es, tam dogma totius disciplinæ, quàm normam recte vivendi ab eis didicisti, qui in omni imperio cum Deo summi fuere.

Sed & hactenus rivo jucundissimo ac in omni virtutum stemmate præfulgido ex primoribus fontibus totius Europæ emananti cohæres HLUDOUVICO scilicet dilectissimo Regi nostro, qui licet angustiori limite terrarum, virtute tamen vincit Herculem centauros dominantem, & agilitate Ulyssem. Interroga Sclavos in gyro, & non miraris epitoma meum. Habemus denique nos, ipsius alumni pauperculi, in eodem rivo majores copias Scythico Tanai formasque ipsas Nilo præferentes. Ei gratias referimus, qui nobis tam limpidum atque salubrem totius boni fontem concessit, unde cuncta pacifica & utilia semper haurimus, haustumque ipse omnibus ad se properantibus indeficiens prabet & cupit hauriri.

Sed eheu idem ipse tam habilis fons ne latè flueret, quàm sæpe machinamentis quorumdam tam privatorum, quàm etiam ethnicorum seu externorum hominum dispendio obstruitur; eremus prodit, ac bestiæ loquuntur, donec restagnatus in sese, & non sine periculo sui patientissime se excedebat, Deoque eum procegente armis Rempublicam defendebat: in cujus etiam laribus tu ipse veluti fidelis Jola conversatos, latusque dexterum observans, nostri melius quàm incomparabilis sit ejus pietas, virtus & ingenium, aliarum gentium legibus: quippe qui in Deo solo potentiam possidet, & copia divitiarum ejus est sapientiæ decus. Quippe aliis sophiâ, ut dictum est, impar, avo tantùm par te censore judicatus: quatenus eo superstite habeas, unde ingenium grandævo jam senio fessum exacuas, & ceu KAROLUM optimum præ oculis habes, nil sit vel quod dolcas, vel pertimescas. Sed hæc latius alias.

Ceterum, mi carissime Didascale, ne me longius ab incœpta via egressum objurges, redeo demum ad id, quò omnes virtutes spectant, hoc est, ut primo diligamus Deum & Dominum nostrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente; qui est æterna pulcritudo, æterna dulcedo, æterna suavitas, æterna fragrantia, æterna jucunditas, perpetuus honor, indeficiens felicitas. Dein diligamus proximos nostros tamquam nos ipsos.

Postea auctor agit de anima & ratione; tum subdit. Hæc idcirco, de animæ statu vel substantia, tam latè protuli, ut sciant legentes, qui se Deum diligere profitentur, quod ita eum diligere debent veluti tu diligis, ex tota videlicet anima, id est cum ratione, & cum omnibus sensibus suis, fide firma, spe certa, caritate perfecta; credens in eum, sperans in eum, diligens eum à quo omnia, in quo omnia, & per quem omnia sunt bona, atque permanentia. Ob cujus amorem, licet habitu hæreas, animo tamen spernis præsens sæculum, cupiens dissolvi, & esse cum Christo: terrena atque temporalia magis agens ex debito, quàm ex intentione; misericordiæ operibus deditus, hospitalitate præcipuus, Dei servitio intentus, omne quod ad cultum, vel ad religionem divinæ pietatis pertinet, quod Græci Θεοσέβειαν vocant, summopere colis. Sacerdotes Christi diligis, vasaque sacrarum ædium restauras, monasteria visitas, ac visitata paterno affectu disponis, & æquanimiter, si qua sunt in eis anomala, dirigis, atque ad statum æquitatis perducis. Et propter quem vel propter quid hæc agis, nisi propter Deum quem diligis, & propter proximum, quem ita diligis ut te ipsum: ac interdum plusquam te ipsum? Nonne cum cibum vel vestem tibi subtrahis, & indigenti tribuis, indigentem proximum plusquam te ipsum colis? Et ut tibi pernota inculcem; ecce pro invictissimo Rege nostro post Deum, tamquam pro capite nostro, eique carissima laterali costa, atque pro tota simul prole inde procedente, quantis precibus incumbis, quantasque vigilias pateris, quot itinera conficis, quantasque hinc & inde in commune vulgus expendis? Ambulas, curris, in montibus reptans, in fluminibus natans, silvas pertransis, & volitas in campis, nec est jam his labor diligentis animo, quia labor parit patientiam, patientia tolerantiam, tolerantia assiduitatem, assiduitas autem adducit caritatem.

Tum multa affert de dilectione proximi, deinde de quatuor virtutibus cardinalibus, & intellectualibus. Postmodum descendit ad grammaticalia, ac demum redit ad Moralia de dilectione, de anima, de redemtione; & ad laudem ipsius Grimoldi postmodum hac subdit. Ac ne me in his laudibus hypocritam sentias, dicam tibi absque fuco simulationis, quia, prout nosti, beatissimo præceptore meo WALAHFREDO pro responso quodam domni Regis ad KAROLUM germanum suum pergente, ibique defuncto, interim quo eum inde sperabas incolumem reversurum, jussisti me de Auvavensi monasterio, ad monasterium sancti Galli commorandi, & discendi gratia proficisci, ibique à fratribus honorifice receptum aliquandiu commorari. quod & feci juxta præceptum benignitatis vestræ. Navem conscendi, atque illuc cum omni prosperitate, Deo gubernante, perveni, tantasque virtutes in iisdem fratribus conspexi, ut vix illas, ne dicas me, sed neque Pythagoram de Samo egressum putem eloqui posse. Alius enim alio humilior, & patientior invenitur, nec est zelus amarus inter eos, vel invidiæ livor: sed sola caritas ibi principatur, & justitia regnat. Et sic caritas mater est virtutum, & concordia filia ejus, ac simplicitas earum pedisequa illic sine dubio domici-

lium proprium habet. quæ etsi pro tempore aliquanto in aliis locis commorata fuerit, & particulatim se ibi ostenderit; hic tamen semper cum filia & ministra tota consistit.

Nec est adventantium hospitum ullus, cui ab his tribus non occurratur. Sunt enim jugiter simul indissolubiles, ut funiculus triplex, & inter omnes sparsæ, integræ tamen unum omnibus ministerium præbent. A cujus scilicet caritatis uberibus suxit domnus ENGILPERTUS largitatem; & ingeniosissimus HARTMODUS benignitatem: ambo tam Deo quàm hominibus dignissimi, tibi etiam domino carissimo per omnia fidelissimi, ceu aurea candelabra lucent in domo tua ante Deum. Nec nocet si unius lux paullo ferventius ardet, alterius verò lenius, & ob hoc longius: cum utrumque placeat, & botrus qui à calore solis citius, & qui sero maturescit; & equus velox, & qui pedetemptim ambulat, æque laudatur ab his, qui interdum hujus, interdum verò illius utilitate, prout res liceat, utuntur.

Longum est sanè per singulos nominatim velle discurrere, quantos, qualesque Dei famulos in omni arte & virtutum stemmate redimitos ibi viderim. Sed neque in ædificiis construendis ex omni materia, tam industrios viros, vel rarò usquam repperi, sicuti bene in nido apparet, quales volucres ibi inhabitant. Cerne basilicam & cœnobii claustrum, & non miraris quod refero. Et ne de omnibus sileam, quid est UVINIHARTUS, nisi ipse Dædalus? vel quis ISENRICUS, nisi Beseleel secundus? in cujus manu versatur semper dolabrum, excepto quando stat ad altaris sacri ministerium. Tanta humilitas in eis est, ut tam perfecti viri non dedignentur opus rusticum per se ipsos actitare, pensantes scriptum: Humilitate penetratur cælum, & caritate pervenitur ad regnum sempiternum. Quid memorem de domno AMALGERO, in consiliis provido, & universitate morum honestate præclaro? In divino autem cultu quam religiosus sit, testatur altare aureum, ante quod sedulo sedet, nec jacet orans. Taceo de domno RADGERO, viro simplicissimo, usquequo ventum fuerit ad hoc, quo latius id valeam exponere, qualiter omnis congregatio illa per totum diem laboraverat in una columnarum illarum, quæ in basilica ipsa circumstant. Ad ultimum omnibus jam fessis, ac inde secedentibus, solus ille ab incœpto opere non recessit; sed tamen frustra sudabat, antequam in hæc verba prorupit, dicens: Sancte Galle, finde illam. mirumque in modum in his verbis simpliciter edictis rupis illius moles immensa, sua sponte inde fissa enituit, unde tota illa multitudo ante laboravit. ut aperte daretur intelligi, quod hanc findere non labor hominum, sed meritum sancti Galli potuit, quæ per invocationem nominis ejus simplicem, tam facile fissa apparuit. Et quia idem ipse frater columna spiritualis ædificii fuit, in tali miraculo optime claruit.

Longum est denique si omnia illorum fratrum bene gesta, quibus per meritum sancti Galli præeminent, velim tam brevi sermone concludere, dum omnes unum sint, & ipsi in Christo, & Christus in eis: quia nihil impossibile est capiti Deo, qui diligit membra sua: sed nec aliquid ad impetrandum difficile erit membris suis, qui sic cohærent capiti suo. Fateor omnia laudabilia vidi in eis, & præcipue caritatem ridentem, & unum vel nusquam, vel in paucis hic nullum mussitantem; completurque in eis quod olim Deus per Prophetam suum promisit dicens: *Et veniens habitabo cum eis, & ipsi mecum, & inter illos ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Et juxta Psalmistæ cohortationem, senes ibi cum junioribus semper laudant nomen Domini.

Quapropter, mi carissime Pater domne Grimolde, diu opitulatam mentis meæ intentionem nunc recludendam sentio. Quia tamen bona in te, & in familia tua, per Dei gratiam conspexi, ceu basium quoddam rependens caritati vestræ, cogitavi scripto commendare quæ mihi constant de vestra bonitate nota, & dignissima. Et cur non memoriæ tradimus facta virorum cum Christo viventium, si tanto studio legimus facta hominum iniquorum mortuorum, & cum diabolo in inferno sepultorum? Quid enim Juppiter, vel Mavors, nisi homines pessimi? & quid è contra sanctus Columbanus, & sanctus Gallus nisi homines optimi fuerunt? quorum familia, tantis terrarum spatiis diremta, talis est, ut una sit; tantaque est, ut per Dei gratiam signa faciat. Sed quia de omnibus longum est commemorare, vel de vita sancti Galli, cujus tu pastor quàm optime tugurium possides, & familiam regis; liceat amoris causâ virtutum ejus quosdam flosculos decarpere, & metricis melodiis, ceu florum diadema capiti tuo componere: ut si superius te omni virtutum decore dixi gemmatum, sine corona tantum non te videat sol stellatum. Scripsit itaque ejusdem Confessoris Christi vitam supradictus præceptor meus, vir simplicissimæ vitæ, & per omnia rectæ, domnus WALHAFREDUS tibi notissimus, quem etiam tu ipse ut peritus cathegeta peritum sophistam enutristi, & ut plus in domo Dei luceret, lumine Dei præventum super candelabrum elevasti. Sed heu prô dolor! mors acerba, quæ nulli parcere novit, subito cum nobis tulit: nec tamen sibi animam illam vindicavit, quam Christus assumsit. Voluit verò ille poëtico cothurno gesta beatissimi Galli comere, sed morte præventus, vitam in vita finivit. Unde ego rogatus sum à quibusdam fratribus, & præcipue à devotissimo GOZPERTO, ne dicas Calvo, sed pilis cephali aure tenus nudo, omni tamen sancta benevolentia pleno, felicissimi Abbatis GOZPERTI nepote, cum quadam vi impulsus, ut quod magister devotus non impleret, ego cliens assecla compleam illud factum, asserens esse unum tam incipientis ex somno, quàm perficientis præmium. Fecissemque, fateor, in hac re votu satis, si supradictus dilectus noster in hac petitione aliquam patientiam habuisset. Est enim tam ferventis studii, ut in una eademque hora, & lac velit mulgere, & caseum premere: cùm nec Roma una die sit condita, sed neque triticum eodem die metitur, quo seminatur. Ad hæc etiam de uno fonte non putavit sitibundus sitim suam posse sedari. Ad mare cucurrit, scilicet HOMERUM nescio quem novum pro hac re invocans cis Rhenum, qui in morem Flacci non currit in poëmate, sed fluit. Insuper & Alpes philosophantur virum, sub quibus jugum Sambutinum RADPERTUS Lyrico possidet sono: & si nosset antra musarum, esset talis, ut Cynthius Apollo. Cujus poesis prisco si interdum alternatur more, HARTMODUS ejus aures avellit, apta repingens proprietati. Nam & ipse scientiam philosophandi habet, ut Aristoteles calamum in mentem erigens. Et quia multa sunt miracula sancti Galli, plures decet habeat adstipulatores multiplicesque laudatores. Ac ne solus in ejus laude sileam, usque beneficia immensa in me ipso expertus sum, tam in vocis claritate, quàm etiam in luctus mei solamine, ita ut noctu ante tinnitum nolæ, hunc versum cantaret ante me.

O alumne tuos comprime luctus.

Quem etiam lectum pro manenti concordia ne propter me ibidem umquam mutaretur, in crypta ejusdem sancti Deo fudi. Quapropter licet supra nominatis poetis sim abjectior, & ob ipsorum facetam urbanitatem satis spretus, quia nec poëtam nec anim-

fecerunt me esse profiteor : tamen vestra auctoritate jubente, quibus verba delectant, de magnis parva excerpo, &c.

Inter hæc etiam & cujusdam Scottici e peræ jacula vereor, ceu ex latere emissa, quæ modò in partibus Ausoniæ puttoni Littonias, vel aliud quid incogniti cibi colligit, & licet attrita fronte, apparebit, quando putto inde gustabit. Tertius timor me premit, Calvus jam dictus partibus his favens, sed tuo privilegio semper salvo. Consulatur me una res super eo: quia talis Calvus numquam erit salvus, immo erit salvus, si bene fuerit Calvus.

Hancque horripilationem forsan in ponte Cumetenti hauserat, quando de Bobionensi cœnubio reliquias sancti Columbani secum secreus redut, & ob meuriam quamdam de navi egrediens, proram impegit, & in mare cecidit : indeque à sublevantibus emersus, putabatur à nautis ut esset Paulus. Sed quia ut quondam Jacob claudicabat, cognitus est à ducentibus, ut is esset, qui antea per se talis incedebat. Grande tamen tantum periculum, & laudandus Deus, qui eum liberavit per suum miraculum. Hæcque aliàs suo loco dicenda relinquo.

Ceterum, mi Magister & domine amabillime, in calce hujus epistolæ sanctitatem vestram obnixe deposco, ut nugas præcentis eloquii mei ita suscipiatis, veluti optime confido in paternitatem vestram.

Adjunxi autem & huic operi breve opusculum, quod de inceptione nostri cœnobii, & fratrum ibidem Deo famulantium vita conscripsi; ipsaque dicta viro per omnia doctissimo domno Gozbaldo Episcopo vel approbanda, seu refutanda commendavi. Et quia ille hæc sibi grata dijudicavit, vestro non ingrata judicio examinanda destinavi. Simul & hoc scitote, quod nec in cera vel in tabula hæc expressi : sed, sicut in præsentibus scholis dictata sunt, ita sunt vobis directa : ut si forsan coram lecta non placuerint, non sit dolor perisse, quod constat vile fuisse. In priori quidem opere Anicium Boetium sum imitatus, in isto verò Prosperi nostri morem ex parte secutus. Tu vero, Doctor sagacissime, lynceis oculis in talibus utens, orationibus tuis me adjuva, quatenus ad portum quietis quandoque prosperè evectum audias me inter lætissimos celeuma ex alto canentem. Sancta & inseparabilis Trinitas vos cum omni grege vestro bene valere faciat, mei memorande semper in ævo. Amen.

O felix vates Senioris nomine dignus,
Possimus optatam det tibi Christus opem, &c.

Sane antequam de vita sancti Galli aliquid tangam, de sanctæ Trinitatis essentia vel substantia pauca dicam, &c.

Primò sane antequam de vita sancti Galli tangamus, de situ patriæ hujus & fluminibus ejus, Rheni scilicet & Danubii, dicendum summatim eatum duximus.

Nunc primum locu tangentes cum flumine Rheno,
In quibus est commoratus dignissimus Heros, &c.
Has Europa tenet prisco sub nomine gentes,
Quas Hister secum retinet divortia Rheni.
Et satis hinc dictum, clarum nunc persono flumen.
Rhenus ab Ausoniis descendens montibus altis,
In Brigantinum mare se stagnare videtur.
Antiquo ex fluvio sic dictus nomine Pontus,
Qui modo Podamicus vocitatur gurgite noto.
Et dum se extendit circum per longa viarum,
Fertilitate sui nullis manet æquiparandus
Fluminibus, præstans piscosi germinis agmen.
Hinc æquor medium secat & complectitur urbem,
Nomine quæ proprii est Regis Constantin dicta:
Quam Salomon nunc Antistes clarissimus ornat,
Doctrina & pietate Dei cultuque benignus.
Exin progrediens parit Auvam cespite claram,
Insula quæ est aliis præstantior Augia sola.
Auget enim indoctis doctam cum dogmate vitam,
Fertilis arboribus cum vitibus undique cincta.
Quo flores vernant semper, quo lilia spirant.
Quæ me nutrit ovans, & cum nutrimine sancto.
Quam laudet populus . . . hinc usque Britannos
Cujus adest Folcwinus custos, Candidus, Abbas,
Tempore qui longo salvus sit carus adepto,
Et multis annis tranquilla pace fruatur.
Possideat sine fine nova & nova gaudia vita, &c.
Quin potius cunctos dimittens ore Pelasgos,
Totum se versat Gallum cantare beatum,
Gallum inquam Domini, sanctum & pietate benignum,
Cujus amore quidem cupimus nos scribere quædam.
Sed tu blanda manu hæc tu ne scindas Homere.
Quin etiam magnas magnis concede Magistris :
Ac parvus parvis noli ai da carminis odas.

EXPLICIT.

ADNOTATIO.

IN bibliotheca sancti Galli libellus, cujus fragmenta mox retulimus, extat cum hoc titulo : Orditur epistola Ermenrics Episcopi ad domnum Grimoldum Abbatem et Archicapellanum. *Codex auctoris ætate scriptus est, id est ab annis octingentis : quo tempore sancti Galli monasterio præerat Grimoldus, qui illius cœnobii regimen iniit anno* DCCCXLI, *teste Ekkehardo. Libelli titulus primaria manu exaratus est præter nomen* Episcopi, *secundaria, sed antiqua manu adscriptum. Ermenricus hic fuit monachus Augiensis, alius ab Ermenrico monacho Elewangensi, de quo nos alias. Porro ex his fragmentis inter alia intelligimus, Walafredum Augiensem Abbatem, cujus mors in annum* DCCCXLIX *ex Hepidanno & Hermanno incidit, obiisse in legatione, quam jussu Ludovici Germaniæ Regis ad Carolum ejus fratrem, cognomento Calvum, susceperat. In prædicto codice deest libellus, quem* de inceptione *monasterii Augiensis,* & de vita *ejusdem loci monachorum à se scriptum Ermenricus sub finem superiorum fragmentorum dixit.*

Homerus poëta, cujus mentio fit sub finem, est Grimuldus Magister, cui Walafridus Strabus carmen quoddam inscribit, de Grimaldo Magistro, *quem postea Homerum appellat his verbis :*

Quamvis subter agas Regum tabularia vitam,
Non te prætereo, specubuline latebis, Homare.
Novi namque Sicana tibi spelea placere,
Solus ubi mensis Musarum & amore fruaris.

Itaque alius fuit Homerus iste Angilberto Abbate Centulensi, cui hoc nomen adscriptum est : alius item à Grimaldo Archicapellano.

HEIRICI MONACHI VERSUS

Ad Hildeboldum Autisiodorensem Episcopum

In Collectanea sua.

HILDEBOLDE, tuæ requies & gloria plebis,
Magnus honore soli, major honore Dei:

Excipe dignanter quod porrigit ecce prudenter
Heiricus, capitis plenus amore tui.
Porgere parva pudet, cum maxima tu merearis:
Attamen ex minimis pendere magna doce.
Quique dat hoc modicum, jam plus tribuisse probatur:
Quodque est, quodque potest, is ibi nempe dedit.
Hic præceptorum sunt ludicra pulcra duorum.
Quis ego Præsulibus ingenium colui.
His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato,
Cùm quid ludendum tempus & hora daret.
Humanis alter, divinis calluit alter,
Excellit titulis clarus uterque suis.
Hæc ego cum notulas doctus tractare furaces,
Stringebam digitis arte favente citis.
Nec priùs illa mihi liquido disponere versu
Cura fuit, nisi nunc cùm tibi dando forent.
His violis animum, Pater, oblectare memento,
Cùm tibi curarum pondere pectus hiat.
His naturalem frontis vultusque nitorem
Accumula, quotiens lætior esse voles.
Hoc si tranquillo sumens dignabere vultu,
Mox comm...an gratiùs ardor erit.
Hæc Lupus, hæc nitido passim versabat in ore,
Compensans aptis singula temporibus.

Incipiunt Collectanea.

Ex libris Valerii Maximi memorabilium dictorum & factorum.

Sulpicio Sacerdoti inter sacrificandum lapsus apex de capite sacerdotium abstulit. Occentus soricis auditus Fabio M. dictaturam. Tarquinius Rex quondam, quòd librum secretorum civium cuidam scribendum dederat, culleo insitum in mare præcipitavit, &c.

Adnotationes.

Heiricus, *seu Hericus, Ericusve, natus est in agro Autissiodorensi, in vico ab ipsius nomine dicto* Hery, *duabus leucis infra urbem, ad fluvium Armentionem: qui locus hactenus Cœnobio S. Germani subjectus est. Puer (ut puto) eidem Monasterio traditus, Haimonem postea Halberstadensem Episcopum, & Lupum Abbatem Ferrariensem praeceptores habuit adolescens, uti ipse testatur in his versibus Hildeboldo Autissiodorensi Episcopo nuncupatis, qua præfatio est in Collectanea ex ore præceptorum suorum excerpta. Hæc Collectanea in codice Corbeiensi ante annos septingentos manu descripto cum vita S. Adalhardi Abbatis compacta reperiuntur. In his fragmenta referuntur primò ex Valerio Maximo, tum ex Patribus, Hieronymo, Augustino, Beda & aliis, cum exordio superiùs edito. Plura alia scripsit Hericus, nempe de vita S. Germani Episcopi Autissiodorensis carminum libros sex, quos Carolo Calvo jam Imperatori nuncupavit, cum libris duobus prosaicis de ejusdem Sancti miraculis, & sermone inedito de eodem. Gesta item Episcoporum Autissiodorensium, collaborantibus Rainogala & Alago Canonicis, ut patet ex cap. 39, ubi Hericus* Theosophus simul & Monachus *appellatur. Demque homilias in Evangelia composuit, teste autè in primis Honorio Augustodunensi in lib. 4. cap. 49, cui consentit Johannes Trithemius. Certè in homiliario, quod Paulus Diaconus jussu Caroli Magni adornavit, tres invenio Herici homilias, à posteris haud dubiè insertas, ut superiùs monui. Prima est in illud Johannis,* Cùm venerit Paraclitus, *&c. cujus initium,* Positus in cœna Dominus, *&c. Altera in illud Lucæ,* Cùm iret Jesus in Jerusalem, *&c. sic incipiens,* Itinera Domini & Salvatoris nostri, *&c. Tertia in illud Matthæi:* Nemo potest duobus dominis servire, *&c. præmisso hoc exordio:* Dominus ad hoc homo factus est, *&c. Ericum laudat Sigebertus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap.* 104.

Haldoini Abbatis Versus

Ad tumulum sancti Remigii.

Haldoinus, quondam Abba Monasterii Altivillarensis, hoc memoriale digessit XII videlicet versuum, si Episcopus Hincmarus voluisset, in circuitu scrinii, ubi sanctus Remigius transponendus erat, de transferendo corpore pretioso ejusdem Remigii à Karolo Rege pariterque præfato Hingmaro Præsule eo loco quo exstitit, quousque anno DCCCLXXXI, ob infestationem paganorum, occulto Dei judicio sinit se inde levari, & ultra Matronam ad usque Orbacis Monasterium nequiquam deportari pertulit, hymnizando exorsus est:

Doctor Francorum primus Pastorq; Remorum
Hoc recubat sacro Remigius tumulo.
Limina quem templi quondam tenuere sepultum,
Servantem Domini septa gregemque sui,
Extemplo ut populus hujus jam dogmate plenus
Concrevit, pariter crevit & ista domus:
Transtulit & Sanctum sublimi sede locavit,
Ceroeret ut plebem, plebs quoque fide Patrem.
Rex verùm Karolus Ludovici Cæsaris almus
Filius, ac Præsul Hincmar utique sacra
Tecta augent decorantque simul, bustoq; recondunt
Francorum magnum Pontificale decus.

Anno à Nativitate Domini DCCCLII, IIII Kal. Junii, regni verò Karoli XII, ordinatione quoque episcopatus Hincmari XIII, Indictione XV.

Adnotatio.

Monasterium *Altivillarense in agro Remensi, in primis celebratum est retrusione Gothescalci Monachi, qui Haldoino ejus loci Abbati, superiorum versuum conditori, commissus ab Hincmaro est. Hos versus Hincmarus tumulo sancti Remigii non apposuit, sed alios a se compositos.*

****

Theudoini Præpositi Catalaunensis Epistola

Ad Almannum Monachum Altivillarensem,

De scribenda vita sancti Memmii Episcopi Catalaunensis primi.

Dilectissimo fratri Almanno, Monacho professione, & per gratiam Dei Hiereo. Io lege

Domini die ac nocte meditari, non cedit incassum in oculis divinæ majestatis. Ideoque operæ pretium duxi tuam commonefacere caritatem, ut quoniam ab ineunte ætate in loco religioso nutritus, in hoc maximè operam dedisti, ut in nullo expers grammatos, etiam vel hoc proficeres, ut nullatenus esses imperitus graphidos, dimittas nemus Angitiæ, & totum te cum auxilio divino transferas in vineis Engaddi. Certè nosti & vineam Sorech; audisti & patrem-familias, qui exiit primo mane, & per divisas horas, tamen præfixas, conducere operarios in vineam suam. Re vera & in hoc mea sunt vota, ut vocatus vocatione secundum propositum Dei facta, etiam juxta pusillitatem alicujus igniculi tui laborare in Ecclesia Domini Sabaoth sine ulla interpolatione neque moreris, neque ulla dilatione graveris. Est enim nobis mors velocissima, licet sit nobis nimium sapientia * tanta. Ergo accelera in quibuscumque fultus præsidio veritatis, & in domo Domini aliquod vasculum [elabora.] Sunt enim in ea non solum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, in sancta videlicet Ecclesia, quæ juxta Prophetam Oseæ desponsata est tripliciter, primò ante legem in Abraham, secundò sub lege per Moysen, tertiò autem sub gratia, ipso Domino veniente, & in utero virginali carnem virgineam assumente, de qua processit, tamquam sponsus de thalamo suo. Didicisti etiam quòd cum bestiis agri & cum volatilibus cæli & cum reptilibus terræ disposuerit Dominus pactum inire; & quòd etiam per pastores Thecuæ consulat Dominus vineæ suæ. Atque ut manifestius fiat quod aimus, noveris quòd non absque occulta divinæ dispositionis providentia accidit, ablato mausoleo & aggere terræ semoto, perlustrasse nos beati Memmii sepulcrum in quadrangula & cæmentaria pretiosi corporis fossa: & hoc est factum jussu Regis Caroli anno ab Incarnatione Domini DCCCLXVIII, Indict. I, VIII Kal. Aprilis, quæ fuit quarta feria ante mediam Quadragesimam: ejusque sanctum sepulcrum est inventum minimè ex ulla parte hærere ad terram; sed virtute omnipotentis Dei, apud quem merita tanti patroni refulgent, in ipsa fossa veluti libratum in aëra pendere quatuor digitis à terra. quo miraculo stupefacta mortalium corda depromunt dicentes: O quàm magno pietatis studio cælesti vitæ se conformem reddidit, dum vixit in terra, cujus nunc tanta est gloria in cælo, ut ejus sepulcrum, nedum corpus tangere, indignam se fateatur terra. Ejus sanctissimi viri vitam à tua devotione quærimus innovandam: quæ diuturna vetustate & negligentia, velut in pittacis, habetur pæne consumta. Ergo age, pro viribus nostræ petitioni favens esto: quatenus de tanto intercessore ad perpetuam salutem possis in cælo gaudere.

* f. tarda.



ALMANNI RESCRIPTUM

Ad THEUDOINUM Præpositum.

VEnerabili præposito THEUDOINO, ALMANNUS peccator. Præcipis mihi caritate cælitus infusa cordibus electorum per Spiritum-sanctum qui datus est nobis, ut vitam sancti Memmii Catalaunensis primi Pontificis, vetustate neglectam & imperitiâ corruptam, haud secus ac si ex cineribus effossam, innovare contendam peritiâ corrigam; & quidquid videtur deesse, moliar supplere studio veritatis impressus. Sed multa sunt, quibus facilè tanto me possum excusare negotio. Primum, quòd disputatio neoterica non congruit tantæ gravitatis & sanctitatis viro. Secundum, quòd ipse testis ignorantiæ meæ, nullius testimonio nititur conscientia mea, ut me profitear sapientem, cùm sim insipiens. ideoque minus convenit, ut præsumam ultra vires aggredi negotium. Tertium & maximum illud est, quod peccatorum meorum luctuosa recordatio, dum pro debito delictorum meorum me soli delegit amaritudini, terribilem mihi timorem incutit, illius gesta pangere stilo, cujus prædicationis apostolicæ & sanctissimæ religionis numquam me, prô dolor! participem imitatoremque exhibui. Fateor ergo, debetur hoc opus vitæ merito, & caritatis scientia sapienti, non mihi per omnia insipienti, ne mihi veniat illa vox justæ severitatis, quæ dicat: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis nomen meum per os tuum?* Psal. 49.
Sed quia te precante caritas jubet, te hortante Christus imperat; quantulumcumque nostrum fuerit munusculum, non subterfugiam, quin quod Dominus dederit, pandam. Novi etenim quod dicitur, *Aperi os tuum, & implebo illud.* &, *Operare terram tuam, & satiaberis panibus.* Nec quæram altitudinem verborum, cùm minimè unquam illam attigerim: sed & simplex habens ab antiquitate materiam, verbis quidem simplicem, sed factis limpidius sole lucentem, & omnem mundanæ molis machinam potentiâ sui & virtute divina transcendentem; & ipse velut potero, sequens ero, suffragium à vestris orationibus quærens, ut à quatuor ventis veniens spiritus mortua ossa mea vivificet. & me talem facere dignetur, à quo non exigat debita usque ad novissimum quadrantem, quin potiùs deleat & dimittat omnia delicta mea usque ad novissimum quadrantem. In quo S. Memmius nobis pius intercessor existat, cui devotionis nostræ servitium offerre conamur, licèt exiguum, tamen quantum nostræ parvitatis igniculus & veritatis materia cum auxilio divino contulit nobis. Atque in hoc communi opusculo tuum erit eligere quem sortiamur judicem. Etenim cùm in omnibus rebus sit utilis probatio, Apostolo dicente, *Omnia probate, quæ bona sunt tenete*; maximè in his necessaria habentur, quæ veritatis lucem justæ examinationis efficacia spectant; & hoc vel solum maximum est, cur expectamus judicium sapientiæ. Etenim ipsas Grammaticæ cautelas, quibus à barbarismo aut solœcismo censet ipsa cavendum, aut nihil aut parum curamus in hujus rei moderatione: cùm quærentur veritas, & debeat fatescere vanitas, & optemus fugere contrarium, cùm insistamus gravitati * pro viribus mentis. Neque hoc dicimus, ut Grammaticam reputemus in vitio, cùm sit ipsa sola, vel maxima virtus scientiæ: sed quia veritati operam dantibus obscurantur alia, velut à sole sidera. Unde dictum est; Tenebras non amabo, cùm solem videro. Denique quantam in hoc patiar verecundiam, effari aut vix, aut minimè possum, veritus ne fiam fabula sapientibus, qui in hac re volui consulere legentibus: ubi succurreret modestiæ latebra, si fieri posset, ut absque exaratoris nomine maneret scriptura in opere. Et hæc arbitrio tuo pariter derelinquo. Potens est enim Deus auferre opprobrium nostrum, quod & faciet, ut in misericordia ejus veraciter confidimus, intercedente B. Memmio, qui nos exlitus oculis respicit benignis; te per devotionem mentis hortantem, me pro debita fidelitate & capacitate cordis scribentem. Opto itaque vobis hujus facti non modicam manere mercedem: cui cùm omnia debeam, tam arduam rem negare non potui. Opto vos quàm bene valere, & esse felicem usque ad superoæ gloriæ contemplationem.

Id. 80. Prov. 12. 11.

1. Thess. 5. 21.

* l. veritati.

ADNOTATIONES

ADNOTATIONES.

Quantum utilitatis reipublicæ, non solùm Christianæ, sed etiam litterariæ, ex actis Sanctorum accedat, argumento est inprimis Dagoberti Austrasiorum Regis in regnum restitutio, non aliunde asserta, quam ex auctoribus, qui Sanctorum gesta in litteras retulerunt. Hæc enim Dagoberti restitutio, quem mortuo Sigiberto Patre in Hiberniam jussu Grimoaldi relegatum fuisse, nulla reversionis mentione facta, memorant veteres Francorum Annales, duobus primùm probata est testimoniis, quorum unum suppeditavit liber de vita sanctæ Salabergæ Abbatissæ Laudunensis; alterum Willelmus Malmesburiensis Monachus in actis sancti Wilfridi Eboracensis Episcopi. His duobus postea tertium accessit ex vita sancti Memmii Catalaunensis Pontificis primi: ac demum alia duo ex Fridegodo Poeta & Eadmero Monacho in actis sancti Wilfridi superiùs laudati: quos duos auctores in tertio Sæculo Benedictino publici juris feci.

Quis auctor veterem illum libellum de vita sancti Memmii scripserit, incertum est. Almannus quidem, Altivillarensis prope Remos Monachus, rogatu Theudoini Præpositi Catalaunensis veterem ac propè detritam de sancto Memmio scriptionem novo stilo scribere aggressus est sub annum DCCC LXVIII*, quo anno, teste Theudoini epistola præmissa, sancti Memmii corporis illatio seu elevatio facta est. At non videtur is esse auctor istius Memmianæ vitæ, ex qua pro Dagoberti restitutione argumentum desumtum est. Nam in codice Catalaunensis ecclesiæ, post duas superiores epistolas quas inde exscriptas habuimus, intercisis foliis non paucis habetur liber de vita sancti Memmii, qui in Galliam a sancto Clemente missus scribitur. Eadem, ut puto, Vita legitur in ms. codice Altivillarensi, incipiens ab his verbis:* Igitur cùm beatus Clemens discipulus ad diversas provincias, &c. *quo in codice nulla mentio de Regis Dagoberti restitutione. At verò in exemplari Herovalliano, ex quo V. Cl. Adrianus Valesius tertium argumentum pro sententia sua de restituto Dagoberto accepit, sancti Memmii in Gallias missio per sanctum Petrum facta dicitur. Hinc persuasum habeo, Altivillarensis codicis scriptionem de sancto Memmio tribuendam esse Almanno ejusdem Cœnobii Monacho, qui Memmii missionem sancto Clementi potiùs, quam sancto Petro adscribendam esse judicavit. Qua in re veterem correxit auctorem, qui paullo post restitutum Dagoberto regnum scripsit, ut satis indicat agendo de ipso Dagoberto, his verbis:* Postquàm tantis effulsit virtutibus & miraculis Deus per servos suos claruitque, novissimo tempore in anno secundo sub imperio Dagoberti Regis, (ipse est qui post longam pressuram reversus est ad propria regna) in mense quinto, in quinta die mensis, secundâ vigiliâ noctis, cùm ei nocturnos fratres celebrantes adstarent, &c. *Hæc verba auctorem ejus temporis æqualem fuisse designant, non Almannum Monachum, qui annis ducentis ad principatu Dagoberti remotus fuit. Alterius proinde libelli scriptor est Almannus, cujus in Necrologio Altivillarensi nulla istius operis mentio disertè fiat ad diem 22 Julii, quo die ejus obitus ita consignatur:* Commemoratio domni Almanni nostræ Congregationis Monachi, qui Franciam suo tempore à Normannis devastatam exemplo Hieremiæ quadruplici planxit alphabeto. Scripsit etiam vitas sanctorum Nivardi Archiepiscopi Remensis, Syndulfi Presbyteri solitarii, beatæ Helenæ Imperatricis, ejusdemque corporis ab urbe Roma ad Monasterium Altivillarense translationem, & alia opera.



ANGILBERTI ABBATIS CORBEIENSIS VERSUS

Ad LUDOVICUM Regem Francorum, CAROLOMANI fratrem,

In Librum S. AUGUSTINI de Doctrina Christiana *eidem Regi dono missum.*

Hic Augustini Aurelii pia dogmata fulgent,
　Quæ de doctrina edidit almifica.
Hæc tibi multa docent, Lector, quod quæris honestè,
　Si replicare cupis scripta sacrata libri.
Hujus enim corpus parvum quod cernitur esse,
　Continet insertos quattuor ecce libros.
Primus enim narrat Christi præcepta tenere,
　Quæ servare Deus jussit in orbe pius:
Rebus uti sæcli insinuans præsentibus aptè,
　Æternisque frui rite docet nimiùm.
Edocet & signis variis, rebusque secundus,
　Qualiter aut quomodo noscere signa queant.
Tertius ex hisdem signis verbisque nitescit,
　Quid sint, quid valeant, quæve vitanda canit.
Tunc promit quartus librorum dicta priorum,
　Quid res, quid signa, quid pia verba docent.
Qualiter & possint cuncta intellecta referre,
　Magno sermone intonat ipse liber,
Summissè, pariter moderatè, granditer atque.
　Lector, perlecta dic, Miserere Deus.
Hunc Abbas humilis jussit fabricare libellum
　ANGILBERTUS enim vilis & exiguus:
Quem daret ille pio cælesti numine fulto
　HLODOÏCO Regi, qui est pius atque humilis,
Qui sanctæ sophiæ certat rimare secreta,
　Nobilis ingenio, nocte dieque simul.
Quique etiam domini ac fratris præclarus amator
　Ingenti dictu permanet ore pio.
Quem Deus omnipotens multos feliciter annos
　Glorificet, servet, diligat, ornet, amet.

Et in fine.

Hæc perlecta pii lector doctrina Patroni,
In primis Domino totam qui condidit orbem,
Devotè laudes jugiter persunde benignas.
Qui mare fundavit, cælum, terramque creavit,
Omnia qui numero, mensura ac pondere clausit.
Per quem cuncta manent, vel per quem cuncta manebunt,
Quæ sunt, quæ fuerant, fuerint, vel quæque futura.
Ipso iterum magnas Domino persundito grates.
Pro tali ac tanto, casto, doctoque magistro;
Ordine sub digno scripsit qui talia nobis.
CHLODOVICI Regis precibus memorare benignis,
Nomine qui est dignus divino ac munere fretus,
Laudibus almificis ingenti & mole coruscans.
Cui Deus omnipotens multos feliciter annos
Hic piè concedat felicia regna tenere.
Cum quo conjugium, prolem, cunctosque fideles
Dignetur regere cælorum Rector ab axe,
Et post hunc cursum cælestia scandere regna, &c.

ADNOTATIO.

Horum versuum priores existant initio posteriores in fine librorum S. Augustini de Doctrina Christiana in codice Corbeiensi, quem Angilbertus seu Engilbertus ejusdem loci Abbas in gratiam Ludovici Francorum Regis describi curavit anno DCCCLXXX *aut insequente. Id sive praestiterit Angilbertus rogatu Principis, sive eo inconsulto; arguit sanè Ludovicum in sacras litteras rectè affectum fuisse, cui non aliud magis gratum munus, quam hosce S. Augustini libros Angilbertus fore existimavit. Ubi observare convenit, lectionem sacram priscis Francorum Regibus aliquando familiarem fuisse. Hinc Adalbero Laudunensis Episcopus Rotbertum Regem hortatur ad legendos Augustini, Dionysii dicti Areopagitae, & Gregorii Magni libros.*



NOMINA MONASTRIEORUM,

Cum quibus Societatem habuit sæculo IX Augiense.

INsula; monasterium S. Galli, Favarias, Desertina, Tuberia, Leonis; Nonantula, Altaha inferius, Mansee, *Salzburc*; Matachseo, Metama, Chaminceseo, *Hasareod*, Fiuchwanga, Fulta, Magnus-locus, Chambituna, *Morbach*, *Wizzanburc*, *Etinbein*, Offinwilare; *Kenginbach*, Suenzaha, Chlingo, S. Nazarii, S. Gregorii, Hasala, *Saraburc*, *Eburetheim*, Novumwilare, Gamundias, Prumia; Colticas, Flaviniaco, Senonicas, Mediano, Gorzia, Buxbrunno, Rarbacis, Crux sancta, Gemedico, S. Germani, item S. Germani, S. Michaëlis, S. Dionysii, S. Drudonis, S. Medardi, Mons-viridis, Mauri, S. Vedasti, *Hornbach*, S. Antimi, Duelli, &c,

S. Antimi Boso Abba, &c.

Prumiensis Ingramnus Abbas. Heberhartus Abba. Hiltericus Abba. Stephanus Abba.

Johannes Graecus Placentinae civitatis Episcopus. Duelli domnus Abba Waldfredus. (*sepultus in arce in opinione sanctitatis.*)

Ex coenobio Fareosi (*in Helvetia, ubi nunc Confessarius ex Einsidla*) Rodhildis Abbatissa & Monacha.

Nomina sororum de Turego, Hiltigart Abbatissa. Joseph Episcopus & Abba.

Ex coenobio Favariensi, Andomar Abbas, werdo Abbas, Crespio Abba.

Ex monasterio quod dicitur Desertinas, Ursicini Episcopus.

Ex monasterio quod vocatur Tuberis, Domni Abbas, Vigilius Abbas.

Ex monasterio Leonis, domnus Abbas Magus.

De monasterio Nonantula Petrus Abbas, Atto, Corvulus, Felix, Benedictus, Aripertus.

De monasterio Altaha Urolfus Abba, Otkarius Abba.

Ex monasterio Manhinsio Hunrih Abba.

Ex monasterio Matachseo Johannes Abbas, Notingus Episcopus.

Ex monasterio Metama Utto Abbas.

Ex monasterio Chaminceseo Liutfridus Abbas.

Ex monasterio Fiutwanga Gozbertus Abbas.

Ex monasterio Fulta Baugolf Abbas.

Ex monasterio quod vocatur Magnus-locus *, Bertegillus monachus, Garimundus, &c.

* apud Arvernos.

Ex monasterio Chambituna * Theobun, Auulo. * *al.* Campidona.

Ex monasterio Morbacensi Sigimiar Abba.

Ex monasterio *Weissemburc* Justulfus Episcopus, Gerhoh Abbas, Bernarius Episcopus & Abbas.

Ex monasterio *Etinheim* Uto Episcopus vel Abba.

Ex monasterio Offimwillare domnus Abbas Beretrik, Wenibertus Abba, Madalbertus Abba, Petrus Abba.

Ex monasterio *Keginbach* Germund-Abba.

Ex monasterio Swarzaha Job Abbas, Agoaldus Abbas, Lupus Abbas, Dato Episcopus, Bruningus Abbas, Albrichus Abbas, Ebroïnus Abbas, Walto Abbas.

Ex monasterio quod Clingo vocatur, sive *Plidinfeld*, Fleido Episcopus & Abba.

Ex monasterio Luxovio Dedanus Abba.

Ex monasterio S. Nazarii, quod *Laurethaim* vocatur, Adalunch Abbas.

Ex monasterio S. Gregorii * Raspuino Abba, Peretolt Abba. * Alsatiæ.

Ex monasterio Hasala Victor Abbas.

Ex monasterio *Saraburc* Hildimundus Abba.

Ex monasterio *Eburesheim* Theotbaldus Abbas.

Ex monasterio Novovillari Ratramnus Abbas.

Ex monast. Flaviniacensi Sarulfus, Stagnatius &c.

Ex monasterio *Mosabat* Grimoldus Abba, Henricus Rex, Mathildis Regina, Otto Rex.

Ex monasterio Senonicas * Boniceolo Abba. * *Sonones.*

Ex monasterio Mediano * Sundarberto Abba. * *Moyenmoutier.*

Ex monasterio Gorzia Optarius Abba.

Ex monasterio Bucsbrunno Rabigaudus Abbas.

Ex monasterio Rasbacis * Godobertus Abba. * *Resbay.*

Ex monasterio quod Crux-sancta * nominatur, Wlframno Episcopus. * nunc S. Faronis Meldis.

Ex monasterio Gemedico * Druntegangus Abbas. * *Jumiege.*

Ex monasterio S. Germani Lantfridus Abbas.

Ex monasterio item S. Germani Burgoaldus Abba, Irmino Abbas.

Ex monasterio S. Michaëlis seu Montis-Viridis Gundrichu Abbas, Dadlacd Episcopus.

Ex monasterio S. Bibisoi Bonetus Diaconus.

Ex monasterio quod Mauri-monasterium vocatur, Hartricus Episcopus.

Ex monasterio Scbina Kerhelmus Abbas, Adalram Abbas, Hetti Abbas.

Ex monasterio *Hornbac* Amalhart Abba, Wirundus Abba.

In monasterio Karoffensi Guntbaldus Abbas.

Ex Cella S. Dionysii, ubi confessor Christi Hilarius quiescit humatus, Hilduinus Abba, Adroldus Abba, Chludowicus Abba.

Canonici S. Stephani Protomartyris, Agobardus Archiepiscopus, Florus, Rodradus Abba. Canonicorum S. Justi, Agenius Episcopus. Canonicorum S. Georgii, Mutuinus Abba. Canonicorum S. Pauli, Audinus Corepiscopus.

Ex monasterio S. Martini Insulae-barbarae Bartholomaeus Abba.

Ex monasterio S. Ragneberti, Stephanus Abba.

Ex monasterio S. Petri * Puellaris Deidona Abbatissa. * Lugduni.

Ex monasterio quod vocatur Nova, Austreberga, &c.

Ex monasterio Uttimbura Milo Abba.

Ex monasterio sancti Faustini Brixiae Georgius, Aistulfus, &c.

Ex Monasterio Crux sancti Audoëni Purchartus Abba.

Ex monasterio *Eleenwang* Adalram.

Ex monast. quod vocatur Leones, Badulfus Abba.

Ex monasterio Corbeïa domnus Abba Wala, Rigramnus. *Leguntur duo Ratberti, nullus Ratramnus.*

* Malamo.
* Beja.
* apud Lingones.

Ex monasterio Melundis * Epelenus Abba.
Ex monasterio Fontilbeliu * Seraphin Abba.
Nomina fratrum de *Fresigingun* Ercambertus Episcopus. Herolf Ghorepiscopus, Atto Episcopus. Sigharth Chorepiscopus.
Nomina Canonicorum ex Divione castro, Agenus præpositus, &c.
Ex sanctis Geminis * nomina Canonicorum, Oltolgerio præpositus.
Nomina ancillarum Dei de cœnobio S. Stephani.

Ex Necrologio Augiensi.

VI Kal. Januarii Walto Abbas.
XIII Kal. Februarii Ludovicus Rex.
XIS Kal. Liuthard Abba.
VS Kal. Adalhelmus Episcopus, *is scilicet, de quo in acrosticho Wettini, Saculi 4 parte 1 pag. 281.*
V Kal. Karolus Imperator.
II Kal. Hemma Regina.
III. Non. Februarii Adilbertus Abbas nostræ Congregationis [de Campania, *manu recentiori.*
V Idus Johannes Episcopus.
II Idus Utole Magister.
Idus Erlebaldus Abbas.
XIII Kal. Martii Liutpertus Archiepiscopus.
VIIII Kal. Petrus Abbas.

ADNOTATIO.

Superiorem indicem Societatum Augiensis monasterii hic edimus ob quosdam seculi IX ignotos Abbates, qui in eo memorantur. Viros tantùm dignitate insignes descripsimus, non privatos. qualis est Moininus inter Canonicos ecclesiæ sancti Georgii Lugduensis, is qui postea (ni fallor) creatus est Episcopus Æduensis: ut ne quid dicam de Floro, aliisque. An HAMALART *Abbas Hornbacensis superiùs laudatus idem est cum Amalhario scriptore notissimo, qui nonnumquam Abbas apud veteres appellatur? Quidquid sit, hic Societatum Augiensium liber scriptus est sub Erlebaldo Abbate Augiensi sub annum* DCCCXV. *Alia diversorum Germaniæ monasteriorum Kalendaria seu Necrologia hic omittimus, ne simul congesta ejusmodi minutia tadio sint Lectori.*

CAROLI CRASSI IMP.

Commemoratio apud Augienses instituta à CADOLDO Episcopo Novariensi.

CUm domnus KAROLUS, serenissimus tertius Imperator Augustus, omnibus in se fidentibus ineffabili benignitate copiam suæ largitatis exhiberet; mihi quoque, quamvis immerito & indigno, CHADOLTO Episcopo consuetam benignitatem hilari ac promptissimo animo manifestare dignatus est. Qui me non dico pro aliquo meæ religioois studio, sed pro suæ sanctitatis desiderio de Auva monasterio more antecessorum suorum tulit, & in suum servitium coaptavit, ac sanctæ Novariensi ecclesiæ pastorem atque pontificem constituit. Deinde fratre meo interveniente, videlicet LIUTHWARDO Archicapellano, curtem suam, quæ vocatur Erichinga, placida ac benignissima mente in proprietatem concessit. Postea cœpi flagitare pissimum supradictum Principem, suffragante fratre meo prænominato Episcopo, ut eamdem curtem ad præfatum monasterium, ubi ego ipse ab ipsis educatus fui cunabulis, pro suæ mercedis augmento per sui præcepti firmitatem post obitum meum in proprietatem concederet. At ipse benignissimus Princeps in hoc etiam nostræ satisfaciens petitioni, per sui præcepti firmitatem eidem sancto loco confestim supradictam casam jure perpetuo confirmari decrevit. Cumque hæc & alia multa bona à pissimo percepissem Imperatore, tantæ benignitatis non immemor, cœpi pensare cum Abbate præfati monasterii & cum cæteris fratribus in Capitulo simul conjunctis, qualiter singulis annis memoria tam benigni Imperatoris perpetualiter continua perseveraret. At illi unanimiter libenti ac benigno animo suscipientes, hæc ita per omnia sibi placere, & opere adimpleri velle confessi sunt. Tunc demum inter nos disposuimus, ut singulis annis uno die à prænominata curte in commune cunctis fratribus cum omni abundantia plenum servitium pro anima Imperatoris perficeretur, & eadem die pro illius amore in refectorio plena caritate hilares atque gaudentes efficerentur: & illo ipso die omnes Presbyteri intenta mente ac benignissima voluntate Missam suam cum oblationibus decantarent: ceteri autem fratres cuncti pariter intenta mente singuli pro Imperatore XXX Psalmos adimplere studerent, & hæc commemoratio fiat in die consecrationis suæ, id est Epiphaniarum die. Post obitum verò Augusti volumus atque disposuimus, ut in illo Kalendario obitus illius omni tempore, de anno in annum, in ipso anniversarii die prædictum servitium in commune fratribus fiat, ac præfatæ commemorationis orationes pro anima illius proculdubio perficiantur. Statuimus etiam in eodem conventu, ut ego & frater meus, videlicet Liutwardus Episcopus, pro bonæ voluntatis studio aliquam commemorationis mercedem reciperemus: ac disposuimus ut post obitum meum in ipso Kal. obitus mei singulis annis dies anniversarius omni tempore celebretur, & ab eadem curte nostra Erichenga fratribus in commune plenum servitium, sicut prædiximus, cum omni abundantia pro nostra anima perficiatur; & eodem die etiam in refectorio pro amore nostri nominis plena caritate gaudeant: & illa ipsa die, sicut supra memoriam nostri senioris facere prædiximus, ita etiam nostri commemorationem intenta mente facere non prætermittant: id est Presbyteri omnes Missam unam cum oblationibus decantent, ceteri autem fratres illa die universi XXX Psalmos adimpleant. Ipsum verò prædictum servitium in illius Abbatis cura singulis annis constituatur, qui tunc temporis monasterio præesse, & eamdem causam in sua potestate habere videtur. Ideoque hanc conscriptionis commemorationem facere disposuimus, ut hæc convenientia firma ac stabilis & intemerata perpetualiter omni tempore perseveret, & eamdem convenientiam in illorum Regula conscribi rogavimus, ut tam senes quàm juvenes, tam præsentes quàm sequenti tempore venientes, ibidem aspicere valeant, & opere adimplere non prætermittant. Et hos omnes rogo atque conjuro per Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, ut supradicta convenientia nullo umquam tempore oblivioni tradatur; sed singulis annis, ut dictum est, pleniter perficiatur: & si per cujuscumque negligentiam aliquid inde imperfectum (quod absit) remaneat, ante tribunal Christi rationem reddat.

****

ELIÆ EPISCOPI JEROSOLYMITANI EPISTOLA ENCYCLICA,

Qua Malacenum Episcopum sociosque ejus, à Saracenis malè habitos, commendat.

TEmpus adjutorii, confugite: tempus compassionis, non delaboretis. Inclinate ad me obsecro mentem vestram, & cum compunctione verbis meis intendite, dicente Domino, *Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est.* Qui propter misericordiam ex virgine Maria sine semine viri incarnari pro nobis immutabiliter dignatus est. qui cùm dives sit & omnipotens, permanendo quod est Deus, nostra paupertate absque peccato pauper factus est, ut nos sua ditaret bonitate: & qui ipse dives existens, pauper factus est pro nobis, ut nos divites existentes in peccatis pauperescamus spiritu, ut simus compartícipes bonorum ejus qui dicit: *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere; in carcere, & visitastis me*, & maxime super præsenti negotio. Scitis enim multi, & maxime qui aliquando detenti ab impiis inimicis, barbarorum dico, scilicet eorum ab invicem tribulationum ferri durissima onera & contritiones, famem, sitim, nuditatem, tribulationem scilicet, & qui ex carne generantur vermes, & quæ ab inimicis mittebantur minas, & fremitus, plagas, & crudelem mortem; & hæc omnia justè eveniunt pro peccatis nostris. Hi autem qui in requie & desiata vivunt, non facientes Christi mandata, hoc tradit impiis ad mortem, sicut multos invenimus bonos detentos ab impiis. verumtamen & ipsi pro peccatis nostris, ut & nostris temporibus accidit. Evenit autem mihi, fratres carissimi, MALACENUS Episcopus sedis sancti Basilii in regione Iberorum. Ipse verò Malacenus habebat secum quinquaginta Fratres monachos. Subveniente quidem gente, qui vocantur Turci, in Iberorum regione, devenit in Monasterio quod detenebatur ab eodem Malaceno Episcopo, & ceciderunt eum, & interemperunt de prædictis Fratribus viginti, eo quòd non potuerunt cogi, ut calcarentur ab illis armatura pretiosæ & vivificatricis crucis: ceteros autem triginta cum eodem Malaceno Episcopo deligantes, sub omni custodia ferreo vinculo, deduxerunt eos in Turciam. Viri autem philochristi currentes congregaverunt Byzanteos centum viginti, & eos tradiderunt ad Primate millius spurè argentis, & eripuerunt ipsum Malacenum Episcopum, & alterum cum illo: alii autem usque nunc detinentur à Turcis. Hic Malacenus Episcopus liberatus ab illis, curam gessit de aliorum ereptione, dicens ad semetipsum, quia non dabo somnum oculis meis, nec palpebris meis dormitationem, donec & alios qui mecum fuerunt, Deo auxiliante, liberem de tenebrosa illa gente. Ego verò peccator HELIAS Hierosolymitanus Papa hunc suscepi flentem & lugentem, in his quæ ei acciderunt cunlugi * & nihil quidem habens quod ei darem, dedi illi hanc consolationem scripturæ, eo quod esset tardiloquus, magis verò & alterius linguæ. Unde obsecro omnes, si & per totum estis imitatores Christi, Episcopi, Presbyteri Diaconi, Egomeni, Reges, Comites, & universus orthodoxus populus Christianus, super quos invocatur nomen Jesu-Christi Domini nostri, ut concurratis, & viscera misericordiæ super eum effundatis, & ex his quæ ei Dominus largitus est, unusquisque singulus benigna conscientia tribuat ei, ut abiens liberet animas aliquando liberas, non verò detentas ab impiis inimicis. Fiet omnimodis speramus quæ damus illi, quoniam suscipere habemus eam in die illo in novissima tuba, in qua omnes è pulvere in voce Archangeli suscitabit, reddens unicuique secundum opera ejus, maxime misericordes. Ipse enim Dominus dicit de his qui cum fratribus suis in nomine ejus misericordiam faciunt: *Amen amen dico vobis, quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Sitque Dominus Deus cum omnibus vobis, amen.

* conlaxi

BENEDICTI PAPÆ IV. EPISTOLA ENCYCLICA

Ejusdem argumenti.

BENEDICTUS servus servorum Dei, omnibus reverentissimis & sanctissimis Episcopis seu Archiepiscopis, necnon Abbatibus atque Comitibus, seu Judicibus, verùm etiam & universis orthodoxis Christianæ Fidei cultoribus. Sanctitati seu omnium Christianorum religiositatibus notum esse volumus, quia iste præsens MALACENUS venerabilis Episcopus Hierosolymitanæ ecclesiæ, unà cum suis fidelibus à Sarracenorum gentibus à sua ecclesia deprædatus est, & etiam quidam de suis hominibus ab ipsa nefandissima gente Sarracenorum occisi sunt, pro eo quod fidem illorum minime celebrare voluerunt. Hic itaque Malacenus reverentissimus Episcopus cùm ab ipsis Sarracenis deprædatus est, à quibusdam Christianis Deum timentibus comparatus est, & alii triginta Christiani, qui cum eo deprædati sunt, ab eisdem Sarracenis in custodia retinentur. Unde mandamus, ut pro Dei omnipotentis amore, in quantum virtutis Dominus vobis donaverit, adjutorium illis faciatis, & liceat illis quietè & absque cujuscumque oppressione salvos pergere, & de civitate in civitatem per vestrum auxilium & adjutorium salvi existant, ut nullus homo eos deprædare, aut aliquod malum facere audeat: sed pro amore Dei & reverentia beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli ad cujus limina isti pervenerunt, benigne eos suscipiatis, & de civitate in civitatem salvos eos transmittite, & hospitium eis præparate. Credimus enim quia omnia, quicquid in eis bonorum feceritis, ab ipso creatore omnium Deo vobis retribuetur, & mercedem exinde habebitis.

ADNOTATIO.

S*Uperiores duæ epistolæ vulgo Anastasii de Romanis Pontificibus libro in mſ. codice Ecclesiæ Laudunensis mendosissimo subjiciuntur. Non dubium, quin prima sit Eliæ eo nomine tertii Jerosolymitani Episcopi, cujus alia epistola exstat in Spicilegii Acheriani tomo 2 ad Carolum Crassum, qua suppetias petit ad instaurandas ecclesias suas, cujus rei causa vasa sacra oppignoraverat. Hinc meritò paupertatem suam hac in epistola causatur, quo minùs opitulari valeat Malaceno Episcopo* ex sede S. Basilii regionis Iberorum. *Mendum irrepsit in epistolam Johannis Papæ, ubi Malacenus* Episcopus Jerosolymitanæ ecclesiæ *appellatur. Elia* alterius linguæ *dicitur. Duo sunt Iberorum populi, unus in Perside, alteri in Helenoponto. De illis ita Procopius in lib.* 1. Iberi qui Asiam incolunt, ad Caspias portas, ipsis ad Boream positas,

habitant. quibus ad lævam versùs occidentem solem Lazica regio jacet ad dextram, Orientem versùs, Persarum gentes, &c. *De Iberis Helenopontı mentio fit in vita S. Eutychii Patriarchæ CP. Horum Episcopus fuit Malacenus* in sede sancti Basilei, *id est Amasea in Cappadocia, quæ urbs Helenoponti metropolis est sub Patriarcha CP. Sancti Basilei istius Episcopi & martyris acta lege sis ad diem 26 Aprilis Bollandiani. Alius fuit Johannes Malacenus laudatus in vita S. Niconis.*

****

MANTIONIS EPISCOPI CATALAUNENSIS EPISTOLA

Ad FULCONEM Remensem Archiepiscopum.

De quodam Presbytero, qui uxorem ducere tentaverat.

DOmino Patri FULCONI venerabili Archiepiscopo, & omnibus Episcopis ejus suffraganeis, & cuncto clero eorum, Presbyteris, Diaconibus, & cunctis Ordinibus, tam Canonicis, quàm & Monachis, MANTIO humilis Catalaunicus Episcopus, fidele obsequium & devotas orationes. Notum sanctimoniæ vestræ facimus, quia Presbyter quidam, nomine ANGELRICUS, de villa *Wasnau* de ecclesia sancti Lupi, venit ante presentiam nostram coram Synodo nostra, Catalaunis Nonis Maii habita, & convictus proprio est ore confessus, qualiter cum parœchianis suis desponderit vel desponsiverit quamdam feminam, nomine GRIMMAM, consentientibus propinquis ejus, quam cùm ducere cum illis pergeret, respectu clementiæ Dei restiterunt nequissimo conatui ejus boni & pii fidelesque homines alii. Quam actionem cum diu omnes pariter doleremus, contulimus super hoc nihil deliberare, priusquam ad vestram paternitatem per eumdem Presbyterum scriberemus, supplicantes utrum quid nobis agendum foret, nec correptione ulcisci malam præsumptionem, quam per vos quærimus insinuandam. Omnes ergo nos sanctam paternitatem vestram oramus, ut eumdem Fratrem has litteras ferentem in Domino humane suscipiatis, & per eum litteris desiderabilibus vestris insipientiam nostram instruatis, & qualiter hæc præsumptio ab Ecclesia pellatur, sollicitè perpendatis. Constitit itaque inter nos à nostro seorsum esse collegio, quousque vestro consolemur rescripto. Valete, pro nobis obsecramus orantes.

ADNOTATIO.

HÆc epistola Mantionis Catalaunorum Episcopi, de quo Frodoardus in historia Remensi lib. 4. cap. 2, eruta est ex ms codice cœnobii sancti Remigii apud Remos. Hoc primum est, quod quidem legerim, Presbyteri conjugem ducentis exemplum. Res nefanda & abnormis, contra Canones, contra Ecclesiæ etiam Græcæ disciplinam. Confer epistolam 218. Ivonis Episcopi Carnotensis.

83

GERARDI MONACHI PROLOGUS

Ad HUGONEM Rotomagensem Archiepiscopum.

In Vitam sancti Romani Episcopi.

GERARDUS, gratia Dei venerabilis Pater Cœnobitarum, Domno HUGONI Rotomagensis urbis Archiepiscopo, & omni collegio ibi Deo militanti, prosperum vitæ præsentis successum, atque indelebilis felicitatis bravium. Noverit benivolentiæ vestræ sagacitas de Vita sancti Romani vestri Patroni, pro qua humilima memet exorastis prece, quoniam pactum quod pepigi vobiscum, nullo modo attendere quivi, ob adversitatum videlicet incommoditates, quas undique præsenti anno in nostris partibus perpessi sumus. Modò autem dirigo vobis vitam veteranam heroïco carmine editam: ut omnino cunctis notum sit, quod nulla inventionum vobis dirigo mendacia. Illam autem quæ historiali stilo est depicta, pro nimia vetustate penes nos retinens, hanc digestam stilo illius ad instar vobis transmitto. Ordinem quoque rei, qualiter hanc merui adipisci, vobis indicabo brevi sermone. In Braioa ergo, potestatis vestræ loco, eadem Vita negligentiæ causâ fuit perdita, aliique quamplurimi libri. Quidam autem Clericus Suessionis civitatis ab inventore mercatam nostræ contribuit nepti obtinendam in Monasterio Dei Genitricis Mariæ Deo sacratæ; illaque post hæc interjecto exigui temporis articulo eamdem Vitam mihi muneris gratia impertivit, multorum annorum peractis jam curriculis. Præterea flexo cordis poplite oramus munificentiæ vestræ modestiam, ut nobis vicem reimpendatis caritatis, scilicet transmittendo nobis per gerulum nostrum ex eodem Patrono vestro beatissimo Romano sacrotumque pignorum munera, utpote spopondistis, ut & nos condignè celebrare queamus ejus memoriam. De cetero humili efflagito prece, quo cuncto illius loci contubernio Fratrum pro me jubeatis ad Dominum fundere præces, similique modo in Monasterio sancti Audoeni fieri, & in omnibus locis vestræ potestatis jubere: quoniam tanto pondere imbecillitatis premor, ut ultima semper exitus hora mihi præsens videatur adesse.

Gratia vos Domini servet sine limite quovis;
Atque suave jugum mitis cervice ferentes,
Angelicas læti possitis adire cohortes.

ITEM PROLOGUS.

Sanctorum Patrum vitas, Fratres carissimi, totius anni per spatia revolutas, à nobis unius amoris devotione celebrari oportet, &c.

INCIPIT VITA.

Tempora igitur mundani regni per sæcula caducæ vitæ, &c.

ADNOTATIONES.

GERARDUS iste præfuit Suessionensi sancti Medardi Monasterio, ubi à sæculo nono celebris

est in emeritum sancti Romani Episcopi Rotomagensis: ut quo tempore vixerit, operosum est definire. Multos quippe legimus Gerardos in catalogo Abbatum ejusdem Monasterii; multos item Hugones Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopos: sed nullus ex his Gerardis tempore convenit cum ullo Hugone. Quapropter existimo Gerardum prædictæ Vitæ scriptorem non fuisse Abbatem, sed Decanum ejusdem Cœnobii sub Abbate sæculari; & Hugonem, cui opus suum Gerardus nuncupavit, esse Hugonem eo nomine secundum, qui ex Monacho Dionysiano Rotomagensem Ecclesiam rexit ab anno DCCCC XLII in annos octo & viginti. Certè eo tempore castrum Braina erat in potestate Ecclesiæ Rotomagensis; & Heribertus Comes agrum Suessionensem, atque etiam Brainam multis cladibus infestabat, ut postea dicam. Ergo Gerardus iste Decanus successit Ingranno, qui ad Episcopatum Laudunensem assumtus est anno DCCCC XXXII, testante Frodoardo in Chronico.

GERARDUS VENERABILIS PATER COENOB. HUGONI. Superbum videri possit, & quòd Gerardus sese Venerabilem Patrem vocet, & quod nomen suum Hugoni Archiepiscopo anteponat. Verùm familiare est illius ævi hominibus, ut sese illustres viros appellent: & Warinus Comes in Chartario Brivatensi litteris viri nobilis Hildegarii anno III Ludovici Aquitanorum Regis ita subscribit: Signum Warini gratia Dei bonæ indolis Comiti, Rectori (legendum Comitis, Rectoris) ipsius ecclesiæ, qui hoc consensit. Alia ejusdem generis exempla exstant in eodem Chartario: & in Vita sancti Bonifacii Martyris, Archiepiscopi Moguntini, Willibaldus se, uti & Lullum, bonæ industriæ virum appellat. Ad secundum quod attinet, moreis Latinorum temporibus qui epistolam alteri scribebat, nomen suum semper præponebat alteri, quantumvis esset dignitate inferior. Immo inclinante felici illo litterarum statu Ausonius Burdigalensis, cum metri necessitate Paulino scribens nomen suum postponere cogeretur, factum excusat his versibus:

Paulino Ausonius. Metrum sic suasit, ut esses
Tu prior, & nomen prægrederere meum.

Quamquam idem auctor Theodosio Augusto scribens, nomen suum posteriori loco ponit. Sic hodie plerique factitarunt: quibus etiam religio est te, tuumque dicere, summates compellando.

PATER. Hoc nomine etiam afficiebantur Decani Monachorum, dicti nonnumquam Proabbates apud Ekkehardum in historia sancti Gallensi, illi scilicet qui Abbatibus sæcularibus suberant.

PRÆSENTI ANNO. Id contigisse reor anno DCCCC L, quo homines Ragenoldi Comitis quamdam munitionem Rodomensis Ecclesiæ, super fluvium Vidulam sitam, quam vocant Brainam, furtivo capiunt ingressu. Unde iratus Hugo Princeps, ad Regem mittit, & Rex illò profectus eosdem invasores expellit, ut scribit Frodoardus in Chronico. Isti enim aliquæ bellici motus, qui eo anno acciderunt, agro Suessionensi incommoda multa adseruere.

VITAM VETERANAM. Hanc Vitam heroicis metris conditam excidisse puto: illa verò qua historiali seu ornatiorе stilo descripta est, esse videtur ea ipsa, quam Nicolaus Rigaltius luce donavit, à Gerardo alius verbis adornata.

POTESTATIS VESTRÆ. Ergo hæc Vita scripta est eo tempore, quo castrum Braina dominio Ecclesiæ Rotomagensis subjectum erat. Atqui sub Hugone tertio jam translatum erat ad Comites Brennenses. Ad superiorem proinde Hugonem hæc referri necesse est, cujus tempore Heribertus Viromandensis Comes castrum istud Rotemagensi Ecclesiæ subtraxit, testante Frodoardo in Chronico ad annum DCCCC XXXI his verbis. Interim quidam fidelium Heriberti Remensi ex urbe profecti, quoddam Hugonis castrum supee Vidulam, nomine Brainam, quod ipse Hugo ab Episcopo Rotomagensi tulerat, capiunt atque subvertunt. quam subversionem Gerardus hoc loco præ oculis habuisse videtur.

ALBERTI ABBATIS MICIACENSIS EPISTOLA

Ad JOHANNEM Papam XVII.

De antiquitate & solito numero Monachorum monasterii Miciacensis.

DOmino sancto & venerabili Papæ JOHANNI, ALBERTUS Abbas abbatiæ sancti protomartyris Stephani & Christi Confessoris Maximini & omnis congregatio monachorum ejusdem loci, videlicet Miciacensis, salutem in Christo. Novimus te Pater reverende, constitutum in terris Vicarium universali Ecclesiæ vice beati Petri Apostoli, ut sustentes eos qui injustè opprimuntur, & opprimas eos auctoritate beati Petri, qui se nimium erigunt. Quapropter ad tuam confugimus reverentiam per hanc epistolam, ut subvenias nobis, & facias quod precamur. Locus in quo habitamus dicitur Miciacus, quem sanctissimi viri, scilicet beatus EUSPICIUS & nepos ejus venerabilis Maximinus, regio nomine Chlodovei primi Christiani Francorum Regis fundaverunt, & alii quàm plurimi deinde proprio beneficio construxerunt. Et idem præfatus locus in tantum floruit olim in spirituali & temporali bono, ut centum quadraginta monachi ibidem congregati Deo assiduè famularentur: in tantum postmodum dissipatus pervasione malorum, ut nullus vivere potuerit monachus. Gratia autem Christi juvante paullatim nunc, quasi quidam redivivus æger à longa ægritudine convalescens; ita idem locus à vilitate suæ dejectionis resurgere aggreditur per eleemosynas bonorum virorum ac mulierum. Ex quibus hæc bona mulier est domna REGINA nomine, quæ multa prædicto loco pro salute sua & pro remedio animarum, videlicet sui mariti & filiorum suorum jam defunctorum, Deo & sanctis ibidem veneratis obtulit. Timet autem ut post obitum suum aliquis suorum vel extraneorum conetur aliquid auferre ex his omnibus quæ dedit Deo: & ob hoc suggerimus vestræ sanctitati, ut duos tomos, quos in vestro nomine scripsimus, quorum unum proprietatem largiti beneficii hujus feminæ venerabilis continet, alter autem totius summam substantiæ nostri cœnobii, corroboretis vestra auctoritate cum sigillatione sigilli vestri nominis: & nos assiduè pro vobis vivo & mortuo Deum deprecabimur. Dignum est enim, venerande Pater, ut prædecessorum vestrorum mortem sequamini, & monasteriis novos indiculorum biblos corroboretis, quibus ipsæ congregationes ab omni strepitu quietè Deo servire possint, maximè sub epitimio excommunicationis. Vestrum apostolatum Deus custodiat in æterna pace. Vale in Christo, beate Pater.

ADNOTATIO.

HÆc epistola olim exstabat in codice Pithœano inter epistolas Abbonis Floriacensis, quas diu perquisivi, cum per me, tum per amicos, nec impetrare ha-

Ecuus potus, præter unam alteram, quarum fragmenta aliàs adducemus. Albertus Abbas, cujus hac epistola, monachum induerat in cœnobio Gemeticensi, ut patet ex subjecto ejus instrumento, in quo Arnulfum Turonensem Archiepiscopum filium suum vocat. Fuerat ergo conjugatus ante quàm monachus initiaretur. Parentes ejus eidem instrumento subscribunt. Miciacum seu S. Maximini abbatia, vulgo S. Mesmin, prope Aurelianos, nunc Fuliensium.

IN nomine Christi, ego Albartus Abbas abbatiæ sanctorum Stephani protomartyris & Christi Confessoris Maximini, notum volo fieri cunctis curam gerentibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quia antequam Ordinem suscepissem monasticum, erat mihi quidam alodus ex materna hereditate, non ex alicujus beneficio, quem sancto Petro in Gemmetico monasterio, ubi habitum suscepi, dedi pro remedio animæ meæ filiique mei Arnulfi Turonensis Archiepiscopi, & parentum meorum, ut sanctus supradictus intercessor sit pro nobis apud Deum. Est autem ipse alodus in pago Bellemensi, quem vocant Domna-Maria, quem sancto Petro dedi cum appendiciis suis. Jussi autem fieri hanc cartam, ne aliquis post me possit sancto Petro abstrahere. Quod si aliquis præsumpserit, cum Juda proditore, Anna & Caypha damnationem accipiat. Hæc autem cartula ut firmior sit, eam subter firmavi, & parentibus meis corroborandam obtuli. S. Albarti Abbatis S. Raubunt Saïensis Episcopi. S. Arnulfi Turonensis Archiepiscopi. S. Ribaldi. S. Gislabarti. S. Roberti Regis. S. Willalmi Bellemensis. S. Richards Comitis Normannorum.

P R Æ F A T I O

HELPERICI ABBATIS

In Librum de Computo.

DOmino Patri sanctissimo, nomine Aspro, moribus autem placidissimo, Helfericus humilis vernula, æternæ prosperitatis adminicula. Dum paternitatis vestræ jussionibus libens pareo, multorum derisiculis me lacerandum expono: unde vestram summissus exoro paternitatem, ut meam super hoc excusetis temeritatem. Exigitis enim ut opusculum, quod nuper rogatu Fratrum nostrorum juniorum de arte Compoti rusticano sermone edideram, quodque eis solis legendum dederam, aut præcipuè eorum qui me pertinaci importunitate ad hoc præsumendum impulerat, & cui illud jam Grandi valle posito direxeram; hoc, inquam, præcepistis, cum anno præterito legatione fratrum nostrorum Grandi-valle degentium ad vos Autisiodori fungerer; ut transcriptum vestræ paternitati examinandum dirigam: ut hoc facto, ac si forea, meo miser indicio paream. Ego enim decreveram nugarum mearum ineptias dignis occulere latebris: ne cùm prodire cœperint, multorum in me fel commoveant, jure causantium, vanissimis nænus me occupare membranas.

Sed quis vestris non obtemperet jussis, licèt cum detrimento sui? Ego præcipuè qui me vestris ubiequis ita mancipaverim, ut quod vobis ratum cognoverim, quantumlibet arduum, aggrediendum mihi esse non ambigam. Unum ergo à vestra paternitate deposco, ut quod vestra jussione coactus aggredior, vestro munimine fretus indemnis evadam. quod ita fieri poterit, si fastidiosis quibusque, & qui alios tantùm reprehendere valent, hujus lectio subtrahatur: & vobis vestrique similibus, qui sine livore, oculo columbino, ut ità dicam, cuncta respicitis, examinandum præbeatur.

Verùm hæc hæreticus quisque quomodo volet accipiat: mihi vestrum judicium satis idoneum constat, cui summa [Veritas] hoc anno perspicuè dignata est manifestare, quàm sit inutile sanctissimis vestræ paternitatis imperiis repugnare. Evenire autem justissimè solet, ut qui patris salubria spreverit consilia, debita pertinaciæ suæ quandoque luat supplicia. quod eo veriùs possum fateri, quo sæpius & hoc anno crebrius atque acerbiùs, immo & justiùs, non desino experiri.

Nec immeritò: cùm enim me divina pietas loco illo restituisset, quo me ad sibi serviendum jam dudum delegerat, & unde ego infelix instabilitatis sulummodo causâ exieram, cùm ibidem omnibus bonis abundarem, quodque ego super omnia duco, sanctissima sanctorũ Patrum dilectione foverer; cùm, inquam, me superna clementia post diuturnam evagationem illud revocasset, vestraque erga me solito flagrans paternitas secum retinere voluisset: adversa, ut patet, impellente fortuna, non adquievi, sed pristina usus levitate redii, quo me & multa passum recolebam, & deteriora passurum non ignorabam. Quo facto & illud didici multum apud Deum valerere preces, quas illi ex animo fundistis, cùm una eademque leviter fusa oratione tantum adversua me obtinueritis. Reminiscor enim vos, cùm me retinere nequiretis, imprecatum mihi, ut invenirem aliquem, qui me acerrime verberaret in loco, ad quem tantopere festinabam. quam orationem effectus est è vestigio consecutus. Quanta enim contumeliarum verba, quot proborum ludibria, quæ & qualia derisionum tormenta deinceps patiar ab his præcipuè, qui erant quondam pacifici mei, quosque ego apud vos summis laudibus extuli; lingua non valet effari. Quod quia ob ulciscendam in me levitatem jure obtigisse cognosco, divinam super his laudem æquitatem: & ut ab his tandem eripi queam, vestrarum obnixè postulo suffragia precum: ut quem licèt nolens tanto malignus fasce gravitatis, orando tanto relevetis ab onere, dexterioris manum orationis porrigendo. Verùm hæc pleniùs, si Dominus cupitum præbuerit colloquium, vivo sermone expedientur. Quod ut citius fieri valeat, vestra exorabilis oratio precibus crebris obtineat.

P R O L O G U S.

CUm quibusdam è fratribus nostris adolescentulis quædam calculatoriæ artis rudimenta communi sermone explicare cœpissem, hujusce quoque non contemnendæ, ut multi arbitrantur, doctrinæ aliquid impertirem, quos in arte grammatica, prout divina auxiliata est munificentia, aliquatenus introduxeram; nescio quo accensi desiderio instare vehementer cœperunt, quatenus ea quæ viva voce depromseram, multorum utilitati profutura, qualitercumque scripto ederem: ut quando hæc, ut solet mens humana diversis dedita curis multa oblivisci, mente excideret, litterarum suffragatus adjutorio, ea quoquo modo reparare valeret. Quibus obnixiùs renitens. id quod obtenderam, superesse scilicet libros de hac eadem re, tùm dilucidè, tum venustè majorum nostrorum lepore editos; præcipuè venerabilis viri Domni Bedæ Presbyteri, qui cùm in aliis, tam & in hoc sanctæ Ecclesiæ utilitatibus plurimùm desudavit; illorum lectioni insisterent, illos divina meditatione perdiscere studerent, à

me intentionem amoverent, nec aggredi cogerent opus omnium sputis obnoxium, multorum ridiculis dignum: præsertim cùm sim ingenio rudis, sermone impeditus, & ne rusticano quidem eloquio balbutire sufficiens; nedum litteris quippiam comminisci præsumam. Cum hæc hujusmodique plura excusationis obtentu obicerem; tum verò pertinaciùs insistere, & non novum, inquiunt, aliquid cudere cupimus, quippe qui nil reperiri posse remur, quod ab aliis dictum non inveniatur; sed ex his quæ ab aliis sparsim copioseque tractata asseris, poscimus utiliora quæque, nobisque necessariora, tuo studio decerpta in unum colligi, & veluti sertum quoddam ex diversis floribus compingi. In quo opere non pompaticas verborum phaleras exigimus, quas, ut ais, in antiquis est invenire commentariis: enimverò quæ ab illis sunt obscuriùs prolata, tuo quæsumus fiant manifestiora relatu. Hac evictus importunitate, & de divina præsumens largiflua bonitate, studiosa nihilominus fratrum provocatus caritate, hoc opus eo tenore adtentare præsumpsi, ut illud nulli unquam ad legendum præbeant, vel auctorem operis publicare præsumant. Sed & si cui peritorum hæc aures offenderint, ne me temeritatis notent elogio: sed noverint caritatis paruisse imperio. Cotidiana igitur annuaque compoti argumenta vulgatiora, & quæ ne laicus quidem, nedum Clericus, impunè ignoraverit, undecumque collecta, & planiore, quàm sunt ab aliis, sermone edita congessi, de meo nil addens; sed quæ ab illis eo obscuriùs, quo sunt prolata venustiùs, rusticano sermone enucleavi: ut si quis ita fuerit ab omni serio feriatus, ut legere ista dignetur, faciliùs illa doctorum sublimia rimetur.

A D N O T A T I O.

HELPERICUM, *mox laudati libri conditorem, Monachum fuisse Cœnobii sancti Galli, tradit Johannes Trithemius in lib. 2. de viris illustribus Ordinis sancti Benedicti cap. 76. Hunc librum habemus in apographo nostro Bibliotheca Germanensis, sed sub nomine* HERICI, *& absque priori præfatione hic edita, quam ex membraneo codice Cœnobii Usconiensis prope Valentianas descripsimus. Eo in codice Helpericus Abbatis nomine donatur in operis titulo, qui sic habet:* HELPERICI Abbatis de Compoto ASPER, *cui Præfatio inscripta est. Abbas erat, aut certè Decanus sub Abbate sæculari, Monasterii sancti Germani apud Antissiodorum. Illuc missus est Helpericus quorumdam negotiorum causâ ex Cœnobio Granlivallensi, tum Ordinis sancti Benedicti, in diœcesi Basileensi, quod jam dudum ad sæculares Canonicos mutavit. Trithemius in loco jam citato scribit Helpericum floruisse anno* M XX. *At Helpericus ipse sub finem libri sui designans tempus quo libro suo scribendo navabat operam, notat annum* DCCCLXXX, *ut legitur in apographo nostro, quod principatu Henrici Francorum Regis eo nomine primi exaratum est. Hoc idcirco observo, quòd Sigebertus in Chronico probet librum hunc ab auctore conditum esse anno* M V. *Verum exempli verba quæ adducit, non comparent in apographo nostro, videnturque addita à scriptore codicis, quo usus est Sigebertus. Is tum in Chronico ad annum præcitatum, tum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 145.* CHILPERICUM *vocat auctorem, de quo hic agimus. Crediderim eum ipsum esse.* HILPERICUM, *cujus epistola refertur in lib. de divinis officiis apud Alcuinum cap. 18.*

ADEMARI MONACHI ACROSTICHON

Ad ROHONEM Episcopum Ecolismensem.

R ex dominans mihi fautor ades, ne codice fam A
O ptineat titulis, hunc renitescat apu - - D,
H occe volumen Egolisma ROTHO Præsul in urb E
O mnibus eximius condidit egregiu - - - - M,
E cce patrum renitet tomus præclara trophæ A,
P etri quis nituit ordine clarus hono - - - R,
I uraque bellorum Christi inlustrissima corn - U,
S anctum flamineo quæ tulit ore genu - - - S,
C ertetimque venenosos stravere chelydro - - - S:
O rnati stolis quomodo mirific - - - - - - - E.
P romptior ac micuit per eos primatibus ardo R,
U t fuerintque Deo subdita colla di - - - - V,
Vir pie clare bonis Præsul ROTHO comptior act U
S emper amande mihi, accipito hos modulo S.
X enia ADEMARUS dederim tibi talia cur mo X,
R ite tuum scire est unde reposco detu - - - R.
I anua amoris adesto mihi præclara beat - - - I,
S int furiæque procul, dum mihi pars pia si S.
T c sic EPARCIUSQUE Petrus munimine coman T
I n superi nos qui castra vehantque pol - - - I.

A D N O T A T I O.

HOc *Achrostichon scripsit* ADEMARUS SERVUS XRISTI, *id est Monachus, ex pranobili familia Cabannensi, Ecolismæ in sancti Eparchii Cœnobio institutus, cujus Chronicon & commemoratio Abbatum basilicæ sancti Martialis exstant in tomo secundo Bibliotheca Labbeana. Florebat hic auctor anno* M XXX. *quo tempore Historiam Pontificum Romanorum Damaso adscriptam* ROHO *Præsul Ecolismensis describi curavit operâ ipsius Ademari, ut testantur superiores versus appositi in fronte codicis, qui modò in Uticensi Monasterio adservatur, desinitque in Leone IV.*

Non ab re erit hic subjicere titulum & clausulam, quam idem Ademarus apposuit membraneo codici ecclesiæ sancti Martialis apud Lemovicas, qui codex complectitur quatuor libros Amalarii de divinis Officiis, in quorum titulo hæc leguntur:

INCIPIT PRÆFATIO SYMPHOSII AMALARII CLERICI,

In libros de divinis Officiis,

Ad LUDOVICUM Imperatorem.

Et in fine codicis: Explicit liber SYMPHOSII AMALARII Presbyteri venerabilis de divinis Officiis, quem misit ad Ludovicum & Lothatium Reges, filios Caroli Magni Imperatoris: quem librum in hoc corpore transcribi curavit ADEMARUS indignus Monachus in honorem Dei & sancti Benedicti. *Quæ idcirco hic refero, quòd* SYMPHOSII *prænomen nusquam legerim tributum Amalario, qui in eodem codice tantum* Presbyter *&* Clericus *appellatur.*



OSMUNDI

OSMUNDI EPISCOPI ASTORICENSIS EPISTOLA

Ad IDAM Comitissam Bononiensem.

OSMUNDUS, Dei gratia Astoricensis Episcopus, IDÆ nobili Boloniensi Comitissæ salutem in Christo. Quoniam tua summa prudentia investigare, insuper invenire desiderat, qualiter civitas Astorica reliquias tantas capillorum sanctæ MARIÆ Dei genitricis habuerit, & unde invenerit, sanctæ petitioni tuæ & investigationi piissime satagere, prout in sententiis librorum nostrorum invenimus, sub brevitate decrevimus. Invenimus namque, quòd persecutione gentilium urgente Hierosolymam septem discipuli, TORQUATUS & ISCIUS cum ceteris quinque, Hispaniam navigarent, deferentes eas & alias quàm plurimas usque Toletam pervenerunt. Rex verò Hispaniæ & omnis populus ejus honorificè susceperunt eas: & in magna reverentia læti eas, sicuti decebat, habuerunt. Cumque iterum gens Saracenorum Hispaniam perurgeret, Episcopi & omnes viri religiosi ad nostras Alpes, videlicet Astoricenses, quæ ab Astorica habent nomen, confugêre, & quidquid præcipuum ducebant, asportaverunt, & in civitate nostra Astorica atque Oveto omnia reconderunt. Nos verò posteri sic eas habentes, & præcepto nostri Regis, videlicet ADAFONSI, non obviantes, misimus vobis de melioribus & dignioribus magnam partem, obsecrantes ut sitis memoratrix Astoricensis Ecclesiæ. Valete. Ego verò ADEFONSUS Rex hanc cartam vidi & legi, & quæcumque in ea scripta sunt, propria manu confirmavi.

ADNOTATIO.

SCRIPTA est epistola circiter annum M IIX, *quo Ida Eustachii Comitis Boloniensis uxor in castro Leniensi pagi Atrebatensis, recentioribus Lensio, Deipara Virgini Templum construxit, instituitque Canonicorum collegium. Præterea reliquias undiquaque conquisivit, easque intulit in basilicam à se ædificatam, scilicet reliquias sancti Vulgani, cujus corpus Lenensi Monasterio Canonicorum quiescere testatur Baldericus in Chronici lib. 2. cap. 22. Hinc factum puto, ut Ida ex Hispania per Osmundum Episcopum obtinuerit capillos beatæ Mariæ, de quibus in hac epistola agitur. Lege Jacobum Malbrancum in lib. 8. de Morinis cap. 48. ubi de Ecclesia Lensiensi.*

MONITUM.

IN antiquo & celebri Bajoariæ monasterio Tegernsensi reperimus inter multos alios codicem varias Abbatum Tegernsensium, aliorumque virorum illustrium epistolas continentem. Insigniores, prout temporis angustiæ siverunt, descripsimus modò exhibendas. Restitutum est ab anno CM LXXVIII *istud monasterium, cui Abbates hoc ordine exinde præfuerunt,* HARTWICUS *ad annum* DM LXXXII. GOZPERTUS *ad annum* M I. GODEHARDUS *ad sesquiannum. Huic decedenti suffectus* EBIRHARDUS, *qui Abbatiam dimisit anno* M III. PERINGERUS *ad annum* M XII. BURCHARDUS *in quatuor annos.* ELLINGERUS *pietate insignis ad annum* M LVI. *Hæc ad sequentes epistolas illustrandas: in quibus* vitæ Benedictinæ *non semel fit mentio, nempe in epistolis prima & decima. quo adjuncto, scilicet* Benedictinæ, *nullum ante id tempus auctorem usum invenio.*

EPISTOLÆ TEGERNSENSES.

I. OTTONIS III. IMPERATORIS.

De conditu monasterii Seuvensis in Bajoaria, ejusque Abbatis electione.

REX OTTO Imperator Augustus. Revelavit nostris temporibus venerandi Pontificis Lamperti pretiosa ossa quondam in confinia Parthicæ gentis devecti. quæ sancta tamen membra illa missis revelationibus inventa, in regionem Bajuvaricæ gentis religioso viro ill. sunt deportata. Et Comes quidam ARIBO nominatus, nobili genealogia procreatus, sed nec minùs (ut speramus) bona voluntas nobilitavit, quem Deus tali dignitate ditavit, suscepit tales reliquias in locum sui patrimonii Seuva * nuncupatum. Sed Deus qui humilia respicit, parvitatem, angustiam vel pauperiem ejusdem loci non despexit. Cœpit ineffabilibus miraculis exinde martyris sui merita ubique diffamare; multique divites sive pauperes, Dei amore ducti, tradiderunt partem prædiorum, seu dona non modica pecuniarum. Talibus successibus taliter in manu Dei feliciter secundantibus, idem Aribo, heres ejusdem loci, cœpit in mente prudenter tractare aliquod digne religiositatis inibi Dei servitio dedicare de proprio prædio, quod possederat jure hæreditario. Construxit celebre cœnobium * insigni ædificio, paucisque revolutionibus annorum transcursis, congregavit in monasterio non modicum agmen probabilium virorum sub institutione Benedictinæ vitæ degentium: atque hæc militie fama ad nos usque perveniebat, referentibus regni nostri Principibus, qui eumdem locum sæpe sæpius frequentare solebant. Quocirca ..... eumdem locum in nostri mundiburdium suscepimus rogatu domni H. Ducis Baivariorum & dilectissimi nepotis nostri, qui traditionem accepit ejusdem

* Seuu.

* anno 994.

lantes : sed tameu audacter, qui confideoriam resumimus de conscientia totius bonitatis in vos. In regione australi, sicut sciris, habirantes, more monachorum, ut decer, à carmbus abstinentes, capturà piseium raro pascimur, quia pisoosas aquas minime habemus. Sed si Deus anno præsenti fœcundavit capruram husonum vobiscum, petimus ut jubeatis largiendo communicari, ur memoriam vestri deinceps coram Deo in orationibus uostris habeamus. Valete.

VIII. EPISTOLA

Gozperti ejusdem ad Arnoldum Nepotem suum.

GOzpautus Abbas nominatus, quamvis indignus, Seniori Aunoldo, neptique nostræ conjugi vestræ Analhaidæ, salutem in Deo summo. Necessirate maxima compulsi amieorum nostrorum fida flagitamus auxilia, quia præsenti anno minime sufficiunt nobis victuum alimonia, fructuum fertilitate agrorum sterilitate suffocata. In omnibus rebus speramus vos nobis esse compatientes visceribus pietaris. Idcirco petimus, ut in instanti periculo nobis subveniatis, & si aliquid grani dari præcipitis in nostrum victum, vel familiæ oostræ, pro pretioso dono auri vel argenti bonorificè accipimus. Valete.

IX. EPISTOLA

Godehardi Abbatis Tegerncensis

Ad suos Tegernsenses.

GOnaharous Abbas, quamvis in dignus, VV. Ceterisque fratribus, quicquid dilectis filiis in Christo. Quamquam nostræ fragilitatis legem interiùs exteriusque laborando natura cogente meritò patiamur; tamen in boc itinere, quod jussu domini nostris Ducis aggrediebamur, adhuc nos prosperari vestris orationibus gratulamur. Nam honorificè simulque caritativè à cunctis fratribus suscepti sumus, & devotè faciunt quæcumque eis regulariter præcipimus. Insuper etiam precamur, ut fraternitati vestræque orationi deinceps consociemur, & unà mecum commendant vobis fratres uostros, quos huic misimos, ut eis omnem caritatem humanitatemque exhibearis, ut præcipit bearus Pater noster Benedictus. Mittite nobis librum Horatii & epistolas Tullii.

X. EPISTOLA

Ejusdem Godehardi ad Theodulum Episcopum.

DOmno Thsodulo, Pontificalium sacerdotum speculo liquidissimo, Gotahardus Deo sibique monachum mentiens, prô pudor! dominienm. Scintillanris calami, æstuantu animi, viruperabilis invectionis in nos excogitaræ ulterior modus cernitur esse quàm admirandus. Si in unius tam nefariæ criminationis causa me umquam reprehenderet propria conscienria, quàm verecundo vultu quamque pænuenti animo mea sponte voluissem me sequestrare à totius christianitatis communione. Absit à me deceptrix cupiditas, ut alienis tam impiè vellem inhiare, quamquam sine vestris nullo modo vivere possem. Veneria, quin immo cupidinaria fascinatrix ita penitus fiat in me sopita, ut alterius copulæ junctam vel concupiscibili oculo invidiose inspicere præsumam. Nostræ possessiunculæ absque fuco simulationis renuntiavimus euge : sed non taurum postea profecimus ut debuimus, quia (ut veriùs scitur) neque omnes christiaui christiaoi sunt, neque omnes viri viri sunt, nec omnes monachi monachi sunt : christiani tamen isti sunt & monachi : sed hæc conversim volumus, sed non possumus, nitimur, sed infirmamur. Qui aliqua christianitatis unctione vel aspersione est insiguitus, si catholicè excusatur tantæ perniciositatis flagitia non committere, quando qualiterve laudatur, qui tot virtus oboosius esse eriminatur? quod me furtive in ovile Domini dicitis irrupisse, testis est fidelis curia populique Christiani innumera agmina, quia nibil de vestræ potestatu vel alicujus alterius subjectione mibi vindicare præsumpsi, uisi quod de potestativa manu summi Principis hodie (non fatens urrum vellem aut nollem) suscepi. Hujusmodi prohibitionem obeditionis in Regula conscriptam vitæ Benedictinæ non inveni, quamvis sæpe sæpius binc inde detrita sit præ manibus nostris. Quod in his deliquisse me sentio ex æstu talu periculositatis, certum teneo, teste multorum consciientia, absque ullo labore me emergere posse. Valete.

XI. EPISTOLA

Ejusdem Godehardi ad A. Abbatem Lunælacensem. Anno 991.

AAbas G. vester in omnibus confrater devotissimus, A. Lunilacuueosium Abbati, multiplicissimas in Domino salutes. In omnibus vos prosperari nostri scitote esse gaudimonii : & si aliter, in his libenter compatimur similiter. Proximo Apostolosum natalitio interfuimus sollemni Missarum officio Pontificis * Christiani, quamvis nobu sommo studio renitentibus, episcopaliter tamen vocavit vos, & hoc firmiter definivit, nisi intra quatuordicim noctes ad se veniatis, vos excommunicandum. Quapropter consiliamur vobis, ut cum licentia Episcopi vestri G. ad illum veuiatis, & vos ipse præsentialiter audiatis, qualiter eventus hujus rei habeatur. Si aliquid oostri indigebitis ad id causam negotii, parati sumus qualitercumque vultis vobu suffragari. Valete.

* Pataviensis, V. Metrop. Salisb. tom. 1. pag. 303.

XII. EPISTOLA

Fromundi Monachi Tegerncensis

Ad Theodulum Episcopum.

DOmno Pontifici Theodulo Seniori nostro Frovimundus * solo vestitu monachicâ vitâ intitulatus, quicquid venerando Domino servus. Portarius monasterii sancti patrii nostris Quirini constitutus, causor pietati vestræ, sanctæque Synodo vobiscum congregatæ, in hoc officio quo fungor minime me posse aliquid perficere, nisi sanctæ manus vestræ juvamine. Multum namque timen quod plures reprehendere debeo, sed de talibus tacere nequaquam audeo. In decimatione quam Christi pauperibus pro Dei Ecclesia beatorumque animabus eleemosynaria manu dispensare debuimus, undique euge euge fraudem sentimus. Pauperiores quidem quædam subtrahunt penuriâ coacti; potentes publicè tollunt impune securi; & unusquisque pro se redimere debet, in boc se perdere non timet. Quocirca

* V. epist. 18. & 19.

precamur pro amore Dei ac lege totius justitiæ, ue tales providendo coerceatis pontificali auctoritate vestra, ut isti sibi non audeant vindicare quod non debent, & illi ab Archipresbyteris vestris ceterisque sacerdotibus compulsi reddant quæ debitt sunt; & cum juramento retribuant, quæ ab eis injuste, sibique periculose adhuc retenta sunt. Valete.

XIII. EPISTOLA

Godehardi Abbatis ad quamdam Abbatissam.

Abas G. omnium qui præsunt ultimus, domnæ Abbatissæ T. vel A. seduli precaminis servitiique devotionem in Christo. Recordamini petimos, quod semper vos in Domino diligebamus, dilectamque Christi agnellam fieri optavimus, ac nobis in speciale nomen dilectissimæ sororis eligebamus. Ista soror nostra venit ad nos ante Natale Domini, multiplicis necessitatis suæ miseriam nobis conquesta. quam libentissime nobiscum commorari permitteremos, & in quantum sufficeremus, ministrare illi necessaria juberemus, si qualitas sexus aliqoot permitteret monasterio fratrum feminas cohabitare: quia ut à sanctis viris comprobatur, stipulæ, paleæ, ignisque numquam sibi pacificantur, nisi alter alterius damno citius consummentur. Quocirca petimus, ne ad dedecus nostræ professionis vel habitus monasterialis, quo ista soror vestitur, ulterius illam vagari per diversa loca patiamini: sed pro amore Dei nostræque futuræ excusationis ante Deum, vel ancillarum vestrarum operibus eam consociari dignemini, atque necessaris, quantom eleemosynæ est vestri, ei largiri. Valete.

XIV. EPISTOLA

Eberhardi Abbatis Tegernsensis ad quemdam Comitem.

Ebarhardus famulorum Dei vilissimus servos, domno Comiti O. devotum servitium, jugemque instantiam precaminum in Christo. Quia aliunde non habemus tam firmom subfugium sicut in vobis, jugiter insistimus succlamando vos modò opportune, interdum inopportune. Jussu domni nostri Ducis, consilio monachicæ congregationis, petitioneque totius familiæ nobis subjectæ Sigeharдum constituimus nobis Advocatum: & quia vos non fuitis cum Duce, aut in tali vicinitate, ut vestri licentiam petere possemus; precamur ne nobis irascamini super hoc negotio, sed cum vestra sit gratia. Petimus etiam per clementiam vestram, jubete vestro militi Pennoni, ut famulos & ancillas sancti Quirini qui ad nos pertinene nobis reddat. Si ille dicit nos habere aliqnos de suo beneficio, reddimus sibi libenter. Vestro militi Wolfoldo præcepistis, ue nobis redderet decimationem ad Ismanninga, quod adbuc noluit facere. idcirco iterum iterumque precamur, ut nuntium vestrum cum isto præsenti nuntio nostro mietatis, qui hoc ei à vobis firmiter præcipiat, ut nobis decimationem reddat. Valete.



XV. EPISTOLA

G * Episcopi ad Henricum Regem.

* f. Godehardi tunc Episcopi Hildesheimens.

Seniori nostro H. Regi victoriosissimo, G. solo nomine Pontifex vocitatus, regni vestri gubernator devotissimus. Dum crebriùs nobis conquestus est Ebarharдus Abbas Tegernsentis monasterii, quòd nullum auxilium sibi præbuistis in ullis rebus necessariis, non possumus vos diu celare. Profitetur videlicet ordinem regularis vitæ se non posse cum fratribus sibi commissis retinere, præ magna penuria victus & vestitus: & cum non habeat eis dare quæ secundum Regulam essent reddenda, veretur ne fortè & ipse contra Deum habeatur culpabilis, vestramque majestatem, ut illam pondere istius oneris exuatis, multum precatur. Nos simul cum illo, sicut ab eo rogati sumus, petimus, ut monacbis concedatis jus electionis secundum dignitatem loci & congregationis, juxta id quod præcipit vita regularis, & sicut acceperunt privilegium ab antecessoribus vestris Imperatoribus. Valete.

XVI. EPISTOLA

Eberhardi Abbatis ad Henricum Regem.

H Regali solio dignissimo, E. Tegerinscensis monasterii Abbas vestra gratia subrogatus, quicquid servus in regales administrationes. Cum undique inimicorum stringimur persecutionibus, nullum in his omnibus post Deum nisi ad vos suffugium speramus. Idcirco laboramus & in omnibus deficimus, quia non habemus, à quibus fideliter res ecclesiæ defensas videamus. O quam magna regalis poteneia! dicit tantùm, fiat; & perpetuum est. Hæc vestra vis imperialis auctoritatis ad nos precamur usque pertingat. Est locus super litus Tegerinscensis stagni situs, quem Poppo & Piligrimus frater ejus, simulque mater illorum abstrahere injuste à domo Dei in suos usus hereditario nituntur. Sed precamur, ut vestro imperiali jussu hoc interdicatis, ne falsis aut corruptis pecunia judicibus à domo Dei abstrahatur, priusquam in præsentia vestri dijodicetur. Valete.

XVII. EPISTOLA

Peringeri Abbatis Tegernsensis ad eumdem.

Seniori suo H. exercitus Christiani ductori nobilissimo, Perengerus, Abbatis vocabulo minime dignus, cum congregatione sibi commissa, sedularum precum devotissima munia. Sub manu vestræ defensionis ob eleemosynam vestri hactenus valde pacificè viximus: sed qui nunc nos contra vos Deumque insectantur, diutius celare non possumus. Domnus Dizmo Comes inimicabiliter persequitur nos. Habet nobis denique nostram navim ablatam, qua debuimus fratribus nostris vectitare vina & legumina, aliaque necessaria; plura etiam retia habet nobis tulta: victimasque & graoum, quod nostri debuerunt seminare in agrum. Insuper infringens domunculas servorum vi diripit ab eis omnia quæ habent: nihil eis est peculii, quod ille non jubeat perscrutari & tolli. Quid multa? nisi manus vestra

extendatur super nos & res nostras, ipseque à vobis exterritus prohibeatur tali flagitio, ille solus sanctus locum corporis sancti Quirini dat exterminio. Precamur ut illi statuatis diem, quo nobis navim & retia reddat.

XVIII. EPISTOLA

FROMUNDI monachi Tegernsensis ad PERINGERUM Abbatem.

* V. epist. 12. & 19.

SUo seniori P. monachiæ religionis cultori constantissimo, F. * nullomodo talia meriti participatus. Impeditus peccatorum meorum retinaculis dignus non fui pervenire quo desideravi. Romam, ut scitis, pergere cupivi, ut ibi, si dignus fuissem, gradum perciperem Presbyterii. Quodque non merui perstrinctus gravedine mei peccati; subjaceo adhuc tamen pondere hujus cupiditatis, similis anhelanti, ut Deus qui omnia dabit in se confidenti, quando & quomodo vult, præstet mihi effectum talis desiderii: ut tam beatus labor sit testimonium animæ meæ in die judicii, & ille cognoscat certitudinem sui mendacii, quisquis ipse fuit, qui vobis mentitus est, me coram Deo tale propositum falsa fictione simulare sub fuco mendacissimi cordis mei. Sed esto. Scio, Pater venerande, culmen sacerdotalis dignitatis excelsi esse meriti, magisque spiritualiter quàm manualiter hoc officium debere ministrari. Quam ob causam quia in me nihil tale cognovi, quamvis à multis sæpe persuasus, hujus sancti ministerii gradum usque modo suscipere recusavi. quia quanto quisque altius scandit, tanto duriùs cadit, si illum cadere contigerit. Hæc omnia committo Deo vestroque salubri consilio. Hunc gradum non multum renuo, nec multum desidero: sed vobis ceterisque senioribus in hoc obedio. Et si talem gradum assumpsero, quicquid tunc in eo deliquero, puto. spem, credo, confido in Christo mihi multo indulgentius esse, si accedo timidè, non temere. Valete.

XIX. EPISTOLA

ELLINGERI monachi, dein Abbatis Tegernsensis ad FROMUNDUM.

COmarco Froumundo mirè rosulenti splendoris in cunctis emerito, ELLINGARUS omnium hominum extimus, quicquid in Christo adoptari potest festivius. Cum igitur, ô dilecte Magister, intimo affectu cordis meditarer, ut aliqua inreprehensibilia dicta vestræ benivolentiæ composuissem, & inscitia semel & sæpe impediret quod voluntatem delectaret; tunc demum confisus, baculoque vestri secreti consolatus, speravi, quamquam sint vituperanda, tamen non esse à vobis propalanda..... Nuper verò comperi quod me affectu animavit indicibili, videlicet vos fore * promotum ad ordinem Presbyterii. qua de re flexo poplite flagito, quatinus mei infimi memoria apud vos maneat, ut vestri apud me firmius invaleat..... Valete.

* esse.

XX. EPISTOLA

L. Episcopi ad A Imperatricem.

A Imperatrici gloriosæ, L. divino juvamine Pontificatus honore sublimatus, preces jugiter cum famulatu devotas. Pacem dignæ quietis Ecclesiæ Dei nobis committi cupientes, ut decet, stabiliter monasterium sancti Magni. Cum fuimus ingressi, nontius Comitis SICCONIS redeuntis de Italia occurrit nobis invisè, qui fatebatur ipsum Sicconem vix fuga revulsum fuisse de illa regione. Nam HUNO vinculo fidæ pacis undique disrupto, belligerationis iniquæ stimulos renovare volens, nullos vestræ ditionis viros, voluntatisque devotos suo libitu permittit inde inlæsos discedere. Hoc vobis omnimodis est trutinandum, qualiter istiusmodi discordiis sit subveniendum. Valete.

EPITAPHIUM ELLINGERI ABBATIS.

Hic Ellingeri noscuntur membra teneri,
Qui cum justitia resplueras vitia.
Moribus Abbatum sanctis decorans dominatum,
Cum pietate patris præfuerat monachis.
Pervigili cura tulit affectis nocuura:
Lætificando probos corripuit reprobos.
Instruit exemplis cunctos plusquam documentis:
Pravis difficilis, mitibus & facilis.
Mundum despexit, dum carnis pondera vexit,
Calcans carne solum, mente petendo polum.
Jugi multarum se fonte luent lacrymarum,
Mox latis oculis affuerat populis.
Sprevit divitias .... utpote delutas
Lætos cujus opes præstiterant inopes.
Hujus contritam dederant jejunia vitam,
Largum muneribus oppido pauperibus.
Numquam pro Christo tali carnere ministro,
Quod populum latuit, sed Domino patuit.
Ut dilexissent illum plusquam timuissent,
Blandus discipulis sic fuit, ac famulis.
Nullum damnavit, quem judicio superavit:
Sollers consiliis, commodus auxiliis.
Mundo, dum vixit, se pro Domino crucifixit,
Gestans arma crucis talis amore ducis.
Doctrinæ rivum prudens pectore vivum,
Hoc sibi contiguos fecerat irriguos.
Fornicibus pictam qui inferat hic fore cryptam,
Ac sibi vicinam construit ecclesiam.
Hic memor in primis percuncta negotia finis,
Crimina sic domuit corpore dum viguit.
Pace coronatum cali requiescere flatum,
Lectores precibus poscite supplicibus.

EPISTOLA

GOZECHINI SCHOLASTICI,

Ad VALCHERUM itidem Scholasticum, suum olim discipulum.

Præmissâ apologiâ, quod relicto Leodiensis cathedræ magisterio, Moguntiam secesserit, mala sui temporis deplorat, ex Berengarii maxime perversa doctrina consecuta.

UNanimi suo fratri & filio VALCHERO, frater GOZECHINUS in eo quod est esse, feliciter coesse. Retractatis multiplicibus, quæ mihi sæpe ad nutum exhibuisti, benevolentiæ impendiis, multiplex à me tibi, carissime, & habetur & refertur gratia; nec solum pro dulci, jocunda ac suavi veterum recordatione, sed & pro festiva novi muneris exhibitione. Misisti enim mihi quem petebam librum, videlicet opera digitorum tuorum, in quo planè ostendis quanti me facias, quamquam id quod me velle nosti, non

in secundis habeas. Qui utique liber ita innovat cuncta quæ mihi antehac impendisti caritatis xenia, ac si ea secum gregarim revehens mihi sistat præsentia. Hunc ergo diu à te exspectatum ut primùm vidi, ut in manibus accepi; & articulos tuos, immo te ipsum in eo agnovi, & totus in novam tui dilectionem penitus exarsi, ac si antehac expertum non dilexissem. Seriò verò triumphat animus, quòd rudes articulos tuos aliquando ipse manu mea ad scribendum direxerim, quòdque male formatos apices, ceteraque id genus quæ tenera peccat ætas, super dorsum tuum cuderim, ut scilicet de arbuscula nostra putans superfluam mergitum & foliorum luxuriem, postmodum de cremento & fructu ejus gauderem. Quis enim plantat vineam, & de fructu ejus non accipit? Ego verò sæpenumero laboris mei dulcem messui fructum in his, quibus à me plantatis & rigatis Deus dedit incrementum: à nullo tamen eorum tanta mihi affluxit fertilitas, quin semper à te cumulatior mihi arrideat bonæ frugis ubertas.

Et ô utinam omnes utriusque auditorii nostri asseclas tales enutrissem! utinam vel unum talem senectutis meæ baculum inter eos invenire possem! sed heu! juxta divinum per Prophetam conquerentur oraculum, hodie est filios enutrire & exaltare; ipsos autem, præter admodum paucos, exaltantem se spernere. Viderint autem qui ejusmodi sunt, ne pro contemptu bene monentis patris, à Patre patrum priventur testamento æternæ hereditatis.

Tu verò, mi carissime, fac quod cœpisti, augmenta in majus & melius quæ à me bona accepisti, nec à tua umquam desinas remunerabili erga me benignitate, pro qua ab eo qui tibi me præposuit, æterna doneris hereditate. Hoc verò nec novum facis, nec præter solitum, si te mihi tam exhibes benignum: sed & cùm adhuc sub scholari fleres ferula, eadem mihi subserviebas benevolentia: & quod de te, ut de ceteris solus metus sufficeret extorquere, tu præ ceteris, ut in tali animante conjici poterant, magis hoc exhibebas ultronea bonitate. adeo ut totus de nutu oris mei penderes, nec quidquam de verbis meis in terram cadere permitteres. Cumque te adhuc puerum ob hujusmodi diligere cœperim, & propter alia quædam signa virtutis in te jam tum eminentia; factum est accessu ætatis, ut spem honestiorem in dies de te captarem, considerans vim industriæ tuæ ad obscuritatem lectionum, sagacitatem, vigilantiam, acumen alacris ingenii ad fugas subtilium rerum: adeo ut cùm ceteri catacheseos nostræ auditores verba Magistri dictis vel scriptis nequiverint æquiparare; tu etiam totum magistrum in te videreris transfundere. Unde & ego cum fratre tuo & cum ceteris amicis quibuscum oportebat gloriabar, speciale quoddam mihi accrescere in areola quam plantabam aromatum, scilicet inter adultos te sapientem puerum.

Ubi verò te adultum propter bonos mores & vitæ honestatem gaudebam sedulò mecum esse, quid te gratius, quid te amabilius mihi erat! numquidnam aliquis, vel aliquid poterat intervenire, quod te apud me in secundis fecerit esse? Ac multarum quidem rerum atque hominum assiduitas satietatem afferre solet: te verò mihi domi forisque conjunctissimum consuetudo ipsa altius inserebat; ut quotidie gratior, recentiorque haberis. Et merito quidem. nam te mihi in cunctis adeò exhibebas unanimem, ut non solùm de successu meo gauderes, verùm & si quando res nostras adversa concussissent, tu multo acerbius multoque indignius atque ego, cujus intererat, tolerares. Eratque jam tum experiri quantum valeas etiam consilio, dum modò profectibus nostris graviter annuendo, modò incommodis viriliter obnitendo, res nostras sæpe in melius reduxisti. Si quando verò ab exterioribus mihi non vacabat negotiis feriari, tu vices absentis Magistri inter adjutorii nostri concessiones ita exsequebaris, ut quæque vel legendo, vel disputando perplexè intricata, vel in theosophicis, vel in sophisticis occurrissent; ea nodosus ipse sagaciter enodares, & de his ambigentibus ad votum satisfaceres.

Cùm hæc & hujusmodi plura ita se habeant, possumne, oro, probitatem, industriam, benignitatem tuam, ceteraque id genus bonæ & circumspectæ vitæ munia oblivione transmittere, teque, ne si velim quidem, non amare? Ego verò ut prius in te puero præclaram indolem, ita nunc totis amplector visceribus præcanam adultæ juventutis tuæ maturitatem; nec quidquam magis mihi dolet, quàm quòd dulcedinis tuæ privatus fructu, velut in quadam deserti solitudine mihi degere videor. non quia desint frequentissimi comites & carissimi assessores: sed eorum nullus, aut valde rarus est, in quo caput, immo animum tam molliter reclinem. Proinde si fas esset, & ratio pateretur, continuis pulsarem aures precibus divinæ pietatis, si fortè detur nostras admitti voces intra sacrarium exauditionis: quatenus tandem aliquando eo loci nos componat, ubi tua vel aliorum quibus concrevi, vel quos enutrivi, benignitate, qua, dum vacabat, jocundè fruitus sum, adhuc frui liceat, sicut priùs; & de vestro convictu gloriari, sicut antiquitus.

Licet enim aureum regni caput, nobilis videlicet Moguntia, mellifluis ubertatis suæ rivis, quibus undique affluit, liberali me adspergine perfundat, & in splendidissima sacri Senatus sui corona non humili loco mihi curulem ponat; præter omnea tamen (ut pace ejus dixerim) angulus ille mihi ridet, quem mater Legia * forti virtutum robore nodosa, indigenis suis tam delectabilem, quàm jocundum exhibet. Ipsa enim, ut nosti, ex occidua sui parte, non subditis collium clivis clementer erecta, geminoque publici montis reflexu, qui in dorso non multum audaci, quatuor regularis vitæ gestat greges; ipsius inquam gemino reflexu molliter sinuata, sicut gallina pullos suos, ita hæc filios suos sub alas colligit, fovet, & nutrit, & ad omne quod civile sit, & moribus conducat, informat & instruit: nec quidquam patitur deesse, quod vel copiam regere, vel inopiam possit temperare. Allubescit quoque & alluit ad loci munimentum & copiæ supplementum non subitis allapsibus bicornis Mosa, fluminibus nostræ Belgiæ non immerito præferenda: quæ non solùm civibus, sed & indigenis terræ piscium copià fluit dapsilis, variis mercium commeatibus habilis, omnique prorsus commoditatum genere conducibilis, excepto (ut venia tua satyricè, licet sine metro ludam) quod si quando in convivium deorum cum nubigenis amnibus fratribus suis, cumque Æolo rege & ventis suis intra palatium Junonis adsciscitur, dum longis laboribus exhausta, solito uberius Æolo propinante nives vel imbres adhibens, inebriata revertitur; collectis influentium sibi fluviorum copiis, velut contracto exercitu, per regionem circumcircà lymphato cursu debacchatur, quæque sibi obvia proterit & populatur; nocturna piscatorum furta, quæ illis impune cessisse sæpe questa est, prohibens punit; sata, quæ avidi agricolæ, litoreis virectis audaci sulco violatis, ubi ipsa vellet meridiari, insperserant, eluit & prostrat. Nos quoque indignata litoreis aquatilis aulæ suæ artus placito viciniùs insedisse, & calones nostros eam sæpius inquietare, domos nostras non supplex ingreditur; omnibusque expulsis, nihil deprecata, violenter hospitatur. Et quia sæpius ac familiarius inimico sibi numini supplicamus, larem

Leodii descriptio & elogium.
* Liege.

familiarem discruciatis excludit * ; omnisque sibi invii numinis reliquias, etiam favillam & cinerem, eluens exstinguit : donec patientiâ nostrâ vix tandem satiata, dum ei non resistimus quia non valemus, alveum suum vix demum placata repetit ; & nuda nimis relinquens vestigia, in sua se palatia recipit. Habent quoque suburbana nostra undique versum suave olentes hortos olerum, & dulce rubentes lucos arborum, scilicet vineis nostris brachiis aliis habilioribus ibi regionibus intendens, suprema vitium putamina & paucos inspergens thyrsos, extremam impefuit manum. His & hujusmodi multis commoditatibus Legia nostra uberrim ditata, adhuc haber multo potiora, hisque longe longeque præeminentia. Denique ipsa flos Galliæ tripartitæ, & altera Athena nobiliter liberalium disciplinarum, floret studiis, & (quod his præstantius est) egregiè pollet observantia divinæ religionis, adeo (quod pace ecclesiarum dixerim) ut, quantum ad litterarum studia, nihil de Platonis expetas academia ; quantum verò ad cultum religionis, nihil de Leonis desideres Roma.

* extendit.

Inde ergo undique versùm Christi bonum spargens odorem, plurimam ad se gregatim confluam allicit & recipit multitudinem : quorum nemo se adhuc ei applicuit, qui non profecerit in melius, nisi ipse sibi nimis obdormivit. Cum ergo nostrum sit tale Leogium, quicumque ei derogat, quicumcumque eogitum non amat, ut rusticè loquar, habeat Dei odium. Inde est carissime, quod continuis hue votis ruo : & licet alibi degam, animo tamen ibi tecum habito.

At verò fortitan me insimulas levitatis, quasi bene vivendi, immo vacandi & gloriandi locum quæram ; quod utique est animi vaiitantis ; acidéque redarguis, quod velut ex desidem affectu, modò situm, amœnitatem, affluentiam & sapientiam tantopere nostri extollam Leogii, cui aliquando Moguntinam præferens gloriam, dederim libellum repudii : quodque tanta fluitem animi inconstantia, ut modo Leogii positus suspirem Moguntiam ; modo Moguntiæ latur animo Leogium recurram. Adhibes quoque tibi patrocinium Flacci, ut ulcus quod tibi videris secare, tanto asperius satyrico sale valeat infricari. *Calum*, inquis, *non animum mutart qui trans mare currunt*. Item.

In culpa est animus qui se non effugit umquam.

Novi, carissime, te nihil sinistrum contra me moliri, nec iccirco te mihi ad refellendum opposui : sed novi canes illos, qui clandestino morsu semper parati sunt alienam vitam discutiendo rodere, suam verò flagitiis obvolutam in cœno vitiorum volutare. Hos mihi post tergum derogantes sub persona tua, velut in faciem resistentes, mihi oppono : his sub tuo nomine, de quo nihil sinistrum suspicor, respondere paro : ut arguta cavillantium invectione displosa, dissolutum sit quicquid umquam in me arcus livoris super his jacularus est, & enervatum quidquid serpentinus odii sibilus amarius in me cavillatus est. Unum autem verbum, & pro omnibus unum, hoc est, cujus per omnis hujus tomi areolas semper meminisse debes, scilicet ut quicquid in hoc velut conflictu lautè, lepidè, amabiliter dictum sit, applices tibi : quicquid verò durè, acidè, mordaciter inspersum sit, adversæ detrahentium, reputes parti.

Video, frater, video quisquis es quem sub amici persona mihi opposui, quem sub advocati sceoa figmenti ex adverso dicere feci, video inquam, quod ancipiti me gladio imperis, ac duplici mecum telo congrederis : in altero quidem levitatis inconstantiam arguere paratus, in altero verò pertinaciam in vitiis confodere animatus. Attentiùs ergo videndum est, quia in me subtuli criticorum lance uteris, quid ad singula responderi conveniat objectis. Ergo arguis in me levitatem vaiitantis animi, qui velut hac illac fluitans vacare desideret, & gloriolari, pro eo quod Leogium nostrum tantopere laudaverim, meque ibidem cum necessariis meis libenter vivere dixerim. quod quidem injuriâ facere, nec æqui bonique ducere videris. sed commoda nostra obliquo invidiæ oculo limare, & cinico detractionis morso venerare contendis. Numquidnam diversis locis & temporibus melioris vitæ rationem colligere, veluti variis literarum studiis & disciplinarum experientia, liquidum scientiæ mel stipare adscribis levitati ? num in melius velle proficere deputas vanitati ? Numquidnam è diversis locis salubres petuntur & aquæ & herbæ, quæ suapte vi valeant quæque morbida sanare ? Nonne duodecim sunt horæ diei ? nonne ordinatè dispositum est quid sit agendum mane, quid antemeridianis, quid postmeridianis horis, quid vespere ? Sed jam heu matutinum, in quo erat lætitia, transiit ; & vesperum, in quo demorabitur fletus, advenit. Jam posuit Dominus flumina in desertum, & fontes aquarum in sitim ; terram fructiferam in salsuginem, & cetera. Et quid de reliquo faciendum est in hac rerum sentina, ubi cunctis quæ à Patribus ad nos demanarunt, & studiis & disciplinis tantopere reclamant mores & tempora ? num ideo, ut tu delipis, à bonis est desistendum, & nundinis insistendum, ut obliti quid deceat, quid non, Itacensis Ulyxei vitiosum simus remigium ? nonne magis oporret quemvis, qui quidem vir fiet, ut semper deteriora vitans, id appetat unde se ipso semper melior fiat ? Tam verò abest ut hæc sint animi vaiitantia, ut sint etiam animi ad postes ostii sapientiæ mane vigilantis ; & hoc de fratre sentire vel dicere sit invidiæ & odii maliguantis.

Quod autem hostili me premens telo, dicis, quid mihi & Leogio ? quod olim insolenter deserens turpi notari melogio ; cuique Moguntinam præferens gloriam, hoc ceu vilem reputaverim sconam. Certe nimis à veritatis tramite aberrasti, vel potiùs totus veritate excidisti. Dic dum quæso tu, qui sub ovino vellere, lupino rictu latras, è duobus alteri prætertur, qui postulat, an qui postulatur ? quid respondere hæsitas ? num tibi laqueum tendi putas ? Ergo taces ? satis concedis illum præferri, quem constat ab altero postulari. Dic ergo numquid elogium * intuli Legiæ, quando eligit ut propter me rogaretur à se ditiore ; exaltatâ autem Legiâ, dum vel invitatus, vel jussus à summis autem illius sæculi viris, veni Moguntiam ? numnam matri Legiæ feci repulsam ? numquid eam insolenter sprevi, quam velut matrem benevolentiæ amplexibus strictam numquam deserui ? Profectò non, ut coruicaris, dedi ei libellum repudii, sed decorem tripudii : non elogii notam, sed honoris coronam : quando per os meum eructavit cor ejus verbum bonum ; quando contuli in thesauros hujus affluentiæ, quod accepi de thesauris illius sapientiæ. Nec umquam hodie effugies, etiam si alter sias Protheus, donec veris victus fatearis, quod nihil quidquam obsit cum ratione loci mutatio, tantùm de bono nihil mutetur proposito : quamque sapientem oportet omnes vitæ rationes pro loco & tempore metiri, nec juxta leviculum Diogenem omnia in medio haberi.

* injuriam.

Quod autem de Flacco tuo ad virû notam mihi inuris, sive poeticum illud, sive philosophicum sit, satis sui auctoris struit argumento, ad id quod adstruendum instruit, non tamen ut proposuit, ita est necessarium : quia qui trans mare currunt, sicut cælum, ita mutare possunt & animam. V. G. si quis idiota & insulsus Athenas pergat vel naviget, ibi-

que doctrinæ sale inspersus, stultitiâ sapientiam commutet. Illud autem sequens, ubi de loci vel cæli mutationi tacuit, & animum redarguit; magis facit ad rationem; nihil ad bene vivendum, vel prodesse vel obesse loci, nisi certa motationem ratione. quin potiùs valde culpandus est animus, qui se numquam effugit talem, qualis jacet in corruptela & cœno vitiorum, & per artam moralis disciplinæ semitam ad seipsum non confugit talem, qualis effici potest in schola virtutum. At verò non est modò nostri otii vel operis exquisitius prosequi, quid de his argumentando elici possit: hoc interim, si placet relinquamus eis, quorum tota natio, tota ratio, garrulitate procaci concertando, sophisticis cavillationibus totum discendi vel dicendi otium operamque insumit.

Habemus autem antiquiora his quæ ad hanc rationem faciunt argumenta. quibus probetur, quid vel patria, vel locus aliquis ad bene vivendum sapienti, nihil conferat vel auferat: quin potius ipsa sibi virtus ad bonam beatamque vitam usquequaque sufficiat. Denique Teucer inhibito sibi hinc fratre reditu, cùm Salamin a Patrem aversaretur, & à suciis patriam suspirantibus ubinam vellet degere rogaretur; Patria, inquit, cujusque est, ubicumque bene est. Quo quid acutius ad hanc, qua de agitur, vitæ rationem dici possit non video, si bene esse suo accipiat modo. Socrates quoque rogatus cujatem se esse fateretur, mundanum se esse respondit, id est non unius alicujus loci, sed incolam & civem esse totius mundi. Hoc verbo designans, quod ubicumque esset, nihil de virtutis proposito mutans, idem esset; quodque cum omnibus qui in toto mundo ratione uterentur, communem vitæ municipatum haberet. Philosophi quoque nobilissimi, sicut in veterum monimentis legimus, Zenocrates, Crantor, & Chrysippus, Antistenes, Careades & Panætius, aliique innumeri, nullum certæ habitationis locum sibi ad bene vivendum elegerunt; sed semel egressi ad investigandam toto fugientem orbe sapientiam, numquam domum reverterunt. Talis est vita perfecti consummatique sapientis, quem quocumque res cedat, non in Phalaridis tauro vel carnificina, quem à constantiæ gravitate, à propositi rigore nullus unquam deflectit locus; cui totus mundus ad bene beateque vivendum unus est locus. Sed quorsum ista? scilicet ut arguens refellatur, videatque locum, vel infessum, vel mutatum, sapienti nihil obesse, cujus propositum est ubivis locorum in constantia virtutis eumdem esse.

Sed quid nobis hæc peregrina? scilicet Apostoli, quos de mundo elegit qui mundum fecit, primum sub cælesti Magistro in schola veritatis vivæ vocis auditu eruditi, dein ut radii veri Solis emissi ad illuminandum, & ut sal terræ dispersi ad purgandum & condiendum, non patriam vel locum, non agrum vel domum, non quidquam quod mundi esset sibi proprium duxerunt, sed salvandis animabus primò durissimum prædicandi laborem etiam in frigore & media variisque periculis impenderunt: dein exemplo Magistri, qua caritate majorem nemo habet, animam suam pro fratribus posuerunt. Omnis autem beata illa posteritas quæ ex hac Patrum spirituali generatione descendit, populus scilicet acquisitionis, qui testamento sanguinis Christi in Israeliticam dignitatem adoptatus, in genus electum & regale Sacerdotium Domino eligente successit; omnes, inquam, isti eamdem vitæ viam, licet sub varia graduum & officiorum distinctione ingressi, quia in terra aliena, non quæ sua essent, sed quæ aliorum laboraverunt; quia non habentes hic manentem civitatem, futuram inquisierunt; ideo in veram repromissionis terram filiorum Israël, ab eo qui ascendens captivam duxit captivitatem, feliciter transmigrati, facti sunt ibi cives sanctorum & domestici Dei.

Neque verò arbitreris, me aut ignorantiæ cæcitate, aut oblivionis caligine obtutum, ordinatas Christianæ militiæ phalangas præterire, aut eis petulanti vagantis licentiæ arrogantia præjudicium inferre, quæ videlicet intrantibus novæ Jerusalem, tam se ipsis, quàm infirmioribus Ecclesiæ membris armatura Dei protegendis excubare videntur, & regularis vitæ rationem, seu militaris vigiliæ stationem demigrando mutare prohibentur. Novimus enim divinis Patrum edictis cautum esse, ne quis, nisi recta ratione, ad alia demigret, ne quis alienum clericum sollicitet: nihilo minus etiam scimus liberè permissum, si qua ecclesia in diversis graduum & officiorum functionibus minus plenos habeat, ab alia ecclesia, cui talium copia est, non negandum petens accipiat. Graduum, inquam. velut si de alia ecclesia sibi petat ordinari Episcopum aut presbyterum: officiorum, velut si sibi petat institui regularem Prælatum aut litterarum Magistrum. Scimus quoque in eisdem spiritualis vitæ gregibus alios esse, quibus contemplativæ dulcedinis felix placet otium: alios, quibus in lucrandis animabus activæ dispensationis evangelicum injungitur negotium: quorum alii circuli, alii vectes, alii vectores facti, novam testamenti arcam portant, donec eam in æterna sistant vita, in laudem & gloriam omnipotentis Dei. Hæc est illa graduum & officiorum distinctio, & bonorum operum quæ in his geruntur splendor, quem videbat propheta in ornatu Reginæ, quæ in vestitu deaurato assistens à dextris sponsi Regis, fulget circumdata varietate. Hanc eamdem distinctionem idem Propheta in ænigmate speculabatur, quando miratus admirabile nomen Domini in universa terra, pro eo quod super cælos elevata esset ejus magnificentia; miratus, inquam, Filium hominis paullo minus ab Angelis minoratum, & propter passionem mortis in consessu Patris gloria & honore coronatum, *Omnia*, inquit, *subjecisti sub pedibus ejus, oves, boves, pecora campi, volucres cæli pisces maris.* O beatus ille qui talia videbat! beata & sanctorum Ecclesia, quam, & cui, & in qua talia prævidebat! ibi enim sub pedibus Christi discretas videbat pias volucres cæli ab his, quæ obunco avaritiæ rostro, recurvo rapacitatis ungue mitiores alites in aëre devorant: ab his quoque, quæ ad hoc innatant aquis, ut in profunda cupiditatum demersæ, hiacem avaritiæ ingluviem rapaci miserorum piscium captura pascant. Ab his, inquam, discretæ sunt mites illæ volucres cæli, quæ picturatis bonorum operum vestitæ plumis, habentes etiam virtutum pennas & duplices caritatis alas, quasi columbæ volant ad fenestras suas. Ibi etiam sunt stellæ cæli, quas Abraham in promissione accepit. *Multiplicabo*, inquit, *semen tuam sicut stellas cæli, & velut arenam maris.* Hæ stellæ puritate vitæ lucidissimæ splendent in cælo, sicut ecclesiæ verbis radiantes, exemplis rutilantes.

Sed quid nobis ad volucres cæli? quid nobis ad stellas cæli? Nos enim sumus miseri pisces maris, nos sumus arena maris, nos fluctibus sæculi ut arena contundimur; nos æstibus mundanæ incertitudinis, ut vagi pisces circumferimur. Et quæ est nostri ad pias volucres cæli comparatio? quæ ad lucidas stellas collatio? certè ea quæ est nihili ad aliquid, si tamen ratio patiatur, ut hoc comparatio dici possit. O utinam in aliqua spirituali lacuna procul à tempestatibus conquiescamus! utinam sub aliquo vivæ rupis abscondito delitescamus, ubi venti fortunæ vires suas exserere, & nos ludibrium suum nequeant

tacere.

facere. Hanc ergo quietis lacunam & vitæ rupis latibulum nostrum mihi eligerem & optarem Legiam, nisi tu tam aspero Flacci tui sale desiccares levitatem meam. Eligerem, inquam, studiorum nutricem Legiam, fontem utique subtilium ingeniorum, & divinæ sapientiæ feracem locum, utpote civitatem, quam digitus Dei multiplici distinxit gratia, quæque sui similes viros dono Dei semper est editura. Sed quid dixi? quasi ipsa mea laude indigeat, & non per se satis emineat. Non enim indiget ut cujus laude adumbrari, vel in commentitiam effigiem beatæ civitatis alicujus sermone picturari: quia vere viva civitas est, & beatus locus, divinæ religionis vivens institutis & legibus. Cum ergo angustum matris & nutricis nostræ caput nive candidius albeat reverendis antiquæ sapientiæ canis, cumque trito gestet in vertice splendidum diadema divinæ religionis; fulgeat quoque auro tectis insignium gestorum cycladibus, & tota sit desiderabilis undique virtutum circumamicta varietatibus: suadesne tu, si suadeas ut umbram alarum ejus non requiram? quod tantidem est ac si hortere, ut eam odio habeam. Numnam ut ejus solus potiaris, solus communibus fruare commodis & gaudiis? sed absit hoc à modestia & probitate tua; absit ut hoc umquam de te, quem tantisper norim, credat anima mea. Tam verò abest, ut à me odio habeatur, ut etiam si prohibeat, vehementissimè diligatur.

Nec hoc dico, quin uber colonia, quam inhabito, paterna mihi viscera, & materna exhibeat ubera: sed aut tecum ludo, aut opto quod vellem, si ita sine honoris præjudicio fieri concedat Dei gratia: nec mihi debes ad vitium reputare, quòd apud præstantes viros, dum res ita poposcit, constat non insolitum fuisse. Namque plena est exemplorum vetustas, pariter & modernæ ætatis novitas, quanti quique illustres viri certa ratione loca demutaverint; nec locati, sed quid inter mores eorum obcrat devitarent; aut certè, ut multis ad salutem prodessent, ad alia demigrarint. Abraham quippe & filii ejus patriarchæ non tot loca mutavissent, non tot puteos aquam vivam quærentes fodissent, si in uno aliquo loco cuncta bonæ vitæ suæ congruentia reperissent. Jacob quoque, nihilo minus Vates quàm Patriarcha, numquam in animabus septuaginta (qui mysticus numerus est) ad Ægyptum descendisset primò ubertatem, postea servitutem, ut caninam fugeret famem. Joseph quoque bis venditus ad invidis fratribus bene locum mutavit, qui in tempore angustiæ multis ad vitam profuit: qui videlicet vir primo virga tentationis eruditus, & camino tribulationum ad purum excoctus, inde in dominum Ægypti excrevit, unde dorsum patientiæ sub oneribus & manus obedientiæ in cophino servituti subegit.

Possem innumera ejusmodi ad medium deducere, nisi castigato tibi crederem ista sufficere. His ergo Flacco tuo cum cælo & animo suo castigatius sit responsum, quàm se copia suggerit, ne de cetero alicujus propositum tam improvidè carpierit. Excute ergo de manibus cum cælo suo Flaccum tuum, & psalterium arripe mecum. Quod si non vis, sine rivali solus ama & habe illum: satis autem inexpugnabilium luce rationum superius probatum videtur. Tamen si Flaccus tuus taceat, quia bene vivendi locus est, ubicumque sis, & si te animus non deficit, equus est etiam salubris.

At attamen licet vagando & vacando bene vivendi quærere locum, è sacrario sapientum viperas acephalorum eliminet regula rationis; tamen permagni refert videre, quibuscum diverseris. Non recordaris quid laboranti Prophetæ divinum dicat oraculum? *Fili*, inquit, *hominis*, *increduli & perversores sunt*

tecum & cum scorpionibus habitas. Num te præterit genuina scorpionum malitia, qui non dente mordent, non lingua inficiunt, non ore venenantur, sed tantùm nocent cauda? Hos quippe scorpiones notabat Psalm ita cum dicebat: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Item, *Qui loquuntur pacem cum proximo*, &c. quos quantum ipse omnesque sancti viri semper exsecrati sint, subdendo aperit: *Da illis secundum opera ipsorum*, & cetera quæ sequuntur.

Ecce iterum me pervicaciter premens adjicis: Numquidnam eidem Prophetæ mandat idem oraculum, locum vel animum fugiendo mutare, ac non potius ad corrigendos perversores & evenenandos scorpiones, etiam usque ad sanguinem resistere? Nonne idem Propheta vincula, famem, lacum cœnosum pertulit, ceteraque id genus plura, quæ à principio semper piis malignantium perversitas intulit? Utique, frater, ita est, & tamen non modò hominibus, sed etiam viris supra vires est semper in procinctu esse, numquam animum ad divinæ contemplationis dulcedinem remittere: jugiter tumultuosis assultibus percelli, numquam internæ dulcedinis quiete foveri. Nunc iterum antiquo illius Musorum dicto, velut hostili armaris telo, dicens: Animum remittere, amittere est. & Christiano Theologi nostri munitis clypeo:

Numquam bella bonis, numquam discrimina desunt.

Ad hæc ego: Animum, inquam, in delicias, voluptatesque resolvere, & posthabitis iis quæ ad salutem animæ operantur & protegunt, in terrena desideria remittere, verè amittere est. Verùm animus à sæcularium tumultu, quantum homini vacat, feriatus, si nubes curarum, si ventos imbresque detrahentium linguarum, si tempestates & turbines falsorum fratrum in altum se attollens transcendat, & à districto rigore militaris disciplinæ remissus, in illam placidissimam & lucidissimam divinæ contemplationis quietem se totum resolvat: ita verè non amittitur, sed potius retinetur, vel (quod potissimum est) tunc demum vivere videtur. Quod autem noster ait Theologus, semper Christiano esse pugnandum; nihil unde vel ausim vel queam diffingere: sed tamen salva virtutis constantia liceat dicere, satis superque esse laboris, si aperta in falsis fratribus bella & seditiones cessent, interius verò nostri conatus vires contra antiqui hostis tentamenta decernent, donec his armatura Dei superatis & expugnatis, donante Christo accipiamus quietem pacis perpetuæ.

Adhuc pervicatiùs agens dicis, semper in Christianæ militiæ castris utrumque pugnandi genus sudavisse; & Augustinum, Ambrosium, Athanasium, innumerosque notæ frontis Patres, & exteriùs contra apostolos & discipulos satanæ, & interius contra spiritualia nequitiæ usque ad victoriæ coronam fortiter dimicasse. Assentior quidem, frater, his quæ tum vere, tum curiosè argumentaris. mihi tamen non satis rectè omnem electorum Ecclesiam in hoc pugnæ stadio concludere videris. Nam si de fastis & chronicis, immò si de authenticis scripturarum monimentis Deo militantium colligas annales, certè tam theoreticis, quàm practicis, hoc est tam otiosis quàm negotiosis virtutibus, eos Deo placuisse invenies. Et ut pauca de his in argumentum sacro compendio perstringam, considera sub umbra Legis Josue, Gedeon, David, & coronam Machabæorum; dein Moysen, & Aaron, Eliam & Eliseum, & prophetarum chorum. Ad summam nota quod Paulus de iisdem antiquis Patribus dicat: *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna*, & cetera quæ sequuntur usque *circumierunt in melotis, & in solitudinibus errantes.* & tandem omnibus enim ratis concludit

dicens: *Et hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt.* His & hujusmodi, si diligentiam considerationis adhibeas, videbis certè Patriarchas quidem practicè negotiis instantissimè occupatos: Prophetas verò contemplativæ quieti serena mente feriatos. Quomodo enim aliter, vel isti salutem gentem suæ forti manu propugnarent, vel illi serenato mentis oculo beatas visiones viderent? Nec hæc dico, quin in utroque ordine fuerint plures utriusque propositi: sed hæc tamen adscribitur generalis distinctio utrique ordini. Transacta autem veteris testamenti nocte, in cujus firmamento memorati Patres velut clarissimæ lucebant stellæ, ubi illuxit dies quam fecit Dominus, & ortus est Sol justitiæ Christus Jesus, vide Barjonam Petrum, & Vas electionis Paulum usque ad martyrii coronam in acie perstitisse: Johannem verò angelicæ virginitatis Theologum, & Lucam Evangelii conservum, quorum alter primò contra bestiam Domitianum aliusque Antichristos fortiter decertavit; dein verò sopitis earumdem bestiarum furoribus, theologiæ otio vacans, & in ipso divinitatis arcano Evangelii calamum tinguens, in pace consenuit. Lucas autem cum peripathetico Paulo aliisque Evangelii veredarius primò circumquaque desudavit: dein in theologiæ otium se conferens, & sacram incarnati Verbi historiam texens, beato fine in pace obdormivit. Vide dehinc quos memoras, Augustinos & Ambrosios, ut verè asseris utroque pugnandi modo, in acie feliciter perstitisse. E diverso autem attende Paulos & Antonios, aliosque innumeros Christi crucifixos pæne ab exteriori turbine vixisse feriatos: atque etiam ipsa interioris pugna certamina adjuvante gratia Christi post tergum misisse, & jam quasi in cælestibus ei conregnare qui dicebat: *Nostra conversatio in cælis est.*

Nec solùm Theologi evangelicæ lucis irradiati claritate verùm & priores Philosophi & heroes quamplurimi, gentilibus obvoluti tenebris, nondum exorto Sole justitiæ, & negotiosis & otiosis virtutibus, quas partim naturæ beneficio, partim liberalium disciplinarum studio assecuti sunt, vitam suam in illo suo honesto & utili sollertissimè exercuerunt, quando alii eorum vel artis militiæ stipendiis devincti, vel publicis administrationibus perfuncti, domi forisque graviter agendo, terra marique fortiter pugnando, celebre nomen sibi perpetuo (ut putabatur) propagarunt. Alii verò vel emeritis laboribus nobili otio donati, vel etiam in otium quod elegerant odio sæcularium, se conferentes, vel scribendo, vel disputando juxta sibi ac Reip. consuluerunt.

Quod si, ut argumentosus es, etiam nunc præmissis pugnaciùs contendis refragari, succenturiatis cincta sententiis aderit ipsa Veritas, nec suis desinet partibus suffragari, & ut verius testatiusque sit quod asseveramus, adducet nobis in præsidium fidei de consilio utriusque Testamenti personas, de altero quidem Rachelem & Liam, de altero autem Martham & Mariam. Sed quorsum hæc omnia? profectò ut patenter advertas, sicut præmissum est, semper & otiosis & negotiosis virtutibus electos suos Deo complacuisse, nec alterutram partem umquam alteri præjudicasse. quia sicut acceptat Deus quod practicè laboratur, ita non excluditur ab ejus beneplacito, quod suo tempore theoreticè sabbatizatur.

Papæ autem ut nodosus es, frater, ut fungino capite es, & totum te tegis. Jam enim putabam te destitisse, & vel dicentis auctoritate, vel potius dictorum gravitate pressum, manus veritati dedisse. Et ecce iterum clangis tuba, iterum perstrepis ad arma, iterum excusando impugnas animum, qui tantopere otium amplectitur & quietem, minitans segnitiem & socordiam, quæ se theoriæ pallio amicit, te detracta pelle è latebra, quam fovet, protracturum in lucem: recurrisque ad prædictum Prophetam dicens, quod corrigendis perversoribus & eveneoandis scorpionibus tanto impensius acriusque instituisset, quanto furiosius eos ad repugnandum, & seipsum discerpendum animatos vidisset. Addis quoque pigritanti stimulum Flacci, quo ille satyrico Damasippi sui perornatus commento, in desidiam invehitur dicens:

Invidiam placare paras virtute relicta.

Contemnere, miser, vel medius proponis fortissimum illud constantiæ solamen, quo Vas electionis & solidissima mens primitivæ in Electos persecutionis manu detergit dicens. *Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur.* &, *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Adhibes quoque præter ea certanti scutum divinæ protectionis, quo Dominus in Propheta perduelles suos confortans dicit: *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum ut eruam te, dicit Dominus.*

Fateor quidem, carissime, vera sunt & ea quæ de crassa satyrici Damasippi profers minerva, ubi poëticum figmentum philosophicum habet argumentum; vel ea quæ de divino producis oraculo, ubi sine nube figmenti, clara patet veritas argumenti. Vera, inquam, sunt, & omnino idonea, non tamen omnino efficacia ad persuadendum, quando animus irrevocabili tenore ab his diversum elegit propositum. Didicisti cum Tullio docente oratoria officium & finem. Officium quidem, aptè ad persuadendum dicere: finem verò, persuadere dictione. Horum ergo alterum optimè asseris, dum aptè ad persuadendum dicis: alterum verò minimè quia dum persuadere dictione minimè vales, fine excidis. Nosti autem quod tanti æstimatur officium; nisi fine suo, id est effectu potiatur: quanti est satio, si numquam metatur. Proinde aptè de labore dicens, officio rectè fungeris: sed dum quietem & otium eligenti persuadere non potes, ut supra dictum est, fine excidis. Quis enim hodie otium negotio non præferat, quando, si labores in vacuum cadat; si cesses, tantidem valeat? Quia enim non temperet à labore, ubi urgato etiam eo de quo convenisti denario, minimum laboranti, plurimo conferat otianti, siquidem otio bene utatur? Quis autem, nisi mente captus, tali pergat tempestate supra spinas serere, ubi mala terra tribulis genuinæ perversitatis horrens, salubrem cultoris manum, & bonum verbi semen spernit admittere? Felix utique terra, in qua per verbum hominis seminatur verbum Dei, quæ cælestibus rigata & compluta docentium nubibus, centuplum reddit fructum ad horrea Domini Dei sui. Extrà terea illa ferrea merito cælum habet æneum, quæ accepto semine non fœcundata germine, quicquid spinatum & zizaniorum generat, in tempore messis alligatis fasciculis mittitur in ignem æternum. Denique tali terræ & tali vineæ cultoribus non respondenti Paterfamilias merito iratus, per Prophetam minatur dicens: *Non putabitur, nec fodietur, & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* scilicet eos quos secundum propositum prædestinationis prævidit damnatom iri, hoc verbo secernens ab his, quos præscivit & prædestinavit consortes fieri imaginis filii sui. Inde etiam, ut arbitror, Legislator & Prophetarum Dominus in suo, de quo tota Lex pendet & Prophetæ, Evangelio loquitur dicens: *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas mittatis ante porcos.* quo utique verbo damnandos secrevit à salvandis, ne surdis prædicando in vacuum cedat pia sollicitudo laborantis.

Jam tandem, carissime, fateris, ut arbitror me tali temporis articulo mihi, tibique, & piis omni-

bus, nec frustra, nec otiosè exoptasse otium: quippe quando nec honesto, nec utili, vel certè (quod his antiquius est) saluti non respondet negotium. Unde, ut arbitror, veris victus, & quietis illecebrâ ductus in nostram cedis coloniam, nec ultra, si sapis, infensor otii contra defensorem insinues querelam. Ut autem pernoveris quod nunc huic tomo maximè in causa est, mihi quidem optabile requiro otium; utpote qui longe lungeque ultra legitimæ missionis metam emeritis milito stipendiis: tibi verò, licet adhuc succulento & viridi, & piis omnibus, eandem, quia timeo, vel certè video quod in laborando frustra volvitis rotam nativitatis. Quare autem frustra, quia superius abunde est expressum, castigatæ disputationi idem repetere superfluum est. Nosti præterea quod Levitæ ex mandato Legis à xxv annis & supra jubentur ministrare; à quinquagesimo verò qui & Jubilæus est, & mysticis celeberrimus sacramentis, custodes vasorum fore. Maturius autem lege militarium sanctionum tyrones scribuntur ad militiam; eamdem tamen, quam & illi, legitimæ missionis habent metam. Cathedra quoque Scholaris magisterii & juxta metam militaris disciplinæ in auditorium catecheseos habet januam institutionis: sed longè maturius absolvitur exitu necessariæ missionis. cujus laboris tempus, quia nihil difficilius sub sole geritur, vel quod magis operarii sui vires exhauriat, à sapientibus præfinitum est septenne, nisi de cetero is qui præest, auctoritate præsideat, non labore. Omnes itaque has metas, partim tu, carissime, ex toto: ego jam dudum transegimus, & adhuc gemimus sub fasce. adhuc in eodem desudamus labore; & nulla nobis adhuc arrisit gratia emeriti honoris, quæ ex æquo compenset vicem tanti laboris. Non est, præter admodum paucos, qui opus illud retractet, non est qui recogitet. Liberales enim disciplinæ mimis & histrionibus posthabentur, & pæne per tabernas mendicare videntur, pecunia illa super ... philosophatur mammona, super Reges & Tetrarchas omnibus dominatur. Ad summam omnia virtutis præmia feralis possidet avaritia, & in regno pecuniæ ambitio sua taxat mercimonia. Quid de tantillis nobis credamus futurum, ubi lapides sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum? Quæ verò sperari vel concupisci potest, aut dignitatum ministratio, aut spiritualium vasorum custodia, ubi non vasa misericordiæ præparata in gloriam, sed ubique videntur vasa iræ apta in interitum, à vasis craterarum usque ad omne vas musicorum?

Scientiæ infructuosæ.

Ex eadem itaque toxicata avaritiæ radice, & ex hoc pestifero zizaniorum semine male orta est & quotidie in pejus pullulat exitialis morum & disciplinæ jactura, adeo ut in nullo regularis officii regimine liceat uti sollemni majorum censura vel ferula: sed si tortuosis vitiorum anfractibus manum in virga directionis stimulo represseris, continuò pro majoribus quidem aut multitudo similium propugnatrix, aut pecunia defensatrix accedat: pro minoribus verò aut immatura libertas, aut allatis pedibus fuga liberatrix intercedat. Sed de majoribus silere præstiterit, veritas enim odium parit. At verò hi qui adhuc sub scholari ferula erudiendi essent, quia ignaviæ, socordiæ & deo suo ventri manus dederunt, dum instrui refugiunt ad gravitatem moralis disciplinæ, ut levis palea circumferuntur omni vento doctrinæ, & juxta eumdem Apostolum sanam doctrinam non sustinentes, sed ad sua desideria coacervantes sibi magistros, prurientes auribus, vanis & pestiferis inserviunt vocum vel quæstionum novitatibus: & qui adhuc nudum & molle lutum in rota disciplinæ artifici pollice & vehementi torno formari deberent in vasa gloriæ, ab inde in æterna fugitando resilientes deformantur in vasa contumeliæ. qui etiamsi aliquid extremæ vel garrulæ cujusdam scientiæ colligant per eruditoria, quasi vagi palantesque nullo contenti discursant. quia de moribus extrema, vel nulla quæstio est, reversi ad suos, excusso ab indomita cervice timoris jugo, & disrupto disciplinæ freno, seipsos perdite vivendo, alios fermento malitiæ corrumpendo, totos rapiunt in præceps.

Auctor mala sui temporis deplorat.

Quidam verò sectæ cujusdam institutionis pseudomagistri, dum certum ignorant præsepe, nec in sua quæ non habent, se possint recipere, hac illac per villas pagosque urbesque circumcursant, novas Psalterii, Pauli, Apocalypsis lectiones tradunt, juventutem novorum cupidam, levitatis pedissequam, disciplinæ refugam, post se per voluptatum declivia trahunt: reverentiam disciplinæ, subjectionem obedientiæ, observantiam religionis, postremo omnia regularis vitæ munia perditissimâ morum corruptione confundunt.

Et ne fortè me putes in hujusmodi derogantis linguæ tela dirigere, & novorum, immo meliorum suggillationem invidiose texere; non omnino credas verbis meis, crede potius oculis & auribus tuis. Vide si placet quàm sanæ doctrinæ, quàm salubris disciplinæ, Theologi de Turonensi emergant academia, cui præsidet ille apostolus satanæ BERENGARIUS. Vide inquam, quàm pestilentes, immo letiferi scorpiones & reguli de cavernis erumpant totius nostri temporis Babyloniæ. qui hæresiarchæ sui musto ebrii, & veneno delibuti, de sacris sacrilegas introducunt novitates quæstionum, ad nihil utiles, nisi ad subversionem audientium: quorum sermo ut cancer serpit: quia scientia quæ inflat, non ædificat, sed subvertit.

Berengarii perversa doctrina.

Isti de rebus sacrosanctis, de cælestibus scilicet Sacramentis, quæ sancti Patres, quotiens ad ea se audebat tractatus eorum attollere, videntes ea non solum sermonem, sed etiam humanam superare rationem, & reverenter, ut oportebat, attingebant; &, ubi opus erat, habentes clavem David, subtili discretione aperiendi, & claudendi, quantum ad sobrietatem sapientibus satis esset, ea catholicè exponebant. de his, inquam, rebus & Sacramentis & novas, & peregrinas cudunt à fide intelligentias; & ipsa Sacramenta cælestia, quæ in altari consecrantur, dicentes umbram esse non veritatem (quod lingua refugit & auditus perhorrescit) obnoxia contendunt ventri & secessui juxta naturæ necessitatem, quæ scilicet naturæ Dominus in fœdere humanæ reconcilationis omnipotentiâ suâ Sacramentum fecit, & Christianæ animæ escam spiritualem, unde in æternum vivat, dedit. Hi eumdem Agnum paschalem, qui eadem Sacramenta in seipsum ineffabiliter transformans nobis condidit & consecravit, crudum vel coctum aqua, non assum igni comedunt, & quod ejus residuum est, & semper erit (quia nullus umquam mortalis, quantumlibet sciens, ad incarnati Verbi arcanum plena intelligentia in hac vita penetrare potuit, aut poterit) igni non comburunt. Isti improvidam simpliciorum fratrum facilitatem, & maximè curiosam discursantium perfugarum levitatem novo quodam docendi lenocinio occupantes, primo ipsam Scripturarum superficiem, quasi planam ad septicolumnem sapientiæ domum ostendunt viam; & rectam, velut ad portum salutis, demonstrant semitam: deinde sophisticæ disputationis retibus captos, & carnalis scientiæ acumine hebetatos, per captiosos necessariæ argumentationis docent anfractus: donec extranea & à salute peregrina quæstionum novitate pulcrè ad perniciem instructos, unà secum demergant in puteum interitus.

Tales ergo quia non advertunt, quod non hu-

mano aut sæculi sensu in Dei rebus sit loquendum, quodque inventum mel ad sufficientiam, non usque ad nauseam sit comedendum; dum sua freti sapientia nimium Majestatis profunda scrutantur, oppressi à gloria in errorum profunda præcipitantur: & dum impudenti carnalis sapientiæ audacia lippientes oculos animalis hominis, qui non percipit ea quæ Dei sunt, in verum solem defigere nituntur, ipsius inaccessæ lucis radiis repercussi, in exteriores errorum tenebras projiciuntur. Isti de divinis Sacramentorum mysteriis, semper quidem reverendis, nec umquam humano sensu aut ratione attingendis, dum impiis non timent contentionibus inservire, nihil sano auditu dignum merentur diffinire: & dum naturæ terminos volunt includere, & id quod totius rationalis creaturæ rationem superat, humana ratione pergunt concludere, verè in lapidem offensionis & petram scandali impingunt: quia de piis sanæ doctrinæ uberibus pro lacte, butyrum aut sanguinem exprimere contendunt. Hanc mortiferi dogmatis pestem ab Ecclesia sua Christus Jesus radicitus evellat, priusquam modicum fermentum totam massam corrumpat.

Cùm ergo hoc tosico, insuper & multiformi malitiæ & nequitiæ fermento tota undique fermentetur Ecclesia, nec usquam pæne sinceritatis & veritatis integrum servetur azyma: cumque nemo pæne sit qui contra hæc vel ad vera bonæ vitæ instituta, vel laboret ipse, vel laborantem debita mercede remuneret; & ob hoc ipsa quæ vis residua est, laborantium paucitas tædio victa, à labore temperet: quis negotio non anteponat otium? quis inutili labori & clamori ad surdos non præferat quietem & silentium? *Posui*, inquit, *ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis*. Et quid hujusmodi humiliatis & à bono silentibus agendum sit, Jeremias docet dicens: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se.*

Hæc omnia sapienter despexit HERIMANNUS Remensis, DROGO Pariensis, Spirensis HUOZMANNUS, Bavenbergensia MEINHARDUS, & præterea multi, & præstantes, & præcipuæ auctoritatis viri, qui præcisis speciebus, & abdicatis laboribus, studiis vale fecerunt; & sapienti consilio usi, in Theologiæ otium concesserunt. Ego verò quid facerem? cur non idem vitæ propositum de cetero eligerem? Ego verò ac lubens. Ad hoc enim etsi generalis piorum omnium querela vel causa me non urgeret, singularis tamen vitæ meæ decursus & rerum mearum proventus me idem eligere satis moneret. Vitæ namque decursus continuo laboris attritu effetas exhaurit, si quæ supersunt, corporis vires, & prematuras inspergit capiti nives: unde & maturum mihi minatur exitium, nisi maturè me conferam in quietem & otium. Proventus autem rerum mearum, licet abunde expetendarum affluat copia, tamen maximè desiderabilium aportatur inopia, eorum utique de aureo majorum sæculo priùs audita, quæ felicioribus nostræ memoriæ diebus ipse oculis meis vidi, scilicet fidem non fictam, & veritatem integram; præceptum Domini in invicem conservare, justitiæ & æquitati nihil anteponere; nihil remittere de gravitate disciplinæ & religionis, nihil admittere quod non esset publicæ utilitatis & honestatis; ceteraque id genus omnia, quæ in luteis humanæ naturæ eratibus auratis possunt mentes ædificare, & in vasis fictilibus desiderabiles thesauros reponere. Hæc sunt quæ melioribus nostræ memoriæ diebus me videre, & his interesse serio gaudebam. Nunc verò quia pæne ex toto defecerunt; non tam meam quam communem defleo miseriam.

Qualis antea rerum status.

Et ut antiquiora, & ob hoc meliora se tacetm tempora, & de his loquar quæ partim ipsi vidimus, partim recenter gesta fideli relatione didicimus; à diebus domini NOTGERI nostræ urbis Episcopi, eorum Pontificum qui ei contemporales in Ecclasia florebant præcipui, usque ad hæc quæ jam in miseria defluxerunt duo lustra, misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Nunc autem de terra sublata est, & justitia in cælum recessit, & repentino quodam fortunæ impetu, & monstruosa rerum perturbatione inversa & perversa sunt omnia; & ut breviter dicam, omninò prædictis contraria. adeo ut si quis inter has sæculi tempestates eodem rationis clavo & eadem via mandatorum, quasi cælestium ductu siderum, velit seipsum & sibi credita regere; ipsâ turbinis violentiâ perculsus cogatur ab incœpto resistere. quod quàm horribile, quàm monstri simile sit, nulli facilè explicabile est. Legimus enim nobile illud prioris sæculi aurum argento ceteris inferioris pretii metallis sensim & per temporum intervalla degenerasse, nec tam subitò sui coloris speciem amisisse. Nunc autem, ut præmissum est, monstruosa & inaudita quadam rerum perturbatione, quasi in momento, à suo statu subversa sunt omnia: nec pæne quisquam est, qui proprii ordinis vel officii servet legitima: sed desiderabile illud nostri temporis aurum repentino quodam casu, non, ut prius, per temporum intervalla, non in argentum vel cetera quantivis pretii metalla, sed in stipulam & fœnum, aut certè in favillam & cinerem omnino redactum est. Ut enim cuncta quæ superiùs objectis tuis respondendo dequestus sum, compendioso recolligam epilogo, postquam clarissima duo Ecclesiæ luminaria, quæ nimis sero Deus accendit, & nimis maturè in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum abscondit, HENRICUM dico secundum Imperatorem, & LIUTBOLDUM Moguntinæ sedis Protopræsulem, in quos aurei sæculi fines cum maxima sui decoris specie devenerunt: hæc, inquam, clarissima duo luminaria, postquam ab his tenebris ad veram lucem, à qua etiam huc alluxerunt orbi terræ, ut oramus & optamus, assumpta sunt; quidquid divinæ religionis, quidquid æquitatis & justitiæ, quidquid liberalium studiorum, quidquid moralis disciplinæ ubique vigebat, sicut tunc temporis Ecclesia & vario virtutum decore & multiplici liberalium litterarum propagine florebat, cum eis pariter sepulta, immo in cælum recepta sunt: ita ut nihil eorum pæne remanserit in terra præter admodum pauca, & hæc ut umbræ inanis vestigia.

Namque in primis hi qui in populo Dei Magistratus & Duces locum regiminis occupant, sine respectu Dei videntis, sine metu hominis corrigentis, omnes pænè quæ sua sunt quærunt, non quæ communiter & aliorum: quia non est timor Dei ante oculos eorum. & ideo contritio & infelicitas in viis eorum. Et quomodo cognoscent viam pacis, qui devorant, inquit, plebem meam ut cibum panis? Quia verò non est qui hoc requirat, non est qui arguat; pro studiis divinarum Scripturarum invaluerunt studia partium, pro gravitate & modestia religionis gloria & gloriatio vanæ elationis: & dum divitiis & honoribus gestiunt alter alterum prævenire, nec timent profanis mentibus odiis & contentionibus deservire; nec quidquam pensi habent, cùm tyrannidem potiùs quàm regimen exerceant: ad quem exitum, immò exitium talia provenire debeant? Hæc autem majestas & talis potestas, si quando sedeat pro tribunali, ut subjectorum facta debeat examinare, & neglecta in oculo suo trabe de oculo alterius festucam eruere; avaritia comes in medio ad-

stans declamat querelas, exudat causas, fas & nefas, sacea & profana in medio babeei deplorat: miseeationem judicum, auctoritatem legum, juea divina & humana implorat; & nisi id quod arguitur, in loculos numinati illius qui inceſſerit fuerit punitum, peetuebationem couqueritue fore omnium judiciorum. Hoc autem tonitruo cunctis teeeoee perculsis, ipsa uteimque susurranti inchoat aurem, utrique partim linguam aptat venalem, utrumque torvum retoequet oculum, utrique promittentt rapacem porrigit manum: & quem modò quod concupivie babentem accusat, modò quod quærebat dantem exeusat: perorata verò causa viulentiæ & eapacitati ceteeisque eoucuetalibus suis media eesidens, de libeo suo legit quod sit justum, & eisdem jueatis legibus sibi assentientibus lege nummulaeia in eeum profert judicium; & tamdiu vinculatus tenetur reus, donec illum absolvat mammona deus: queinque modò Labeonem lege Cæcilia suffixit cruci, modò Catonem lege monetana donat cueuli. In omni autem concione bujus potestatis hoc peoponit auctoritas legum, iu hoc conientit summa judiciorum, ut qui non potest solvere de immenso suo, solvat quod compar sit de dimenso suo: & si non habet unde soivatur, sine miseratione cruci figatue.

Inde est quod cum in nundinis sanctum videmus Evangelium, venales in Ecclesia columbas & cathedras vendeotium, uec longè ab his mensas nummulaeiorum, quis hodie nec gratis quidquam accipitue, nec gratis datur. cum bæc, inquam, videmus, attentiùs vacamus omnes foro quàm choro, cautiùs usueis quam Scriptueis, impensius meecationi quam eeligioni; magis implendis capaeibus marsupiis, quàm assequendis libeealibus studiis: & omnino omissis bis quæ evangelica veritas, apostolica institutio, sanctorum Patrum auctoritas ecclesiasticis sanxit disciplinis, sæculaeium desideeio adeo inhiamus, cumulandis divitiis tantispee occupamur, ac si tali peetio vitam æteenam mercari mereamur. Quare hoc? quia tauti quantum babeas sis. *Omnis enim res*, ut ait quem nosti,

Horatius. *Virtus fama, decus, divina humanaque pulcris*
Divitiis parent, quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam Rex,
Et quicquid volet.

Cum ergo ex ea quæ malorùm omnium radix est avaritia, hæc horribilis spinarum silva emergat; facile, immò horribile est videre, hoc spinetum quem fructum ferat. Inde est quòd dum acquirendis immorimur studiis, in comparandis honoribus inviecem præcurrentes, non honore invicem peævenientes; antiqua divinæ religionis immutata facie, paterna moralis disciplinæ pæne in fabulam redacta institutione, fratee fratri invidemus, alter alteei mordendo deeogamus: invicem accusantes intestina bella movemus, acutis verborum spiculis fratrum corda eonfodimus; dolos in corde versantes, simulationem in vultu, fallaciam in verbis proferimus, & omnino ad injueiam maudatis Dei omnia maudata ejus peæ pecunia parvi babemus. Posteemo omnes levitate & moeum inconstantia, quasi arundo ventis, adeo agitamur, ut in quo pridie studiosius vehemens vel certè nimius fueris, postridie nequidem memineris. Et quid supee his speramus futurum! ceeiè boc, ut facto de resticulis flagello omnes hujusmodi Dominus ejiciat de templo. Valde etiam timendum est triplex illud animadversionis flagellum, quod pee Prophetam populo peccatori Dominus iotentat dicens: *Ecce ego inducam super eos gladium, famem, & pestem, & disperdam eos in omnem ventum.* Hujus autem flagelli quosdam quasi ramos & peænuncios videmus iensim de terra oriri, quando paulatim conterit Dominus baculum panis & lætitiam vini, dum inter Christianos audimus geri bella & seditiones, supee Christianos pagaoorum erebeas incursiones. Unde datur conjici id quod restat, nisi correctione uostra peopitietur Deus, non diu dilatum iri.

I nuoc, Frater, age contea otium & quietem, & qui ea hoc tempore concupiscit, voca pigrum & socordem. Et ô utinam desperatis laborum præmiis ea putiamue optata & salubei quietè, cui non labor succedat, sed gloeia accedat in Senatu cælestis curiæ! Si quid, Fratee, nosti rectius, candidus, imperti: si non, uteee mecum. Quod si generosa magnanimitatis tuæ foetitudo adhuc bis non acquiescat, & eam nihil arduum aggredi pigeat: alium quàm me tibi quære Ferentarium, quia me boc tempore in pugna non habebis locium: vel quære alterum Maetium, cui opus hoc committas, cui tamen bonis initiis meliores eventus, quàm illi Romano tribuas. Ego veeò licet in illo quàm ferali, tam diutino vinculatus eaccere, quantalibet poteeo effetas vires solaboe quiete: & spero quod aliquando tandem exaudiae, & longa optatæ missionis ducens suspiria, si nou emeritus, saltem emissus, alicui transceibam mea teistia regna. Nihil verò in voto meo ponens, aut volontati relinquens, me lutum suum ex toto committo Figulo meo: ipse me fingat in eota sæcularis oedinis, peout sedeeit beneplacito suo: utcumque me ejus toenet potentia, nihil addam, nisi sollemne illud obedientiæ verbum, *Fiat voluntas tua.*

Constat, Feater, quorsum aberravimus, quoesum à recti itineris linea cuesum nostrum detersimus: quoniam me abduxisti ignarum, adque veiborum diverticula me traxisti dulcedine tuæ caritatis ebrium. Vide fratee, & diligenter vide, ne dum quædam Scripturarum sidera incautè sequimue, in cautes & syetes adacti charybdeum incurramus naufragium. Vide, inquam, etiamsi minùs libito, ne dictum sit amplius licito, quia flagelli plaga livorem facit, flagellum linguæ comminuit ossa. Peoinde jam nunc illuc redeat oratio, unde abiit, & ad te revertatur, unde prima ejus scaturigo profluxit: & quia à caritate cœpit, in caritate desinat. Caritas verò numquam excidat, sed hic sata & crementata, veram sui plenitudinem præripiat in vita æeerna. De peobitate autem tua, gravitate, modestia, & constantia, deque ceteris bonæ vitæ functionibus satis in superioeibus dictum sit: de affectione veeò tua, benevolentia, ceterisque humanieatis officiis, neque hîc, neque ibi satis umquam dici poterit. Hoc tantùm tibi imprecee, ut semper in melius & majus proficias, donec ad eam aspires ceementi plenitudinem, in qua nullum detrimentum pertimescas. Porro hunc quia desiderabilem thesaueum in fictili vase servas, non otiosum duco si te communefaciam, ut diligentee adhibeas pervigilis cautelam custodiæ. Hoc autem feceris, si cunctas tuæ civitatis portas, omnes hujus luteæ domus fenestras, custodia humilitatis sub sera & sigillo habeas: si cunctos hujus fictilis vasis exitus & aditus virtutum repagulis munias, ne vel exitus his qui intus seevantur, vel aditus pateat his qui foris insidiantur: quia si elationis levitate foris effluant ea quæ intus bene congesserat opeeosa manus sollicitis laboris, continuo ea, aut difficile, aut numquam recolligenda disperdet & dissipabit ventus supeebiæ in perditionem suæ vanitatis. Si veeò à foris patente aditu maligni ierupeeint bostes, ea quæ plueimo cum labore intus gessisti violentee diripient, nihil reliqui victo prætee gehennam facientes. Peoinde quidquid grattarum in te divinitus collatum est, quidquid divini muneeis in thesauro conscienciæ tuæ collectum est; nec mihi imputetur plantanti & riganti, nec

tibi terræ ubertim fructificanti : sed totum referatur ad Patrem luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum.

Possem quidem uberius & plenius perfectionis tuæ munus applaudere : sed propter notam ostentationis non patitur gravitas modestiæ. Librum autem quem mihi scripsisti, quemque mihi scribendo occasionem fecisti, in quo mihi articulos digitorum, oculos & animum, inclinium cervicis, laborem capitis, immo te totum animo meo insinuasti; in exterioribus meis non invenio unde possim ex æquo recompensare, vel plurimæ benignitatis tuæ talionem reddere. Sed primò rogarim ab eo tibi restitui, à quo hæc & omnia quæ habes bona accepisti, ut ad invicem hujus benevolentiæ aureis bonorum operum litteris nomen tuum scribatur in libro vitæ. Dein non dormitabit nostra erga te perpetua devotio, si permodestè succinctis rebus nostris, quantum utrique nostrum ad honorem conducat, remunerandi subluceat occasio.

Jam tandem his quæ dicenda erant, prout negotia patiebantur, explicitis, calamus se totum novo scribæ scalpello, non Judaico, sed scholastico more circumcidat; & ad te recipiendum, salutandum, festivè habendum, non quantum latiùs, sed quanto lautiùs valet, accingat, quia te quem interius in visceribus Jesu-Christi teneo complexum, aforis non dimittam, nisi lautè acceptum : sujusque ejus dapis te esse debiturem, cujus te nobis festivum exhibuisti convivam & assessorem. Saluto te cum paucis, licet sim cum multis : quia vel pauci sunt indigenæ ejus quem servo coloniæ, qui norint quanta virtutum dote industrium ornaris animum; vel pauci sunt boni rerum æstimatores, qui sanum de rebus ferant judicium. Si enim te noscerent, & de te pro meritis æstimarent hi qui multa bona noverunt & oderunt, profectò te amarent. Saluto te cum his cooperatoribus nostris, qui ad bonam frugem instituti de academia nostra ascenderunt, & in locis certè præcipuis magisterii cathedram sibi vindicaverunt. Saluto te cum tyrunculis nostris, qui adhuc in scholari desudant palæstra; nobilissimum utique bonæ indolis florem, qui ad nutum oris nostri fructum suum meditatur etiam sub ferula : quorum etsi nomina tibi scripto legeres, tamen notitiâ careres, cum faciem ignorares. Quo tamen verbo me ipse coarguo : quia si cujusque notitiam ex facie metiris, nec te nosti ipsum, tùm faciem tuam numquam ipse videris. Saluto te super omnia ea genuina caritate, qua te in cunabulis disciplinæ, elementario eruditionis lacte nutrivi, & ad solidum perfectioris doctrinæ cibum usque perduxi, ut de cetero commilito meus in acie, & concolonus in labore, communiceps mihi sis supernæ civitatis & coheres æternæ hereditatis. Salutatus ergo saluta ex meo nomine humili fratres meos, non quos caro & sanguis in unam mihi congeneravit cognationem, sed quos aqua & Spiritus in unam mecum regeneravit adoptionem : ut coheredes Christi in regno Dei Patris testamento sanguinis ejus sortem accipiamus æternæ beatitudinis. Saluta ergo patres & dominos, fratres & amicos; patres cura regiminis, dominos dignitate prælationis; fratres in Deo Patre, amicos in caritate. Saluta inquam unumquemque eorum, prout nosti mecum esse vel tecum. Salutatio mea sit ad vos omnes, ut eo adjuvante in quem credimus, pariter simus æternæ vitæ consortes. Amen.

ADNOTATIO.

Superiorem epistolam ex codice ms. bibliotheca Dolensis sancti Hieronymi Collegii, quam in Germanico itinere transcursim perlustravimus : rogatu nostro describi curavit R. P. Prior e Congregatione sancti Vitoni, Ambrosius Mercerius, qui nos cum magna humanitate ibi excepit. Quis sit hujus epistola auctor Gozechinus, satis patet ex ipso epistola contextu : in qua se apud Leodium litteras docuisse, & Moguntiam tandem secessisse dicit, tadio victum rerum humanarum, variarumque turbarum quas rerum novitas, ac præsertim perversa Berengarii doctrina, non satis coercita, facessebat. Valcherus, ad quem scripta est epistola, ex Gozechini discipulo successor evasit, nescio an is, quem Adelmannus in Rythmis alphabeticis laudat, scilicet Walterus Burgundio, ubi scholas multas flagranti studio expilasse, & ad fines Allobrogum, cum ex Italia rediret casus fuisse memoratur. Hos rythmos consule sub finem tomi primi Analectorum. Porro hac epistola scripta est paullo post mortem Henrici II Imperatoris & Linthbaldi Archiepiscopi, uti auctor superius, nempe pag. 387 indicat : ac proinde sub annum M LX, qui à Linthboldi obitu proximus; à morte Henrici Imperatoris secundi, aliis tertii, quartus fuit.

Superiori epistola aliam, itidem contra Berengarium scriptam, subjicere visum est, eam scilicet, quam Baronius & Chappeavillus perperam sub nomine Durandi Leodicensis Episcopi, & quidem mutilam ediderunt ex ms. codice Marcelli civis Rotomagensis. Idem ipse codex nunc asservatur in amplissima Bibliotheca viri eruditione & genere ornatissimi Emerici Bigotii. Eo in codice, non Durandi nomen (qui ante natam Berengarii haresim devixit, scilicet anno M XXIV) adscriptum legitur : sed prima dumtaxat littera D. Deoduinum seu Theoduinum significans, Wazonis successorem ab anno M XLVIII. ad M LXXV. Eodem modo ejus nomen decurtatum legitur in codice percelebris monasterii sancti Audoeni apud Rotomagum : quem codicem cum Bigotiano contulimus.

Deoduini epistola propter argumenti affinitatem subjicere visum est sancti Brunonis fidei professionem, quam morti proximus edidit, damnata haresi Berengarii, cujus discipulus fuerat, si fides est Chronico Malleacensi. Hujus professionis breve fragmentum refertur in ipsius Brunonis actis : sed eam integram nobis communicavit venerabilis ac religiosus vir Domnus Leo Vasserius, Prior Cartusia S. Juliani prope Rotomagum, amicus meus. Eam deinque professionem sequuntur alia dua breves orationes, in quibus fides & adoratio sanctissimi Sacramenti continetur, una sancti Anselmi ex ms. Sacramentario Lirensi : altera incerti auctoris ex Carnutensi sancti Petri, quod annos sexcentos excedit.

INCIPIT

EPISTOLA D. LEODICENSIS EPISCOPI

De Corpore & Sanguine Domini.

GLoriosissimo & invictissimo Regi Francorum H. * D. * Leodicensis Antistes, temporalis regni gubernationem ita moderari, ut in æternum cum sanctis ab omnipotenti Deo merito debeas coronari. Fama supremos Galliæ fines prætergressa totam Germaniam pervasit, jamque omnium nostrûm replevit aures, qualiter BRUNO Andegavensis Episcopus, item BERENGARIUS Turonensis, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, adstruant corpus Domini, non tam corpus esse quàm umbram & figuram corporis Domini : legitima conjugia destruant, & quantum in ipsis est Baptismum

* Henrico.
* Deoduinus.

parvulorum evertant. Quos ad revincendum & publicè confutandum eo zelo, eoque fervore quo erga sanctam Ecclesiam divina inspiratione plurimum semper ardetis, aiunt vos Concilium advocasse, ubi tandem illud tutius nobilissimi regni vestri, heu nimis turpe opprobrium de medio auferatis, & in æternum, si fieri potest, ab ipsa omnium* memoria deleatis. O pia voluntas & vere Rege dignissima! quæ utinam effectum habere posset, ut in tanto sacrilegio convictos (quod certè facillimum est) absque ulla dilatione debita ultio consequeretur.

* hominum.

Sed desperamus id fieri posse, cùm Bruno existat Episcopus: Episcopum autem non oporteat damnationis subire sententiam præter apostolicam auctoritatem. Igitur omnes quicumque sumus filii sanctæ matris Ecclesiæ, in maximo dolore positi sumus. nam plurimum veremur, si illis miserrimis & perditissimis viris audientia sancti Concilii (sicut ipsi de pæna securi postulant) permittatur, cum de tanta præsumptione revictos puniri minime* concedetur, gravissima scandala in omnium Fidelium & populi generari. Certè quos videbunt impunitos, & nequaquam à sui gradus honore dejectos, eosdem putabunt ab omni Concilio aut vinci non potuisse, aut justificatos esse, eruntque (ut ita dicam) novissima pejora prioribus.

* al. non liceat.

Ergo majestatem tuam omnes exoratam vellemus, ut interim illorum impiam, sacrilegam, & nefariam assertionem audire contemneretis, donec accepta Romanæ sedis auctoritate ad præsens illos post audientiam damnandi potestatem haberetis. Quamquam hujusmodi homines nequaquam oporteat audiri: neque tam est pro illis Concilium advocandum, quàm de illorum supplicio exquirendum. Tunc quippe hæretici necessariò audiendi fuerunt, quando & hæ* ipsæ, & hujusmodi quæstiones, utpote quæ nondum ad unguem discussæ fuissent, in dubium venire potuerunt: ut per congressum certaminis patesceret, utra pars staret pro defensione veritatis. quod idem nunc profectò fieri non oportet, quia creberrimis sanctorum Patrum Conciliis, tum etiam venerabilium Doctorum clarissimis sententiis ita omnia sunt eliquata, ut ne minimum quid resederit de omni fæce dubitationis.

* al. hæreses.

Sed nos ex multis epistulari brevitate cogente pauca exponemus. Et primo ponemus exempla pertinentia ad corpus & sanguinem Domini. Ait itaque beatus Leo Papa: « Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Christi ambigatis. Item sanctus Cyrillus: » Non communem, inquit, carnem accipientes, sed « verè vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Ergo si propria, quomodo umbra? si propria, quomodo figura? Item beatus Ambrosius: » Ne esset, inquit, veluti quidam horror cruoris, sed maneret tamen gratia Redemptoris, ideo similitudinem accipis, sed vere naturæ gratiam virtutemque consequeris. Item ipse in libro de Sacramentis: Quid hic, ait, quæris naturæ ordinem in Christi corpore? cùm præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine. Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem corpus efficitur. Item ipse in eodem: Vinum, inquit & aqua in calicem mittitur; sed fit sanguis consecratione verbi cælestis. Pretiosum sanguinem bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis. Et beatus Augustinus dicit ita: In ipsa carne ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. « Ergo si ipsam, non umbram, non figuram, ut Bruno & Berengarius affirmant. Et in alio loco idem ipse exponens qualiter dictu msit de David: *Ferebatur manibus suis.* « Quomodo, inquit, intelligatur in ipso David, secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum ait: *Hoc est corpus meum.* « Ferebatur enim illud corpus in manibus suis. Corpus suum dicit, non, sicut Bruno & Berengarius, umbram & figuram. Item Basilius: O miraculum, ô Dei in nos benevolentiam! ait. Qui sursum sedet ad dexteram Patris, sacrificii tamen tempore, hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum. Item Eusebius dicit: Vere unica & perfecta hostia, fide existimanda, non specie; nec exteriore censenda visu, sed interiore affectu. Hilarius quoque idipsum testatur. » De veritate, inquit, carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. « Plura præter hæc exempla congerere possemus, nisi vitarem modum excedere.

Nunc de baptismo parvulorum ex libro Augustini de Verbis Domini pauca ponemus, ubi ille sic ait: Parvulus ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur *Credis in Jesum Christum?* fit interrogatio. Respondetur, *Credo*, pro non loquente, pro silente, pro flente, & flendo quodam modo ut subveniatur orante respondetur. Item ibi: Ubi, inquit, ponis parvulos baptizatos? profectò in numero credentium. Rursus ipse: Inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis apertè esse hereticus. » De legitimo autem conjugio, cùm & novi & veteris instrumenti multiplici auctoritate confirmetur, cumque non modo Christiani, verùm Judæi, immo etiam gentiles legalium nuptiarum copulis fœderentur; unum dumtaxat adversus Brunonem & Berengarium Toletani Concilii testimonium sufficere potest. « Est igitur in constitutione ejusdem Concilii xvii capitulum: Si quis dixerit vel crediderit conjugia hominum quæ secundum legem divinam licet habere, exsecrabilia esse, anathema sit «. Quam ob rem Brunonem & Berengarium jam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est, verè illis audientia Concilii deneganda est, & cum vestris, cumque nostris Episcopis, & (si vobis ita videtur) cum amico vestro Imperatore, cum ipso Papa, quæ vindicta in illos statuatur, deliberandum. Est enim justum, ut quorum manus sunt contra omnes, omnium manus contra ipsos excitentur.

EXPLICIT EPISTOLA D. DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

CONFESSIO S. BRUNONIS.

Fidem Magistri BRUNONIS, *quam communiter fratribus suis protestatus est, cum horam sibi appropinquare sensisset, ut omnis carnis viam ingrederetur, scriptam servare curavimus, eo quod satis intime coram Deo nos illius fidei testes esse rogaret.*

Credo firmiter in Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum-sanctum ex utroque procedentem, & has tres personas unum Deum. Credo quòd idem Dei Filius conceptus sit de Spiritu-sancto ex Maria Virgine. Credo quòd Virgo castissima fuerit ante partum, virgo in partu, & post partum virgo in æternum permanserit. Credo quòd idem Dei Filius conceptus sit inter homines, ut verus homo, sine

peccato. Credo quòd idem Dei Filius invidiosè à perfidis Judæis captus sit, injuriosè tractatus, injustè ligatus, conspuitus, flagellatus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferos, ut captivos suos inde liberaret, descendit propter redemptionem nostram, & resurrexit. Ascendit ad cælos, inde venturus est judicare vivos & mortuos. Credo Sacramenta, quæ catholica credit & veneratur Ecclesia: & nominatim quod consecratur in altari, verum corpus esse, veram carnem, & verum sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, quem & nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, in spem salutis æternæ. Credo carnis resurrectionem, vitam æternam. amen. Confiteor & credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, unum Deum naturalem, unius substantiæ, unius naturæ unius majestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profiteor. Ipse Pater à nullo originem ducit, ex quo Filius nativitatem, & Spiritus-sanctus processionem accepit. Fons ipse igitur & origo est totius divinitatis: ipse quoque Pater essentiâ quidem ineffabilis, substantia sua Filium genuit ineffabiliter, nec tamen aliud quàm quod ipse est. Genuit Deus Deum, Lux Lucem. Ab ipso ergo est omnis paternitas in cælo & in terra. amen.

ORATIO DICENDA.

Ante perceptionem corporis & sanguinis Domini edita ab ANSELMO *Archiepiscopo.*

DOmine Jesu-Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu-sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, adoro & veneror hoc sanctum corpus tuum, & hunc sanctum sanguinem tuum, quod traditum, & qui effusus est pro multis in remissionem peccatorum. Deprecor clementiam tuam, misericors Domine, per horum virtutem, fac me unum de illis multis, & fac me hæc sic sumere per fidem & affectum, ut sentiam ea per salutis effectum: & absolve & libera servos & ancillas tuas, me, & omnes qui mihi confessi sunt sua peccata, & pro quibus promisi vel obnoxius sum orare, & qui se sperant vel petunt meis orationibus apud te juvari, ab omni peccato & pœna peccati: & fac ecclesiam nostram continua tua protectione & consolatione lætari. Qui cum Deo Patre, &c.

ALIA ORATIO.

Item ante Communionem contra pervasores.

IN spiritu humilitatis & in animo contrito ante sanctum altare tuum & sacratissimum corpus & sanguinem tuum, Domine Jesu-Christe, redemptor mundi, accedimus, & de peccatis nostris, pro quibus justè affligimur, culpabiles contra te nos reddimus. Ad te Domine Jesu venimus, ad te prostrati clamamus: quia viri iniqui & superbi, suisque viribus confisi, undique super nos insurgunt, terras hujus sanctuarii tui, ceterarumque sibi subjectarum ecclesiarum invadunt, deprædantur, vastant: pauperes tuos, cultores earum, in dolore, & fame, atque nuditate vivere faciunt, &c.

DIPLOMATA PRO COENOBIO CAMPIDONENSI

Diploma LUDOVICI PII.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi HLUDOWICUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei eique in eisdem locis famulantes, beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris; quia concessimus monasterio, quod dicitur Campiduna, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ semper Virginis, & sanctorum Gordiani & Epimachi martyrum, quos bonæ memoriæ HILDEGARDA mater nostra ad eumdem locum, pro divinis eis officiis adhibendis collocavit, ubi & nunc venerabilis Abbas TATTO præest, ut quandocumque divina vocatione prædictus Abbas vel successores ejus de hâc luce migraverint, pro divinæ auctoritatis gratia & amore præfatæ Hildegardæ matris nostræ, monachi ibidem Deo militantes licentiam habeant, quamdiu inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundum Regulam sancti BENEDICTI regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum eligendi Abbates: quatenus ipsos monachos, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge proleque nostra, atque stabilitate totius imperii nostri, proque memoria beata genitoris nostri, matrisque nostræ Hildegardæ, Domini immensam clementiam exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem ut pleniorem in Domino obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris veriùs credatur & diligentiùs conservetur eam manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum HLUDOWICI serenissimi Imperatoris.

HIRMINMARIS Notarius advicem HUGONIS recognovi, & subscripsi. Data Kalend. Septembris, anno Christo propitio XXVI imperii domni Hludowici piissimi Augusti, Indictione II. Actum Cabalauno civitate palatio regio in Dei nomine feliciter, amen.

Aliud ejusdem

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi HLUDOWICUS divina REPROPITIANTE clementia Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis propter amorem Dei & reverentiam inibi sibi famulantium, quippiam beneficii de rebus transitoriis ad necessitates eorum sublevandas conferimus, id nobis procul dubio ad æterna præmia consequenda profuturum minimè dubitamus. Idcirco noverit industria omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, quia ad deprecationem dilectissimi fratris nostri DROGONIS venerabilis Archiepiscopi, sacrique palatii nostri summi Capellani, quamdam cellulam, appellatam Aldrici-cella, quæ domino ac genitori nostro CAROLO præstantissimo Imperatori tradita est, quæ in Ducatu Alamanniæ sita est in pago Albigoi, ad quoddam monasterium, quod dicitur Campidona, ubi præsenti tempore venerabilis TATTO

Abba

Abba præest, ob emolumentum animæ nostræ, & æternæ retributionis fructum subdere, & de nostro jure in sui & potestatem prædicti monasterii sollemni donatione nobis transferre placuit. Pro hoc itaque nostro favore atque licentia dedit jam dictus venerabilis Abba Tatto ex ratione monasterii sui RATULFO Presbytero, atque Capellano nostro, qui jam pridem eamdem cellulam nostra largitione tenuit, ad habendum in beneficium diebus vitæ suæ, in pago Neltenstein, in loco, qui dicitur Hruodoldishova, sex obas vestitas sub integritate earum; & in alio loco in pago Augustgoi, quamdam cellulam nuncupatam Herilescella cum omnibus ad se pertinentibus, eo videlicet modo, ut præfatas res monasterii diebus tantùm vitæ suæ habeat, & post obitum suum revertantur ad prænominatum monasterium perpetualiter possidendæ. Unde verò ob firmitatis studium hoc præceptum venerabili monasterio Campidonæ pro utrisque rebus confirmandis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut abhinc in futurum, modo superius taxato, in jure & dominatione ejus consistant: ita ut quicquid utilitatis Rectores prædicti monasterii de utrisque rebus facere, ordinare, disponere decreverint, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas per futura tempora inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ nostra subter eam firmavimus, & impressione anuli nostri jussimus sigillare.

Signum HLUDOWICI serenissimi Imperatoris.

HIRMINMARIS Notarius ad vicem HUGONIS recognovi & subscripsi.

Data XIV. Kalend. Maias, anno Christo propitio XXVI Imperii domni Hludowici piissimi Augusti, Indictione secunda. Actum Bodoma regio palatio in Dei nomine feliciter, amen.

Diploma OTTONIS II.

Pro eodem monasterio Campidonensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO divinâ favente clementiâ Imperator Augustus. Oportet igitur nos qui divino munere à ceteris mortalibus sumus prælati, ejus in omnibus parere præceptis, & loca sibi dicata per petitiones fidelium nostrorum nostro relevare juvamine, atque imperiali tueri munimine: quoniam id nobis & ad temporalem vitam prosperè transigendam, & æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum sollertia, qualiter fidelis noster RUODOLFUS Abbas Campidonensis cœnobii adiit celsitudinem nostram, innotescens nobis, quod antecessores nostri HLUDOVICUS videlicet Imperator filius Caroli Magni Imperatoris, necnon & HLUDOVICUS Rex, sed & CAROLUS Imperator, ARNOLFUS etiam Imperator, & HLUDOVICUS filius ejus Rex, CUONRADUS Rex, & HEINRICUS Rex, & beatæ memoriæ genitor noster OTTO Imperator Augustus, fratribus in monasterio quod dicitur Campidona, quod est constructum in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & ibidem requiescunt pretiosa corpora sanctorum martyrum Gordiani & Epimachi, Deo famulantibus licentiam tribuissent ex illis ipsis eligendi Abbatem, quamdiu ibi talem invenire potuissent, qui ipsam sanctam congregationem secundum Regulam sancti BENEDICTI digne regere valeat. Itaque nos morem præscriptorum antecessorum nostrorum sequentes, propter petitionem GISILHARII Magdeburgensis venerabilis Archiepiscopi, imperiali auctoritate concessimus in prædicto loco sancto ob amorem Domini nostri Jesu-Christi, nostræque mercedis augmento, ac pro conjugis, carissimæque prolis nostræ salute, habere potestatem illis eligendi Abbatem, si dignum Domino auxiliante inter illos invenire potuerint, & nulli alio Abbas subjectus sit nisi Imperatoribus & Regibus. Et illam atque omnem concessionem quamcumque antecessores nostri eidem monasterio contulerunt, in immunitate, donatione, seu cujuscumque securitatis additamento, sicut meliùs & pleniùs illorum temporibus habuerunt, ut ita & deinceps habeant per hoc auctoritatis nostræ præceptum plenius in Dei nomine confirmatum. Hanc itaque nostram imperialem auctoritatem, ut inconcussam & inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ nostrâ subter confirmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum domni OTTONIS invictissimi Imperatoris Augusti.

HILTIBOLDUS Episcopus & Cancellarius vice WILLIGISI Archicapellani notavi.

Data IIII Idus Junii, anno dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXIII, Indictio XI, anno verò regni secundi Ottonis XXII, imperii autem XV. Actum Veronæ feliciter, amen.

Aliud OTTONIS III.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, OTTO Divinâ favente clementiâ Rex. Oportet igitur nos quo divino munere præ ceteris mortalibus sumus prælati, ejus in omnibus parere præceptis, & loca sibi dicata per petitiones fidelium nostrorum, nostro relevare juvamine, atque regali tueri munimine: quoniam id nobis & ad temporalem vitam prosperè transigendam, & æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter competiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum sollertia, qualiter fidelis noster RUODOLFUS Abba Campidonensis cœnobii adiit celsitudinem nostram, innotescens nobis, quod antecessores nostri HLUDOWICUS videlicet Imperator, filius Caroli Magni Imperatoris, necnon & HLUDOWICUS Rex, sed & CAROLUS Imperator, ARNOLFUS etiam Imperator, & HLUDOWICUS filius ejus Rex, CUONRADUS Rex, & HEINRICUS Rex, & beatæ memoriæ avus noster OTTO Imperator Augustus, & ejus æquivocus genitor noster Imperator Augustus, fratribus in monasterio quod dicitur Campidona, quod est constructum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, & ibidem requiescunt pretiosa corpora sanctorum martyrum Gordiani & Epimachi, Deo famulantibus licentiam tribuissent, ex illis ipsis eligendi Abbatem, quandiu ibi talem invenire potuissent, qui ipsam sanctam congregationem secundum Regulam S. BENEDICTI dignè regere valeat. Itaque nos morem præscriptorum antecessorum nostrorum sequentes, propter petitionem fidelium nostrorum HILDIBALDI Wormatiensis ecclesiæ venerabilis Episcopi, & LUITOLFI Augustensis cleri honorandi Pontificis, ac cari nepotis & æquivoci nostri OTTONIS Ducis, regali auctoritate concessimus in prædicto sancto loco, ob amorem Domini nostri Jesu Christi, nostræque mercedis augmento, nostra parentumque nostrum salute, habere potestatem illis eligendi Abbatem, si dignum Domino auxiliante inter illos invenire potuerint, & nulli alio Abbas subjectus sit, nisi Regibus & Imperatoribus. Et illam atque omnem concessionem, quamcumque antecessores nostri eidem monasterio contulerunt, in immunitate, donatione, seu cujuscumque securitatis additamento,

ficot meliùs & pleniùs illorum temporibus habuerunt, ut ita & deinceps habeant, per hoc nostræ auctoritatis præceptum pleniùs in Dei nomine confirmatum. Hanc itaque nostram regalem auctoritatem, ut inconcussam & inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ nostrâ subter confirmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.

Signum domni Ottonis gloriosissimi Regis.

Hiltebaldus Episcopus & Cancellarius vice Willegisi Archiepiscopi recognovi.

Data II. Kal. Maii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCC XC° III. Indict. VI. anno autem tertii Ottonis regnantis X. Actum Wormatiæ feliciter, amen.

Item aliud Heinrici IV.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Heinricus divina favente clementia Rex. Sicut prædecessores nostri, sive Reges, sive Imperatores, in hoc maximè sunt laudandi quod loca divinis cultibus & officiis dedita, sub pia intentione ac sacra religione instituerunt: sic & nos non absque laude, neque à divina remuneratione vacuos esse credimus, si nos eisdem ecclesiasticam quietudinem, & primitivam libertatem sub diligenti sollicitudine observamus, necnon cautis & laudabili confirmatione concedimus. Summum enim bonum est in Regibus justitiam colere, & suâ cuique jura servare, & in subjectos non sinere, quod potestatis est fieri, sed ut æquum est pro utilitate & honestate ecclesiarum, & nova concedere, & vetera confirmare. Unde notum esse volumus omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quàm præsentibus, qualiter nos ob interventum fidelium nostrorum Siegfridi scilicet Moguntini Archiepiscopi, & Annonis Coloniensis Archiepiscopi, ceterorumque Episcoporum, Ducum, & Comitum, simulque ob fidele servitium Ottenis Abbatis, Campidonensi Abbatiæ pristinam libertatem, & ad sola regalia respectionem, regali nostro jure ac potestate concedimus, & confirmamus, ea videlicet ratione, ut nullus deinceps Episcopus, Dux, Marchio, Comes, neque aliqua parva sive magna potestas aut persona, prædictam Abbatiam à nostro jure, scilicet à regalibus, abalienare præsumat. Et ut hæc concessio & confirmatio stabilis, & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc chartam inde conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum domini Heinrici quarti Regis.

Fredericus Cancellarius vice Sigifridi Archicancellari recognovi.

Data IIII Kal. Novembris anno Dominicæ Incarnationis MLXII. Indictiona prima, anno autem ordinati domini Heinrici quarti Regis VIII. regni vero VI. Actum Augustæ in Dei nomine feliciter, amen.

WILLELMI ANGLORUM REGIS EPISTOLA,

Ad Johannem Abbatem Fiscamnensem.

W. Rex Anglorum Johanni Abbati salutem. Diu mecum cogitavi, mi dilecte, in cujus manu & custodia possem mittere & commendare Abbatiam sancti Petri de West-monasterio: quia in maxima veneratione eam habeo, & ex debito habere debeo. Ibi enim jacet vir beatæ memoriæ dominus meus Rex Ethwardus; ibi etiam tumulata est Regina Etgith uxor ejus inclita: ego etiam ibidem, Dei clementia providente, sceptrum & coronam totius regni Anglici suscepi. Tandem consilio Lanfranni Archiepiscopi, meorumque Procerum, Vitalem Abbatem, quamvis invitum, ad hoc coëgi ut illam assumeret. Cùm enim Abbatiam de Bernaco ex minimo multum, ut patet, sublimaverit; intellexi illum dignum esse Abbatiâ de Westmonasterio, & utilitate & prudentia. Quapropter liceat mihi istud fieri, quod de eo communi consilio meorum providi Procerum, licentia tua & bona voluntate, & conventus fratrum. Volo etiam tibi notum esse me elegisse Osbernum fratrem, scilicet Vitalis Abbatis, ut habeat Abbatiam de Bernaco: & hoc tuâ licentiâ mihi fieri liceat. Vale.

JOHANNIS ABBATIS EPISTOLÆ.

JOHANNIS ABBATIS EPISTOLA I.

Ad Willelmum *Angliæ Regem.*

W. Divina favente gratia Anglorum Regi in magna gloria, Johannes Fiscamnensis Cœnobii Pater, victoriam de inimicis in gladio Domini & Gedeonis. Rex inclite gentis Anglicæ, & Dux Normannorum, bellicosa virtute; ecce ego Johannes, vester totus in Domino, humiliter vobis suggero & litteris significo, quoniam molestè acciperem, quòd frater noster Domnus Vitalis sine licentia nostra de Abbatia ad Abbatiam migraret, nisi quòd vos diligo, & vestra consilia honorare volo. Idcirco laudo & confirmo quod vestra regalis sancivit auctoritas. Jam verò quòd Osbernum suum fratrem germanum, non Fiscamnensem Monachum, in juris nostri loco elegistis Abbatem, annuo libenter ad vestram fidelitatem; ita tamen, ut fiat secundùm auctoritatem, videlicet ut, accepta licentia à suo Abbate, noster fiat Monachus, & obediens secundùm Regulam sancti Benedicti & Ordinem. His ita prælibatis, rogo dominum meum, ut memor meæ senectutis jam me ad terminum vitæ currentis, judicet causas nostras, & faciat nobis justitiam, ut ego lætus in Domino moriar. Quæ sunt hæ causæ? Primum,

ut ex promisso, quod perdimus in Astingo, recompenset corde pleno & animo benivolo. Sunt aliæ plures causarum nostrarum necessitates, quas rogo pius Rex judicet & finiat, dum vivit & vacat, ad summæ Trinitatis honorem & gloriam: quatinus ipsa Deus Trinitas illum de Anglis provehat ad gloriam, quæ est in Angelis. Vale.

JOHANNIS ABBATIS EPISTOLA II.

Ad VITALEM *Abbatem Bernacensem.*

JOHANNES Fiscamnensis Abbas confratri VITALI salutem. Scire te volo, utilis & boneste Frater, quoniam pro amore Regis & merito tuæ dilectionis auctorizo tuam promotionem, & fratris OSBERNI in nostro Bernaco ordinationem. Sed ego & totus conventus sanctæ Trinitatis rogamus & monemus, ut memor tuæ professionis, memor nostræ societatis, locum tuum meliùs recognoscas & honores, quàm plures qui de nobis exierunt fratres, & per nostrum locum venerunt ad magnos honores. Vale.

ADNOTATIO.

EODEM *collimant superiores epistolæ tres, nempe ut Vitalis Abbas Bernacensis transferretur ad regimen Westmonasterii in suburbio Londinensi: tum ut Osbernus, Vitalis germanus frater & Monachus Troarnensis, in locum fratris Bernaco sufficeretur. Bernacum Neustriæ opidum est ad Carentonam fluvium, diœcesis Lexoviensis, ubi Monasterium inchoavit Judith Ricardo secundo Normannorum Duci nupta; absolvitque Ricardus ipsius maritus*, committens illud venerabili Guillelmo Abbati (*Fiscamnensi*) perficiendum, & monasticè ordinandum, qui in locandis fundamentis modicum præstiterat eminulu auxilium, *uti Ricardus ipse testatur diplomate dato in Fiscamnensi palatio* anno ab Incarnatione Domini M XXVII, Indictione octava. *Hinc est quòd cùm Monasterium illud juris esset Fiscamnensium Monachorum; Willelmus Anglorum Rex, idemque Dux Normannorum, Conquæstor vulgo appellatus, non nisi habito Abbatis Fiscamnensis ejusque Monachorum consensu, Vitalem Bernacensem Abbatem in Westmonasterium transtulerit, ejusque loco præfecerit Osbernum. Quia in re observandum venit, Principes neque Reges, etsi in Abbatias a Majoribus suis conditas sibique subjectas aliquando Abbates nominarent, ad rem tamen exsequendam postulasse consensum & confirmationem Monachorum, quibus electio competebat. Porro Johannes Abbas, cujus sunt superiores epistolæ duæ atque infrà subsequens, Fiscamno præfuit post Guillelmum ab anno* M XXVIII, *obiitque anno* M LXXVIII, *uti superiùs observavimus. Has verò epistolas noster Guillelmus Filiustrius eruit ex ms. codice Fiscamnensi.*

JOHANNIS ABBATIS EPISTOLA III.

Ad WARINUM *Abbatem Mettensis Monasterii sancti Arnulfi.*

Repetit Benedictum Monachum suum.

DOMINO Patri W. venerando Abbati, frater JOHANNES, crucis Christi servulus, quidquid in Christo felicius. Sæpius & verbis & scriptis, deprecatus sum vestram paternitatem pro nostro Monacho, nomine BENEDICTO, ut mihi redderetis: & audire renuistis. quod non maximæ fuit caritatis. Scriptum quippe nostis: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* &, *Caritas omnia suffert.* Adhuc ergo vestram paternitatem convenio humili supplicatione, quatinus eum non differatis mihi remittere. Quòd si nolueritis, vos non excommunico; sed ipsum ab omni Christianitatis officio auctoritate Dei, & sancti Patris nostri BENEDICTI & omnium sanctorum, quantum mihi libet, separo & sequestro, donec doceat quo mihi aufertur pacto. Valete dicerem, si nostram non defenderetis ovem. Verumtamen valete dicam, eâ conveniente, ut ovem reddatis omni necasione postpositâ.

WARINI ABBATIS EPISTOLA.

Superiori respondens.

DOMNO Abbati I. secundùm nomen suum Dei gratia pleno, Frater W. ejus servorumque Dei servus, cum fidelibus orationibus caritatem & pacem. Apostoli verba sunt: *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Hoc ideo dico, ut tali tanti Doctoris sententia meipsum moneam & castigem, ne responsurus litteris vestris, quibus nos dudum pro libitu & potestate vestra nimis acriter convenistis, aliquid quod vobis, id est tantæ majestati, indecens sit, (quod absit) saltem provocatus, velut stultus effutiam. Sed quia, ut dicitis, *caritas omnia suffert*, voto Apostoli precor, ut si ego ut insipiens in insipientia aliquid locutus fuero, sustineatis modicum quid ipsi insipientiæ meæ, & supportetis me. Ego enim nihil propono, nihil præcipio, nil minor; sed coactus ad scripta vestra simplici sermone sic rescribo. Litteras vestras frater noster Domnus WIMUNDUS mihi detulit, dicens eas sibi à vobis missas, ut per eum mihi præsentarentur. Quas curam eodem fratre qui eas attulit, & Domno GRIMARIO Besuensi, sine ullo salutationis proœmio (quod non, ut dicitis, maximæ fuit caritatis) præsentavit: subjunxitque vos ea mandare, ut fratrem nostrum Domnum BENEDICTUM, quem vi auferre volebatis, velut jam vestrum, vestris sumptibus, æquis & famulis ad vos quantocius deduceret. quòd certè si alius præter vestram personam ageret, non maximæ esset religionis.

Ut enim de persona vestra interim taceam: cui omnis honor, utpote majori, priori, sanctiori, ac prudentiori atque religiosiori impendendus est; de me dicam, quia si ego tale quid de aliquo vestro Fratre attemptassem; & eum ad me venire scriptis nostris tam longo terrarum spatio, & maximè pro damno vestro, clam vobis monerem; meritò & à vobis, & à cunctis hæc audientibus reprehensibilis & contrarius sanctæ Regulæ judicarer: cùm sciamus sanctum Patrem nostrum B[illegible]DICTUM prohibere Monachum litteras vel eulogia nesciente Abbate suo à quocumque suscipere; justiusque mihi in tali culpa impingeretur id, quod in scriptis vestris opposuistis: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.*

Verùm his omissis, quæ vel leviter ferrentur, vel omnino nil penderentur, ni alia graviora nos stimularent: ad ipsa verba quibus interminamur, si placet, veniamus, ut his absque contentione respon-

dentes, vel noxii vel innoxii inveniamur. Querimini vos sæpius & verbis & scriptis nos expetisse, ut vestrum, sicut dicitis, Monachum, nomine Benedictum, vobis redderemus, & audire renuimus; & hoc non maximæ caritatis esse. Ubi ego respondeo, me (si bene memini) à nescio (Deo teste) qua persona litteras quasdam, transacto jam, ut puto, biennio, suscepisse, quibus de remissione ejusdem fratris monebar. quas, ut æstimo, ipse idem, & quicumque legit & intellexit, ut vanas irrisit, quas vestras fuisse nec credidi, nec credo. Ita frivola erant quæ in eis continebantur, ut potiùs eas à quocumque scurra irrisoriè fictas, quàm vel à vobis, vel ab aliquo sapiente missas crederem, ideoque pro eis respondere vel rescribere parvipendi.

Quod verò dicitis, vos verbis me de hac re expetisse: salva veritate sermonis vestri, quem ego falsum dicere nec debeo, nec volo, me non recordari confirmo aliquando hinc vobiscum, vel cum aliquo vestrorum me aliquod habuisse colloquium. Quòd si habuissem; quod modò respondeo, tunc quoque respondissem, scilicet me libentissimè vestrum & vestrorum consilium, adjutorium & cohabitationem, si tanta re dignus essem, habiturum, & id servitio nostro, si juberetis, repensurum.

In præsenti tamen, quia hoc tanta vi exigitur, nullum Monachum vestrum habere: Domnum verò Benedictum non vestrum, sed sanctæ memoriæ Domni Abbatis Willelmi conversum, nutritum & professum fuisse: quem ipse (quod nemo negare valet) in primo quo locum Gorziensem regendum accepit, ad idem Cœnobium cum multis aliis; quorum nonnulli jam vita defuncti ibidem humati quiescunt, ut suum venire, ac inibi manere præcepit. Quod & fecit, usquedum transactis nonnullis annis, conhibentia Domni Abbatis Gorziensis SIGIFRIDI & Domni Abbatis ODONIS tunc Priorum, post Abbatum, & jussione prædicti Domni Abbatis Willelmi ad Monasterium sancti Arnulfi, cui Deo auctore, licèt peccator, inservio, directus & destinatus est: ubi hactenus deguit & degit, & Deo volente (nisi omnia antiquorum statuta irrita fiant) deget. qui obitum Patris nostri sæpe dicendi Domni Abbatis Willelmi præstolatus est, & successoris ejus, id est Domni Abbatis Oddonis, electioni & ordinationi interfuit, laudavit, & absque alicujus interdictione primum ipsi, post decessum autem ejus, mihi, licèt indignissimo, nullo monente, nullo cogente, sua sponte, voluntariè, ut dixi, obedientiam, ut Monachus Abbati promisit, & scripto, ut videri perfacile est, firmavit. Cùm è diverso (quod pace vestra dictum sit) nec electioni, nec ordinationi vestræ, nec animo, nec corpore interfuerit: & vos postmodum per has regiones nostras transitum & hospitium habentes, nullam omnino vel tenuem famam sonuistis; & nobis jam præteritis annis orationis causa sanctum Michaelem adeuntibus, & per vos transitum habentibus, ubi etiam benignè satis & liberalissimè cum omni caritate & suscepistis & refovistis, nullam penitus mentionem fecistis, nec, ut puto, faceretis, nisi Doech, non primus ille Idumæus, sed nunc alter semi-Judæus, cujus nomen vel faciem non cognovi; sed utinam ita vitam ejus laudabilem in bona fama ea veritate cognoscerem, sicut notatur & vituperatur apud nos in mala fama. non, inquam, ille aut infamis, sicut dicitur; aut laudabilis, sicut cuperem, ex transmarinis partibus ad corrumpendam inter nos pacem, ad vos nunc nuper emersisset: qui, ut audivi, relicto habitu & vita monachica, diu volutatus in volutabro sæculi, jam tandem inebriatus fœtore carnalis delectationis, quam ex aureo calice Babylonis usque ad feces epotavit; nunc tandem pulsatus plus precibus, quàm minis, non se taliter Christo serviturum, & à via & vita perversa convertendum minatur, nisi in primo initio, non conversionis, sed reversionis suæ contra Christi præcepta agat. Nam Christus ad se venientibus dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & fratres*, &c. Iste autem prædicat se non posse sine fratre carnali servire.

Animadvertite, quæso, insidias diaboli. Lupus ovibus insidians, non libero, sed suspenso incessu ovilia circuit: ita diabolus quos decipere quærit, non aperta, sed simulata fronte impetit. Verumtamen Paulus devitandos eos docet, qui primam fidem irritam fecerunt. ideoque discipulis dicit: *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita & vestri sensus corrumpantur, & excidant a simplicitate, qua est in Christo.* Ego quoque timeo talem horum societatem plus parituram illius (quod absit) perditionem, quàm illius salutem. Sed dicit aliquis: Quid si aliter haberi vel teneri non potest? Huic non ego, sed Apostolus respondeat: *Infidelis si discedit, discedat.* Quod enim lucrum est Deo animam unam adquirere, & aliam perdere? quod si aurum suum, utinam non malè adquisitum, quo, ut audivi, abundat, secum abstulerit; tollat. Utinam, non ipse, sed, si eum impedire debet, pecunia ejus eat in perditionem. Non dignatur sancta Ecclesia tales pecunias atque munera impiorum perversa: nec Christus aurum quærit, sed animas, qui diabolum divitias offerentem, ut nos eadem facere doceret, repulit, & in vocatione apostolica eadem trutina pensavit aurum & argentum Matthæi & Zacchæi, qua navim & retia Andreæ & Petri.

Sed ô dolendus error hominum! non potuit, inquiunt, Abbas Willelmus Monachum in alio, quàm ubi professus est, constituere loco, nisi diebus vitæ suæ. Christus Dominus noluit diutius Apostolos in conclavi residere, sed misit eos in universum orbem prædicare regnum Dei. Ipsi Apostoli per totum mundum divisi discipulos suos ad prædicandum ad diversas orbis plagas dispersos direxerunt, ut Petrus APOLLINAREM Ravennæ, CLEMENTEM Metti, EUCHARIUM Treveri, & plures alios, quos enumerare longum est circumquaque: & Paulus Timotheum & Sylvanum & ceteros. Alii quoque Apostoli creditas sibi à Deo partes mundi discipulis Fidem Christi adnuntiantibus repleverunt: & Pater Monasterii, quicumque est ille, vices Christi agens, non potest vel pro lucrandis animabus, vel pro aliqua alia utilitate, dummodo pro Deo & secundùm Deum fiat, Monachum mundo mortuum & Deo soli viventem, in quocumque necesse fuerit loco stabilire?

Non, inquiunt, sed Monachus redeat ad locum suum. Concedo Monachum redire ad locum suum: sed eum qui malè exiit, non eum qui obedienter exiit, & obedienter ubi jussus est, stetit: sed BERNARDUM, qui fugitivus contra præceptum Abbatis sui evasit; non PANSORCTUM, qui jussu Abbatis sui à Monasterio professionis suæ obedienter exiens & ad nos veniens, obedienter inter nos conversatur. Quàm melius vester iste Bernardus cum eodem fratre suo apud nos mansisset, quàm ut alibi degens inter alia pacta sua, quæ vos me meliùs nostis, hoc incendium discordiæ, quod nunc inter nos, nisi Deus pacis prohibuerit, conflagravit, longo jam ex tempore in transmarina officina contraxisset. Quòd si id quod dicimus, videlicet ut Monachus cum licentia & jussione spiritualis Patris in quocumque Monasterio possit secundùm Deum degere, non conceditur; ut tandem litigiosum hunc funem rumpamus, concedatur igitur secundùm hæ-

resim, quæ vel à Catholicis, si reus est, justè, vel si innoxius est, injustè ab invidis Origeni impingitur, ut scilicet præterita sæcula denuo in idem quod fuerint revolvantur. Sic iterum vel idem, vel alius Adam & Eva, iterum à serpente decipiantur: fiant iterum Sodomitica incendia, iterum omnia viventia diluvio pereant, iterum Saül asinas quærat, David oves pascat: postremò (quod cogitatu & dictu horridum est) iterum Christus de Maria virgine nascatur, adolescat, tradatur, patiatur, moriatur, resurgat, cum è contrario Paulus dicat: *Christus resurgens à mortuis, jam non moritur.* Redeant omnia ad prima initia, BENEDICTUS ad Fiscamnum, WARINUS Gorziam, Domnus Abbas JOHANNES Divioni, & ceteri quicumque fideles Christi per diversa loca in sancta Ecclesia ad pascendum, regendum, ordinandum, docendumque gregem Domini distributi & promoti sunt, ut luceant velut luminaria magna in domo, redeant unde processerunt, recondantur & lateant sub modio, e contra dicente Domino: *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, &c. Animæ etiam defunctorum secundum somnia Poëtarum, quæ mille rotas volvere per annos letæo flumine potatæ, rursus incipiant in corpora velle reverti: ut compos votorum suorum vester ille Bernardus cum Mantuano pastore nobis insultans lætus decantet:

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

Hæc si absurda sunt, immo quia absurda & Fidei catholicæ contraria; respuatur falsitas, & teneatur veritas. Sanctæ Ecclesiæ firmissima columna Papa GREGORIUS AUGUSTINUM, MELLITUM cum plurimis Monasterii sui Monachis ad prædicandam veram Fidem Anglorum gentibus destinavit: quod & ipsi fideliter impleverunt. Quis, rogo, post tanti viri felicem obitum, quis, inquam, successorum ejus bonum quemque vel Monachum ad Monasterium, vel Clericum ad Ecclesiam venire, aut monuit, aut coegit; & non potius sancti viri prædicabile factum laudavit, fovit, & juvit? Quod vos facere sperabam, primò zelo & amore Dei, dein desiderio & caritate pii Patris, & maximè vestri, Domni Abbatis Willelmi, qui vos unica caritate inter ceteros enutrivit, dilexit, promovit, honoravit: nec quod ipse statuit aliquando, à vobis destituendum, sed potius confirmandum putavi.

Haberem plura, quæ paternitati vestræ ad horribilia dicta & facta quæ mandastis (neque enim res parva excommunicatio est) rescriberem, nisi reverentia vestri & disciplina regularis, quæ nos Monachos in loquendo temperantiam habere monet, me constringeret. Hæc tamen pauca dixi, ut ostenderem & probarem, me nec Monachum, nec ovem vobis auferre; sed mihi commendatam in ovili Christi justè tenere & servare: ubi si ita vixerit in bono, sicut potest; non patebit morsibus lupi, sed servabitur pascuis Christi. Etenim etsi peccatores sumus, Christum tamen confitemur; catholicam Fidem tenemus, Baptismum & Eucharistiam Christi suscepimus, Regulam sancti BENEDICTI legimus, & pro posse servamus, in acie Christi contra communem hostem stamus; ferimus, & ferimur aliquando; Deo sustinente stamus, aliquando infirmitate impediente vacillamus, si fragilitate cadimus, Deo relevante resurgimus, nec tamen usque ad desperationem deficimus. Et credo ita in nostro & divitiis, & (quod periculosius est) religione exiguo & paupere loco, quemque Monachum fidelem posse animam suam cum Dei adjutorio servare & salvare; sicut in quocumque ditiori & religiosiori. nisi fortè aliquis plus sapiens quàm oportet sapere, hæresim Donatistarum, qui dixerunt in sola Africa veram esse religionem, eamdem pestem ab Africa in Normanniam transferat, & asserat nullum Monachum, nisi in solo Fiscamni Monasterio; posse salvari. Qui hæc dicit vel credit, nimium coartat illum, qui est excelsus super omnes gentes, & cujus gloria super cælos est, cujusque nomen à solis ortu usque ad occasum laudabile est. Apostolus enim intelligens omnem hominem adversus communem hostem semper pavidum esse debere, vestrates quoque sicut & nostrates ammonet dicens: *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Nisi fortè Angelorum custodia, Cherubim quoque romphæa ita jam munivit locum vestrum, (quod non puto in hac vita futurum) ut jam non possit eum irrumpere princeps hujus mundi, qui ne tentaret illum in quo nihil habebat, illum in deserto, in pinnaculo templi, in monte valde excelso invenit & tentavit, sed fugatus abscessit. Hæc nos timemus, hæc patimur, sed confidimus nos quoque, sicut & alios, liberari posse ab illo qui dixit: *Confidite, ego vici mundum.* Hæc non exprobrando, sed ratiocinando, & ad scripta vestra duriter ferientia patienter respondendo dicimus: ut si non possumus ad credendum, saltem ad æstimandum vos inducere valeamus, ovem illam quam vestram dicitis, etiamsi sine contradictione aliqua vestra esset, non inter nos nisi sua culpa perituram fore.

Sed tabella jam plena nil se amplius suscipere posse ostendit: querimonia tamen è corde nostro justè, ut puto, ebulliens se aperiri, etsi non ex toto, saltem ex parte exposcit. Quid, quæso, Pater, quid adversum vos commeruimus, quod tam subitò, tam improvisè, tam præcipitanter, tam sævissimè telum acutissimum excommunicationis in vos voluistis jaculari! Sperabamus nos velut fratres vestris orationibus adjuvandos, quò Christo mereremur incorporari: & nunc à Christi corpore & sancta Ecclesia, cujus filii gratia Dei per baptismum esse meruimus, anathemate vultis separare? Gratia & pietate sua Dominus hanc potestatem Sacerdotibus dedit, ut quod ligarent in terris, ligaretur & in cælis; & quod solverent in terris, solveretur & in cœlis: sed benedictus Agnus ille, qui pro peccatoribus immolatus est, id sibi soli servavit, ut solus tolleret peccata mundi, ne fortè homo rabidus & phreneticus præcipitatione animi innocentes perderet, & nocentes servaret. Ipse Dominus Israëlitis inimicis, latroni in cruce pepercit, & apertis misericordiæ januis nos ad se etiam nolentes invitat, dicentes: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam.* Et homo dubius de se, qui nescit utrum odio, an amore dignus sit, vi quadam homini & fratri, quem ut se diligere jubetur, claudere laborat portas vitæ, de quibus nescit utrum aperiendæ sibi sint. Ego memor fragilitatis meæ, plus timens peccatis meis, quàm alicujus excommunicatione (quod absit) à gratia Dei excludi; gratias Deo & vobis reddo, quòd me interim ab excommunicatione, sive id facere, sive non debuistis, aut debeatis facere, sustinuistis. Fratrem tamen illum, quem, ut scribitis, ab omni officio Christianitatis auctoritate Dei & sancti BENEDICTI, & omnium sanctorum separatis; non video qua ratione, quove justo aliquo judicio id facere debuistis, aut debeatis. Monachis enim sub Regula sancti BENEDICTI, quem nobis auctorem in tali sententia advocastis, in Monasterio regulariter viventibus, prohibetur penitus proprii cordis sequi voluntatem; & non solùm septa Monasterii, sed nec claustrum egredi. Quomodo ergo vestra excommunicatione potest obligari is, qui nullam potestatem sui, vel in corpo-

WILLELMI ABBATIS METTENSIS EPISTOLÆ.

WILLELMI *Abbatis Mettensis* EPISTOLA I.

Gregorio Papæ VII. de electione ejus gratulatur anno M LXXIII.

DOMINO venerabili & universali Papæ G. W. peccator devotæ orationis affectum & humilis servitutis effectum. Licèt sapientia Dei universa quæ per ipsam facta sunt, dispositione mirabili & ordine imperturbabili moderetur; numquam tamen commodiùs consulit rebus humanis, quàm cùm eligens virum de plebe, in populi eum sui caput constituit, in cujus nimirum vita & moribus, quo nitendum sit, plebs inferior valeat intueri. Quod quidem beneficium nostris Dominum concessisse temporibus, quisquis non invidet, videt, dum te jam olim disciplinis ecclesiasticis eruditum, illius nunc cathedræ fecit esse sessorem, à qua per orbem terrarum omnium virtutum lumina diffunduntur, & ad quam, velut in circulo lineæ ad illud medium, quod centrum Geometrici vocant, universa convergunt. Tantus autem, ut nobis relatum est, totius populi electioni tuæ conspiravit assensus, ut nullus omnino ex tanta multitudine visus fuerit dissentire. Et unde, quæso, tanta unanimitas, tanta potuit esse concordia, nisi ex Spiritus illius instinctu, cujus olim adspiratione plebs primitiva credentium unum cor & unam animam habuisse describitur? Ea est enim illi Spiritui familiaris virtus atque potentia, ut corda quæcumque repleverit, levet; levata verò indissolubili amore conjungat sibiq; subjungat. Gratias ergo Deo, præcellentissime Pater, gratias Deo, qui sic tuæ favit electioni, ut non pateret Ecclesia scissioni. Quisquis jam igitur tuo sacerdotio adversatur, cujuslibet esse meriti vel scientiæ videatur, ad illud cæleste ædificium non adspirat, qui per tumoris vitium atque discordiæ; omnium pace membrorum & unione se privat. quod quidem neminem ausurum esse confidimus, nisi qui respectu miseræ conscientiæ, pondus tuæ sibi formidat imminere sententiæ. Unde & ille diabolus Vercellensis eum suis complicibus elaborat, ut tu in sede non debeas confirmari: metuens miser ne illo zelo tuo, quo in hostes Ecclesiæ exardescere soles, nunc ejus flagitia, ejus dedecora, ejus debeant probra damnari. Verùm omnibus bonis eo ipso plus places, quo pessimis displicea: quia non leve vel minimum est testimonium probitatis, displicuisse filiis iniquitatis. Nunc ergo accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; illo, inquam, gladio, quem non prohibendum esse à sanguine Propheta proclamat, quemque devoraturum carnes Dominus salubriter pollicetur. Vides certè in Israëlitica castra Amalechitas & Madianitas, ceterasque pestes pariter conspirasse. Magna sollicitudine, grandi consilio, continuoque studio opus est, ut tot monstra aut bestiæ possint vel jugulari, vel subjugari. Nullius ergo metu, nullius minis ab hoc spirituali conflictu sanctoque certamine retarderis, & Gedeonis illius in morem ad prœlium processurus, lagunculæ ne timeas fractionem. Ecce te in sublimi & in specula positum oculi omnium vultusque suspiciunt: singuli magna de te audire desiderant, ex præteritis colligentes, quid nunc in majori officio sis acturus, qui quondam positus in minori non sine gloria militasti. At ineptus ego, qui te ammonere præsumam, currentemque nitar impellere, cùm tu fervore mirabili majora moliaris, quàm nostra suspicetur infirmitas; & aquilino more omnia inferiora transvolitans, in ipsius solis ardorem tuos infigere coneris obtutus.

Scire autem te cupio, quorumdam consilio me deceptum Abbatiæ sancti Remigii pondus pestiferum suscepisse. quod quidem tam impatienter graviterque & iniquo animo fero, ut illud à me longiùs propellere cogitem, si tamen in hoc opus tuum potero impetrare favorem. Sunt enim multa, quibus sic misera mens mea contunditur, ut nec ad meipsum jam mihi redire sit liberum. Nihil verò miserius, quàm frustra niti & inutiliter laborare; cumque grana purissima severis, nihil præter steriles avenas loliumque colligere. Scis enim quia perversi difficilè corriguntur, præsertim hi qui in monastico proposito tepuerunt; & vitia quæ à tenera sunt ætate imbibita, nec ullo studio, nullaque ratione cohibita, vix umquam aliqua potione, vel aliquo medicamine egeruntur. Huic autem calamitosæ sterilitati, & sterili calamitati illius singularis feri accedit immanitas, cui si quid projecero, plus acuit dentes; si subtraxero manum, ictus non effugio sævientes. Inter tales igitur mihi angustias periculosaque tam sæva contruso auxilii tui porrige dexteram: qualiterque revocare gradum, superasque ad auras possim emergere, tuis me, quæso, litteris facias certiorem, desque consilium quo præpolles; neque despicias animam pro qua Vita suscepit occasum.

WILLELMI *Abbatis* EPISTOLA II.

Ad MANASSEN *Remorum Archiepiscopum.*

Ei resignat prælationem Monasterii Remigiani.

DOMNO M. Remorum Archiepiscopo frater W. orationem, servitium. Plurimas tibi & ingentes gratias agimus, cùm propter benevolentiam tuam, qua nobis in Christo statum optatæ quietis es imprecatus, tum quia nos à tuæ dominationis jugo, quo miserabiliter premebamur, maturiùs absolvisti: quod quidem ad illam imperturbabilem quietem, cui nostra suspirat intentio, comparandam non minimas vires adjiciet. Sicut enim fulgor iste visibilis sanis oculis est delectamentum, lippientibus verò

tormentum : sic nimirum illud intelligibile & oblectatricium lumen nonnisi ei menti se dignatur ostendere, quæ ab omni terrena caligine suos nubilare contendit obtutus. Satis igitur eminet, quantum beneficii nobis contuleris, qui id præstitisti, ut illud summum bonum, summum gaudium, summamque lætitiam, sanctarumque mentium lumen frequentiùs & familiariùs attingamus. Gratias ergo tibi, gratias tibi.

Baculum autem tuum, quem nimis minaciter tibi jubes remitti, nos noveris non habere : indignum prorsus ducentes illum nobiscum baculum exportare, quem numquam libuit omnino portare. Quis enim, quæso, est iste baculus tuus, nisi ille baculus arundinis, de quo Propheta proclamat non eum esse idoneum ad sustinendum : cui quicumque innititur, vulnerari potest faciliùs, quàm sustentari. Jesu bone, quàm amarissimum istum baculum experti sumus ! quantas in illo passi sumus contumelias & terrores ! Profectò vix nos vivere credimus. Avertetit Dominus hujusmodi baculum à servo suo, & tradat illum hosti suo. Et hæc quidem diximus non tuum accusando rigorem, sed nostrum ostendendo dolorem.

Abrenunciamus ergo baculo tuo, abrenunciamus etiam Abbatiæ ; non tamen, si tibi placuerit, amicitiæ : abrenunciamus tuæ prælationi, nullatenus tamen dilectioni. Scimus enim inspirante Domino & illos amare, quorum animos ad dilectionem non possumus provocare.

Quòd verò potestatem subjectionis in nos exsecuturum te canonicè minitaris ; priùs ipse debes canonicè vivere, ut id canonicè prosequaris. Nemo quippe jure potest canonicam exercere censuram, qui divinos canones contemnendo, vitam ducit impuram : nec ad aliena dijudicanda valet esse idoneus, qui per illicita aliena distrahendo, in suis moribus invenitur erroneus. Hæc interim pauca tibi conscripsimus, te impensiùs deprecantes, ut petulantissimam linguam tuam freno temperantiæ moderetis, ne si te nobis exhibueris Lucium Lavinium, cogamur in te nostrum acutissimum infigere genuinum. Scis enim jam nos posse liberiùs scribere, quia non est unde tu possis proscribere.

WILLELMI *Abbatis.*

EPISTOLA III.

Ad eumdem de eodem argumento.

MANASSÆ Remensis Ecclesiæ obsessori W. peccator. Quid dulcedinis, quid amoris, postquam tuo jugo nescio quæ fortuna me subdidit, erga te semper habuerim ; hinc evidenter elucet, quòd à te frequentissimè passus contumelias & terrores, sic tamen justæ indignationis impetuum refrenavi, ut numquam in odium tui, numquam in derogationem, numquam in amariora verba proruperim. Certè mirabantur id etiam conlaterales tui, & me inter turbulentissimas minas tuas & horridas animi tempestates inhabitare mente tranquilla animoque imperturbabili consistere, miris laudibus efferebant : & re vera sedebam in quodam securissimo portu, & illi petræ, de qua quondam Israelitica plebs bibebat, & à qua Petrus vocabulum traxit, anchoram cordis habens affixam. Omnes turbulentias tuas impetusque minarum verberumque procellas, velut evanescentem fumum spumamque gurgitis, contemnebam.

Verùm quia quisquis veræ dilectionis movetur affectu, non potest de cujuslibet proximi erratibus non dolere ; plus tuis, fateor, furiis, quàm meis ingemiscebam injuriis, illumque versiculum mecum sæpe convolvens, *Erue à framea, Deus animam meam, & de manu canis unicam meam* ; pro te quoque gratis ad Dominum preces interdum cum lacrimis effundebam. Non enim ita cupiebam de canis hujus manibus liberari, ut tu in caninis moribus permaneres : sed ut, si fieri posset, mentis sævitia ferinamque bestialitate deposita, tu quoque mecum de suavissima caritate, & de carissima suavitate gauderes. O quotiens adhibui tibi medicamina Scripturarum ! quotiens cælestibus verbis, quasi quibusdam carminibus, tuum tentavi mitigare furorem ! quotiens etiam Threicia & Davidica cithara conatus sum illud vel expellere, vel sedare dæmonium, quo vexaris. At tu, immanissime hominum, plus aloës quàm mellis habens, numquam dulcis monita suscepisti, nec in pectoris tui agro divina semina coalescere permisisti, in quo impurissimæ cupiditatis, & cupidissimæ impietatis planta convaluit.

Certè olim apud quosdam Philosophos de revolutionibus animarum grandis erat opinio : quæ per te non mancæ confirmatur, dum, sicut illi, Euphorbum in Pythagoram, sic in te GERVASIUM putent nostri temporis homines esse transfusum. Verùm non id ego tibi concesserim, ut ille in te totus transierit : cùm in illo tyranno quondam bonarum artium vestigia fuerint, quibus omnino tu cares, ille excelluit. Et ille quidem ecclesias construebat, tu destruis : ille templa Domini adornabat, tu spolias : ille religiosos viros non mediocriter honorabat, tu verò persequeris. Nihil igitur in te ex bonis illius, sed sola vitia demigrarunt.

Ah pudet recordari miseriarum, quas sub tuo servili barbaroque dominio passus sum ! pudet reminisci, quanta mihi mala pro bonis, quantaque pro dilectione mea conviciorum mihi jacula vulneraque jurgiorum retuleris ! Prætereo minas tuas, prætereo quòd in ipsa festivitate beati Remigii follem me verbo rustico appellasti. Nec injuria id quidem. Nisi enim ego follis fuissem, ad te tam immitem, tam trucem, tam violentam, tam immanem bestiam, non venissem. At certè omnino stupendum fuit, ut qui follis exstiti ad te veniendo, non fierem follior sub tua tyrannide remanendo. Prætereo quanta improbitate conatus veris à me pecuniam, quam Romano itineri paraveram, extorquere ; quibus artibus, quibus dolis me per Sarabaitas tuos & circumcelliones circumveneris. Prætereo illas litteras tuas, quas super persona mea domino meo Mettensi Episcopo conscripsisti : prætereo illas quas Gipuino Clerico transmisisti. Illas parumper attingam, quas Domno Apostolico tui nuncii prætulerunt, in quibus sic vecordia tua & improbitas mentis apparuit, ut cùm venerabili Papæ, tum sacro Senatui fueris ludibrio & horrori. Asserebas enim in illis litteris tuis, » me hominem esse pacificum, humilem & quietum, « lectioni semper intentum ; ac per hoc non me Fran- « cigenarum tuisque moribus convenire : te quadam « opinionis meæ fragrantia (quam tamen in me pax, « non virtus pepererat) inductum, ut mihi Abba- « tiam sancti Remigii commendares. « O monstrum nulla virtute redemptum à vitiis ! putasne inferioris esse virtutis in pace temperanter, modestè & sobriè conversari, quàm in bello acriter & fortiter præliari ? cùm pax soleat fortes etiam animos enervare : pugna verò imbelles & desides roborare. Unde non immeritò ille insignis Orator arma togæ cedere persuadet subtiliter, nimirum considerans pauciores esse qui possint in pace vivere continenter, quàm qui pati bellorum labores & pericula patienter.

Verùm

Verùm fiducialiter dixerim eum non posse bello succumbere, quem non potuit pax longa corrumpere; & testa quæ in aquis posita non mollescit, dissilire in ignibus nescit. Risit igitur Domnus Apostolicus illas litteras tuas: & quæ in injuriam meam transmissæ sunt, laudem mihi & gloriam pepererunt. Contulit ergo mihi idem venerabilis Papa Abbatiam sancti Remigii vel retinendi, vel deserendi liberam potestatem: isque tibi litterarum suarum auctoritate mandavit, ut nihil ex supradicta Abbatia faceres, nisi quod voluntas mea consiliumque præscriberet. Ego in redeundo diu mecum multumque deliberans, meosque mores tuosque collibrans, summum duxi nefas, si vel ex visione tua meus umquam ulteriùs commacularetur adspectus. Non est itaque levitati & inconstantiæ deputandum, quòd Abbatiam tuam consortiumque tuum aufugerim; idque mihi perfacilè, quisquis te agnoscit, ignoscit.

WILLELMI *Abbatis*

EPISTOLA IV

Ad quemdam Abbatem.

Ejusdem argumenti ac duæ superiores.

DEsiderabiliter venerabili & venerabiliter desiderabili Domno & Patri H. W. peccator, orationem, servitium. Accepi litteras tuas, litteras puræ benevolentiæ, litteras sincerissimi amoris igne ferventes, & intimæ dilectionis ineffabili splendore lucentes. In his autem litteris tuis asserebas te non mediocriter admirari, me sic falli, sic decipi potuisse, ut in terra Francorum, quasi in lacu leonum, me passus sim tam temere facileque contrudi: præsertim cùm me ab hoc letali facinore illius cruentissimæ bestiæ immanitas revocare debuerit, etiamsi cetera satis quieta tutaque forent. Fateor ita esse, tibique veraciter meam temeritatem meamque stultitiam objurganti, quid excusationis, quid defensionis obtendam, me non habere confiteor. Verùm debes meminisse infirmitatis humanæ, neminemque, dum in hoc corpore mortis vivitur, ita fore perfectum, ut non subjaceat mutabilitatis incerto. Quid enim mirum me alienis cessisse consiliis, & à stabilitate propriæ firmitate paululum titubasse, cùm & David prudentissimus Prophetarum, servi in dominum Miphiboseth accusationi falsæ crediderit; & Josias Rex ille sanctissimus, unicæque pietatis in Dominum, pro Rege Assyriorum in Nechao Regem Ægypti consurgens Domini provocaverit iram, quæ tamen, ne tanti viri meritum deperiret, transitoria pœna morteque sedata est temporali. Non est igitur admirandum, si & nos qui involvimur tenebris peccatorum, in lubrico itinere labimur, & in nostris consiliis caligamus: cùm tales tantique viri ignorantiæ potuerint nubilo obscurari, in quorum vita & moribus lumen justitiæ & solis etiam claritas refulgebat.

Et ego quidem quadam virtutis imagine sum deceptus, & ut illius feræ pessimæ monstrique horribilis sævitia minùs prospectaretur, prospectaque caveretur, miseris Monachis & afflicto loco causa fuit intentio consulendi. Pollicebatur enim ille aper de silva crebris multumque terribilibus juramentis, se vineam Domini numquam ulteriùs depasturum, nec de ea quicquam ablaturum, nisi quod ei manus meæ spontanea largitio contulisset. Credidi, fateor, promissionibus ejus, non levis meriti minimæve remunerationis arbitrans fore, si per me posset illius truculentia temperari. At ille rapacissimus lupus callidè blandiendo & falsa pollicendo, omnino moliebatur Abbatiolæ nostræ, quæ pro modulo suo satis ordinata satisque composita videbatur, dentem infigere; & quæ pestilentia sua protriverat, in malitiæ suæ ventrem quoquo modo aliena consciscere. qui postquam se vidit frustra niti, artesque suas sibi parum procedere; in apertam insaniam solitumque furorem prosiliens, nec me terrere minis, nec subplantare insidiis, nesciens miser sub illius me capitis umbra infatigabiliter decertare, à quo conculcari leonem & draconem tuba prophetica præconatur. Ut igitur non illi virulentæ insidiæ, sic nec mihi Deo propitio, quibus eas repellerem, doli & astutiæ defuere. Licèt ergo illius me jugo subjecerim imprudenter ad modicum, tamen toleravi patienter, evasi sapienter.

Verùm non minimo pudore confundor, me plus credidisse verbis alienis, quàm oculis meis: & cùm in illo mihi totius malignitatis indicia apparerent, me cum illo vel sub illo consensisse puncto temporis immorari miserabiliter erubesco. Certè videbam in illo cervicem inflexibilem & erectam, oculos plenos furiis huc illucque currentes, nares spirantes contemptum sermonem varium sibique dissimilem, nulla consequentia nullaque ratione constantem, humeros jactabiles, pedes instabiles, incessum inæqualem, incompositum, indecorum, manus rapaces, violentas, promptas ad cædem & ad injuriam proximorum. Cùm igitur hæc in illo venenatæ mentis signa perspexerim, ultimæ omnino miseriæ fuit sic me potuisse mihimetipsi absconsari, ut umquam me passus sim ejus vel convictu vel colloquio maculari. Spero autem jam me de cetero prospectiorem, purgatiorem, cautioremque futurum; si tamen tu mihi opitulari non abnuas, precibusque potentissimis agere, ut hæc mihi, quæ ex quadam mentis vilitate contracta est, prolapsio remittatur. Vale.

WILLELMI *Abbatis*

EPISTOLA V.

Monachum quemdam ad unum Deum quærendum hortatur.

DIlectissimo fratri A. W. peccator intimæ dilectionis affectum. Omnes quidem homines qui sacræ fidei & agnitionis divinæ munere gloriantur, decet sanctè & laudabiliter conversari. Hujus tamen negotii majus his pondus incumbit, qui excellentiori proposito suas animas voluntariè subjugantes, animique fervore mirabili omnium præceptorum cacumina supergressi, in Christi corpore quasi quædam clarissima lumina emicant. Cùm enim conjugia Apostolico ore laudentur, & ex facultatibus suis partem pauperibus erogantes, sedes beatorum, camposque Elysios consequantur; isti tamen vitæ perfectioris amore omnia visibilia contemnentes, ipsam subitò monadem arripere maluerunt, quàm ex his temporalibus gradus efficere, quibus ad illam conscenditur. Sanè quod omnia referantur ad monadem, & quia super universa quæ per ipsam facta sunt, teneat principatum; Scriptura illa satis evidenter ostendit, quæ de sapientia loquens, *Cùm una*, inquit, *sit*, *omnia potest*. Et unam se à Domino petere Psalmista testatur: & arca quæ à Noë constructa est, ubi mensuræ cælitus dantur, in inferioribus trecentorum cubitorum longitudinem, & quinquaginta latitudinem habuisse describitur: quæ tamen ad altiora consurgens cogitur in angustum, ita ut summitas ejus in unius cubiti spatium terminetur.

Vides ergo quomodo universa redigantur ad mo-

nadem : quam qui in præsenti potuerit obtinere, jam profectò illud in hac mortalitate consequitur, ad quod in illa resurrectione communi omnis creatura rationalis sancta & munda devenire contendit. Tunc, ut divinæ litteræ pollicentur, erit Deus omnia in omnibus, cùm tradiderit Filius regnum Deo & Patri, id est cùm Fideles, in quibus nunc regnat ille per Fidem, ad contemplationem Dei & Patris optabiliter feliciterque perduxerit. Huic excellentissimæ visioni Moyses ille legislator, & ardentissimus divinitatis amator, liberum cupiebat adhibere conspectum, quando cum Domino loquens, ut & semetipsum dignaretur ostendere, devotissimè precabatur. Noverat enim vir ille mirabilis summam beatitudinem fore rerum omnium principium contueri, & illam monadem mentis complecti, à qua universa sumunt originem, & in qua habent omnia finem.

Claret igitur quantæ virtutis quantæque præstantiæ sit, omni sæculari spe mundique felicitate rejecta, illud unicum bonum appetere, ad quod tanti viri suspirabat intentio. Unde & in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, jure à Domino judiciariam accipient potestatem, qui ejus dilectionis intuitu omnia reliquerint : quia & id congruere æquitati, quicumque sanum sapit, intelligit ; ut qui in peregrinatione veraciter humiles exstiterint, sint in patria gloriosi.

Inter hujuscemodi ergo heroas sedem te eminentissimam adepturum, certa me cogit ratio opinari : quia ut ad tantam humilitatem descenderes, non te, ut quosdam, recordatio peccatorum, sed laudabiliter acta vita superior patriæque cælestis desiderium invitavit. Semper igitur sis circumspectus, semper sis providus, omnique studio totaque intentione cordis enitere, ut de bonis semper ad optima transeundo, finem facias concordare principio ; nec ulla hostis antiqui fraudulentia violetur, quod ab integritate sumpsit exordium. Non aliorum quæso torpor tuum faciat tepere fervorem, nec eorum exempla te negligentiorem efficiant, qui prætendunt habito quod moribus insequuntur. Multi etenim tales, quod te latere non arbitror, sub angelico habitu delitescunt, quorum sic misera est conversatio tantaque vitæ perversitas, ut bonis etiam mentibus plerumque sacri propositi pænitudinem ingerant, vitæque deterioris contactu sanctæ cælestisque militiæ non desinant obscurare nitorem : qui per se quidem semper præclarus, semper lucidus, semper egregius est.

At bene fundatum animum res non ista perturbat, nec eum à summo amore disjungere cujuslibet malitiæ valet improbitas. Scit enim in Dominica area grana inter paleas gemere, nec eam oportere divinæ discussionis ventilabro, nisi in fine sæculi, permundari : scit in præsenti piscatura verbi sagena bonos malosque pisces concludi, nec eos posse nisi in litore separari. Sic ergo debemus animum moderari, sic impatientiæ virus longanimitatis antidoto temperare, ut & patienter malorum improbitatem feramus, nec umquam bonos propter pessimos deseramus.

Hic tu me forsitan argues, cur ipse beati Remigii Abbatiam tam citò facileque reliquerim ; cùm in illo collegio dubitari non possit quosdam viros honestissimos inveniri, ex quorum benevolentissima caritate ceteri debuerunt tolerabiles judicari. Fateor partim justa hæc tua objurgatio videretur, nisi ille pestilens truncus ficulnus, inutile lignum, terram illam miserabiliter occupasset, sub cujus umbra nulla quidem bona possunt semina exoriri, sed & si qua exorta fuerant, enecantur. Ita enim illa venenata & amarissima arbor tenebrosa est & condensa, ut quocumque brachia tortuosa mortiferosque ramos extenderit, nullum illic sol justitiæ lumenque veritatis habere possit accessum. Tale igitur monstrum & hujuscemodi aufugisse portentum, non impatientiæ & inconstantiæ vitio, sed summæ virtuti summæque est prudentiæ deputandum.

Willelmi *Abbatis*.

EPISTOLA VI.

Eidem Monacho à proposito fervore deficienti exponit arcana judicia Dei.

Fratri A. W. peccator sole vestiri, & lunam habere sub pedibus. Quoniam quisquis veræ dilectionis stimulatur affectu, non minùs proximorum quam suis provectibus conlætatur ; congratulatorias tibi litteras nuper transmisisse me memini, sperans tuæ conversionis principio totius vitæ tenorem finemque propositi responsurum. At, ut mihi relatum est, longè aliter se res habet, teque malorum improbitate devictum, patientiæ clypeum projecisse : quo si vellet tua fraternitas communiri, cùm ex quorumdam melioratione, tum ex tolerantia pessimorum non minimum tibi lucrum virtutis adcresceret.

Agitur enim modo ineffabili ordineque mirabili, ut semper electorum utilitati reproborum serviat omnis improbitas ; eoque puriùs veri Israëlitæ cælesti divinoque lumine perfruantur, quo profundiùs suis tenebris suæque caligini Ægyptii immerguntur. Mentior si non ita sacra contestatur historia, quæ in illa percussione Memphitica apud Ægyptios palpabiles tenebras, apud plebem verò Fidelium clarissimam lucem fuisse commemorat. Sic nimirum hi duo populi discernuntur, ut licèt in una provincia sint, licèt eadem commorentur in domo ; alter tamen semper in lumine, alter in tenebris obversetur. Nec mirum id quidem. Tanta est enim illius oblectivi luminis, divinique fulgoris potentia, ut corda quæcumque tetigerit, statim illuminet & accendat : quæ verò suo judicaverit indigna contactu, in sua caligine tenebrosa & frigida perseverent. Cur verò ex una perditionis massa omnium hominum genus emerserit, & originali peccato priusquam renascantur omnes teneantur obnoxii ; cur aliis gratia conversionis divina inspiratione præstetur, alii autem in propria obscuratione permaneant ; non humanæ rationis examine, nec mortalis ingenii est trutina ponderandum.

Verùm ex hac ipsa divini profunditate judicii illud salubriter admonemur, ne facilè temereque infirmorum fratrum consortia deseramus : quia quid de his Judex ille secretissimus in occulto disponat, non est idoneus noster comprehendere intellectus. Fit enim plerumque, ut hi qui videntur opprimi pondere delictorum, & in aquilonis lateribus residere ; subitò divina inspiratione compuncti, culparum sordes excutiant, & in terra australi per opera virtutum sibi domos ædificent.

Quod cùm ita sit, immanissimæ est omnino intolerabilisque superbiæ interni & æterni Judicis velle prævenire sententiam, & discretionem piscium, qui eorumdem sacramentorum retibus concluduntur, in præsenti exercere conari, priusquam maris litora contingantur. Certè hoc divinæ litteræ docent, hoc omnis series Scripturarum bene consulta respondet, bonos à malis interim corde separari debere, non corpore ; nec locorum longinquitate, sed affectuum

qualitate. Veniet profectò, veniet illa dies, in qua inter pecus macilentum & pingue, inter pecus arietum & hircorum, Pastor ille falli nescius judicabit. Tunc occulta tenebrarum omnino producentur in luce, nec sub ovinis pellibus lupina corda se contegent: quia ex ipsius beatissimæ resurrectionis virtute potentiaque proveniet, ut quales hîc singuli fuere in moribus, tales illic appareant in ipsis corporibus. Denique ideo vitro mundo illa luminosa civitas comparatur, quoniam clarissimi vitri in morem, quidquid ibi interiùs erit, exteriùs eminebit, ipsæque conceptiones animorum mirabiliter subjacebunt conspectui oculorum. Ergo, dilectissime frater, ad illam ineffabilem puritatem sanctis moribus nos paremus, boni ipsi simus; quosque trahere ad meliora non possumus, patientissimè toleremus. Vale.

Willelmi *Abbatis*

EPISTOLA VII.

A. præceptorem suum, qui de sua conversione tristis erat, ad sæculi contemptum hortatur.

PRæceptori suo A. W. peccator fugere à facie arcus. Consideranti mihi studia cupiditatesque mortalium, tanta ammiratio, tantusque stupor offunditur, ut cum Satyrico exclamare compellar:

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane!

Quis enim non vehementissimè ammiretur tanta miseros homines cupiditate raptari, ut eorum aviditati non ratio, non voluntas, non denique timor Domini, finem imponat? Fit enim mirum in modum, ut quanto plura congesserint, tanto magis cupiditatis facibus inardescant, crescatque amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Unde ineffabiliter divina est prædicanda justitia, quæ sic mors hominem peccantem addixit, ut ei propter incertos casus cotidie immineret; propter brevitatem autem longè non posset abesse. Providit nimirum summa Divinitas hominem posse cupiditatibus reluctari, illicitasque cohibere lætitias, si pœnæ formido semper ejus ante oculos versaretur. Quis enim sub mortis metu positus vel minimam de rebus temporalibus capiat voluptatem, quas velit, nolit, ipse sit relicturus?

Jam ergo videre perfacile est, quantis illi deflendi sint fluminibus lacrimarum, qui medicinali Domini severitate contempta, ita semel se iniquitatis dedere profundo, ut revocare gradum superasque emergere ad auras nec valeant, nec velint ulteriùs. Quorum mirabilem, immo miserabilem cæcitatem cæcitatisque supplicium quo faciliùs evitarem, ad veræ philosophiæ sinum, gremiumque me contuli. Medetur enim illa animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Tanta autem jocunditas, tamque inæstimabilis est ejus pulcritudo, ut unus dies bene & ex præceptis ejus actus, peccanti immortalitati dignissimè præponatus.

Vides igitur, si me diligis, quanta sit tibi cum exsultatione lætandum, qui mihi talem sponsam elegerim, cujus cùm forma, tum suavitas rebus omnibus antecellit. Jam ergo sicca lacrimas, cohibe fletum, omnem mærorem expellito: pro certo noveris me partem optimam elegisse. Credito, credito mihi, succedet humilitati sublimitas, lacrimis risus, divitiæ paupertati: magna sunt enim quæ suis illa amatoribus pollicetur. Et re vera quis cogitare sufficiat, quantas sapientia dilectoribus suis opes sit collatura, cùm ejus amore suscepta paupertas ipsa delectet? Huic ergo adhærere mihi bonum est, nullusque umquam fuerit dies, qui me ab ejus amplexibus & amore divellat.

Verùm si nosse desideras; quali in castris ejus regula militemus, breviter tibi illam describimus. Sunt nobis cuncta communia, unum cor, una anima, unum idemque propositum: virtus autem obedientiæ sic præpollet, ut cùm nobis incredibile sit studium legendi; nullus tamen obedientiæ præferre audeat lectionem. De gratuita verò paupertate quid referam? cùm omne quod corporeus sensus attingit, sit nobis omnino contemptui, animumque avocantes à corpore consuescamus mori. Arduum id quidem atque difficile, quis negat? Sed tamen hoc duce philosophia nos credimus effecturos. Hæc est vita laudabilis, quam tenemus; hæc vera philosophia, ad quam te, ô amice, invitamus. Quòd si te ad hanc adducere non valuero, tu me ab illa numquam abduces. Vale, & miserere animæ tuæ.

ADNOTATIONES

In Willelmi Abbatis epistolas.

In Epistolam I.

IN prima hac epistola Willelmus Gregorio Papæ VII gratulatur de ejus electione, quæ contigit anno M LXXIII. *tum significat se postulatum ad regimen Abbatiæ sancti Remigii apud Remos, quæ post obitum Herimari anno* M LXXI. *Pastore vacaverat, quod onus subire refugit. Huc spectant Gregorii Papæ VII epistolæ quædam, nimirum libri primi epistola* XIII *ad Manassen Remorum Pontificem, quæ eum monet, ut ne Monachos Remigianos ampliùs vexet, atque juxta canonicas sanctiones Abbatem ibi ordinandum curet. Eamdem rem commendat epistola sequenti ad Hugonem Abbatem Cluniacensem. Utraque epistola data Indictione undecima, hoc est anno* M LXXIII.

Propiùs Willelmum nostrum spectant ejusdem libri epistola 52 & 53, scriptæ Indictione duodecima: prior quidem ad Manassen, quem laudat, quòd Monasterio sancti Remigii honestum moribus & eruditum litteris hominem *præfecerit, scilicet Willelmum nostrum, de quo hæc subdit:* Abbas quidem nobis admodum placet: & si posset ferre onus, ut utrasque Abbatias regeret, Mettensem scilicet & Remensem, laudassem pro eo, quia vir religiosus & sapiens est. *Verùm quia Willelmus in hac epistola onus istud à se amoliri conatur, subjicit Gregorius:* Alioquin si pondus utrarumque regiminis supra posse sibi est, ut ipse fatetur; ne nimia gravedine pressus succumbat, rogamus prudentiam tuam, immo apostolica auctoritate monemus, quatenus suo consilio & consensu per electionem congregationis, secundùm Regulam sancti Benedicti, idoneum ibi rectorem Deo concedente constituas. *Denique Gregorius epistolam 53 ad Herimannum Mettensem Episcopum de eadem re scribit, scilicet* Abbatem sancti Arnulfi, *nempe Willelmum (non verò Abbatem Arnulfum, ut perperam legitur in lemmate vulgatæ epistolæ) velle renunciare Abbatiæ sancti Remigii, & Mettensi esse contentum.*

Diabolus ille Versellansis. *Gregorius scilicet Episcopus Vercellensis, primùm a Leone Papa IX ob adulterium aliaque flagitia excommunicatus, dein absolutus: qui Henrici IV Imperatoris Cancellarius in Italia factus, ita ejus factioni semper adhæsit, ut eo instigante Cadoloum Parmensem Episcopum, conspirante Placentino Pontifice, Antipapam*

creaverit post mortem Nicolai II; idemque Romam ab eodem Imperatore missus ad confirmandam Gregorii VII electionem, cui primùm restiterat; demum Synodo adversus eum convocata miserè exspiravit.

*In fine epistolæ Willelmus non ita bene sentit de Monachis Remigianis: at in fine epistolæ quintæ judicium suum temperat; testatus in illo collegio quos*dam viros honestissimos inveniri, ex quorum benevolentissima caritate, ceteri debuerunt tolerabiles judicari.

In Epistolam II.

In hac duabusque sequentibus epistolis Willelmus acerbiùs ac duriùs fortasse, quam par esset, in Manassen invehitur. Faciliùs tamen Willelmo veniam dabit, qui Manassæ mores perspectos habuerit. Legendi hac de re tum Hugo Flaviniacensis Abbas, ejus æqualis in Chronico, tum Guibertus Abbas de Novigento in lib. 1. de vita sua, cap. XI, ubi sancti Brunonis secessum ex urbe Remensi refundit in flagitiosam Manassæ vitam. Manasses, *inquit*, post Gervasii famosissimi Archiepiscopi decessum, prædictæ urbis regimini simoniacè se intrusit: vir quidem nobilis, sed nihil prorsus serenitatis, quæ prima ingenuitatem decet, habens..... Is cùm milites summopere affectaret, Clerum negligeret; dixisse aliquando refertur: « *Bonus, ait, esset Remensis Ar« chiepiscopatus, si non Missas inde cantari oporteret, &c. Eo verò processit Manassæ flagitiosa vita, ut in ordinem redactus sit anno* MLXXX *in Concilio Lugdunensi. Ex quibus intelligas, non sine causa Willelmum exarsisse in ipsum, tametsi hic auctor ingenio paullo ferventioris ac mordacioris fuisse videtur.*

Luscium Lavinium.] *Is fuit Poeta maledicentissimus, de quo Terentius in Prologo Andriæ & Heautontimorumeni, ubi eum malevolum Poetam tacito nomine appellat.*

In Epistolam III.

Hic Gervasium Remorum Archiepiscopum Willelmus comparat cum Manasse ejus successore, longè tamen præferendo Gervasium. Hunc quippe laudat, tum ob bonarum artium studium, quibus excelluit; tum ob constructas ecclesias & templa exornata, scilicet ecclesias sancti Nicasii & sancti Dionysii, quas instauravit; tum denique ob religiosorum virorum cultum. Nam Monachos Ordinis sancti Benedicti in sancti Nicasii; Canonicos regulares in sancti Dionysii Monasteria primus induxit. Cur verò eum tyrannum vocet, non comperio, nisi quòd ipsius demortui animam è dæmonum potestate per sanctos Martyres Dionysium & Nicasium ereptam veteres ferunt.

Follis *nomine, quo auctor utitur hoc loco, veteres Galli insanum & stultum significabant, teste Johanne Diacono in* lib. 4 *de vita sancti Gregorii*, cap. 96. At ille, *inquit*, more Gallico sanctum senem increpitans follem, *&c.*

In Epistolam VII.

Quis fuerit Willelmi præceptor, cui septima ejus epistola inscripta est, incertum nobis reddit decurtatum istius præceptoris nomen sola prima littera A. indicatum. Conjicio tamen fuisse Alestanum Fulberti Carnotensis Episcopi discipulum, quem Adelmannus laudat in versibus rythmicis inferiùs edendis.

Vix æmulum quæreremus Odulfo superstite
Alestanum: quantus erat veteris scientiæ,
Sicut hi quos erudivit satis pollent hodie.

Ceterum quàm solida pietate imbutus fuerit Willelmus noster intelligimus maximè ex tribus postremis epistolis: quas cum quatuor aliis ex ms. codice Metensis Monasterii sancti Arnulfi descripsit, mihique transmisit vir religiosissimus Domnus Josephus Homasselius, ejusdem loci tum Subprior, Congregationis sancti Vitoni. Porro inter poetica in consequentibus referam epitaphium hujus Willelmi Abbatis, quem inter Abbates Monasterii sancti Arnulfi prætermissum miror.

Hic subjungendam duxi Orationem Willelmi Abbatis in festo sancti Augustini recitandam, hujus Willelmi, an alterius ætate superioris, scilicet beati Willelmi Abbatis Fiscamnensis ac Divionensis, qui collapsam monasticæ Religionis disciplinam, cùm in pluribus aliis, tum in Metensi S. Arnulfi Monasterio instauravit. Ut potiùs alteri Willelmo, cujus epistolas hactenus retuli, subjectam Orationem adscribam, his conjecturis moveor. Primò, quòd Metensis codex in Monasterio sancti Arnulfi eo Willelmo Abbate scriptus sit. Deinde, quòd hæc Oratio inscribatur Domni Willelmi Abbatis, *absque alia honoris præfatione: cùm Willelmus antiquior jam tum beatus ac sanctæ memoriæ Abbas diceretur. Sic Warinus in epistola superiùs edita hunc* sanctæ memoriæ Domnum Abbatem Willelmum *appellat. Ad hæc, quòd Willelmus junior sancti Augustini doctrinæ maximè addictus fuerit, ut patet in primis ex superiori epistola sexta.*

ORATIO DOMNI WILLELMI ABBATIS

In commemoratione sancti Augustini ante consecrationem Missæ dicenda.

Memento, Domine, animæ famuli tui Patricii, & famulæ tuæ Monnicæ: & si quid pro anima filii ipsorum domini mei Augustini, dilectissimi Confessoris tui, mihi misero peccatori licet vel intimo cordis affectu desiderare; utinam non omni modo inutiliter ipsa tibi mea loquatur voluntas. Scio quidem, Domine, & pro certo agnosco esse me peccatorem, & infelicissimum, & cunctis criminibus obnoxium, atque immensis sceleribus coinquinatum; illum autem fuisse in hac præsenti vita sanctum, justum & pium, omnibusque virtutibus mirabiliter exornatum; nunc autem omni honore & gloria in conspectu tuo mirifice sublimatum, ubi magis ac magis glorificetur & magnificetur desidero & opto, & in quantum præsumere audeo, exoro. Quod verò per eum ingenti necessitate, tamen cum quantulacumque fide exposco, tu benignissime occultorum cognitor, scrutans corda & renes Deus, intende placatus, quatinus meritis & intercessionibus ejus, omniumque Sanctorum tuorum, absolvas me & omnes fratres nostros ab omni vinculo delictorum, & denuo tam nobis, quàm omnibus, pro quibus tuam clementiam exoramus, facias secundùm multitudinem miserationum tuarum. Mihi quoque obsecro de ejus intercessionibus & meritis donari, quod certè meis non mereor adipisci, videlicet ut de divinitate atque humanitate dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu-Christi id merear sentire quod ipse sensit, scire quod scivit, intellegere quod intellexit, credere quod credidit, diligere quod dilexit, prædicare etiam valeam quod docuit. Precor, Domine, ut subveniente & succur-

rense eum sua pietate omnium Sanctorum tuorum supplicatione, cum sincera fide, cum spe secura, cum caritate non ficta ultimum valeam spiritum efflare. Sed & diem illum & horam, migrationis videlicet animæ meæ de corpore, peto, Domine, ut non permittas me pernicioso timore horrere, sed sic potiùs facias vivere, ut mihi congruum, & proficuum, & utile sit velle dissolvi, & cum Christo esse. Dissolvi enim & cum Christo esse, certè nihil melius, nihil gloriosius, nihil felicius, nihil jocundius nihil delectabilius, nihil dulcius, nihil suavius, nihil amabilius, nihil optabilius, nihil desiderabilius. Tamen si adhuc permanere in carne propter quoscumque necessarium est, quid dicam? certè quamvis torquente conscientia valde sibi male conscia, dicam, Pater, dicam, fiat voluntas tua. Tu enim qui nosti etiam bene uti malis, tu solus scis, quare hoc fecisti, habens potestatem ex eadem luti massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam, potestati tuæ nemine resistente, nemine prohibente, nemine contradicente. Et quid contradicere potest creatura creatori, factura factori? numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quare me sic finxisti? Quippe cui vis misereris, & quem vis induras. Quapropter nescit homo mortalis utrum odio, an amore dignus sit, sed omnia in futuro reservantur incerta. Unum autem certum, firmum, stabile & perpetua constat æternitate immutabile, scilicet quòd Deus es, quòd omnipotens es, quòd bonus es. Ergo in nobis & de nobis quod bonum est in conspectu tuo, clementissime Pater, fiat, fiat. In ditione quidem tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Si decreveris salvare nos, continuò liberabimur: à cujus liberationis gratia, ne multitudo ac magnitudo peccatorum meorum faciant extorrem & indignum, jube, Domine, miserrimam animam meam consolari, quòd misereris omnium, & nihil odisti omnium quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Fac ergo me, Domine, fructum dignum pœnitentiæ facere. Fac, piissime, ut antequam in desperationis barathrum incidam, antequam me mors occupet, antequam dies ultima mihi aditum intercludat, da ut inveniat servus tuus cor suum ad satis tibi faciendum pro tantis tamque horribilibus ac nefandis criminibus, quibus me confiteor obnoxium Majestati tuæ, & quàm gravissime, heu heu quàm damnabiliter. Sed tu, clementissime & piissime Deus, avertens faciem tuam ab his malis, noli me secundùm actum meum judicare, sed clementer satisfactionem meam suscipiens exaudi me, ut vel nunc prope finem meum, cùm jam multum non laboraturus sim, omnia interiora mea tuis sanctis jam neglegam neque differam occupare obsequiis. Illumina, quæso, Domine, mentem meam ad investigandam, & inquirendam, & servandam semitam mandatorum tuorum, ut nulla mihi jam dominetur iniquitas, neque possideant me domini absque te: sed tu possideas rogo, tu domineris mei. Peto tu, benignissime, doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Dominus Deus meus, & ego servus tuus & filius ancillæ tuæ. Fiat igitur nunc mihi, Domine, per gratiam tuam, ut abdicata omni dominatione vitiorum, non superbia, non avaritia, non luxuria, non ille omnium iniquissimorum iniquissimus, omnium nequissimorum nequissimus, impiissima crudelitate, & crudelissima importunitate intolerabilis, pessimus blasphemiæ spiritus, non ulla vitiorum pestis valeat mentem meam ullo modo evellere, aut avertere à fiducia immensæ bonitatis tuæ. Verùm de immensitate misericordiarum tuarum fideli confidentia roboratus, quæso ut audeam de te securiùs dicere: Tuus sum ego, ita ut tu me agnoscens membrum illius sancti corporis mihi, cui dicere dulce habes: Audi, Jacob serve meus, & Israel, quem elegi, faciens & formans te ab utero, auxiliator tuus, quia ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Non recorderis ampliùs peccata mea, sed propter te, precor, deleas iniquitates meas, propter te tribuas mihi gratiam tuam, ut ad tanti Sacramenti mysterium accedenti dimittas quæ conscientia meruit, & adjicias quod oratio non præsumit.

GUIDONIS COMITIS EPISTOLA

Ad LAMBERTUM *Episcopum Atrebatensem*

LAMBERTO Dei gratia Attrebatensi Episcopo & cognato suo, GUIDO Pontivorum Comes salutem & amicitiam. Vestram humiliter obsecro pietatem, ut septima feria Pentecostes Abbatis-villam venire dignemini, quoniam in crastina die Dominica debeo LUDOVICUM Regis filium armis militaribus adornare & honorare, & ad militiam promovere & ordinare. Precor itaque ut ad ipsum Ludovicum honorandum veniatis: auctoritatem enim vestri consilii in hoc facto interesse desideravi. Igitur etsi propter ipsum Ludovicum venire refutatis, tamen propter me, & propter cognationem inter vos & me habitam flagito ut venire dignemini, & propter remunerationem cujuscumque rei, quam à me amodo impetrare volueritis, rogo ut in sabbato Pentecostes veniatis. Valete.

ADNOTATIO.

EX hac epistola, quæ ab eruditissimo Godefrido Hermanno mihi Belvaco transmissa est, intelligitur, Regum Francorum non solùm à Regibus Milites solemniter creatos fuisse, sed etiam à summatibus viris, ut hic Ludovicus sextus à Guidone Pontivorum Comite.

GALTERI EPISCOPI MAGALONENSIS EPISTOLA

Ad ROBERTUM Præpositum Insulanum,

De Floribus Psalmorum à Lietberto collectis.

GALTERUS Magalonensis Episcopus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus, dilectissimo consanguineo suo R. Insulano Præposito, & universis ejusdem ecclesiæ Canonicis, in Domino salutem. Cùm vobiscum dudum apud Insulam moraremur, Concanonicus vester HASCELINUS inter alia verba, quæ nobiscum familiariter habuit, cœpit diligenter inquirere de Floribus Psalmorum, quos à sanctæ memoriæ LIETBERTO, olim Canonico vestro, postmodum sancti Rufi Abbate, audierat exceptos, & in unum collectos. Cui nos in quantum ex ipsa Scriptura percepimus, qui & religionem & inten-

tionem illius beati viri novimus, respondimus animum suum in hoc opere fuisse, ut quod moribus corrigendis magis esset Ecclesiæ Dei necessarium, hoc tantum de diversis expositoribus traheret, & in duobus corporibus poneret. Magnam quippe & diffusam expositionem super Psalmos à beato Augustino editam noveras, & Cassiodoro, & reliquis Ecclesiæ Dei Doctoribus: sed qui totus igne divini amoris inflammatus cælestibus inhiabat, & in animarum lucro temporalibus curis omnino postpositis tantum intendebat, totum studium & ingenium suum ad hoc vertit, ut omnipotenti Deo, sive scribendo, sive loquendo, quas posset animas adquireret. quod studiosus lector in eisdem Floribus animadvertere potest. Audito itaque beatissimi viri studio, audita etiam utilitate illius lectionis, cœpit vehementer idem Conçanonicus vester precibus instare, ut si quem locum familiaritatis, si quam gratiam apud nos obtinebat; aut totum, aut partem illius operis per nos habere mereretur, ex promissione nostra illud Psalmi frequenter replicans: *Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.*

Verùm nos occasione curæ pastoralis & nobis injunctæ legationis in multis & diversis negotiis extunc occupati, desiderium & promissionem nostram implere hactenùs minimè potuimus. Ceterum caritas illa, quâ nos in Deo & propter Deum diligimus, hujus debiti nos nequaquam sinit esse immemores. In duobus igitur corporibus, sicut ab illo sancto viro iidem Flores excepti sunt & divisi, non singulariter alicui personæ, sed toti Ecclesiæ vestræ mittimus, fraternitatem vestram præsentibus litteris adhortantes, quatinus semper memores vitæ illius, dudum alumni vestri, & studii, eamdem scripturam & frequenter legatis, & memoriæ commendetis, tanti viri conversationem ante oculos habentes & imitantes. Nec adtendatis quid, quantumve à nobis vobis offertur, sed ex quanto vobis offeratur. Testis est enim mihi Deus, quomodo omnes cupiam vos in visceribus Jesu-Christi: & hoc oro, ut omnipotens Deus per condignum pœnitentiæ fructum vos ad pascua vitæ æternæ perducere dignetur. Neque enim vestri oblivisci aliquando possumus. Volumus & rogamus, ut quotiens Domnus Hescelinus ad legendum eosdem libros postulaverit, pro sua petitione & nostra promissione semper habere mereatur.

Gratia Dei præcedente per importunum laborem & instantiam nostram pax inter Principes nostros reformata est, unde tota patria nostra lætatur. Valete, & amici vestri memoriam semper habetote.

ADNOTATIO.

Ex hac epistola seu præfatione, quam ex Belgica Dunensis Monasterii Bibliotheca eruimus, confirmatur sententia Roberti in breviori Gallia Christiana, censentis Galterum Magalonensem Episcopum eumdem esse cum Galtero, qui Flores Psalmorum vulgavit. Immeritò proinde hoc in loco Robertum erroris postulant Sancta-Marthani in fusiori Gallia Christiana, ac Petrus Gabriel in serie Præsulum Magalonensium, qui Galteros duos distinctos volunt. Præterea, ex hac epistola constat, Galterum Magalonensem Episcopum Legati Apostolici dignitate functum esse: quod nullus eorum notavit. Ad hac, consanguineus fuit Roberti Insulani Præpositi, uti ipse disertè agnoscit. Sedit Galterus ab anno M C IV. ad annum M C XXIX. tempore sancti Bernardi Claravallis Abbatis, qui in epistola 98 laudat Fratrem Hescelinum, non alium, ut puto, quam qui hic à Galtero memoratur Canonicus Insulanus.

HILDEBERTI EPISCOPI CENOMANNENSIS EPISTOLA

Ad REGINOLDUM Monachum Cantuariensem.

Laudat ejus carmen de historia Malchi.

HUMILIS Cenomannorum Sacerdos HILDEBERTUS, RAGINOLDO B. Augustini Monacho, quicquid sibi. Malchum tuum occupatus quidem suscepi, sed invitus dereliqui: quem licèt ecclesiasticis impeditus negotiis, ad finem tamen usque perlegi, in eo & venustatem ordinis admiratus & virtutem. In quo satis competenter poëtica evagatus licentia, tergestæ non solùm figmentis subvenisti fabularum, sed & naturæ pariter & veri officia succincto sunt sermone demonstrata. Silvestris oleaster & olea naturalis ita in unum stipitem cohæserunt, ut cùm neuter sit idem quod alter; uterque tamen effectus sit unus alter. Unde factum est, ut & operi suo laudes debeam, quia dignissimo legi; & auctori gratias, quia dignum me cui legenda mitterentur judicavit. Habebis ergo me alterum Pyladem, nisi tu mihi alter Orestes fieri dedigneris. Socium tamen profiteri non audeo, sed amicum promitto. Ad æqualitatem quippe, quam notat societas, ascendere mihi non licet; licet autem ad benevolentiam, quæ amicitiæ fructus est, pervenire: quæ incœpta temporaliter, in æternum permanet. Oremus pro invicem ut salvemur; ut augeatur quotidie, scriptis frequentioribus colloquamur. Interjecta maria caritatis officium non impediant, quod terrarum spatio aliquamdiu dilatum manus amica gratius accipiet. Hoc autem non me solum non reprehendere noveris, sed venerari pariter & amplecti, quòd aliquas positiones, ingenioli mei filias, aut nostrorum particulas versuum tuo te operi inseruisse notasti. Tunc enim placere mihi incipio, cùm video scripta mea majoribus minimè displicere. Vale, Frater, & dilige diligentem te, scribe scripturo ad te.

ADNOTATIO.

HÆc epistola, quæ deest in editis, desumta est ex apographo Monasterii sancti Tauri apud Ebroicas. Quis sit Reginoldus iste, cui inscripta est, docet nos Johannes Pitseus in appendice illustrium Angliæ scriptorum, his verbis: Regilnaldus, natione Anglus, Ordinis sancti Benedicti Monachus Cantuariensis in Cœnobio sancti Augustini, vir bonarum artium studiosissimus, & linguæ latinæ peritissimus. immo in elegantia Romana mire floruit. Selectioribus enim Auctoribus perlustrandis omne tempus quod poterat impendit: evasitque rhetor & poëta inter suos insignis. Græcæ etiam linguæ, ut videtur, non ignarus. Nam Malchi cujusdam Græci historias Græcas vertit in poëmata Latina, & operi hanc præfixit notam: *Super Malchum Byzantinum librum unum.*

Prœlia gesturus ludo pius, &c.

Horum omnium testem habeo Nicolaum Brighamum, qui tamen nec plura ejus opera, nec tempus quo floruit, ponit. *Hæc Pitseus. Nos verò ex hac*

epistola intelligimus, Reginaldum seu Reginoldum initio sæculi XII floruisse, quo tempore florebat Hildebertus, primus Cenomanensis Antistes, dein Turonensis Archiepiscopus, qui obiit anno MCXXXVI.

****

EJUSDEM HILDEBERTI PROLOGUS

In Vitam S. RADEGUNDIS Reginæ,

SAPIENTIA est metiri vires, nec aliquid ultrà profiteri. Hanc mihi providentiam dilectio tua, carissime SIMARE, excussit: quia malui ridiculus scriptor, quàm tibi inobediens inveniri. Tuis nimirum exhortationibus Vitam beatissimæ Radegundis ausus sum describere: cùm dare operam studio non magis tarditas ingenii, quàm pontificalis administrationis occupatio prohiberent. De ejus tamen gratia præsumens, qui linguas infantium facit disertas, ad FORTUNATI & BAUDONIVIÆ Sanctimonialis scripta recurri: quorum uterque præfatam prosecutus vitam, de pretioso apparato pretiosa parum, sicut tibi videtur, fercula confecerunt. Eorum scriptis diligenter evolutis, Fortunatum sequi disposui: cui non minùs ea vita, quàm ea dignitate Pontificis plurimum auctoritatis accedit. Quædam tamen miracula, quorum Fortunatus quidem nullum attigit, Sanctimonialis verò memoriæ reperitur commendasse, superaddere disposui: nec tamen omnia, sed ea solummodo, quæ relatu digniora beatissimæ mulieris & meritum declarant & præmium. Cetera nosse cupientem volumina Baudoniviæ revolvere non tædebit. Tu itaque laboratum tibi consules opusculum: nec priùs in aliorum manus incidet, quàm tuo examine vel rejiciendum supprimi, vel approbatum publicis aspectibus offerri mereatur. Magna mihi rependes præmia, si subducas ab oculis hominum, quidquid senseris eorum linguas formidare. Erit igitur non solùm tui arbitrii, sed eorum etiam quos decreveris admittendos, vel correctum producere, vel penitus occultare vitiosum.

INCIPIT VITA.

SICUT sacra Evangelii testatur auctoritas: *Beati mites*, &c.

ADNOTATIO.

DUm se se offerat occasio edendi libelli de vita sancta Radegundis, quem Hildebertus composuit; ejus Prologum hic præmittere visum est, tamquam specimen integri opusculi, quod nescio an hactenus incognitum fuit. Sperabam istius ope libelli illustratum iri quasdam voces obscurissimas, quæ apud Fortunatum in Vita ejusdem Radegundis occurrunt: at comparatis Hildeberti & Fortunati scriptis deprehendi, Hildebertum aut loca salebrosa prateriisse, aut easdem voces obscuras retulisse; nihilque fere, præter stili elegantiam, apud Hildebertum inveniri, quod in Fortunati & Baudonivia libris non habeatur. Hanc verò Hildeberti scriptionem ex ms. codice Pictavensi mihi communicavit noster Claudius Stephanotius, rerum antiquarum studiosissimus, idemque mihi transmisit Capitulare Ludovici Augusti pro Pictavensi Monasterio sancta Crucis à beata Radegunde constructo: quod Capitulare occasione Vita sancta Radegundis hoc loco subjicere non erit à proposito alienum.

****

LIBELLI SUGERII ABBATIS

De consecratione Ecclesiæ suæ.

SUPPLEMENTUM.

AGEBATUR etiam de aliis tam gloriosè, quàm sollemniter aris viginti consecrandis: quarum illam quæ in medio, Salvatori nostro, & sanctorum choro Angelorum & sanctæ Cruci assignatur, domino Cantuariensi Archiepiscopo THEOBALDO; beatæ semperque Virginis Dei genitricis Mariæ domino HUGONI Rotomagensi Archiepiscopo; sancti Peregrini domino HUGONE Autissiodorensi Episcopo; S. Eustachii domino WARONE Catalaunensi Episcopo; sanctæ Osmanæ domino PETRO Silvanectensi Episcopo; sancti Innocentii domino SIMONI Noviomensi Episcopo; sancti Cucuphatis domino ALVISO Atrebatensi Episcopo; S. Eugenii domino ALGARO Constantiarum Episcopo; S. Hilarii domino ROTROCO Ebroicensi Episcopo; S. Johannis Baptistæ & S. Johannis Evangelistæ domino NICOLAO Cameracensi Episcopo sacrandam imposuimus. In crypta verò inferius majus altare in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ Virginis domino GAUFFREDO Burdegalensi Archiepiscopo; in dextra parte altare S. Christophori Martyris domino HELIÆ Aurelianensi Episcopo; S. Stephani Protomartyris domino GAUFFREDO Carnotensi Episcopo; S. Eadmundi Regis domino WERDONI Senonensi Archiepiscopo; sancti Benedicti domino JOSLENO Suessionensi Episcopo. In sinistra parte sanctorum Sixti, Felicissimi & Agapiti domino MILONE Tarvanensi Episcopo; sancti Barnabæ Apostoli domino MANASSÆ Meldensi Episcopo; item & S. Georgii Martyris & Gauburgis virginis eidem Episcopo; sancti Lucæ Evangelistæ domino ODONE Belvacensi Episcopo consecrandam assignavimus. Qui omnes tam festivè, tam sollemniter, tam diversi, tam concorditer, tam propinqui, tam hilariter ipsam altarium consecratione Missarum sollemnem celebrationem superiùs inferiusque peragebant, ut ex ipsa sui consonantia & cohærente harmoniæ grata melodia potiùs angelicus, quàm humanus concentus æstimaretur, & ab omnibus corde & ore acclamaretur: « Benedicta gloria Domini de loco suo; « benedictum & laudabile & superexaltatum nomen « tuum, Domine Jesu-Christe, quem Summum « Pontificem unxit Deus Pater oleo exultationis « præ participibus tuis. Qui sacramentali sanctissimi « chrismatis delibutione & sacratissimæ Eucharistiæ « susceptione materialia immaterialibus, corporalia « spiritualibus, humana divinis uniformiter concopulas, sacramentaliter reformas ad suum puriores « principium. His & hujusmodi benedictionibus visibilibus invisibiliter restauras, etiam præsentem in « regnum cæleste mirabiliter transformas, ut cùm « tradideris regnum Deo & Patri, nos & angelicam « creaturam, cælum & terram, unam rempublicam potenter & misericorditer efficias. qui vivit & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. « Amen. «

ADNOTATIO.

SUGERII *Abbatis Dionysiani Libellus de consecratione ecclesia à se ædificata exstat cum aliis ejus*

curia esset, quibusdam Palatinis præesse se ecclesiæ illi referebat, in qua beati Apostoli Thomæ corpua requiescere dicebatur. Inter cetera verò, quæ de situ ecclesiæ thesaurorumque opulentia & ornamentorum varietate enarravit, unum disseruit, quod non sine ammiratione aures audientium capere possunt. Prædicta Apostoli ecclesia magnæ altitudinis fluvio ex omni parte clauditur, quidiscurrentibus aquis, septenni etiam puerulo, octo ante festivitatem Apostoli diebus, totidemque post festivitatem, præ nimia siccitate se viabilem præbet. In ipsa autem sollemni die collectis in unum totius provinciæ proceribus, omnique clero & populo, post multas lacrimas altaque suspiria Archiepiscopus cum sui sociis ordinis ad beati Apostoli ferettum accedit, & ex eo cum magna reverentia corpus levatum in cathedra pontificali decenter collocat, primusque tanti Advocati pedibus advolutus, oblationis suæ munere Apostolum honorat. Beatus verò Apostolus brachium erigit, manumque aperit; & quidquid ei ab universis nostræ Fidei cultoribus offertur, grataniter accipit. Si quis verò hæreticus populo admixtus, quasi pro devotione in manu Apostoli aliquid ponere nititur, claudit Sanctus manum, & nefanda munera accipere denegat. Cumque talia relatione quorumdam in auribus domini Papæ sonuissent, adesse jussit Episcopum, & ne ampliùs in palatio falsa seminaret, sub anathemate prohibere voluit. Veritati enim contrarium esse videbatur, quod de Apostolo divulgasset. Episcopus autem coram omnibus oil esse verius affirmabat, & assensu domini Papæ sacrosancti Evangelii juramento ita esse comprobavit. Credidit tandem dominus Papa, credidit & omnis curia, & apud omnipotentiam divinam Apostolum majora impetrare posse acclamabant.

A D N O T A T I O.

Hæc Oddonis Abbatis Remigiani apud Remos epistola scripta est circiter annum M C XXXV. *Nam anno sequenti ex Italia reversus, construenda Montis-Dei Cartusia fundum concessit. Thomas Cemes, cui epistola inscripta est, videtur esse Thomas de Marla Codiciaci castri dominus.*

S I B E R T I P R I O R I S E P I S T O L A

Missa de Cœnobio sancti Pantaleonis

Ad Rodulfum Abbatem S. Trudonis,

In qua queritur, an & qua ratione liceat aliquid exigere pro susceptione puerorum in Monasteriis.

Reverentissimo Patri domino R. Dei gratiâ Abbati, S. pace frui supera post vitæ hujus incommoda. Si foret meæ possibilitatis adire præsentiam vestræ paternitatis, nulla itineris obstaret asperitas, nulla familiaris rei revocaret adversitas. Sic enim vetus amor, nullum qui novit modum habere, mentem vestri desiderio penetrat, dum compellit meminisse, quàm liberalem vos aliquando erga se expertus sit exstitisse; & pro hac vicissitudine non solùm aliquo modo non respondisse, verùm nunc usque à resalutatione obmutuisse. Hoc quantum ad humanum spectat obsequium. Ceterùm ille novit meliùs, qui scrutatur omnia solus, quali vel quanta devotione vos assumam in mea peculiari oratione.

Sunt quorumdam obloquentium propositiones, vel (ut verius dicam) detrahentium oblocutiones, Pater carissime, quæ nos inquietant: acerrimum contra quos clypeum vestræ discretionis obnixè efflagitat humilitas totius Congregationis. Sunt autem hæ. Oblatus est aliquando quidam puerulus nobis à parentibus suis, & devotione sua cum puero de facultate sua obtulerunt, quantum voluerunt. Vidit hoc quidam ditior facultate, sed pauperior & avarior voluntate; & invidit: statimque etiam suum filium suscipi rogavit. Multum temporis est in petendo & contradicendo consumtum, quoniam eumdem puerum parentes vi introducere voluerunt nudum. Tandem pater ejus familiariter conventus, ut de rebus, quas sibi concesserat Deus, aliquid conferret ecclesiæ; cœpit furere dicens, se nolle simoniam incurrere. Hac arreptus furia, multâ nos pulsavit injuriâ: replevit fora & plateas, cives & ecclesiasticas movit personas, contestans apud nos pretio constare, quæ jubemur gratìs dare. Si enim plebeius, inquit, nummatus facilè admittitur, generosior simpliciter veniens multis excusationum repagulis repellitur; patet profectò, quia non persona, sed pecunia requiritur. Dumque is qui primùm repudiatus fuerat, sacculum pecuniæ attulit, & denegatum introitum meruit: quis non videat, quantum hic simonia operetur, & valeat? Et quia nota & urbana fuit persona, satis nos inquietavit hac infamia.

Tandem iterum conventi à Clericis & laïcis, respondimus id quod prius: quia esset competens & justum, nec canonico rigori contrarium, ut qui se vel quempiam vellet sociare ecclesiæ, dum haberet unde posset, in usus ejusdem ecclesiæ deberet conferre. Illi autem, Ad hoc, inquiunt, sunt instituta Cœnobia, ut quicumque sæculo voluerit renuntiare, licenter debeat intrare: nec paupertatis aut alicujus rei occasio huic erit obstaculo. quia quos Deus coadunat & sociat, bonis omnibus replet & satiat. Hæc & plura nobis opponunt, à nobis alia [reponuntur.] quæ omnia æquo libramine appendite, & qualiter calumniatoribus Ordinis nostri rationabiliter obviemus, planè & luculenter rescribite; & quo modo in hac reclamatione nos oporteat inoffenso pede stare, enucleate. Quicquid super hac re à vobis fuerit diffinitum, sic apud nos perpetuabit inconvulsum, ac si ab apostolica Sede fuerit confirmatum.

Præfatiuncula *in Rescripto.*

Sequentis opusculi intentio illuc maximè respicit, ut dives iste, de quo sermo habebitur, in medio recedat à parcitate sua & avaritia propter idololatriam: si filium suum vult recipi, dimittat eum ad ecclesiam sequi, quæ de sua substantia debentur ei. Ecclesia verò caveat sibi de omni rerum ejus mala concupiscentia propter simoniam, quæ vendentes & ementes ejicit extra ecclesiam. Sive veniat vacuus, sive plenus divitis filius, si vult eum suscipere, suscipiat; si non vult, dimittat: in suo arbitrio stat. Probabitur verò diviti de rationibus & auctoritatibus multis, quòd pars substantiæ suæ, quæ deberet filio suo in sæculo provenire, debeat eum ad ecclesiam, cui offert, consequi justè & piè.

Responsum RODULFI *Abbatis ad epistolam missam et de Cœnobio sancti Pantaleonis.*

RODULFUS gratiâ Dei sanctique Trudonis, totum quod est, dilectissimo quondam mihi filio, modò verò fratri carissimo, SIBERTO Priori in sancti Pantaleonis Cœnobio, cùm omnibus secum morantibus, tam dominis nostris, quàm fratribus, in omni devotione & oratione salutem animarum & corporum. Nuntium vestrum tamquam Angelum Domini vidimus, litteras vestras quasi sacram paginam reverenter legimus, dolentes quòd in litteris & nuntiis vestris vos tarò audimus & videmus.

De re ergo pro qua humilitas vestra parvitatem nostram dignata est consulere, propè à scribendo manum subtraxeramus, cùm nemo sit, qui inde vos provocet ad audientiam, vel qui trahat ad judicium; & vobis non minùs quàm nobis sint nota inde sacræ Scripturæ & apostolica præcepta. Procax tantùm curiosorum hominum loquacitas teneras aures vestras inquietat, & eorum quidem hominum, qui solent videre festucam in alieno oculo, & trabem non considerare in suo; & culicem liquare, & camelum glutire. Tales silentii irrisione magis sunt prætereundi, quàm amabili illis contentionis fune diotiùs trahendi. Sed ne videremini gravari nostro prorsus silentio, & quasi inaniter usque ad nos cucurrisse; breviori fortitan quàm velletis, nos absolvemus sermone propter eos, qui indigni sunt hac responsione, nedum responsionis auctoritate.

Est pecuniosus homo, sed parcus & avarus, vult vobis filium suum intrudere sine omni oblationum genere, pallians idolum suæ parcitatis & avaritiæ falsa virtutis specie: scilicet ne in sua oblatione videatur simoniam facere. Eripiat nos Deus ab homine iniquo & doloso. Miser & avaritiâ excæcatus non videt, quia dum mentitur se velle vitare simoniam, quàm graviter incidat per cultum suæ parcitatis & avaritiæ in idololatriam. nam & avaritia idolorum est cultura. Neque hoc vult videre, quantum præjudicium & calumniam velit Deo facere & ecclesiæ, ad quam filium suum vult tradere. Nam portio illa quæ debebat filio contingere in sæculo, jure Dei & hominum deberet eum sequi ad ecclesiam, ad quam eum vult tradere Deo. Exigere autem & velle habere quod justum est, simonia nulla est: magis verò rapina est & avaritia retinere, quod justè debeat dare. Dicit beatus Augustinus in libro de decem » chordis: » Noli sub imagine pietatis augere pecu- » niam. « Et non multo post: » Mentiuntur quidem » homines. Malitia quidem est avaritia. Palliare se » volunt nomine pietatis & dealbare: ut quasi pro- » pter filios videantur servare homines, quod pro- » pter avaritiam servant. Nam ut noveritis, quia » sic plerumque contingit, dicitur de quodam: » Quare non facit eleemosynam? quia servat filiis » suis. Contigit ut amittat unum. Si propter filios » servabat, mittat post illum partem suam. Quare » illam tenet in saeculo, & illum relinquit ab ani- » mo? redde illi quod suum est, redde quod illi » servabas. Mortuus est, inquit. Sed præcessit ad » Deum. pars ipsius pauperibus detur; illi debetur
Matth. 25. 40. » ad quem perrexit, & ipse dixit: Qui uni ex mi- » nimis istis fecit, mihi fecit, & qui uni ex minimis » istis non fecit, mihi non fecit.

Consideremus si ista sententia beati Augustini convenienter possit nostro pecunioso avaro aptari. Palliare se vult nomine pietatis, & dealbare, & quasi propter simoniam, sive, ut ibi habetur, propter filios videatur servare, quod propter avarititiam servat. Si vult vitare simoniam, & exuere avaritiam, faciat justitiam. nam simonia & avaritia non possunt fieri cum justitia. Sed quam eum rogamus facere justitiam? ut fugiat simoniam & avaritiam. Inter filios æquè dividat, quod propter filios, sive propter vitandam simoniam, ut ipse mentitur, retinet & servat.

Sed à se unum vult emittere, & Deo dare & sanctæ Ecclesiæ. Bonum hoc est utique: sed nihilo minus bonum & justum est, ut mittat post illum sive cum illo partem suam. Sed, credo, ad hoc vult emittere è sæculo, ut partem illius retineat in sæculo. Utique hoc neque bonum, neque justum est: sed rapina mala, & avaritia atque sacrilegium. Sacrilegium enim est, cùm eum Deo obtulerit, si partem quæ illi debetur, sibi retinuerit. nam cujus jam effectus est, ejus & pars, quæ illi debetur, est. Deum igitur & sanctam Ecclesiam spoliat sacrilegus, ubi ei qui Dei est sanctæ Ecclesiæ, tollit ea quæ jure debentur. Reddat ergo illi quod suum est, reddat quod illi servabat. Sed mortuus est, inquit. Utique mortuus est sæculo, sed vivit Deo: pauperibus Christi & ecclesiæ pars ipsius. detur illis debetur, ad quos perrexit: Christo debetur, ad eum enim perrexit.

Repleat nunc fora & plateas, cives & ecclesiasticas moveat personas noster clamitosus & pecuniosus avarus. Quoquo se vertat, si post oblationem filii retinuerit quæ illi debentur, idololatra erit & sacrilegus. idololatra propter avaritiam: sacrilegus propter Dei & sanctæ Ecclesiæ rapinam. Concordat sententiæ beati Augustini sanctus Benedictus in sententia de disciplina suscipiendorum Fratrum & de filiis nobilium vel pauperum. » Res, inquit, si quas « S. Bened. Reg. c. 59.
habet, (procul dubio qui suscipitur) aut eroget « priùs pauperibus: aut facta sollemniter donatione « conferat Monasterio, nihil sibi reservans ex om- « nibus. « Crudelis pater! res quæ debent contingere filio, neque ipse vult erogare pauperibus in platea, neque pauperibus Christi in ecclesia: sed sibi reservare omnia. immò conventus familiariter à Fratribus & piè commonitus, ut de rebus, quas sibi concesserat Deus, aliquid conferret ecclesiæ; cœpit furere dicens, se nolle simoniam incurrere. Non occultam, sed sollemnem rogat fieri beatus Benedictus ad Monasterium donationem. quod iste miser arreptus à furiis, appellat simoniam.

Item in sententia de filiis nobilium vel pauperum: Si aliquid offerre voluerint in eleemosynam Mo- « Ibid.
nasterio pro mercede sua, faciant ex rebus quas « dare volunt, Monasterio donationem. « Audit forsitan & lætatur, quòd in voluntate ejus hoc ponat beatus Benedictus. Et certè Sanctus in nullius voluntate hoc poneret, nisi sciret hoc quod deberet fieri, sanctum & justum & pium esse. Si tamen hoc non potest intrare in istius voluntatem, habeat res suas sibi in perditionem. Vult ut vacuus suscipiatur ejus filius, & faciat ut de eorum sit numero, de quibus scribit beatus Benedictus: » Qui verò ex « Ibid.
toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, « & cum oblatione offerant filium suum coram te- « stibus. «

Sed nunc quoniam semel loqui cœpimus cum dominis & hujusmodi Fratribus nostris, jam dilatato corde ex affectu erga vos magnæ dilectionis compellimur transire terminos nostræ propositionis. Proposueramus enim sermonem reddere breviorem: sed violentia caritatis efficit longiorem. Dicamus ergo aliquid, quod libenter velit audire noster pecuniosus avarus, ut æquanimiùs ferat, cùm audierit quod non vult. Susceptiones igitur de ecclesiis & in ecclesiis maturarum & immaturarum personarum, utique omnes debent gratis fieri propter illud mandatum: *Gratis accepistis, gratis date.* Et quia Do- Matth. 10. 8.

minus JESUS omnes vendentes & ementes ejecit de templo; qui hæc scimus & libenter audimus, illud quoque ignorare non debemus, quia tales susceptiones duos præcipuè respectus debent habere, scilicet ut imminutus numerus Deo in ecclesiis famulantium per eos qui suscipiuntur accrescat, & labor servitii Dei tolerabilior fiat. Quòd si pecuniose avari filius ad illos respectus non est necessarius, pro eo quòd sufficiens sit vobis numerus, & de Dei servitio nullus defectus est; non videmus, quæ sit ratio, ut gravetur ecclesia de superfluo, & non necessario. Superfluum amputari debet, non necessarium assumi debet. Recedite ergo Fratres, recedite ab hujusmodi homine, & immundum ejus nolite tangere: ne videamini & per eum avaritiæ & idololatriæ communitatem: & per eamdem, notam simoniæ incurrere. Sicut verum est, nihil ab eo, vel ab alio aliquo pro hujusmodi re exigere: ita & ejus erat, si homo Dei esset, & non mammonæ, de portione hereditatis quæ filio deberet contingere, oblationem cum eo ad ecclesiam facere, quæ eum ampliùs deberet & nutrire, & vestire. Sed sicut ipse non vult hoc facere, & vos non potestis, nec debetis eum compellere, sed piè tantum commonere: ita & si filium ejus non vultis suscipere, non potest, nec debet ad hoc vos cogere.

Nunc ad te mihi conversio, pecuniose avare, nunc ad te mihi conversio. Convenio te, responde, quis te ducat spiritus, bonusne an malus, quia filium tuum domi onustum in Cœnobio vis intrudere vacuum & nudum? Hoc idcirco, quia probari debent talium spiritus, si sint ex Deo. Sed non dubito quin debeas respondere, bonus: neque tu dubites, quin ego alteram, malus. Et unde hoc probem, audi. Spiritus Domini bonus numquam cuiquam bona sibi debita tollit, nulli avaritiam suadet, nullum patrem ab affectu filii propter superbiam aliquam abrumpit: sed liberalitate manus & animi conglutinat & convertit. Tu autem per malum spiritum idololatriæ, quæ est avaritia, tollis filio tuo debitum, & quæ offerre secum deberet in Cœnobio pauperibus Christi famulantibus ibi Deo. Ecce malus qui te ducit spiritus: & propter malum quo probaris duci spiritum, justè es reprobandus. Nescio si rectè offeras. hoc scio quod iniquè dividas, quia ea quæ tui sunt filii, & per eum deberent esse ecclesiæ & Dei; filio tuo, & ecclesiæ, & Deo avara manu subtrahis. idcirco propter iniquam nihilo minus hanc divisionem reprobam, fecisti tuam de filio tuo oblationem. Dicit beatus Augustus in supradicto libro de decem chordis: » Quicquid dicas, mortuo debes, » quod vivo servabas. « Ergo secundùm hujus beati viri doctrinam, si mortuo debes quod vivo servabas; multo justiùs debes illi mortuo sæculo & viventi Deo cum pauperibus Christi in Cœnobio, quæ illi viventi mortaliter servabas in hoc mortali sæculo. Sed avara non finit manus. Propterea hoc est quod dico: Malus avaritiæ te ducit spiritus. Clamat iterum contra te in eodem libro beatus Augustinus, clamat & dicit: » Certè ea quæ hic tenes, & non vis mittere post filium tuum; cui commendas? Actoribus » tuis commendas illius partem, qui præcessit; & » Christo non commendas, ad quem præcessit. Et » paulo superiùs: Tenebitur hic, ubi potest perire; » & non mittetur illuc, ubi Christus est custos? an » idoneus est tibi procurator tuus, minùs idoneus » Christus? Videte, Fratres, quia mendacium est » quod dicunt homines: Filiis meis servo. Menda» cium est, Fratres mei, mendacium est, avari sunt homines. « Quid contra hæc obloqui potes, dives avare? licèt dives, mendax es: licèt pecuniosus, avarus es. quid calumniaris servos Dei de simonia, pro eo quòd familiariter te convenientes, exuere voluerunt avaritiâ, & post avaritiam idololatriâ? nihil à te inquirentes, nisi quæ dictat justitia, exigit misericordia, sicut audire noluisti ex beati Augustini sententia & sancti Benedicti Regula. Qui est de Deo, verba Dei audit. Propterea tu non audis, quia ex Deo non es. justissimè ergo duobus istis fortissimis repagulis obseratur janua tibi Cœnobii. Iniquus censor es, etiam de institutis Cœnobiis iniqua audes dare judicia.

Profane Papa, indiscreta promulgas decreta. Ad hoc, inquis, sunt instituta Cœnobia, ut quicumque voluerit sæculo renuntiare, licenter debeat intrare. Falleris. quare ergo eos, qui quærunt suscipi, mandavit beatus Benedictus cum tanta difficultate recipi, cum tanta mora probari, cum tanta diligentia erudiri, si omnes qui veniunt, licenter debent ingredi? Certè non ut omnes qui suscipi quærunt, licenter ingrediantur: sed quorum probati sunt spiritus quòd ex Deo sint, ut regulariter suscipiantur. Si staret ista tua sententia, jam esset impleta petitio tua. quia non esset probatum, quòd spiritu avaritiæ sit agitata; sed putaretur, quòd spiritu Dei esset actitata: utque cetera taceam, intolerabilem multitudinem, quæ pro suis diversis necessitatibus & promiscuis affectibus se ingereret, quotidie ipsa regia æraria non possent stipendiare.

Sed dicis: Quod Deus coadunat & sociat, omnibus bonis replet & satiat. O vana securitas & stulta temeritas! & quid dicis? in quorum manibus replet & satiat? In manibus otiosorum exspectantium de cælis sibi victum & vestitum? Nequaquam certè, sed in manibus procuratorum suorum, sollicitè pro numero sibi commisso nocte & die invigilantium & laborantium. De otiosis legitur, quia *in desiderii est semper omnis otiosus.* [Prov. 22, 13.] Numquam igitur satiantur istis suis bonis omnibus. De his qui præsunt: *Qui præest in sollicitudine.* [Rom. 12. 8.] de non laborantibus: *Qui non laborat, nec manducet.* [2. Thess. 3. 10.] de quolibet & hoc scriptum est: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* [Deut. 6. 16.] Non enim stulta temeritate & vana otiositate Dominum Deum suum tentare debet homo, quamdiu habet quod sollicitè faciat pro suis necessitatibus ex rationali consilio. quod Abraham legitur fecisse, quando uxorem suam Saram sororem suam dixit esse, ne occideretur à Rege inflammato in eam nimia ejus pulcritudine. Sanctus quoque Jacob Patriarcha cùm per multa Dei beneficia expertus frequenter fuisset ejus dilectionem atque protectionem; & fame perimi videret terram Chanaan, & nisi sibi prospiceret, ad se usque perveniret; ne videretur tentare Dominum, non otiosè torpuit, neque temere exspectavit, ut dilector & protector ejus Deus annonam expleret de cælo, sicut postea fecit filiis Israël manna in deserto: sed tamquam vir prudens & bene domui suæ præesse sciens, filios suos cum pecunia misit in Ægyptum, ubi audierat vendi frumentum, & semel & bis inde afferri sibi, quantum domui suæ sciebat esse necessarium. Philippus Apostolus videns ingentem multitudinem quinque millium hominum, & ad reficiendum eam non haberi, nisi quinque panes hordeaceos & duos pisces; egens super hoc rationis & consilii obstupuit, & quasi desperans, non de divina, sed de humana potentia, ait: *Ducentorum denariorum panes non sufficerent eis, ut unusquisque eorum modicum quid accipiat.* [Joan. 6. 7.] Quapropter necessariò apposuit se manus Domini benedictio, ut quod non poterat facere purus homo ratione aut consilio omnipotens Deus faceret omnipotenti virtutis suæ miraculo ob incrementum fidei in illo populo. Paulus electionis vas, qui se sciebat ad hoc electum esse; ut portaret nomen Domini coram gentibus & Re-

gibus & filiis Israël, & qui sciebat Deum non posse mentiri: quis nesciat quantis modis, quantis artibus, quantis anfractibus egerit, ut non traderetur occidendus Judæis, & quàm subtili consilio & ratione Cæsarem appellaverit? Tunc enim rationabiliter & sine tentatione Dei debet homo fideliter confugere ad divinum auxilium, quando res quæ præ manibus habetur agenda, humanam excedit rationem & consilium. Ista idcirco carptim percurrimus, ut non secundùm nostri censoris sententiam, quot & quales volunt, Cœnobia licenter ingrediantur, & inerti otio vacantes exspectent de cælis à Deo, ut bonis omnibus pascantur: sed quot & quales videntur sibi necessarios qui præesse Cœnobiis videntur, ita se committentes Dei providentiæ, ut tamen pro se & pro suis numquam sint absque sollicitudine. Rationali igitur consilio observatum est ab antiquis, qui Cœnobia instruxerunt, ut non majorem ponerent in eis numerum, nisi quantum viderent posse sufficere eis victum & vestitutum constitutum. Unde multa exemplaria præ oculis quotidie habemus, & beatum Maurum sancti Benedicti discipulum fecisse legimus. Sed etsi aliqua superabundarent, necessaria essent pauperibus, &, qui numquam desunt Cœnobiis, hospitibus; atque diversis intus & foris accedentibus. Quòd si adhuc egemus testibus, unum producimus qui sufficiet pro millibus. Dominus noster Jesus-Christus, via veritatis, & speculum & ænigma totius bonitatis, licèt in eum non cadat aliqua indigentia, sed sit omnipotens sufficientia; tamen diffinitum numerum voluit habere Discipulorum, hinc de toto mundo LXXII, illinc XII Apostolos non ab aliquo sibi intrusos, sed à se ipso electos. Et quòd numquam esurirent, cùm posset facere, neque sitirent, sed semper omnibus bonis abundarent, noluit: sed ex eis quæ mittebantur ei à religiosis viris & feminis, & quæ sequentes eum ministrabant ei, per dispensatorem suum statuit eos stipendiari; & quæ superesse poterant, pauperibus & egenis erogari. In quo evidens & fidele posteris discipulis suis documentum reliquit, quod benedictiones & oblationes accipere à religiosis viris & feminis de sæculo non esset simonia; sed justitia, pietas & misericordia: & qui eas offerrent, non solùm non facerent simoniam, sed justitiam, pietatem & misericordiam.

Numquid tu sanctior esse vis parentibus Domini Jesu? qui cùm neque in cælo, neque in terra, neque sub terra invenire possent, quod sanctius offerrent ad templum Deo, quàm suum Dei Filium; tamen sine hostiis & muneribus offerre noluerunt. Quod & Anna similiter fecit, mater scilicet Samuëlis, quæ & eumdem filium suum per Sacerdotem Heli in hostiis & muneribus Deo obtulit. Quare ergo similia tu non facis, talibus instructus exemplis? *Exod. 23. 15.* Præcepta sunt ista dominica, & illud: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

Sed forsitan dicis mihi: Nihil debes exigere. Et ego dico tibi: Nihil debes subtrahere. Non pecco, si requiro à te quod mihi justè debes: sed tu magis peccas, si mihi negas quod justè debes. Quod justè debeas, satis superiùs probatum est.

Sancta verò & gloriosa virgo Lucia, mutatura sæculum, & itura ad Deum per martyrium, de re quam habemus præ manibus, fidele nobis reliquit monumentum. Dives erat valde, & præ tenera ætate ejus servabatur substantia ei à matre: quæ licèt gloriâ & honore matyrii coronata offerri Deo posset satis grata; nolebat tamen hoc fieri, nisi aut præeunte, aut secum comitante sua substantia. Dicebat ergo matri suæ: Omnia quæ mihi datura eras eunti ad corruptionis meæ auctorem mortalem hominem, da mihi eunti ad integritatis meæ factorem Dominum Jesum-Christum. quod sancta filia à matre sua non exigeret, nisi hoc justum & pium esse sciret. Justum enim & pium est, ut qui ad Deum vadit, illum præcedant aut comitentur opes suæ in pauperibus Christi.

Sed quid de feminis ista proferimus? quasi de viris exempla non habemus, & quasi parentes tantùm hoc debeant filiis suis, & non filii parentibus. Utique quod in hac re parentes filiis suis, hoc & parentibus suis debent filii. Beatus Laurentius pium patrem suum Xystum ad Deum præmiserat per martyrium, quem ipse subsecuturus erat per non minus martyrium post triduum: & cùm satis utrisque posset sufficere in oblatione sua coram Deo durè mactata eorum corporum hostia; tamen substantiam, quam ei pius pater reliquerat, tamquam bonus filius voluit eum subsequi, & se præcedere, ut gloriantes in conspectu Domini possent apparere. Non ergo eam suis reliquit consanguineis, aut divisit familiaribus: sed dispergens dedit pauperibus, & ideo in sæculum sæculi manet justitia ejus. Quòd si sancti martyres hoc faciunt, qui in suo sanguine sua jam cuncta peccata laverunt; quid tu, homo peccator, cogitas, qui sic filium tuum vis offerre Deo, ut ei sacrilegus subtrahas, quod in filio tuo ei debebas? Noli errare: Deus non irridetur.

Et jam nunc ad eum faciamus confugium, cujus verba & facta somma institutio sunt ad perfectè vivendum. *Marc. 10.* Quærenti cuidam: *Quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* Dominus Jesus respondit: *Præcepta nosti, ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum & matrem tuam.* At ille respondens ait ei: Magister, *omnia hæc observavi à juventute mea.* Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit illi: *Unus tibi deest, vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* In iis verbis Domini intelligimus, quia qui perfectè eum sequi vult, res quas habet, erogare debet priùs pauperibus.

At dicis mihi: Res quas habeo, pauperibus erogo, & mandatum impleo, ut vel sic tandem excusatum me habeam, quia nihil ad Monasterium conferam. Et ego: Bene dicis; res quas habeo, pauperibus confero. Res quas habes, pauperibus confer: sed quæ sunt filii tui, dimitte eum ad Monasterium sequi, ubi inter pauperes Christi ad sequendum Dominum eum tradis. Et iterum dicis: Non sunt pauperes, sed necessariis omnibus abundantes. Et ego: Hoc est quod Dominus dicit: Servi mei comedent, & vos esurietis. & tamen re vera sunt pauperes, & multo pauperiores, quàm illi qui vagantur per villas, & discurrunt per plateas, quibus in meam commotionem * tu mentiris te erogaturum res tuas. Nam quomodo possent aliqui esse pauperiores, quàm sunt in Cœnobiis morantes, qui pro nomine Domini se privaverunt & totius corporis sui potestate, & totius animi sui voluntate, & rerum suarũ omnium proprietate? quales inter istos nusquam invenies. Illi in sæculo pauperes, pauperes sunt non voluntariè: isti in Cœnobiis voluntariè. Illi vel in hoc ditiores istis sunt, quia linguam, aures, oculos variis ad libitum, quoties, & quantum volunt, pascunt: isti illis in hoc pauperiores, quia ista eis non licent, qui nec ipsum cælum commune omni creaturæ, neque ipsum aërem haurire oculis liberiùs audent. Propterea rectè faciunt, & mandatum Domini implent abundantiùs, qui res suas conferunt talibus pauperibus, qui non solùm pauperiores sunt pauperibus, sed etiam quotidie ministrant aliis pauperibus, peregrinis & hospitibus. Pauperum & pauperum multa est

* f. commemorationem.

distantia, sicut nos docent quorumdam Sanctorum exempla, qui neglectis aliquibus erga quosdam majori se expenderunt diligentia. Ut enim paulò superiùs diximus, sunt pauperes non voluntarii, sunt etiam voluntarii. Non voluntarii ea quæ habent pauca, gaudent se habere propria; & de rebus & divitiis quas non habent, quotidie ditant se & onustant assiduâ concupiscentiâ: voluntarii verò ad imitationem Discipulorum Christi, sua relinquunt omnia, habendi quoque & voluntate relicta, & Christi sequentes vestigia, conferunt se ad Sanctorum Cœnobia, in quibus se tanquam in carceribus damnant pro nomine Domini sub diligenti custodia. Nihil habent proprium, neque volunt habere: quippe quibus placet etiam non licere quòd dicant, meum est, de aliqua re: sed, nostrum, propter commune. Hi tales vivunt de oblationibus Fidelium, qui aliquando se, sive sua, vel suos Cœnobiis contulerunt. Nocte ac die vigilanti studio Deo inserviunt pro salute vivorum & defunctorum omnium. Propter tales pauperes eorum stipendiatoribus in ultimo judicio Dominus dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: Esurivi enim, &c.* Tibi autem tuique similibus (quod Deus per emendationem vitæ avertat) terribiliter dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus: Esurivi enim, &c.* Talium pauperum ab aliis differentiam sanctæ mulieres bene noverant, quæ à Galilæa cum Domino Jesu adscenderant, & dimissis in medio multis millibus pauperum, & ei, & Discipulis ejus de substantia sua piè ministrabant. Paulus Apostulus harum sanctarum mulierum imitatus exempla, multa millia pauperum prætenibat, quando sanctis qui erant Hierosolymis, speciali cura ministrabat. Quid? putasne quòd in magna urbe Roma pauperes non inveniret sancta Ecclesia, quæ ab urbe milliario tertio transferebat se omni diligentia ad eos pauperes, qui erant in via Appia, inter quos latitabat sanctus Urbanus Papa? Tot & tantis exemplis idcirco te circumcludimus, ut ad te reversus non discas facere simoniam, si de rebus quas tibi contulit Deus, cum filio tuo offeras ad ecclesiam, ut sanctis pauperibus Christi, qui pro nomine Domini se quasi damnaverunt, præstare valeas necessarium corporis refrigerium, & ab auditione mala liberet Deus animam & corpus tuum.

Matth. 25.

Nunc igitur, istis omissis, ad confutanda tua indiscreta decreta revertamur. Monachorum Cœnobia non sunt ad hoc instituta, ut avarorum divitum filios inconsultè suscipiant, vestiant, & nutriant ecclesiæ stipendiis; & patres eorum debita portione filiorum, majori studentes avaritiæ & quæstui, satisfaciant suis marsupiis: sed ad hoc sunt instituta, ut suis laboribus & Fidelium oblationibus viventes, eos secundùm Regulæ præceptum suscipiant, qui aut omnino pauperes sunt, aut de divitibus pauperes se propter Deum fecerunt; sive qui sua non sua facientes, se tandem & sua ad pauperes Christi in Cœnobiis conferunt. In quibus hoc omni diligentia observari antiquorum Patrum statuit rationabilis providentia, ut non plures susciperentur, quàm stipendiare possent ipsa Cœnobia: quatinus & qui inveniuntur, & qui suscipiuntur, essent absque edaci murmurationis lepra, quæ solet nasci gravissimè ex egestate, pro intolerabili & licenter admissa multitudine. Quod si tibi caverent quidam modernorum hodie, non tam impudenti rapacitate antiquarum ecclesiarum invaderent terminos & decimas, nec circuirent civitates & plateas; nec divitum domos frequentantes, matronarum affectarent sibi gratias, ut inopiam quam patiuntur propter superfluentem multitudinem, effugare valeant per importunam & opportunam mendicitatem. Sed sacri Ordinis & religiosi habitus reverentiâ, non est modò de his dicendum per singula.

Verum dic mihi, illi qui erant coadunati & sociati in Hierusalem & aliis aliquibus in locis, pro quibus Paulus collectas sollicitè fieri monebat, & factas studiosè mittebat, aut ipse portabat; sanctine erant & servi Dei? Ubique erant & per Deum, & pro Deo coadunati & sociati. Quare ergo Paulus de eorum numero & refrigerio tantopere erat sollicitus, & non magis expectabat, ut à Deo de cælis per angelum ejus bonis omnibus replerentur & satiarentur? Quia hoc Deo placere non videbat. Sicut enim superiùs dictum est, quãdiu habet homo, quod pro suis necessitatibus faciat ex rationabili consilio, non debet tentare Dominum Deũ suum. Fide solidata jamdudum præterierunt tempora miraculorum. Quod si rectè perpendimus, nonne erat Paulus angelus Domini, per quem procurabat solatium & refrigerium sanctis, qui in nomine ejus erant congregati? Et tu quidem potes fieri angelus Domini, si de tuis bonis quæ subtrahis, velis præstare solatium & refrigerium sanctis, qui pro nomine Domini tenentur clausi in Cœnobiis. Quid verò dicemus de illa sancta & gloriosa credentium multitudine, quorum cor erat unum & anima una in primordio Ecclesiæ? Faciebant simoniam, qui intrare ad eam volentes, bona quæ habebant, ante pedes Apostolorum afferebant, & propria communia faciebant? Certè nequaquam, sed pietatem, misericordiam & justitiam: de quorum numero severissimâ sententiâ in duos vindicatum est, qui tamen non totas res suas, sed rerum suarum partem subduxerant. Tu qui sic vis per filium tuum intrare, quòd nec totum, nec partem vis dare, quid fiet de te? Illi irrevocabili mortis sententia de parte per hominem multati sunt: tu non times de toto per tremendum à Deo super te judicium? Deus det tibi melios consilium.

Hactenus ad eos sermo noster habitus peroravit, qui spiritu avaritiæ suæ & parcitatis gravati deorsum feruntur per vacua obloquii sui campestria: nunc ad eos convertitur, qui spiritu sapientiæ & intellectus levati sursum, in monte à Domino Jesu audiunt mandata sublimia. Ergo, dilectissimi Fratres, fugite omne genus simoniæ, excutientes manus vestras ab omni munere. Ars est diaboli subtilissima simonia. Triplex est, & nescimus, an meliùs debeamus dicere, trilex. nam quibus connectitur, tria sunt fila, obsequium, manus, lingua. His plerumque tribus simul, aliquando horum quovis uno, quorumdam innodat pedes, qui videbantur gradi simpliciter; quorumdam perstringit oculos, qui se putabant habere lynceos. Nemo vos mittat exemplificandi gratiâ ad majores sive potentiores, si qui sunt in Ecclesia, qui capiunt & capiuntur simoniâ. De bonis, non de malis, sumenda sunt exempla. Amen dico vobis, recipient mercedem suam, mortem sempiternam, si hîc non egerint pænitentiam, & dimiserint quod tenent per simoniam: & quanto majores & potentiores sunt, tanto majora & potentiora patientur tormenta. Quia verò de tam longinquo dignati estis quærere, accipite consilium parvitatis nostræ, ita tamen ut si habetis melius, non relinquatis propter istud. Si quis vel se, vel filium suum obtulerit vobis in Cœnobio suscipiendum; simplici mentis oculo & tota cordis puritate, sine omni mala cupiditate, audiat per vos sancti Augustini consilium & Regulæ sancti Benedicti præceptum, sicut superiùs de hujusmodi est relatum. Si audierit & obaudierit, bene: salvasti animam ejus à morte. Si non obaudierit; neque iniquitas vestra, neque peccatum, si eum non recepistis. Noluit enim intelli-

gere ut bene ageret: sed adstitit viæ non bonæ, avaritiam autem non odivit. Fratres carissimi, magnum opus est in tali re magnam habere mentis puritatem, & nullam avaritiæ cupiditatem. quia sicut omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo: ita omnis qui de ecclesiasticis donis mala cupiditate aliquid exigit & concupiscit, plus dicam, vel in spe agit retributionis; simoniacus est, etsi non hîc coram populo, certè coram divino oculo. Ad quæ probanda cùm per campos Scripturarum aliquando luderemus hac pila, multis & variis auctoritatum floribus respersimus nostra vestigia. Exstant volumina, per quæ modò scribendo recurrere piget: vestro tamen amore pauca recolligere libet. Scimus itaque, & pro constanti habemus, quòd omnes ecclesiastica vendentes & ementes, simoniaci sunt, & omnes simoniaci hæretici, & nulli hæretici in Ecclesia. Igitur omnes vendentes extra Ecclesiam sunt. quod verissima assertione affirmat beatus Hieronymus super Matthæum. » Quotidie, inquit, Jesus ingreditur templum Pa» tris, & ejicit omnes tam Episcopos, & Presby» teros, & Diaconos, quàm laïcos & universam » turbam de Ecclesia sua: & unius criminis habet » vendentes & ementes. Scriptum est enim: *Gratis » accepistis, gratis date.* Ecce quod veluti radium die Dominus Jesus non patitur vendentes & ementes in Ecclesia sua esse: quomodocumque, quantumcumque cessent, qui pro eo debebant hoc facere, ipse non cessat quod suum est facere. Omnes ergo ejicit quotidie, cujuscumque gradus & officii; nulli parcit, nec negligit, omnes quotidie ejicit. Ubi ergo sunt vendentes & ementes? extra Ecclesiam. Quid dicit beatus Gregorius de extra Ecclesiam? » Extra Ecclesiam, inquit, non est locus veri sacri» ficii. sunt igitur vendentes & ementes, ubi non » est locus veri sacrificii. « Beatus Augustinus dicit de hæreticis: (quod procul dubio sunt simoniaci) » Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. « Et de vendentibus & ementibus super Johannem: » Vendunt, inquit, oves, vendunt boves, id est » miseras plebes. & cui vendunt nisi diabolo? O lacrymabile malum! quos Filius Dei redemit de manu inimici pretioso sanguine suo, isti filii diaboli vendunt patri suo diabolo. O quàm malus venditor, ubi tam pessimus est emtor! Omnipotens Dei bonitas & miseratio prosit nobis & vobis, ut longè semper sit à nobis hæc hæretica negotiatio, per quam miseræ plebes venduntur diabolo, & propter quam tam Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, quàm laïci & universa turba, ejiciuntur de Dei Patris templo. Amen.

Versus de eodem argumento.

Quando vult aliquis ut fiat cœnobialis,
Ex omni quod habet, partes æquas faciat tres:
Unam pauperibus det, & una domi teneatur;
Tertia debetur Sanctis, ad quos graditur.
Hoc ego justitiam magis assero, quàm simoniam.
Sique suam prolem fieri vult cœnobialem,
De toto quod habet, partem seponere debet
Prolis, ut ecclesiæ secum ferat introeundo.
Hæc est Ecclesiæ lex optima, non simoniæ,
Hoc simul & leges decernunt imperiales.
Pellit ab Ecclesia cunctos hæresis simonia,
Qui sunt vendentes in ea quidquam, vel ementes:
Pellit in infernum, regnum tollendo superorum.
Gratis præbenda, gratis sunt accipienda,
Quæ sunt Ecclesiæ, pulso crimine simoniæ.
Quisquis in hac heresi defungens inveniatur,
Inferni nunquam de pœnis eripietur,
Non etiam, durum si martyrium pateretur.

ADNOTATIONES.

Sollemnis quondam fuit in Ordine S. Benedicti puerorum oblatio, qua parentes filios suos Deo perpetuo & irrevocabili voto consecrabant, uti præscribit S. Benedictus in Regula cap. 59. Ea res triplici ritu peragebatur, scilicet oblatione puerorum, quorum manum parentes cum oblatione & petitione sua involvebant in palla altaris; donatione, & litteris publicis utrumque confirmantibus: quarum litterarum exempla tum in Chronico Novaliciensi, tum in notis ad Guibertum, legere licet. Hinc copiosi Monasteriis proventus accessere ex parentum liberalitate, qui multas opes & ampla prædia in filiorum suorum quos offerebant, gratiam, Cœnobiis contulerunt. Hunc ritum offerendorum puerorum, ab Ecclesia jam dudum probatum, improbare, immo & abrogare nisi sunt nonnulli principatu Ludovici Augusti, cognomento Pii: ad quem HRabanus, tum Fuldensis Monachus, scripsit librum unum contra eos, qui oblationem secundùm Regulam S. Benedicti destruere volebant, *testante Rudolfo Monacho in vita HRabani. Librum hunc, hactenus ineditum, non semel ego postulavi ex Cœnobio Mellicensi, ubi in ms. codice ejus Bibliotheca asservatur, ut lego in veteri ejusdem Bibliotheca catalogo, quem modo penes nos commodatum habemus.*

Perseveravit mos iste, offerendi scilicet pueros, usque ad seculum XII, quo tempore floruit Rodulfus Abbas Cœnobii S. Trudonis in agro Leodicensi. Is à Siberto Priore Cœnobii sancti Pantaleonis, quod Coloniæ situm est, litteris pulsatus, quid respondendum censeret avaro cuidam pecunioso, qui filium suum huic Monasterio indotatum tradere volebat, repugnantibus Priore & Monachis, qui partem hereditatis filio competentis ab illo divite exigebant; sic responsionem suam temperavit, ut non solùm quid avaro illi, sed etiam quid consiliis Monachis hac in re expedire judicaret, sincere exponeret. qua in re certè boni viri & integri Doctoris officio functus est.

Rodulfi itaque responsio duas habet partes. In prima graviter perstringit ejusmodi avarum hominem, qui filium suum Monasterio oblatum debita hereditate fraudare volebat. Præcipua ejus argumenta sunt, avaritiæ & sacrilegii crimen esse, si partem filii, quem Deo obtulerat, sibi retinuerit. Nam cujus, *inquit,* jam ille factus est, ejus & pars quæ illi debetur, est. *Ad hæc non esse instituta Cœnobia, ut divitum familia exonerentur: sed ut pauperes & ac censu, qui Deo servire voluerint, ac divites paupertatis studiosi alantur. Præferendos esse secularibus egenis Monachos pauperes,* qui non solum pauperiores sunt pauperibus, sed etiam quotidie ministrant aliis pauperibus peregrinis & hospitibus.

In altera epistolæ parte Rodulfus Sibertum & Monachos ejus monet, ut ne quid à divite illo, vel alio aliquo *pro puerorum susceptione exigant; commoneri posse, ut de portione hereditatis, quæ filio contingere deberet, offerat Ecclesiæ: ad hoc verò non debere compelli. In utriusque potestate esse, Monachorum quidem, ut filium ejus suscipiant; patris verò, ut partem hereditatis Monasterio conferat: neutrum ad hoc cogi debere. In summa, non posse quidquam exigi per Monachos in susceptione puerorum seu Monachorum citra simoniæ crimen, quia* omnis qui de ecclesiasticis donis mala cupiditate aliquid exigit & concupiscit, plus dicam, *inquit,* vel in spe agit retributionis, simoniacus est; & si non hîc coram populo, certè coram divino oculo.

Rodulfo praiverat ad annum DCCXCIV Concilium Francofurtense, cujus in quedam de re decretum est in cap. 16. Audivimus, *inquiunt Patres*, quòd quidam Abbates cupiditate ducti, præmia pro introeuntibus in Monasterium requirant. Ideo placuit nobis & sanctæ Synodo, ut pro suscipiendis in sancto Ordine Fratribus nequaquam pecunia requiratur; sed secundùm Regulam sancti BENEDICTI suscipiantur. *Id verò statuit S. Benedictus in Regula cap. 58, ut suscipiendus Frater res si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta sollemniter donatione conferat Monasterio. non quasi pro conducta susceptionis pretio, sed in* eleemosynam, *uti explicat in capite sequenti: ubi filios pauperum* qui ex toto nihil habent, *gratis admitti præcipit. Eam porro legem religiosè servabat Goffridus Abbas Vindocinensis, cujus hæc verba sunt in lib. 4 epistola 49.* Nihil pro faciendis Monachis quærimus: sed si quid oblatum fuerit, quia illud Regula recipi jubet, suscipimus. Ordo siquidem noster exigit, ut tales simus, qui non lucris temporalibus, sed lucrandis animabus operam demus. *Et certè cum ad hoc dotata sint Ordinis nostri Monasteria, ut quibusvis a sæculi corruptela sincerè & ex animo converti volentibus, tamquam asyla & perfugia, pateant; intolerabilis inhumanitatis est, pauperes terreno censu, sed gratia & bona voluntate locupletes hinc excludere; & quos Deus ad religiosam professionem vocaverit, quasi indignos ejicere. Viderint qui Cœnobiorum inopiam in facti sui excusationem afferunt: eam certè non admisit Jacobus à Vitriaco Cardinalis,* de Monialibus *sui temporis scribens, in Historia Occidentali cap. 15,* quæ passim & publicè pro miserabili Cœnobiorum ingressu pecuniam exigebant, allegantes suam paupertatem; & de simoniæ crimine pessimo non curantes, domum orationis in forum negotiationis convertebant. *Fit verò plerumque justo Dei judicio, ut nulla magis Cœnobia egestatem patiantur, quam quæ ab suscipiendis Virginibus sacris ejusmodi dotem exigunt contra sacrorum Canonum præscripta.*

Ad Rodulfum hujus epistolæ scriptorem revertor, qui insigne Monasterii sui Chronicon tredecim libris compesuit, quod typis mandatum est in Spicilegii tomo 7, & paullo ultra annum MCXXXVI, *qui Rodulfi prælationis vicesimus octavus erat, porrigitur, ut patet ex initio libri noni. Præter istud Chronicon Rodulfus alia quædam opuscula scripsit, quorum ipse in eo Chronico meminit; in primis, ut ipse memorat in lib. 8. pag. 450, volumen septem librorum, quos contra simoniacos scripsit. Volumen illud, uti & duas præmissas epistolas, inveni in Bibliotheca Gemblacensi sub hoc exordio:* RODULFUS gratiâ Dei sanctique Trudonis id quod est, LIEBERTO suo salutem. Scio me ante librum morosiùs hac illacque deferri, &c. *Liebertus is erat Canonicus Insulanus, de quo in Analectorum tomo 1. Tum incipit præfatio:* Nuper tibi, frater Lieberte, scripseram libellum, quem Labyrinthum primæ Simonis intitulaveram, &c. *In primo libro, primam & maximam hæresim esse simoniam ostendit. In secundo deplorat, quòd nihil maximum aut minimum tunc esset in domo Dei, quod qualicumque modo non esset venale. In tertio, ab agris incipiens, id est à Presbyteris villarum, progreditur usque ad rectores & magistratus ecclesiarum, ostendens quomodo soleant Clerici fieri, & ecclesias suscipere. In quarto ab agris transit ad urbes, agens de venditionibus præbendarum & omnium officiorum, quæ sunt in Ecclesia. In quinto sibi objicit, quòd de Monachis loquens, simonias eorum dissimulet. In duobus posterioribus libris purgat se de ejusmodi objectis. Ad hæc Rodulfus libellum de vita Lieberti Episcopi Cameracensis scripsit, uti colligo ex ms. codice Aquicinctensi, in quo libellus iste habetur cum hac clausula in fine:* EXPLICIT VITA DOMNI LIEBERTI EPISCOPI, edita à quodam Monacho, nomine RODULFO. *qui libellus absque Auctoris nomine vulgatus est in Spicilegii tomo 9.*

Quantæ religionis esset Rodulfus, perspicuum est, tum ex ipsius scriptis, quæ sinceram morum puritatem spirant; tum ex eo, quòd invitus ac reluctans compulsus est ad regendam Abbatiam S. Pantaleonis, ut ipse testatur in Chronici lib. 11, quo in loco dilapsum ordinem, & violatam Fratrum concordiam *(ipsius Rodulfi verba sunt)* pulchrè reformavit. *Istic Priorem sibi instituit* SIBERTUM, *ex Cœnobio S. Trudonis Monachum suum, in Chronici lib. 8 pag. 440 laudatum, qui superiori epistolæ occasionem & argumentum suppeditavit.*

WASELINI ABBATIS EPISTOLA

Ad Florinensem Abbatem,

De continentia conjugatorum ante Communionem.

W. Gratia Dei id quod est, ecclesiæ S. Laurentii in Leodio, venerabili confratri Florensis ecclesiæ Abbati N. salutem in Domino. Quoniam apud vos eadem, quæ & apud nos, quæstio de animæ consilio agitari noscitur, de eadem quæstione vobiscum aliqua conferre utile arbitrati sumus; & quid purè sentiendum, quid securè tenendum sit, à sancto consilii spiritu humiliter addiscere quærimus. Est enim quæstio ejusmodi, quæ non contentiosa disputatione ad publicum perferri, sed discreta ratione oporteat in consilio tractari. De conjugatis sermo est nobis, illis videlicet, qualium asseruit Apostolus honorabile connubium, & torum immaculatum. De talibus, inquam, à viris religiosis & discretis non otiosè in consilio quæritur; si fortè nocte celebri, nocte observabili, propria superati fragilitate se non continuerint; an illis ipsa die pro solemnitatis reverentia & plebis adstantis frequentia, discretione aliqua credenda sint divina mysteria, videlicet ne publicè in ecclesia confundantur, & minus Catholici judicentur. Fatentur quod verum est, quia conjugum copula, quamvis licita, tamen non caret culpa: sed hæc venialis est, & levi solvitur pœnitentia. Hac ergo quæstione proposita, quærunt hi vel illi, consulunt alterutrum, & conferunt ad invicem, & quisque quod sentit, quærentibus aperit. Quærimus autem & nos de verbo hoc: & quia itidem quæritur & apud vos, quid sentiamus discretioni vestræ paucis aperimus.

Itaque usus legitimæ copulæ licitus, & ad propagandam sobolem divinâ Creatoris providentiâ concessus vel institutus, habet tam ex antiqua legis auctoritate, quàm ex reverendâ Canonum sanctione præfixam sibi legem continentiæ. In umbra legis esus victimæ paschalis, ingressus tabernaculi, seu templi cœtus frequens Neomeniæ aut sabbati: participatio sacrificii, sive pro peccato, sive pro pacificis, sive holocausti oblatio sit, prorsus eis interdicitur, nisi certo dierum numero continentiæ munditia purificati ex arbitrio Sacerdotis comprobentur. Illic qui mundus non fuerit, & per hoc non occurrerit ut faciat Phase mense primo, eo ritu purificari jubetur, ut facere possit mense secundo. Quisquis item immundum quid comederit, tetigerit, aut por-

tetigerit; dicitur ut lavet vestimenta sua, & sit immundus usque ad vesperam. Sic per totum legis textum docentur filii Israël cavere ab omni immunditia; ut sint casta eorum sancta.

Porro in luce clarescentis gratiæ, ubi non umbratica, sed vera sunt omnia, nec typicus, ut ante, sed verus cæditur Agnus, qui tollit peccatum mundi; cujus caro, non mortua, sed viva & verè vivificatrix, cujusque sanguis in Sacramento altaris à Fidelibus piè sumitur; artior continentiæ observantia jure exigitur: quoniam ubi profusior impenditur misericordia, & amplior præstatur gratia; ibi necessariò plus timenda est offensa, ne gravior subsequenter sentiatur & ira. Dicitur ab Apostolo, ut qui habent uxores, sicut quasi non habentes: quia & tempus breve est, & mundus humanæ stirpis propagine superabundanter jam plenus est. Docentur exhibere corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; & non conformari huic sæculo, sed reformari in novitate sensus sui, ut probent quæ sit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta. Ex hac institutione apostolica salubriter erudita sinceritas ecclesiastica, regulam figit, quam teneant conjugati: scilicet ut noverint quo tempore sibi invicem debitum reddere debeant, quo tempore item abstinendum, ut vacent orationi; & iterum in idipsum redeant. Indicit generaliter, ut ante perceptionem Eucharistiæ omnimoda se præparent devotione, id est in castitate, in continentia, in sobrietate, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus; in eleemosynis; & in omni exercitio pietatis expurgare vetus fermentum ore apostolico jubentur: ut in azymis sinceritatis & veritatis epulari digni inveniantur. Qui enim hoc fermento purificati non fuerint, ab esu Agni paschalis jure prohibentur, veluti in quorum domibus fermentatum inveniatur. Illis verò prorsus communio sancta denegatur, quorum conscientia qualis sit nescitur. Hanc sanctionis ecclesiasticæ regulam omnes amplectimur, nec est qui huic refragari velit, eo quòd rationabilis & discreta sit. nisi fortè aliquis est, qui in sordibus suis sibi complacet, & plus veterem hominem amplectitur, qui secundum desideria sua corrumpitur, quàm eum qui de die in diem renovatur secundùm imaginem ejus qui creavit eum.

Cum hæc ita sint, quærunt adhuc viri discretorea, ut in exordio præmissum est, si quis intra terminos legitimæ copulæ nocte observabili, ut dictum est, lapsum incurrat, & in luce matutina compunctus ad deprecandam faciem Domini totum se conferat, atque oblata ei per manum Sacerdotis legitimi puræ confessionis hostia, & in ara devoti pectoris igne indictæ sibi pænitentiæ piè concremata; utrum participatio vivifici sacramenti ipsa die illi ex discretione aliqua auferri debeat, videlicet ne abundantiori tristitia absorbeatur; & publicam non sufferens confusionem, dolenda forte in desperationis concidat voraginem. Memorant mulieri peccatrici flenti ad pedes Domini unius horæ pænitentia remissa fuisse peccata multa, indubitanter obtenta pariter salute perpetua. Asserunt latronem, pro suis sceleribus cruci appensum, in ipso mortis articulo unius vocis confessione, Salvatore sibi propitio, ingressum paradisi meruisse: nec tacent Clavigerum cæli post trinam Magistri negationem, quia egressus foras flevit amarè, apostolico principatui rereturum, ac deinceps à pio Domino curam excepisse pascendarum ovium suarum.

Ista dicentibus nos ad omnia sponte consentimus, & pium studium quo circa salutem animarum infirmarum solliciti sunt, approbavimus. Norunt hi tales purgato mentis oculo clariùs intueri, quale quantumve pretium solutum sit pro salute mundi; qualia in cruce medicina vulnerum nostrorum pependit; quid cruor ille de latere Crucifixi effusus, & aqua profluens pariter efficere possunt. Tractant & retractant prudenter, quid habeat ponderis, quod solutis legibus mortis apparens suis discipulis, præmittit: *Pax vobis*. Ut ergo clausulam verbi sensu nostro interramus, videtur nobis indiscretum, ut dicat quis negandam illi in Ecclesia participationem sacramentorum divinorum, cujus negare non potest ante Deum per pænitentiam solutum esse peccatum. Erit autem in arbitrio Sacerdotis, ut judicet & faciat secundùm quod viderit animum & cor pænitentis. Suffragatur huic sensui vetus auctoritas cælestis oraculi; cùm per Moysen dicit: *Ad arbitrium Sacerdotis separabitur qui separandus est*. Ad ipsius enim examen spectat & judicium, quo tempore mundum quid æstimari debeat, aut immundum. Superexcellit autem auctoritas dicentis in Evangelio suis discipulis, & in illis utique ipsorum vicariis: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælis*. Et post resurrectionem suam profusa sancti Spiritûs emissione eos confirmans, *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ad firmamentum hujus rationis plura de scripturis proferri poterant testimonia: sed quia eruditis loquimur, sufficere credimus hæc pro declaranda sensus nostri intelligentia. Si quis perfectior est, & altiùs sapit; sciat, quia sapere ad sobrietatem semper utile sit. Vale.

ADNOTATIONES

HUjus *epistolæ scriptor est Waselinus Abbas Monasterii sancti Laurentii in suburbio Leodiensi, cognomento Momalius*, qui ecclesiasticæ disciplinæ studio insignis *fuisse, & anno* M C XLVII *obiisse memoratur apud Bartholomæum Fissenum in Floribus Leodiensibus: aut certè Waselinus alter, prioris successor, qui* nonnulla ingenii sui monumenta reliquisse *fertur. Eo tempore Florinensi ejusdem diœcesis Monasterio præerat Guaselinus, qui nescio an à Waselino posteriori alius fuit.*

Ex hac verò epistola patet etiam sæculo XII *viguisse leges continentiæ conjugalis, quam certis diebus præscribunt canones, nimirum diebus Dominicis & festis, Quadragesima & jejuniorum, minimùm triduo ante Communionem, & prima die benedictionis conjugalis. Hæc constant tum ex canonibus & libris pænitentialibus, tùm etiam ex auctoribus antiquis. Insignis est locus de Dominica religione conjugatis servanda apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. 2 de miraculis S. Martini cap. 24 ubi agit de sanatione hominis qui contractus natus erat, eo quòd* nocte dominica generatus *fuisset. Tum Gregorius monet conjuges, ut hanc diem in laudibus Dei impolluti deducant*: quia qui in ea conjuges simul convenerint, exinde aut contracti, aut epileptici, aut leprosi filii nascuntur. *Jejunii Quadragesimalis continentiam ideo præscribit Theodulfus Aurelianensis Episcopus*, quia pæne nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur. *Eamdem legem ad festos dies & stata jejunia extendit canon 25 inter eos, qui sub Edgaro Britanniæ Rege sæculo* X *conditi sunt. Plures dies ante Communionem Augustinus in sermone 216 de tempore; tres, quinque aut septem dies exigit canon, qui Eliberitano Concilio tribuitur apud Burcardum in lib. 5 cap. 22, & apud Ivonem & Gratianum: qua de re legenda Ferdinandi Mendozæ observationes in idem Concilium lib. 2 cap. 6. Diem benedictionis conjugalis statuit Concilium Carthaginense quartum c. 13. Verùm has leges, fortè nec etiam hujusmodi observationes, sustinent nostri sæculi mores. Sed tamen præterire non possum insigne exemplum de parentibus Isonos*

ris Monachi Sancti-Gallenſis, qui cùm Quadrageſimam totam cum ſumma rerum victualium abſtinentia duxiſſent ſeparatim cubantes, nihilo minus ipſo Sabbati ſancti die tentatione victi, eruperunt in lamentum. Tum cineribus adſperſi, Preſbyteri loci nudipedes coram omnibus civibus veſtigiis procidunt. *Ille verò pœnitentia eorum accepta, pro foribus baſilicæ eo die & nocte inſequente incommunicatos juſſit ſtare. Officio diei peracto ad proximæ villæ Preſbyterum fama ſanctum profecti ſunt, precati, ut craſtino Paſchæ die ſibi communicare liceat. Ille primo ſeverius objurgare, & rejicere; hi reverſi in ſua jejuni vigilem flentes duxerunt noctem. Die Paſchæ* matutino pro foribus ſtant, cruce ante Miſſas exportata extremi ſequuntur: *Preſbyter autem illos, rogante populo*, extremos locat. *Communione omnium finita, Preſbyter* manibus apprehenſos ad aram duxit, pyxide communioris aperta lacrymis perfuſos communicavit. *Acta hæc ſub finem ſæculi IX, teſtante Ekkehardo juniori in lib. de caſibus Monaſterii S. Galli cap. 2.*

Redeo ad Waſelinum, quem ipſum eſſe puto Waſelinum Monaſterii S. Laurentii Priorem, cui epiſtolas duas à Reimbaldo Canonico Leodienſi directas legi in Alnenſi codice mſ. ubi habetur tractatus Reimbaldi Canonici eccleſiæ ſanctæ Mariæ & ſancti Lamberti, de vita Canonica, cujus prologus inſcribitur Venerabili Patri ſuo Richero Eccleſiæ Dei, quæ eſt in Ro.e, Abbati Canonico.



EVERVINI
STEINTELDENSIS PRÆPOSITI
EPISTOLA
AD S. BERNARDUM
ABBATEM.

De hæreticis ſui temporis.

REverendo domino ſuo & patri BERNARDO, Claræ-vallenſium Abbati, EVERVINUS Stenteldenſis miniſter humilis, in Domino confortari, & confortare Eccleſiam Chriſti. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa, qui nobis memoriam abundantis ſuavitatis Dei eructare in omnibus dictis & ſcriptis veſtris ſoletis, maxime in Cantico amoris ſponſi & ſponſæ, hoc eſt Chriſti & Eccleſiæ, ita ut eidem ſponſo dicere veraciter poſſimus: *Servaſti bonum vinum uſque adhuc.* Hujus vini tam pretioſi pincernam te nobis ipſe conſtituit: non ceſſes propinare, non haurientes, hydrias non poteris evacuare. Nec te excuſet, Pater ſancte, debilitas tua, cùm plus operetur pietas in officio, quàm corporalis ædificationis exercitatio. Nec dicas te occupatum: neſcimus aliquid huic tam neceſſario operi communi præponendum. De hydria quantum, ſanctiſſime Pater, habes nobis modò propinare. De prima propinatum eſt ſatis, & reddidit eos ſapientes & fortes contra doctrinam & impetum Scribarum & Phariſæorum: ſecunda contra argumenta & tormenta Gentilium: tertia contra ſubtiles deceptiones hæreticorum: quarta contra falſos Chriſtianos: quinta contra hæreticos circa finem ſeculi venturos, de quibus per Apoſtolum manifeſte Spiritus dicit: *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, intendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.* De ſexta inebriabuntur, fideles confortando contra illum qui in hac nimirum diſceſſione à fide revelabitur, ſcilicet ille peccati filius, homo perditionis, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur aut quod colitur Deus; cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis. Poſt hanc ſeptima non erit neceſſaria, quando filii hominum inebriabuntur ab ubertate domus Dei & torrente voluptatis ejus. O bone Pater, ſatis interim propinaſti de quarta hydria omnibus nobis ad correctionem, ad ædificationem, ad conſummationem, incipientibus, proficientibus atque perfectis; uſque in finem ſæculi profuturus contra teporem ac pravitatem, quæ eſt in falſis fratribus. Jam tempus eſt ut de quinta haurias, & in medium proferas contra novos hereticos, qui circumquaque jam fere per omnes eccleſias ebulliunt de puteo abyſſi, quaſi jam princeps illorum incipiat diſſolvi, & inſtet dies Domini. Et in epithalamiu amoris Chriſti & Eccleſiæ locus qui à te, Pater, ſicut tu ipſe mihi retuliſti, jam eſt tractandus, videlicet, *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas*, huic myſterio congruit, & te ad quintam hydriam perduxit. Rogamus igitur, Pater, ut omnes partes hæreſis illorum quæ ad tuam notitiam pervenerunt, diſtinguas, & contra poſitis rationibus & auctoritatibus noſtræ Fidei, illas deſtruas.

Nuper apud nos juxta Coloniam quidam hæretici detecti ſunt, quorum quidam cum ſatisfactione ad Eccleſiam redierunt. Duo ex eis, ſcilicet qui dicebatur Epiſcopus eorum cum ſocio ſuo, nobis reſtiterunt in conventu clericorum & laïcorum, præſente ipſo domino Archiepiſcopo cum magnis viris nobilibus, hæreſim ſuam defendentes ex verbis Chriſti & Apoſtoli. Sed cùm vidiſſent ſe non poſſe procedere, petierunt ut eis ſtatueretur dies, in quo adducerent de ſuis viros Fidei ſuæ peritos: promittentes ſe velle Eccleſiæ ſociari, ſi magiſtros ſuos viderent in reſponſione deficere. alioquin ſe velle potiùs mori, quàm ab hac ſententia deflecti. Quo audito cum per triduum eſſent admoniti, & reſipiſcere noluiſſent; rapti ſunt à populis nimio zelo permotis, nobis tamen invitis: & in ignem poſiti atque cremati, & (quod magis mirabile eſt) ipſi tormentum ignis non ſolùm cum patientia, ſed & cum lætitia introierunt & ſuſtinuerunt. Hic, ſancte Pater, vellem ſi præſens eſſem, habere reſponſionem tuam, unde iſtis diaboli membris tanta fortitudo in ſua hæreſi, quanta vix etiam invenitur in valde religioſis in Fide Chriſti.

Hæc eſt hæreſis illorum. Dicunt apud ſe tantùm Eccleſiam eo quod ipſi ſoli veſtigiis Chriſti inhæreant; & apoſtolicæ vitæ veri ſectatores permaneant, ea quæ mundi ſunt non quærentes, non domum, nec agros, nec aliquid peculium poſſidentes: ſicut Chriſtus non poſſedit, nec diſcipulis ſuis poſſidenda conceſſit. Vos autem (dicunt nobis) domum domui, & agrum agro copulatis, & quæ mundi ſunt hujus quæritis: ita ut & ut qui in vobis perfectiſſimi habentur, ſicut Monachi vel regulares Canonici, quamvis hæc non ut propria, ſed poſſident ut communia; poſſident tamen hæc omnia. De ſe dicunt: Nos pauperes Chriſti, inſtabiles; de civitate in civitatem fugientes, ſicut oves in medio luporum, cum Apoſtolis & Martyribus perſecutionem patimur: cum tamen ſanctam & artiſſimam vitam ducamus in jejuniis & abſtinentiis, in orationibus & laboribus die ac nocte perſiſtentes, & tantùm neceſſaria ex eis vitæ quærentes. Nos hos ſuſtinemus, quia de mundo non ſumus: vos autem mundi amatores, cum mundo pacem habetis, quia de mundo eſtis. Pſeudo-Apoſtoli adulterantes verbum Chriſti,

quæ sua sunt quæsiverunt, vos & patres vestros exorbitare fecerunt: nos & patres nostri generati Apostoli, in gratia Christi permansimus, & finem sæculi permanebimus. Ad distinguendos nos & vos, Christus dixit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructua nostri sunt vestigia Christi. In cibis suis vetant omne genus lactis, & quod inde conficitur, & quidquid ex coitu procreatur. Hoc de conversatione sua nobis opponunt. In sacramentis suis velo se tegunt: tamen nobis apertè confessi sunt, quod in mensa sua quotidie cum manducant, ad formam Christi & Apostolorum, cibum suum & potum in corpus Christi & sanguinem per dominicam orationem consecrant, ut inde se membra & corpus Christi nutriant. Nos verò dicunt in sacramentis non tenere veritatem, sed quamdam umbram & hominum traditionem. Confessi sunt etiam manifestè se præter aquam, in ignem & spiritum baptizare, & baptizatos esse: adducentes illud testimonium Johannis Baptistæ baptizantis in aqua, & dicentis de Christo: *Ille vos baptizabit in Spiritusancto & igne.* & in alio loco: *Ego baptizo in aqua, major autem vestrum stetit, quem vos nescitis,* quasi alio baptismo præter aquam vos baptizaturus. Et talem baptismum per impositionem manuum debere fieri conati sunt ostendere testimonio Lucæ, qui in actibus Apostolorum describens baptismum Pauli, quem ab Anania suscepit ad præceptum Pauli, nullam mentionem fecit de aqua, sed tantùm de manus impositione: & quidquid invenitur, tam in actibus Apostolorum, quam in epistolis Pauli de manus impositione, ad hunc baptismum volunt pertinere. Et quemlibet (sicut inter eos baptizatum dicunt) electum habere potestatem alios qui digni fuerint baptizandi, & in mensa sua corpus Christi & sanguinem consecrandi. Prius enim per manus impositionem de numero eorum quos Auditores vocant, recipiunt eum inter credentes: & sic licebit eum interesse orationibus eorum, quousque eum satis probatum eum faciant electum. De Baptismo nostro non curant. Nuptias damnant, sed causam ab eis investigare non potui, vel quia eam fateri non audebant, vel potiùs quia eam ignorabant.

Sunt item alii hæretici quidam in terra nostra omninò ab istis discordantes, per quorum mutuam discordiam & contentionem utique nobis sunt detecti. Isti negant in altari fieri corpus Christi, eo quod omnes sacerdotes ecclesiæ non sunt consecrati. Apostolica enim dignitas (dicunt) corrupta est, implicans se negotiis sæcularibus: & in cathedra Petri non militans Deo sicut Petrus, potestate consecrandi, quæ tanta fuit Petro, se privavit, & quod ipsa non habet, Archiepiscopi & Episcopi qui in Ecclesia sæculariter vivunt, ab ea non accipiunt ut aliquos consecrare possint, advertentes illud de verbis Christi: *Supra cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ vobis dicunt facite.* quasi istis talibus concessa sit potestas tantùm dicendi & præcipiendi, & nihil amplius. Et ita evacuant sacerdotium Ecclesiæ, & damnant sacramenta, præter Baptismum solum, & hunc in adultis, quos dicunt baptizari per Christum, quicumque sit minister sacramentorum. De Baptismo parvulorum fidem non habent, præter illud de Evangelio: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Omne conjugium vocant fornicationem, præter quod contrahitur inter utrosque virgines masculum & feminam, adstruentes hæc de verbis Domini, quibus respondit Pharisæis: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* quasi Deus tales conjungat, tamquam ad similitudinem primorum hominum, & quod eisdem opponentibus de libello respondit repudii, *Ab initio non fuit sic.* & item quod ibidem sequitur: *Qui dimissam duxerit, mœchatur.* & illud de Apostolo: *Honorabile connubium sit omnibus, & thorus immaculatus.*

In suffragiis sanctorum non confidunt: jejunia ceterasque afflictiones quæ fiunt pro peccatis, adstruunt justis non esse necessaria, nec etiam peccatoribus: quia *in quacumque die ingemuerit peccator omnia peccata remittuntur ei.* Ceterasque observantias in Ecclesia, quas Christus & Apostoli ab ipso discedentes non condiderunt vocant superstitiones. Purgatorium ignem post mortem non concedunt: sed animas statim, quando egrediuntur, de corpore in æternam vel requiem vel pœnam transire propter illa Salamonis, *Lignum in quamcumque partem ceciderit, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi manebit.* Et sic Fidelium orationes vel oblationes pro defunctis adnihilant.

Contra hæc tam multiformia mala rogamus, sancte Pater, ut evigilet sollicitudo vestra, & contra feras arundinis stilum dirigatis. Nec nobis respondeatis, quod turris illa David ad quam confugiamus, satis sit ædificata cum propugnaculis, quòd mille clypei pendent ex illa, omnis armatura fortium. Sed volumus, Pater, ut hæc armatura propter nos simpliciores & tardiores, vestro studio in unum collecta, contra hæc tot monstra ad inveniendum fiat paratior, & in resistendo efficacior. Noveritis etiam, domine, quod redeuntes ad Ecclesiam nobis dixerunt, illos habere maximam multitudinem fere ubique terrarum sparsam, & habere eos plures ex nostris Clericis & Monachis. Illi verò qui combusti sunt, dixerunt nobis in defensione sua, hanc hæresim usque ad hæc tempora occultatam fuisse à temporibus Martyrum, & permansisse in Græcia & quibusdam aliis terris. Et hi sunt illi hæretici qui se dicunt Apostolos, & suum Papam habent. Alii Papam nostrum adnihilant, nec tamen alium præter eum habere fatentur. Isti Apostolici satanæ habent inter se feminas (ut dicunt) continentes, viduas, virgines, uxores suas, quasdam inter electas, quasdam inter credentes; quasi ad formam Apostolorum, quibus concessa fuit potestas circumducendi mulieres. Vale in Domino.

ADNOTATIONES

HÆc epistola Evervini, Steinfeldensis prope Coloniam Præpositi, magnam affert lucem iis, quæ S. Bernardus de ejusmodi hæreticis scribit in sermonibus 65 & 66 super Cantica, sumta ex hac epistola occasione & argumento. Quorum in loco maximè viguerit illa hæresis, hinc discimus, nempe circa Coloniam, ubi igni traditi sunt à furente turba nonnulli ex illis, qui eam profitebantur. Varia fuerunt per id tempus hæreticorum genera, in quibus Petrobusiani seu Henriciani imparis nominis Tolosani; Cathari, quorum antesignanus, qui & detector fuit, Bonacursus Mediolani, de quo in tomo 13 Spicilegii; Boni homines (ita se ferebant) cum Oliverio sectæ auctore damnati anno M C LXXV *in Concilio Lumberiensi; Patareni & Passagenii: qui omnes occasionem dederant Albigensibus hæreticis, de quorum origine recte agit Rogerius Hovedeans ab anno 1178. Isti, quos recensuit Evervinus, Bernardus exagitavit, nullo nomine censebantur, nullo sectæ auctore insignes.* Quo nomine illos, titulove censebis? *inquit Bernardus in sermone* 66. Nullo: quoniam non est ab homine illorum hæresis, neque per hominem illam acceperunt. *In hoc sermone Bernardus accuratè ad singula capita respondit sub annum* M C XLVI, *quasi unius ejusdemque sectæ fuerint omnes: cùm Evervinus duo eorum genera distinguat. Primi asserebant,* quemlibet (sicut inter eos baptizatum dicunt) electum habere potestatem alios baptizandi, & in mensa sua corpus Christi &

sanguinem consecrandi. *Hinc solvitur objectio, qua ex Bernardi sermone 66 num. 8 peti solet, quasi negaret in hæreticis consecrandi potestatem: quem sane quibuslibet, etiam Ordinis sacri expertibus, illi tribuebant, derogabat Bernardus. Hujus epistolæ copia ex ms. codice cœnobii Bonæspei in Hannonia Ordinis Præmonstratensis mihi facta est per religiosum ejus Ordinis virum Casimirum Odinum, amicum, rei antiquariæ studiosissimum.*

De ejusmodi hæreticis loqui videtur Hugo Metellus, ejusdem sæculi scriptor, in epistola ms. Henrico Leuchorum Episcopo *directa, in qua hæc verba.* Latent in Episcopatu tuo, immo jam apparent pestilentes homines, qui veriori nomine bestiæ appellari possunt, quia bestialiter vivunt. Conjugium enim detestantur, baptismatum abominantur, sacramenta Ecclesiæ derident, nomen Christianum abhorrent. *De aliis, cujus auctor Pontius, infra.*

HUGONIS METELLI CANONICI REGULARIS EPISTOLA

Ad GERLANDUM,

De sanctissimo Eucharistiæ sacramento.

GERLANDO scientia trivii, quadruviique onerato & honorato, HUGO METELLUS verba sacræ Scripturæ triturare, & diligenter cribrare. Affirmant medici ex superfluitate humorum tumorem nasci in carne. Asserunt scripturæ ex superabundanti scientia elationem crescere in mente. Certum est autem te plurimum valere, manifestum est te multiplici scientia pollere. Cavendum est itaque tibi, ne scientia quâ polles te polluat, & crimen laudi tuæ ammisceat.

Intellige quæ dico. Verba quæ seminas in populo de corpore & sanguine Domini, hæresim sapiunt, plurimosque te duce in abyssum erroris traxerunt. Confidis in verbis Augustini. Ne confidas. Non est tecum in hac sententia. Erras tota via. Asseris cum beato Augustino verba Domini loquentis ad discipulos de corpore & sanguine suo figurata esse. Aliud enim verba Domini sonant, & aliud figurant. Asseris quod ille asseruit: sed non sentis quod ille sensit. Ille enim sensit Dominum dixisse & sensisse de spirituali comestione, quæ communis est solis bonis; & non de sacramentali, quæ communis est bonis & malis. quod declarant sequentia verba Domini dicentis: *Qui manducat corpus meum, & bibit sanguinem meum.* Multi enim manducant carnem Christi, & non sunt membra Christi. Detruncato uno capite hydræ repullulant plurima Fidei orthodoxæ contraria. Item obvias. Quod fit in altari sacramentum est. Sacramentum sacræ rei signum est; signum autem signatum non est. Esto: assentio. Sacramentalis Christi incorporatio signum est unionis, qua unimur & uniemur cum Christo: nec ista est illa; sed differunt inter signum & signatum. Unde Augustinus: Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Vel, sacramentum nomen est sumptum, à secreto, & secretum est quod fit in altario. Non enim apparet quod est vel quod significat. Aliud siquidem est, quàm quod species repræsentat.

Ut video rodis crustam, sed non tangis micam. Auctoritati Augustini niteris, sed deciperis. Augustinus enim quem tibi parasti advocatum, si bene investigaveris, reperies tibi contrarium. Audi ipsum declamantem in quodam psalmo ad confusionem tuam tuique similium. » Ipsum sanguinem, inquit, quem fuderunt Judæi persequentes, postmodum biberunt Judæi credentes. « Animadverte etiam quid David coram Achis Rege Geth fecerit, qualiter manibus suis se portaverit, & quomodo beatus Augustinus in expositione tituli tricesimi tertii psalmi exposuerit. Ne sis Rex Achis: ne dicas, Quomodo est, quomodo aliquis seipsum ferre potest.

Ne dicas: Si verum corpus Christi est, in diversis locis eodem tempore esse non potest. Si enim hoc dixeris, ore tuo te condemnabis. Non enim negabis Virginem peperisse; non negabis Christum clausis januis ad discipulos intrasse. Si enim illud urgatur, quia naturæ non concordat, & ista negari debent, quia natura repugnat. Adquiesce, requiesce. Si enim quæris similia, non sunt singularia: si rationem, non sunt admiranda. » Fides, ut ait beatus Gregorius, non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Et beatus Augustinus. Noli, inquit, quærere ordinem naturæ in Christi corpore, cùm ipse partus sit ex Virgine. Hic natura obstupescit, ordinemque suum perdit. Christus ex Virgine, Christus ex pane. Turbatur lex naturæ. «

Quod si panis sanctificatus non corpus Christi, sed figura corporis Christi est, ut asseris, ut fert tecum multorum opinio, immo multorum errantium multus error; valde miror, cur Apostolus tantopere prohibeat, ne quis indignè ad illum accedat. *Si quis* inquit, *indignè sumit judicium sibi manducat & bibit.* Quare hoc? quia corpus Domini non dijudicat, sed quasi communem aliis cibis comparat. Ea propter multi indignè sumentes fiunt infirmi, & moriuntur multi. Quod si panis altaris simpliciter panis (ut dicis) per verbum Dei & orationem sacerdotis sanctificatus habet tantam efficaciam, ut possit debilitare, & ad somnum mortis conducere: hoc cur non potest panis mensæ nostræ sanctificatus sacerdotis oratione? de quo Apostolus ad Timotheum ait: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Verbum enim sanctificat, oratio impetrat. Panis ille, panis & iste: sanctificatus ille, sanctificatus & iste. Quare plus potest ille quàm iste? Quare ille potest peccata relaxare, non iste? Si nescis, aperiam tibi. Super altare qui sanctificat & qui sanctificatur, idem est. Idem est sacerdos & oblatio, idem qui immolat & qui immolatur, idem Deus & homo. Hæc sunt Dei magnalia, nomen ejus elevantia; non impossibilia, sed terribilia; nec argumentis discutienda, sed fide veneranda. Quid terribilius, quàm quod orante beato Gregorio panis altaris accepit figuram carnis? Factum est hoc à Domino pro tollendo tuo ambiguo. Redi itaque.

Audi præterea quid adhuc dicat patronus tuus Augustinus. Audi quid dicat super versum illum Psalmigraphi, *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* » Aptatum est, inquit, unum sacrificium, loco multorum sacrificiorum legalium. Quod unum? Corpus scilicet Christi, quod nostis, quod non omnes nostis: & utinam qui nostis, non ad judicium noveritis. « Tria proponit: corpus Christi quosdam nosse, quosdam non nosse; & optat ut qui norunt: non ad judicium noverint. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Et paullò post idem ibidem. » Quod accipimus novimus, & quem non nostis noveritis, & cum didiceritis, non ad judicium percipiatis. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. « Ne ar-

Ana cit.

OOo ij

litteris hoc cum dixisse de pane altaris sanctificato, sed de corpore Christi verò. Si enim panis tantùm esset, quis panem non cognosceret? Cur panis dicitur, & non omnes illum nosse. Sed sine dubio in specie panis corpus Christi esse intellexit: & ideo indignè sumentes ad judicium sumere dixit.

Redi ad te, frater, redi, revoca animum tuum in regionem longinquam peregrè profectum; noli comedere siliquas porcorum, noli comedere quisquilias frumenti. Nonne vides manè sole oriente primùm illuminari montes, postmodum valles. Nonne vides religiosos viros & magni nominis doctores in hac sententia stare, in hac fide perstare, panem altaris sanctificatum, non jam panem, sed vinum corpus Christi esse? Quod si verum est, immo quia verum est pro fide Petri sustentanda Christum Patrem rogasse; & si verum est, immo quia verum est, fidem Petri de corpore & sanguine Domini ab eo derivatam usque ad tempora nostra per successiones apostolicorum virorum mansisse intemeratam: quia, inquam, verum est, cessa ab errore tuo, immo horrore, & festina fidem Petri, fidem sedis Romanæ exculcatam per te in te reformare, & te matri Ecclesiæ counire. Sanctorum Patrum sedis Romanæ super hac fide plurima exempla possem in medium adducere: sed quia in alia epistola tibi certificanda coadunavi, & congregavi, supersedendum hîc æstimavi.

OBSERVATIONES.

HÆc epistola scripta est (*si hic auctor cum adversario sincerè agit*) *contra nonnullas hæresis Berengarianæ reliquias. Exstat ordine trigesima tertia inter alias ejusdem auctoris epistolas, quæ in ms. codice Bibliothecæ Claromontanæ apud Parisios habentur, numero quinque supra quinquaginta. Hunc codicem nobis humanissimè communicavit eruditus ac religiosus ejusdem Bibliothecæ curator alter Johannes Harduinus, qui Plinio emendando strenuam navat operam. Ex illis epistolis intelligitur, quis fuerit, quove tempore vixerit Hugo Metellus. Is quippe apud Tullum Leucorum natus, Tiecelino præceptore usus est, atque etiam auditor fuit Anselmi Laudunensis. Condiscipulum habuit Humbertum quemdam, cui epistolam 40 ita inscribit*: Humberto quondam Philosopho, nunc Theologo. *Et infra*: Simul adulti sumus, simul manum ferulæ supposuimus, simul progressu temporis in Grammatica desudavimus, simul in castris Aristotelis militavimus. In Tullio simul declamavi tecum, in arithmetica numeravi tecum, in musica musavi tecum, sub Geminis natus sum tecum. *Jam cùm provecta esset ætate, ad S. Augustini Canonicos regulares se convertit in abbatia S. Leonis, diœcesis Tullensis sub Sei... Abbate, cujus nomine scripsit epistolam 18 ad Guillelmum Abbatem. Istius conversionis suæ meminit in epistola 11, directa* Gemmæ S. benedicti alumno, *in hæc verba.* Mutavi mentem, mutavi vestem, & pro pellicula peregrini muris redolente, involutus sum ovina pelle; pro pelle mardarina, vestiturus sum pelle caprina: pro cibis delicatis, exquisitis terra & aquis, placent vilia oluscula, rustica leguminа, faba Pythagoræ cognata: pro nectareo potu placet potus avenæ, potus aquæ. *Et in epistola prima ad S. Bernardum Claravallis Abbatem, ait se abrasis crinibus*, scripto libello repudii, peiori conversationi *nuntium remisisse.* Post hæc omnia, *inquit*, Regulæ B. Augustini me dedicavi, & in claustro candidorum Nazaræorum me clausi.

Hinc patet quo tempore vixerit iste Hugo, idque confirmatur ex aliis ejus epistolis, quas ad Innocentium Papam II. Alberonem Trevirensem, Stephanum Metensem, Guilencum Lingonum, Henricum Leucorum, Embriconem Herbipolensem, Episcopos; itemque ad Petrum Abælardum atque Heloïsidem Paracliti Abbatissam scripsit. In epistola 4 ad Innocentium contra Petrum Abælardum, Mortuo Anselmo, *ait*, Laudunensi & Guilelmo Catalaunensi, ignis verbi Dei in terra defecit. *tametsi S. Bernardum laudat, eumque Petro Abailardo opponat. Observatu digna est inscriptio epistolæ 21*. Embriconi venerabili Herbipolensi Præsuli & Duci, Hugo Metellus utriusque officii dignitatem digne Deo amministrare, *ob mentionem ab eo jam tempore Ducalis in eo Episcopo dignitatis. In epistola 41 Cardinalibus directa, Norbertinos exagitat ob vestium in solentiam; & objecta eorum novitate, suorum originem pro suo captu exponit.*

Epistolam 34 nuncupat Hugoni Carnotensi Magistro venerabili, *quo nomine litterarum magistri designari solent. Itaque per ea tempora quinque Hugones alicujus nominis erant in litteris, quorum primas tenet Hugo Victorinus, deinde Hugo de Folieto, Hugo Farsitus, Hugo Carnotensis Magister, & atque Hugo Metellus, præter Hugonem Floriacensem, cognomento à Domna-Maria, aliis natu majorem.*

Venio ad Gerlandum, cui superior Hugonis Metelli epistola inscripta est. Eidem alia itidem à Metello directa fuerat, in qua exempla coadunaverat de sanctissimo Eucharistiæ sacramento. In omnibus Metelli epistolis unica est, quæ huc referri possit, nempe vigesima sexta, Gerardo probati spiritus Monacho *directa. Idem sine dubio fuit Gerardus iste cum Gerlando, atque in alterutro nomine erratum à librario est. In hac epistola 26 quærit Gerardus*, si quotidie debeat sumi corpus Christi. *tum*, si sit verum corpus Christi quod sacratur in altari; an figura corporis in cælo regnantis. *Ad priorem respondet Metellus auctoritate Ambrosii & Augustini: ad posteriorem hoc modo.* Diversorum enim, *inquit*, diversæ sententiæ, ne dicam adversæ, te dubitare cogunt; & in diversa te distrahunt. Dicit namque Augustinus, verba ista evangelica figurata esse, *Nisi manducaveritis*, &c. *nec aliquid aliud figurare*, nisi Christum passum esse. Itemque, ut quid paras dentem & ventrem? crede & manducasti. Moves itaque quæstionem, cur B. Augustinus ista verba dominica figurata esse dicat, cùm Ecclesia, fidelis Sion, panem sacratum veram Christi carnem esse credat? Sed vir spiritu Dei plenus, ad intentionem Christi oculum convertit, & sub appellatione corporis & sanguinis figurata locutione fidem passionis suæ incredulis obumbrari voluit, & amicis revelari fidem, scilicet operantem per dilectionem, societatem scilicet capitis & membrorum, & unionem; spiritualem scilicet commestionem, non sacramentalem; rem sacramenti, non sacramentum; virtutem sacramenti & efficaciam, non sacramentum. Quod ipsa Veritas subsequenter dat intelligi patenter, unde subjungit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum*, ipse præparat mihi mansionem: quod excludit apertè sacramentalem comestionem, quam quidam sumunt ad sui confusionem. *Et infra.* Certum est, quia eventus rei certificat, fidem Romanæ Ecclesiæ secundum promissum Dei numquam defecisse, nec aliqua hæresi temeratam esse. Romana autem Ecclesia in prædicta fide corporis Christi fuit & fideliter perstitit; & per præcones suos eam longè lateque disseminat.

In hac epistola Gerardi fides Metello suspecta nondum erat, utpote quem probati spiritus Monachum *appellat. Dubium tantùm sibi propositum, non errorem agnoscit. Id disertè probant hæc verba.* Moves

itaque quæstionem, cur B. Augustinus verba dominica figurata esse dicat, cùm Ecclesia, fidelis Sion, panem sacratum veram Christi carnem esse credat. *Agnoscebat itaque Gerardus Ecclesiæ fidem: sed quia fortasse Metelli responsioni ad dubitationem ex Augustini testimonio propositam non planè acquievit; factum est ut Metellus, cujus non minus moderatio, quàm judicii gravitas in cæteris ejus epistolis desideratur, Gerardum seu Gerlandum erroris temere arguerit.*

DOMNI ODONIS MONACHI CANTUARIENSIS EPISTOLA

Ad ADAM fratrem suum novitium Igniacensem.

FRater fratri fraternum consilium. Plures tibi ex itinere, & sine litteris nuntios jam misi: quorum quia nec regressum, nec responsum accepi, hunc tibi directò cum litteris mitto. qui quoniam talis est, ut eum invicem nostrum non dubitemus; sicut ego eum ad te securè transmitto, ita tu illum ex me securè suscipito & quasi ex meo ore prolata, quæcumque ille tibi dixerit, credito. Formam autem verborum ejus ut cognoscas, quæ ex me tibi loqui debeat, litteris committo.

Primùm ergo gratias ago Deo Patri, qui te de tenebris hujus sæculi vocavit in admirabile lumen Filii sui. Sentio enim orationem meam exauditam à Domino, qua pro te cotidie orare solebam dicens: Domine JESU-CHRISTE, qui es lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina cor ejus; quippe Dei Patris sapientia diceris, aperi sensum & intellectum illius, & infunde ei lumen veræ sapientiæ, ut te intelligat, te diligat, in te ambulans ad te perveniat. Cum igitur cælitus tuæ illuminationis famam audissem, statim magnificavit anima mea Deum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Nam cum te philosophandi gratia in Gallias misissem, tuque hujus studii causa libenter obedisses; audito quòd contempta vana hujus mundi philosophia veram Christi philosophiam elegisses, injustè agerem meoque voto contrarium, si non tam de completo desiderio meo, quàm de tuo inopinato profectu magnificè gauderem. Gaudeo utique de infuso tibi cælitus veræ sapientiæ lumine, & magnificè gaudeo: in quo lumine, sicut cœpisti, rogo ut ambules, sciens quia non est aliud lumen sub cælo, in quo ambulans ad vitam pervenias, si ab isto recesseris. Hæc est enim lux quæ lucet in tenebris, sed tenebræ eam non comprehenderunt.

Fuit autem homo missus à Deo, cui nomen erat BENEDICTUS. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine isto: & scimus quia testimonium ejus verum est. Habet enim & ipse testimonium sui, testimonium à Moyse quidem ab initio mundi, & à JESU-CHRISTO, qui est testis fidelis, in fine mundi. Nam quia nullus nisi Benedictus, & qui sequitur doctrinam Benedicti salvabitur; (hæc est autem doctrina Benedicti, sæculo & omnibus pompis ejus abrenuntiare, & soli Deo vacare) intelligi dat Moyses loquens de principio mundi, ubi dicit, quòd benedixit Deus diei septimo, eo quòd in eo requievit ab omnibus operibus suis; testatur & Christus dicens, se dicturum in fine mundi, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio sæculi*, in benedictione septimi diei. De hujus Benedicti benedictione dictum est ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Dictum est etiam per Gabrielem ad Mariam: *Benedicta tu in mulieribus.* & per Elizabeth: *Benedictus fructus ventris tui.* De eodem quoque: *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.*

Ut autem quis est in quo omnes benedictiones conveniunt, intelligas, testatur de eo egregius pater Ecclesiæ Gregorius, dicens: « Fuit vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine. » Et de benedictionis ejus plenitudine idem testatur: Vir Domini Benedictus spiritu omnium justorum plenus fuit. Omnia Spiritus-sancti dona, quæ aliis dividuntur per singula, huic uni collata sunt omnia. « Ad hoc namque omnium benedictiones unus suscepit à Domino, ut easdem benedictiones cunctis ad se venientibus pòst ipse divideret. Nam cum benediceret illi Dominus omnium gentium benedictiones illi daret, omniumque justorum ipsum spiritu repleret: completa benedictione, testamentum suum confirmavit super caput ejus, tradens illi librum testamenti novissimi, ut de pleno divinarum benedictionum fonte hauriret gratiam, quam aliis abundanter infunderet.

O admirabile mysterium, & admirabile sacramentum! Primum testamentum dedit Deus in cordibus hominum, quod vocatum est lex naturalis: quod si servassent, secundo non indigerent. Sed quia novitatum amatores sunt homines per inveterationem; primo testamento neglecto, secundum dedit in circumcisione, quod propter sui novitatem paulò libentiùs amplexati sunt quidam. Sed hoc iterum inveterato atque neglecto, tertium dedit in baptismo, quod prædestinatum est ut stet in æternum. Sed quia longa consuetudine inveteratum cœpit ab hominibus paulatim in negligentiam duci; quartum dedit in cuculla, ad cujus novitatem amator novitatum pæne totus jam confluit mundus. Post hoc quintum non erit, quia in hoc novo & mirabili modo omnium gentium benedictiones continentur. Quidquid enim religionis & sanctitatis in tribus præcedentibus testamentis continetur, totum in testamento Benedicti constringitur.

Hinc est quòd ad eum omnes gentes, nationes, tribus & linguæ benedictionum ejus accipiendarum gratiâ currunt: adeo ut ipsi derisores, qui huic Religioni in vita sua detrahunt, in morte tamen absque hujus Religionis habitu, scilicet cuculla saltem ad succurrendum, securi esse non audeant. Hinc etiam est quòd omnes Ordines qui sunt in Ecclesia, ab ejus institutione augmentum Religionis assumunt. Nam cùm ejus institutio Monachorum sit propria; præterea tamen eamdem ceteræ conditiones, Canonicorum, Clericorum, Sanctimonialium, etiam laicorum, in magna parte sequuntur. Sentit nimirum Ecclesia hunc illum esse Benedictum, in cujus præsignanda benedictione benedictionum numeris præcessit innumeris. Nam quia soli benedicti benedictionem consequantur, secundùm quod à Christo in fine mundi dicetur, *Venite benedicti*; oportebat ut aliquis æternæ benedictionis magister præcederet, qui cùm omnes ad suam benedictionem vocaret, ipse suæ benedictionis irreprobabile testimonium haberet. Licèt enim Christus semen sit Abrahæ, in quo omnes gentes benedictiones consecutæ sunt, ipseque fructus ventris Mariæ, qui principaliter benedictus dicitur, & ipsa propter eum benedicta; hunc tamen nostrum Benedictum ille principaliter benedictus discipulum elegit, quem monasticæ benedictionis ducem constituit, ut omnes qui gratiam Spiritus-sancti, quam in benedictione Bap-

ptismi acceperant, postea prævaricando amiserant, ad ipsum venientes, eamdem in benedictione cucullæ recuperarent. Unde & eundem spiritum super cucullam quidam Sanctorum se testatur vidisse, qui visus est à Johanne super baptismum. Quippe cùm benedictiones omnium gentium dederit illi Dominus, quod præter ceteros intellectus, quibus dictum est, eum omnibus his modis benedictum, quibus omnes homines benedicerentur; itemque habere omnes benedictiones, quas ad se venientibus omnibus distribuat; etiam sic certa ratione intelligi fas est, ut Christus scilicet omnes benedictiones suas, quibus à Patriarchis atque Prophetis præsignatus est, atque ab omnibus gentibus benedictus, omnes discipulo suo tradidit Benedicto: ut idem sit testimonium benedictionis discipuli ab origine mundi, quod & Magistri: sicut idem spiritus operatur in benedictione cucullæ, qui & in benedictione baptismi. Hæc cucullæ benedictio lux est quæ lucet in tenebris, sicut gratiam baptismi Evangelista luxisse testatur in tenebris: & sicut illam lucem tenebræ non comprehenderunt, scilicet excæcati Judæi sive pagani; ita & istam lucem tenebræ non comprehenderunt, quia virtutem monasticæ Religionis non intelligunt, qui ei detrahunt, falsi Christiani. Et sicut fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Johannes, ut testimonium perhiberet de lumine illo: ita fuit homo missus à Deo, cui nomen est Benedictus, ut testimonium perhiberet de lumine isto. Prædicavit autem ille baptismum pænitentiæ: prædicat verò iste cucullam pænitentis. Utriusque testimonium verum: quia is cui testimonium uterque perhibet, ipse utrique testi suo testimonium perhibet, Christus videlicet, qui est testis fidelis. De Johanne enim quid dicit? *Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista.* De Benedicto autem quid? Desiderabile est quod se dicturum promittit: Venite benedicti.

Hoc ergo gaudium meum impletum est. Frater dilectissime, quoniam cùm testimonio Johannis primò perfectè credideris, nunc etiam Benedicti testimonio credere incipis: & qui benedictionem baptismi priùs accepisti, licèt sollemni more non sine offensa servaveris; nunc ad benedictionem cucullæ cum magna affectione (benedictus Deus) accedis. Accedis, inquam, nondum enim pervenisti: adhuc enim talis est novitius ante professionem, qualis esse solet catechumenus ante baptismum. Festina rogo te, carissime, in professione benedici, si vis in æternum benedictus haberi.

Nec est quòd voto obligari in professione debeas vereri. Nihil enim aliud in professione vovebis, quàm quod in baptismo vovisti; id est abrenuntiare satanæ & omnibus pompis ejus. Ab hoc voto non te retrahant lacrimæ patris tui, non revocent suspiria matris tuæ, non omnium parentum tuorum vota retardent, non ipsæ litteræ patris tui moveant, quas tibi plenas lacrimis, meisque litteris contrarias mittit. Scis enim quid dixerit Dominus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, & filios, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* In hoc quoque apparet similitudo baptismi atque cucullæ: quia sicut carnalis affectio retardare solebat olim ad baptismum currentes, ita nunc etiam ad cucullam accedentes retrahere conatur. Sed sicut eam contemnere præcipiebat tunc Dominus his qui volebant fieri discipuli Christi; ita & nunc eamdem contemnere præcipit his, qui volunt fieri discipuli Benedicti.

Sic ergo non te moveant omnium parentum tuorum lacrimæ ad recedendum à proposito sancto, sicut me movere non potuerunt, cùm tibi similiter lacrimarentur; nec nunc quidem movent, ut te revocantibus illis consentiam: quin potiùs ad hoc me illorum lacrimæ movent, ut hac de causa firmiùs te stare in proposito sancto persuadeam: ut qui nunc de tua separatione lugent, tuæ sanctitatis meritis adjuti, cùm tandem mercedem laboris tui viderint, tecum in cælo sine fide gaudeant.

Hinc autem solum fortasse carnaliter dico, quia si professionem non relicturus, ob aliquam consolationem mecum commanere malueris, paratus est dominus Archiepiscopus te libenter suscipere, dum adhuc secundùm Regulam sancti Benedicti liberè potes inde recedere. quod tamen ut facias non persuadeo, sed quid tibi ab amicis vel consulatur, vel offeratur, ostendo. Ætatem habes, tu te consule. Ego enim credo quòd Deus Abraham tecum sit, cujus vocem audiens egressus es de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. & venisti in terram quam monstravit tibi. Ipsi te commendo, orans ut sicut cœpit, sic te in omnibus dirigat.

ADNOTATIO.

ODONEM *hujus epistolæ scriptorem Johannes Pitseus laudat in libro de illustribus Angliæ scriptoribus ad annum* M C LX, *his verbis*: Sanctus Odo, natione Anglus, patria Cantianus, Benedictinæ familiæ ad fanum Salvatoris Cantuariæ Monachus; vir teste Lelando spectatæ virtutis & eminentis eruditionis. . . . . Unde primum sui Cœnobii constitutus est Præses, & tandem Abbas Monasterii de Bello. Singularem fautorem & patronum habuit sanctum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, laudumque suarum insignem præconem Johannem Salesberiensem. *Deinde recensito operum Odonis catalogo, ait ipsum decessisse circa annum Domini* M C LX, *nec multo post tempore in numerum Sanctorum relatum. At seriùs vitam produxit Odo, supervixitque sancto Thomæ, ac penes ipsum ferè stetit totum negotium eligendi Archiepiscopi post sanctum Thomam, uti pluribus narrat Gervasius Monachus in Chronico ad annum* M C LXXII. *quo tempore necdum Abbas erat Odo, sed tantùm Prior Monachorum Ordinis sancti Benedicti in cathedrali Ecclesia Cantuariensi. Sanctum Odonem itidem laudant Harpesfeldius, & Eduardus Mathevvini in Martyrologio ad diem 2 Junii. Hæc epistola, quam ex ms. codice Alnensis Monasterii Ordinis Cisterciensis in Belgio rogatu meo describi curavit humanissimus juxta ac doctissimus Abbas Innocentius Lector Rivanensis, in apographo sic inscribitur*: Epistola Domni Odonis Monachi Cantuariensis ad fratrem suum Novitium Igniacensem.

JOHANNIS II. ARCHIEPISCOPI QUONDAM LUGDUNENSIS EPISTOLA

Ad G Glascuensem Episcopum

De temporali regimine ecclesiæ Lugdunensis.

VEnerabili domino & consacerdoti G. Dei gratia Glas. Episcopo, J. primæ Lugdunensis ecclesiæ quondam Archiepiscopus, nunc autem Sacerdotum Christi minimus, salutem in vero salutari. Sicut vobis, bone frater, per priores litteras vestras responderamus, senuus quidem multo prudentiores

& discretiores viros in reditu vestro, quem prosperum fore desideramus, invenire poteritis, qui vobis super quaestionibus quas nobis proposuistis, & aliis, si quae vobis fortè occurrerint, prudentiùs & pleniùs respondere poterunt. maximè cùm per civitatem Parisiensem viam vestram dirigere disposueritis: ubi multos tam divini, quàm humani juris peritos inveniri posse dubium non est. Verùm ne sollicitudinem vestram omnino vacuam relinquamus, id quod majorum exemplo & nostri quoque temporis experimento prosequuti sumus, vobis pro modulo nostro respondere curabimus.

Sedes illa archiepiscopalis, in qua nunc pontificalis honoris consecrationem recepistis, ubi per aliquot annos, licet indigni, honore pontificali functi sumus; plenissimam habet jurisdictionem, quam vos Baroniam vocatis, tam infra terminos imperii, quàm regni Francorum, quia propria loci illius parochia infra fines utrosque limitatur: nec existimamus, quòd alia facilè inveniatur ecclesia, quae tantae libertatis utrimque gaudeat praerogativa. Nos itaque impositi nobis honoris & oneris officio juxta consuetudinem antecessorum nostrorum hoc modo utebamur. Habebam siquidem Senescallum, cui sollicitudinem & curam forensium negotiorum committebam, qui pro negotiorum qualitate, non solùm causas pecuniarias pertractabat, sed & criminibus & flagitiis pro consuetudine regionis puniendis praeerat: ne, sicut in litteris vestris meministis, pravis hominibus pro impunitate cresceret audacia delinquendi. Cavebam tamen, ne si fortè qualitas culpae aut suspendii poenam, aut membrorum detruncatione mereretur, aliquod ad me super hujusmodi verbum perferretur. Ipse cum assessoribus suis ejusmodi, quia me inrequisitu diffiniebat; sciebam proculdubio, quod ei & cognoscendi, & diffiniendi auctoritatem praestabam: sed dissimulationi me qualemcumque conscientiam accommodabat, quòd viri sancti qui me in eadem sede praecesserant, secundum hanc consuetudinem irreprehensi processerant. Neque enim in orbe Latino praeter majorem nostram ecclesiam alicubi locorum tot sancti Martyres vel Confessores inveniuntur. quod facilè deprehendere poteritis ex Martyrologio venerabilis Bedae presbyteri, vel successoris ejus Oswardi, qui catalogum sanctorum ea magna parte ampliavit. Accessit autem ad ampliorem confidentiam, quòd praefectus urbis Romae qui puniendis criminibus specialiter praeest, praefecturae suae auctoritatem à domino Papa recipere dicitur. Unde & in Dominica, qua cantatur *Laetare Jerusalem*, expleta sollemni processione, in qua rosam auream idem summus Pontifex circumportat, ipsum quasi pro debiti exequutione eadem rosa remunerat. Nihilominus (quod evidentius est) in civitate Beneventana, quae propriè ad mensam apostolicam pertinet, Rectorem dominus Papa ordinat, qui vel per se ipsum, vel certè per cives ejusdem urbis conflagitia ejusdem loci punit, & purgat. Hujusmodi quidem consolationibus utebar: scicos tamen quòd si qui proventus ex ejusmodi causis accidebant, in capsulas meas conferebantur, deducto jure Senescalli mei, cui tertia pars proventuum pro sollicitudine sua debebatur. Illud verò tam nos, quàm antecessores nostri diligenter attendebamus, quòd is qui ejusmodi executioni deputatus fuerat, ad sacros Ordines deinceps non promovebatur. Heus bone frater, ad primam quaestionem vestram respondimus, non diffinientes quid fieri debeat, sed quid fecerimus, cum aliquatenus scrupulosa vobis conscientia recognoscentes.

De cetero secundae consultationi vestrae respondendum arbitrati sumus. Clerici, & maximè illi qui ad sacros Ordines promoti sunt, districtè prohibendi sunt, ne aut rapinas, aut furta sibi facta in foro saeculari prosequantur: vel si omnino coerceri non poterunt; usque ad monomachiam, vel candentis ferri, vel aquae, vel aliquod hujusmodi examen nullo modo procedere audeant. qui si non adquieverint, & ejusmodi concitatione aut membrorum detruncatio, aut homicidia perpetrata fuerint; & officio & beneficio ecclesiastico privari merebuntur. Proponenda enim est eis auctoritas apostolica qua dicitur: *Quare magis non fraudem patimini?* Fraudem siquidem appellatam credimus, damnum quod per fraudem vel malitiam alterius alicui irrogatum est. Haec autem absque praejudicio melioris sanè & sanioris consilii vobis satis meticulosè transcripsimus. Propter supra memoratas causas, & nonnullas alias, quae me graviùs premebant; elegi, verecunde Christi sacerdos, illud modicum vitae, quae mihi Deo auctore praebetur, in poenitentia & lacrymis transigere, & vitae contemplativae (si fieri potest) dulcedinem praegustare. Necesse enim habui, dum Lugdunensis Archiepiscopatus honore fungebar, militiae saecularis honore implicari. Raptores & sacrilegos, & stratarum publicarum violatores armata manu prosequi, & eorum munitiones & castella obsidere, succendere, & demoliri: in quorum persequutione non solùm ipsorum malefactorum, sed etiam illorum quos deducebamus, mortes aliquando contingebant. Unde nunc pedibus sanctitatis vestrae, tamquam miser peccator, provolutus, suppliciter exoro, quatinus pro reatuum meorum venia intervenire dignemini. Bene valete.

ADNOTATIO.

Hujus epistolae auctorem esse Johannem, eo nomine secundum: cognomento Ad-albas-manus. Lugdunensem Archiepiscopum, indubium est. Is ex Anglia in Galliam accedens, creatus primum Episcopus Pictavensis, dein ad sedem Narbonensem electus, cùm Romam ejus rei gratia profectus esset, cooptatur in cathedram Lugdunensem, cujus jura acerrimè vindicavit, ut patet ex hac epistola, cui succinit Johannis Saresberiensis epistola 182 ad eum scripta de servandis juribus ecclesiae suae. Dein item Claram-vallem secessit, ut legitur in fusiori Gallia Christiana, constatque ex hujus epistolae posterioribus verbis quibus explicat rationem secessus sui. His non malè conveniunt quae apud eruditum Baluzium de Episcopis sui temporis contra suam electionem obtendit Abbas Claraevallensis, ad Archiepiscopatum Remensem electus. Nec tenet similitudo, *inquit*, quam de beatissimis Nicolao & Martino proponitis: quia tunc non habebant castella & arces ecclesiae cathedrales, nec incedebant Pontifices loricati. Sed nunc propter superabondantiam temporalium rerum, flamma, ferro, caede, possessiones ecclesiarum Praelati defendunt, quas deberent pauperibus erogare. *Haec in Miscellaneorum libro secundo.*

Quod attinet ad Episcopum, cui haec epistola inscribitur, decurtatum est ipsius nomen atque ejus sedis in codice Fossatensi, in quo hanc epistolam inveni: sed videtur esse Glasguensis in Scotia Episcopus, qui ab Archiepiscopo Lugdunensi ordinatus fuerat sub annum MCXC, quo tempore haec epistola scripta est.



ABBATIS ANONYMI EPISTOLA

Ad Monachos Pratellenses*,

De servanda in festis sollemnioribus abstinentia.

* Pratum, in Normannia diœc. Lexoviensis.

NOn eloquentiæ, sed salutis ad vos habeo verbum, Fratres carissimi, nec persuasione mihi opus esse in animo decrevi. Si enim pro salute vestra loquor, spero me facilè & absque magno labore impetraturum quod volo. Quis enim tam rudis est, ut salutis medicinam recuset? Non erit ergo vobis molestum, si ad observantiæ vestræ sancta decreta testauranda, verùm potiùs ad Regulam suppressam relevandam vobiscum adjutor sim. Existimo enim vos non professionis vestræ, non religionis, non claustralium votorum esse immemores: nec concipere possum, vos ea mente claustralem intrasse curam, ut Monachi solum portaretis habitum; sed normam potius Religiosi conservaretis illæsam. Frustra enim bonus ille Pastor beatus Benedictus vigilasset, qui tantos pro nobis labores in sanctis legibus & regulis constituendis suscepit, & tot noctes duxit insomnes, ut posteritati suæ consuleret; nisi essent qui observarent. Sed prô dolor! multi sunt his temporibus, qui solo hoc Religionis nomine contenti, relinquunt successoribus suis Regulam adimplere, quorum studium est intus, non dico mundana appetere, non dico delicatè vivere; sed nec epulæ regiæ, aut mundus eis sufficeret. Vos non sic eritis, Fratres: nolite animarum vestrarum facere periculum: grande est enim, & pretio magno redemptum. Scitis enim inter homines & homines, inter regulares & non regulares, clericos & monachos latam esse differentiam. In sancta conversatione, castitate, obedientia, humilitate, jejuniis, carnium abstinentia, & paupertate fundata est religio & claustralis vita. Viri sæculi non sic omnino coguntur ambulare: & tamen in multis (quod dolendum est) nullam penitus differentiam invenimus. Non ampliùs sunt jejunia in claustris, non macerationes quæ corpus castigant, non carnium abstinentiæ. Apud viduam vel pauperculam mulierem potiùs invenies. Sæpissime enim à via salutis & Dei cognitione crapula & carnium esitationes, maximè in diebus sollemnibus, quibus magis quisque Deo appropinquare debet, & ad sancta sanctorum accedere, etiam fortem Religiosum diverterunt. unde infiniti lapsus & turpia processerunt, & ad ecclesiam, cui immeritus præsideo, querimonia magna his diebus evolavit. Hac de causa motus, fraternitati vestræ scribere in præsenti decrevi, qui vos & meipsum salvos esse desidero. Res enim parva & facilis, nec tamen minoris fructus aut utilitatis, quàm si ardua. Consuetum erat ab antiquo, & usque ad pauca tempora continuatum, ut diebus festivis sollemnibus omnes in refectorio ad refectionem capiendam convenirent, & à carnalibus epulis se abstinerent. quod & in multis monasteriis, & fere in omnibus maxime bene regulares hæc observantur. Miror de Pratellensi cœnobio qui hac sancta caruit observatione. Sed quidni periculo aliorum sapientes facti simus? Facilitas Abbatum, & nimia licentia peccandi in Regulam, simul Monachorum claustralium importunitas, & murmur in damnum animarum suarum hoc egerunt: & nunc pœnam forsè luunt tardè pœnitentes. Quare ne nos enim malis dispensatoribus & male obedientibus damnemur, dum tempus est, vobis ipsis providere cura nostra sit. Vos igitur, Fratres, rogo & moneo, sicut salutem vestram diligitis, ut his diebus sollemnibus abstineatis ab epulis carnalibus; simulque in refectorio omnes discumbere discatis: sitque vobis hujus sancti operis initium hæc proxima Paschalis dies. Jugum enim suave est, & onus leve. Si feceritis, intelligam vos animarum vestrarum salutem diligere, obedientiam potiùs sequi, ut summæ obedientiæ filios decet, quàm propria frui voluntate. Non temporalem exspectetis remunerationem, non aurum, non argentum, non terrena aut pretiosos lapides polliceor. Hæc enim non sunt præmia vestra. Gemmas etenim cælestes promitto, & coronam victoriæ, quam nobis Deus concedat. Valete.

ALIA EPISTOLA AD EOSDEM.

De eodem argumento.

FRater vobis & Fratribus religiosis scribo super carnium abstinentia diebus sollemnibus. Præsentabitis litteras meas conventui. Res sancta est, non gravis, sed levissima, & prodesse multum poterit, si executioni demandetur. Hanc vobis causam committo: nec aliter in animum meum inducere possum, quin ad ea quæ salutis totius domus sunt, libenter intendatis. Breve est quod dico: sat est mihi ut intelligatis quod volo. Date operam ut omnia quæ scripsi adimpleantur. In rem vestram potius quàm in meam hæc sunt. Mihi damnum temporale est spirituale lucrum. Facite ergo in hac causa, ut cognoscam zelum & fervorem, quos habetis in legem & Ordinem vestrum; nec minuatur æstimatio vestra, quam prisco tempore habui. Et sic officium vestrum adimplebitis, hancque laudem simul cum fructu reportabis hoc pium opus. Euge fidelis, super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Valete.

HERVARDI LEODICENSIS ARCHIDIACONI EPISTOLA

Ad G. Canonicum Laudunensem.

De GUIBERTO *Abbate Gemblacensi, & de scribenda vita S. Martini.*

REVERENDO Patri & domino G. beatæ Dei genetricis Mariæ Laudunensi Canonico, HARVARDUS Leodiensis Archidiaconus, præsentis vitæ stadium justè vivendo viriliter percurrere, & æternæ beatitudinis bravium feliciter obtinere. Usitati moris est & longo bonorum consensu approbati, quibuslibet, & maximè facilibus & honestis petitionibus amicos se se invicem exaudire, ut per hilarem & promptam exterioris operis exhibitionem, in lucem & publicum procedat desiderabilis fructus occultæ dilectionis.

Inde est, quòd paternitatem vestram, cujus benignitatem à cunabulis munificam mihi & expolitam, quotiens necessitas exegit, in libro experientiæ legi & relegi devotè exoro, & instanter precor, quatinus favorabilem & omni acceptione dignam & pronè suscipiendam domni GUIBERTI, cognomento MARTINI, petitionem, cùm ad vos venerit, vel miserit, sine repudio

pudio affectuosè gratanter & excipiatis, efficaciterque compleatis. Effectus namque ejus multos lætificabit & ædificabit: vobis quoque, etiamsi nolitis, (quamvis hoc nec velle, nec quærere debeatis) magnam & laudem & gloriam pariet; sed & ipsi domno Guiberto propensiorem pro vobis apud Deum intercedendi affectum suggeret. Hic autem ille est Guibertus, qui quondam in Florinensi Monasterio priùs, & postea in Gemblacensi, Abbatis officio est functus, sed in neutro defunctus. Maluit siquidem utili quæsita & nacta occasione honestè cedere, quàm sub onere, quod solus & gemens sine fido portabat comportante, cadere, & casu sui ab ineptis irrisoribus ludibrium sustinere. Ad quid enim in fornace scandalorum & tribulationum flammis æstuante inutiliter uteretur? præsertim cùm easdem flammas nec per se sufficeret exstinguere, nec absque magno læsionis detrimento diu posset tolerare, nullo scilicet in eadem sibi fornace auræ lenis sibilo flante, nullusque piæ consolationis suffragio ejus acerrimos æstus refrigerante. Ideo prudenti usus consilio, salvari in imo, quàm periclitari in summo potiùs elegit; magisque humilis & pauperis Christi ab eo salvandos imitari vestigia, quàm ambulare in magnis & mirabilibus super se, cum eis aliquando pro fastu elationis puniendus. Hic idem est ille Guibertus Martinus, gloriosi Præsulis Martini cultor, nonnullus imitator, operumque & virtutum illius tam verbis, quàm scriptis studiosus commendator. Unde propter diuturnæ & affectuosæ devotionis erga eum constantiam, ejusdem eminentissimi Pontificis proprium nomen isti conversum est in agnomen; adeo ut jam non solo suo proprio nomine, quod est Guibertus, sed ob insigne prædictæ devotionis obsequium, quod ei sedulus exhibet, Guibertus Martinus jam passim, ubi notus est; appelletur.

Sed ut id pro quo ista præmisimus, & ad quod tendimus, jam proferamus; hic idem Guibertus Martinus, quem pro suis nobis carum meritis intimo vobis commendamus affecto; auditis & lectis, quibusdam opusculis vestris, hic videlicet, quæ seu de vita egregii confessoris Christi Servatii; seu quo cultu & qua conversationis forma se agant Clerici, qui piè in Christo volunt vivere; heroico usus metro, præclaro digessistis opere; eorumdem scriptorum plus quàm dici possit, eleganti trahitur & delectatur venustate. Proinde quia, sicut minùs vobis notus, de vestro (nec mirum) diffidit assensu; ad me veniens ob mutuæ agnitionis & dilectionis, quo invicem adstringimur, complexum, nihil prorsus quod justè petam, vos mihi speraos negaturum; humillimè & instantissimè frequenter deprecatus est, quatinus mea apud vos obtineam intercessione, ut beatum Martinum, quem propter illa, quæ quotidie ejus experitur beneficia, quanta potest, veneratur & attollit devotione; vos quoque inter ceteros quos veneramini Sanctos, in patronum vobis assumatis: & ut etiam vos in opportunitatibus opitulationum ejus suffragiis fulciamini, sicut & omnes qui ei puro famulantur affectu; aliquid ei honoris sedula & alacri intentione exhibeatis. Nec de ejusdem domni Guiberti Martini petitione, quin pareatis, aliquatenus stimulemini: quia nec aurum, nec argentum, nec quidlibet unde marsupium seu penu vestrum vacuetur, in beati Martini obsequio expendendum à vobis petiturus est. Quid tum? an ut ecclesiam ei construatis? nec hoc quidem. nam in possessione ecclesiarum nullus eo ditior Sanctus invenitur, præter Matrem Christi, & Clavigerum cæli. Si nihil horum; quid demum habet petere? nempe quod facillimè potestis præstare.

Quid illud? nimirum verba. quid levius verbis volantibus? Petimus itaque tam ipse, quàm ego cum eo, & enixiori quàm possumus intentione petimus, quatinus diligentissima investigatione, considerata tanti Pontificis incomparabili fere eminentia, qua merito & virtutum operibus, & nominis amplitudine summis aulæ cælestis Principibus, id est Prophetis & Apostolis, adæquatur; toto subtilissimi quo polletis ingenii vigore & acumine adhibito; qui nonnullos in scriptis vestris vicistis, in hoc vos ipsum vincendo, ad laudem Dei & legentium utilitatem & delectationem, de materia, quæ vobis per litteras insinuabitur, elegiaco metro aliqua memoratu digna in ipsius beati Martini honore conscribatis.

Nec in hoc sanè opusculo frustra laborabitis. quia labor ipse præter id, quod vos utiliter exercendo damnosum à nobis repellet otium, geminam pariet retributionis utilitatem: dum pro eo & vivens, & mortuus, laudis præconio etiam nolens attollemini, & Martini vestri patrocinio in omnibus periculis & tribulationibus vitæ hujus, & in ea, qua durior nulla est, necessitate, hoc est in articulo mortis, protegemini. Proinde qui somnolento diu otio torpuistis, tandem vel pulsatus expergiscimini, & instar galli se ipsum complosis alis diverberando ad cantandum vigilantiorem reddentis, vires ingenii longa obsitas robigine, ut resplendeant, quasi ad usum limando expolite, & laudabilis exercitium laboris, id est opus Deo gratum, & posteris commodum, ab ipso vobis Deo oblatum, gratanter & impigre suscipite: ne, si segniter differatis, alius clanculo mittat manum, & illud vobis præripiat; & sic utraque mercede, id est laudis temporalis, & æternæ retributionis, pro tepiditate dilationis vestræ careatis.

Quapropter suscipite illud incunctanter, & explete celeriter*, antequam hebetata præ senio mentis acie, sera pœnitentia incipiatis velle, cùm (quod Deus avertat) inops memoriæ & insufficiens haberi cœperitis: & tunc desidiæ vos pudeat, cùm emendare non poteritis. Expedite ergo vos, obsecro, ab omnibus aliorum, quantum fieri potest, negotiorum impedimentis, & operi huic, quod vobis per talem virum Deus perficiendum ingerit, vigilanti intentione vacate, & cum ipsius adjutorio, quanta potestis acceleratione, sine ipsius operis detrimento terminate. Cavete autem, quæso, ne si ulteriùs exspectetis, tempus quod omni sagitta sive avicula celeriùs prætervolat, vos non exspectet; & vitæ die clausa, tenebræ mortis, in quibus nemo potest operari, vos occupent; & (quod maximè timendum est) ne Deum ipsum, qui vos per servum suum pulsat, offendatis; neve servi pigri & inutilis, qui de talento sibi credito lucrari noluit, pœnam incurratis. Jam verò ut demum tam producta claudatur epistola, filiali paternitatem vestram precor affectu, ut apud vos caritas obtineat, quod sincero & pio affectu poscit caritas: ne si caritatem exaudire nolueritis, nec vos, ut vacuum caritate, ille qui summa caritas est, in vestris precibus aliquatenus exaudiat. quod ipsa Caritas, id est Deus, sua pietate à vobis precibus beati Martini avertens tribuat, ut in eadem ipsa caritate omnia vestra compleantur.

ADNOTATIONES.

1

De Hervardo Leodicensis ecclesiæ Archidiacono hujus epistolæ scriptore, deque eo cui inscripta est epistola, G. Laudunensi Canonico, qui libellum de vita sancti Servatii Tungrensis Episcopi scripsisse hic perhibetur; nihil succurrit observandum: at de Wiberto seu Guiberto, cujus occasione ac rogatu hæc epistola scripta est, quædam adnotare juvat ex ms.

Chronico Gemblacensi, in quo hæc legi. De isto Guiberto, magnæ sanctitatis, probitatis & doctrinæ viro, si quis notitiam desiderat, cujus meriti fuerit, abundè ex scriptis ejus id cognoscere poterit. Scripsit namque epistolas ad diversos morales, & optimis suasionibus refertas; scripturam sacram semper habens in manu & ore, ad Abbatialem dignitatem jam senio gravis adactus est. Vixit in Sacerdotio sexaginta tribus annis, ut in quadam epistola vitæ suæ primævæ descriptiva, quæ incipit, *Beatus Augustinus*, de se plenius tractat. Magnus zelator fuit animarum, suæ præcipuè, non minùs aliorum, quod patet in omnibus epistolis suis, quas ad diversas personas, tam excellentis, quàm paris ac sociæ conditionis destinavit. Habitavit in diversis Monasteriis, ut pote in Galliam profectus bis, in Monasterio Turonensi divo Martino sacro, ubi plurimùm diligebatur tum propter honestatem morum, tum propter vitam sancti Martini, quam metro composuerat, & Turonensibus obtulerat: à quibus evocatus, reversus est Gemblacum, & non ita diu pòst à Monachis sanctorum Johannis & Mauri Martyrum in Florinis Abbas est postulatus: quibus laudabiliter præfuit annos quinque menses octo. Interea temporis Johannes Abbas Gemblacensis è vivis excessit, ad cujus celebranda funeralia à Monachis Gemblacensibus dictus Abbas Florinensis vocatus est. Volentem Florinas reverti Fratres Gemblacenses illum elegerunt in Abbatem suum circa annum Domini M C XCIV, præfuitque annis decem. *Et post multa:* Ad Guibertum Abbatem nostrum revertamur, qui in diversis locis & Monasteriis diverso tempore habitavit. Et primum quidem vitam monasticam professus fuit in hoc Gemblacensi Monasterio: postmodum profectus in Galliam, in Turonensi habitavit; unde exiens, Gemblacum est reversus. Florinenses hunc interea temporis in Abbatem sibi elegerunt & postulaverunt, atque Abbate Gemblacensi defuncto, ibidem factus est Abbas. Post annos verò decem exactos in regimine Gemblacensi, quindecim & octo mensés in Florinensi, utramque Abbatiam resignavit, & apud Florinenses habitavit. Inde venit in Villare Cœnobium; quod deserens, iterum in Galliam abiit, Turonisque habitavit. quibus valedicens ad quamdam virginem, Hildegardem nomine divertit: cui multam felicitatem precatus, Gemblacum ad priorem & proprium nidum reversus, ibidem obiit senex dierum, dives multorum bonorum operum. Vixit in Sacerdotio, uti suprà dictum est, sexaginta tres & amplius annos. Viam universæ carnis ingressus est vigesima secunda die mensis Februarii. Hæc pauca ex pluribus ejus rectè gestis.

Hæc de Guiberto, qui viris doctis parum (ut puto) hactenus notus est; adnotanda duxi: sed ut de ejus operibus accuratior notitia habeatur, quid super his in itinere Belgico animadverterim, indicare, aliquod operæ pretium existimavi. Guiberti lucubrationes inveni in tribus membraneis codicibus, præsertim verò epistolas, de quibus quadam carptim hic delibare juvat.

ARNULFO Scholastico *complures scripsit, de amicitia videlicet, de sollemnitate paschali, de exitu Ægypti, id est hujus mundi, de tribulatione patienter sustinenda, de voluntaria paupertate, & de thesauro sapientiæ, de sancto Vincentio Martyre, & de patientia, &c.*

JOHANNEM, *Arnulfi Scholastici fratrem, ad conversionem & spiritalem militiam hortatur duabus litteris,* JOHANNI fratri carissimo *inscriptis.*

RAINERO fratri dulcissimo *ægrotanti condolet, eumque ad conversionem hortatur. Eidem scribit de dignitate sacerdotali: tum aliam epistolam de sollemnitate paschali, ubi Rainerum* Scholasticum *appellat.*

LAMBERTO nepoti suo, *qui sæcularibus negotiis plus æquo irretitus erat, tres epistolas dirigit, quibus eum ad studium virtutum adhortatur. Hæc in primo codice reperi: quæ verò sequuntur, in secundo.*

In primis occurrit opus de vita & miraculis sancti Martini rythmicè scriptum quatuor libris: quorum prologus soluta oratione indicat, opus istud PHILIPPO *Coloniensi Archiepiscopo oblatum esse Robardiæ, cùm Philippus* in comitatu teneretur. *Eidem Philippo multæ inscriptæ sunt litteræ à Guiberto, qui passim eum* summi Pastoris & Christi Vicarium *appellat. Prima est de mysteriis creationis & reparationis. II excusatoria, quòd in Pastores scribens, eum tetigisse visus sit. III Philippi nomine ad Abbatem Majoris-monasterii, & ad Primicerium ecclesiæ Castri-novi in qua eos interrogat de more claudendi portas Monasterii in nocte festi Ordinationis, seu translationis sancti Martini, & de fama quæ tum ferebat, sanctum Martinum nocte illa Missam celebrare. IV Philippo respondent Herveus Abbas & Fratres Capituli Majoris-monasterii, & quæsitis faciunt satis; laudantque Guibertum. Quintam & sextam scribunt eidem Philippo Philippus Decanus, Rainaldus Thesaurarius, totumque Capitulum sancti Martini Turonensis in quarum litterarum priori gratias agunt de vita sancti Martini sibi transmissa: in utrisque verò quædam sancti Martini miracula referunt. VII est Guiberti Philippo de beneficiis gratias agentis. VIII ejusdem ad eumdem de laudabili conversatione Fratrum Majoris-monasterii. IX de nobilitate & magnificentia ecclesiæ Castri-novi. X Guibertus Philippum hortatur ad officii sui cultum, & ad studium pacis faciendæ in conventu Leodicensi. XI eidem gratulatur de restituta pace.*

HERVEO *Majoris-monasterii Abbati, ejusque sacro conventui gratias agit de hospitalitate sibi præstita; & de eo quòd libros de miraculis sancti Jacobi, de bellis in Hispania à Carolo Magno gestis, & de martyrio Rollandi Ducis, transcribendi facultatem ab eis obtinuerit: quorum librorum exemplar ad transscribendum extractum à se rapi sedatur. (nempe eo tempore venditari cœperunt falsæ ejusmodi merces) quod argumentum est epistolæ XII. In XIII verò Fratribus Majoris-monasterii inscripta laudat eorum religionem, & quædam corrigenda notat. XIV directa est* JOHANNI *Abbati Fratribusque ejusdem Cœnobii, quibus gratias agit Guibertus, ab iisque libros Paulini postulat, & se duabus Abbatiis antea præpositum, tunc uni Florinensi præesse scribit.*

Post hæc subsequitur in eodem codice Guiberti epistola ad Philippum Coloniensem Archiepiscopum, cujus mandato de scribenda sanctæ Hildegardis vita se parere dicit.

Tum variæ ejusdem Guiberti epistolæ ad domnam Hildegardem magistram Cœnobii sancti Roberti Binguensis *subsequuntur. prima de excellentia sancti Martini Episcopi. secunda de visionibus Hildegardis, de quibus quærit an, ut fama ferebat, visionum suarum, postquam eas scripsisset, oblivisceretur; tum an eas ipsa Latinè scribat; ac demum an Latinam linguam didicerit. In fine:* Salutant te dilecti & ex facie noti dilectores tui Sigerus de Waura, & Nicolaus Miles juvenis de Niel; quem cum ipso te visitante in Quadragesima vidisti. Salutat te Frater Franco Reclusus, ecclesiæ vestræ filius probus in Christo, & Frater Robertus languens corpore, sed valens mente, in monte qui dicitur sancti Guiberti, recubans. Salutant te dominus Emmo, ecclesiæ nostræ patrochianæ Presbyter, &c.

Præterea alias ejusdem Guiberti epistolas ad Hilde-

gardem, numerandæ, tum responsiones Hildegardis ad ipsum, variasque tum ejusdem Guiberti ad Sorores ecclesiæ beatæ Mariæ sanctique Roberti de Bingaia; tum earumdem Sororum ad Guibertum responsa; aliasque alias personis scriptas, nempe Josepho egregiæ probitatis Scholastico; *qui Hierosolymam cum Camuarensi Antistite profecturus, Guiberto prosam de sancta Martino examinandam obtulit:* Sigerido *Moguntino Archiepiscopo, de virtutibus sancti Martini: &* Conrado *ejusdem ecclesiæ Pontifici, de variis Coloniensis ecclesiæ successibus: denique* Godefrido *Abbati Monasterii sancti Eucharii & sancti Willibrordi, de vita sanctæ Hildegardis quam ipse Guibertus scripsit mandavit.*

Ad hac Bartholomaus Fisenus in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, ubi de Abbatibus Gemblacensibus, testatur Guibertum nonnulla etiam scripsisse ad beatam Imgardem, quæ in vicino Aquiriensi Parthenone vivebat; atque anno M CC VIII, *hoc est biennio post abdicatam præfecturam, ad superos abiisse.*

HERIBERTI MONACHI EPISTOLA

De hæreticis Petragoricensibus.

OMnibus Christianis notum esse cupio ego Heribertus monachus, ut se caute agant à pseudoprophetis, qui Christianitatem pervertere nituntur. Surrexerunt enim in Petragoriensi regione quàm plures hæretici, qui se dicunt Apostolicam vitam ducere: carnes non comedunt, vinum non bibunt, nisi permodicum tertia die: centies in die genua flectunt, pecunias non recipiunt, illorum secta valde perversa est & occulta. *Gloria patri* non dicunt, sed pro *gloria patri*, *Quoniam regnum tuum, & tu dominaris universis creaturis in secula seculorum, amen.* Eleemosynam nihil esse, quia unde fieri possit, nihil debere possideri. Missam pro nihilo ducunt, neque communionem percipi debere dicunt, sed fragmentum panis. Missam si quis cantaverit seductionis causa, nec canonem dicit, nec communionem percipit, sed hostiam juxta, aut retro altare, aut in missalem projicit. Crucem seu vultum Domini non adorant, sed adorantes prohibent, ita ut ante vultum Domini dicant: O quàm miseri sunt qui te adorant, psalmo dicente, *Simulacra gentium*, &c. In hac seductione quàm plures jam, non solum nobiles propria relinquentes, sed & Clerici, Presbyteri, Monachi, & Monachæ pervenerunt. Nullus enim tam rusticus est, si se eis conjunxerit, quin infra octo dies tam sapiens sit litteris, ut nec verbis, nec exemplis amplius superari possit. Nullo modo detineri possunt: quia si capiuntur, nulla vinctione possunt servari, diabolo eos liberante, & ita inverti, ut sperent & velint invenire eos qui se ejiciant, & morti tradant. Faciunt quoque multa signa. Nam sicubi ferreis catenis vel compedibus vincti missi fuerint in tonnam vinariam, ita ut fundus sursum vertatur, & custodes fortissimi adhibeantur; in crastino non inveniuntur, quoad usque iterum se voluntariè repræsentaverint. Vas vini vacuum ex suo vino parumper immisso, in crastino plenum invenitur. Alia quoque permulta & mira faciunt. Princeps eorum Pontius vocatur.

ADNOTATIO.

HIc Pontius videtur esse ex discipulis illius Henrici hæresiarchæ, de quo multa leguntur superius in actis Hildeberti Episcopi Cenomannensis è pag. 312. Henricianos enim in partibus Petrocoriorum, le Perigueux, doctrina sua venena sparsisse intelligimus ex itinerario S. Bernardi, qui adversus illos in partes Tolosanas profectus, Sarlati aliquamdiu moratus egit, ex lib. 3 vitæ cap. 5. Ceterum cujus loci monachus fuerit Heribertus iste, nondum assequi mihi licuit.

GUILLELMI MUTINENSIS EPISCOPI

Ex tom. 6 fragment. [illegible]

EPISTOLA FLEBILIS,

De sua assumtione in Cardinalitiam dignitatem.

VEnerabili & in Christo dilectissimo patri meo domno Hugoni Priori Cartusiæ, sanctisque fratribus ejusdem conventus, frater Guillelmus Mutinensis Episcopus, & Cardinalis Sabinus nunc quamvis indignus permittente Deo creatus, debitam obedientiam & devotissimas filii orationes. Afflictus miserandum in modum, pater fratresque mei, sum, nec me gravabat in tantum episcopalis sarcina, quamquam immensa, quantum premit jam & incendit, quod opprobrium ego hominum & abjectio plebis de stercore miserabili elevatus sedere jam jubeor inter Ecclesiæ mundique principes, id est inter vigilantissimos speculatores dormiens homo & cæcus, inter gubernatores fortissimos timidus miles; & cautis, si non mutus, saltem non audax, nec satis clypeo orationis munitus & armatura justitiæ, quibus tectus venientia tela sine offensione excipiam. Verè humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster. Nihil nisi Cartusiam meam expetebam: ad hanc solam vota votaque mea suspirabant, & inspirabam quotidie Pontifici sancto liceret mihi, jam in extremis posito, saltem in illa quiescere, & cum patientia inter innocentissimos Confratres meos, quidquid dierum reliquum erat, peragere. Poteat illi Deus quid est quod facere voluit? sepultum hominem ad homines revocare, depositum in terribile curarum pelagus reponere, ut me honoris altitudo iterum resorbeat. Oro, pater, filio tuo in Christo indulgeas, & illa sancta multitudo, cui Deo auctore præes, uterinum monachum, ne dicam Cardinalem Guillelmum, suum esse recordetur. Confidimus in vestris precibus: dumque inter dubia anxiæ mentis meæ nullum occurrit aliud remedium, nisi ad Deum ipsum recurram; obsecro supplicent ei Cartusiani mei, ut qui dedit honorem, ipse servet; & nos eam vitam donet ducere, quæ tantæ dignitati par sit. Condonet ut hæc tanti oneris speciosa sicut corpus gravat, ita non opprimat animam: eaque utiliter ad communem Ecclesiæ suæ salutem valeat collaborare, ne illi & sanctæ sedi ingrata videatur. Nonne & inimicis & persequentibus vos benefecitis? nonne & miseris misericordes adestis? recordamini Confratris vestri, nec de numero vestrum aliquem à principe tenebrarum capi patiamini. Sentiam, quia jam tempus est, quod semper de vobis speravi: & cùm claves regni cælorum in manibus vestris sint; humili & devoto corde supplico, ut ceteris admissis, me fratrem ve-

ctum nullo modo à regno vestro excludi sinatis. Redussem ipse ad vos, & quod scribo ore, maluissem dicere, nisi cæptum iter in Norwegiam, ad quam de mandato summi Patris nostri festino, impedivisset. Si Deo propitio inde sospes rediero, non præteribo donec videam quos diligit anima mea. Interim quod præsens non possum, absens facio, totumque fratrum Collegium intimo affectu & affectuosissima devotione saluto, deprecans ut pro me causaque itineris mei mentium suarum turibula & orationum sanctarum velut fumum aromatum in cælum emittant, quibus pro officio, quantum possum, ex parte omnipotentis Dei & purissimæ Virginis matris Dei sanctorumque omnium corde & ore benedico. Lugduni die XXIX Novembris, anno Incarnationis Dominicæ M CC XLIV.

Ex eodem.

HUMBERTI DELPHINI VIENNENSIS EPISTOLA,

Qua statuit, ut Cartusiensium lites statim sine juris sollemnitate finiantur.

HUMBERTUS Delphinus Viennensis, & Albonensis Comes, dominus de Turre & de Colonaco, dilectis & fidelibus suis Baillivo & Judici suis præsentibus & futuris, salutem & dilectionem sinceram. Cùm religiosi viri Prior & conventus Portarum Cartusiensis Ordinis causas habeant in præsenti, vel habituri sint in futurum aliquoties coram vobis; hinc est, quòd nos volentes eorum parcere laboribus & expensis, vobis præcipiendo mandamus, quatenus causas seu quæstiones eorum, motas & movendas, juris sollemnitate non servata, simpliciter & de plano, & sine strepitu Advocatorum, non ad assisias ire, alio tempore quantociùs poteritis, sine debito terminetis. Nam nostra interest lites abalienare, abbreviare, maximè religiosarum personarum, quas publicè utile est à strepitu earum esse quietas; ut liberiùs orationi vacare valeant, & quietiùs in omnibus aliis gratum & debitum omnipotenti Deo pro se & aliis impendere famulatum. & tantum super præmissis faciatis, quòd dictos Priorem & conventum ob defectum vestrum ad nos non oporteat habere recursum. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Dat. anno M C C LXXXIII die Veneris in vigilia Natalis Domini.

ADNOTATIO.

HOc primùm tempore Cartusienses ad fora sæcularia trahi cœperunt. Nam paulò ante, si quis eis aliquid abstulisset, vel alio modo injuriatos fuisset, nullam contra ipsum in judicio causam movebant, teste Jacobo à Vitriaco, in historia occidentali cap. 18. Eodem tendit Regula S. Stephani Grandimontensis Abbatis caput 24. quod hac in re emendatum est ab Innocentio IV.



Ex Chartulario S. Trophimi eruta ab eodem.

JOHANNES ARCHIEPISCOPUS ARELATENSIS FRATRI BONAVENTURÆ Ministro Ordinis Fratrum Minorum

Facultatem dat ædificandi Ecclesiam & conventum in castro Salonensi.

ANno M CC XXXIIJ, prima die mensis Februarii. Cùm Ecclesiarum Prælati, maximè qui majori præeminent dignitate, sint super specula Dominici gregis constituti; cogitare nos convenit sollicitudine quanta possunt, qualiter præsentis vitæ vigiliis in curam gregis sibi crediti eos oporteat custodire, obviando vitiis, quæ animarum dignoscuntur profectibus obviare; & multiplicando virtutum germina, quæ animabus eis commissis fructum vitæ perpetuæ valeant germinare. Hinc est quod nos JOHANNES Dei gratia Arelatensis electus, credens firmiter Ordinem Fratrum Minorum ad illuminationem fuisse gratium institutum, ob multiples commodum animarum & in remissionem peccatorum nostrorum, prædicto Ordini Fratrum Minorum, & tibi Fratri Bonaventuræ Ministro ejusdem Ordinis in Provincia, donamus & concedimus licentiam ædificandi ecclesiam, statuendi cimeterium ad opus Fratrum ejusdem Ordinis, & construendi domos, & alia quæ eisdem Fratribus placuerint faciendi in terra, quam ad hæc facienda ipsis contulit PETRUS Bastonus: & hoc quamdiu idem Ordo & Fratres in eodem loco morantes Regulam à beato FRANCISCO Ordini Fratrum Minorum datam, & concessam à domno HONORIO summo Pontifice observabunt: & quamdiu per eosdem Fratres jura ecclesiæ castri Sallonis non fuerint diminuta. Si verò aliquo casu contingeret prædictam Regulam relaxari, sive in calceamentis sine causa necessaria deferendis, sive in possessionibus & proprietatibus obtinendis, sive in aliis quæ dictis Fratribus per dictam Regulam sunt interdicta; vel si contingeret ipsos Fratres ad aliquod jus ecclesiæ se extendere sine Prioris licentia speciali: prædictam concessionem nostram vel licentiam volumus esse irritam & inanem, nec habere aliquam firmitatem. Et quoniam sigillum proprium non habemus, cùm nondum pallium fuerimus assecuti, huic instrumento bullam Arelatensis Capituli præcipimus apponendam. Actum hoc in castro Sallonis, in camera aulæ veteris domini Archiepiscopi, præsentibus testibus ad hoc vocatis. RAIMUNDO *de Barjol* Priore Sallonis, PETRO Nicolao Canonico Arelatensi, Magistro FULCONE Medico, AURELIO filio Raimundi Bastonis, & GUILLELMO Gaufrido Rabolli.





Ex mſ. Gellonenſi eruta ab eodem.

BENEDICTIO LUDOVICI,

FILII LUDOVICI DUCIS ANDEGAVENSIS, POST EJUS BAPTISMUM FACTA A DOMNO JOHANNE ALEXANDRINO PATRIARCHA

Anno Domini M CCC LXXVII.

BEnedictio & imprecatio pueri Principis vel alterius potentis noviter nati, baptiſmi regeneratione ſuſcepta, edita per Reverendum Patrem domnum JOHANNEM Dei gratia Alexandrinum Patriarcham, in nativitate & baptiſmi regeneratione per eumdem Patriarcham infra ſcripto puero collata, ſcilicet in nativitate illuſtris Principis* domni LUDOVICI, domni JOHANNIS quondam Francorum Regis filii, germanique domni CAROLI Francorum Regis illuſtriſſimi, Ducis Andegavenſis & Turonenſis, & Comitis Cenomanneniſ. qui præfatus puer natus fuit Tholoſæ ex illuſtri domina MARIA, filia ſanctiſſimi Principis domni CAROLI, quondam Ducis Britanniæ, die ſeptima menſis Octobris, anno Domini MCCCLXXVII, regnante domno Carolo Rege ſupradicto: quo anno & tempore intra tres menſes præfatus dominus Dux Andegavenſis domini Regis fratris ſui in tota Lingua Occitana locum tenens, cepit & recuperavit locum de Bragayaco, & fere trecenta loca alia de manibus Anglicorum, & Seneſcallum de Guiayna pro Rege Angliæ, cum multis Baronibus & potentibus & nobilibus Anglicis devicit & captivavit, & multos alios nobiles dictarum partium Anglicos ad obedientiam & ſubjectionem Coronæ Franciæ virtute reduxit.

* *l.* Ludovici, filii domni Ludovici.

Incipit Benedictio.

BEnedic Domine hunc puerum, & ejus ortos primordia tua dilectione præveni, ſicut Jacob nondum ad lucem nativitatis perductum tua ſolum gratia, abſque ullis meritis dicaſti: vivatque puer iſte diutiùs Domine, in conſpectu tuo glorioſus, tui ſancti Angeli cuſtodia à cunctis malignis hoſtibus & felicis vitæ contrariis communitus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum & cunctis calamitatibus liberaſti, & Iſmaelem infantulum in deſerto à morte præſervaſti. Ex illius ſemine, & progenie naſcantur quæſumus Domine, Reges & Principes, ſicut ex Eſau ſenore naſcituros Reges & Principes decreviſti. In ipſo Domine Deus laudetur & benedicatur nomen ſanctum tuum, qui in Abrahæ ſemine cunctas gentes benedici voluiſti. Pueri hujus diutius exſpectata & à parentibus ſuis à te poſtulata & obtenta nativitas efficiatur te Domine largiente, toti mundo & regno Francorum inſignis & utilis, qui retardatos partus mirabiliores efficis, & in illorum manu populum tuum protegere & magnificare conſueviſti. Admitte hujus infantuli in te primordia ad tui ſancti ſervitii cultum & gloriam, qui puerum Samuëlem, in mundum naſci retardatum, & à Deo vivo & vero matris deſiderio poſtulatum, ad templi tui decorem & gloriam dedicaſti, & per illum populum tuum Iſraël in pace & hoſtium tranquillitate gubernaſti. Accepta, quæſumus omnipotens Deus, ſint hujus infantuli in tuo amore primordia, qui Salomonem natum ſingulari dono adamaſti, & illum amabilem Domino vocari voluiſti, quatenus eccleſiam tuam ſanctam hic puer in virtute amplificet, & cunctos qui ante illum fuerunt, donis ſpiritualibus, virtutumque titulis, ſapientia & prudentia, divitiis, honore & potentia, ut alter Salomon, præcellat, & præveniat: tertiam & quartam generationem, ſicut Tobiæ juniori conceſſiſti, Domine Deus videat, & ad tui nominis & Chriſtianitatis exaltationem & gloriam, ad optatam feliciter perveniat ſenectutem. Suſcita quæſumus in illo Spiritum-ſanctum tuum, ſicut in Daniele ſuſcitaſti ſpiritum pueri junioris: quatenus puer iſte notitiam judiciorum tuorum in ſe habens, quæ in conſpectu tuæ majeſtatis grata fuerint, adimpleat; quæcumque tuo adverſantia nomini, ac ſaluti ejus contraria reſpuendo, ex præteritis ſumens cautelam, in præſentibus ordinem, & in futuris prudentiam te Domine largiente obſervet. Sit Domine quæſumus infantulus iſte lumen conſolationis ſuis parentibus, & baculum ſenectutis eorum: ſit victurorum gaudium & exſultatio. Ex illius ortu orbis in Domino lætetur univerſus, & velut præcurſor Johannes ſit coram te & mundo plenus gratia, virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſchola principum; militantium diſciplina, pudicitiæ titulus & totius Chriſtianitatis exemplum. Sit Domine puer iſte velut Joſeph in domus tuis accreſcens, & ut Jacob ſerviant illi populi, adorent illum tribus; ſit dominans fratribus ſuis, & incurventur ante illum filii matris ſuæ. Benedicat illum Deus in rore cæli & in pinguedine terræ, tribuat illi Deus cunctorum bonorum abundantiam: & qui illi benedixerit, ſit ille à Domino benedictus; & qui illi maledixerit, maledictionibus repleatur. Sit in proſperis tibi Domine gratias referens, in adverſis patientiam velut Job ſanctus obſervans, ut pro te Domine intus & extra nitimus, poſt vitæ præſentis longævam & felicem exitum, ad te Deum & creatorem ſuum perveniat æternaliter regnaturus. Amen.



CAROLI VI. FRANCORUM REGIS LITTERÆ,

Quibus Judæi converſi à ſpoliatione bonorum ſuorum vindicantur.

CArolus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus univerſis præſentibus pariterque futuris, quòd cùm quadam conſuetudine ſive uſu, qui in regno noſtro pleriſque aliis mundi climatibus diutius inolevit, ſeu aliter à priſcis dicatur temporibus hactenus obſervatum, quòd dum aliqui ſectæ Judaicæ abinde curant ſecedere, ſpiritu illuminati divino, ac erroris liminibus derelictis, evulſiſque ſquamis perfidæ cæcitatis inhærent Fidei orthodoxæ, ſacrique baptiſmatis recipiunt ſacramentum; bonis quæ præhabebant, nudantur omnino, & ſic ſuis viduati rebus efficiuntur & remanent pauperes & inopes. Unde interdum accidit, quòd tales qui antea locupletes ſe cernunt egenos, & quoſdam ex eis vitam quaſi quærere mendicatum, in priſtina devia relabuntur, ad vomitum damnabiliter remeando, in ſuarum prò dolor

animarum perniciem, opprobriumque scandalum legis nostræ, ac totius populi Christiani. Nos antehabita deliberatione & consilio præmaturo, affectantes jam dictis dispendiis & inconvenientibus posse tenus obviare, ac advertentes quanta sit in excelsis in perditæ ovis recuperatione jucunditas, certisque aliis considerationibus excitati, harum serie litterarum edicimus, ordinamus, constituimus, irrefragabiliter sancimus, quod deinceps, cùm aliquos utriusque sexus Judæos regnum nostrum, tam in Gallica, quàm in Occitana, proximè, longius vel in posterum incolentes, continget sancti Spiritus infusione & gratia illustrari, ac sacri fontis unda renatos, apertis luminibus cordium eorumdem, suum verum cognoscere Creatorem; per hujusmodi operationem tam salubrem & meritoriam adeoque laudandam, quæ singulis sic agentibus debet fore utilis non nociva, nullis suis mundanis rebus aut bonis debeant aliqualiter spoliari; etiam nec quovis modo priventur, quantorumcumque existant pretii & valoris: quin potius easdem res, & bona habere, tenere, & explectare, de ipsisque plene & libere ad suum disponere libitum valeant, sibique sit licitum & permissum, perinde ac si post præmissum actum bona & res acquisivissent prædictas, aut ad eos justis ex titulis pervenissent, prætacta consuetudine sive usu, necnon constitutionibus, ordinationibus & statutis generalibus aut localibus regni nostri jam dicti, ac defensionibus, & mandatis contrariis nullimode obstantibus in hac parte. Die xxv mensis Aprilis anno Domini M CC XCIII J. Villequin.

ADNOTATIO.

HÆ litteræ nobis communicatæ sunt à viro studiosis omnibus suspiciendo Antonio Herovallio, qui alias ejusdem argumenti nobis suppeditavit, ab eodem Rege gallicè scriptas die 12 Martii, anno M CCC LXXXI, regni sui secundo; alias item iisdem die & anno, quibus Judæus quidam, nomine Josephus de Vesou, *cui in baptismate Ludovico de* Harcourt *nomen tributum est, publicatione bonorum affectus, partem regio dono recepit, alia in privatos quosdam homines erogata. Hæc ex thesauro chartarum regiarum.*



R. P. D. JOANNIS MABILLON OPUSCULA.

JUDICIUM DE CHRONICO DATII Archiepiscopi Mediolanensis.

CUM in Dissertatione de Azymo & fermentato inter dubiæ fidei auctores interposuissem auctoritatem Chronici, quod Possevinus, Miræus & Ughellus tribuunt Datio Archiepiscopo Mediolanensi, nec de ejus veritate quidquam certi definire licuisset; data occasione visum est mihi ampliorem ejus rei notitiam Mediolano accersere. Quocirca cum venerabilis & eruditus vir Claudius Castellanus, Parisiensis Ecclesiæ Canonicus, operam hac in re suam mihi liberaliter pollicitus esset, Mediolanum direxi schedulam in hæc verba inquirentem.

I.

An ms. codex in quo Chronicon istud reperitur, sit bonæ notæ, & cujus ætatis.

II.

An idem Chronicon ab initio ad finem usque eadem manu descriptum sit.

III.

Qualis sit Chronici inscriptio: an eadem manu qua contextus Chronici exarata, an recentior.

IV.

Petivi copiam ejusdem inscriptionis & xii priorum, totidemque posteriorum ejusdem Chronici versuum.

V.

Inquisivi an Chronicon istud incipiat ab exordio mundi, an verò à Nativitate Christi, & quo in tempore desinat.

VI.

An in eo fiat mentio famis quæ contigit tempore Silverii Papæ, quæ tanta fuit, ut matres liberos suos comederent. Cujus postremi quæsiti hanc habui rationem, quòd Paulus Diaconus in historia miscella de illa fame agens, testem adducat Datium Episcopum Mediolanensem, uti & vulgatus Anastasius in Silverio.

Ad primum Quæsitum.

Responsum est, hoc Chronicon conscriptum in pergamena esse annorum sexcentorum, ejusque notæ, qualem ætas illa ferebat, Longobardorum dominatui proxima.

Ad secundum.

Non modò non esse eadem manu descriptum, verùm neque ab eodem Auctore. nam primam partem scripsit LANDULFUS senior, secundam ARNULFUS, & tertiam LANDULFUS junior, omnes Mediolanenses Historici. Ex quo liquidò patet, hæc Chronica minimè fuisse scripta à Datio Mediolanensi Archiepiscopo.

Ad tertium.

Titulus Chronicorum est recentior, isque est ejusmodi, CHRONICA DATII ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI NUNCUPATA.

Ad quartum

Ex parte satisfactum est in tertio: nunc describam priores decem versus, & posteriores historiæ.

Priores sunt.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

QUANDOQUIDEM sapientes eximiique viri multa peritia imbuti, acta temporum, mutationes rerum, prœlia Regum, seditiones urbium, commotiones populorum polité ad tutelam juventutis, & custodiam seniorum tractantes, reliquerunt in posteris tutamen & multarum rerum solamen.

Posteriores sunt.

PASSUS est beatus Arialdus quinto Kal. Julii anno Domini MLXVI, de cujus morte doluit Alexander Papa: verùm anno sequenti, scilicet MLXVII, cùm idem Papa iret ad Synodum, quam Mantuæ celebravit, Mediolanum venit, multaque fecit statuta de statu Mediolanensis populi & Cleri, beatum Arialdum Sanctorum Martyrum catalogo annotavit.

Ad quintum.

Dicimus istud Chronicon non incipere ad exordio mundi, sed referre initia ordinum Ecclesiæ Mediolanensis; narrare ea quæ in Ecclesia Mediolanensi contigerunt tempore Alexandri Papæ secundi, & claudere historiam anno MLXVII.

Ad sextum.

Nullam hîc fieri mentionem illius famis. Cum enim in hoc Chronico narrentur ea quæ contigerunt octavo & undecimo sæculo, non potest ulla fieri men-

tio famis, quæ acciderit tempore sancti Silvesii Papæ, cùm ille vixerit sexto sæculo.

Sic subsignatum cum sigillo.

Ita est. Antonius Maria Pustula, Canonicus Ordinarius Præbendæ Doctoralis Metropolitanæ Mediolani, & Bibliothecarius ejusdem reverendissimi Capituli Metropolitani.

D I S Q U I S I T I O

De venerabilis BEDÆ & FLORI Diaconi Lugdunensis Commentariis in Paulum ex dictis S. Augustini.

TRES invenio antiquos Auctores, qui commentarios in epistolas Pauli Apostoli ex meris sancti Augustini centonibus contexuerunt. *Primus est* PETRUS *Abbas Tripolitanæ provinciæ, qui sancti Pauli epistolas ex capitulis opusculorum beati Augustini subnotasse narratur, ut per os alienum sui cordis declaret arcanum*, inquit Cassiodorus in lib. [illegible] lectionibus cap. 8. Alter est venerabilis BEDA, cujus hæc verba sunt in fine Epitomes historiæ: *In Apostolo quæcumque in opusculis sancti Augustini inveni dicta, per ordinem transcribere curavi.* Tertius est FLORUS Diaconus, seu (ut Wandalberto Monacho Prumiensi ejus æquali visum est) Subdiaconus Ecclesiæ Lugdunensis, viro suo tempore doctrina & eruditione clarus.

Ex his tribus Commentariis unicum habemus typis editum inter opera venerabilis Bedæ, ipsiusque nomine prænotatum: sed an verè Bedæ tribui debeat, jam dudum magna lis est inter studiosos. Id testatur Robertus de Turinneio Abbas in Monte sancti Michaelis in Prologo, quem præfixit Abbreviationi expositionis epistolarum Apostoli secundum Augustinum quo in Prologo, apud Acherium nostrum in Appendice ad Guibertum edito, censet Robertus, prolixum illum Commentarium (quem ipsum esse qui inter opera Bedæ modò extat, non dubito) potiùs tribuendum esse Petro Abbati Tripolitano, quàm Bedæ, cui alium tribuit breviorem, libris itidem sancti Augustini excerptum, *qui liber totus*, inquit, *non adæquatur magnitudine medietati solius expositionis Epistolæ ad Romanos*, quæ in alio Commentario habetur.

Magno post Robertum intervallo Illustrissimus Cardinalis Baronius ad annum Christi DCCXXXI existimat, Commentaria illa typis edita non esse Bedæ; sed Petri Abbatis: qua in re cum Roberto consentit. Sed in hoc recedit ab eodem, quòd neget ullam hujusmodi commentarionem in Paulum à Beda conditam esse: aitque verba illa Bedæ quæ superiùs retuli, in ipsius Epitomen ex aliorum additamento irrepsisse.

A Baronio dissentit Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, aitque nihil impedire, quo minùs duo auctores, Petrus Abbas, & Beda Presbyter, diversis temporibus & locis in Paulo ex Augustini scriptis explicando desudaverint. Immo certè nihil impedit, quo minùs his duobus tertium adjongamus, Florum Diaconum Lugdunensem, ut postea demonstrabo.

Hæc cùm ita sint, manent tamen distracta eruditorum suffragia circa vulgatum Commentarium, quem Bedæ alii tribuendum censent, alii detrahunt. Et mihi quidem aliquando, cùm ipsius Bedæ elogium texerem in Sæculo tertio Benedictino, visus fuit Bedæ germanus fetus: sed postea deprehenso in mss. Bibliothecis germano Bedæ Commentario, à sententia discedere coactus sum.

I.

Commentarium aliquem in Paulum ex dictis Augustini à Beda consarcinatum fuisse, constans debet esse omnium persuasio, tum quia id diserrè Beda testatur in Epitome sua, probantibus libris tam editis quàm mss. tum quia Hincmarus Remorum Archiepiscopus ac Lupus Ferrariensis Abbas hoc Bedæ Collectaneum laudant. Hincmarus quidem in posteriori opere adversus Gothescalchum cap. 1. *Si quis tamen*, inquit, *eosdem libros non habet, videat in Collectione venerabilis Bedæ Presbyteri de Opusculis sancti Augustini super Apostolum, & ibi discere poterit quod antea ignoravit.* Lupus verò in epistola 76 ad eumdem Hincmarum: *Collectaneum Bedæ in Apostolum ex operibus Augustini veritus sum dirigere, propterea quod tantus est liber, ut nec sinu celari, nec pera posset satis commodè contineri.*

Itaque nemo jam in dubium revocare potest, an Beda Collectaneum ediderit in Apostolum: nec Baronius dubitasset, si ad ea, quæ nos protuli, argumenta animum intendisset. At videndum porro est, qualis sit ille Bedæ Commentarius.

II.

Duos inveni codices membraneos ejusmodi Collectaneum sub Bedæ nomine continentes: unum annorum fere octingentorum, alterum septingentorum. Primus codex hunc præfert titulum: COLLECTANEUM BEDÆ IN APOSTOLUM EX OPERIBUS BEATI AUGUSTINI. Tum Commentarius in hæc verba, *Paulus servus* JESU-CHRISTI *vocatus Apostolus*, &c. incipit in hunc modum: *Ex libro contra quinque hæreses. Ordo iste sequendus est, ut loquens de Evangelio, non sileam de Prophetis*, &c. Hic codex desinit in Epistola ad Thessalonicenses, aliis foliis avulsis.

Alter codex ita inscribitur: INCIPIT LIBER COLLECTIONUM VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI, EX SCRIPTIS BEATI AUGUSTINI EPISCOPI, IN EPISTOLAS BEATI PAULI APOSTOLI ELABORATUS. Idem habet exordium ac primus, sic verò desinit: *Explicit Collectio Bedæ Presbyteri ex opusculis beati Augustini in epistolas Pauli Apostoli.*

Genuini hujus Bedæ Commentarii necdum typis editi copiam habemus, quem Deo dante aliquando cum aliis ejusmodi monumentis in lucem proferemus.

III.

Nunc videndum est, cui Auctori tribuendum sit Collectaneum, sub Bedæ nomine hactenus vulgatum. Nempe Floro Diacono Ecclesiæ Lugdunensis, ut fidem faciunt multi codices mss. quorum nonnulli in manus meas pervenerunt.

In primis id probant duo volumina membranea Bibliothecæ Corbeiensis, in quorum priori statim ab

initio

initio hæc leguntur : *Continentur in hoc volumine expositiones epistolarum beati Pauli Apostoli ex libris sancti Augustini doctoris eximii, à quodam* FLORO *collectæ*. Tum in fine cujuslibet epistolæ, nomen Flori auctoris repetitur, & initio sequentis. Ad calcem porro posterioris voluminis hæc subscriptio legitur : *Compositus*, id est scriptus, *est liber iste à Richero Suppriore. & Johanne suo scriptore & monacho, anno quo restituta est ecclesia sancti Johannis Corbeiæ, & Turonis est secunda sedes Romana urbis, anno* M C LXIIII, *Ludovico Rege Francorum, Theodorico Episcopo Ambianensi, Johanne Abbate Corbeiensi*. Insignem hunc locum jam advertit illustrissimus eruditissimus vir Stephanus Baluzius in notatione ad Lupi epistolam 76. ubi observat, scriptorem istum hoc loco respicere ad Synodum in urbe Turonica ab Alexandro III tunc temporis celebratam : quam urbem scriptor, eo quod cum ibi sederet Alexander, vocat secundam sedem Romanæ urbis. Appone quidem ad hunc locum Baluzius. Non prætermittam tamen quod legisse me memini in Treviрensium Browеri Annalium lib. 14. ubi refertur Ivonis Cardinalis & Legati apud Treviros sepulti epitaphium, cujus ultimum distichon sic habet :

Sole duo'erat Julii vertente Kalendas,
Roma secunda mihi dedit exsequias venerandas.

ubi vides Trevirorum civitatem appellari *Romam secundam*, forsan ob copiam sacrarum reliquiarum, quibus abundat urbs illa ; vel ob frequentiam hominum eò voti causa confluentium. Ob eam siquidem causam etiam hoc nomine affectam lego Corbeiam nostram à Gerardo in libro de miraculis sancti Adalhardi, cap. 4. ubi relatis Adelhardi miraculis hæc subdit : *Exinde hujuscemodi fama ita longe lateque cœpit vulgari, ut Corbeia meritò diceretur* ALTERA ROMA *appellari*.

Verùm ut ad propositum revertar, non solùm Corbeiensis codex, sed & alii plures prædictum Commentarium Floro Diacono tribuunt : quos inter numerandus est ille qui usui fuit Trithemio. quem codicem forsan quia reperit in Monasterio sancti Trudonis, Florum illum Diaconum, cujus nomen præferebat codex, Monachum Trudonianum fuisse Trithemius existimavit. His codicibus adjungo Aquicinctensem, in quo prima pars expositionis Epistolarum B. Pauli ex libris S. Augustini à *quodam Floro collecta dicitur*, ea nimirum quæ legitur apud Bedam.

Præterea prolixius illud Collectaneum Floro tribuitur in vetérrima Canonum collectione, quæ sub finem sæculi noni, id est ipso Flori sæculo, scripta videtur, adservata in Autissiodorensi Monasterio sancti Mariani. Nam in illa collectione hæc referuntur : EX LIBRO SANCTI AUGUSTINI A DOMNO FLORO COLLECTA : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Quod Prophetæ praviderunt & prædixerunt, hoc Apostoli viderunt & prædicaverunt. Quid erat, factus est. Quid erat ? Quid factus ? Verbum erat, caro factus est*, &c. Quæ quidem leguntur in vulgato Bedæ Commentario in epistolam ad Romanos. Item in prædicti apographi pag. 17 adducitur DICTUM DOMNI FLORI in hæc verba : *Anathema est maledictio, devotatio ; item condemnatus, detestabilis, abominabilis, alienatus*, &c. Item aliud, *Si quis non amat Dominum* JESUM-CHRISTUM, *sit anathema maranatha. Simul Syro & Græco utitur verbo. Si quis non amat*, &c. *Anathema Græco sermone dixit condemnatur ; maranatha definivit, donec Dominus redeat*. Quæ duo loca reperiuntur in vulgato Collectaneo apud Bedam, primum quidem initio Cõmentarii epistolæ ad Galatas, alterum vero in fine epistolæ primæ ad Corinthios. Denique Sigebertus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis

cap. 92, meminit Comment. viri à Floro consarcinati in Pauli epistolas ex libris sancti Augustini.

Ex his manifestè, ni fallor, conficitur, istum Commentarium non esse Bedæ, sed Flori Diaconi Lugdunensis. Non negaverim tamen, cum in nonnullis codicibus mss. Bedæ tribui : sed fere semper addito nomine Flori ; quasi Florus non esset nomen proprium, sed commune, florilegium significans. Audi Robertum de Torinneio in Prologo superius citato, de isto Commentario agentem. *Hoc opus à quibusdam vocatur Florus, quia ex diversis opusculis beati Augustini excerptus, & quasi defloratus est ; à quo autem illud opus collectum & ordinatum sit, plurimi dubitant. Quidam autem hunc Bedæ Presbytero adscribunt, & hoc ideo quia in fine historiæ Anglorum enumerans opuscula sua, inter alia hoc ad verbum posuit :* « *In Apostolum quæcumque in Operibus sancti Augustini inveni dicta, per ordinem transcribere curavi.* » *Unde & quidam prædicta verba, & alia nonnulla in eadem historia sibi connexa assumentes, loco Prologi prædictæ collectioni sententiarum sancti Augustini posuere, ex eo volentes probare Bedam Auctorem hujus operis.* Certè quod dicit Robertus, ita esse deprehendi in ms. Collectaneo Claromariscensi duobus voluminibus contento, in cujus priori apponitur hæc inscriptio : *In hoc volumine continetur expositio epistolarum beati Pauli Apostoli à venerabili Beda Presbytero, ut gesta Anglorum testantur, collecta ex libris sancti Augustini Episcopi, Doctoris eximii & fidelissimi, sicut in singulis locis adscripti sunt*, &c. Et in fine secundi voluminis hæc subjiciuntur : *Explicit epistola ad Hebræos, & tertia pars Flori collecti à venerabili Beda Presbytero ex dictis sancti Augustini.* Ubi vides Bedæ nomen huic Collectaneo apponi cum nomine Flori, quod pro florilegio usurpatur. Ex quo intelligitur, eam Collectionem antiquitus Floro adscriptam fuisse.

His unum objici potest, nempe Florum aliam composuisse Collectionem in Paulum ex Patribus : nec veri esse simile, aliam ex scriptis sancti Augustini ab ipso conditam fuisse. Immo verò id maxime facit pro sententia nostra. Quandoquidem Florus posteriorem hanc Collectionem ex duodecim Patrum Opusculis eruit prætermisso Augustino, quem sané non prætermisisset, nisi aliam separatim prius edidisset. Posteriorem hanc Collectionem ex codice ms. majoris Cartusiæ descriptam Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis JESU Presbyter eruditus, Acherio nostro transmisit ac dono dedit, observatque statim in limine Collectionem istam delibatam esse, non tantùm ex decem, ut Sirmondus scripsit in notis ad Avitum, sed ex duodecim Patribus, nimirum ex Cypriano Carthaginensi, ex Hilario Pictavensi, ex Ambrosio Mediolanensi, ex Paciano Barcinonensi, ex Theophilo Alexandrino, ex Gregorio Nazianzeno Episcopis, ex Ephrem Diacono, ex Leone Papa, ex Cyrillo Alexandrino, variisque Romanorum Pontificum & Conciliorum Canonibus ac decretis, ex Fulgentio Ruspensi, ex Paulino Nolensi, ac demum ex Avito Viennensi Episcopis. In duodecim libros pro totidem Patribus partitus est Florus Collectionem suam uno volumine contentam : tertium decimum ex Augustino contexuit, quem uno volumine, quia majoris erat molis, separatim incluit.

IV.

Hæc de Bedæ ac Flori Commentariis in Paulum fusius dicenda fuere, ut nemo in posterum quis cujus sit ambigat. De Petri Abbatis Tripolitani Commentario dicere supersedeo, de quo nihil mihi observare licuit. Et fortasse quidem excidit, aut in partes nostras non pervenit.

DE CONFESSIONE FIDEI SUB ALCUINI NOMINE ANNO MDCLVI. EDITA,

id est

De ejus antiquitate & Auctore,

DISQUISITIO.

ANNO MDCLVI. Petrus Franciscus Chiffletius Societatis Jesu, vir doctus, Divione typis mandavit Scriptorum veterum de Fide catholica opuscula quinque, in quibus primum locum tenet ALCUINI CONFESSIO FIDEI SUÆ. In hoc opere Auctor scriptis tradit, quid sentiat de Deo uno & trino, de Incarnatione, ac de Sacramentis, deque aliis Religionis nostræ principiis; & maximè quidem de Eucharistia, ubi Fidem Ecclesiæ catholicæ clarissimè explicat.

Ex hoc opere fragmentum de Eucharistia excerpsit qui Officium sanctissimi Sacramenti adornavit anno MDCLIX, idque Alcuini nomine prætitulavit: sed tamen in Notis suis varias protulit conjecturas, quibus sincerè confitetur moveri se, ut ne opus illud Alcuino constanter adscribat.

Hanc dubitationem pro vera atque indubitata sententia exceperunt Calvinistæ: quos inter Johannes Dallæus Dissertatione singulari probare conatus est, hanc Confessionem non esse Alcuini, sed alterius Auctoris sancto Anselmo posterioris, quæ Dissertatio posthuma hoc ipso anno Rotomagi prodiit in lucem.

Lectis argumentis quæ cùm in Notationibus prædictis, tum in Dallæi Dissertatione ea de re proferuntur; visum est mihi ea omnia facili negotio dilui ac revinci posse, nimirum solâ inspectione veteris codicis, quo Chiffletio usui fuit: siquidem eum Alcuini ætate (ut ipse Chiffletius censet) manu exaratum, adeoque ipsius Alcuini nomine primitus insignitum fuisse constet. Quapropter quia Confessio ista magni momenti est ad illustrandas Eucharistiæ controversias, dedi operam, ut prædictum codicem nancisci & inspicere mihi liceret: tandemque diligentia R. P. Domni Claudii *Bretagne*, in Divionensi sancti Benigni Cœnobio Prioris, repertus est in insigni Bibliotheca Illustrissimi Boerii, in supremo Senatu Divionensi Præsidis, qui præclarum hoc antiquitatis κειμήλιον nobis liberaliter commodavit.

Accepto hoc exemplari, ac diligenter inspecto, quatuor adverti mihi penitus conspicua atque probata. Primum est, titulum seu inscriptionem operis, tum in primo folio vacuo, tum in fronte libri, sic se habere: ALBINI CONFESSIO FIDEI. Alterum, hunc titulum recentiori manu & atramento suppositum fuisse in locum alterius, qui minio descriptus erat, uti vestigia relicta testantur. Tertium, hujus codicis scripturam accedere ad ævum Caroli Magni, neque sæculo nono posteriorem videri; eamque per totum opus æqualem esse, præter duodecim extremos versus, qui dilutiori atramento exarati sunt. Quartum, Chiffletii editionem optimè cum exemplari convenire, si minuta quædam errata excipias, quæ in typographica opera cadere necesse est. Hîc satis mihi fuerit agere de titulo, ac de antiquitate operis, quæ duo potissimùm in controversiam veniunt. Antiquitatem primùm expedio, de Auctoris nomine posteriori loco dicturus.

I.

Eam probat in primis characterum elegantia, qualis Caroli Magni ævo recepta erat: tum scripturæ forma scribendique modus, quod utrumque sæculum nonum sapit. Hoc argumentum tametsi unum sufficiat ad demonstrandam istius operis antiquitatem; id tamen habet incommodi, quòd eo non æquè moveantur omnes. Cùm enim non ex communi sensu aut ex ratione, sed ex oculorum judicio & librorum antiquorum usu atque scientia pendeat; fit ut ei fidem ægre accommodent, sive rei antiquariæ periti, si codicem non viderint; sive qui in ejusmodi rebus versati non sunt, etiamsi viderint. Cui duplici incommodo ut occurram, unis codicem Boërianum, qui modò penes nos est, intuendum & examinandum offero: alteris exhibeo peritorum virorum testimonium, qui de ipsius codicis antiquitate suffragium tulere: quatenus illi credant oculis suis; hi gravissimorum virorum auctoritati acquiescant. Nam unicuique in sua arte credendum esse facilè concedent æqui rerum æstimatores, quibus solis hæc scribo. Utrisque verò insuper hîc appono quasdam conjecturas probabilesque rationes, quibus ejusdem operis antiquitas magis illustrari possit.

Nimirum istius Opusculi scriptor vivebat longè ante Scholasticorum ætatem, ut probant quædam istius sententiæ non satis pro Scholasticorum captu accuratæ. qualis est in partis primæ cap. a in hæc verba: *Rogo Patrem per Filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum-sanctum per Patrem & Filium*, quod nemo Scholasticorum ætate dixisset. Tum quòd ὁμοούσιον vertit *coessentialis*. Scholastici dixissent *consubstantialis*.

Deinde si vixisset auctor post exortam Berengarii hæresim, cavisset procul dubio ab his erroribus, quos Berengariani propugnabant: ex quibus nonnulli asserebant, panis & vini partem in carnem & sanguinem Domini transmutari propter dignos; partem verò propter indignos immutabilem teneri, testantibus Guitmundo in lib. 3 de Eucharistiæ sacramento, & Algero in lib. s cap. ar. Cùm ergo Confessionis auctor (quod etiam Calvinistæ confitentur) eam professus sit de Eucharistia Fidem, quam hodie nos Catholici sequimur; multum abhorruisset ab ea doctrina, quæ in Berengarianis nonnullis damnata est: ac proinde temperasset hæc verba, quæ habentur in Confessionis parte 4 cap. 7. *Tanta est virtus hujus sacrificii, ut solis justis,* [non] *peccatoribus, corpus sit & sanguis Christi.* Quæ verba argumento sunt, Auctorem ante hos Berengarii errores flo-

fuisse, tametsi alio in loco mentem suam rectè explicat.

Ad hæc, Johannes Abbas in libello precum, quem in gratiam Agnetis Augustæ vivente Berengario condidit, & ex Patrum sententiis defloravit; quamplura multorum versuum fragmenta refert ex Chiffletiana Confessione. Unum superiùs protuli ex eo libello, quod fragmentum Johannes ex fine primæ & initio secundæ partis Confessionis istius defloravit, ut in consequentibus ampliùs declarabo. Atqui non Confessionis Auctor ex Johanne, sed Johannes ex Confessione hæc mutuatus est: tum quia Johannes omnes libelli sui sententias derivat ex Patribus, sicut ipse profitetur: tum quia Boerianus codex superat Johannis ætatem, & quidem annis bene ducentis.

Denique antiquitatem prædictæ Confessionis adstruunt sententiæ seu dogmata quædam, quæ nonnisi sæculo IX ventilata sunt. Nimirum Auctor censet in parte 3 cap. 18, Catechumenos, si ante baptismum decesserint, non pervenire ad vitam æternam. Confessionis Chiffletianæ hæc verba sunt: *Nullum quidem Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere dicimus, excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur. Sanguine enim, vel igne, vel pœnis aliis baptizantur Confessores.* Eamdem verò sententiam iisdem omnino verbis asserit HRabanus in lib. 4 de Universo cap. 10, quam ex Alcuino præceptore suo accepisse non immeritò videri possit.

Item ad ævum Caroli Magni pertinet controversia de duplici prædestinatione, una ad gloriam, altera ad pœnam: quo ex dogmate adversarii consequi affirmabant, ut homines ad malum seu peccatum à Deo prædestinarentur. Nascentem hujus erroris opinionem designare videtur Chiffletiana Confessio in loco mox citato his verbis: *Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credo; sed etiam, si sunt qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione anathema illis dico.* Hujus controversiæ fomitem primus excitavit Migentius quidam in Hispania, tum Egila ipsius discipulus, regnante Carolo Magno, Alcuino vivente. Testis Hadrianus Papa in duabus epistolis, una *Egilæ Episcopo, seu Johanni Presbytero*; altera *omnibus Orthodoxis Episcopis per Spaniam commorantibus* directa. In quarum priori hæc leguntur: *Illud autem quod alii ex ipsis dicunt, quòd prædestinatio ad vitam, sive ad mortem in Dei sit potestate. Alii aterum dicunt: Ut quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? quasi libertate arbitrii?* Eadem verba leguntur in posteriori epistola, sed cum additamento in hunc modum: *Illud quod alii ex ipsis dicunt, quòd prædestinatio ad vitam sive ad mortem in Dei sit potestate, & non in nostra. Isti dicunt: Ut quid conamur vivere, quod in Dei sit potestate? Alii iterum dicunt: Ut quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate, quasi libertate arbitrii?* Hinc patet apud Hispanos tum fuisse duas factionum partes, aliis statuentibus duplicem prædestinationem, negantibus aliis: aliis item bonos & malos mores in humana libertate citra auxilium Dei reponentibus: aliis non in nostra, sed in Dei prædestinantis potestate, sive ita sentirent nonnulli, sive ita sentire crederentur. Certè Hadriano Papæ hoc persuasum fuisse, scilicet esse nonnullos qui dicerent, homines à Deo prædestinari in malum; non solùm ex superioribus verbis conficitur, sed etiam ex antidoto quod opposuit Hadrianus adducta S. Fulgentii auctoritate in hæc verba: *Adverse quibus impietatis se arcibus ligant. Si ad bonum prædestinatus sum contra malum resistere necesse mihi non erit: si vero ad malum natus, bonum mihi exercere nihil proderit.* Eadem fere controversia quinquaginta post annis recruduit occasione Gothescalci: sed ab eo tempore penitus extincta est. Ergo Confessionis Chiffletianæ scriptor vivebat tempore vel Hadriani Papæ, vel certè Gothescalci, sanè potiùs tempore Hadriani: cum Boërianus codex, qui autographus non est, ad Caroli Magni tempus proxime accedat.

Anale 1.

Quæ hactenus dixi, manifestè, ni fallor, istius operis antiquitatem demonstrant: nunc jam de titulo agendum est.

II.

Nomen auctoris vetus codex Boërianus præfert in hunc modum: ALBINI CONFESSIO FIDEI. Qui titulus, tum initio codicis in folio vacuo, tum in fronte operis præfixus est. Posteriorem tantùm expendo, eo quòd priùs altero scriptus videatur: alter verò ad posterioris imitationem & fidem efformatus. Hic ergo titulus in fronte operis recentiori manu & atramentu, ut jam dixi, substitutus est in locum alterius, qui minio scriptus erat. At quis ejus rei auctor, quove tempore id factum sit, non facile est divinare.

Hac de re litteris pulsatus à me Chiffletius, qui in editionem suam hoc exemplari usus est, respondit se ante annos quinquaginta inventum codicem à Lugdunensi Bibliopola comparasse, ac bona fide & titulum & contextum operis, prout in eo codice habebantur, in editos libros retulisse. Sanè omnem doli mali aut fraudis suspicionem à religioso viro, optimè de republica literaria merito, amoliri par est. Nam quod pro *Albini* substituit *Alcuini*, nihil interest ad personam, quæ binominis fuit. siquidem patrio nomine *Alchwinus*, Latino & adscititio *Albinus Flaccus* dictus est. Immo verò hoc facit ad removendam suspicionem. Si enim Editor titulum supposuisset, eamdem utrubique supposuisset inscriptionem. Fuerit ergo aliquis alius, qui incerto tempore recentiorem titulum veteri libro præfixit quod non mala fide, sed ex æquo bonoque factum existimare licet. Nam cur in hac re mentitus sit quisquam, nulla causa fingi potest. Ergo id fecisse videtur, quicumque est ille, ad fidem alicujus veteris codicis, aut forte ipsiusmet exemplaris, cujus fugientes litteras novo atramento refecerit. At sive hoc, sive alio modo id commissum sit, (quod certè commissum nollem) multa sunt in ea Confessione, quæ ad opus istud Alcuino tribuendum inducant. Supponamus enim nullum operi præfixum titulum. sanè probata ejus antiquitate, nullum Caroli Magni tempore auctorem invenio, quàm Alcuinum, cui hæc Confessio meritò adscribi possit. In eum siquidem apprime conveniunt indicia omnia, quæ de auctore in ipsa Confessione leguntur.

In primis Auctor Deum precatur, ut *accessariis famulantium obsequiis, & impensâ à Fratribus reverentiâ* numquam extollatur. Quod quidem apprime competit Alcuino, cui Elipandus Toletanus Episcopus exprobravit, quòd *viginti millia servorum* haberet: nec Alcuinus ipse inficietur in responsione ad Elipandum.

Deinde pag. 130 ingemiscit, quòd amiserit *locum dilectæ solitudinis, amicum mœroris, quietis & pœnitudinis*, quem ab ineunte ætate semper dilexerat. *Idcirco*, inquit, *in angustia & mœrore multo posita est anima mea, tuum super se ignorans judicium: quia secretum solita quæris & opportuna ad te vacationis, quod semel incautus amisi, denuo invenire non potui. Hoc autem opto adhuc, suspiro & quæro; sed præpedientibus peccatis meis, reperire non valeo.*

Eamdem animi sui agitationem exprimit Alcuinus

pluribus in locis, maxime verò in epistola 23, in qua hæc verba: *Fert ante hoc quinquennium occupationes. Deum testor, non ficto corde declinare cogitavi, sed vestra pia providentia consilio translatus sum in servitium sancti Martini, Fidei Catholicæ & ecclesiasticæ sanctioni, donante Deo, proficuum. Nam recessit tamen de corde meo prioris voluntatis affectus, sicut transacto anno vestræ pietati jam prædixi.* Hæc ad Carolum: cui aliam scripsit epistolam, nimirum 17, de eodem argumento. Voti compos factus, alias misit litteras ad Fratres in Gothiæ partibus Deo servientes: *Ego verò*, ait, *seculi tempestatibus turbatus, casso multis in locis labore desudavi: sed modò quasi naufragus Deo miserante ad portum dejectus [sum] quietis.*

Postremò easdem passim sententias eademque verba reperias in hac Confessione, quæ in genuino ipsius Alcuini libro de Fide sanctæ Trinitatis. Confessionem controversam orditur Auctor ab his verbis: *Adesto mihi verum lumen, Deus Pater omnipotens, adesto mihi verum lumen de lumine*, &c. Eadem omnino verba habet Alcuinus in invocatione ad sanctissimam Trinitatem in operum suorum columna 756. Mitto alia ejusmodi quamplura.

His adde antiquitatem operis superiùs assertam: quod cùm Caroli magni tempore conditum sit, nulli potius, quàm Alcuino, ut jam dixi, assignari potest. Id verò ampliùs elucescet ex solutione argumentorum, quæ tum adversus operis antiquitatem, tum adversus Alcuinum adducuntur.

III.

Primum argumentum in Notis ad officium sanctissimi Sacramenti num. 70 proponitur in hunc fere modum. Hæc Confessio maxima ex parte desumta est ex Pelagii Confessione Fidei, & ex libro Gennadii de Dogmatibus ecclesiasticis, tametsi loca illa quæ Pelagianam aut Semipelagianam doctrinam sapiunt, correcta deprehenduntur. Deinde priores duæ partes præclaræ sunt & piæ: at tertia pars non cohæret cum duabus prioribus, ex quibus multa repetit ad verbum, quod in uno eodemque opere nullus auctor fecerit. Huc fere conjecturæ illius Anonymi rediguntur, qui nihilo minùs fatetur stilum illius Confessionis accedere ad stilum Alcuini, atque ejus conditorem vixisse ante Scholasticorum ætatem, ac proinde nihil certi ex his conjecturis confici posse.

Etsi hæc Anonymi confessio fere sufficiat ad solvendas conjecturas quas adducit; nonnulla tamen reponere juvat ad ampliorem veritatis confirmationem.

Primò nullus moveri debet, quòd Confessionis auctor usus sit Confessione Pelagii. Siquidem tempore Alcuini pro vero sancti Hieronymi fetu agnoscebatur. Id patet tum ex libri 3 Carolini cap. 1, ubi hæc Confessio sub nomine Hieronymi adducitur; tum ex ms. codice Cæsareæ Bibliothecæ, qui codex Psalmos & Cantica variasque Confessiones complectens, jussu Caroli Magni à Dagulfo Notario scriptus, atque Hadriano Papæ oblatus est, testante Lambecio in Cæsareæ Bibliothecæ tomo 2, continetque inter alia ipsissimam Pelagii Confessionem cum hoc titulo: CONFESSIO FIDEI CATHOLICÆ SANCTI HIERONYMI. tum subsequitur Confessio in hæc verba: *Credimus in Deum Patrem omnipotentem cunctorum visibilium & invisibilium conditorem*, &c. quæ ipsissima est Pelagii Confessio. Nemini itaque mirum esse debet, si Pelagii Confessionem transcripserit in suam Alcuinus qui eam reputabat esse Hieronymi, quem in suis scriptis passim transcribere solet.

Neque mirum, quod etiam usus est testimonio libri de Dogmatibus ecclesiasticis, quem Gennadii Massiliensis, hominis Semipelagiani, fetum esse nunc constat apud eruditos. tum quia liber ille olim sancto Augustino suppositus est, relatusque à posteris in ejus operum appendicem: tum quia ante annos octingentos cum honorifica auctoris præfatione laudatus est etiam ab his, qui ejus parentem Gennadium agnoscebant. Hujus rei luculentus testis est Hadrianus Papa primus, Alcuini æqualis, in epistola ad Carolum Magnum de cultu sanctarum Imaginum: cui probando inter alias Patrum auctoritates etiam Gennadii sententiam adducit his verbis: *In sacris prædictis Conciliis prædecessorum meorum sanctissimorum Pontificum hæc oblata sunt testimonia, id est sancti Gennadii Massiliensis Episcopi, qualiter veneranda sint corpora vel reliquiæ Sanctorum capitulo 40. Sacrorum corpora, & præcipue beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissime honoranda*, &c. quæ Gennadii verba habentur in ejus vulgato libro de Dogmatibus ecclesiasticis cap. 73. Ubi vides, non tantùm Gennadium, sed etiam ejus librum de Dogmatibus ecclesiasticis ab Hadriano laudatum: nec proinde mirum esse, quod ab Alcuino in Confessione sua & liber & auctor itidem laudetur; neque inde sumi posse argumentum, ut hæc Confessio detrahatur Alcuino, immo potiùs ut ipsi asseratur. Nam post controversias Gothescalci occasione exortas jam tum demum suspectus, ac Semipelagianorum errore infectus, probatus est iste Gennadii libellus, ut patet ex Flori & Ecclesiæ Lugdunensis scriptis in causa Prædestinationis. Cùm ergo tam Gennadii libellum, quàm Gennadium ipsum magni faciat Confessionis Chiffletianæ scriptor; inde consequens est, ut is ante Gothescalci controversias vixerit.

Neque obstat quòd tertia pars istius Confessionis, cum duabus prioribus non satis cohærere dicatur, & ex illis nonnulla repetat. Nam in codice Boëriano duæ posteriores partes eadem manu, qua priores duæ, descriptæ sunt: & repetitio hæc non nisi recapitulatio præmissorum est.

II. Alterum objectum, quod ex Dallæanis primum est, inde petitur, quòd in Chiffletiana Confessione multa de verbo excerpuntur tum ex tractatu de Speculo, qui inter notha Augustini opera relatus est; tum ex libro Meditationum eidem Augustino perperam adscripto: quod utrumque opus recentiorum esse temporum Dallæus contendit. Et speculi quidem tractatum Meditationibus posteriorem esse; Meditationum verò librum consarcinatum post sanctum Anselmum, ex cujus variis opusculis fere conflatus est.

Concedo hosce duos libros, id est Speculi & Meditationum, sancto Anselmo posteriores esse. At inde antiquitatis prærogativam sibi vindicat Confessio Chiffletiana: cùm codex Boerianus annis minimùm ducentis ante Anselmum exaratus sit, uti superius demonstravi. Et quidem Meditationum librum ex Johannis Abbatis Opusculis fere totum constare paullo antè probatum est. Ad Speculum quod attinet, si quis rem propiùs consideret, ex Chiffletiana Confessione desumtum sine dubio videbitur. Cùm enim hic tractatus Confessionis Christianæ specimen promittat, solamque de Trinitate Fidem complectatur; imperfectum sanè opus est, si à Confessionis secunda parte, quæ de Incarnatione agit, divellatur. Hinc consequens est, ut potiùs Speculum ex Confessione, tamquam imperfectum opus ex perfecto, quàm Confessio ex Speculo, derivatum dicatur. Ad hæc Johannes Abbas libellum precum orditur à duplici fragmento, quorum unum est in

fine partis primæ Confessionis, (itidemque in fine Speculi Augustiniani) alterum initio secundæ, iterumque fusiùs in cap. 30 quartæ partis. Posterius fragmentum decerpsit ex Confessione, ac proinde prius, non ex Speculo. Denique qui de Speculi tractatu supersunt codices mss. recentiores sunt omnes. Nec mirum, cùm post Anselmum seorsim editus sit tractatus ipse, uti etiam Dallæus confitetur. At Confessionis Boerianum exemplar Caroli Magni tempore in membranis descriptum, fontem indicat, ex quo Speculum, tamquam rivus, manavit.

III. Aliud opponit Dallæus, nimirum in vulgatis Alcuini operum indicibus nullam fieri mentionem de Chiffletiana Confessione. Namque quos indices Chiffletius huc adducit, de alia Confessione Alcuini esse interpretandos, quæ ab iisdem verbis incipiat, ac Chiffletiana.

Ita sit verò: sed quis nesciat, quàm manci & mutili sint veterum Scriptorum catalogi, quamvis ab auctoribus æqualibus ordinati. Opera sancti Augustini in numerum retulit Possidius, Anselmi Eadmerus, Bernardi Abbatis Clarævallensis Gaufridus; omnes Auctoribus ætate pares. Et tamen indices isti quàm in multis deficiant, jam dudum eruditis viris persuasum est.

IV. At, inquit Dallæus, scriptor Chiffletianus Alcuinum sæpius expilat, quod non commisisset Alcuinus. Non enim solent Florilegi vel Defloratores ex suis ipsi libris, sed ex alienis, ea decerpere quæ litteris mandant.

Immo verò hoc maximè arguit non alium esse auctorem hunc, quàm Alcuinum; ut qui pressiùs & suis ipsius verbis & sententiis inhæreat. Nam si Dallæi argumentatio valeret, Tertulliano abjudicandus esset liber ad Nationes, qui totus ex ejusdem Apologiæ (si tamen alius) verbis & rationibus constat. Quod etiam de Augustini nonnullis, aliisque aliorum Auctorum operibus dicendum est.

Sed video Dallæum incumbere in nomen Florilegi seu Defloratoris. Verùm nego Confessorem (sic loqui mihi liceat) merum esse Florilegum seu Defloratorem, cùm propria verba propriasque sententias latiùs alienis intermisceat. Opus quidem suum *Defloratiunculam* vocat: at hoc vocabulo præ modestia usus est, rationem habens non tam eorum quos seligit auctorum, quàm argumenti quod delibat. qui sanè loquendi modus hoc in sensu hactenus familiaris est.

V. Quod subdit Dallæus, levioris est momenti, uti ipse fatetur, nimirum quæ habet vulgata Confessio in part. 4 cap. 7 initio de panis & calicis oblatione, desumta esse ex libro de divinis officiis Alcuino perperam adscripto. Cur enim potiùs hæc à prædicto libro decerpsisse dicatur Confessionis scriptor, quàm libri consarcinator ex Confessione, nulla causa probabilis adduci potest.

VI. Præterea prædictam Confessionem vexat Disceptator hoc argumento, quòd apud Chiffletianum Alcuinum occurrant nonnulla, quæ à veri Alcuini sententiis discedant. Quippe ille, ubi de eo cælo philosophatur, quod Moses in principio creatum à Deo fuisse cum terra dicit; duas quidem profert sententias, quas verus Alcuinus itidem adducit: sed eam præfert, quam Alcuinus ipse secundo tantùm loco, uno atque altero verbo indicare satis habuit, alia fusiùs exposita.

Verùm & id argumento est utrumque unum & eumdem esse auctorem, quòd easdem uterque refert sententias. Quòd verò Auctor in Confessione unam alteri præfert, cùm Alcuinus utramque reliquisset in medio; id ipsi contigit, quod aliis auctoribus sæpenumero contingere videmus, cùm aliquod argumentum retractant. Fit enim ut cùm ante accuratum rei propositæ examen in diversas fluctuassent partes; postea re maturiùs expensa, unam præ altera sententiam amplectantur, immo aliquando contrariam. Atqui Alcuinus in Interrogationibus super Genesim leviter tantùm propositas difficultates enodat, & maximè quidem istam, quam Confessionis Auctor accuratiùs perpendit.

VII. Subsequens oppositum continet communem locum à Calvinistis centies recantatum. Fatetur nempe Dallæus vulgatæ Confessionis verba, ubi de Eucharistia tractat, valde ad catholicam Fidem accedere; *immo vix posse* (quæ Dallæi ipsissima verba sunt) *vere quidem ac sincerè aliter nisi ex ea explicari*. Sed hinc validum argumentum sumere sibi videtur, hunc Chiffletianum hominem planè alium esse à vero Alcuino, qui Christi corpus in terris toto hoc quod decurrit sæculo præsens haberi negat. Huc Alcuini verba torquet ex Commentario in Johannem lib. 5 cap. 28 ubi Alcuinus exponens hæc verba, *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*; demonstrat non esse culpandos eos, qui ei inter homines conversanti de facultatibus suis ministrarent: *cùm tam parvo tempore ipse apud Ecclesiam* CORPORALITER *mansurus, pauperes autem quibus eleemosyna fieri posset, in ea semper essent habendi*. Hîc vim facit Dallæus in voce CORPORALITER, quam majoribus litteris exhibet. quasi verò nos jam Catholici omnes idipsum quod profert Alcuinus, palàm non profiteamur, confitentes Christum Dominum, secundùm æternam speciem & conversationem in terra esse desiisse; tametsi verè in Eucharistia sub panis & vini specie residere credamus.

Quod de accidentibus subdit Dallæus, nimirum ex veri Alcuini mente ea necesse esse in qualibet substantia; refellere otiosum est: cùm istic agat Alcuinus de naturali rerum statu, omnia verò in Eucharistia præter naturam sint.

VIII. Ad hæc minutias complures congerit Dallæus. in primis, quòd Confessionis scriptor *Patrem* Ambrosium, *Patrem* Gregorium dicat: quos Alcuinus *sanctos* aut *beatos* more veterum dicit; & alia hujus momenti nonnulla, quibus si immorer, nimius sim.

Miror verò quòd ex tam levi causa vir doctus argumentum desumat. Si enim ex eo quòd Confessionis auctor *Patrem* Ambrosium, *Patrem* Gregorium vocet, alius dicendus est ab Alcuino, qui *beatos* appellat; conficiat etiam necesse est Auctorem à seipso diversum esse, cùm initio partis quartæ *beatum* Gregorium commemoret. Sed hæc jejuna & exilia sunt: at illud, quod longè gravissimum putat Dallæus, videamus.

IX. Quippe objicit nonnulla in prædicta Confessione contineri, quæ ab Alcuini temporibus aliena sunt: quale est illud quod ejus auctor de suo sæculo, velut infelicissimo, flebiliter conqueritur, ac pæne tragicè exclamat: *O infelicia tempora nostra*, inquit, *quæ nec Deum timent, nec vim sacrorum Canonum reverentur! Nullus modò sacrilegus vel criminosus, ne ad sacri Ordinis officium accedat, inhibetur.* Tum mox: *Heu miser ego! qualia tempora mihi contigit videre.* Hæc, inquit Dallæus, à Carolinorum temporum felicitate abhorrent, quibus se natum non dubito, quin Alcuinus sibi gratulatus sit; nedum ut ingratus, tamque optimo Principi se Mecænati suo invidiosas voces chartis suis umquam illeverit.

En gravissimum illud argumentum, cujus pondere pressus Alcuinus, jure suo cadat necesse est, si Dallæo credimus. Verùm hoc levissimum esse quivis facile concedet, qui naturæ humanæ corruptum statum attenderit. Quantumvis enim aurea Caroli Ma-

gni tempora fuerint, quàm multa nihilo-minùs vitia grassata sunt, quæ pio cuique justi doloris materiam præbere possint. Quis enim felicior umquam motum status fuit, quàm in primitiva Ecclesia? Et tamen quanta flagitia in primis illis Christianis carpit Paulus? quanta alii illius ævi auctores? Age verò, videamus an germanus Alcuinus in sinceris scriptis suis Caroli ævum ab omni labe immune fuisse crediderit. Immo verò longè contrarium docet in epistola ut ad ipsum Carolum scripta. *Vidimus*, inquit, *aliquibus in locis altaria Dei absque tecto, avium stercoribus, vel canum mictu fœdata. Quod facilè vestra veneranda in Deum voluntas per Episcopos emendare valet, ut cum honore cum ligno mundas mensa Domini in loco suo, vel portetur in ecclesiam majorem, secundùm sanctam Sacerdotum Dei providentiam. Et honorificè tractetur, seu altare Christi, seu consecratio corporis & sanguinis illius, & præcipuum nostræ salutis sacramentum omni veneratione consecretur, habeatur & custodiatur.* Quid censes, Dallæe? negabisne hæc à vero Alcuino dicta? Non ita comparatus es ut id committas. An hæc leviora putas? neque id tibi veniet in mentem. Tametsi enim de Eucharistia non catholicè sentias; tamen altaria & templa religiosè tractanda esse ultro ipse fateberis; & qui eò usque processerit, ut ea impluvio, ne dicam avium stercoribus, vel canum mictui obnoxia reliquerit, violatæ religionis reum esse. Atqui id penetrabatur non uno in loco impune aureo illo sæculo, regnante scilicet Carolo Magno.

Sed ne fortè id unum fuisse reponas, quod reprehenderet Alcuinus; audi non jam unum, sed *plurima* quæ aureo illo sæculo emendanda eidem Imperatori significat in Carmine 271, ita Carolum affatus.

Plurima nempe tibi sunt emendanda per orbem,
O Rex o rector, o decus Ecclesiæ.
Simoniaca quidem pullulat malè pestis in orbe,
Muneribus dantur mystica dona Dei.
Quæ Deus æternum cunctis impendere gratis
Jusserat, ut gratis accipit ipse dator.
Stat quoque judicium causa sub munere dantis,
Sportula justitiam vertit in are sonis.
Muneribusque datis veniunt ad pocula testes,
Impia tum purgat ebrietasque reum.
Opprimit & miseros quorumdam sæva potestas,
Impleat ut saccos dives ab ore suos.
Impunè discurrunt facientes furta latrones,
Ultores scelerum fures etiam socii.
Talia compescat tua, Rex, veneranda potestas,
Rectorem regni te Deus instituit.

I nunc, & ingratum Alcuinum asserere si potes, qui *optimo suo Principi & Mecænati tam invidiosas voces* ingerere non veritus sit, nedum *chartis suis illinere*; aut si non audes, fatere tandem aliquando non esse alienum à vero Alcuino, quòd memoratæ Confessionis scriptor in sæculi sui vitia exclamando invehitur. Plura hac de re leges apud Theodulfum Aurelianensem Episcopum in Parænesi ad judices.

x. Aliud ex vulgata Confessione opponit Dallæus, quod Alcuini sæculo repugnare contendit: nempe hoc quod de Judæis legitur in part. 2. cap. 5: *Quibus etiam nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Quæ verba sic commentatur Dallæus: »Si vel Hadriani, vel Constan»tini, vel Christianorum Principum, qui et in Orien»te tribus quatuorve sæculis successerunt, vel Lati»norum denique qui Judæam anno M e armis quæ»sitam aliquamdiu tenuerunt, temporibus vixit, »veri speciem habet oratio: ab Alcuini verò sæculo aliena est, quo Saraceni in omni Judæa imperitabant. «

Quid sibi velit hoc commentario Dallæus, non capio. Si enim Confessio per modum improperantis & corripientis hæc ingereret, speciem aliquam haberet Dallæi argumentum. Nunc verò de pœnis divinitus Judæis inflictis cùm agat hoc loco; nihil continet, quòd non usurpare possimus hoc tempore, quo etiam infideles sacris locis dominantur.

xi. Affine est huic argumento, quod Disceptator sumit ex Confessionis parte 4. cap. 4. ubi scribitur, *eucharistici mysterii veritatem*, id est realem corporis Dominici præsentiam, *nonnumquam divina revelatione aliquibus manifestatam esse.* Intelligit autem, inquit Dallæus, quibusdam divinitus concessum fuisse, ut carnem & sanguinem propriè & vivo in Eucharistia corporeis oculis viderent. Quod neque anteriori, neque Alcuini tempore accidisse Dallæus asseverat: sed hujus generis prodigia novo demum adulto sæculo, ad Paschasiani (ut putat) erroris commendationem spargi cœpta.

Si altercandi occasionem quærere esset animus, hic causari possem non constare, an Confessionis scriptor hoc loco de sensili corporis Christi in Eucharistia visione agat, an de spiritali aliqua revelatione, qua vera Christi in Sacramento præsentia confirmetur: quales sanè revelationes ab Auctoribus Alcuino superioribus huc adducere non esset operosum. Verùm Dallæi commentarium lubens admitto: ut ejus pace dixerim, ejusmodi prodigia longè ante Paschasii tempus legebantur, nempe illud quod de Plegislo religioso Sacerdote memorat idem Paschasius, quod certè non commentus est vir religiosus, sed ex antiquo auctore accepit. Aliud item Alcuini tempore Paulus Diaconus, Casinensis Monachus, litteris mandavit in vita Gregorii Magni, quod ei accidit in facto Matronæ Romanæ. Sed ante hoc, aliud item in vita sancti Basilii Cæsareæ Episcopi, Amphilochio Iconii Episcopo adscripta, legebatur de Hebræo quodam, cui communicantibus Christianis *infantulus membratim incidi* in manibus Basilii visus est. Hæc, inquam, legebantur ante Alcuini ætatem, quæ proinde præ oculis, cùm Confessionem scriberet, habere potuit.

Basilii, inquis, vita Latinis auribus incognita fuit ante Nicolai primi pontificatum, cùm scilicet ab Urso S. R. E. Archidiacono Latinitate donata est. Immo verò ante Ursi versionem alia legebatur, quæ in vitis Patrum edita est, à Surio politiori stilo reddita. Cujus rei certissimum sumo argumentum ex Æneæ Parisiensis Episcopi libro adversus Græcos, quæstione secunda, ubi vita sancti Basilii de Græco in Latinum *à quodam Græco, vocabulo Evenio, de verbum translata* laudatur. Ergo regnante Carolo Calvo, hoc est medio sæculo nono, apud Gallos circumferebatur hæc vita, quam Alcuinus legisse potuit.

Ad hæc Alcuino suppetebat insigne exemplum, quod refertur in lib. 5. de vitis Patrum cap. 18. ubi legitur Arsenii dictum de quodam sene (in Sciti habitante, ut habet ms. codex Corbeiensis) qui cùm secus, quàm Ecclesia catholica tradit, de Christi corpore in Eucharistia sentiret, idque *non naturale corpus Christi, sed tantùm figuram ejus* esse crederet; tribus Patribus ob eam causam convocatis, & pro senis conversione orantibus; facta re sacra, tandem ad rectam fidem reductus est. Nam *quando positi sunt panes in altari, videbatur illis tantummodo tribus tamquam puerulus jacens super altare. Et cum extendisset Presbyter manum ut frangeret panem, descendit Angelus Domini de cælo habens cultrum in manu, & secavit puerulum illum; sanguinem vero illius*

excipitbat in calice. Tum accedente sene *ut acciperet sanctam communionem, data est ipsi soli caro sanguine cruentata. quod cum vidisset, pertimuit, & clamavit dicens: Credo, Domine, quia panis, qui in altari ponitur, corpus tuum est: & calix, tuus est sanguis. Et statim facta est caro illa in manu ejus panis secundum mysterium, & sumpsit illud cum honore gratias agens Deo.* Eximium hunc locum legisse potuit Alcuinus sive ex codice Græco, qualem Photius laudat, sive ex versione Pelagii S. R. E. Diaconi, qui hunc quintum librum Latini juris fecit.

XII. Sed jam demum post vexatam variis artibus atque modis Confessionem, veniamus ad palmare argumentum, quo Dallæus sæpe dictæ Confessionis antiquitatem penitus labefactare sibi visus est. nem- » pe quod idem Confessionis Auctor de eorum sen- » tentia, qui realem Dominici corporis in Euchari- » stia præsentiam negant, non aliter loquitur, quàm » de doctrina publico Ecclesiæ judicio damnata, & » inter hæreses relata; atque ita cum ipsis agit, ut » cum hominibus sectariis & hæreticis «. Tum huic rei probandæ adducit hunc locum ex Confessionis parte 4. cap. 5. *Adverte jam tandem, ô pravissimarum mentium perversa doctrina, & noli surda aure & intertumescente corde praeterire quod dicitur: Qui manducat me. suam nimirum, non aliam carnem demonstrat.* Mox paucis interjectis: *Verum quia longe aliter se habet veritas tanti mysterii, quam tu* HÆRETICO *deceptus spiritu arbitraris, rectè dicitur mysterium Fides, &c.* » Quibus apertissimè, inquit » Dallæus, significat fuisse, quo ipse tempore scri- » bebat, qui aliter, quàm ipse sentiebat, de Eucha- » ristia DOCEBANT, quique HÆRESEOS ea de causa » damnati erant «. Cujusmodi homines ullos ante Berengarii tempus extitisse negat Dallæus.

Hoc argumentum colorem qualem habet præ aliis à Dallæo adductis: sed si fucum detrahas, inane prorsus, uti cetera, apparebit. Quod ut assequare, rem propius intueri necesse est, ac demonstrare, jam dudum ante damnatum Berengarium hæreticos habitos, eoque nomine affectos, qui secus, quàm modò catholica Ecclesia tradit, de Eucharistia sentirent.

Huic rei probandæ unus sufficit Deoduinus seu Theoduinus Leodiensis Episcopus, qui in epistola ad Philippum Francorum Regem scripta contra Berengarii errorem jam tum primùm exoriri cœptum, censet Berengarium ejusque sequaces non esse audiendos, neque tam pro illis Concilium convocandum, quàm de illorum supplicio exquirendum: propterea quòd *creberrimis sanctorum Patrum Conciliis, tum etiam venerabilium Doctorum clarissimis sententiis* proscripti damnatique essent eorum errores. Ergo ante Berengarii damnatum errorem creberrima Concilia catholicam de Eucharistia Fidem definierant, ac secus sentientes pro hæreticis habendos decreverant, ut censet testaturque Deoduinus. Ex quibus Conciliis etsi unum Toletanum proferat in medium; plura tamen alia in Eucharistiæ causa congregata fuisse manifestè asserit.

Et quidem regnante apud Francos Rotberto, id est *anno* M XXV, *Indictione* VIII, Gerardus Cameracensis atque Atrebatensis Episcopus Fidem catholicam de Eucharistia sancivit adversus hæreticos nonnullos, qui Dominici corporis & sanguinis sacramentum rejiciebant, uti legitur in Synodo contra eos Atrebati habita, quam propediem typis editurus est noster Acherius in Spicilegii tomo XIII. Cùm enim idem Episcopus in ea urbe diebus Nativitatis & Apparitionis Domini de rebus ecclesiasticis tractaret; *relatum est ei quosdam ab Italiæ finibus viros eo loci advenisse, qui quandam novæ hæresis sectam introducentes, evangelica atque apostolica sanctionis disciplinam pervertere tentabant; & quamdam justitiam profitentes, hac sola purificari homines asserebant, nullumque in sancta Ecclesia aliud esse Sacramentum, per quod ad salutem pervenire potuissent.* Hi coram Episcopo adducti, *referunt se esse auditores* GANDULFI *cujusdam ab Italiæ partibus viri, & ab eo evangelicis mandatis & apostolicis informatos: nullamque præter hanc scripturam se recipere, sed hanc verbo & opere tenere.* Tum accuratius interrogati, sacri Baptismatis mysterium negant, simulque Eucharistiæ, Pænitentiæ & Matrimonii sacramenta. Pro erroribus singulis singula capitula condit Gerardus, primum quidem de Baptismo, secundum de corpore & sanguine Domini, in quo hæreticos compellat his verbis: *Jam nunc his omissis, transitum faciamus ad illud sacrum & immotabile Dominici corporis & sanguinis sacramentum, quod vos ad vestram confusionem, nisi resipueritis, adversum divinam & apostolicam traditionem impugnantes evertere tentatis.* Tum ipsius Sacramenti naturam explicans, post aliqua hæc subdit: *Quod quidem sacrificium dum de pane & vino cum aqua mixto ineffabili sanctificatione, cruce & verbis illius in altari consecratur, dumque Passionis & Resurrectionis ejus atque in cælum Ascensionis, ibidem salutifera memoria agitur; verum ac proprium corpus ipsius Domini* JESU-CHRISTI, *& sanguis verus & proprius efficitur, quamvis aliud esse videatur. Videatur namque panis materialis: sed verissime efficitur corpus Christi, sicut ipsa eadem Veritate attestante didicimus.* Ex quibus intelligimus, in Synodo Atrebatensi assertam fuisse Eucharistiæ veritatem annis ampliùs XXV ante damnatum Berengarium. Hunc locum paullo fusius retuli, tum quia hæc Synodus antehac (si non fallor) incognita fuit, tum quia rebus subsequentibus illustrandis plurimum conducit.

Sub idem tempus, hoc est anno M XVII, testante Glabro Rodulfo in Historiarum lib. 3 cap. 8, in urbe Aurelianorum flammis traditi sunt ejusdem hæreseos assertores: quorum præcipui erant Herbertus atque Lisoius. Horum errores fucatæ sanctitatis simulacro palliatos detexit Arefastus, qui præsente Rotberto Rege, ut Synodi Acta probant in Spicilegii tomo secundo, inter cetera contestatus est ab eis se didicisse, *panem & vinum, quod super altare manibus Sacerdotum sancti Spiritus sanctificatione effici videtur sacramentum, converti non posse in corpus & sanguinem Christi.* Quòd cùm illi confiterentur, nec ab eo errore aliisque revocari potuissent, jubente Rege extra urbem cremati sunt. Hic nullus canon nullumve decretum conditum legitur, sed tantùm pœna hæreticis inflicta: ob eam videlicet causam, quòd communi Ecclesiæ catholicæ præjudicio proscriptus esset eorum error, qui veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia negassent; atque hujusmodi homines in hæreticorum classem amandari. Qua persuasione commoti prædicti hæretici, errorem suum publicis concionibus committere non audebant: sed occultis cuniculis furtivisque colloquiis in fideles probatosque quorumdam animos eum inspirabant. Tantum apud eos prævalebat erroris sui præconcepta damnatio.

Mitiùs cum aliis ejusdem farinæ hominibus egit sanctus Odo Cantuariensis Archiepiscopus circiter annum DCCCC L. quo tempore *quidam Clerici maligno errore seducti asseverare conabantur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem in priori substantia permanere, & figuram tantummodo esse corporis & sanguinis Christi, non verum Christi corpus & sanguinem. Quorum* ENORMEM PERFIDIAM *beatus Odo destruere cupiens, dum qua-*

dam die in conspectu totius populi sacrosanctis Missarum sollemniis devotius intenderet, expletis lacrymis Dei omnipotentis clementiam in suo ministerio afforo postulavit, quo ad depellendos hominum ERRORES *substantivam divinorum mysteriorum declararet proprietatem. Cumque ad confractionem vivifici panis ventum fuisset, confestim inter manus Pontificis, fragmenta corporis Christi tenentis, sanguis guttatim defluere cœpit.* Cujus rei consideratione perculsi omnes, maximè verò Clerici sectarii, errorem suum incunctanter abjecere. Ipse autem Pontifex cum suis in magna gratiarum actione lætitiam egit, *propterea quod omnis error de Dominico corpore in pectore suorum abolitus fuisset; nec ultra panem in altari positum verum Christi corpus esse diffiderent, qui verum sanguinem inde manare conspexissent.* Hæc verba sunt pervetusti auctoris, qui libellum de ipsius Odonis vita nondum editum composuit: quem locum Willelmus Malmesburiensis Monachus compendio retulit. Ergo eo tempore, id est medio sæculo x, *enormis perfidia errorque* censebatur, si quis de corporis Christi Domini in Eucharistia veritate dubitasset.

Sæculo præcedenti eadem fuit Catholicorum sententia, qui hæreticos appellabant ejusmodi erroris sectatores. Testis in primis Paschasius Radbertus in lib. de Sacramento altaris cap. 21. *Nos autem catholice sensum ipsius Domini requirentes, non* HÆRETICORUM *nanias sequamur, sed ejus qui ait: Accipite & comedite ex hoc omnes.* At novator erat Paschasius. Immo verò Fidei catholicæ assertor: tum quia hoc nomine eum semper honoravit catholica Ecclesia; tum quia non solent novatores eos qui à se dissentiunt, hæreticos appellare, sed priscæ Fidei corruptores. Verùm hîc non agimus de re ipsa, sed de nomine hæretico, quod Eucharisticæ veritatis infitiatoribus à Paschasio disertè impactum est ante Berengarii censuram.

Cum Paschasio consentit Hincmarus Remorum Archiepiscopus in prioris opusculi de Prædestinatione cap. 31, ubi loquitur in hunc modum: *Sunt & alia, quæ vocum novitatibus delectantes, unde sibi inanes comparent rumusculos, contra Fidei catholicæ veritatem dicunt. videlicet quòd trina sit Deitas: quòd Sacramenta altaris non verum corpus & verus sanguis sit Domini, sed tantum memoria veri corporis & sanguinis ejus.* Itaque censebat Hincmarus hujusmodi homines pugnare *contra Fidei catholicæ veritatem*, ac proinde hæreticos esse. Eumdem nimirum errorem (ut id obiter observem) notasse mihi videtur Anastasius Bibliothecarius, cùm ait Nicolaum Papam primum fecisse in basilica Salvatoris, quæ Cæsaræa dicta, cruces de argento purissimo, *quæ penderent ante figuram, sive* (uti apud Baronium ad annum 858. legitur) *ante Sacramentum substantiæ carnis ejusdem Domini nostri* JESU-CHRISTI. Quasi diceret, ante figuram substantialem carnis Domini nostri JESU-CHRISTI, eum ad modum, quo Christus in Epistola ad Hebræos dicitur figura substantiæ Patris: ad quem locum Anastasius hic allusisse videtur. Si verò Baronii lectionem sequare, aliâ quam præferendam existimo inconsultâ; non minùs Catholicæ fidei favet. Cur enim, quæso, addidit SUBSTANTIÆ vocem, nisi ut eam opponeret figuræ vocabulo, quo hæretici tunc temporis abutebantur? Nimirum hæc verba *Sacramentum substantiæ carnis Christi*, opponuntur istis, *Sacramentum figuræ carnis Christi*; tantumdemque sonant, ac si dixisset Anastasius, *Sacramentum continens substantiam carnis Christi, non figuram.* aliàs inanis & absurda esset ejusmodi vocabulorum geminatio.

Ex his omnibus liquidò conficitur, tempore Hincmari ac Paschasii Radberti, id est paullo post mortem Alcuini, hæreticos dictos fuisse eos, qui de veritate corporis Christi in Eucharistia dubitassent: ac proinde immeritò Johannem Dallæum Alcuino abjudicare Confessionem Chiffletianam ea ratione, quòd *hæretico spiritu deceptos* hujusmodi homines appellet.

Duplici verò ex causa eos ab antiquis hæreticos dictos existimo, nimirum, quòd eo nomine dignos æstimarent eos, qui à recepta Catholicorum fide recederent: & quòd antiquorum Patrum decretis damnati crederentur. Scilicet hæc fuit veterum quorumdam Catholicorum persuasio, in Concilio Ephesino sancitam fuisse de Eucharistia Fidem nostram, atque diris addictos, qui contrarium dogma secuti essent. In hac sententia fuit Lanfrancus, ut patet ex Dialogo adversus Berengarium edito: ubi notat hæreses duas antiquis temporibus ortas fuisse, omnibus tamen tum consentientibus, *quod panis & vinum in veram Filii hominis carnem, verumque ejus sanguinem converterentur*: sed quis esset ille Filius hominis aliis in alios pugnantibus. *Quidam enim*, inquit, *arbitrati sunt hunc oportere intelligi quemlibet hominem, sive justum, sive peccatorem. alii non hunc esse de turba quemlibet hominem, sed virum justum, sanctificatum, a communi hominum vita per sua vitæ celsitudinem segregatum.* Tum subdit Lanfrancus damnatas in ea Synodo *utrasque has letales pestes*, decretumque Nestorio in hæc verba transmissum: *Ad benedictiones mysticas accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrûm Redemptoris effecti: non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati & Verbo conjuncti secundùm dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem: sed verò vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam.* Tum addit Lanfrancus Concilii canonem iis anathema dicentis qui secus sentirent. Ex quibus nemini dubium esse debet, Lanfrancum in ea fuisse persuasione, Ephesinos Patres de Eucharistiæ Fide adversus Novatianos statuisse, eosque pro hæreticis habuisse qui ab ea definitione recederent. Hîc jam non inquiro, an Lanfrancus Concilii sensum assecutus sit. Certè Ephesini Patres hoc loco veram Christi corporis in Eucharistia præsentiam, si non definiunt, saltem manifestè supponunt. At permitto Lanfrancum in explicando Concilii decreto falsum esse, eique plus, quàm verba præ se ferant, tribuisse. Hic tantum expendo quid senserit de mente Concilii: cujus decreto Sacramentariorum errorem sine dubio damnatum fuisse persuasum habuit.

Atqui in eadem etiam persuasione fuit Herigerus Laubiensis Abbas in libello de Eucharistia, qui sine auctoris nomine à Cellotio editus est in appendice ad historiam Gothescalci: cujus libelli auctorem esse Herigerum Abbatem Laubiensem, qui anno M VII mortuus est, certis aliàs documentis, Deo dante, demonstrabo. Is quippe inter argumenta quæ adducit ad probandam Eucharistiæ Fidem, etiam hunc locum à Lanfranco relatum profert ex Concilio Ephesino sub Cyrillo nomine, nimirum Alexandrini, cujus Epistola ad Nestorium, ex quâ Herigerus testimonium adducit, inter Acta Concilii Ephesini relata est. Quid si Chiffletianæ Confessionis scriptor, eodem præjudicio affectus, eodem modo Ephesini Concilii decretum interpretatus est; atque ob id *hæretico spiritu deceptos* appellavit eos, qui de hujus Sacramenti veritate dubitarent? Certè ad hunc locum manifestè alludere videtur in hæc verba: *Adverte jam tandem, ô pravissimarum mentium perversa doctrina, & noli surda aure incircumciso corde præterire quod dicitur: Qui manducat me.*

suam

suam dimitram, & non aliam carnem demonstrat. Cur enim dicit *suam, & non aliam carnem*, nisi ut excluderet errorem illum, quem ad Ephesinis Patribus damnatum esse putabat? Hæc ergo causa est, cur *heretico spiritu deceptos* appellet hujusmodi erroris sectatores.

Verùm fac scriptorem Chiffletianæ Confessionis non respexisse ad Ephesinum, aliudve Concilium: cur non potuit hæreticos appellare eos, qui contra Scripturæ sacræ seu Christi Domini manifestam assertionem, contra majorum traditionem, ac demum contra receptam sui temporis Fidem, corporis Dominici veram in Eucharistia præsentiam negarent? Certè qui adversus Claudium Taurinensem episcopum de cultu sacrarum Imaginum scripsere sæculi noni auctores Gallicani, eum hæretici nomine afficiunt, quamvis hunc cultum nulla Synodus eo tempore statuisset. nam quod hac de re habitum est Concilium Nicænum secundum, veluti profanum tum repudiabat Gallicana Ecclesia. Sic Ratramnus eos, qui Christum Dominum communi via ex beatissimæ Virginis utero prodiisse negabant, ut *nova & inaudita hæreseos* auctores non semel suggillat, nullo suffragante Conciliorum decreto: propterea quòd adversariorum sententiam à Scripturæ sacræ & Patrum auctoritate deflectere arbitraretur. Quidni potiori jure hæreticos Chiffletiana Confessio dixerit eos, qui ab Eucharistiæ recta fide recessissent, reclamante non solùm Scriptura & Patrum traditione, sed etiam communi Catholicorum consensu? Adde in ista Confessione hujusmodi homines non dici hæreticos, sed tantum *heretico spiritu*, id est diaboli hæreseôn auctoris instinctu *deceptos*. quo nomine notare videtur, non quidem hæreticos ullos, qui errorem suum in vulgus spargerent; sed nonnullos dubiæ fidei Catholicos, qui humanis ratiunculis & sensibus plus æquo addicti, de hoc divino Sacramento non rectè sentirent. Sit ergo hæc nostræ responsionis summa, nempe ante damnatum Berengarium, realis (ut vocamus) in Eucharistia præsentiæ impugnatores hæreseos nota pœnisque affectos fuisse in Conciliis Cameracensi & Aurelianensi eosdemque pro hæreticis sæculo x habitos ab Odone Cantuariensi, tum sæculo nono ab Hincmaro Remensi Archiepiscopis, à Paschasio Radberto & aliis. Ad hæc visum fuisse Lanfranco, Herigero & Confessionis Chiffletianæ Auctori, eos itidem in Concilio Ephesino diris addictus; ac denique meritò in ea Confessione *heretico spiritu deceptos* dici, quippe qui in fide Eucharistiæ à sacræ Scripturæ Patrumque auctoritate deflecterent, quin etiam à recepta omnium tunc temporis Catholicorum confessione.

XLIII. Immo verò, inquis, nullus, non tantùm superiorum temporum auctor, sed nec Alcuini tempore, hanc de Eucharistiæ veritate Fidem tenuit docuitve, qualem ipsa Confessio profitetur.

At hanc objectionem manifestè refellit Paulus Diaconus in Vita Gregorii Magni, qui Catholicam veritatem tam disertè exponit, ut nemo clariùs hoc tempore explicare possit. Sic enim occasione facti, quod Matrona Romana in Eucharistiam perpetravit, Paulus Gregorium loquentem inducit. *Disce, inquam, Veritati jam modo credere contestanti: « Panis quem ego do, caro mea est; & sanguis meus est vere potus. » sed præsciens Conditor noster infirmitatis nostræ, ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper Virginis operante sancto Spiritu fabricavit, panem & vinum aqua mixtum, manente propria specie, in carnem & sanguinem suum, ad catholicam precem, ob reparationem nostram sancti Spiritus sanctificatione convertit.* Tum subdit Paulus: *Indeque universos jussit divinam precari potentiam, ut in formam pristinam sacrosanctam reformaret mysterium, quatenus mulieri ad fumendam fuisset possibile. quod & factum est. Unde sæpe fata mulier plurimum in sancta Religione & Fide proficiens, participatione Dominici sacramenti consecrata est, & omnes qui viderant, in divino amore & orthodoxa credulitate excreverant.* Hactenus Paulus in Vita sancti Gregorii Magni, quæ in Sæculo primo Benedictino typis edita est: quem locum adduxit Gerardus in prælaudata Synodo Cameracensi. Ex quo intelligimus, eam fuisse tum de Eucharistia receptam Fidem, panem scilicet & vinum, *manente propria specie*, in carnem & sanguinem Domini converti, atque in ea persuasione *orthodoxam credulitatem* fuisse collocatam.

Eamdem adstruit Haimo Halsberstadensis Episcopus, Pauli & Alcuini suppar, in tractatu de corpore & sanguine Domini, quem recens edidit noster Acherius in Spicilegii tomo XII. Hinc enim suam, immo & Catholicorum sui temporis omnium Fidem explicat in hunc modum: *Credimus itaque & fideliter confitemur & tenemus, quòd sub antia illa panis scilicet & vini, per operationem divinæ virtutis, ut jam dictum est, id est natura panis & vini, substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est in carnem & sanguinem.* Et infra: *Commutat ergo invisibilis Sacerdos suas visibiles creaturas in substantiam sui corporis & sanguinis secreta potestate. In quo quidem Christi corpore & sanguine propter sumentium horrorem sapor panis & vini remanet & figura substantiarum natura in corpus Christi & sanguinem omnino conversa: sed aliud renuntiant sensus carnis, aliud renunciat fides mentis*, &c. Mitto plura hanc in rem hujusmodi testimonia, quæ jam adduxere eximii perpetuæ de Eucharistia Fidei Defensores. Hunc verò Haimonis locum insignem hîc visum est attexere, ut poteà nemine hactenus prolatum: quo luculentiorem nullum ad probandam Ecclesiæ Fidem reperire fas est. Prædictum verò Haimonis tractatum inveni in Bibliothecæ nostræ sancti Germani membraneo codice annorum sexcentorum, qui ejusdem Haimonis expositionem in epistolas per totum annum in Missa recitari solitas complectitur. Insertus porro est in eo codice tractatus iste post expositionem in epistolam Cœnæ Domini, quæ epistola de Eucharistiæ mysterio tota est: cujus epistolæ expositionem subsequitur iste tractatus cum hoc titulo: INCIPIT TRACTATUS AIMONIS *de corpore & sanguine Domini*. Tum Auctor tractatum suum cum epistolæ prædictæ expositione continuando in hunc modum orditur: *Sed quoniam hujus epistola opportunitas offert, ut aliquid de sancto Sacramento latius dicatur*, &c. quod quidem hoc loco monuisse visum est operæ pretium. Itaque, ut modò dicebam, tempore Alcuini recepta erat ea, quam profitemur, de Eucharistia Fides, qualem professus est Alcuinus ipse in Confessione controversa.

XLV. Cur ergo, inquis, Paschasius in Patrum testimoniis, quæ ad sententiam suam constituendam adducit, Alcuinum inductum & illaudatum prætermisit, siquidem hæc Confessio Alcuini fœtus est?

Nempe quòd Paschasius ab antiquis dumtaxat Patribus auctoritatem sumit: Alcuinus verò tum, cùm librum suum conderet Paschasius, ante paucos annus defunctus erat. Deinde multa alia veterum testimonia omisit Paschasius, ex uncertis eorum operibus facilè repetenda: quæ quidem opera eadem ratione negare posset Dallæus, si ipsius argumentatio quid efficeret. Denique Alcuini Confessionem præter misit, fortasse quòd in ipsius notitiam (quæ librorum tum inopia & difficilis communicatio erat) non venisset.

Hæc fere sunt argumenta quæ Dallæus congerit

adversos Confessionis Auctorem & antiquitatem, si nonnullas exceperis minutias, quas consulto prætermisi; qualia sunt quæ profert de stili dissimilitudine à veris Alcuini operibus: cùm alii docti viri eamdem, cùm in ipsa Confessione, tum in sinceris Alcuini operibus, orationis æqualitatem agnoscant. Hæc, inquam, quæ *minutia neque satis certa* ipsi Dallæo visa sunt, prudens dissimulavi, ne longiùs progrederentur nostræ concertationes.

Hæc pro modulo dicta sint de hujus operis Auctore & antiquitate: quorum unum ita propugnandum suscepi, ut alterum tamquam certissimum demonstrari posse confidam. Quod si non penitus assecutus sim, vel id mihi satis erit pro fructu operis, quod hanc provinciam studiosis aperuerim, reperto exemplari, cujus sola inspectio operis antiquitatem persuadere potest. Huc eruditorum omnium oculos & judicium appello, quibus codicem Boërianum inspicere licet, sive in Monasterio sancti Germani, quamdiu penes nos erit; sive Divione in Bibliotheca Boeriana, quò brevi remittendus est.

Quæ de auctore protuli argumenta, si rem penitus non evincunt, saltem maximè probabilem efficiunt. Hæc si quis refutare velit, non ita mecum agat, quasi hac in re controversiæ caput constituam: sed Confessionis impugnet antiquitatem, quam potissimùm defendo. Certè haud multum interest Reipublicæ Christianæ, quis istius operis auctor sit, Alcuinus an alius, si modò eum Alcuini æqualem agnoscant omnes. Neque tamen Alcuini patrocinium deserere est animus, sed justos controversiæ limites definire.

Ceterum, quod in me receperam, hoc loco apponendum duxi virorum peritorum testimonium de codicis Boëriani antiquitate, ut ii, quibus codicem istum videre non licet, hominum in Republica litteraria clarissimorum auctoritati acquiescant.

Testimonium

De Boëriani codicis antiquitate.

NOs infrà scripti omnibus quorum interest, notum facimus, visum à nobis ac diligenter inspectum membraneum codicem pervetustum, cui titulus est recentiori manu in primarii locum substitutus: ALBINI CONFESSIO FIDEI. quæ ipsissima est Confessio sub nomine Alcuini à R. P. Petro Francisco Chiffletio typis edita. testamurque istius codicis scripturam proximè accedere ad tempus Caroli Magni, nec sæculo nono posteriorem videri. In quorum fidem huic instrumento subscripsimus Idibus Decembris anno Domini M DC LXXIV.

Subscripserunt in Originali A. FAURE, *Doctor ac Socius Sorbonicus.* JOANNES GARNIER, *Societatis Jesu Presbyter, ac Theologiæ Professor.* CAROLUS LE COINTE, *Oratorii Presbyter.* DE VYON D'HEROUVAL, *Cameræ computorum Auditor.* DU FRESNE DU CANGE, *Quæstor Ambianensis.* HADRIANUS VALESIUS, *Historiographus Regius.* STEPHANUS BALUZE, *Bibliothecæ Colbertinæ Præfectus.* COTELIER, *Societatis Sorbonicæ.* DE LAUNAY *in supremo Parisiensi Senatu Advocatus.*



VINDICIÆ VITÆ GREGORIANÆ,

PAULUM Diaconum auctorem præferentis.

HANC Vitam Paulo Diacono asserui tribus inductus argumentis. Primum, quòd Paulum Diaconum, Monachum Casinensem, libellum de beati Gregorii gestis scripsisse constat ex ejusdem Pauli lib. 3 cap. 25 de gestis Langobardorum. *Ideo*, inquit, *de beato Gregorio plura dicere omisimus, quia jam ante aliquot annos ejus vitam texuimus.* Alterum, quòd Johannes Diaconus in lib. 4 de vita sancti Gregorii cap. 99, quædam verba refert ex ipsius Pauli scriptione Gregoriana, quæ in vita à me edita reperiuntur. Johannis hæc verba sunt: *Cujus nimirum venerabile meritum, quousque mundi hujus orbita volvitur, ut cum Paulo viro disertissimo fatear, semper accipiat incrementum.* quæ totidem verba in vita Paulo Diacono à me inscripta sub finem legere licet. Tertium argumentum est, quòd codex Conchensis Monasterii eamdemmet vitam Paulo Diacono auctori adscribit in titulo vitæ præfixo. Quartum nobis suggerit Editor Gregorianus, nimirum ex Garetio Canonico regulari Ordinis S. Augustini, qui Garetius in libro de vera præsentia corporis Christi in sacramento Eucharistiæ Parisiis impresso anno M D LXII, classe sexta profert testimonium de vita sancti Gregorii his verbis: *Aliud testimonium ex Paulo Diacono. Mater familias quædam nobilis*, &c.

Nihilo minus Editori probabilius videtur, vitam à Paulo Diacono scriptam periisse: eam verò quam ipsi tribuimus, esse anonymi Scriptoris antiquioris. Age videamus quibus id rationibus probet.

Prima Editoris ratio hæc est. Omnes quotquot videre licuit istius vitæ mss. quotquot etiam memorat Bollandus ad sancti Gregorii vitam die 12 Martii, quotquot Canisius tomo 6 antiquarum lectionum vidit; hunc præ se ferunt titulum, *Vita S. Gregorii auctore incerto.* vel absolutè, *Vita S. Gregorii.* Idem observat Editor in editione Veneta anni 1504, Parisiensi 1508, & pluribus aliis.

Hæc argumentandi forma probabilis videretur, si varii illi codices alium à Paulo Diacono auctorem præferrent. Nunc verò cùm constet Gregorii vitam à Paulo Diacono scriptam fuisse; multiplices illi codices qui Paulinam vitam absque auctoris nomine exhibent, nullatenus Pauli causæ officiunt, maximè si eam ipsi tribuendam esse alia argumenta persuadeant. Certè si Editoris procedendi modus obtineret, concludendum esset istius vitæ nullum esse certum auctorem. Nam quemcumque demum protuleris, recurret Editoris objectio. Esto verò nullum viderit codicem Editor Pauli nomine insignitum, nullum viderit Bollandus, nullum Canisius. At viderat unum Garetius, vidi ego quoque Conchensem, qui Paulo hanc scriptionem tribuunt. Quot nuper incertorum scriptorum opera vel unius codicis ope viri docti genuinis auctoribus restituerunt?

At dubitant, inquit, an titulus manuscripti Conchensis eadem fuerit manu exaratus, qua reliquus codex.

Ab hac religione facilè se lectoresque suos Editor exemisset, ne dicam meipsum à malæ fidei suspicione, si (ut par erat) codicem Conchensem, quem nullo negotio à nobis obtinere poterat, consuluisset. Verùm gravissimi laboris varia impedimenta excusari volo. Ego verò huc advehi curavi Conchense exemplar, ante annos quingentos exaratum, in quo habetur vita controversa cum hoc titulo: INCIPIT VITA S. GREGORII PAPÆ URBIS ROMÆ, EDITA A PAULO CASSINIENSI MONACHO qui titulus, neque recens est, neque interpolatus; sed eadem manu, qua totus liber, minio descriptus. Hoc tandem inspecto Editor à proposita dubitatione recessit, ultro pollicitus se prima quaque occasione rem, uti est, publicè contestaturum. Si quis adhuc hærere pergit, codex penes me est: fidei meæ periculum faciat qui volet.

Postremam rationem Editor sic exponit. » Injicit » religionem, quòd ad finem vitæ sic loquatur Au» ctor: *Id quod scribimus, à fideli & religioso viro » & huic Patri nostro sanctissimo nobis narratum di» dicimus, &c.* Ex quibus verbis non malè conclu» ditur, Paulum Diaconum, qui anno 801 obiit, » alium esse ab auctore, qui quæ refert, ab eo didi» cerat, quo sanctus Gregorius familiarissimè fuerat » usus dum viveret: quibus verbis Petrum Diaco» num, ni fallor, intelligit.

Hoc argumentum, quod unam speciem habet, nititur quibusdam Pauli verbis, quæ tantisper immutata Editor repræsentat. Sic enim legitur in vitæ contextu: *Denique à fideli & religioso viro*, &c. Jam verò non satis constat, num hanc narrationem auctor à Petro scriptis acceptam didicerit, an viva voce. Atque ut viva voce acceptam dicat; hoc loco non solùm in persona sua loquitur, sed etiam (ut alibi passim) in persona Romanorum, quorum majoribus hoc factum narratum sit, ac deinde traditione ad posteros transmissum. Certè in subsequentibus satis innuit Auctor, se istius facti narrationem non accepisse ex ore loquentis Petri, sed ex traditione aliorum, ubi absolutè de Petro scribit: *Hac ita per se omnia vidisse fideliter enarravit*, non exprimendo nomen personæ, cui narratio facta est. Ad hæc, Auctor multa de verbo desumit ex Beda, quo proinde ætate inferior fuit. Neque dici potest, Bedam ea hausisse ab ipso Auctore. Nam Paulina vita longè plura continet Gregorii facta, quæ Beda omissurus non fuisset, si hanc vitam habuisset præ oculis. Denique tempore quo Johannes Diaconus scribendis Gregorii gestis manum admovit, id est annis à mortuo Paulo fere septuaginta, constat duas tantùm exstitisse Gregorii vitas, unam apud Saxones, alteram apud Langobardos; nullam apud Romanos. Ita enim Johannes præfatur ad Johannem Papam VIII. *Nuper ad vigilias beati Gregorii Romani Pontificis, Anglorum scilicet gentis Apostoli, lectione de Paulino civitatis Nolanæ Præsule consuetudinaliter personante, visus es à venerabilibus Episcopis, divino quodammodo instinctu commonitus, requirere, cur tantus Pontifex, qui multorum Sanctorum vitas texuerat, gestis propriis in propria dumtaxat ecclesia caruisset: præsertim cum & apud Saxones, & apud Langobardorum sibi prorsus infensissimam gentem, gestis propriis ubique polleret*, &c. Itaque duæ tantùm, ut jam dixi, eo tempore circumferebantur Gregorii vitæ, altera apud Saxones seu Anglos, quæ Bedæ; altera apud Langobardos, quæ Pauli Diaconi, hominis genere Langobardi, lucubratio erat. Nulla ergo apud Romanos, quibus utique consimilis vita non defuisset, si aliquis alius Gregorii æqualis, Petro Diacono Gregorii discipulo referente, in scripta retulisset.

Hæc de istius vitæ auctore huc loco dicere necessarium duxi: tum quia hæc vita alicujus momenti est: tum quia dictis meis, ubi par est, fidem asserere mihi incumbit.

AD VIRUM CLARISSIMUM

HADRIANUM VALESIUM,

Historiographum Regium,

DISSERTATIO

DE MONASTICA VITA

GREGORII PAPÆ PRIMI,

COGNOMENTO MAGNI.

MIHI aliquando, VIR CLARISSIME, cùm sermonem de Gregorii Papæ primi vita monastica inter nos haberemus, objecisti silentium Gregorii Turonensis Episcopi in libro decimo Historiæ Francicæ: ubi etsi præclaras res à Gregorio Papa gestas, Monasteria exstructa, fusas in egenos opes, vestes ante Diaconatum mutatas commemoret: nullam tamen de ejus monachatu monasticave habitu mentionem facit. Tum subintulisti, facilè te assensurum eis, qui Gregorium Papam familiæ sancti Benedicti adscribunt, si modò de ipsius religiosa vita constaret. Cùm verò ad hæc respondissem, id quod te non fugiebat, Gregorium Papam ea de re satis apertè loquutum initio libri primi Dialogorum, ac in præfatione ad Moralium libros; porrò æquius esse Gregorio de se id testanti, quàm alteri Gregorio tacenti fidem adhiberi: confessus es quidem ex prædictis locis confici, Gregorium Papam in Monasterio (quod tamen Gregorius alter siluit) fuisse versatum; an verò mutata veste istic religiosam vitam amplexus sit, non satis tibi hactenus constitisse. Et quia tunc Gregorii scripta, quibus ad id probandum opus erat, in promptu non habebamus; pollicitus sum me alteram hanc partem, de qua controversiam injeceras, cum ipsius Pontificis verbis, tum aliunde petitis argumentis, uti postulabis, demonstraturum. Idipsum quod in me receperam, pro modulo præstare quàm primùm curavi; & ne dimidiatum opus videret fecisse, demonstrato Gregorii monachatu, ad aliud controversiæ caput descendi, ut etiam eum

Regulæ sancti Benedicti addictum fuisse ostenderem. Opellam hac de re meam tuo calculo ultrò comprobasti, Vir clarissime, mihique absque fuco, ut soles, contestatus es, te lectis argumentis meis omnes de Gregorii monachatu dubitationem abjecisse: tum ex præconcepto causæ nostræ præjudicio tibi non difficile persuaderi, Gregorium non aliùs, quàm sancti Benedicti institutis in Monasterio suo paruisse. Demum qui rei investigandæ mihi auctor fueras etiam me verbis tuis hortatus es, ut scriptionem hac de re meam in lucem proferrem. Neque enim hæc controversia supervacanea tibi visa est, tum quia nihil insuper habendum est in magnis viris, tum quia hîc agitur de præcipuo Benedictinæ familiæ ornamento, quod nec inconsideratè usurpari, nec temere denegari par est. In horum omnium fidem non alium, quam te ipsum appellare mihi licuit, ne quis me in hanc controversiam intempestivè prosiluisse causaretur. Jam ad rem ipsam aggredior.

Etsi nulla temporis diuturnitas præscribit veritati: ea tamen apud cordatos homines viget æquitatis ratio, ut quæ longo temporum consensu firmata sunt ac probata, infirmari aut rejici non possint absque manifesta auctoritate. Ea verò fuit apud veteres persuasio de Gregorii Magni professione Benedictina, ut ante illustrissimum Cardinalem Baronium nemo, aut fere nemo, inventus sit, qui hoc in dubium revocarit.

Post vulgatam Baronii opinionem novam restitere plures, non nostrorum modò, sed etiam exterorum: quos inter Johannes Seldenus, vir doctus, sectæ Anglicanæ, Baronii conjecturas non magni ponderis ille judicavit, nec tales sanè, quales oportebat esse, ut recederunt à *receptissima* (ita ipse vocat) *vetustatis sententia*. Quidni receptissima dicatur atque vetustissima? quam ab annis minimùm octingentis eruditorum hominum consensus probavit; quam manifestis indiciis & argomentis persuadent Gregorius ipse, tum Bonifacius Papa quartus, & sanctus Aldhelmus Schireburnensis Episcopus Gregorii ævo; quam disertè adfirmant Ambrosius Autpertus sæculo octavo; Amalarius & Johannes Ecclesiæ Romanæ Diaconus nono; undecimo Aimoinus Floriacensis Monachus: tertio-decimo sanctus Thomas Aquinas; sanctus Antonius Antistes Florentinus quinto-decimo; Thomas Bozius, aliique sæculo insequenti, ut Johannem Trithemium, Paulum Langium, & alios è nostris omittam. Hæc si vera sunt, ut postea demonstrabo, nemo ulteriùs, opinor, Baronii auctoritatem in præjudicium nobis objiciet, maximè cùm ejus conjecturis responsiones certas reposuero.

Ut autem ordine totam hanc litem expediam, duo in præsenti demonstranda suscipio, nimirum Gregorium & Monachum fuisse, & Regulæ sancti Benedicti addictum, quorum alterum hactenus fere pro concesso habitum, ac prætermissum; alterum non semel explicatum à nostris, ita exponam, ut aliorum argumenta cum delectu adhibiturus sim, novis aliunde copiis advectis.

Pars Prima.

I.

De monastica Gregorii professione dubitare non sinit nos manifesta ipsius Gregorii, adeoque Bonifacii Papæ quarti auctoritas. Quantum enim difficultatis passus sit vir sanctus in eo proposito exsequendo, commemorat ipse in epistola ad Leandrum Episcopum initio Moralium præfixa, his verbis: *Dudum te, Frater beatissime, in Constantinopolitana urbe cognoscens, cùm me illic Sedis Apostolicæ responsa constringerent, & te illuc injunctio pro causis Fidei Vesigothorum legatio perduxisset, omne in tuis auribus quod mihi de me displicebat exposui: quoniam diu longeque conversionis gratiam distuli; & postquam cœlesti sum desiderio afflatus, sæculari habitu contegi melius putavi. Aperiebatur enim mihi jam tunc de æternitatis amore quod quærerem: sed inolita me consuetudo devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specie tenus deservire, cœperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere, ut in eo jam non specie, sed (quod est gravius) mente retinerer. Quæ tandem cuncta sollicitè fugiens, portum Monasterii petii; & relictis quæ mundi sunt, ut frustra tunc credidi, ex hujus mundi naufragio nudus evasi.* Heic manifestè significat Gregorius, se concepto melioris vitæ proposito non statim adduci potuisse, ut sæcularem habitum deponeret in Monasterio: sed id demum præstitisse, ubi sub sæculari cultu mentem suam ab sæcularibus studiis revocari non posse intellexit. Tum *cuncta*, id est omnia retinacula, quibus ne *exteriorem cultum* seu *sæcularem habitum* mutaret, impediebatur, *sollicitè fugiens, portum Monasterii petiit, quæ mundi sunt, reliquit*; ac demum *ex hujus mundi naufragio nudus evasit*. Quo in loco Gregorius unam eamdemque rem tribus modis expressit in idem recidentibus. Quippe *portum Monasterii petere*, Gregoriano stilo idem est, ac Monachum fieri religiosa veste suscepta. Huic rei probandæ aptissima est libri 10 epistola 39, qua Desiderium Galliæ Episcopum monet, ut ne Pancratium ipsius quondam Clericum, qui ad Monasterium confugerat, denuo ad ecclesiæ curam revocaret. Quam ob rem verò? *Ut qui quietis desiderio portum Monasterii appetiit, rursum in ecclesiasticarum curarum perturbationibus non implicaretur.* Atqui superiùs præmiserat Gregorius, eumdem Pancratium *gratiam monasticæ conversationis appetiisse, ejusque sumpsisse habitum.* Ex quibus manifestum est, Gregorio idem esse *portum Monasterii petere*, ac religiosum habitum in Monasterio suscipere. Et certè quisquis Monasterii portum petit, prorsus abjicit animum sæculi repetendi. Quod propositum is præ se non ferret, qui in Monasterio sæcularem habitum vellet retinere; eique accideret, quod sibi Gregorius accidisse dicit, ut jam *non specie tantum*, sed etiam *mente* sæculum respiceret.

His accidit, quòd temporibus illis neminem, qui monastico habitu non esset insignitus, in claustra Monachorum admitti, ibique permanere fas erat. Ad tempus quidem aliquando Clerici non mutata veste illuc retrudebantur pœnitentiæ causâ: at perpetua in claustris commoratio Monachis tantùm concessa erat. Hinc qui in Monasteria perpetuo exsilio deportabantur, tonsuram ac religiosas vestes suscipiebant vel inviti. testis Leodegarius Æduensis Episcopus, testis Ebruinus, testis etiam Childericus Francorum Rex, & alii permulti. Insignis hac de re locus extat apud Ekkehardum Monachum in lib. de casibus Monasterii S. Galli cap. 1, ubi Salomoni nobili adolescenti, qui inter ejus loci *Fratres conscriptos* adoptatus erat, claustri sancti-Gallensis aditus concessus est eo tantùm pacto, ut cucullam monachalem indueret statim ab ipso claustri ingressu, ac demum Monachum primo quoque tempore profiteretur. Homini verò instanti Tutilo Monachus respondit, in fraternitatem interdum & laïcos recipi: *quibus tamen in laïco habitu nequaquam*, inquit, *in claustro abutimur.* Hinc pueris scholaribus, qui ad Monachos studiorum causa divertebant, deputatæ erant

ſchola exteriores. Optimo certè conſilio, ne Monachi ſemel admiſſo hominum ſæcularium conſortio, in clauſtra inducerent ſæculi contagium. Jam verò Gregorius perpetuo voto ſe in Monaſterium incluſerat. Quapropter ad Pontificatum promotus, apud Theoctiſtam Imperatoris ſororem conqueritur in libri I epiſtola 5, quòd *ſub colore epiſcopatus ad ſæculum ſit reductus.* ubi *ſæculum* opponit, non laicæ (ut liquet) vitæ, ad monaſticæ ac regulari, cui ad dictum ſe fuiſſe ſatis ſuperque probat, cùm ait ſe ſe *in Monaſterii portum recepiſſe.*

Rem ampliùs explicant ſequentia Gregorii verba, quibus ſe *ea quæ mundi ſunt, reliquiſſe, & ex hujus mundi naufragio nudum evaſiſſe*, profitetur. Neque enim quis nudus ex hujus mundi naufragio evaſiſſe dici poteſt, qui mundi ſolitum cultum, id eſt ſæcularem veſtem, non deponit.

Hunc Gregorii locum ita, uti præmiſi, explicavit Venerabilis Beda in Hiſtoriæ ſuæ lib. 2, cap. 1, ita de Gregorio diſſerens: *Nobilitatem verò illam, quam ad ſæculum videbatur habere, totam ad nanciſcendum ſupernæ gloriam dignitatis, divina gratia largiente, convertit. Nam mutato repentè ſæculare habitu, Monaſterium petiit: in quo tantâ perfectionis gratiâ cœpit converſari, ut, ſicut ipſe poſtea flendo atteſtari ſolebat, animo illius labentia cuncta ſubter eſſent*, &c. Bedæ ſuccinit Paulus Diaconus in vita Gregoriana. *Mutato*, inquit, *repentè ſæculi habitu, Monaſterium petiit, & ex hujus mundi naufragio nudus evaſit.* Certè adeo manifeſtus eſt hanc in rem Gregorii locus, ut aliter explicari non poſſit.

Idipſum quod in quæſtione eſt, diſertis verbis atteſtatur Bonifacius Papa IV in Concilio Romano, quod anno Chriſti DC X, qui à Gregorii obitu ſextus erat, celebratum eſt. In eo ſiquidem Bonifacius reprehendens homines nonnullos, qui Monachos ab eccleſiaſticis muniis arceri volebant, hæc inter alia effatur: *Si veteres amuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis compar beatus Gregorius,* MONACHICO HABITU *pollens, ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet.* Ex quibus perſpicuum eſt, Gregorium non tantùm vixiſſe in Monaſterio, ſed & monaſticas veſtes ſuſcepiſſe. Nec verò id quiſquam hactenus negavit, præter anonymum quemdam ſæculi ſuperioris, teſtante Paolo Langio, à quo is duobus libellis refutatus, qui non exſtant. Porro iſtius Romanæ Synodi mentionem facit Venerabilis Beda in Hiſtoria lib. 2 cap. 4, his verbis: *His temporibus venit Mellitus Londoniæ Epiſcopus Romam, de neceſſariis Eccleſiæ Anglorum cauſis cum Apoſtolico Papa Boniſacio tractaturus. Et cùm idem Papa reverendiſſimus cogeret Synodum Epiſcoporum Italiæ, de vita Monachorum & quiete ordinaturus, & ipſe Mellitus inter eos aſſedit, anno* VIII *imperii Focatis Principis. Indictione XIII, III die Kalendarum Martiarum.* quæ chronologicæ notæ anno DC X conveniunt, non anno DC XVIII, quo iſtud Concilium repoſuit Sigebertus. Ergo anno DC X actum eſt Romæ in Synodo *de vita & quiete Monachorum*, eamque ob cauſam conditum eſt hoc decretum Clericos prohibens ab infeſtatione Monachorum; quibus eccleſiaſticis muniis interdictum eſſe illi volebant. Hoc verò decretum integrum retulit Ivo, & poſt eum Gratianus partim; retulit etiam Urbanus Papa II in Synodo Nemauſenſi anno M XCVI, quæ Synodus in Spicilegii tomo 4 primùm typis edita eſt. Ex his omnibus liquidò conficitur, Gregorium non tantùm vixiſſe in Monaſterio, ſed etiam more ſollemni monaſticæ vitæ nomen dediſſe, religioſa veſte ſuſcepta. Cujus rei argumentum coronidis loco nobis ſuggerit Johannes Diaconus, qui ex baltei forma & exilitate, qui in mortui Gregorii ſepulcro poſt annos ab ejus obitu ducentos inventus eſt, ejus *propoſitum regulare* infert.

Tam perſpicua, tamque neceſſaria, quæ hactenus pro Gregorii Monachatu protuli argumenta, nullatenus, ut tu ipſe, Vir eruditiſſime, cenſes, unius Gregorii Turonenſis Epiſcopi ſilentium elevare poteſt. Neque enim certis ac indubitatis argumentis, rem clarè ac diſertè atteſtantibus, officit abnutivum argumentum, ab unius auctoris ſilentio petitum. Immo ſi attentè Gregorii Turonenſis locum expendamus, hunc intentui noſtro intelligemus non obſcurè ſuffragari. Is quippe auctor initio libri X Hiſtoriæ ſuæ teſtatur, Gregorium Romanum ab adoleſcentia devotum Deo, ex rebus propriis ſex in Sicilia ædificaſſe Monaſteria, ac ſeptimum intra urbis Romæ muros inſtituiſſe: *Quibus*, inquit, *tantam delegavit terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum ſufficeret; reliqua vendidit cum omni præſidio domus, ac pauperibus erogavit.* Quod quidem non niſi homini ſæculo nuncium remittenti fere contingit. Et certè mox Gregorius Romanus Monaſterium ingreſſus eſt, ut ex ſuo ipſius teſtimonio liquet: *& qui ante ſerico contextu ac gemmis micantibus*, uti ſubdit Gregorius Turonenſis, *ſolitus erat per Urbem procedere trabeatus; nunc vili contectus veſtitu ad altaris dominici miniſterium conſecratur*, &c. Ubi auctor ipſe ſerico ac gemmis micanti ornamento opponit religioſam veſtem, quam *vilis veſtitus* nomine intelligit, monachalem dicturus, niſi aliter exegiſſet oppoſitorum lex. *Vilem* porro dixit eo fere modo, quo ſanctus Benedictus ad Monachorum veſtem deſignat id panni genus, *quod vilius comparari poteſt.* Atque ut ampliùs videas id Gregorium Romanum relicto ſæculo præſtitiſſe; addit Gregorius Hiſtoricus, eum electioni ſuæ in Pontificem diu reſtitiſſe, *ne quod priùs abjecerat, rurſum ei* IN SÆCULO *de adepto honore jactantia quadam ſubreperet.* Itaque ex mente Gregorii Turonenſis Gregorius Romanus facultatibus in pauperes erogatis, *ſæculum* & quæ ſæculi ſunt, abjecit, ſericas item ac gemmantes veſtes depoſuit, *vilem veſtitum* præferens, id eſt monaſticum, quod hactenus demonſtrandum ſuſcepi.

II.

Quo in Monaſterio vitæ monaſticæ rudimenta didicerit Gregorius, ſignat ipſe variis in locis, nimirum *in Monaſterio*, inquit, *meo*, id eſt ſancti Andreæ, quod Romæ conſtruxerat. Sic enim ſcribit in libro quarto Dialogorum, capite vigeſimo primo: *Vita namque venerabilis Valentius, qui poſt in hac Romana urbe mihi, ſicut noſti, meo quoque Monaſterio præfuit*, &c. & in capite 55: *Neque hoc ſilendum puto, quod actum in meo Monaſterio ante hoc triennium reminiſcor. Quidam namque Monachus, Juſtus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem Monaſterio conſtituto ſedulè obſequi, atque in aſſiduis ægritudinibus meis excubare conſueverat.* Clariùs Johannes Diaconus in ejus vitæ libro I capite 6, agens de Monaſteriis à Gregorio conſtructis. *Septimum*, inquit, *intra Romanæ urbis mœnia ſub honore ſancti Andreæ Apoſtoli, juxta baſilicam ſanctorum Johannis & Pauli, ad clivum Scauri, Monaſterium in proprio domate fabricavit: in quo relictis ſericis, auro gemmiſque radiantibus togis, ſimulque ſupellectilibus reliquis in uſum pauperum erogatis, ex hujus mundi naufragio nudus evaſit; diuque deſideratum monachicum capiens indumentum*, &c. Jam quantum moræ in Monaſterio fecerit Gregorius noſter, expendendum eſt.

III.

Duplicem Gregorii commorationem in Monasterio distinguere juvat, unam ante; alteram post susceptum Diaconatus gradum & legationis munus: quæ utraque annorum fere septem aut etiam octo fuit.

Ut plures primæ commorationis annos Gregorio tribuamus, illud exigit, quòd in Monasterio duobus minimùm Abbatibus paruit, Valentio scilicet, ex libri quarti Dialogorum capite vigesimo primo; & Maximiano, qui tum, cùm Gregorius Legatus factus est, Andreani Monasterii Pater erat, ex libri 3 capite 36. Deinde Merulus Monachus, quem Gregorii in Cœnobio socium ac discipulum fuisse ait Johannes Diaconus in lib. 1. de Gregorii vita cap. 19, ante annos quatuordecim quàm Gregorius Dialogos scriberet, id est ante annum D LXXX, è vivis abierat, auctore Gregorio in lib. 4. Dialogorum cap. 47. Ergo ante eum annum Gregorius jam Monachum induerat. Accedit quòd jam tum adeo exquisitam hauserat rerum moralium intelligentiam, ut Constantinopoli rogatus à Leandro Hispalensi Episcopo, inchoaverit libros Moralium, in quibus admirabilem rerum divinarum cognitionem suspiciunt omnes. An verò fieri potuit (quod quidem factum esse necesse est, si exiguo temporis intervallo Monachus ante legationem fuit) ut Gregorius inter varias Romanæ Præfecturæ sollicitudines curasque tumultuantes, tam intimè res morales calluerit degustaveritque? Certè nemo rerum spiritualium peritus hoc sibi persuadere poterit, maximè si perpendat, quòd Gregorius se *inolita consuetudine devinctum, ac mente in mundo retentum, diu conversionis gratiam*, qua divinitus ad vitam monasticam invitabatur, *distulisse* plangit in præfatione Moralium. Non ergo alibi quàm in Monasterio hunc sapientiæ apicem apprehenderat, ubi proinde ante plures annos, quàm Diaconus crearetur, vixisse dicendus est.

Baron. ann. 581 & 583.

Breviorem hanc fuisse moram, id est vix integri biennii, censet Baronius, hoc adductus argumento, quòd urbanam Præfecturam adhuc gereret Gregorius anno octogesimo primo supra quingentesimum; tum Monachus factus, altero pòst anno accepta Diaconi Cardinalis dignitate, Constantinopolim directus sit à Pelagio Pontifice Romano. Ipsum enim anno suprà dicto etiam tum Prætorem Urbis subscripsisse cautioni seu litteris professionis à Laurentio Mediolanensi Pontifice initio sui episcopatus ad Papam pro more missis. Porro Laurentium sedisse annos duodecim, ex monumentis Ecclesiæ Mediolanensis, eique successisse Constantium anno quingentesimo nonagesimo tertio, testante Gregorio in epistolis ad Exarchum Italiæ, & ad Johannem Subdiaconum, datis Indictione undecima.

Constantii pontificatûs initium anno D xcIII cum Baronio admitto, sed nihil contra me. Tota enim ejus illationis moles nititur recentioribus Mediolanensium Pontificum indicibus, quos constat non ita esse accuratos, ut citra omnem dubitationem ex iis definiri possit spatium temporis, quo quisque sedem tenuit. Deinde, ut sint accurati, repono, Laurentium quidem forsan annos dumtaxat duodecim sedem habuisse tranquillam atque pacatam; sed annis minimùm septem antea fuisse electum, tametsi per Frontonis tyrannidem ei pacato esse non licuit usque ad annum D LXXXI, quo Fronto è medio sublatus est. Quippe post Honoratum Mediolanensis Ecclesiæ Antistitem anno D LXX, seu anno post tertio mortuum, » Fronto seu Frontonius, aliis Junctus » appellatus, malis artibus cathedram occupavit, » haud inter legitimos ejus Ecclesiæ Præsules numerandus, « loquit Ferdinandus Ughellus in Italiæ sacræ tomo quarto. Quis credat interim cives Mediolanenses æquo animo tulisse illum invasorem, nec de canonica electione cogitasse ad usque annum D LXXXI, quo Fronto morte correptus creditur? Quin potiùs veri similius est, Honorato mortuo brevi pòst intervallo subrogatum fuisse Laurentium, qui apud Ligures tum exsul, statim ad Romanum Pontificem direxerit cautionem suam, cui Gregorius adhuc Prætor subscripsit paullo post annum D LXX aut LXXIII. quamvis fortasse Laurentius ante Frontonis mortem tranquillus in sede sua consistere non potuerit. Sic ergo Gregorius potuit recipere sese in Monasterium post unum aut alterum annum, quàm cautioni Laurentii subscripsit: ubi suscepto religioso habitu privatus vixit ad annum D LXXXIII, quo Diaconus creatus & Constantinopolim missus a Pelagio est. Huic sententiæ accedunt Bollandiani operis continuatores, Henschenius & Papebrochius, in §. 2. ad vitam sancti Gregorii, ubi Honorato Mediolanensi Episcopo Laurentium substituunt anno D LXX. ac paullo pòst Gregorium monasticam vitam amplexum esse sentiunt.

IV.

Reversus è legatione sua Gregorius, rursus in Monasterii sui portum confugit; ubi etiam Abbatis munus gessit; ut ipse declarat in Constituto pro Monachis apud Baronium edito, his verbis: *Gregorius Episcopus omnibus Episcopis. Quam sit necessarium Monasteriorum quietis * conspicere, & de eorum perpetua securitate tractare; anteactum nos officium, quod in regimine Cœnobii exhibuimus, informat.* Hinc est quòd Pretioso Præposito, quem Baronius Abbatem perperam vocat, præcipit, quod in Justum Monachum proprietatis (ut vocant) reum agendum sit, ex libri 4 Dialogorum capite 5 5, usus hoc in facto jure & potestate Abbatis. Baronius anno D LXXXVI primùm, dein revocatâ sententiâ in appendice tomi 12, anno D LXXXIV statuit Gregorii reditum Romam: ubi vir sanctus, quantum ecclesiasticæ res ferebant, in Monasterio suo vixit usque ad autumnum anni D XC, quo Pontifex creatus est. De primo capite hactenus.

Baron. ann. 601.

* f. prospicere.

Pars Secunda.

V.

QUÆ Regula, qualeve Monachorum institutum in Andreano Cœnobio viguerit, quum Gregorius istic religiosum suscepit habitum, jam secundo loco investigandum est. Benedictinam eo loci viguisse Regulam multa persuadent, nempe ipsius Regulæ observatio & auctoritas apud Monachos Andreanos; Gregorii singulare studium in eamdem Regulam ejusque auctorem; ipsiusmet Regulæ propagatio per Gregorii discipulos facta in Britannia; testimonia veterum, qui ab annis fere nongentis Gregorium sodalibus Benedictinis, nullo secus ante Baronium sentiente, adnumerant. Hæc paucis explicanda, postquam de libris Dialogorum nonnulla præmisero.

Libros quatuor Dialogorum genuinum Gregorii fetum esse, certis ac necessariis demonstravi argumentis in Præfatione primi sæculi nostri, nimirum auctoritate ipsius Gregorii, Isidori, Hildefonsi, Aldhelmi Episcoporum, Bedæ & Pauli Diaconi: quibus adnumerandi Paterius Gregorii discipulus, & Taio Cæsaraugustanus Antistes sub medium sæculum septimum: qui in sua quisque collectione testimonia ex libris Dialogorum proferunt. adnumerandus etiam

Paulus Diaconus Emeritensis in præfatione ad Vitas Patrum Emeritensium, aliique posteriores auctores. Dialogorum liber secundus, qui totus est de sancti Benedicti gestis, Gregorio manifestè adseritur testimonius Paterii, Aldhelmi Episcopi Schireburnensis in Anglia, Bedæ & Pauli Diaconi, Monachi Casinensis, quæ hoc loco tetigisse necesse est, ut infitiatoribus omnis occasio præcludatur. Paterius in sua collectione, quam ex Gregorii operibus ipso vivente ac probante condidit, cùm sexdecim in locis laudet libros Dialogorum, quinquies ex libro secundo sententias producit, nempe capite 67 in Matthæum ex libri secundi Dialogorum capite 23, capite 55 in Lucam ex capite 3, capite 43 in Johannem ex capite 38, capite 27 in Acta ex capite 30, & capite 26 in epistolam ad Romanos ex capite 16. Præterea Aldhelmus, anno DCC IX mortuus, in libro metrico de virginitate Benedictum commendat his aliisque versibus:

Cujus præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius Præsul chartis descripserat olim.

Aldhelmo suffragatur Beda in libro de temporibus sub Justino seniore. *Benedictus Abbas*, inquit, *virtutum gloriâ clarus, cujus vitam beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum scripsit.* Denique ut ceteros omittam, idem tradit Paulus Warnefridi in libro primo de gestis Langobardorum capite 26, agens de sancto Benedicto: *cujus vitam*, ait, *sicut notum est, beatus Papa Gregorius in suis Dialogis suavi sermone composuit.* His ita constitutis, ad id cujus probandi gratia hæc adduxi, tandem regredior.

VI.

Lego duplicem in Gregorii scriptis locum, ubi mentionem facit Regulæ Monasterii sui, nimirum in responsione ad Augustinum, quem *Monasterii* utique sui *Regulis eruditum* dicit; & in libri quarti Dialogorum cap. 55. ubi agens de crimine peculii, quod Justus Andreani Cœnobii Monachus commiserat, hæc scribit: *Quod mox ut mihi nuntiatum est, tantum malum de Fratre, qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui. quippe quia ejusdem mei Monasterii semper Regula fuerat, ut cuncti Fratres ita communiter viverent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret.* Quæ fuerit hæc Regula, scripto, an usu tradita, non definit Gregorius. sed tamen ex verbis quibus utitur, colligere possumus, non aliam fuisse quàm Regulam sancti Benedicti, cujus eadem ferè verba sunt in capite 33, in quo quærit, *Si quid debeant Monachi proprium habere?* Statuit verò, *ne quis præsumat aliquid habere proprium, nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiserit: omniaque omnibus sint communia.* Eadem ferè utrobique verba, ita ut Gregorius Regulam Monasterii sui signare volens, respexisse videatur ad Regulam sancti Benedicti, cujus verbis heic usus est.

Deinde eadem Regula Monachis Andreanis à Gregorio imposita sine dubio est, quæ Monachis Siciliæ ab eo institutis. Atqui Gregorius Luciliani in Sicilia Monasterii, cujus ipse auctor fuit, Monachum arguens, qui partem eulogiæ à Bono Monacho contentiosè postulaverat, ita scribit ad Urbicum Cœnobii sancti Hermetis Abbatem in libri 9 epistola 42: *Quod quanta amaritudine cordis descenderit, poterat tua dilectio scire, si Regulam Monachorum nosse*, id est attendere, *voluisset.* Quænam est illa, quæso, *Regula Monachorum*, nisi Regula sancti Benedicti? de quo ipse ita loquitur in libro secundo Dialogorum: *Scripsit Monachorum Regulam, &c.* Benedicti, inquam, quia à Bonifacio Papa quarto in Concilio Romano κατ' ἐξοχὴν dicitur *Monachorum præceptor*, quemadmodum Regula ejus à Gregorio appellatur *Regula Monachorum*, in cujus cap. 44 eulogias citra nutum Abbatis dare vel accipere Monachis prohibetur. Accedit quòd in ea epistola mentio fit de Præposito Abbati subjecto, ac de Cellerario Monasterii: quæ nomina & munia sunt sancti Benedicti, non sancti Basilii Regulæ, de qua sola hic controversia injici potest.

Præterea eam sine dubio Regulam Monachis suis præscripsit Gregorius, quam prætulit ceteris, & cujus auctorem præ aliis quos laudavit Patribus commendavit. Nullam vero aliam quàm Benedicti Regulam prædicat Doctor sanctus: qui cùm in libris Dialogorum virtutes seu miracula Sanctorum Italiæ describenda susceperit, nullius tamen vitam integram accuratè & ex ordine refert, nisi solius Benedicti: & qui in aliis laudandis unum aut alterum capitulum insumere solet, Benedicti rebus commemorandis totius libri secundi capita octo & triginta impendit. Neque hac diligentia contentus, eum iterum data occasione laudat in libri quarti capitibus septimo & octavo. Ut autem intelligant omnes, quo animo in Benedictum affectus sit, vitam ejus à principio ad exitum persequitur, ab ortu ad obitum: cujus singulas circumstantias (ut vocant) studiosè exponit. Ad hæc, oratorio more virum sanctum comparat cum veteris Testamenti magnis viris: & qui in aliis uno fere teste contentus est, in Benedicti factis probandis testes adhibet quatuor ejus discipulos, & ex nomine designat. Non ita est affectus in quemvis alium Sanctum, ne quidem in Æquitium, cujus elogium unico libri primi capite quarto complectitur. Neque putes heic Gregorio materiam, non diligentiam studiumve defuisse. siquidem Petrum interlocutorem, plura de Æquitio scire cupientem, ad Albinum Episcopum remittit his verbis: *Ne tamen vita ejus cognitione frauderis, bene hanc reverentissimus vir Albinus Reatinæ Antistes ecclesiæ cognovit, & adhuc supersunt multi, qui scire potuerunt.* Poteratne luculentius Pontifex summus suum adversus Benedictum præ sancto Æquitio & aliis declarare studium & amorem vere filialem?

Et attende quàm singulari elogio ejus Regulam celebret in libri secundi Dialogorum capite trigesimo-sexto, ubi eam vocat *Regulam Monachorum, discretione præcipuam, sermone luculentam.* Quisquis hæc legit, facilè in animum inducet, Gregorium, si amplectendæ aut eligendæ Regulæ potestatem habuit, aliis prætulisse Regulam istam, quam tanti faciebat. Atqui ipsi integrum fuit, Romano sancti Andreæ Monasterio itaque aliis in Sicilia ab se ædificatis quam vellet Regulam præscribere: nec aliam sine dubio voluit præter eam ipsam, quam unicè commendavit.

Dices, id quidem ita videri, si constaret, Gregorium ita de sancto Benedicto ejusque Regula sensisse, priusquam Monachus, aut certe Pontifex factus esset: rem verò forsan aliter se habuisse, si eo solùm tempore, quo libros Dialogorum scripsit, (nam scripsisse anno tertio pontificatus sui) eam sancti Benedicti ejusque Regulæ notitiam acceperit.

At certè accepit etiam antè, quàm Monasteria sua conderet. Quæ enim de S. Benedicto commemorat, *quatuor illius discipulis referentibus* didicit, CONSTANTINO *scilicet, qui ei in Monasterii* Casinensis *regimine successit*; SIMPLICIO *quoque, qui congregationem illius post eum tertius rexit*, &c. Porro eorum primus ad annum D LX, alter ad D LXX vix pervenit: quandoquidem clades Casinensis per Langobardos, quæ sub Bonito Casinensi Abbate quinto contigit, ante annum ejusdem sæculi octogesimum

accidit, ut in Sæculo primo demonstravi in Notis ad vitam sancti Benedicti. Constantino proinde atque Simplicio referentibus Gregorius Benedicti egregia facta noverat ante aliquot annos, quàm sancti Andreæ Monasterium ædificaret. nam istud Monasterium ante Langobardorum adventum non fuisse conditum, inferiùs dicam.

Quid? quòd Gregorius Papa sancti Benedicti Regulam in Concilio Romano laudasse, atque omnibus Latini orbis Monachis approbasse, & imposuisse memoratur. In cujus rei fidem assero non tantùm vulgatum ipsius privilegium pro Sublacensi Monasterio, sed maximè auctoritatem Patrum Concilii Duziacensis secundi, quod anno DCCCLXXIV celebratum est, ex capite 7 in hæc verba: *Eadem Regula*, nempe sancti Benedicti, *sancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate beati Papa Gregorii inter canonicas scripturas & catholicorum Doctorum scripta teneri decreta est.* Hic locus, ne quid dissimulem, duplicem pati sensum potest. Primus est, Gregorium sancti Benedicti Regulam in frequenti Episcoporum cœtu laudasse, & *inter canonicas scripturas & catholicorum Doctorum scripta* communi decreto retulisse. Alter sensus esse potest, eam Regulam à Gregorio fuisse commendatam in libro 2 Dialogorum: qua ex commendatione inter canonica scripta referri meruerit. Utrolibet modo hunc locum intelligas, æquè facit pro causa nostra. Præferenda tamen videtur interpretatio prior. Cùm enim Synodo Romana anno DCX, hoc est à Gregorii obitu anno sexto, inter Clericos ac Monachos controversia de ecclesiasticis muniis mota fuisset; litem diremit Bonifacius Papa Regulæ sancti Benedicti auctoritate, pronuntians ea Monachis licere. *Neque enim*, ait Pontifex, *Benedictus, Monachorum præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor.* Ergo jam tum hæc Regula inter canonica scripta Ecclesiæ Romanæ relata erat: cùm ex ejus præscripto Bonifacius & Patres Synodi Romanæ decretum suum condiderint. Non ergo alius Pontifex, quàm Gregorius, tantoperè in Benedictum ejusque Regulam affectus, eam auctoritatem Regulæ nostræ conciliavit, ut inter canonicas scripturas haberetur. Nam inter Gregorium & Bonifacium duo tantùm sedere Pontifices, Sabinianus & Bonifacius III, quorum alter vix mensibus octo, alter verò sex, nulla re memorabili gesta decesserunt. Verùm sit superiorem Duziacensis Concilii locum posteriori sensu intelligendum esse, non minùs certè hoc modo causæ nostræ favet. Si enim tantum apud alios omnes Gregorii Regulam nostram laudantis auctoritas valere potuit, ut ab omnibus Latini orbis Monachis reciperetur: quanto magis ejus Regulæ opinio, quam Gregorius altè defixam animo gerebat, apud ipsum Gregorium obtinere debuit ut eam Andreanis Monachis imponeret, ac demum ipse eamdem profiteretur? In summa, etiamsi Duziacensis Synodi posterior interpretatio absolutè prævalere concedatur; nihilo minus firma & integra manet vis argumenti, quod ex Romani Concilii decreto per Bonifacium deduxi, ad probandum intentum, nimirum Regulæ nostræ approbationem & auctoritatem in Ecclesia emanasse ex Gregorii sententia, qui eam proinde in suo Monasterio fuerat amplexus.

Denique modò constet, Commentarios in librum primum Regum Gregorio tribuendos esse, ineluctabile habebimus causæ nostræ præsidium. Auctorem namque Monachum fuisse patet ex libro 1 capite 1, his verbis: *Qui abrenuntiantes sæculo remotioris vitæ secretum petimus, Monachi vocamur.* Abbatem etiam fuisse constat, & quidem institutum Benedictinum, ex libro quarti capite 4: *Qui arti imam conversionis viam imperant, noviter accedentibus facilè adi*tum non impendant. *Quare & ejusdem artissimæ vitæ Magister optimus, summæ Veritatis discipulus eruditus, præcepit dicens: » Probate spiritus si ex » Deo sunt. » & item: » Nuntientur ei dura & aspera, » per quæ itur ad Deum, ut sciat ad quid intrat. »* Quæ verba desumta sunt ex Regulæ nostræ capite 58. Et infrà idem Commentator: *Hoc namque Novitiorum nostrorum mentes audiant & expavescant, quia videlicet quod nobis dicunt, in auribus Domini loquimur. Nam quod coram Deo nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipse jam de manibus nostris teneat quod exquirat*, &c. Abbatis porro est ex Regulæ nostræ præscripto, Monachorum professionem excipere, Deoque offerre. quod totidem fere verbis præscribit sanctus Benedictus loco mox citato, ubi etiam *Novitii* nomine utitur.

VII.

Hæc, inquam, manifestè probant, Gregorium Regulæ Benedictinæ servantem fuisse, modò nobis constet, ipsum horum Commentariorum esse auctorem. Et certè multa hoc faciunt. primò stilus & modus explicandi res planè Gregorianus: tum libri 10 epistola 22 à Gregorio scripta ad Johannem Ravennæ Diaconum *Præterea*, inquit; *quia idem carissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, & DE LIBRIS QUOQUE REGUM, & de Heptateucho audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui; ipse ea suo sensu & stilo dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatiùs dictarentur. Quæ cùm mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde in multis inutiliùs fuisse permutatum. Unde necesse est, ut tua experientia omni excusatione atque mora cessante ad ejus Monasterium accedat, convenire Fratres faciat, & sub omni veritate quantascumque de diversis Scriptura chartas detulit, ad medium deducant. quas tu suscipe, & mihi celerrimè transmitte.* Ex his Gregorii verbis intelligimus, Gregorium aliqua dictasse in libros Regum, easque à Claudio Abbate non satis accuratè descripta, postmodum à Gregorio emendata fuisse, cùm Claudius ea ipsi relegit: sed tamen exemplaria quædam ad Gregorii sensum non fuisse correcta, quæ ipse ad se transmitti præcepit *mense Februarii, Indictione quinta*, id est anno Christi sexcentesimo, quo jam Claudius obierat. Ex quibus conjicio, prædictos Commentarios in superiori epistola commemoratos, in Andreano Monasterio dictatos à Gregorio fuisse, & ex ore loquentis exceptos à Claudio, quem suum ipsius filium vocat, hoc est discipulum & ejusdem Monasterii Monachum: nec proinde mirum esse, quòd Gregorius se Abbatem in Commentariis illis dicat: cùm eos scripserit Abbas (nam Abbatem eum fuisse superiùs probatum est) ante susceptum pontificatum. id quod satis suadet mors Claudii exscriptoris, quæ initio anni sexcentesimi contigit post administratam aliquamdiu Classitani Monasterii abbatialem dignitatem: qua accepta, recesserat à Gregorio, ut in Monasterio suo prope Ravennam consisteret. Ceterùm Ratherius Veronensis Episcopus hos Commentarios legit, & Gregorio tribuit in parte prima de contemtu canonum, ita scribens: *Quid tamen inde proveniat, non à me discere quivis expostulet. Gregorium audiat. Causa, inquit, ruina populi, Sacerdotes mali.* quæ totidem verba leguntur in illorum Commentariorum libro secundo, capite itidem secundo; tametsi eo loci ex Osea Propheta citantur, petita haud dubiè ex versu octavo capitis noni, qui sic habetur in vulgata editione: *Propheta laqueus* Spicilegii tom. 2 p. 185.

ruinæ

ruina factus est super omnes vias ejus. Ergo ante annos septingentos in Ratherii manus venit scriptus codex, in quo isti Commentarii Gregorii nomen præferebant. Et fortasse quidem Ratherius, cùm in Italia versaretur, utpote Veronensis Episcopus, hos Commentarios, quorum in partibus nostris rarissima sunt exemplaria, recuperavit, legitque; ac præmissam Scripturæ sententiam, quam in vulgata editione non invenit apud Oseam, sub Gregorii nomine retulit. Porro vel ex hac una istius Commentarii citatione liquet, ejus conditorem non semper vulgata usum versione fuisse, quod etiam probatur ex lib. 1 cap. 2, ubi locum ex Propheta Habacuc refert ex versione LXX Interpretum. Gregorius verò aliquando novam, aliquando veterem adhibebat, ex Præfatione Moralium, in qua hæc verba: *Nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo: ut quia Sedes Apostolica, cui Deo auctore præsideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.* Nihil ergo mirum, si in Commentario Regum quidam Scripturæ versus paululum aliter, quàm in aliis Gregorii libris referantur: maximè cùm ea diversitas Claudio Abbati imputari possit.

Ceterùm hoc loco dissimulare non possum, mihi subortam aliquando suspicionem, num iste Commentarius esset adscribendus sancto Odoni Abbati Cluniacensi, qui, ut ipse præfatur in abbreviatione sua ad libros Moralium, *ante biennium*, quàm eam scriberet, *in Regnorum libro, aggregatis omnibus Patrum sententiis, maximè autem sanctissimi Patris Gregorii, unum condiderat libellum*, id est opusculum. Sic enim veteres non raro loquuntur. Illud augebat suspicionem, quòd eodem ferè modo Commentator Regum Sacerdotes luxuriæ deditos, ac Odo in lib. 2 Collationum, exagitat. Verum hanc mihi dubitationem sustulit primò styli dissimilitudo, quæ in isto Commentario & in Odonis Collationibus apparet. Deinde quòd Commentator Sacerdotes carnis vitiis deditos depositioni; Odo verò tantùm pœnitentiæ addicit. Demum quòd Ratherius Odonis æqualis hunc Commentarium Gregorio adjudicavit; cujus unius sententia opposita, non magni sanè momenti, conjecturas refellit. Hæc per excessum dicta ad illustrandum hujusce commentationis auctorem, dum certiora hac de re suppetant instrumenta.

VIII.

Post argumenta ex Gregorii scriptis petita, quibus Ordini sancti Benedicti non obscurè vindicatur; nunc aliud prævalidum atque necessarium proponendum est ex propagatione Regulæ nostræ apud Britannos facta per Gregorii discipulos, Augustinum, aliosque ejus sodales.

Augustinum in eodem quo Gregorius Monasterio vixisse Monachum, ipsiusque Gregorii discipulum fuisse, constat tum ex libri 7 epist. 30 Indict. I ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, qua in epistola Augustinum *Monasterii mei Monachum*; tum ex ejusdem lib. ep. 114 ad Syagrium Augustodunensem Episcopum, ubi *Augustinum quondam Monasterii mei Præpositum* vocat; tum ex epistola Bonifacii ad Ethelbertum Cantuariorum Regem, ex Concilii Clovesho-viensis capite 17, aliisque testimoniis, in quibus Augustinus *Gregorii discipulus* nuncupatur. Augustini sodales ejusdem instituti fuisse, patet ex eo, quòd Abbatem eis constituit Augustinum Gregorius, ex epistolâ à Beda relata in hist. lib. 1 cap. 23. Augustinus in Britanniam missus Indict. XIV, seu an. Christi DXCVI, instauratâ Cantuariæ sancti Salvatoris ecclesiâ, *fecit Monasterium non longè ab ipsa civitate ad Orientem, in quo ecclesiam construxit in honorem Apostolorum Petri & Pauli*, teste Beda in libri primi capite 33. *Quam tamen ecclesiam non ipse Augustinus, sed successor ejus Laurentius consecravit. Primus autem ejusdem Monasterii Abbas Petrus Presbyter fuit.* Melitus Augustini successor, in Monasterio Dorobernensi, *quod Augustinus, beatæ memoriæ Gregorii discipulus, sancti Salvatoris nomini consecravit*, Monachos constituit, concedente Bonifacio Papa quarto in epistola ad Ethelbertum, ubi apostolica auctoritate decernit, *ut ipsi vestri prædicatores Monachi Monachorum gregem sibi adsocient, & eorum vitam sanctitatum moribus exornent*, id est sanctis moribus & institutis, quæ ipsi profitebantur. Secus attentare ausis Pontifex graves pœnas interminatur. Derivata est subinde Religio ex Cantuariensibus Monasteriis in alia Britanniæ Monasteria sæculo septimo, aliisque sequentibus. Vult enim in septimo consistamus, idem institutum accepere Glastoniense, Nutscellense, Maildunense seu Malmesburiense, Lindisfarnense, Eliense, Wiremuthense & Guwense, aliaque non pauca. Jam quænam in illis Monasteriis viguerit Regula, expendendum.

Benedictinam viguisse constat vel unico sancti Aldhelmi testimonio. Is ab Hadriano Abbate Monasterii sancti Petri apud Cantuariam primùm eruditus, dein Monachus & Abbas in Cœnobio Maildunensi apud West-Saxones, ac demum Schireburnensis Episcopus, mortuus anno septingentesimo nono, scripsit teste Beda librum metricum de virginitate, in quo Benedictum laudans ita canit:

Primus qui nostræ statuit certamina vitæ,*
Qualiter optatam tenerent cœnobia normam:
Quoque modo properes directo tramite sanctus
Ad superos, scandens cælorum culmina cultor.
Cujus præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius Præsul chartis descripserat olim,
Donec æthralem felix migraret in arcem.

* *al.* Primò.

Heic Aldhelmus, Monachus & Abbas Anglicanus, manifestè docet, suæ, hoc est monasticæ vitæ, modum primitus à sancto Benedicto, cujus Vitam scripserat Gregorius Papa primus, institutum fuisse, & ab eodem traditam normam, qualem suo tempore, id est sub finem sæculi septimi & sub initium octavi, tenebant Anglicana Cœnobia. Illud præterea consideratione dignum, quòd Auctor iste in duobus libris, uno strictæ, altero solutæ orationis quos de virginitate scripsit, S. Benedictum in utroque à virginitate commendat, prætermisso Æquitio, in quo tamen eam virtutem laudat Gregorius Papa. An verò Æquitium omissurus fuisset Aldhelmus, si Augustinus & Augustini socii fuissent Æquitiani instituti, aut Æquitii normam Anglicanis Monachis tradidissent?

Sed ne consideratione generali fucum veritati facere videar, descendamus paulisper ad ea quæ superiùs commemoravi Monasteria. In Glastoniensi, ubi primum Cœnobiorum Ægypti institutum viguisse dicitur, Regula S. Benedicti *cœpit exerceri*, (Glastoniensis Chronici verbis utor) ubi primum cathedralis ecclesia Cantuariensis, ac suburbanum sancti Petri Cœnobium, aliæque sedes episcopales & Monasteria, per Augustinum ejusque discipulos construi cœperunt, *secundùm beati Patris Benedicti Regulam Dromulitatura.* Eandem servabat Nutscellense, in quo Bonifacius adolescens, futurus postea Germanorum Apostolus, *labore manuum cotidiano & disciplinali officiorum administratione incessanter secundùm præfinitam beati Patris* Benedicti *rectæ constitutionis formam persistebat*, testante Wilibaldo ejus discipulo. De Maildunensi etiam explorata res est ex superiori Aldhelmi ejus loci Monachi & Abbatis auctoritate. In Lindisfarnensi Wilfridus Eboracensis Episcopus, ejectis Scottis, qui Romanos admittere nolebant ritus, Monachos substituit ad normam aliorum popularium viventes, qui Regulam

sancti Benedicti servabant, uti memoriæ prodidit anonymus loci Monachus in libro tertio de vita sancti Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis, æqualis sui. In Eliensi idem institutum servavit Ethildrita, eodem Wilfrido consulente, qui apud Willelmum Malmesburiensem Monachum gloriatur, quòd apud Northumbros *primus verum Pascha Scottis ejectis docuerit, & sanctissimi* BENEDICTI *Regulam observari jusserit.* Augustinus enim ipsiusque socii Scottorum contumaciam non omnino perfringere potuerant. In Wiremuthensi denique & in Girwensi Benedictus, cognomento Biscopus, qui priùs in suburbano Cantuariæ Monasterio sancti Petri Abbas fuerat; acceptam inde Benedicti Regulæ formam instituit, scribente Beda in libro primo historiæ Monasterii utriusque, Biscopum Abbatem morti proximum discipulis suis præcepisse, *ut juxta Regulam magni quondam Abbatis* BENEDICTI *& juxta privilegii sui decreta* probum successorem eligerent; idemque postea Ceolfridum monuisse. Unde Alcuinus in epistola quadragesima nona Wirenses & Girwenses Monachos hortatur, *ut regularis vitæ observationem à Benedicto & Ceolfrido statutam diligentissime custodiant.* quam observationem? *Regula*, inquit, *sancti* BENEDICTI *in conventu Fratrum propria exponatur linguâ, ut intelligi possit ab omnibus.* Hæc est ergo illa Regula, quam hauserat Biscopus in Cantuariensi sancti Petri Monasterio, ubi priùs Abbas fuerat, nimirum ante annum DCLXXIV, quo Wiremuthense Monasterium ædificavit. Hæc, inquam, Regula, quæ in Anglicana Cœnobia per Augustinum ejusque socios ac discipulos inducta est, non alia sanè quàm ea ipsa, cujus observationem in Andreano Monasterio didicerant Gregorio magistro & institutore. Jusserat quippe Bonifacius Papa quartus, sicuti superiùs vidimus, ut in Cantuariensi Monasterio sancti Petri » (quod etiam alibi observatum) prædicatores illi » Monachorum gregem sibi adsociarent, & eorum » vitam *sanctitatum moribus*, » hoc est sanctis moribus & institutis suis, non aliunde acceptis exornarent. Tradidissent proinde, ut sit, Æquitii normam, non Benedicti, si ipsi Æquitiani fuissent. Atqui non Æquitii, sed Benedicti mores in Monasteriis ab se institutis tradidisse, ex superioribus manifestum est: ac proinde constat, eos in Andreano Cœnobio sub Gregorio Benedictinos fuisse, utique & Gregorium; non Æquitianos. Hinc est, quòd in Britanniæ insulæ Monasteriis numquam Æquitii, sed Benedicti nomen celebre fuit. Certè in vetustissimis Litaniis Anglicanis ad usum Monachorum ante nongentos annos conditis, (nam in istis nulli Sancti octavi sæculi commemorantur) Remis in Remigiana Bibliotheca asservatis, proximè post sanctus Gregorium, Augustinum & Hieronymum nominatur SANCTUS BENEDICTUS, ac deinde plures sancti Monachi; nusquam sanctus Æquitius, cujus memoriam, si Gregorius, Augustinus, ejusque sodales Æquitiani fuissent, aut prætermissam, aut jam neglectam fuisse, veri simile non est. Denique, ut de his fidem dicendi faciam, cùm Concilii Cloveshoviensis Patres anno DCCXLVII Anglicanos Monachos aliquantum prolapsos ad primarium institutum revocare vellent, sancivere inter alia, capitulo XXIV, ut vitæ monasticæ candidati accuratè probarentur (quod caput est reformandæ in melius reipublicæ regularis) *secundum monasticæ Regulæ definitionem*, præcipientis, *probari spiritus, an ex Deo sint.* quod de Benedictina Regula intelligendum esse inferiùs demonstrabo. Non ergo dubium esse potest, eamdem Regulam primitùs ab Augustino ejusque sociis præscriptam fuisse Anglicanis Monachis: cùm eorum posteros ad ipsam revocant Concilii Cloveshoviensis Patres. Et quidem Regulam sancti Benedicti Anglicanis Cœnobiis ab Augustino traditam præceptamque fuisse veterum fuisse sententia. Aimoinus quippe Floriacensis Monachus rationes reddens, cur Angli Monachos ex Cœnobio Floriacensi peterent ad instaurandam in insula sua religiosæ vitæ disciplinam, primam hanc refert: *quia beatus Papa Gregorius, missis ad eam gentem convertendam Fidei Christi prædicatoribus, ejusdem dilecti Benedicti Regulam observandam specialiter inculcavit*, in libro de vita sancti Abonis Floriacensis Abbatis. Eodem tempore, hoc est ineunte sæculo undecimo, Ethelredus Anglorum Rex in privilegio ecclesiæ Cantuariensi concesso Christi anno millesimo sexto, causam exponens, cur in eam ecclesiam Benedictinos sodales restituerit: *Hoc ideo*, inquit, *feci*, UT MONACHOS EJUSDEM ORDINIS, QUEM HUC ATTULIT SANCTUS AUGUSTINUS, *in ecclesia posui*, *Ordinis scilicet*, *quem ille ex præcepto S. Gregorii*, *& ex magni Regis Ethelberti constitutione & auxilio in terram hanc intulit.* Ambobus præivit Johannes Diaconus, qui eamdem sententiam disertè probat, ut postea videbimus.

IX.

His quæ de Regulæ nostræ in Anglia per Augustinum propagatione hactenùs dixi, adversatur Johannes Marshamus in Propylæo ad Monasticum Anglicanum, ubi etsi scribit sancti Benedicti Regulam, postea quàm à Zacharia Papa non modò in Italia instaurata, sed etiam ultra Alpes propagata fuit, tantam demum obtinuisse perfectionis suæ existimationem, ut nullum fere non esset in Occidente Cœnobium, ad normam Benedicti vel primitùs institutum, vel denuo formatum: in hoc tamen à cæteris ferè Anglicis scriptoribus dissentit, quòd existimat, eamdem Regulam in Concilio Wintoniensi anno DCCCCLXV sub Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi ab omnibus primùm in Anglia receptam fuisse. » Tunc » primùm, inquit, Monachis præscripta fuit con- » stitutio generalis, tam ex Benedicti Regula, quàm » ex veteribus consuetudinibus contexta, quæ dicta » est Regularis Concordia Anglicæ nationis. Et in- » frà: Belleuses Monachi instituti sunt ad Benedicti » Regulam, cujus maxima fuit apud nos ab Eadgari » tempore reverentia. Verùm cùm omnino nulla sit » in Concilio Cloveshoviæ Benedictinæ Regulæ men- » tio, licèt aptissima esset illius commemorandæ oc- » casio, & altissimum sit ea de re apud Bedam silen- » tium; videamus quo modo, quove tempore Re- » gula illa Ecclesiæ Occidentali increbuit. »

Tria ergo hoc in loco dispungenda sunt. 1 Num ante Eadgarum Regem & Dunstanum Episcopum sancti Benedicti Regula in Anglia non viguerit. 2 An nulla istius Regulæ in Concilio Cloveshoviæ mentio. 3. An altissimum de ea apud Bedam silentium. quibus nonnulla pro causa nostra subjiciemus argumenta.

Johannes Diaconus in Vita sancti Gregorii à se scripta, præter alia quibus utitur ad Gregorium Ordini Benedictino asserendum, hoc momentum proponit. *Quod verò Monachi qui à Gregorio in Saxoniam*, id est Transmarinam Saxoniam seu Angliam, *missi sunt*, S. BENEDICTI REGULÆ *fuerint mancipati, inter alia etiam illud ostendit, quòd ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis inveniri, à quo non observetur tam in proposito, quam in habitu* REGULA BENEDICTI. Quid clarius aut validius adversus Marshamum proferri potest? Johannes Diaconus suam lucubrationem dedicavit Johanni VIII, qui ab anno DCCCLXXII ad decennium Romanæ sedi præfuit. Prætereà, Johannes Diaconus Gregorii vitam scribebat tempore Johannis Papæ VIII, Indictione VIII, (ut notat

in lib. 3 cap. 58) quæ Indictio anno DCCC XXV respondet. quo tempore Regula Benedictina ita apud Anglos invaluerat, ut *vix posset in illis partibus Monachus aliquis inveniri, à quo non observaretur tam in proposito, quam in habitu Regula Benedicti.* Longè ergo ante annum DCCCC LXV in Angliam inducta est Regula ista, immo longè ante Johannis Diaconi ætatem: cùm ab omni memoria post Augustini prædicationem illic eam viguisse, homines noni sæculi persuasum habuerint.

Neque proinde necesse fuit, sancti Benedicti Regulam in Concilio Cloveshoviæ anno DCC XLVII commemorari: sed satis fuit Monachos ad communis ac receptæ Regulæ normam revocare. At certè si Mareshamus Concilium istud cum Benedictina Regula attentè comparasset, hanc non obscurè expressam advertisset cap. 24 in hæc verba: *Vicesimo quarto sancitum est capitulo, ut si quis sæcularium sanctæ professionis famulatum subire desiderat, non antea tonsura habitum suscipiat, quam illius conversatio ac morum qualitas* SECUNDUM MONASTICÆ REGULÆ *definitionem manifestius probetur juxta apostolicum præceptum: Probate spiritus si ex Deo sunt. nisi aliqua rationabilis causa, ut antè suscipiantur in congregationem, rite persuadeat.* Quænam est, rogo, illa MONASTICA REGULA, nisi Benedictina? cujus verba cap. 58 Concilii verbis omnino respondent: *Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus: sed, sicut ait Apostolus, probate spiritus si ex Deo sunt.* Deinde membrum illud, *suscipiatur in congregationem*, ex eodem Regulæ nostræ capite desumtum est. Cùm igitur Concilium monasticam interponens Regulam, B. Benedicti locutione utatur; nullus justæ dubitationi superest locus, Regulæ monasticæ nomine Benedictinam à Concilii Patribus, uti sæpe aliàs, fuisse intellectam. Nec enim in aliis Regulis antiquioribus quidquam reperitur, quod prædicti Concilii dictioni disertè conveniat, ut ex Codice Regularum & ex earumdem Concordia cap. 65 evidenter colligitur. Hinc conficimus validissimum & gravissimum argumentum. Regula Benedictina Patribus Concilii Cloveshoviensis, anno DCC XLVII celebrati, absolutè REGULA MONASTICA appellatur. Non alia itaque Regula tum temporis apud Anglos vulgata erat. Sed parcendum Mareshamo, viro quidem docto, qui licèt res monasticas non segniter versaverit, monasticam tamen, hoc est Benedictinam, Regulam memoriâ tenere non debuit: nec indignè ferendum, quod nobis Venerabilis Bedæ silentium opponat, qui Bedæ aliquot opuscula recèns edita non legerat.

Historiam Abbatum Monasterii sui duobus libris à se exaratam fuisse testatur Beda in fine Epitomes historiæ Anglorum, ubi operum suorum indicem texuit: eamque diu desideratam nuper tandem edidit Jacobus Waræus, cum duabus Bedæ epistolis atque Egberti Eboracensis Episcopi Dialogo. In libro 1 ipsius Historiæ, quæ *Historia Abbatum Wiremutensium & Gyrwiensium* inscribitur, legimus Biscopum, cognomento Benedictum, Egfrido Rege Transhumbranæ regionis prædia largiente, Monasterium construxisse *anno ab incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo quarto, Indictione II, anno autem quarto imperii Egfridi Regis.* Deinde quibusdam interjectis, quartam profectionem Romam aggressus dicitur Biscopus, *post compositum juxta Regulam Monasterium.* Ceterorum fateans necesse est ac vulgatissimam Regulam illam, quæ nullo adjuncto discrimine REGULA vocatur. Sub eadem Regula Biscopus *post annum Monasterium B. Pauli construxit, præposito Abbate ac Presbytero Ceolfrido.* Ne verò pro arbitrio quænam sit illa Regula interpreteris, tandem sub finem libri 1 proprio eam nomine designat Biscopus in oratione extrema ad discipulos habita. *Multum cavetote, Fratres*, inquit, *ne de forte aliunde vobis Patrem quæratis: sed juxta quod* REGULA MAGNI QUONDAM ABBATIS BENEDICTI, *juxta quod privilegii vestri continent decreta, in conventu vestræ congregationis communi consilio perquiratis, qui secundum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam aptior ad tale ministerium perficiendum dignior que probetur*, &c. Idipsum Ceolfridus Abbas, Biscopi successor, mare transmissurus in lib. 2 inculcasse dicitur. *Utilius decrevit*, inquit Beda, *dato Fratribus præcepto, ut juxta sui statuta privilegii*, JUXTAQUE REGULAM S. ABBATIS BENEDICTI, *de suis ipsi Patrem qui aptior esset, eligerent.* Nihil interprete opus est. Desinent nunc tandem adversarii, opinor, Bedæ nobis opponere silentium de Regula S. Benedicti, agnoscent vocem hactenus ignotam: nec nobis ultra Biscopum & Bedam, sed nec Augustinum, atque adeo Gregorium eorum ducem ac parentem denegabunt.

Neque verò dici potest, Biscopum auctorem fuisse, ut Regula Benedictina primùm in Angliam veheretur. Eamdem quippe Regulam discipulis suis *contradidit*, quam in *decem & septem Monasteriis* à se perlustratis invenerat, ut loquitur Beda in Historiæ Wiremuthensis lib. 1. At ex illis septemdecim Monasteriis unum fuit Cantuariense sancti Petri Cœnobium, quod *duobus annis* regendum suscepit, eodem auctore teste, antequam Wiremuthense Monasterium conderet. In isto ergo sancti Petri Cœnobio, quod Augustinus instituerat, sancti Benedicti Regula vigebat ante medium sæculum VII, eadem certè, quam Monachis hujus loci Augustinus imposuerat. Hæc fere ex mea ad Sæculum primum Benedictinum præfatione retuli hoc loco, ne quis nobis ulteriùs Mareshami argumenta, uti nuperi quidam Scriptores, quasi non jam refutata obtrudat. Certè Bollandiani socii, viso Bedæ venerabilis duplici libello de Abbatibus Monasterii superiùs laudato, longè aliter atque aliàs de antiquitate Regulæ Benedictinæ in Anglia sentire se profitentur in Commentario prævio ad vitam sancti Elfegi Episcopi, tomo 2 sui Aprilis.

Ex his infero cum Johanne Seldeno sub finem adnotationum in Eadmeri historiam novorum, » Cœnobii sancti Salvatoris Cantuariæ incolas (ut de « aliis interim sileam) Benedictinæ familiæ, etiam « ab ipsis incunabulis, semper fuisse habitos: nihil « contrà occurrere in vetustis monumentis, in qui- « bus nullum novationis vestigium apparet. (immo « Bedam, Aldhelmum, aliosque sudpares Auctores « huic sententiæ apertè suffragari.) At verò si pri- « mis initiis Benedictinum esset Cœnobium Cantua- « riense, eamdem ipsam argumentationem, qua in « conjectoris suis de Gregorio usus est Baronius, « Augustinum, ac proinde Gregorium, Benedictinæ « fuisse familiæ demonstrare, & quidem longe efficaciùs, cùm Augustinum Gregorii in Monasterio fuisse discipulum constet, & in ejusdem regulari instituto perseverasse: secus de Valentio, ut infrà ostendam. Jam tempus est, ut alia veterum Scriptorum monumenta pro Gregorii Benedictina professione expendamus.

X.

Bonifacius Papa quartus causæ nostræ non obscurè suffragatur. Is anno Christi sexcentesimo decimo Romæ coegit Concilium Episcoporum, *de vita & quiete Monachorum ordinaturus*, inquit Beda in Historiæ libro secundo, capite quarto. quo in Concilio Pontifex nonnullos arguit obloquentes, *Mo-*

nachos, qui mundo mortui sunt, & Deo vivunt, sacerdotali officio indignos, neque Christianitatem seu absolutionem largiri posse per sacerdotalis officii injunctam gratiam. Sed omnino falluntur, inquit. *Nam si ex hac causa veteres annuli vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar beatus* GREGORIUS *monachico habitu pollens, ad summum apicem nullatenus conscenderet, cui solvendi ligandique potestas concessa est. Augustinus quoque, ejusdem sanctissimi Gregorii discipulus, Anglorum prædicator egregius, & Pannoniensis Martinus*, (Dumiensis scilicet Episcopus, qui paullo antè obierat) *aliique plurimi viri sanctissimi, pretiosorum Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo subarrarentur. Neque enim* BENEDICTUS, *Monachorum præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor.* Sanè si licuit Gregorio & Augustino Monachis ad pontificatus apicem conscendere, quia Benedictus Monachorum præceptor id suis non interdixit; consequens videtur, utrumque ejus Regulæ paruisse, ex cujus præscripto quid ipsis licitum fuerit, expenditur.

Bonifacio succedat Ambrosius Autpertus, natione Gallus, in Italia Monachus & Abbas Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum, Ordinis sancti Benedicti, qui absolutè Gregorium *nostrum*, id est Benedictinæ familiæ sodalem vocat in fine libri decimi super Apocalypsin, his verbis: *Quoniam itaque ad Fidei attinet rectitudinem, ut in singulis sententiis eadem servetur expositio ut si fortè me volueris in his reprehendere, reprehendat etiam (ut de multis paucos commemorem) Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, atque* NOSTRUM GREGORIUM. Sic legitur in libris cùm editis, tum manu exaratis. Quæ sanè verba non usurpasset Autpertus, nisi majorum certa traditione rescisset, Gregorium sodalitii sui, id est Benedictini, participem fuisse. Autpertus enim, quem alii corruptè *Ausbertum* vocant, vir non minùs sanctus quàm doctus fuit, sinceri verique perquam amantissimus, ut ejus scripta testantur; nec tam remotus à Gregorii ævo, quin id certa majorum relatione discere potuerit. siquidem ad superos migravit anno Christi DCCLXXVIII, ut in Sæculo nostro tertio demonstratum est.

His testibus adjungo Amalarium, qui in fragmento superiùs edito, Gregorium Papam *excellentissimum sancti Benedicti regulatorem*, seu *Regulæ, observatorem & imitatorem*; & in consequentibus *ejus sancti Ordinis sectatorem* appellat. Quod quidem testimonium eo majoris auctoritatis censeri debet, quòd ab homine erudito, nequidem tum Monacho, sed Clerico, profectum sit, ex communi (ut credere par est) doctorum illius temporis hominum persuasione, utpote ante scriptam Gregorii à Johanne Diacono Vitam, in qua luculentissimum hujus rei testimonium habetur.

Nemo quippe veterum eam quam propugno sententiam, aut expressiùs adfirmavit, aut validiùs probavit, quàm Johannes Diaconus. Is siquidem auctor in libro quarto de vita Gregorii Magni, quam hortante ac probante Johanne Papa octavo in usum Ecclesiæ Romanæ conscripsit anno DCCCLXXV, Benedictinam Gregorii professionem duobus argumentis adstruit. Primum argumentum sumit à forma baltei, qui in detectione corporis sancti Gregorii, Gregorio quarto Pontifice facta, conspectus à Romanis est ante annos ferequadraginta, quàm Johannes vitam Gregorii scriberet. Sic autem explicat illud argumentum in libri 4. cap. 80. *Porro in exilitate baltei, quæ nunc pollicis mensuram nunquam excedit, speciem propositi regularis olim à sancto Benedicto statuti, cujus ipse vitam describens in Dialogo, Regulam quoque laudaverat, eum servasse luce clariùs manifestat* *. Non hæsitantis aut dubitantis, sed scientis scientisque hæc verba sunt. ac proinde ea baltei seu cinguli forma tam certò Benedictinis competere per illa tempora censebatur, ut ex illa Benedictinum Gregorii institutum *luce clarius* deduci adseret Johannes testis rerum oculatus. * f. manifestatur.

Alterum Johannis argumentum procedit ex eo, quòd Gregorius *sui Monasterii Monachos* BENEDICTI *atque Regulis mancipatos, in Saxoniam Britannicam destinarit.* Id verò cap. 81 itidem probat hoc argumento, quòd *ex ipsius Gregorii discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis inveniri, à quo non observetur tam in proposito, quam in habitu Regula* BENEDICTI. Porro hoc utrumque argumentum optimum est ad internoscendum cujusque professionem religiosam: cùm nemo meliùs quàm ex habitu suo & vitæ genere discipulorum ab aliis distinguatur.

Audio quosdam opponere, non esse tanti momenti Johannis auctoritatem, ut ipsi incunctanter fidem adhibere debeamus. quandoquidem lapsus est in multis, de quibus eum arguit Baronius. Verùm etsi in aliquibus minutiis erravit, non tamen continuò rejicienda in aliis est ejus auctoritas. Nam libri quatuor quos de vita Gregorii composuit, & magno judicio scripti sunt, & cum optimo delectu ex ejus scriptis (quod antea fecerat nemo, & multi hodie viri eruditi imitentur) accuratè confecti sunt, & magnam semper tum in Romana Ecclesia, in qua publicè in officiis divinis quotannis legebantur, tum in aliis Ecclesiis auctoritatem obtinuerunt, teste Guitmundo Aversano Episcopo in libro tertio de sacramento altaris. *Eam vitam*, inquit, *tot sanctissimi Romanique Pontifices nullo dissonante hucusque probaverunt, eorumque auctoritatem secuta tot Ecclesia, cuncto populo Christiano consonante, hucusque susceperunt.* Verùm etsi in rebus ceteris nulla esset Johannis auctoritas, omnino tamen prævalere deberet in hac causa: modò constet, (ut certè constat) eum pravè affectum non fuisse, sed sincerum & ab omni mentiendi fallendive libidine immunem. Ejus enim argumenta duo ejusmodi sunt, ut non pendeant ex rerum veterum peritia, sed ex oculorum experientia: quibus constat de forma habitus, & vitæ genere cujusque, dum conspicitur. Prius enim argumentum ducitur à forma baltei Gregoriani, qui Johannis tempore conspectus est, immo ab ipso Johanne, ut ex ejus verbis colligitur; & à forma cinguli Benedictini. quam & peculiarem fuisse, & Gregorianæ similem ipse oculis probabat. Posterius petitur ex vitæ genere quod Johannis tempore profitebantur Monachi Anglicani. qua de re facilè certior fieri Johannes potuit.

Opponit Baronius ad primum argumentum, non rectè ex eo probari Gregorii institutum: cùm occi- Baron. ann. 817.
dentales omnes Monachi ejusmodi cinguli genere uterentur. testari quippe sanctum Fulgentium Episcopum Ruspensem, consuevisse Monachos pelliceo uti cingulo, etiam in Africa. sed & Cassianum tradere, non Monachorum tantùm, sed apostolicorum quoque virorum fuisse consuetudinem ejusmodi uti cinguli genere. At hæc nullatenus officiunt Johannis argumento, qui non à materia, sed ab exilitate & forma baltei probat, Gregorium sodalitii fuisse Benedictini, in quo cinguli materia cum aliis forsan communis erat, sed forma diversa. Certè hactenus & Benedictini sodales, & Augustiniani Eremitæ pelliceis utuntur cingulis: sed angustis illi, hi latioribus. adeo ut diligens quilibet inspector vel hoc solo alios ab aliis facile distinguere possit. De aliis Baronii objectis mox viderimus.

Johannem secuti sunt quotquot de Gregorii monastica distinctione scripserunt Auctores recentiores.

Aimoinus quippe Floriacensis Monachus initio sæculi undecimi, Gregorium Benedictinæ *Regulæ subditum disciplinis* fuisse scribit in prologo de miraculis sancti Benedicti, iterumque probat in libro de vita sancti Abbonis Floriacensis Abbatis. Idem adserit sanctus Thomas Aquinas in Opusculi septimi-decimi capite sexto-decimo, Gregorium scilicet *Monasteria construxisse secundùm Regulam à beato Benedicto institutam.* & apud sanctum Antoninum Florentinum Antistitem in partis secundæ titulo quinto-decimo, articulo ultimo, Gregorius sancti Benedicti *vitam laudasse, ac Monachus & Abbas sub dicta Regula militasse* perhibetur.

Et quidem ea videtur fuisse mens Patrum Concilii Tridentini, qui sanctum Gregorium laudatoria oratione honoratum, id munus detulerunt Augustino Loscosio Abbati Ordinis, ut præfertur, Casinensis: non aliam sanè ob causam, quàm ut Gregorius à Monacho instituti sui laudaretur. Ipse verò Abbas in contextu orationis suæ coram Patribus Tridentinis asseruit, Gregorium *divi Benedicti habitum induisse.* Habetur hæc oratio cum aliis in Concilio Tridentino habitis in editione Lovaniensi anni M D LXVII.

Ejusdem fuere sententiæ Thomas Bozius Oratorii Romani Presbyter, in libro nono de signis Ecclesiæ, capite quarto; & Anonymus ille, qui Alulfi Tornacensis Monachi Gregorianas exceptiones typis mandari curavit initio sæculi proximè elapsi. Post Baronium Franciscus Suarezius, Societatis Jesu doctissimus Theologus, epistolam ad Antonium Yepezium; Gregorius Lopezius in libello de veritate Reliquiarum Granatensium insignem locum in Chronico Benedictino relatum; & Johannes Seldenus Anglus Apologiam scripsit contra Baronii opinionem. Rochus Pirrus etiam in Siciliæ sacræ tomo quarto aliquot argumenta conjecit in eamdem. Ut verò isti Auctores Baronium impugnarent, non privata movit affectio, sed sola veritatis causa: nec dubito, quin eodem modo affecti futuri sint in posterum eruditi quique veritatis amantes, si paullulum expendant, sicut isti, quàm levia sint in oppositum argumenta Baronii, quæ modò examinanda sunt.

XI.

Rationes quibus commotus est illustrissimus Annalium conditor, ut contra receptissimam veterum sententiam Gregorium non Benedictini, sed Æquitiani fuisse instituti contenderet, explicat ipse ad annum 581, num. 9, & in addendis post tomum nonum. » Summa rationum ejus hæc est. » nimirum quòd » Gregorius instituto à se in Urbe sancti Andreæ Mo» nasterio, non ex proximè positis Casinatibus Mo» nachis, quibus Longobardos fugientibus apud La» teranensem basilicam datum fuerat Monasterium; » sed ex provincia Valeria, Monasterio sancti Æqui» tii, in quo vigebant monastica instituta, petitus » sit Abbas primus, nomine Valentinus. « Quod verò ex ipso sancti Æquitii Monasterio arcessitus sit Andreani Cœnobii Abbas primus, exinde probat, » quia nullum aliud celebre eo tempore in provincia » Valeria Monasterium fuisse reperitur, quàm sancti » Æquitii; ex quo primus petendus esset Abbas mo» nasterii ab ipso in Urbe erecti: à quo & habitum » ipse Gregorius monasticæ conversationis accepit; » & ab eo Monachorum institutus est regulis. Deni» que beatum Æquitium ante sanctum Benedictum » in dicta provincia Monasterium erexisse, & Mona» chis in eo positis præfuisse. immo non unius tan» tùm Monasterii, sed multorum Abbatem fuisse. » Ex quibus aliisque infert Baronius, Monasterium » sancti Æquitii non fuisse unum ex illis duodecim, » quæ sanctus Benedictus in vicina provincia erexit. «

Hæc est Baronianæ inductionis tota moles ac vis; hæc illius argumenta & conjecturæ. quæ an adeo certa atque explorata sint, ut negari aut refutari non possint; an verò ita necessaria, ut etiam si pleraque concedantur, id quod Baronius contendit, efficiant, dispiciendum est.

XII.

Ut clariùs procedat res, ab incertis & dubiis certa & probabilia secernere juvat. Incertum est primò, an eo tempore, quo Gregorius sancti Andreæ Monasterium condebat, Casinates Monachi jam Lateranensem basilicam insederint. immo forsan priùs Andreanum Cœnobium conditum est, quàm Casinates à Langobardis fugati in Urbem receperint sese. Valentius enim cujusdam in Valeria provincia Monasterii Abbas, à Langobardis vexatus confugit Romam, acceptusque à Gregorio est in Andreanum Monasterium. atqui priùs Valeria Langobardis obvia fuit, quàm ager Casinensis. ac proinde Valentius jam tum in sancti Andreæ Monasterio hospitabatur, cùm Casinatibus à Pontifice concessa est sedes basilicæ Lateranensis. Secundò incertum est, an Gregoriani Monasterii primus Abbas fuerit Valentius seu Valentio. (nam utroque modo in veteribus membranis pingitur, non Valentinus, Zachariæ Βαλέντιος.) Etsi enim Gregorius ipsum sibi ac Monasterio suo præfuisse dicat in libro quarto Dialogorum, capite vigesimo primo; nusquam tamen eum Abbatem primum fuisse adfirmat. Tertiò incertum, immo (quod pace illustrissimi viri dixerim) falsum est, Valentium ex primario sancti Æquitii Monasterio arcessitum à Gregorio fuisse. Nam Gregorius in libri primi Dialogorum capite quarto scribit, Cœnobii Æquitiani Monachos omnes ad ipsius Æquitii tumulum ereptos fuisse de manibus Langobardorum. contrà verò in Valentii Monasterio duos Monachos à Langobardis necatos tradit in libri quarti capite vigesimo primo. Gregorii verba expendenda sunt. *Vita namque venerabilis*, inquit, *Valentius, qui post in hac Romana urbe mihi, sicut nosti, meo quoque Monasterio præfuit, priùs in Valeria provincia Monasterium suum rexit.* Monasterium *suum*, inquit, hoc est à Valentio ædificatum, secundùm phrasim Gregorii, qui Monasterium *meum* vocat passim, quod ab ipso conditum est. Quarto proinde loco dicendum est, Valentium non solùm non ex primario sancti Æquitii Monasterio, sed nequidem ex aliquo alio Æquitii Monasterio eductum fuisse, sed ex suo, quod in Valeria Valentius ipse construxerat. Quinto denique incertum est, an Valeria provincia Gregorio diversa fuerit ab Æquicolis, in quibus Sublacus & duodecim sita erant Monasteria, quæ sanctus Benedictus instituit. Etenim Paulus Diaconus in libro secundo de gestis Langobardorum, ubi provincias Italiæ pro sui temporis usu describit, nullam rationem habuit Æquicolorum, quos Valeriæ attribuisse videtur. Siquidem Carseolos seu Carsilim, opidum Æquicolorum ex Ptolemæo, Valeriæ adscribit in capite vigesimo primo. Et certè Æquicolorum tractus ex quo Valeriam contingit, ut facilè cum ea confundi possit.

His præmissis ac constitutis, tota Baronii machina eò spectat, ut probet Valentium, non ex Lateranensi Casinatium Monasterio proximo, (quod forsan nondum erat, ex dictis) sed ex ipso Æquitii Monasterio evocatum fuisse ad regendum sancti Andreæ Monasterium. Quod postremum si negem, ut certè constanter nego, nescio quorsum evasurus sit totus ille argumentorum apparatus. Nam si Valentius ex ipso sancti Æquitii Monasterio edoctus non est, ut

constat ex dictis, jam corruit tota Baronii machina. In id enim incumbit Baronius, ut probet, Valentium ideo ex Æquitii primario Monasterio adsumtum fuisse, *quia*, inquit, *nullum aliud celebre eo tempore in provincia Valeria Monasterium fuisse reperitur, nisi sancti Æquitii, ex quo petendus esset Abbas Monasterii* Andreani. Cùm ergo constet, Valentium ex alio quàm Æquitii Monasterio petitum fuisse; non est quòd ultrà curemus de Baronii argumentis.

At demus aliquid Baronio. fac eum voluisse, Valentium aut ex primario, aut ex aliquo alio sancti Æquitii Monasterio Valeriæ accitum fuisse. Nec sic tamen quidquam obtinebit adversum nos vir illustrissimus. Non enim ex aliquo Æquitiano, sed ex suo ipsius Monasterio, id est ab se, non ab Æquitio condito, eductus est Valentius, ut superius probatum est.

Atqui, inquis, omnia Valeriæ Monasteria, etiam ipsum quod condidit Valentius, Æquitiani erant instituti. At unde hoc habes, ô bone? Æquitius quidem in illa provincia *multorum Monasteriorum Pater* exstitit, teste Gregorio: sed non omnium, maximè ejus, quod ipso mortuo condidit Valentius. Certè contra Gregorii sensum esse videtur, quòd Æquitius dicatur omnium in Valeria Monasteriorum Pater: nec officit ejus sententia, si quædam alia Benedictini etiam instituti ex in provincia fuisse dicantur: maximè si Æquicoli, apud quos Benedictus duodecim erexerat in Sublacu Monasteria, Valeriæ attribuantur, ut certè eos attribuisse videtur Paulus Diaconus. Deinde si ab Æquicolis Valeria distinguatur; quo argumento constat duodecim illa sancti Benedicti Cœnobia intra eremi Sublacensis angustos sinus ita contenta fuisse. ut ne unum quidem in Valeria, quæ provincia Sublaceo finitima est ac contigua, situm fuerit? An vel Benedicti discipuli post discessum pii Patris uni aut alteri Cœnobio in Valeria condendo impares fuere?

Verùm age, nullum Benedictus, nullum ipsius discipuli Monasterium in Valeria condiderint: fuerint à prima conditione instituti Æquitiani omnia: fuerit etiam hoc ipsum, quod in ea provincia regebat Valentius ab Æquitio constructum. quid dicere vetat, aut ea omnia, aut saltem aliqua, Æquitio mortuo in sancti Benedicti leges concessisse? Æquitius enim Benedicto (ut contendit Baronius) ætate superior, ante annum quingentesimum quadragesimum excesserat è vivis. Ab eo tempore usquedum Gregorius condendo sancti Andreæ Monasterio admoveret manum, anni ampliùs triginta elapsi erant. Denique nullam Æquitius Regulam scriptam reliquerat, viventis vox pro lege erat. eo mortuo defecit lex, non Monasteria, quæ pro nutu Abbatis successoris facilè Regulam sancti Benedicti amplecti potuerunt. Et re quidem ipsa id factum esse intelligitur ex quadam Fundani Abbatis epistola ad Simplicium Casini tertium Abbatem, in qua B. Abbas Fundanus scribit, jam tum apud omnes statutum esse, *ut omnia Monasteria Campaniæ, Samnii,* VALERIÆ, *Tusciæ, Liguriæ, & aliarum provinciarum Italiæ, certam & rectam Regulam vivendi, quam sanctissimus & Deo acceptus* BENEDICTUS *instituit, servarent.* sequitur ejus rei gratiâ *Hugonem & Paulum Fratres suos juxta prædictam sanctam Regulam in Casinensi congregatione instruendos* ad Simplicium mittere, ut totius legitur in epistolæ contextu apud Angelum de Nuce in Notis ad Chronicon Casinense, & in Præfatione primi Sæculi nostri. Ergo Simplicio Casini Abbate, circiter annum quingentesimum sexagesimum, ante adventum Langobardorum, ac proinde ante cladem Casinensem & accessum Valentii Abbatis in Andreanum Monasterium; ante illud, inquam, tempus, Valeriæ & aliarum provinciarum Italiæ Monasteria Ordini sancti Benedicti accesserant: ac proinde aut omnia, aut aliqua saltem ex iis, quæ sanctus Æquitius in Valeria construxerat.

Et ne quis cum Gallonio Baronii propugnatore opponat, suspectam videri epistolam prædictam ob Bernardi & Hugonis nomina eo tempore apud Italos insolita: repono incertum esse, an Abbas Fundanus vocatus sit Bernardus, an Bartholomæus, aut alio nomine ab eadem littera B. incipiente, cùm decurtatum dumtaxat ejus nomen in ea epistola reperiatur. Et occurrit sæculo septimo Bernardus inter Episcopus Cremonenses apud Ughellum in Italiæ tomo quarto. Porro Hugonis nomen, tametsi ævo illo nondum ita frequens, haud sufficit elevandæ epistolæ auctoritati: cujus epistolæ vetus exemplum, Casini adservatum in membrana, Lucas Holstenius, vir earum rerum peritissimus, suo calculo probavit, præsente ac testante Angelo de Nuce Casinensi tum Abbate in prædictis notis.

Hanc epistolam confirmant versus quidam, qui in veterrimis Regulæ nostræ codicibus præmittuntur, quibus Simplicius Abbas Magistri sui Regulam in omnia Italiæ Monasteria propagasse memoratur. Horum versuum editionem primam debemus Antonio Gallonio Baronianæ sententiæ defensori, qui eos è Vaticano codice mss. produxit in lucem. Versus duos huc referre sufficiat: *Hoc* BENEDICTUS *Pater constituit sacrum volumen, Suisque mandavit hoc servanda alumnis.* SIMPLICIUS *Christi minister Magistri latens opus propagavit in omnes.* Tria hîc investiganda, nempe quanta hujus inscriptionis antiquitas: quis Simplicius in ea memoratus: quisve horum versuum legitimus sensus.

Inscriptionis antiquitatem probant in primis veteres codices mss. in quibus ea reperitur: tum prisci Auctores qui eam legerunt, nempe Sigebertus Gemblacensis Monachus, ut patet ex lib. 1 de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 31, & Petrus Casinensis Diaconus inferiùs referendus, uterque ante annos quingentos. Eandem quoque ante octingentos legisse videtur Candidus Monachus, qui de sancti Benedicti Regula agens in libello de vita sancti Eigilis Fuldensis Abbatis, *Regulam Monachorum*, inquit, *Spiritu-sancto plenus magna discretione conscripsit, suisque secum* OBSERVANDAM MANDAVIT ALUMNIS, quæ postrema verba præmissæ inscriptioni respondent. Hæc itaque tunc temporis, id est principatu Caroli Magni, legebatur in scriptis Regulæ nostræ exemplaribus apud Fuldenses Monachos, qui tituli hujus copiam è Casinensi Monasterio per Sturmium Abbatem istuc à S. Bonifacio missum forsan acceperant.

Jam quis fuerit Simplicius in eodem titulo memoratus, expendendum est. Duo fuere ejus nominis sancti Benedicti discipuli: unus Abbas à Gregorio initio libri 2. Dialogorum laudatus: alter S. Mauri in Gallicana peregrinatione, ac demum Fausti in reditu Romam socius. De Simplicio Abbate sic loquitur Gregorius, testes producens quatuor, quorum relatu S. Benedicti gesta retulerat. *Hujus*, inquit, *ego omnia gesta non didici, sed pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnovi*, CONSTANTINO *scilicet, reverentissimo valde viro, qui ei in Monasterii regimine successit:* VALENTINIANO *quoque, qui annis multis Lateranensi Monasterio præfuit:* SIMPLICIO, *qui congregationem illius post eum tertius rexit:* HONORATO *etiam, qui nunc adhuc cellæ ejus, in qua prius conversatus fuerat, præest.* Simplicium, qui tertio loco nominatur, non

S. Benedicti in Casinensi regimine, sed Valentiniani in Lateranensi successorem tertium statuit Baronius, ratus pronomina relativa, *illius* & *eum*, ad Valentinianum referri. sed (pace illustrissimi viri) manifesto errore. Primo, quòd eodem modo intelligendus sit Gregorii locus de Simplicio, ac de Honorato, *qui nunc adhuc cellæ ejus*, inquit Gregorius, *in qua prius conversatus fuerat, præest*. Atqui per *cellam ejus*, sine dubio Gregorius intelligit cellam S. Benedicti, nempe Sublacensem, in qua vir sanctus primùm conversatus fuerat. Deinde quòd Zacharias Pontifex in versione Græca, Gregorii loca tam de Constantino & Honorato, quàm de Simplicio reddens, hæc pronomina, *illius*, *ejus*, & *ei*, utrubique vertit αὐτοῦ. quo S. Benedictum indicat æquè in Simplicio, ac in Constantino & Honorato. Præterea, quòd post Valentinianum in Lateranensi Monasterio Abbas tertius fuerit, non Simplicius, sed Theodorus: ut patet ex prologo Fausti Monachi in vitam sancti Mauri, quàm scribere aggressus est compellente *religiosissimo ac cum honore nominando* THEODORO, *qui* TERTIUS *post sancta memoria Valentinianum, prolixiore tempore Lateranensis Monasterii congregationem rexit*. Ad hæc, quòd Paulus Warnefridi Diaconus ac Monachus Casinensis S. Benedicti in Casinensi regimine successores enumerans, Simplicium hunc, de quo agit Gregorius, tertio loco statuit in lib. de gestis Langobardorum cap. 18 his verbis: *Ceterùm post beatum Benedictum Constantinus, post hunc* SIMPLICIUS, *post quem Vitalis, ad extremum Bonitus congregationem istam rexit, sub quo hac destructio facta est*. Paulo suffragantur non solùm veteres indices Casinensium Abbatum, sed etiam Leo Marsicanus Cardinalis Ostiensis in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 2, & Aimoinus Floriacensis Monachus in Historiæ lib. 3 cap. 80. Ex quibus perspicuum est, Simplicium à Gregorio laudatum, non Lateranensis; sed Casinensis Monasterii tertium post S. Benedictum Abbatem fuisse. Cùm ergo Simplicius iste vix ad annum D LXX pervenerit; si prædictos versus huic Simplicio tribuas, cui tribuendos esse postea demonstrabo, Regulæ S. Benedicti propagatio in omnia Italiæ Monasteria ante annum D LXX facta necessaria consecutione dicenda est.

Iisdem argumentis evertitur Gallonii sententia, qui superiores versus Regulæ S. Benedicti præfixos Simplicio beati Mauri in Gallicano itinere socio, ac post ipsius in Italiam reditum Abbati (ut putat) Lateranensi, accommodare nititur, sed irrito prorsus conatu. quippe cùm nullus eo nomine Abbas Lateranensi congregationi præfuerit, ut patet ex catalogo, quem Antonius Yepezius in Chronico Benedictino refert ad annum 529 cap. 4. Et verò Gallonius hunc suum ipsius errorem facilè emendasset, si attentè legisset præmissum Gregorii locum ex initio libri 2 Dialogorum. Ibi enim de Simplicio agit Gregorius, ut de homine pridem è vivis sublato, *qui congregationem illius*, inquit, *post eum tertius rexit*. Ex quibus verbis intelligimus, Simplicium hunc anno D XCIII, quo libros Dialogorum scribebat Gregorius, jam olim vivere desiisse. Erat ergo alius à Simplicio beati Mauri socio, quem eo anno superstitem, immo usque ad Bonifacii Papæ IV pontificatum, fuisse constat ex Vita S. Mauri ab eodem Pontifice approbata. Id porro evincit Petrus Diaconus ante annos quingentos Monachus Casinensis, qui in libro de viris illustribus Casinensibus duos distinguit Simplicios; unum Abbatem Casinensem tertium, de quo ita scribit in cap. 5. SIMPLICIUS, *sanctissimi Benedicti discipulus, ac post eum in Casino Abbas effectus, Regulam quam suus Magister ediderat, publicè legendam omnibus Monachis tradidit*. Hic nullus tergiversationi locus. en Simplicius Abbas, non Lateranensis, sed Casinensis, sancti Benedicti Regulam omnibus Monachis tradidisse memoratur. Ergo id factum ante annum D LX, quo fere anno Simplicius Abbas Casinensis ad superos abiit, annis minimum viginti sex priùs, quàm Simplicius beati Mauri socius in Italiam repedaret.

Superest ut exponamus prædictæ inscriptionis hæc verba, quibus *Simplicius Magistri latens opus propagasse in omnes* perhibetur. Duplex in his sensus excogitari potest. Primus est, Regulam sancti Benedicti, quæ eatenus in Casinensi Monasterio latuerat, à Simplicio etiam aliis Monachis propositam fuisse. Alter sensus est, eamdem Regulam, quæ Monasteriis non ita multis usque ad id tempus nota & publicata fuerat, per Simplicium in omnia Italiæ Monasteria fuisse transfusam. Priorem sensum repudiare necesse est, tum quia hæc sancti Regula per beatum Maurum in Galliam, & per S. Placidum in Siciliam antea penetraverat: tum quia in duodecim Sublacensis eremi Cœnobiis à sancto Patre constructis, & in Terracinensi observabatur. De posteriori explorata res est ex Gregorii testimonio in Dialogorum lib. 4 8, ubi Terracinensis Cœnobii Monachi duo, Speciosus & Gregorius, laudantur, qui *sancti Benedicti se Regula in sancta conversatione tradiderant*. Itaque præferendus est posterior sensus, eoque modo superior inscriptio interpretanda, ut Simplicius Casinensis Abbas tertius Regulam, quam S. Benedictus *suis alumnis*, hoc est Monasteriis ab se erectis *servandam mandaverat*; in Benedictinis Cœnobiis *latentem, propagaverit in omnes*, id est in omnia fere tem Italiæ Monasteria ac proinde consequens est etiam in Æquitianis Cœnobiis longè ante Gregorii monachatum eamdem Regulam fuisse receptam. Hinc est quòd eam Gregorius absolutè vocat *Regulam Monachorum* in libro secundo Dialogorum, & S. Benedictus Bonifacio quarto in Romano Concilio dicitur *Monachorum præceptor*: quod utrumque argumento est, illam Regulam ejusque auctorem eo tempore apud omnes, aut certe apud plerosque multum auctoritatis obtinuisse.

XIII.

Cur ergo tandem, inquis, Gregorius è Casinensi Monasterio Abbatem sibi non accersivit? Nempe forsan quòd Gregorio notior ac probatior fuit Valentios Abbas, quàm quivis alius. Deinde quòd is à Langobardis fugatus Romam, Gregorii caritatem sollicitaret. Valentius quippe præsidebat illi Valeriæ Monasterio, in quo Monachos duos à Langobardis cæsos jam dixi. quapropter necessitate compulsus fugit Romam, à Gregorio acceptus cum suis in Monasterium, quod forsan eorum & aliorum ejusmodi miserorum causa Gregorius in ædibus suis construxit. Uno verbo, Gregorius ideo Valentium Abbatem ceteris prætulit, quòd eum regendo Monasterio judicavit aptiorem. Sic enim ob eamdem causam Probum ex laïco repentè Monachum simulque Abbatem ordinari jussit, ut patet ex libri noni epistul. vigesima secunda Indictionis quartæ: non quòd Monachos Cœnobii sui aspernaretur, sed quòd Probum ob egregias dotes digniorem existimaret. Ceterùm si quid valerent ejusmodi ratiunculæ, peterem ego, cur Gregorius, Æquitianum institutum Monasterio suo præscribere volebat, non ex primario Æquitii Cœnobio, sed ex alio minùs celebri Valentium adsciverit? Sed relinquamus has nugas.

XIV.

At enim Gregorius ipse in libri octavi epistola vi

gesima tertia Indictionis tertiæ scripta Fortunato Neapolitano Episcopo, biennium exigit ad Novitiorum probationem his verbis: *Monasteriis omnibus Fraternitas vestra districtius interdicat, ut eos quos ad conversionem susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare: sed hoc spatio vita moresque eorum sollicitè comprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus quod voluit, aut ratum non habeat quod elegit.* Atqui sanctus Benedictus non biennium, sed unum dumtaxat annum præscribit ad probandos Novitios.

Hæc objectio nullius prorsus videbitur momenti, si ejus temporis disciplina attentè expendatur. Varius fuit in Oriente & Occidente probandorum Novitiorum ritus. Pachomius Novitios non nisi post triennii probationem admittebat. Occidentales autem Regulæ omnes unum dumtaxat annum requirunt ad tirocinium, ut patet ex Cassiano, Cæsario, Ferreolo, Regula Tarnatensi & aliis, quæ ævo sancti Benedicti conditæ sunt. Eamdem normam præscripsit sanctus Benedictus; quo vivente Justinianus Augustus Novellam quintam edidit, qua Novitium *per triennium totum, sive liber, sive servus* sit, probari decernit capite secundo. Hoc sanctum Imperatoris *Normam regularem* vocat Gregorius in lib. 7 epistola 11 Indict. I, ubi Mauricio ægre ferenti, quòd contra ipsius interdictum milites in Monasteria exciperentur, Gregorius hoc pacto condescendit, ut non nisi *post triennium* admitterentur. Prædictæ Novellæ tantisper derogavit Justinianus Novellæ 123, capite 35, notante Contio, cùm homines ignotos non nisi post triennium admitti vetat; notos verò *incontinenti*, (ut notat glossa) & schemate monastico indui, & ad professionem admitti sinit. In Occidente licebat Abbatibus ob fervorem candidatorum professionis tempus, quod uno anno definitum erat, pro judicio ac prudentia sua contrahere, ut patet ex Regulis Cæsarii ac Ferreoli. Hinc factum est, ut quidam Abbates occidentales, qui tum ex Regula propria, tum ex posteriori Justiniani Novella, contrahendi probationis spatii potestatem habebant, homines ex vita sæculari ad Monasterium accedentes absque legitima probatione admitterent. Cui malo ut aliquod remedium adhiberetur, Gregorius temperando normam orientalem, seu Justinianeam, & occidentalem, prudentissimè statuit, ut non nisi post biennium Novitii ad susceptionem habitus seu professionem admitterentur. Quod biennii tempus nullius occidentalis Regulæ constitutione præceptum est, sed solius Gregorii decreto inductum. Hujus rei argumento est, quòd nullius Regulæ auctoritatem in epistola sua Gregorius interponit.

Præterea non constat, an decretum illud universale fuerit pro toto Occidente, an particulare pro sola provincia Neapolitana. Immo ex c. 17, q. 2. c. *Gonsaldus*, liquet Gregorium probationem Novitiorum unius anni spatio definisse. Id, inquam, liquet ex his Alexandri secundi verbis eo capite relatis: *Quapropter quia & beati Benedicti Regula, & præcipue Patris & prædecessoris nostri sancti Gregorii Papæ canonica institutio interdicit, Monachum ante unius anni probationem fieri; judicamus & auctoritate apostolica præcipimus*, &c. Ita Pontifex qui sine dubio sancti Gregorii hac de re decretum legerat, tametsi in Registro desideretur. Et quidem in sancti Andreæ Monasterio, ubi Gregorius Monachum induit, hoc biennalis probationis spatium non servabatur, aut certè non semper, ut constat exemplo Probi, qui à sæculari repentè Monachus atque Abbas factus est, teste Gregorio in lib. 9 epist. 22 Indict. IV. Et Gregorius ipse in Monachorum cœtum admissus est, tametsi non integro biennio (ut Baronio credimus) in Monasterio suo versatus sit ante impositam sibi legationem.

Denique unius anni probatio non ita est propria Regulæ sancti Benedicti, ut eo spatio vel contracto, vel ampliato judicari possit, an ea in aliquo Monasterio servata sit. Nam si hæc ratiocinandi forma probaretur, concludendum esset, Regulam sancti Benedicti non viguisse apud Cluniacenses tempore Petri Venerabilis: quo tempore ante solidi anni probationem Novitii passim recipiebantur, quam consuetudinem adversus Cisterciensium querelas propugnat idem Petrus Venerabilis libri primi epistola vigesima octava. Ad hæc, Grimlaicus in Regula Solitariorum seu Reclusorum, cujus tota fere disciplina ex Regula sancti Benedicti constans, non nisi pro Monachis ejusdem Regulæ servantibus, & ad reclusionem contendentibus edita est, biennium exigitur ad probationem Reclusorum. Et porro hoc ipso tempore Fratres Laici, quos Conversos appellamus, biennio probantur apud nos ante professionem. Ex quibus intelligas, biennalem probationem nullatenus Benedictinæ Regulæ observationi præjudicate.

Hæc quidem, ni fallor, sufficiunt confutandis Baronii aliorumque objectis: aut saltem id obtinere debent apud omnes æqui amantes, ejus conjecturas non tanti esse ponderis, ut prævalere debeant contra receptissimam vetustatis sententiam, ut loquitur Seldenus. Quam ob rem integræ & intactæ remanebunt superiorum hominum auctoritates: quæ cùm Benedictinam Gregorii professionem apertè definiant, nemo rerum æquus æstimator in posterum (ut spero) volet refragari.

Nescio an aliquod operæ pretium sit referre hoc loco id, quod Rochus Pirrus, Historiographus Regius, in Siciliæ sacræ tom. 4. adducit ex Pucinello in Historia Hugonis Etruriæ Principis, nempe Baronium, sententiæ suæ de Æquitiana Gregorii professione pœnitentem, in ultimo vitæ suæ fletu exclamasse: *Redda divum Gregorium beato Patri Benedicto.* Quod cùm à nullo auctorum, qui Baronii res gestas litteris mandarunt, memoriæ proditum sit, in medio relinquere satius visum est, quàm pro indubitato asserere. Sanè quidquid sit de hac confessione, non multùm moror, dum æqua lance utrimque argumenta expendantur in hac causa, quam solius veritatis gratiâ discutiendam suscepi.

Omitto prudens minutias quasdam, quæ nonnumquam objiciuntur à nonnullis, quòd Gregorius neque Benedictum suum ipsius Patrem, neque ejus Regulam disertè suam dicat usquam. Si enim ejusmodi argutiis staretur, Gregorius nullam Regulam, nullum speciale Monachorum institutum professus censendus esset: siquidem nullam Regulam, nullumve aut Æquitii, aut cujusvis alius institutum suum vocat. mirum quòd ea partium studia procul aberant à moribus illius ætatis: & quòd Gregorius jam Pontifex summus & Patrum Pater erat, cùm Regulæ nostræ ejusque auctoris in Dialogis suis meminit. Quamquam satis superque studium affectumque suum in sanctum Benedictum, veluti in Patrem, testatum reliquit, dum ipsum ipsiusque Regulam tam singulari elogio laudat & approbat. Immo etiam *beatissimum Patrem* BENEDICTUM vocat in libro 2 Dialogorum cap. 33. quo nihil significantius proferunt recentiores Benedictini ad exprimendam suam in S. Benedictum caritatem.

Hæc sunt quæ de præsentis controversiæ duplici capite mihi subsecivis horis venerunt in mentem, Vir clarissime. quæ cùm tibi non ingrata fuerint, etiam aliis (ut spero) non improbabuntur: sicque

tandem,

tandem, ut cùm ipſe pro cauſa Ordinis ſancti Benedicti ſuffragium tuleris, alii etiam homines eruditi adquieſcant receptiſſimæ veterum ſententiæ: ſicque vincat veritas, non privata affectio, ut Baronius optavit. Vale.

OBSERVATIONES

De multiplici BERENGARII *damnatione, Fidei profeſſione, & relapſu, deque ejus pœnitentia.*

VARIIS Conciliorum decretis damnata eſt Berengarii hæreſis; varias etiam Fidei formulas Berengarius ſubſcripſit: at toties ad ingenium ſuum rediit homo verſipellis, ſeu malè interpretando, ſeu peſſimè abnegando, quod rectè profiteri viſus erat. Jam quidem à multis copioſè & eruditè hoc argumentum pertractatum eſt: ſed quia mihi aliud agenti quædam in vetuſtis membranis occurrerunt prætermiſſa ab aliis; ea cum ſtudioſis viris communicare non fuerit otioſum.

I.

Primum Concilium adverſus Berengarium juſſu Leonis Papæ IX Romæ, poſt Paſcha celebratum eſt anno M L, ut ex Hermanni Contracti Chronico multi affirmant; aut certè M LIII, prout alii malunt, freti auctoritate Durandi Abbatis Troarnenſis in libro de corpore & ſanguine Domini. In eo Concilio lecta & proſcripta eſt abſentis Berengarii epiſtola ad Lanfrancum, in qua erroris ſui de Euchariſtia ſummam retexerat; purgatuſque Lanfrancus, cujus adverſarii, occaſione epiſtolæ ipſi à Berengario directæ, ſuſpectam fidem apud Pontificem reddiderant.

Quod attinet ad tempus celebrati Concilii, utri parti aſſentiendum ſit, quæſtio ſatis intricata videtur. Nam gravis eſt Hermanni Contracti auctoritas, Synodum Romanam cum ſubſequente Vercellenſi ad annum M L revocantis. ſiquidem Hermannus, vir doctus, eo tempore vivebat, cum anno M LIV deceſſerit, ut conſtat ex ejus continuatore apud Urſtiſium: tametſi ejus obitus anno M LII reponitur in mſ. Chronico Magdeburgenſi. At ex adverſo pugnat Durandus Abbas Troarnenſis, vir itidem eruditus & rerum eo tempore geſtarum haud conſcius, qui de Berengario ejuſque hæreſi datâ operâ agens ſub finem libri de corpore & ſanguine Domini, Conventum Brionenſem refert ad annum M LIII, paullo ante Synodum Vercellenſem, quam proximu poſt Romanam Septembri habitam fuiſſe conſtat. Neque verò hoc loco valet cujuſdam eruditi viri conjectura recens, ſuſpicantis, Durandum minùs quidem Latinè, ſed ut temporibus illis ſcripſiſſe, *anno* M L *in Normanniæ finibus irrepſit*, & pro *in* legiſſe amanuenſem III, detritâ fortè primæ literæ mediâ lineolâ. Non valet, inquam, hæc conjecturâ: cum in codice Bigotiano, qui præ ætate autographus cenſeri poteſt, vox *tertio* non cifris expreſſa ſit, ſed integris ferme litteris, prima dumtaxat ſyllabâ breviatâ hoc modo, *t'tio*, ut me monuit clariſſimus vir Emericus Bigotius, penes quem Durandi codex aſſervatur. Veruntamen Durandi calculo adverſatur liber de geſtis Leonis Papæ IX, qui anno M LIII Beneventi à Junio ad exeuntem annum, immo & ad ſubſequentem Martium commoratus eſt. quod jam probavit Franciſcus Roïas Andegavenſis in commentario prævio ad vitam ejuſdem Leonis. Unde conſequens eſt, Leonem menſe Septembri anni M LIII intereſſe nequiviſſe Vercellenſi Concilio, quod proinde ad annum M L referendum eſt, uti & Romanum. His accedit, Durandum Abbatem qui anno M LXXXVII obiit, poſt annos à Romana Synodo fere triginta ſcribendo libro ſuo de corpore & ſanguine Domini navaſſe operam; ob idque memoriâ labi facile potuiſſe. Hermannum verò, qui annum M LIV haud exceſſit, quid unoquoque anno geſtum eſſet, accuratè mox redegiſſe in annales: ac proinde eum in deſignando iſtius Synodi anno M L erraſſe, planè non eſſe veri ſimile. Denique Hermanni calculo non præjudicat objectio de conditione Cœnobii Pratellenſis, quod ante annum M L extitiſſe conſtat ex libro de miraculis ſancti Wulframni à me edito in Sæculi III Benedictini tomo I, ubi Gradulfus Abbas Fontanellenſis, qui Anſfredum Pratellis Abbatem primum præpoſuit, anno M XLVII obiiſſe memoratur ab auctore æquali.

Paullo poſt Concilium Romanum, eodem anno Brionæ (quod mediterraneum recentioris Neuſtriæ opidum eſt) *conventus multorum ex tota Normannia Sapientium* juſſu Guillelmi Ducis cogitur, in quo Berengarius *cum alio quodam, quem ſecum adduxerat Clerico, in cujus eloquentia victoriæ ſibi ſpem poſuerat, coram omnibus confutatus eſt*, teſtante eodem Durando Abbate: ex quo etiam diſcimus, Berengarium ex illo conventu revertentem *Carnotum* petiiſſe: ubi de eadem quæſtione à Clericis ejuſdem urbis pulſatus, ad eos poſtea miſit litteras, *in quibus multa abſurda, Fideique catholicæ aliena declamavit.*

Alterum Concilium Vercellis proximo poſt Romanum menſe Septembri indictum ab eodem Pontifice, qui eidem Concilio præfuit. Iſtuc vocatus Berengarius venire refugit: ſed duos Clericos errores ſui fautores eò miſit, *qui volentes eum defendere, in primo ſtatim auditu defecerunt, & capti ſunt*, inquit Lanfrancus. Tum *Johannis Scoti liber de Euchariſtia*, quo patrono Berengarius gloriabatur, *lectus, damnatuſque eſt.* Hinc ſcriptæ Berengarii ad Aſcelinum Monachum, & viciſſim Aſcelini ad Berengarium epiſtolæ, in quibus agitur de Colloquio ſeu publica diſputatione, Berengarium inter & Aſcelinum atque Wilhelmum inita; deque Berengarii damnatione facta in *plenaria* (ſic Aſcelinus loquitur) *Synodo* Vercellenſi.

Eodem anno XVII *Kalend. Novembris* Lutetiæ Pariſiorum coram Henrico Rege damnatur Berengarius abſens, qui *mala conſcientia perculſus terrere, ut juſſus erat, eò venire diſtulit; ſeque cum* BRUNONE *ſuo, videlicet Epiſcopo Andegavenſi, ſub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maximè continuit, quia eodem errore, utpote tanti viri credulus, & ipſe noſcebatur involvi.* Hæc ex Durando Abbate. Interea ſubmonente Aurelianenſi Epiſcopo lecta eſt Berengarii epiſtola ad PAULUM *quemdam familiarem ſuum* ſcripta. Is eſt Paulus *Metenſis primicerius*, Berengarii, ut Adelmannus in litteris ad Berengarium notat, utique *familiaris.* Porro epiſtola hæc, *quoniam nequiſſima ſordebat hu*

resi, vehementer displicuit: tumque damnatus ejus auctor *cum complicibus suis, & codice Johannis Scotti*, ex quo potissimùm epistola desumpta videbatur; ac demum mortis supplicium contumacibus intentatum. Eò spectant Berengarii litteræ ad Richardum Abbatem in Spicilegii tomo 2 editæ, quibus Berengarius eum obtestatur, quatenus apud Henricum Regem pro se intercedat, ut damnum post Synodum Parisiensem sibi illatum à se removeret, exponeretque, *injustissimè* damnatum Johannem Scottum, *injustissimè* item assertum fuisse Paschasium in Concilio Vercellensi, ac Clericos Carnutenses indignissima in regias aures effutisse.

Anno dein M LV sub Victore Papa II convocatum est Florentiæ Concilium adversus Berengarium: eodemque anno alterum Turonis, cui Victoris interfuere Legati, præsidente Hildebrando tum Subdiacono & Legato à latere: qua in Synodo Berengarius errorem suum ejuravit, referentibus Guitmundo atque Lanfranco.

Eusebius, alio nomine Bruno, Andegavensis Episcopus, in epistola ad Berengarium meminit hujus Synodi, quam statuit mediam inter alias duas, quarum nulla mentio sive apud Lanfrancum, sive apud Anonymum, qui de Berengarii damnatione multiplici opusculum scripsit à Chiffletio editum. unam Turonicam, in qua *querimonia quæ in præsentia domni Geraldi tunc Legati apud Turonos* de Berengarii errore *emerserat*, sedata est: alteram (ut puto) Andegavensem, jussu Principis, id est Comitis Andegavorum Fulconis, habitam *in capellula* quadam, ubi *rediviva pestis domini Bisontinensis Archiepiscopi & eruditorum qui adfuerunt, auctoritate calcata est.*

Mortuo Victore, qui in locum Leonis suffectus erat, & Stephano Victoris successore, Romanam Ecclesiam rexit Nicolaus Papa II, cujus mandato alterum Romæ Concilium *centum & tredecim Episcoporum* anno M LIX cogitur, in quo Berengarius hæresim suam tertiò abjuravit, *& libros propriæ hæreseos concremavit.* Attamen postea rediit ad vomitum, & fidei formulam, jussu Pontificis ab Humberto Cardinali concinnatam, cui subscripserat, scripto edito temeravit, ut postea dicemus.

Paullo pòst Alexander Papa II. Nicolai successor, Berengarium *litteris amicè præmonuit, ut à secta sua cessaret, nec ampliùs sanctam Ecclesiam scandalizaret. Ille autem ab incœpto desistere noluit, hocque ipsum eidem Apostolico remandare non timuit*, inquit Anonymus Chiffletianus.

Præterea anno M LXIII Maurilius Rotomagensis Archiepiscopus, grassanti hæresi frenum injecturus, Synodum habuit comprovincialium Episcoporum, in qua catholica Fides asserta est, & contrà sentientes diris addicti, in hæc verba: „*Corde credimus, & ore profitemur, panem in mensa dominica propositum, panem tantummodo esse ante consecrationem: sed in ipsa consecratione, ineffabili potentiâ divinitatis converti naturam & substantiam panis in naturam & substantiam carnis; carnis verò, non ullius alterius, sed illius quæ concepta est de Spiritu sancto, nata ex* MARIA *Virgine, quæ etiam propter nos & propter nostram salutem flagellis cæsa jacuit in sepulcro, tertia die resurrexit à mortuis, & sedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquâ mixtum in calice sanctificandum proponitur, verè & essentialiter converti in eum sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus contra hanc sanctam & apostolicam Fidem superbè atque hæreticè sentientes, & impia temeritate garrientes.*

Tum statuto edito decretum est, ut in posterum ordinandi Episcopi hanc Fidei formulam palam profiterentur, ut ex monumentis superiùs vulgatis manifestum est. Hujus porro Synodi Rotomagensis nulla fit mentio in postrema Conciliorum editione.

Alexandro successit Gregorius Papa VII. cujus Pontificii anno tertio, id est MLXXV, (verbis Chronici sancti Maxentii seu Malleacensis utor) *Pictavis fuit Concilium, quod tenuit Girandus Legatus, de corpore & sanguine Domini, in quo Berengarius . . . . . ferme interemtus est.* Id contigisse *Idibus Januarii*, idem Chronicon inferiùs docet. Qui hîc laudatus Giraudus Legatus, erat Episcopus Ecolisinensis.

Post hæc Gregorius Papa, ut fidem facit Anonymus Chiffletianus, *iterum eidem Beringerio audientiam in duabus Synodis generalibus Romæ concessit. Sed cùm ipse sectam suam catholicæ Fidei contrariam denegare non posset; iterum sub juramento eamdem abdicare, & Fidem catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus Conciliis fecit.* Prior ex his duabus Synodis Romæ habita est anno MLXXVIII, & quidem *in festo omnium Sanctorum*, ut tradit Berengarius ipse: tametsi X *Kal. Decembris* eam reponit Bertoldus, qui Berengarium, *ut ab hæresi sua resipisceret, synodaliter* conventum, ob idque *inducias ad proximè futuram Synodum* obtinuisse testatur. Posterior hæc Synodus celebrata anno insequenti, teste Anonymo Chiffletiano, qui huic Synodo præsens interfuit. Habitam *in Quadragesima* docet Berengarius, hoc est *mense Februario, Indictione secunda*, ut ex actis ejusdem Concilii patet. Quid in ambabus istis Synodis gestum sit, aliàs forsan erit dicendi locus & occasio. Interim noto duas Fidei formulas in his duabus Synodis à Berengario fuisse editas, de quibus inferiùs agendum.

Absoluta ultima Synodo Romana, ex Urbe discessit Berengarius cum litteris salvi conductus ipsi à Gregorio Papa benignè porrectis, adjuncto Comite FULCONE, quem Berengarius *transmontanum Clericum, & domini Papæ convictorem* vocat: reversusque in Galliam, Fidei professionem, quam in ultima Synodo sub juramento asseruerat, iterum perfidè violavit, & perversa interpretatione adhibita ad suum sensum, id est hæreticum, detorsit. Hinc novæ turbæ, & novorum certaminum adversus ipsum instaurata molimina, in primis per Gaufridum Martini Clericum Andegavensem. Hinc datæ à Berengario litteræ ad Eusebium Andegavensem Episcopum, obtestante, *ut se & ipsum* (Gaufridum) *sub judice audiri faceret in libro beati Ambrosii de Sacramentis.* Respondit Eusebius, id sibi conveniens non videri; sufficere ad Fidem, ut verbi Christi Domini virtute panem & vinum post consecrationem verum Christi corpus & sanguinem fieri credatur; ejus rei modum ordinemque non inquirendum; Patres hac de re cautè legendos; ac demum nefas esse id ulteriùs retractare, quando ea *causa ter provinciæ* suæ, id est Turonensis, *judicio terminata* fuisset, *quartò Sedis Apostolicæ Synodi sententiâ exstincta.* Hæc Eusebii epistola post ultimum Concilium Romanum, quod in hoc negotio quartum fuit, scripta esse videtur. Ceterùm qui sint tres illi Turonicæ provinciæ Conventus, superiùs ex eodem Eusebio exposui.

Cùm verò nec sic quiesceret Berengarius, *anno M LXXX convocatur Concilium Burdegalæ; in quo Berengarius reddidit Fidei suæ rationem.* quod docet nos Chronicon Maxentianum. Id factum perhibent auctoritate Hugonis primùm Diensis, dein Lugdunensis Episcopi & Sedis Apostolicæ Legati, à Gregorio in Galliam missi. Hæc tota series Conciliorum adversus Berengarium: nunc de Fidei formulis ab eo editis agendum.

II.

Tres invenio Fidei formulas, quas de Eucharistiæ veritate Berengarius sacramento confirmavit in tribus Conciliis Romanis.

Primam in Concilio anni M LIX coram Nicolao Papa professus est sub hac forma: *Ego Berengarius indignus Diaconus ecclesiæ sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & apostolicam Fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus sum: quæ astruere conatur, panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri* JESU-CHRISTI *esse; nec posse sensualiter, nisi in solo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel dentibus Fidelium atteri, &c.* At Berengarius *hujus propositi sacrilegus violator, contra præfatum Concilium, contra catholicam veritatem, contra omnium Ecclesiarum opinionem*, ait Lanfrancus, *scriptum postea condidit*, quod Dialogo refutavit Lanfrancus.

Secundam fidei professionem edidit Berengarius in Synodo Romana anno M LXXVIII, quam confessionem hactenus ineditam, sciente Berengario ipso, in veteri codice ms. legi in hunc modum: *Profiteor panem altaris post consecrationem esse verum corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce, quod sedet ad dexteram Patris: & vinum altaris, postquam consecratum est, esse verum sanguinem, qui manavit de latere Christi. Et sicut ore pronuntio, ita me in corde habere confirmo. Sic me adjuvet Deus, & hæc sacra.*

Brevem hanc confessionem ab ipso Berengario fuisse concinnatam, oblatamque Pontifici suspicari licet: tum quia à nullo alio relata est, quàm ab eodem Berengario: tum quia minus expressè rem controversam definit, quàm prima confessio: cùm è contrario recentioribus scriptis nova lux accedere soleat. Et certe veri simile est, Berengario, posteaquam priorem confessionem tam atrociter scripto suo laceraffet, quasi proprium Humberti Cardinalis fœtum; ut vel sic omnis causandi ac tergiversandi aditus ei præcluderetur, datam fuisse potestatem suis verbis explicandi propriam de Eucharistia mentem. quod ipse præstiterit edita hac confessione secunda, in qua subdolis *veri corporis*, & *veri sanguinis* verbis catholicam fidem profiteri videbatur: tametsi sub ejusmodi speciosis larvis heresim suam occultabat. Inde factum est, ut hæc confessio permultis istius Synodi Episcopis non fecerit satis: ideoque ejus causa ac dilata sit amplior hujus rei discussio in Synodum anni subsequentis, cujus gratiâ frequentior Episcoporum numerus Romam convenire debebat: ac interim Berengarius ad id tempus Romæ residere jussus.

Tandem in Romano Concilio anni M LXXIX, quod mense Februario habitum fuisse superiùs notabam, tertia Fidei formula Berengario proposita est: quam ipse publicè lectam, non catholico animo, sed metu supplicii sacramento confirmavit, ac subscripsit sub hac forma: *Ego Beringerius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis & verba nostri Redemtoris, substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem Domini nostri* JESU-CHRISTI; *& post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur; & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc Fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sacra Evangelia.*

III.

Reversus Româ Berengarius rursus declinavit ad pristinum errorem, ac tertiam Confessionem perfidè retractavit. Hujus rei certa & indubitata habemus argumenta. Primum desumo ex convocatione Concilii Burdegalensis anno M LXXX facta, quæ sane omnino irrita & supervacanea fuisset, si Berengarius in ea quam asseruerat, Fide immotus perstitisset. Alterum argumentum suggerit Bertoldus Presbyter Constantiensis, qui Berengarii obitum ac relapsum ad annum M LXXXVIII ita describit. *Berengarius, novæ hæresis de corpore Domini auctor, eo tempore deficiens abiit in locum suum. qui licèt eamdem hæresim sæpissime in Synodo abjuravit, ad vomitum tamen suum canino more non expavit redire. Nam & in Romana Synodo* (nempe postrema) *canonice convictus, hæresim suam in libro à se descriptam combussit, & abjuratam anathematizavit: nec tamen postea dimisit.* Verùm ipsius Berengarii scriptum quod in ms. codice legi, omnem hac de re dubitationem excludit. quandoquidem in eo scripto tertiam Fidei professionem perfidè rescindit Berengarius, iisdemque fere argumentis convellit, quibus primam sub Nicolao Papa editam labefactaverat, in Lanfranci Dialogo relatis. tum subdit Berengarius quemadmodum ad subscribendum ultimæ Fidei professioni inductus sit, nimirum metu mortis sibi certò imminentis; quove sensu eam asseruerit.

IV.

Non tamen in erroris sui pertinacia post id tempus diu perstitit Berengarius: sed post Burdegalensem Synodum rediit ad sanam mentem, & catholicæ Fidei ad extremum usque spiritum adhæsit. Id certè multa persuadent. Primò, quòd nulla in posterum de eo in vivis superstite querela mota sit in Ecclesia, nullum deinceps Concilium, nullusve conventus habitus. Deinde quòd is se in insulam sancti Cosmæ secesserit pœnitentiæ causâ, ubi reliquum vitæ in Christianæ pietatis officiis exegit. Tum enim id contigit, quod post Synodum Romanam veteres membranæ Laudunenses contigisse testantur in hæc verba: *Tunc Berengarius Româ discedens, Turones venit, ibique in insula, quæ S. Cosma dicitur, sæculi pompis abrenuncians, fere per viginti octo annos* (lege per octo annos) *assiduè Domino militavit. aliique plures Canonici S. Martini sancto Spiritu, necnon salutari ejus admonitione instructi, mutatis vestibus se se ad insulam contulerunt.* Hæc verba, *mutatis vestibus*, indicant Berengarium cum sociis austerioris ac pœnitentis vitæ habitum induisse, quod de monastico nonnulli interpretati sunt. Quamquam post aliquot annos eam in ecclesiam admissi sunt Canonici Regulares, ut mox dicendum. Willelmus Malmesburiensis Monachus in Historiæ Anglicanæ lib. 3 ipsum confirmat insigni planè elogio. *Porro licèt*, inquit, *Berengarius primum calorem juventutis aliquarum hæresium defensione infamaverit; ævo austeriore ita resipuit, ut sine retractatione à quibusdam habeatur sanctus, innumeris bonis, maximè autem humilitate & eleemosynis approbatus, largarum possessionum dispertiendo dominus, non abscondendo & adorando famulus: femineæ venustatis adeo parcus, ut nullam conspectui suo pateretur admitti, ne formam videretur delibasse oculo, quam non prurriebat animo. Non aspernari pauperem, non adulari divitem; secundum naturam vivere, habens victum & vestitum juxta Apostolum; his contentus esse.* Et post multa: *Quæ*

& ipse die Epiphaniorum moriens, gemituque producto, recordatus, quot miseros quondam adolescens primo erroris calore secta sua infecerit: Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus JESUS-CHRISTUS, *propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* Accedit Clarius Floriacensis Monachus in Monasterii S. Petri Senonensis Chronico, quod sub Daimberto Archiepiscopo, ineunte sæculo XII, annis à Berengarii obitu haud ampliùs decem, conditum est, novis subinde appendicibus adjectis. Sic autem Clarius de Berengario loquitur: *Berengarius Turonensis Magister, & ammirabilis Philosophus, amator pauperum efflerunt. Hic composuit orationem illam, quæ sic incipit:* Juste judex JESU-CHRISTE. *Post hæc fidelis &* VERE CATHOLICUS *vitam finivit. super cujus tumulum hujusmodi epitaphium est;*

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis;
Ille Berengarius non obiturus obit.

Qui duo versus primi sunt epitaphii auctori Hildeberto adscripti. Itaque post hæc, id est ab anno M XXXIII, Berengarius *fidelis & verè catholicus* vitam duxit, nimirum paullo post Synodum Burdegalensem, uti superiùs observabam: tumque precationem illam, *Juste judex*, &c. quæ hominis pænitentis sine dubio index erat, composuit. Porro Clarii, domestici auctoris, longè potior est auctoritas, quàm Bertoldi Presbyteri Constantiensis ad Rhenum, hominis extranei, qui falsis rumoribus aut præjudiciis Berengario impænitentiam triboit, ejusque obitum quinque annis antevertit, ratus eum jam esse mortuum, qui eatunc latebat in cella. Deque à Berengarii obitu Turonensis Ecclesiæ sancti Martini Canonici justa ipsi persolvere soliti sunt, hujusque rei gratiâ quotannis ad ejus tumulum, qui in claustro S. Cosmæ nigro lapide stratus, detrito epitaphio, visitur, feriâ Paschæ tertiâ conveniunt: ubi Psalmum *De profundis* pro defuncto Berengario, nullâ tamen Collectâ (ut vocant) adhibitâ, recitant. quod sanè indubitatum argumentum est, eum in catholica communione decessisse. Siquidem quamdiu errori pertinaciùs adhæsit, ab universis, ab Ecclesia maximè Gallicana, tamquam pestilentissimus hæreticus omnium horrore & exsecratione affectus est. Jam verò pænitens factus, eo majorem omnium in se amorem, immo etiam venerationem conciliavit; adeo ut ipsius laudatores modum excessisse videantur, in primis Hildebertus, qui ejus epitaphium scripsit, in quo *metas veræ laudis*, inquit Willelmus Malmesburiensis, *amore inceitatus transsilivit.* His omnibus planè favet Baldricus ex Monacho, dein Abbate Burguliensi, Dolensis Archiepiscopus, qui Berengarii epitaphium clausit hoc disticho:

Promissatque licèt veniam tibi spes meritorum;
Hanc tamen acceleret lector, pia vota vovendo.

Quod sanè non dixisset Baldricus, vir pius ac catholicus, Berengarii æqualis, nisi Berengarius in Ecclesiæ gremio vitam clausisset. Ejus obitus accidit anno M LXXXVIII, die sexto Januarii, qui dies Epiphaniæ Domini sacratus habetur. Legendus eruditi viri Francisci Roïi Antecessoris Andegavensis libellus de hæresi & pænitentia Berengarii, ante annos viginti compositus: cujus lectio mihi in his observationibus non parum attulit adjumenti.

V.

Redeo ad locum, ubi Berengarius extremos agones complevit, id est ad S. Cosmæ insulam Turonicæ civitati suburbanam, in qua vir piissimus Herveus, beati Martini ecclesiæ Thesaurarius, *parvam ecclesiam ædificavit in honore sanctorum Cosmæ & Damiani: ubi die ac nocte aliquot annis à curis vacans secularibus, & à mortalium abstractus consortio, unius vel paucorum contentus mancipiorum consortio, oratione jugi & jejunio, necnon lacrymis irremediabilibus Domini misericordiam implorabat*, ut lego in veteri Chronico Turonensi ad annum M II. Et ad annum M XII, *post mortem Hervei, Monachi Majoris Monasterii eamdem insulam gratiâ refocillandorum Fratrum sub annuo censu à Canonicis B. Martini recepisse* perhibentur: sed postea lite inde suborta, eamdem insulam Martinianis Canonicis denuo cessisse. Hæc igitur illa est insula, quæ Berengarii pænitentiæ testis fuit, tandemque paullò post ipsius mortem Canonicis Regularibus S. Augustini, à quibus etiam nunc occupatur, tradita est anno M C II, testante eodem Chronico his verbis: *Anno M C II Cœnobium S. Cosmæ de insula primè conventum accepit.*

Hæc de errore & pænitentia Berengarii, quo patrono non est quòd tantopere glorientur nostri temporis sectarii. Ejus siquidem pænitentia vel sera, Ecclesiæ catholicæ contulit plus honoris, quàm Calvinistis ejus error præsidii attulit. Quamdiu enim in hæresi versatus est Berengarius, de malis in mala, de hæresi in perfidiam sæpius præcipitavit, desertus scilicet à gratia Christi, cujus verum corpus in Eucharistia negabat. At ubi rediit ad catholicæ Fidei communionem, eamdem Fidem severioribus pænitentiæ actibus sedulò asseruit, quam metu mortis toties verbo tenus ac ficto animo professus erat.

AD ERUDITISSIMUM VIRUM GALESIUM ABBATEM DISSERTATIO HISTORICA,

De anno mortis Dagoberti primi, & Chlodovei junioris.

1 CUm Francicam in primis historiam pro dignitate ames, & pro illustrissimi COLBERTI studio, promovere satagas, VIR CLARISSIME, quod in manus meas has de re feliciter incidit, ad te referendum existimavi, certus id aliis approbatum iri, si tuo suffragio priùs fuerit comprobatum. Mihi quippe nuper quemdam Fossatensis ecclesiæ codicem, qui annos octingentos superat, revolventi, occurrit vetus inscriptio, anno tertio Chlotharii tertii Francorum Regis condita: ex qua ineluctabile argumentum eruitur de anno mortis Chlodovei junioris, adeoque Dagoberti primi. quæ fere una restat in Merovingicæ historiæ calculo difficultas. Quapropter rem toti reipublicæ litterariæ atque tibi non ingratam me fa-

ctturum putavi, si eam inscriptionem in lucem proferrem; & quid ex ea ad illustrandam gentis nostræ historiam deduci possit, pro modulo exponerem. Inscriptio hæc libro primo de vita beati Johannis Abbatis Reomaensis à Jona Abbate præfixa est, quam cum suis nævis hîc repræsento ex codice Fossatensi.

Anno centesimo post explicionem numeri sancti VICTORI *Episcopi ciclum recapitulantem, anno tertio domni* CLOTHARII *Regis indolis, ex jusso ipsius Principes, vel genetrica sua precelsæ domna* BALTHILDÆ *Regina, cum ad urbem Cabalonnensem nono mense secunda ebdomada* JONAS *Abbas per Riomao sancti Johannis monasterio prateriens, paucis diebus inibi pro labore itineris quievit. Cumque victus precibus Fratrum ipsius cœnubii, ut quæ per discipulus memorati Confessoris Christi vel posteris eorum veraciter comperta erant de actuale vita hac spiritale conversatione, articulo dicendi convertit praedictus Jonas Humana Abbas inquit.*

2 Inscriptio hæc jam fere typis vulgata est, nonnullis adjectis, sed prioribus verbis de cyclo Victorii (quæ Chlodovei junioris epocham planè constituunt) omnino detractis, incipiendo ab istis: *Anno tertio Clotharie*, &c. Non dubium quin integra inscriptio sit ipsius Jonæ, qui in beati Johannis anno mortis designando calculum iisdem Victorii, sicut in hac inscriptione, adhibuit. Gavisus sum sanè præclara hac reperta occasione illustrandæ ac finiendæ celebris controversiæ, quæ jam tot annis eruditos viros in pugnantes distraxit sententias.

3 Sed ut clariùs demonstratio procedat, investigandum est primo, qualis fuerit Victorii cyclus, quo Jonas in superiori inscriptione usus est, id est à quoto Christi anno incipiat, & in quem desinat, quotque annis constet: tum quo anno incipiat istius cycli recapitulatio seu secunda periodus: ac demum quoto Christi anno conveniat istius periodi annus centesimus, qui tertius erat Chlotharii tertii, filii Chlodovei junioris.

I.

4 Victorius Aquitanus hortatu Hilari S. R. E. Archidiaconi Paschalem cyclum composuit, constantem annis quingentis triginta duobus, quos à Passione Domini & consulatu Geminorum orditur. Idem ipse in suis ad Hilarum Archidiaconum literis testatur, editum ab se canonem Paschalem Constantino & Rufo Consulibus, id est anno Christi quadringentesimo quinquagesimo septimo: & annum illum, quo prædicti Consules fuerunt, sui cycli quadringentesimum tricesimum numerat. Ex quo intelligitur, ejus cyclum incipere ab anno Christi vigesimo octavo, quem Passione Domini, & Geminorum consulatu præditum existimavit: tametsi neque anno Christi vigesimo Octavo Consules fuerunt Gemini, neque sub his Consulibus Christus Dominus morte affectus est. Ita de hoc cyclo sentit in primis Ægidius Bucherius, qui eum præclaro Commentario illustravit; ipsique Bucherio eruditi viri hac in parte subscribunt. Neque abre erit hoc loco adducere suffragium eruditi viri Petri Francisci Chiffletii, ex Dissertatione sua de annis Dagoberti, ita scribentis in capite 5. *Constat ex Victorii cyclo, quem edidit Bucherius, caput cycli consulatu Geminorum notatum, incurrere in annum æra vulgaris xxviij. Quamvis enim reipsa Consules fuerint Rufus & Rubellius Gemini anno hujus æra xxix, quia tamen Victorius priorum Consulum seriem unitate superflua cumulavit, hinc effectum est, ut apud illum Geminorum consulatus veram suam sedem uno anno antevertere, adeoque ad annum vulgaris æra xxviij adnotaretur. Quare ut anni Victoriani annos Christi vulgares assequamur, illis addendi sunt anni dumtaxat xxvij, non autem (ut Rosverio & Bollando visum est) anni xxxij.*

5 Itaque Victorii Paschalis cyclus ab anno Christi xxviij incipiens, constat annis quingentis triginta duobus: quibus addendi sunt anni viginti septem, ut ad vulgarem nostrum calculum cyclus revocetur. Ideoque prima Victoriani cycli periodus desinit in anno quingentesimo quinquagesimo nono.

II.

6. Ex his manifestum est, annum ab ejusdem cycli recapitulatione centesimum, quem præmissa Jonæ inscriptio præfert, incidere in annum Christi nati sexcentesimum quinquagesimum nonum: qui annus ex Jona tertius erat Chlotharii tertii. Unde consequens est, Chlotharium Chlodoveo patri successisse anno DC LVI. ac proinde eo anno Chloduveum è vivis excessisse. Nihil luculentius aut validius afferri potest ad demonstrandam epocham Chlodovei junioris, cùm hoc testimonium profectum sit à Jona Abbate, homine æquali, erudito, ac teste oculato, qui ex præcepto Chlotharii ejus filii Cabilonem directus est anno tertio ab obitu Chlodovei. Atque ut perspectum habeas, veram ac certam esse nostram computationem, adi apud Bucherium tabulas Victorianas ad pag. 24. ibique invenies annum Christi vulgarem 659. & in adversa pagina è regione annum centesimum secundæ periodi Victorianæ.

7. Hanc porro Victoriani cycli cum annis æræ nostræ vulgaris comparationem egregiè confirmat Petrus Franciscus Chiffletius ex Fredegarii libro, in cujus capite 109 hæc inter alia leguntur. *A Passione Domini usque isto anno præsente, qui est in cyclo Victorii annus CLXXVII, Calendis Januariis, die Dominica anni* DCC XXXV. „Ubi advertere licet, inquit „ Chiffletius, illo concursu Dominici diei cum Ka- „ lendis Januariis designari annum æræ vulgaris DCC „ XXXVI à Christi Natali deductum, ac notatum „ littera Dominicali A, cùm tamen Fredegario sit „ annus DCC XXXV. quia hic à Paschate, tribus circi- „ ter post Romanos mensibus, annos suos auspica- „ batur, eoque in Kalendis Januarii uno anno minus „ computabat. Quam verò *Passionem Domini* dixit „ Fredegarius [aut ejus continuator] versu præce- „ dente *Adventum Domini*, hoc est Incarnationem „ vel Nativitatem appellarat. „ Sic quippe annos Passionis cum annis Incarnationis vel Nativitatis aliquando confusos fuisse ostendimus in lib. 3 de Re Diplomatica cap. 23. ubi etiam advertimus, annum à Paschate olim apud Gallos inchoari solitum, indubiè ex usu apud eos tum recepto cycli Victorii, qui à Paschate novum annum instituit, ut ex relatu Fredegarii loco Chiffletius rectè observat. Si igitur annus C LXXVIJ secundæ periodi Victorianæ convenit anno DCC XXXVJ æræ vulgaris; haud dubiè annus ejusdem secundæ periodi seu recapitulationis centesimus anno Christi DC LIX contribuendus est. Atqui hic annus erat Chlotharii tertii à morte Chlodovei ejus patris tertius. Unde conficitur, annum Christi DC LVI Chlodovei junioris supremum fuisse, non annum DC LX, ut plerisque visum est.

III.

8. His constitutis, non erit operosum de annis Dagoberti primi pronuntiare. Cùm enim Chlodoveus junior, ejus filius ac successor, annos octodecim post eum regnaverit; fit, ut Dagoberti obitus in annum Christi DC XXXVIIJ sit referendus. Hæc est sagacissimi Hadriani Valesii sententia, quam ego quoque antehac cum Carolo Cointio claræ memo-

tiæ secutus sum. Unum autem hoc argumentum sufficit asserendæ Valesianæ sententiæ, cum duobus principiis nitatur æque necessariis, nempe Chlodoveum juniorem obiisse anno DC LVI, (siquidem ea Jonæ testimonio, Chlotharii ejus filii annus tertius comparandus est cum anno DC LIX æræ vulgatis:) Chlodoveum verò annis XVIII post Dagobertum regnasse. Id enim vulgatus Fredegarius docet, consentitque Chronicon Benignianum ac Besuense, tametsi quidam ei annos dumtaxat septemdecim, quidam sexdecim tribuunt. Neque dici potest, annum decimum octavum esse incompletum: cùm Dagobertus è vivis abierit mense Januario anni DC XXXVIII, qui proinde totus Chlodoveo tribuendus est, adeo ut mense Januario anni DC LVI annus regni ejus decimus-octavus fuerit absolutus. Certè Sigibertus, ejus frater, qui ante ipsum obiit, annum regni decimum-septimum attigit, ex vita Desiderii Episcopi Cadurcensis.

9. Hoc, inquam, unum argumentum evertit sententiam eorum, qui Dagobertum ad annum DC XLIV pervenisse contendunt. Sed locus postulat, ut alia sententiæ nostræ momenta huc paucis conferamus, ut uno quasi conspectu hujus quæstionis summa ob oculos ponatur.

10. Principio præmittendum est, Chlotharium, Dagoberti patrem, anno regni sui XLIV, qui ante ipsius obitum fatalis fuit, & quidem anno Christi DC XXII. Vere viventem Regem Austrasiæ Dagobertum dedisse, atque anno DC XXVIII obiisse. Deinde observa, Dagobertum ipsum regnasse annis sexdecim. Unde qui hos annos computant à morte patris, Dagoberti obitum consignant anno DC XLIV; qui ab initio Austrasiæ regni, anno DC XXXVIII collocant: quam sententiam his argumentis præstruebamus.

11. Primo Fredegarius Scholasticus, quem unum per id tempus rerum Francicarum scriptorem habemus, per annos omnino sexdecim Dagoberti gesta recenset; annumque primum ab anno quo Austriæ Rex impositus est, tum ceteros consequenter deducit, septimum statim à Chlotharii obitu numerat; deinde octavum aliosque usque ad decimum-sextum, quem Dagoberti supremum statuit. Quid clarius? en Fredegarius æqualis auctor, Dagoberti annos sexdecim non ab obitu Chlotharii ejus patris, sed ab anno sexto ante patris obitum recenset; ac decem tantùm annos post mortem patris ei tribuit. Ergo decem tantùm annos post patrem regnavit Dagobertus. Rem attigit Hermannus Contractus his verbis. *Chlotarius Rex Francorum fortis, pius, & religiosus, anno regni XLV defunctus, & Parisius in basilica sancti Vincentii sepultus est. Ejus regnum Dagobertus accipiens, cum jam sex annis regnasset, decem annis postea rexit.* Hæc verba commentario non egent.

12. Dices Hermannum longiùs ab eo tempore abfuisse, quam ut ejus sententiæ tutò fidi possit. Ut sit sanè. At cum Fredegarii mentem aptissimè expleat, saltem pro expositore, si non pro auctore hoc loco habendus est. Et verò quis Fredegarium legens non statim advertat, ea quæ anno Dagoberti septimo ab eo referuntur, primo quoque tempore ab initio post mortem patris Burgundiæ regno hæc gesta fuisse? Quis putet Fredegarium sex Dagoberti annos ab ejus principatu in Austria vivente Chlothario exactos numerasse, ac statim Chlothario mortuo septimum de Burgundiæ regno, quod nonnisi à morte patris adiit, sex aliis intactis intellexisse; ac demum non annos postea sexdecim, sed decem tantum computasse?

13. Sed has ineptias etiam validissimè confutat aliud à eodem Fredegario petitum argumentum. Nimirum capite 73 dicitur Sisenandus Senzilam seu Suinthilam Hispanorum Regem solio deturbasse, ac regnum occupasse *anno nono regni Dagoberti*. At Sisenandus regnare cœpit anno DC XXXI. Quandoquidem Concilium Toletanum IV. convocatum est *anno tertio regnante gloriosissimo Principe Sisenando*, & quidem *æra sexcentesima septuagesima prima*, id est anno Christi DC XXXIII, Marianæ anno sequenti, qui Suinthilam anno DC XXXI expulsum, eodemque anno Sisenandum surrogatum tradit. Itaque ad mentem Fredegarii annus Dagoberti nonus incidit in annum Christi DC XXXI. nonus inquam, initium sumendo ab initio Austrasiæ, non Burgundiæ principatu.

14 Ad hæc Fredegarius in capite 82 itidem auctor est, Scintilam, quem alii Chintilam appellant, qui Sisenando in regnum successerat, *defunctum esse anno secundo Chlodovei Regis*, Dagoberti filii ac successoris. Chintila sub finem anni DC XXXV Sisenando successit, regnavitque annis tribus, mensibus XI, cum diebus sexdecim, sicuti numerat Mariana, qui Chintilæ obitum anno DC XXXIX reponit. Ergo præcedente anno obierat Dagobertus, siquidem Chintila decessit *anno secundo Clodovei Regis*, teste Fredegario.

15 Accedit postremum argumentum ex privilegio Johannis Papæ IV, à nobis vulgato in Appendice ad primam partem Sæculi quarti Benedictini, quod privilegium sanctimonialibus *sanctæ Mariæ & sanctæ Columbæ* Pontifex concessit rogatu Chlodovei, haud dubie junioris. Privilegii hæc verba sunt. *Quoniam igitur Clodoveus Rex, excellentissimus filius noster, Princeps Francorum, pia & religiosa devotione perspicuus, suis nos scriptis postulasse dinoscitur*, &c. Porro Johannes IV pontificatum iniit anno DC XXXIX, eumque post non integrum biennium Theodoro morte sua reliquavit. Itaque summa rerum apud Francos potiebatur Chlodoveus sedente Johanne IV, id est ante annum DC XLI, quo Johannes vivere desiit. Hoc quidem privilegium in formulam redactum est in pervetusto codice Tuaneo Colbertino, sed tamen nomina Pontificis & Regis, atque Regularum *Antonii, Pachomii*, & *haud procul à nostris* (ita Pontifex) *temporibus Benedicti Abbatis* retinuit: quæ sufficiunt ad ejus tempus internoscendum, & ad id probandum quod intendimus.

16 At vereor ne multa congerendo nimius sim, eruditissime Abbas, tibique ac lectoribus meis spinosum hoc dicendi genus fusius persequendo fastidium pariam. Sed tamen ab alio argumento, quod acta sancti Wilfridi Episcopi Eboracensis mihi suppeditant, temperare nequaquam possum: præsertim cum agatur de interpolato Bedæ venerabilis testimonio, cujus restitutio aliquanti momenti est, ne alii in errorem labantur. Res sic habet.

17 Wilfridus comite Benedicto Biscopo ex Anglia Romanum iter aggressus est, *quo tempore* Cantiæ *gradum Archiepiscopatus Honorius servabat*, teste Beda in lib. 5 de historia Anglorum cap. 20. Honorius ex *hac luce migravit anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio*, ex eodem auctore in lib. 3 cap. 20. Ergo non post hunc annum Wilfridus itineri Romano se commisit. Inter eundum Lugduni adiit Dalfinum ejus urbis Episcopum: Romam profectus, ibi permansit *menses aliquot*, ex superiori lib. 5 cap. 20. ac demum in reditu apud Dalfinum *tres annos commoratus est*. Mox Dalfinus interfectus à Beda perhibetur jussu Balthildis Reginæ, id est Ebroini, qui nomine Balthildis, mortuo Chlodoveo marito suo tunc regnantis, omnia administrabat sub Chlothario minorenni. Observatione digna est hæc Dalfini cædes, quæ accidit anno quarto à Wilfridi excessu ex Anglia, ac proinde anno DC LVII. Siquidem anno DC LIII ex Anglia sol-

vit, Romæ hospitatus per *menses aliquot*, Lugduni in reditu *tres annos*. quæ omnia summam anni oc LVII conficiunt. Itaque eo jam anno regnare desierat Chlodoveus junior, cùm Balthildis nomine regnum administraretur.

18 Nescio an hujus loci incommodum subterfugere voluerit Chiffletius, qui cum Dagoberti regnum ad annum oc XLIV protogatum contendat, in novissima Bedæ Anglorum historiæ editione, ubi de mora Wilfridi apud Dalfinum per *tres annos* legitur in vulgatis, reposuit *sex annos* ex fide codicis (ut ipse ait) Trevirensis. quod in Notis ad hunc locum explicat, moxque subdit: *Sex annos mansisse Wilfridum apud Dalfinum Episcopum Lugdunensem apparet ex utriusque accurata chronologia, quam nostra de annis Dagoberti Dissertationi illigavimus.* Verùm hanc chronologiam esse accuratam inficiamur, persuasumque habemus retinendos esse *tres annos* apud Bedam in lib. 5 cap. 20. Nam ita legitur non solum in omnibus Bedæ vulgatis exemplaribus, sed etiam in Alfredi versione saxonica, facta ante annos octingentos, itemque in ms. codice nostro Germanensi. Immo ita legitur apud Eddium Stephanum in libro de vita Wilfridi: quo ex loco Beda partim res Wilfridi didicit. Eddi auctoris æqualis insignis liber de gestis Vvilfridi ex codice Cottoniano à nobis in lucem editus est in parte prima Sæculi quarti Benedictini, ubi hæc leguntur in cap. 6 pag. 679. *Invento igitur Dalfino Archiepiscopo sospite & sano, gratulabundus ad Patrem ingreditur ..... nam per tres annos simul cum eo mansit. Illo tempore malevola Regina, nomine Balthild, ecclesiam Domini persecuta est.* &c. Audis Eddium scripsisse *tres annos*, non *sex*, ut in Beda fallit codex Trevirensis. Perget ne aliquis dicere vitiosa esse non modò alia Bedæ exemplaria præter Trevirense, sed etiam Eddii librum in codice Cottoniano? ac succurrit etiam Sarensis, ex quo variantes lectiones accepi, editas in Appendice secundæ partis Sæculi quarti, qui codex habet *per tres annos*, & pro Brunechild, (quod codex habet Cottonianus) apprime restituit *Balthild*. Quid plura? Fridegodus Poëta, Eadmerus, aliique qui res gestas Vvilfridi memoriæ commendarunt, *tres annos* præferunt, nisi quod Fridegodus metri necessitate *tria lustra* posuit. Itaque hic numerus omnino retinendus est, id est *annos tres*; & Dalfini cædes referenda ad annum oc LVII, Balthilde Francicum regnum pro filio Chlothario procurante, atque adeo post mortem Chlodovei ejus conjugis, quæ proinde anno superiori accidisse dicenda est, ut ex Jonæ inscriptione jam demonstravimus. Ceterum an Dalfinus Lugdunensis Antistes idem sit ac Annemundus, qui jussu Ebroïni necatus est, expendimus in Præfatione prima Sæculi quarti. at Sigoberrandum Episcopum, qui itidem paullo post Chlodovei mortem interfectum dicitur in vita sanctæ Balthildis, non ipsum esse Annemundum, contra quàm vir doctus suspicatur, sed Parisiorum Episcopum fuisse, constat ex pervetusto indice Parisiensium Episcoporum qui in libro sexto de Re Diplomatica vulgatus est. Sed hæc nihil juvant ad finiendam controversiam de epocha Dagoberti & Chlodovei junioris, quam utramque idoneis argumentis demonstrasse mihi videor.

19 His unum legitimè opponi potest Audoëni testimonium ex lib. 2 de vita S. Eligii cap. 2. ubi hæc de amborum ordinatione referuntur. *Convenientes igitur simul in civitatem Rotomagensem, quarto decimo die mensis tertii, tertio anno Clodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante letanias, inter catervas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rotomago, ille verò Noviomo.* Et id quidem palmare est adversæ partis argumentum quod ita instituunt. Eligii & Audoëni ordinatio contigit anno Chlodovei juvenculi Regis tertio, quo littera Dominicalis erat A, Pascha die nono Aprilis Ascensio octavo-decimo Maii, Dominica ante letanias seu Rogationes dies Maii decima-quarta. Atqui hæc omnia simul convenire non possunt, nisi anno Christi oc XLVI. Ergo annus Chlodovei tertius erat. Ex quo consequens est, Dagobertum ejus patrem anno oc XLIV vivere ac regnare desiisse. Carolus Cointius ad hunc locum respondit, ita dispungendum esse Audoëni contextum, ut ipse & Eligius Rotomagum simul accesserint *quarto decimo die mensis tertii* seu Maii; at ordinationem dilatam esse in octavum diem. *Hujus periodi*, inquit, *duæ sunt partes. Prior annum diemque designat, quo Rotomagum Audoenus & Eligius pervenerunt: posterior diem notat, quo consecrati sunt Episcopi. Consecrati sunt autem die Dominico ante Litanias. Dies ille Dominicus ante Litanias fuit vicesimus primus mensis tertii seu Maii quia hoc anno*, scilicet oc XL, *Chlodovei Regis tertio Pascha die Aprilis decimo sexto celebratum est.* Hæc mihi solutio, fateor, prima fronte arrisit. At cum in Noviomensis ecclesiæ Kalendario, quod libro Psalmorum vetertimo præmissum est, ordinatio beati Eligii *pridie Idus Maii*, id est quarto decimo die ad scripta sit; eidemque S. Audoeni ordinatio eodem die celebretur in ecclesia Rotomagensi, tantisper ab assensu Cointianæ expositionis demotus sum. Verùm libratis aliunde invictissimis pro nostra sententia argumentis, ad hanc explicationem interim recurrendum esse duxi, hac persuasus ratione, quòd etsi sancti Eligii depositio haud longè post ipsius obitum celebrata sit; non tamen statim ejus ordinatio (quod etiam de beato Audoeno dicendum) fastis sacris adscripta, & peculiari cultu honorata est, sed post annos forsan centum quinquaginta, aut etiam ducentos. Eos verò qui eam primi Kalendariis inscripserunt, ex loco Audoeni malè intellecto eam reposuisse quarta-decima die Maii, quæ die vigesima prima reponenda erat. Liber Psalmorum Noviomensis quo nullus antiquior Eligii ordinationem signat, scriptus est exeunte sæculo decimo, cum in eo fiat mentio de Harduino Episcopo in hæc verba. *II Idus Maii dedicatio ecclesiæ beatæ Mariæ, & dedicatio capellæ, quam domnus Harduinus Episcopus construxit Noviomi: & ordinatio sancti Eligii.* Harduinus sedebat anno DCCCC XCIV. Forsan eo sæculo instituta est memoria ordinationis beati Eligii in ecclesia Noviomensi.

20. Alias ejus nodi solutiones duas adducit Henschenius in Exegesi præliminari ad Aprilis tomum tertium, ubi priori sententia de annis Dagoberti mutata, Valesianæ tandem accessit. Una est solutio ut Dominica ante Litanias sit Dominica quarta post Pascha, seu Dominica ante hebdomadam Rogationum. Altera, ut octiduo citiùs Pascha celebraverint Galli, quemadmodum aliàs, anno Christi DC XL Clodovei tertio, quo Eligii ordinatio contigit. Utrumque multis refellit Carolus Cointius in Annalium tomo 6. Et primam quidem satis confutat Audoenus ipse, cùm hanc ordinationem statuat eo tempore, *quo apud Gallias Rogationes celebrantur*. Non itaque octiduo ante Rogationes. Certè neque octiduanum Paschæ discrimen obtinuit anno DC XL, ut ex Bucherii tabulis Victorianis manifestum est. Dubitavi aliquando, num illa Eligii & Audoëni ordinatio referri possit ad annum tertium, quo Chlodoveus à Dagoberto Neustriæ Rex designatus est. Id enim Fredegarius accidisse tradit anno XII regni Dagoberti, id est anno DC XXXIII. Itaque annus ter-

tius ex quo Chlodoveus Neustriæ regno impositus est, incidisset in annum DC XXXV quo quidem anno Dominica Rogationum Maii die 24 celebrata est. Et sanè hunc Eligianæ ordinationis annum signat non modò Fridegodus monachus in vita sancti Audoëni, sed etiam vetustissimus auctor anonymus, qui Chronica Regum Francorum digerebat anno DCCC LV, editus apud Labbeum in tomo primo Bibliothecæ novæ pag. 330, ubi hæc verba. *Hujus Chlodovechi anno tertio, Incarnationis Dominicæ anno* DC XXXV, *sub Martino Papa, Audoenus & Eligius apud Rotomagum una die ordinantur Episcopi.* Sed cum fallat iste auctor in designando Martini pontificatu, non magni facienda est ejus auctoritas ad stabiliendum tempus prædictæ ordinationis, quam post mortem Dagoberti factam esse persuadet narrationis series apud Audoenum. Quapropter primam solutionem nostram interim præfero: quæ si nonnullis non placet, non repugno, modò afferant meliorem; aut superiora solvant argumenta, quibus Dagoberti & Chlodovei annos mortis certissimè defixos existimo, illius quidem anno DC XXXVIII, hujus verò anno DC LVI. quod utrumque evincit vel sola Jonæ auctoritas.

21. Hæc sunt, Vir Clarissime, quæ occasione inscriptionis Reomaënsis mihi dicenda recurrerunt de hoc argumento, prætermissis quibusdam ratiunculis, quæ controversias potiùs obscurare solent, quàm illustrare. Animus erat hîc agere de annis subsequentium Regum: sed cum hac de re tum in præfationibus ad acta sanctorum Ordinis sancti Benedicti, tum in libris de Re diplomatica, qui te instigante tandem absoluti sunt, fusiùs egerim; supervacanea repetitione supersedendum existimavi.

22. Unum superaddo de Jona, cujus præmissa inscriptio typis (ut jam monui) majori ex parte ante hac vulgata erat, tum apud Bollandum in Januarii tomo primo, tum in Sæculo primo Benedictino, tum apud alios etiam recusa, sed incipiendo ab his verbis, *Anno tertio Clotharii*, &c. relicto primo versu, de anno centesimo secundæ periodi Victorianæ, in quo sita est tota vis argumenti. In contextum etiam ejusdem inscriptionis quoddam glossema invexerunt editi libri ad hæc verba, *Jonas Abbas*, post quæ in vulgatis additur, *disciplinis beati Columbani eruditus.* quæ verba desunt in codice Fossatensi. Non dubitaverim tamen, quin idem sit Jonas Abbas, vitæ beati Johannis Abbatis auctor, & Jonas sancti Columbani discipulus & præco. quandoquidem hic in Galliam accessit, ut patet ex actis Burgundofaræ ab eodem scriptis; eumque Abbatem nominat vetus auctor in vita sancti Walarici Abbatis. Sed interest hujus glossematis monuisse lectorem, ne cui fucum faciat. Porro suspicari licet, hunc Jonam Abbatem à Clothario Rege, aut potius ab ejus matre Balthilde (nam Clotharius tenellus tum erat) Cabilonem ideo missum fuisse, ut in monasterio sancti Martini restitueret disciplinam regularem, cujus admodum studiosam fuisse Balthildem ex ejus actis intelligimus. Sed hæc extra locum dicta reputabis, ornatissime Abbas, quæ omnia velim benigno (ut soles) animo accipias.

DISSERTATIO ALTERA,

DE ANNO ET DIE ORDINATIONIS, ITEMQUE OBITUS DESIDERII EPISCOPI CADURCENSIS,

Ex quibus Dagobertina epocha denuo comprobatur.

1. CUm sub prelo esset Dissertatio superior de annis Dagoberti senioris, ad me transmissa est Disquisitio unius è nostris studiosissimi, Petri Laurentii, de anno & die ordinationis, atque obitus sancti Desiderii Episcopi Cadurcensis. Hanc cum perlegissem, mihi multum conducere visum est hoc argumentum ad finiendam controversiam de epocha Dagoberti: neque rem amico & sodali nostro ingratam me facturum existimavi, si ejus opellam modo meo referens & exponens, in publicos usus eam reducerem. Paucis rem expedio, primum de anno ordinationis Desiderii, dein de ipsius obitus anno dicturus. Tota lis pendet ex vita Desiderii, scripta ab auctore gravi & æquali, quæ primum in fusiori Gallia Christiana typis vulgata est, deinde in tomo primo Bibliothecæ novæ apud Labbeum, qui variantes lectiones tomo secundo addidit ex codice Moissacensi, qui nunc servatur in Bibliotheca Joliana ecclesiæ Parisiensis.

I.

2. Rusticus, Desiderii germanus, ejusdemque in sede Cadurcina decessor. *Archidiaconatus officium in urbe Rutena suscepit anno transacto* XXXIV *Lotharii Regis*, seu Chlotharii Dagoberti patris, qui annus incidit in annum Christi DC XVIII. Postea creatus est Episcopus Cadurcensis, & post septem regiminis annos, *finiente anno septimo regni Dagoberti, & incipiente octavo*, à perfidis & scelestis incolis interemtus est, *septimo & eo amplius anno pontificatus sui administrato.* Is, teste Frodoardo in historiæ Remensis lib. 2 cap. 5, Synodo Remensi, præsidente Sonnatio Remorum Antistite, interfuit unà cum Senoco Elusan ometropolita, quem anno Chlotharii Regis XLIII, id est Christi DC XXVI, in exsilium ejectum fuisse constat ex Fredegarii capite 54. Si itaque Rusticus ecclesiæ Cadurcensi præerat anno DC XXV, sedique annos dumtaxat septem cum aliquot diebus, ut in actis Desiderii legitur; consequens est, Rustici obitum, qui Dagoberti anno incipiente octavo contigit, non à morte Chlotharii Dagoberti patris, id est ab anno Christi DC XXVIII, (aliàs Rustico anni regiminis amplius decem competerent) sed à regno Dagoberti Austrasiano numerandum esse, nempe ab anno DC XXII. ac proinde Rustici obitum anno DC XXIX accidisse.

3. In Rustici locum paullo post subrogatus est ejus frater Desiderius, assentiente Dagoberto, qui ejus ordinationem *in sancta Paschali sollemnitate* fieri mandavit, scripto ad Sulpicium Bituricensem Archiepiscopum Indiculo seu epistola, *data sub die* VI *Idus Aprilis*, ut in codice Moissacensi & in editione Labbeana,

braria, cum in Gallia Christiana legatur, *sub die Idus Aprilis*. Hîc *Paschalis sollemnitatis* nomine intellige non solum Paschæ diem, sed omnes Paschales dies.

4. Ex his duo intelligimus, quæ maximè ad propositum faciunt: unum, Rustici necem accidisse sub finem mensis Martii, id est Vere ineunte: alterum, Desiderii consecrationem factam esse *in sancta Paschalis sollemnitate*, quæ diem sextum ante Idus Aprilis aliquot diebus subsequebatur. Atqui Dagobertus Austriæ Rex à patre dictus est anno xxxviiii Chlotharii, & quidem Vere ineunte, cùm regni Proceres in campum Martium convenire solebant. Cùm ergo Desiderii ordinatio in Paschalibus diebus post octavum Aprilis diem celebrata sit; ea referenda est ad annum DC XXIX, quo anno Pascha in diem 16 Aprilis incidebat. Tunc enim incipiebat annus octavus Dagoberti in Austria regnantis: cujus annus primus ab ineunte Vere anni DC XXII, octavus à recurrente Vere anni DC XXIX desumendus est, necdum regnante apud Cadurcos Ariberto ejus fratre, cui hæc provincia cum aliis Aquitaniæ populis à Dagoberto post varias à morte patris altercationes *tandem* concessa est.

5. Hinc evertitur tum sententia Sancta-Marthanorum, qui in futiori Gallia Christiana Desiderii ordinationem referunt ad annum DC XXXV, ducto calculo anni octavi Dagoberti à morte patris, qui annua initio Aprilis non *incipiens*, sed decurrens erat: tum sententia Labbei, eamdem ordinationem ad biennium removentis, id est annum DC XXXVII, qui annus, præter idem incommodum, Dagoberti nonus in decursu erat, non octavus à morte Chlotharii. Utrique annum DC XXXVI intermedium notare debuerant: sed quia Pascha eo anno non incidebat in Aprilem, sed pridie Kalendas Aprilis; ideo cautè & de industria ipsi in alias sententias abierunt.

II.

6. Eadem Dagoberti epocha non minùs ex notis chronicis Desiderii obitus, quàm ejus ordinatione demonstrari potest. *Rex Dagobertus*, inquit Desiderii encomiastes, *sexto decimo regni sui anno administrato pacifice obiens, duobus filiis, Chlodoveo & Sigiberto, regni sceptra reliquit. Et Chlodoveus quidem regni Francorum, Sigibertus autem Austrasianorum regnum gubernavit*. Auctor iste Dagoberti annos à regno ejus Austrasiano in aliis computat. Ergo anno DC XXXVIII obiisse dicendus est ex ejusdem auctoris sententia. Verùm annos Sigiberti non ab anno patris duodecimo, quo Rex Austriæ designatus est trimulus puer, sed ab ejus obitu deducit. Cujus discriminis ratio inde peti debet, quòd Dagobertus jam adolescens ac regnandi habilis à Chlothario patre Austriæ throno impositus, per se ipse extunc regnare cœpit: at Sigibertus, cùm per ætatem ipsi regnare non liceret, potiùs Rex designatus, quàm institutus dici potest. Unde non ante mortem patris regnasse censendus est, tametsi Fredegarius ejus annos ab ea designatione numeravit.

7. Ad Desiderium revertor, qui teste eodem veternmo auctore, *sub anno* XVI *Sigiberti Regis testamentum condidit*. Tum, *hujus Sigiberti* VII *& decimo regni anno, episcopatus autem sui vicesimo &* VI, *parat solum proprium paternæ possessionis Albigensi territorium visitare*. Ita legitur in codice Moissacensi, ut in variantibus lectionibus notavit Labbeus, *non vicesimo &* III, ut Cointius legit. Hanc genuinam lectionem ego ipse oculis comprobavi, consulto exemplari Moissacensi, in quo distinctè scriptum legitur, *episcopatus autem sui vicesimo &* VI. Post hæc subdit auctor. *Cumque jam Dominus pro cunctis eum laboribus vellet remunerare*, in febrem incidit, & *sub die decimo septimo Kalendarum Decembrium ultimum spiritum exhalavit*. In Gallia Christiana mendose legitur, XIII *Kalend*. cùm in codice Moissacensi, & in serie Episcoporum Cadurcensium apud Guillelmum à Cruce, XVII *Kalend. Decemb*. adnotetur. Itaque Desiderius excessit *anno* XVII *Sigiberti; & episcopatus sui* XXVI.

8. Difficultas est, quo pacto annus Sigiberti decimus septimus cum anno Desiderii episcopatus XXVI comparari possit. Carolus Cointius textum vitæ sancti Desiderii, simulque acta ecclesiæ Cadurcensis apud Guillelmum à Cruce, quæ annos XVI præferunt, emendanda censet. » Nam cum Desiderius, « inquit, ut in ejus vita legitur, episcopatum inierit anno Dagoberti Regis octavo; & Sigibertus « Austrasiæ Rex præpositus fuerit anno Dagoberti « Regis duodecimo: certè Desiderius solo quadrien- « nio pontificatum citius, quàm Sigibertus regnum « adeptus est: & anni Sigiberti Regis cum annis « Desiderii Præsulis ita componi debent, ut annus « Sigiberti decimus-sextus anno Desiderii vicesimo, « annus Sigiberti decimus-septimus anno Desiderii « vicesimo primo illigetur. « Appositè quidem ad calculum Cointianum: sed huic obstat codex Moissacensis pervetustus & optimæ notæ, in quo annus Sigiberti *septimus-decimus* cum anno Desiderii pontificatus *vicesimo & sexto* comparatur. Verùm hic nodus ex superiori observatione facile solvitur, numerando annos Sigiberti à morte Dagoberti patris, non ab anno Dagoberti undecimo, quo Sigibertus à patre Austriæ Rex designatus est. Sic enim Desiderii episcopatus anno regni Dagoberti octavo incipiente (ut præmissum est) initus, annis novem excedit annos regni Sigiberti, qui ab anno Dagoberti sexto-decimo, id est ab ejus obitu, recensendi sunt.

9. Itaque Desiderii obitus consignatus est die 16 Novembris, anno Christi DC LV, quo Sigiberti annus decimus-septimus à morte Dagoberti decurrebat: & Sigibertus ipse mense Februario anni sequentis regnare ac vivere desiit, anno uno ante Chlodoveum ejus fratrem, cujus obitum anno DC LVI accedisse superius ostensum est.



DOMNI

JOHANNIS MABILLONII PRESBYTERI AC MONACHI ORDINIS S. BENEDICTI, E CONGREGATIONE S. MAURI,

DISSERTATIO DE PANE EUCHARISTICO, AZYMO, AC FERMENTATO.

Ad Eminentiss. Cardinalem BONA.

Subjungitur Opusculum ELDEFONSI Hispaniensis Episcopi de eodem argumento nusquam antehac editum.

EMINENTISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

JOHANNI BONA,

S. R. E.

PRESBYTERO CARDINALI,

Fr. JOHANNES MABILLONIUS M. B.

EO me adduxit, EMINENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *Modestia Tua, ut si Libellum hunc meum Tibi non obtulero, ingrati animi vitium incursurus sim; si obtulero, imprudentis. Cùm enim hic libellus Te monente ac præcipiente conceptus sit, Te materiam suppeditante ac delineante formatus, Te etiam procurante editus in lucem; indignum est, ut sub alieno prodeat nomine, qui Te primarium auctorem agnoscit. At verò cùm modum tractandi argumentum de Azymo ita præscripserit* EMINENTIA TUA, *ut non quod Tute sentias, sed quod è rei veritate magis esse intellexero, sincerè exponam; fit ut à Tua sententia tantisper discedere cogar, reluctante observantia in Te mea; eoque minùs acceptum fore libellum meritò subverear, quò ad judicium Tuum minùs accesserit. Et id quidem jure timerem, si esses ex eo genere hominum, quibus id unum sapit quod sentiunt. Verùm tanta est animi Tui magnitudo & æquitas,* EMINENTISSIME CARDINALIS, *ut cùm in scriptis Tuis uni studeas veritati, in alienis unam maximè quærendæ veritatis sinceram voluntatem probes; plusque de Te meriturus sit, qui à sententia Tua veri studio recesserit, quàm qui Tibi subscripserit fallaci assentationis obsequio. Quapropter in hoc elaborando Opusculo id in primis curæ mihi fuit, ut illud componerem, non tam ad Tuæ sententiæ, quàm ad animi Tui imitationem: ratus in hoc magis splendere dignitatem moresque Tuos, si etiam contrà sentientes benignè accipias, quàm si omnes Tibi ambitiosè applauderent. Quamquam in tota hac disputatione nihil contradicendi studio à me dictum, nihil definiendi pertinaciâ assertum: sed id totum quantulumcumque est, perfeti animo Tibi obsequendi, consecrandique opellam meam: ut si aliquando permittente otio idem argumentum secundis curis pertractare Tibi placuerit, habeas præmanibus hoc officii mei monumentum. Nihil enim mihi felicius gloriosiusve contingere potest, quàm si quidpiam momenti con*

tulero in subsidium studiorum Tuorum, quibus Catholicam Ecclesiam atque Rempublicam litterariam mirificè illustrat. Hæ sunt consilii atque operis mei rationes, VIR EMINENTISSIME, *quas si probaveris, spero etiam munusculum hoc non ingratum fore* EMINENTIÆ TUÆ: *quod etiam atque etiam opto. Vale, & æternùm vive. Lutetiæ Parisiorum, in suburbano sancti Germani Monasterio, VI Id. Octobris M DC LXXIII.*

L E C T O R I.

HUc te paucis volo, studiose Lector. Ante annos duos & viginti Jacobus Sirmondus clarissimæ memoriæ, Presbyter Societatis JESU, Disquisitionem de Azymo composuit, quo in libro azymorum usum apud Latinos ab annis admodum octingentis viguisse contendit. Eadem fere sententiam ante hoc biennium amplexus est Eminentissimus Cardinalis JOHANNES BONA in lib. 1. rerum Liturgicarum cap. 23. quo quidem tempore ego quoque cum Acta Sanctorum Ordinis sancti Patris BENEDICTI, quæ ad sæculum ejus tertium pertinent, typis mandarem, quasdam observationes contra Sirmondi sententiam coegessi in Præfatione mea. His lectis Eminentissimus Cardinalis epistola ad me scriptâ non gravatus est promere quid sentiret de argumentis à me propositis: quibus etiam responsiones suas cum eximia dignatione reposuit. Ad hæc, submisso Eldefonsi Hispaniensis Episcopi Opusculo, quod eatenus inquisieram, auctoritatem in me suam interposuit, quò totum Azymi argumentum novis commentariis explanarem. Habes insignem ipsius hac de re epistolam, non minùs ornamenti quàm documenti gratiâ, in fronte hujus operis collocatam. Tum subsequitur Dissertatio mea: ad cujus calcem subjunxi Opusculum ELDEFONSI jam dicti Episcopi, ante annos octingentos scriptum de Pane Eucharistico: quod nusquam hactenus editum, probationis loco erit. Hæc tota series hujus operis. Perge, Lector, & vale.

E P I S T O L A

E M I N E N T I S S I M I

C A R D I N A L I S B O N A

A D

D I S S E R T A T I O N I S A U C T O R E M.

A. *R. P.*

Cum animadverterem displicuisse nonnullis, quæ de Azymo & Fermentato scripseram lib. 1 Rerum Liturgicarum cap. 23, decreveram hoc argumentum accuratius pertractare, meamque sententiam clarius & distinctius explicare: sed novis quotidie supervenientibus negotiis, quæ nec differre, nec prætermittere possum, à proposito recedere compellor, ac tibi, qui de hac re in Præfatione tertii Sæculi Benedictini copiosè & eruditè scripsisti, & sicut ex literis tuis didici, de eadem re in prolegomenis quarti iterum acturus es, hanc spartam exornandam relinquere. Tua enim multiplici eruditione efficies, ut è ruderibus antiquitatis veritas emergat & elucescat, meque tibi arctiùs astringet, si errores meos benignè correxeris. Hoc nimirum semper optavi scire, & cognoscere veritatem; nec umquam erubescam, si quid fortè ab ea alienum incautè scribenti exciderit, expungere, & emendare. Ut tuæ autem petitioni morem geram, breviter indicabo, qua methodo putabam in hac Disquisitione procedendum esse.

Et primò quidem meus erat certa ab incertis, & dogmata Fidei à ritibus Ecclesiæ secernere. Certum enim est Christum Redemptorem in ultima Cœna panem azymum comedisse, & in eo Eucharistiam instituisse: idque stabiliendum adversus Græcos schismaticos, & aliquot etiam Latinos. Verum ex hoc facto Christi non licet inferre, quòd in solis azymis conficere oporteat; nam si hoc necessarium foret, numquam Ecclesia usum fermentati permisisset. Certum est item tam azymum, quàm fermentatum verè panem esse, & in utroque validam esse consecrationem. Certum denique est convenientius esse Christi exemplum sequi, & in azymis conficere. An verò Latina Ecclesia aliquando fermentato usa sit, res facti est ad historiam, & ad ritum pertinens, qui mutationi & novitati subjectus est; non ad Fidem, quæ inconcussa, & immutabilis semper manet. Id verò tanquam indubitatum probari debet adversus quosdam, qui rem natura sua indifferentem in Fidei dogma convertunt. Optime Algerus lib. 2 de Sacramento corporis & sanguinis Domini cap. 10. Utrum ex azymo an ex fermentato pane corpus Christi confici debeat, inter Latinos & Græcos magna concertatio est; cum tamen non sit contra Fidem Christianam seu azymum, seu fermentatum sacrificetur: tum quia utrumque panis est, tum etiam quia quamvis Christus de azymo pane corpus suum fecerit, forsitan non quia res quæ fiebat, hoc exigebat, sed quia cœna, in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat: panem tamen fermentatum non prohibuit.

Hoc posito velut fundamento, indagandum est, quo pane in sacrificio usi sint Apostoli, & eorum successores

per aliquot sæcula ; azymone, an fermentato, an utroque indiscriminatim : & ego sane utroque indifferenter usos, sive fermentato, qui communior, magisque obvius erat ; sive azymo, qui mixtâ tantùm farina facile parari, & sub cinere, vel in parvis clibanis statim coqui poterat, non improbabiliter opinatus sum. Etenim sæviente persecutione, quando in carceribus, in privatis domibus & in cryptis aut in speluncis terræ clam celebrabant, eo pane uti oportebat, qui tunc fortuito occurrebat. Pro usu fermentati multa ego congessi, numquam tamen, ut monui post præfationem, usum azymi negavi. Dixi enim Apostolos panem consecrasse, qualem in domibus Fidelium reperiebant, sive azymum, sive fermentatum. Tu verò pro azymis multa profers in tua Præfatione, de quibus quid sentiam, non contradicendi, sed inveniendæ veritatis studio breviter indicabo.

Num. 65. A facto Christi argumentaris, sed hæc ratio nimis probat, ut supra dixi.

Num. 66. testem producis Isidorum, qui agens de compositione panis Eucharistici, non meminit fermenti. Porro Isidorus illam sententiam transcripsit ex epistola 63 Cypriani ad Cæcilium. sed nihil certi ex ea concluditur. Nam non excludit fermentum, & fortasse intelligitur illa voce copulatum : cùm ait corpus Domini esse non posse similam solam aut aquam solam ; nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum. quod autem copulat, adunat, & solidat, fermentum est. Epistola verò Isidori ad Redemptum procul dubio supposititia est, ut ipse agnoscis. Auctoritatem Concilii Toletani tu pro azymo affers, quâ ego pro fermentato usus sum. Quis vero mentem illorum Patrum melius perceperit, non est meum judicare.

Num. 67. testimonium profers Hildefonsi Toletani ex relatione V. C. Emerici Bigotii. sed quid de eo sentiendum sit, ipse cum legeris, pronuntiabis. Integrum enim tractatum ad te mitto ex codice Vaticano, quem laudabat Holstenius, accuratè transcriptum.

Num. 68. Bedæ & Paschasii testimonia usum universalem azymorum non probant : neque etiam Rabanus Maurus id evincit. Ex eo tamen constat, si non ubique, saltem in aliquibus Ecclesiis occidentalibus ; azymorum usum viguisse tempore Photii. Clare enim loquitur, & suspicio interpolationis tollitur, quandoquidem asserit antiquissimos codices MSS. cum editis consentire. Nimis tamen probat, cum ait oportere panem infermentatum esse.

Num. 69. ex oblatis ferro characterato impressis infers, quòd sine fermento fuerint. Et hoc etiam magni momenti est ad probandum quod sæculo nono azymi panes in usu essent in Occidente. An verò hic mos ubique viguerit, non liquet.

Num. 70 Leonem nonum testem adhibes perpetuum in Ecclesia Romana azymorum usum astruentem. At ego sanctissimum Pontificem sic interpretabar, ut non de ritu, sed de dogmate intelligendus sit. Declarat enim adversus hæreticos, & agit de Fide Petri quæ nunquam deficiet : tum Græcos perstringit, qui dicebant azymum non esse verum panem, & Christum consecrasse in fermentato, factâ ultima cœna ante diem azymorum. Non igitur ad ritum qui mutationem admittit, sed ad Fidei dogmata spectare mihi videntur verba S. Leonis, si serio perpendantur. Humbertus autem, Rupertus Abbas, & alii testes sunt suorum temporum : nec est improbabile, quòd perpetuam fuisse crediderint eam consuetudinem, quæ ipsis viventibus in usu erat. Tu verò nosti quæ fides illis præstanda sit, qui à Christo ad sua tempora morem aliquem viguisse testantur, nullo teste adhibito, qui sæculis præcedentibus vixerit, Certè Jurisperiti hujusmodi testimonia prorsus rejiciunt.

Num. 71 primum Sirmundi argumentum pro fermento diluis ex vetusto Fidelium more, qui panem offerebant, panem utique consecrandum pro communione Sacerdotis & Fidelium: Quamvis enim si quid super erat, pauperibus distribui soleret ; prima tamen intentio offerentium sacrificium respiciebat. Hunc verò panem fuisse communem, & usitatum, ac de more fermentatum, qualis in domibus reperiebatur, ego post Sirmondum asserui, testem advocans Ambrosium, qui de pane consecrando loquens vocat eum usitatum. Addo nunc Justinum Martyrem, qui prope finem secundæ Apologiæ de Sacrificio Missæ sermonem habens, Non enim, ait, ita sumimus ut communem panem, & communem potum : sive ut alius interpres vertit ; ut vulgarem panem & vulgare poculum. Similiter Irenæus Lib. 4 cap. 34. Jam, inquit, non communis panis est, sed Eucharistia. Panis autem usitati, communis, & vulgaris nomine intelligi fermentatum, certum mihi videtur. Scio quidem utrumque panem Romanis, & aliis gentibus in usu fuisse. Nam Cornelius Celsus lib. 2. cap. 24. inter ea quæ stomacho idonea sunt, recenset panem sine fermento & capite 25. panem fermentatum stomacho nocere ait : utriusque etiam meminit cap. 28. Nihilominus communem, atque, ut ita dicam, quotidianum fermentatum fuisse manifestum est. Hunc siquidem præ cæteris laudat Plinius lib. 22 cap. ultimo. Et Galenus de pane agens lib. 1. de alimentorum facult. cap. 3, eum qui fermento caret, nemini esse accommodum docet. Idem pro certo ponit Ambrosius serm. 21. explicans parabolam fermenti. Si ergo panem communem offerebant Fideles, & hic fermentatus erat ; hinc non leve argumentum desumitur ad probandum fermenti usum in sacrificio.

Num 72. non constare dicis, utrum Latini, aut Græci variaverint panis materiam. Hoc utique verissimum est, & inde caligo oritur, quâ obvolvimur, nescientes utrum initio omnes Ecclesiæ unius moris fuerint, an utroque pane indifferenter, an solo azymo vel fermentato determinatè uterentur ; & quis primum veterem usum mutaverit, quo tempore, quâ occasione : quando mordicus cœperint Græci fermentato, Latini azymo adhærere : an diversarum Ecclesiarum diversi mores fuerint ; sicut olim erant in celebratione Paschatis : cur per annos mille inter Græcos, & Latinos nulla de hac panis diversitate mota sit controversia : cur Photius Græcanici schismatis parens, qui multo minora & etiam falsa Latinis objecit, de hac re siluerit, quæ postea tanta contentione inter partes agitata est : cur inter Orientales soli Armenii & Maronitæ azymo utantur, quando & quâ occasione eo uti cœperint : Hæc omnia dubia discutienda diligentissime forent & dissolvenda. Veteres Scholastici ab hujus quæstionis difficultate se facile expediunt, asserentes utramque Ecclesiam Græcam & Latinam ab initio, & deinceps in azymis consecrasse, donec hæresis Ebionæorum exorta est, docentium legem Moysis simul cum Evangelio servandam esse, & azymum panem necessario consecrandum, in quorum detestationem Orthodoxa Ecclesia ubique genium fermentatum adhibuit ; illa autem hæresi extinctâ Orientales fermentatum retinuerunt ; Occidentales ad pristinum morem azymorum reversi sunt. Sed huic historiæ nullam fidem adhibendam esse ego in Liturgicis ostendi. Armenios azymum recepisse cum recesserunt à Græcis, quo etiam tempore vinum aquâ miscendum non esse decreverunt, ibidem narravi : idemque constanter illarum gentium historici affirmant, & hanc esse veterem illius Ecclesiæ traditionem aliquot Armenii

Episcopi, & Sacerdotes à me interrogati, & aliqui etiam ex nostris ritum, & lingua eorum periti confirmarunt. Ideo inter errores, quos abjurabant Armeni, cum redirent ad Fidem Orthodoxam, hic legitur in veteri formula, quam D. Cotelerius edidit in notis era lingua ad librum quintum Constitut. Apostolicarum pag. 237. Si quis in panem oblationis non immittit fermentum, & sal, nec aquam cum vino in sanctum calicem, anathema sit. *Maronitas credibile est usum azymorum recepisse, cum abjurata haeresi ad Fidem Catholicam conversi sunt, quod Gulielmus Tyri Archiepiscopus, suo tempore, & se praesente contigisse scribit lib. 22. suae historiae cap. 8. Ipsi tamen hoc negant, & scriptores proferunt antiquissimos, asserentes gentem illam semper Romana Ecclesia adhaesisse. Vidi nuper librum de expositione Liturgiae è Syro sermone in Latinum translatum à D. Faustο e Monte-Libano Abrahami Ecchellensis nepote, & S. Maronio adscriptum, quem vixisse aiunt seculo quinto, vel sexto, in cujus capite 16. haec leguntur.* Ad illud quod petistis, an conveniens sit offerre de pane azymo, vel fermentato, respondemus quod de hoc non habemus praeceptum Dominicum vel Apostolicum, quod hoc jubeat, & illud vetet. Quapropter hi in hoc, & illi in illo conficiunt juxta morem detentum. Nam qui in fermento offerunt, arguunt nos simul cum occidentalibus atque Armenis, dicentes quod azymus non est panis. *Tum ex Scriptura probat vere azymum esse panem, & quod Christus in azymo confecit. Verùm hic liber post exortum Graecorum schisma, & post excitatas azymorum turbas scriptus videtur, quod eruditioni tuae examinandum relinquo.*

Num. 73. aliud argumentum solvis, notatos scilicet Ebionaeos, quod pane azymo praeter morem aliorum uterentur, & auctoritatem Epiphanii affers ad probandum usum azymorum tempore Ebionaeorum, ac si illi ad imitationem Ecclesiae in azymis sacrificium offerrent. Sed ego sub tua & aliorum eruditorum censura, verba Epiphanii aliter intellexi, & ni fallor, ipsemet Epiphanius seipsum explicat haer. 46. dicens, Tatianum mysteria quadam instituisse ad Ecclesiae sanctae imitationem, sed ut in nihil praeter aquam adhibuisse. Ubi vides Ecclesiae imitationem non rem oblatam respicere, sed ipsam oblationem.

Num. 74. ex silentio Photii nihil certi concludi ostendis, quod & ipse agnosco, tum propter rationes, & conjecturas à te allatas, tum propter ea, quae Leo Allatius notavit initio exercit. 28. adversus Creyghtonum pro Concilio Florentino. Scire tamen optarem, qua de causa post duo fere saecula à morte Photii, acerrima de azymis controversia orta sit. Vellem quoque ut ea dilueres quae pro usu fermentati à me allata sunt ex decretis Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum. Nihil enim gratius contingere mihi potest, quam ab amicis corrigi & emendari.

Ne quid autem praetermittam quod ad praesentem causam facere possit, moneo extare Mediolani Chronicon MS & ineditum, S. Datio Mediolanensi Episcopo adscriptum, in quo leguntur haec verba. Sanctus Ambrosius Graecorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus est, qui & sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maximè in resurrectione Domini benedicebat. *At Chronicon illud supposititium esse, & recentioris aevi, jam multi notarunt. Nullius quoque momenti est Symeonis Thessalonicensis testimonium, utpote recentioris, & schismatici, qui libro de Templo & Missa apud Goar in Euchol. pag. 214 ait:* S. Gregorius auctor the Dialogorum cum fermentato pane sacrificium offerre testatur. *Similiter Feblatius scriptor heterodoxus pag. 366. Comment. ad librum Christophori Angeli de statu Ecclesiae Graecae, asserit Apollinarem primum azymorum inventorem fuisse. Sed haec Graecorum schismaticorum adversus Latinos scribentium fabula est, quemdam scilicet discipulum Apollinaris nomine Leucium, sive Felicem, Romam migrasse, & simulata vitae sanctimonia ad summum Pontificatum evectum, azymum apud Latinos introduxisse. Scriptor etiam Anonymus, quem vidi in Bibliotheca Barberina inter codices Graecos MSS. num. 75. ait Carolum Magnum, cum Romam profectus est tempore Leonis tertii, via comites habuisse aliquot Monachos Arii & Apollinaris erroribus infectos, qui Urbem ingressi perverterunt populum, docentes Spiritum-sanctum non à solo Patre, sed etiam à Filio procedere, & oportere in azymis sacrificare; ita ut azyma è Francia prodierint. Haec ille, cui consonant alia apud Leonem Allatium libro citato pag. 571 & sequentibus, ubi etiam praedictam Felicis fabellam ex quodam Symeone Hierosolymitano recenses. Omitto alia Graecorum recentiorum figmenta, ne tempus in nugis inutiliter prodigam.*

Haec autem scripsi, ut studium tuum & diligentiam excitarem, sicut scriptum est: Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. *Caeterum Deum oro, ut incerta & occulta sapientiae suae manifestet nobis, detque idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum-Christum, ut sicut hortatur Apostolus, expurgato veteri fermento epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis. Romae die 14 Martii 1673.*

DISSERTATIO DE PANE EUCHARISTICO; AZYMO, AC FERMENTATO.

DISSERTATIONIS OCCASIO & Argumentum.

CUm edendo Acta Sanctorum nostrorum incidissem in quaedam loca pro Azymorum usu in Ecclesia Latina; ea more meo quibusdam observationibus illustrare visum est, & conjectis iis quae mihi penè obvia fuere argumentis ostendere, usum hunc esse antiquiorem, quàm Jacobus Sirmondus, vir eximiae eruditionis, existimaverat. Nota est studiosis omnibus viri clarissimi sententia in singulari Disquisitione de Azymo, nimirum panem Fermentatum in Ecclesia Latina multis saeculis adhibitum in Missa fuisse, & Azyma Photiani schismatis tempore nondum recepta: sed tantùm medio illo intervallo, quod inter schisma Photii Pseudopatriarchae Constantinopolitani, pontificatu Nicolai Papae pri-

mi ; & alterum schisma Michaëlis Cerularii itidem Patriarchæ, sedente Leone Papa nono effluxit : id est medio illo tempore, quod ad anno æræ Christianæ DCCCLXVII, ab MLIV intercessit. Mihi verò cùm multis, tùm præcipue HRabani auctoritate persuasum erat, Azyma in rebus sacris obtinuisse ante illud schisma Photianum : nec momenta Sirmondi adeò efficacia visa sunt, ut Fermenti usum aliquando apud Latinos viguisse fateri nos cogerent.

Quapropter quod Sirmondus optaverat, ut qui sententiæ suæ de Azymorum recentiori usu non consentirent, eos saltem ad præclaram ejus rei investigationem excitaret; ad hoc ipsum me contuli, quantum & tenuitatis meæ facultas, & brevitas observationum, & rei difficultas obscuritasque permisere. Nam etsi hominem tantulum contra Sirmondum niti temerarium videbatur ; mihi occurrebat illud quod Sirmondus ipse in sui excusationem attulit in Disquisitionis cap. 5. ubi de Fermento Melchiadis ac Siricii aliter atque Baronius sententiam dicturus, veritus non est, ne contra Baronii mentem votumque fecisse videretur : proptereà quòd Baronius omnes ad hoc ipsum ut sua liberè promerent, invitasset : nec se ab ejus sententia discedere indignaturum quemquam putavit qui meminisset, illum pro singulari sua modestia solitum aliena haud gravatè audire ; & si meliora suis cognosceret, libenter amplecti. Et hæc quidem mea de Sirmondi mente, modestia, ac sinceri studii persuasio erat ; eademque facti mei excusatio.

Ubi primùm observationes meas prælo committere parabam, simul certior factus sum, Eminentissimum Cardinalem Bona ; cujus virtus, doctrina & eruditio omnibus perspecta sunt, idem argumentum pertractate in opere suo de rebus Liturgicis, & ab Sirmondi proposito tantillum recedere. Ut opus illud eximium pervenit in manus meas, illud legi magna cum voluptate, tum maximè locum de Azymis, in quo tota res non minus sincerè, quàm eruditè explicatur. Ejus loci summa est, jam inde ab Apostolorum temporibus ad schisma Photianum, in Ecclesia Latina promiscuum fuisse usum Fermentati & Azymi panis, nec ante sæculi decimi initium Azymum lege communi ac generali ubivis receptum apud Latinos. Qua in re Sirmondi sententiam temperavit illustrissimus Scriptor quòd Sirmondus non videatur admisisse Azymi usum ante Photii discidium ; sed solum Fermentatum : at verò Eminentissimus Cardinalis utrumque promiscue usurpatum pro tempore & locorum opportunitate fateatur.

Commovit hæc sententia quorumdam in Urbe animos, rei novitate (ut sibi videatur) ne dicam indignitate attonitos : quasi nefas esset tantisper recedere à communi recentiorum opinione, qui Azymorum in Latina Ecclesia perpetuum usum, non secus ac dogma Catholicum, defendunt. Gliscenti querelarum rumori frænum imponere curavit modestissimus Cardinalis, edita hanc in rem admonitione, qua rationem assertionis suæ contrà sentientibus approbare tentavit. Quod ubi plenè ad votum non succederet, idem argumentum retractare, & clariùs sententiam suam explicare animo destinavit : idque brevi perfecisset, nisi hoc agitantem negotiorum turba distraxisset. At cum intellexisset me idem consilium meditari ; submissis quas ad hoc habebat literatoris copiis, impulit me ad id audendum, id est ad explicandum id, quod e rei veritate esse crederem, quod unum semper optavit. Non licuit operam meam negare tantæ dignitatis hortatori : maximè cum necessarium mihi esset exponere ea, quæ vel obscuriùs, vel breviùs in observationibus meis dicta, aliter quàm par erat, nonnulli interpretabantur.

Duo sunt quæ in Observationibus meis intendebam. Unum, Azymorum usum apud Latinos in re sacra viguisse ante schisma Photianum, quod disertè probandum suscepi adversus Sirmondum. Alterum, argumenta à Sirmondo proposita non penitus evincere, Fermentum à Latinis aliquando adhibitum fuisse. Neque tamen hanc posteriorem partem ita demonstrandam suscepi, quasi certum ac manifestum esse putarem, Fermentum à Latinorum sacris semper abfuisse : sed tantùm eò tendebat omnis oratio mea, ut probarem id non certum esse, quod Sirmondus pro certo proponebat. Uno verbo, alteram hanc partem non tam affirmando, quàm negando, & partis adversæ fundamenta evertendo, tueri mihi visum est.

De media Illustrissimi Cardinalis sententia, deque novis argumentis ab eo pro Sirmondi opinione adductis nihil dixi : tum quia Observationes meæ jam typis subjiciendæ erant, cùm ejus Opus de rebus Liturgicis in hanc urbem advectum est : tum quia sententia mea magis accedebat ad mentem Eminentissimi Cardinalis. Is enim non negat Azymos panes aliquando adhibitos ante Photii tempus, immo ab ipsa ætate Apostolorum : sed tamen id factum ait citra delectum ; non communi lege, sed pro locorum ac temporum ratione.

Verùm quia totum hoc argumentum pro modulo meo denuo tractate mihi jam incumbit, dabo operam, ut id historico potiùs modo, quàm contentioso à me fiat : non quò difficilem controversiam secundum tantos à me dirimi ac finiri posse putem : sed ut in commune conferam id quantulumcumque, quod ad eam illustrandam apud antiquos observate mihi licuit. Atque ut tota res magis dilucidè & accuratè pertractetur, sequentibus capitulis eam explanare conabor.

INDEX CAPITUM.



CAPUT PRIMUM.

EUCHARISTIAM IN AZYMIS à Christo Domino institutam fuisse.

SERVATOREM nostrum in extremo Paschate, quod morte instante celebravit, venerabile corporis & sanguinis sui Sacramentum sub vesperam Feriæ quintæ instituisse constat. Utrum Azymum panem huc adhibuerit, disputant Latini & Græci recentiores, Latinis azymum, Græcis fermentatum præferentibus. Hujus controversiæ solutio ex alia pendet, videlicet an Christus eo anno celebraverit Pascha legale, id est an Agnum cum azymis aliisque Paschalibus cibis comederit, tempore & loco lege præscriptis.

De loco nulla est dubitatio, Christum Hierosolymis, uti lege statutum erat, ultimum Pascha peregisse: de tempore, deque esu Agni gravis est controversia, non solùm inter Græcos & Latinos, sed etiam inter homines ejusdem societatis, inter antiquos ac recentiores. De utriusque agendum singillatim; ac primùm adversarum partium fundamenta præmittenda.

Qui pascha legali more à Christo celebratum contendunt, auctoritatem sumunt ex Evangeliis Matthæi, Marci, & Lucæ. Matthæus quippe *prima die azymorum*; Marcus *primo die azymorum, quando immolabant Pascha*; Lucas *adveniente die azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha*, paratum à discipulis Paschalis festi epulum testantur.

Alii verò, sive qui Pascha legale à Christo anticipatum volunt; sive qui agnum ab ipso comesum negant; sive qui & agnum & azyma, cæteraque id genus Paschalis festi edulia removent ab ultima Christi cœna; nituntur quàm maxime Johannis Evangelistæ duplici testimonio. Unum est in cap. 13 versu 1, ubi cœnam *ante diem festum Pascha* peractam scribit, immo, ut in versione Persica legitur, *ante duos dies Paschæ*. Alterum testimonium est in cap. 18 versu 28, ubi ait Judæos Christo capto & adducto ad Caipham, non introisse in prætorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Quod argumento est, eos vespera subsequente Agnum comedisse. nam agni immolatio atque comestio propriè Pascha dicebatur. Accedit locus ex ejusdem Evangelii cap. 19 versu 14, quo in loco Christus cruci adfixus dicitur ea die, quæ *erat Parasceve Paschæ*, in qua nimirum Judæi necessaria præparabant ad comedendum agnum sub vesperam subsequentem. Hæc fere argumenta sunt, quibus adducti cùm Latini, tum Græci, tam veteres quàm recentiores, in diversas abeunt sententias. Jam Græcorum antiquiorum traditionem consulamus, postea Latinorum.

In primis consideratione digna est epistola Polycratis Metropolitæ Ecclesiarum Asiæ, qui sub finem sæculi secundi exorto dissidio inter Asiaticos & alias totius orbis Ecclesias de die celebrandi Paschatis, suo & aliorum Asiæ Episcoporum nomine ad Victorem Papam primum epistolam scripsit, cujus fragmentum refert Eusebius Pamphili in Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5 cap. 24. Cùm enim omnes per Asiam Ecclesiæ quarta-decima Luna, quocumque hebdomadæ die accidisset, Paschæ festum celebrandum esse censerent, quo die præscriptum erat Judæis, ut agnum immolarent; aliæ verò totius orbis Ecclesiæ non alio quàm Dominicæ Resurrectionis die: Polycrates morem suum, tamquam à majoribus sibi traditum defendit, auctores adducens Philippum Apostolum, Johannem Evangelistam, Polycarpum & cognatos sibi Episcopos septem: quos omnes ait Pascha celebrasse, ὅταν ὁ λαὸς ἤρνυε τὴν ζύμην, id est, *cùm Judæorum populus fermentum abjiceret*. significans morem continuo fluxu à Christi exemplo descendisse. Hunc locum ita restituit vir eximiæ eruditionis Henricus Valesius, cum aliàs in textu Græco legeretur ἤρτυε, *pararet*, omnino contra Polycratis mentem atque Rufini interpretationem, qui vocem Græcam *auferendi* verbo reddidit. Hoc unum testimonium sufficere posset ad probandum, Christum primo die azymorum ad vesperam Pascha legale explevisse; & ad explicandam mentem Johannis Evangelistæ, cujus auctoritate Asiaticorum traditio, ab ipso fonte accepta, potissimùm fulciebatur.

Asiaticorum morem eadem ratione probat Anatolius Alexandrinus, Laodicensis Episcopus, in Canone Paschali, ostendens eos rectè Johannis exemplo Pascha celebrare quotannis, *quando quarta-decima lunatio adfuisset, & agnus apud Judæos immolaretur: non acquiescentes auctoritati quorumdam, id est Petri & Pauli Successorum, id est Pontificum Romanorum, qui omnes Ecclesias in quibus spiritualia Evangelii semina severunt, sollemnitatem Resurrectionis Domini in die tantùm Dominica celebrari docuerunt.* Nulla verò causa videtur, cur Asiatici tantopere morem suum retinere studuerint, nisi quòd Christum ipsa die Lunæ quarta-decima ad legis præscriptum Pascha peregisse ex majoribus accepissent.

In eadem versatur sententia Origenes tractatu 35 in Matthæum, ubi Christum Luna quarta-decima comprehensum à Judæis fuisse tradit initio tractatus, ac proinde ratum habuit, eadem Luna celebratum ab ipso Pascha: cùm cœnam Paschalem Christi comprehensio proximè sit secuta. Hinc in progressu tractatus ait, Christum Judaico more Pascha ultimum peregisse. Et in Commentariis super Johannis Evangelium, Judæos in ipso Paschate opus scelestum fecisse interfecto Jesu.

His accedit Theophilus Alexandrinus Episcopus in epistola ad Theodosium Imperatorem de sancto Pascha his verbis: *Aliter autem quòd & Salvator noster decima quarta quidem est traditus Luna, hoc est quinta post Sabbatum; decima quinta autem crucifixus, die tertio resurrexit, hoc est decima septima Luna, qua tunc in Dominica die inventa est, sicut & ex Evangeliorum notatione comperimus.* Idem docet Theodoritus quæstione 24 in Exodum, asserens Christum sub finem Lunæ quartæ-decimæ, quando immolabatur Pascha, traditum fuisse.

Johannes Chrysostomus pluribus in locis, maxime in homiliis 81, 82 & 83 in Matthæum, probat Christum legali ritu Pascha perfecisse: Judæos verò, aut saltem Principes Judæorum, contra legis præscriptum, ut scilicet animo suo Christum occidendi obtemperarent, distulisse. Ejus rei argumenta ex Chrysostomo collegit Gregorius Protosyncellus in Apologia adversus Marci Ephesini epistolam, item Arcudius in lib. 3 de Eucharistia cap. 4. qui in capite sequenti dubia ex eodem Chrysostomo sumta dissolvit. Certè Photius in Bibliothecæ cap. 116 confitetur, Chrysostomum in ea fuisse sententia, Christum in postrema cœna Pascha legale servasse.

His omnibus adjungendi sunt duo Patriarchæ Alexandrini, quorum primus est Cyrillus. Is enim Eucharistiam à Christo institutam post esum agni probat his verbis: *Dominus autem noster Jesus Christus conjunxit in una die agnum Judæorum & verum manna, quando benedixit panem & vinum dicens: Hoc est corpus meum & sanguis meus.*

Alter est Proterius Cyrilli successor, qui à Mar-

ciano Augusto interrogatus de ratione celebrandi Paschatis, respondit Christum Dominum, *quinta feria, decima quarta Luna mensis primi* in cœnaculo cum discipulis Pascha typicum manducasse, paullo post à Juda proditore traditum. Hæc sententia Theophili, Cyrilli, & Proteri Alexandrinorum Patriarcharum hac in re eo majoris est ponderis, quòd antiqui Patres statuendi quotannis Paschalis festi *omnem curam Alexandrino Episcopo delegarunt*, referente Leonis Papæ primi epistola ad Marcianum: *Quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita videbatur esse peritia, per quam qui annis singulis dies prædictæ sollemnitatis eveniret, sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter percurreret.* Hac enim peritia facile edocti erant, quo die incidisset Paschale festum eo anno, quo Christus extremum Pascha celebravit.

Ex his non immeritò colligimus cum Photio in Bibliothecæ cap. 116 sententiam esse non solùm Johannis Chrysostomi, sed etiam Ecclesiæ, saltem Græcanicæ, Christum antè perfecisse νόμιμον seu legitimum Pascha, quàm mysticam institueret Eucharistiæ cœnam, quod etiam tradit Victor Antiochenus in Marci caput 14.

Ab hac priscorum Græcorum traditione tres aut quatuor invenio veteres qui dissentiunt, Epiphanium, scilicet, Johannem Philoponum, & Anonymos duos: ex quibus Epiphanius censet, Christum quidem in ultima cœna legales cibos adhibuisse: at prævertisse tempus lege constitutum. Philoponus verò & uterque Anonymus Pascha legale à Christo perfectum negant.

Epiphanius quippe in Hæresi XXX. num. 22. contra Ebionæos agens, qui ab esu carnium abstinendum esse docebant, eos hac ratione revincit, quòd Dominus Judæorum Pascha comederit in ultima cœna, idest agnum & panes infermentatos. At verò in Hæresi 51 Alogos arguens ait num 26, Christum passum esse XIII Kal. Aprilis, cùm illi vesperam unam antevertissent, hoc est Luna XIV nocturna media. Siquidem illi ante tempus Pascha comederunt, ut Evangelium testatur. Tum subdit: ἔφαγον οὖν τὸ πάσχα πρὸ δύο ἡμερῶν τοῦ φαγεῖν, τουτέστι τῇ τρίτῃ ἑσπέρας, ὅπερ ἔδει τῇ πέμπτῃ ἑσπέρας. *Quare biduo ante legitimum diem epulum Paschale celebrarunt, hoc est feria tertia ad vesperum, quod quintâ fieri oportuit.* Nempe quòd quinta dies incidebat in Lunam XIV. Neque putes Epiphanii mentem esse, quòd Judæi biduo Pascha legale anteverterint. Id enim de Christo ejusque discipulis dictum constat ex sequentibus ejus verbis, ubi Christum eadem illa feria tertia sub vesperam Luna XI. nocturna, XVI. Kal. Aprilis comprehensum fuisse affirmat. Epiphanii sententia hæc niti videtur Johannis Evangelistæ auctoritate, dicentis Christum instituisse cœnam *ante diem festum Paschæ*. Quibus verbis intelligendi videtur ante duos Paschæ dies, quemadmodum versio Persica reddit.

Aliam iniit sententiam Johannes Philoponus homo sæculi sexti, in disputatione de Paschate, quam Balthasar Corderius unà cum ejusdem septem libris in Hexaëmeron Viennæ Austriæ primus in lucem emisit. Nam Auctor iste Græcus, sectæ Eutychianæ, cætera vir doctus, contendit, tertia-decima Luna, pridie legalis Paschæ, mysticam Domini cœnam contigisse, neque Christum tunc cum Discipulis Agnum aut azyma comedisse, idque multis argumentis probare conatur.

In eamdem sententiam conveniunt Anonymi duo, de quibus agit Photius in Bibliothecæ cap. 115. & sequenti. Primus enim disputans adversus Quartadecimanos, asserit Christum quinta die non edisse Pascha legale (neque enim illum ejus edendi statutum fuisse diem, sed sequentem) neque agnum, neque azyma, neque aliud quidpiam eorum fecisse, quæ legale servantes Pascha, more rituque majorum observant: Itaque privatam tantùm, mysticam illam tamen, vult Cœnam edisse, atque ex ea Discipulis panem & calicem porrexisse.

Eòdem tendit Auctor incertus in cap. 116 à Photio laudatus, scribens Christum aliis adventus sui annis legale Pascha celebrasse, non item eo quo proditus est. Tum subdit Photius, id consideratione dignum esse, propterea quod Chrysostomus immo & Ecclesia docerent, Servatorem nostrum Pascha lege præscriptum explevisse, antequam Eucharistiam institueret. Hinc dubitatio mihi suborta est, utrum Anonymus iste alius sit ab Auctore disputationis de Paschate, quæ Johannis Philoponi nomine Græcè & Latinè à Corderio vulgata est, in qua eadem omnino sententia deprehenditur. Tum an Philoponus verè istius disputationis conditor censendus sit: quoniam Photius qui in Bibliothecæ suæ capitibus 21, 43, 55, 75, 215, & 240 eum laudat ejusque lucubrationem in Hexaëmeron aliasque, prædictæ disputationis nusquam meminit. Mirum porro est, Corderium qui hæc legit animadvertitque, nullam attulisse rationem, cur istam dispositionem Philopono adscriberet. Verùm posteà deprehendi, hanc disputationem re vera esse Philoponi, qui sub ejus finem meminit lucubrationis suæ in Hexaëmeron, quem genuinum ipsius fetum esse ex Photio constat. At verò mihi nec quàm veri simile relinquitur. Anonymi posterioris librum de Paschate à Photio laudatum esse ipsamet Philoponi disputationem, cujus Auctorem Photius ignorabat.

Quidquid id est, neque Epiphanii, neque Johannis Philoponi amborumque Anonymorum auctoritas præjudicare debet communi traditioni antiquiorum Græcorum, quorum testimonia superiùs adduxi. Neque Epiphanius negat, immo disertè affirmat, Christum in ultima Cœna legalibus cibis usum fuisse; Agni scilicet carne & azymis, tametsi eum Pascha biduo prævertisse opinatus est.

Multo minus admittenda est sententia recentiorum Græcorum, qui à tempore conflati schismatis per Michaelem Cerularium in Latinos infensissimi, per fas nefasque azymi panis usum criminantur, alii aliis modis. Nonnulli enim, quorum dux Nicetas Pectoratus, Christum non quarta-decima Luna, quâ fermentum abjici oportebat, sed tertia decima Cœnam in fermentato pane celebrasse contendunt: alii verò, testante Humberto in responsione ad epistolam Michaelis Cerularii, *sciscitantibus nobis, unde Dominus* Jesus *fermentatum in Cœna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inveniretur, respondent: Si creditur omnipotens, potuit subitò undecumque fermentatum exhibere, aut certè ipsum azymum benedicendo fermentare.* Ast hoc mirabile effugit delirantium schismaticorum, qui cùm rationem gium conviciorum suorum reddere non possint, tamquam ad aram confugiunt ad Deum, uti Cotta loquitur apud Ciceronem. Hæc de Græcis.

Ad Latinos quod attinet, uno fere ore omnes, scilicet veteres illi, consentiunt Christum Luna quarta decima in azymis Eucharistiam instituisse. In primis occurrit Ambrosius Mediolanensis Episcopus, qui in Epistola de festo Paschali ad Episcopos in Æmilia constitutos ita scribit. *Ipse ergo qui legem locutus est, postea veniens per Virginem novissimis temporibus plenitudinem legis consummavit, quia venit non legem solvere, sed implere: & celebravit Pascha, Hebdomada in qua fuit quarta decima Luna, quintâ feriâ.*

tâ feriâ. Denique ipso die, sicut superiora docent, Pascha cum discipulis manducavit: sequenti autem die, hoc est sexta feria, crucifixus est, hoc est Luna quinta decima.

Ambrosio adhæret Augustinus in epistola 86. ad Casulanum ubi rationem reddens jejunii feriæ quartæ & sextæ; disertè probat Judæos de comprehendendo Christo consilium iniisse feria quarta. Deinde intermisso uno die, *cujus vesperâ Dominus Pascha cum discipulis manducavit, qui fuit finis ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati*, traditum fuisse Christum ea nocte, *quæ jam ad sextam Sabbati pertinebat*, tum subdit: *Hic dies*, nempe sexta Sabbati *primus azymorum fuit, à vespera incipiens. Sed Matthæus Evangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente futura erat cœna Paschalis, qua cœna incipiebat azymum & ovis immolatæ manducari. Ex quo colligitur*, inquit, *quartam Sabbati fuisse, quando ait Dominus: scitis quia post biduum Pascha fiet.* Ex his manifestum est Augustinum in ea sententia fuisse Christum Pascha celebrasse ea vespera, qua *incipiebat azymum* & ovis immolatio mandocari; ipsumq; cum discipulis legali more Pascha manducasse ante Eucharistiæ institutionem.

Æque perspicua est auctoritas Hieronyoi in lib. 4. commentarii in Matthæum ad capitis 26 versum 17. *Prima azymorum*, inquit, *quarta decima dies mensis primi est, quando agnus immolatur, & Luna plenissima est, & fermentum abjicitur.* Et in versum 26. *Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum: ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis sui repræsentaret.*

His unum addo Junilium Africanom Episcopum sæculo sexto, qui commentario in Genesim contestatur, Christum Dominum, *post esum agni typici mysteria nobis sui corporis & sanguinis celebranda denuntiasse.* Prætereo HRhabani & aliorum mediæ ætatis Auctorum testimonia idem sentientium.

Hæc tametsi constant apud antiquiores Patres, non tamen insuper habendi sunt Latini recentiores, qui in hac quæstione explicanda magnam diligentiam impenderunt, in varias opiniones distracti. Alii enim, quos inter Paulus Brugensis, Jansenius Gandavensis Episcopus, Maldonatus, Zegerus, & aliqui nonnulli, Christum alio die, alio die Judæos Pascha celebrasse, utrusque tamen cum legalibus cibis, contendoot. Et hi quidem etiam in duas partes dividuntur, quibusdam asserentibus Christum anticipasse legitimum tempus, aliis dicentibus ipsum statuta die Pascha peregisse: at Judæos in sequentem diem transtulisse. Hanc verò istius translationis afferunt causam: quoniam apud Judæos constitutum vigebat, ut ob incommoda quædam succedentium sollemnitatum vitanda, ne umquam Pascha secundo, quarto, aut sexto hebdomadæ die celebrarent. Eo verò anno quo passus est Christus, legitimum Pascha incidisse in feriam sextam; ac proinde translatum à Judæis, propter concurrentem Sabbati diem sequentem.

Alii negant Christum ultimum Pascha legali more peregisse, nec azyma, nec alia id genus Paschalis festi edulia percepisse. quam sententiam tuetur Marcus Antonius de Dominis in lib. 5. de Republica Christiana cap. 6 à num. 258. ubi ait Christum pridie vigiliæ Paschalis, id est Lona XIII, communem Cœnam cum Discipulis percepisse, & ex communi seu fermentato pane Eucharistiam ab ipso institutam.

Inter hos mediam invenit viam Hugo Grotius in Matthæi capot 26. qui etiamsi prædictam Judæorum consuetudinem de transferendo Paschate probat, negat tamen ullo certo constare argumento, diem festum azymorum seu Pascha in feriam sextam incidisse eo anno, quo Christus mortuus est. Immo etiam si id contigisset, eam legem tam justam esse, ut neque Christus ab ea recessurus fuisset, neque discipuli ipsum de parando Paschate ante diem hac constitutione præfixum interrogassent. Quapropter Grotius ipse censet, anticipatum à Christo Pascha, non quidem νόμιμον plenum & solemne, quod mactatione agni & aliis ritibus lege præscriptis peragebatur, id quod nefas erat extra locum ac tempus constitutum: sed μνημονικόν seu commemoratorium, quod solo esu panum azymorum, & lactucarum agrestium constabat, quale etiam nunc Judæi agunt.

De variis hisce Latinorum recentiorum sententiis judicium ferre non est hujus loci. Ut rem brevi expediam, duo mihi hac in controversia certa esse videntur. Unum, Christum, non dimidiatum, sed integrum ac sollemne Pascha explevisse, sive illud anticipaverit, sive transtulerint Judæi. Nam cùm Discipuli Dominum de parando Pascha interrogaverunt, isque eos misit ad illud parandum; nihil eorum excepit, quæ lex præscribebat. Deinde mittens eos ad hospitem, in cujus diversorio Cœnam paraturi erant, eis suggerit hæc verba hospiti ex se dicenda: *Apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Qood sane eo modo intellexit, quo vulgus & hospes ipse intellecturus erat. Ad hæc, cùm ipse in cœnaculum subiisset; omnibus de more paratis, dixit desiderio desiderasse se *hoc Pascha* manducare cum Discipulis suis antequàm mortem pateretur. *Hoc Pascha*, inquit, quale scilicet à Discipulis paratum conspiciebatur: non ut in eo sisteret, sed ut umbræ substitueret veritatem. Id inquam, mihi certom & exploratum videtur, sive Pascha præverterit Christus, sive Judæi illud transtulerint. Nam Christum eodem die quo Judæos omnes, illud celebrasse, Johannis testimonio contrarium videtur.

Alterum est, sive Christus Pascha legale servaverit, sive illud prætermiserit; sive azymis in ultima cœna usus sit, sive abstinuerit; antiquos tamen, id est primos Ecclesiæ Patres, in ea fuisse persuasione, Christum in azymis Pascha illud celebrasse, & Eucharistiam post esum Agni instituisse. Quæ persuasio id obtinere potuit à primis Ecclesiæ Rectoribus, ut constituendâ Ecclesiasticæ disciplinæ formâ morem induxerint Eucharistiam conficiendi in pane fermenti expertе, quod abfuisse à Dominica Cœna persuasum habebant.

CAPUT II.

Exemplo Christi non imponi necessitatem consecrandi in Azymis.

Etsi Christi Eucharistiam instituentis cùm voluntas, tum exemplum pro lege sint: nonnulla tamen hinc excipi necesse est, quæ vel peo temporis, vel pro personarom ioter quas degebat respectu observavit. Quòd pane triticeo, quòd vino aquâ temperato, quòd certis verbis usus est; ea prætermitti vetat religio, ipsiusque Sacramenti natura. quòd semel, & quidem in Paschate, quòd post legalem cœnam, quòd in azymo pane id fecerit; ea vel in me-

dio relicta, vel nullo modo in exemplum trahenda esse voluit. Hinc est quòd circa Dominici exempli injuriam statuit Ecclesia, idque *placuit Spiritui-sancto*, quemadmodum docet Augustinus in epistola 118 ad Januarium, *ut in honorem tanti mysterii in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Etsi enim *Salvator*, ut idem sanctus Doctor paullò post subdit, *quo vehementiùs commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat; non præcepit tamen quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper sumeretur; credo quod eum morem nemo variasset.* Sed tamen, ut eodem loco monuit Augustinus, *probabilis quædam ratio delectavit, ut una die certa per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri & accipi liceat corpus & sanguis Domini.*

Idem fere de azymis contigit. Quia enim Christus azymo pane in Eucharistia instituenda usus est; eum morem observavit Latina Ecclesia, non ob exempli necessitatem, sed ad *insigniorem* Dominici exempli *commemorationem*. At quia Christus ex occasione tantùm Paschalis festi azymum panem fermentato prætulerat; Græcis visum est non teneri se hac in parte exemplo Christi, nec novæ legis libertatem Judaïco ritui subjiciendam. Utraque consuetudo legitima, utraque probabili ratione fulta: tametsi prior tum ob exemplum Christi: tum ob mysterii convenientiam alterâ potior esse videtur.

Et verò utriusque Ecclesiæ consuetudo ab alterius societatis hominibus prudentibus semper probata est, etiam post conflatum schisma Michaëlis Cerularii, qui ea de re primus Latinos in causam traxit. Humbertus Cardinalis, etsi pro ingenii sui fervore durius Græcis respondere solitus sit, salvam tamen reverentiam corporis Dominici *in fermentato & in azymo* fatetur in responsione ad Michaëlem Cerularium. Hinc Gregorius Papa VII in lib. 8 epistola 1. *Nos verò*, inquit, *azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec reprobamus.* Anselmus Cantuariensis Episcopus à Waleramo Nuembergensi Antistite interrogatus, quid de Græcorum fermento sentiret, ita respondit: *De sacrificio, in quo Græci nobiscum non sentiunt, multis Catholicis rationalibus videtur, quia quod agunt, non est contra Fidem Catholicam. Nam & azymum & fermentatum sacrificant, panem sacrificat.... Non enim differunt azymus & fermentum substantialiter, ut quidam putant.* Et infrà. *Postquam de veteri figura ad novam veritatem venimus, & azymam Christi, carnem comedimus; non est nobis necessaria illa vetus figura in pane, de quo carnem ipsam conficimus. Apertissimum tamen est, quia melius sacrificatur de azymo, quam de fermentato: tum quia valde aptiùs, & puriùs & diligentiùs fit: tum quia Dominus hoc fecit.*

Non minùs sincerè Guibertus Abbas de Novigento in lib. 1 de gestis Francorum cap. 2 obliquè defendit Græcos, quòd ex panibus fermentatis Eucharistiam conficiant: Nimirum *quòd veteribus cæremoniis Dominus finem poneret, postquam cum azymis agnum comedit, de eodem pane, quia alius non aderat, nec secundum legem quam implebat, induci tunc poterat, corporis sui sacramenta contradidit; azymorum illatio quæ tunc adfuit necessitati, non eis videtur ad institutionem pertinere mysterii. Sicut buccella intincta, non Sacramenti peragendi, sed Judæ proditionis fuit ostensio.* Eadem est sententia omnium Theologorum cùm recentium, tum antiquorum: quibus accedit Concilium Florentinum, cujus auctoritate probata est Græcorum consuetudo.

Eodem animo affecti sunt Græci prudentiores ac moderatiores quique in Azymum Latinorum. Theophylactus in oratione ad Nicolaum Diaconum, cujus orationis fragmentum exstat in lib. 5 Juris Orientalis, intempestivum zelum suorum, qui Latinis varios ritus à Græcanicis discrepantes, in his Azymorum usum improperant, graviter reprehendit; eumque secutus Demetrius Chomatenus Episcopus Bulgarorum. Græcus Theotianus in epistola ad Sacerdotes qui in montanis degebant, ait supervacaneum esse contendere, num sacra mysteria ex Azymo, an ex Fermentato fiant. Mihi verò præ cæteris laudanda videtur modestia Barlaami Hieracensis Episcopi in epistola ad Græcos pro unione utriusque Ecclesiæ, qui cùm usum utriusque panis probasset, hæc addit: *Latinos verò in tantum prudentiores æstima, quòd illi quidem minime hostiam de fermentata vituperant, sed similiter venerantur.* Denique ut alios cumplures omittam, Gregorius Protosyncellus in Apologia adversus epistolam Marci Ephesini, ἀδιάφορον seu indifferens æstimat Sacrificium, sive in azymo, sive in fermentato pane conficiatur.

Ex his intelligere licet, controversiam de azymo & fermentato pane sacrificii, esse quæstionem historici facti: utrumque pro varia temporum ac locorum consideratione usurpari ab Ecclesia potuisse. Et quidem suum cuique societati morem servandum; nec inter eos qui diverso pane utuntur, lites hac de re serendas.

Quapropter immoderatum eorum zelum ferre non possum, qui nefas putant dubitare, an Ecclesia Latina alium panem adhibuerit quàm azymum. quasi aut necessaria lege azymis addicta fuerit ab initio, aut fidei dogmata pertineat azymorum usus. Quæ sanctior constitutio esse poterat, quam quæ ab Apostolis dictante Spiritu-sancto facta est, abstinendum esse à sanguine & suffocato? Et tamen lex illa quæ per multa sæcula in Ecclesia viguit, servari tandem desiit. Quidni etiam in azymorum usu idipsum contingere potuit? Quod si potuit, cur ea de re quæstionem movere non licet?

CAPUT III.

An Græci ab initio Ecclesiæ fermento usi sint.

Etsi Beda in historiæ suæ lib. 4 cap. 1 auctor est, Græcos *Fidei contraria admiscere solitos*; tamen Glaber Rodulfus in lib. 5 cap. 1 eos laudat hoc nomine, quòd apud eos *semper tenor Ecclesiasticus cautissimè viguerit*. Atque ut proclives fuerint ad nova dicenda; certè rituum suorum eos semper retinentissimus fuisse constat. Hinc nobis primo loco inquirendum est, an fermenti usum, quem Latinæ Ecclesiæ tanto molimine ab undecimo sæculo impugnare conati sunt, ab ortu Ecclesiæ tenuerint: an verò receptis aliquando azymis, postea fermentatos panes admiserint. Varias hac de re Auctorum sententias, tum rem ipsam consideremus.

Innocentius Papa III in lib. 4 de Missa cap. 4 existimat, Græcos *postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt, ut perpetuæ divisionis scandalum interponerent, sacrificii ritum temerè mutasse*, scilicet loco azymorum adhibendo panes fermentatos. Jacobus de Vitriaco in historiæ Occidentalis cap. 38 iisdem fere verbis eamdem exponit sententiam, nimirum Græcos post secessionem à Latinis, defecisse ab usu azymorum, *ne Romanorum Ecclesiam imi-*

rari viderentur. Quo de Schismate loquantur, de Photiano, an de illo quod per Michaelem Cerularium conflatum est, neuter explicat. Hanc sententiam amplexati sunt plerique recentiores Latinorum.

Ex Græcis Barlaamus ineunte sæculo XIV Episcopus Hieracensis, in epistola ad Græcos pro unione utriusque Ecclesiæ, existimat fermenti usum apud Græcos ab initio invaluisse, uti azymorum apud Latinos. *Quoniam*, inquit, *Apostoli eatenus enim tradentes mysteria non distinxerunt sive fermentatum, sive azymum; Orientalis Ecclesia continuo cepit fermentatum, Occidentalis verò azymum, eo quod gerit imaginem puritatis, sinceritatis & veritatis.* Eadem est sententia Gregorii Protosyncelli in responsione ad epistolam Marci Ephesini, ubi ait Græcos fermento ab exordio usos, eam semper consuetudinem retinuisse.

Contrà verò Cortesius Brana Mazaracenus, Græcarum litterarum Professor in publico Gymnasio Neapolitano, in libello de Græcæ & Latinæ Missæ consensu, docet cum Soto in 4 sententiarum, utramque Ecclesiam initio sacratissimam Eucharistiam in azymis confecisse: sed postea ob hæresim Hebionitarum, qui legalia servanda esse volebant, abjecisse azymos panes; tum hæresi extincta Latinam rediisse ad azymos, Græcam verò in fermenti usu perseverasse.

Expositis Auctorum variis sententiis, observandum est, Orientalem Ecclesiam ab ipso nascentis Christianæ religionis principio habuisse usus ab Occidentali diversos. Cui rei argumento est tum controversia de Paschate, quæ inter Asiaticos & Victorem Papam efferbuit, tum Irenæi Episcopi Lugdunensis epistola, cujus fragmentum refert Eusebius Pamphili in historiæ suæ lib. 5 cap. 24. Scribit quippe in ea epistola Irenæus, » beatum Polycarpum Aniceti Papæ temporibus Romam venisse, atque in» ter illos cum de Paschate, tum de quibusdam aliis » rebus modicam fuisse controversiam: ac statim » mutuo pacis osculo sese complexos, communi» casse sibi invicem, & Anicetum in Ecclesia conse» crandi munus Polycarpo honoris causâ concessisse. Etsi verò non exprimit Irenæus, quænam fuerint alia illa capita, in quibus Anicetus à Polycarpo dissidebat; conjecturæ tamen locus esse potest, in his fuisse discrimen panis Eucharistici, quem utraque Ecclesia diversum adhibebat.

Hanc conjecturam juvat Origenis auctoritas in Matthæi caput 16 ad versum 16. ubi de fermento Pharisæorum agens, ait fermentum non solùm sumi pro doctrina, sed etiam pro aliis rebus tam in veteri, quàm in novo Testamento. Tum subdit, [illegible] *An non & aliquando fermentum offertur sub altare?* Etsi enim non planè certum sit, num potius de novo loquatur quàm de veteri Testamento, in quo fermentati panes nonnumquam offerebantur ex Levitici capitibus 7 & 27; tamen potiùs de novo intelligendus videtur ex eo quòd usus sit verbo temporis præsentis. Accedit quod in tractatu 35 in Matthæum imperitis nonnullis occurrit, quibus in mentem venire posset, exemplo Christi Pascha Judaico more & azymorum diem celebrandum. Quibus respondet ea omnia non jam re ipsa, sed spiritali sensu exercenda esse. Quod etsi de tota ritus Paschalis observatione dictum videri possit; tamen ad removendum etiam azymorum usum extendendum videtur. Idem dicendum est de Johanne Chrysostomo, cujus consimilia verba sunt in homilia de proditione Judæ.

Aliud testimonium pro antiquo fermenti usu apud Græcos desumi potest ex Chronico MS. Datii Mediolanensis Episcopi, qui medio sæculo sexto vixit. Quo in Chronico sanctus Ambrosius *Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus fuisse dicitur, & sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in resurrectione Domini benedixisse.* Si verò fermentati panis usus apud Græcos receptus erat Ambrosii ætate; credere par est morem hunc ex primaria Græcorum Ecclesia descendisse. At quoniam de hujus Chronici auctoritate dubitant nonnulli, quibus suppositicium & recentioris ævi esse videtur, de eo amplius in consequentibus agendum. Interim noto, Chronicon istud, etsi recentioris sit Auctoris, non tamen continuò rejicienda esse quæcumque in eo leguntur, maxime singularia facta, quæ non nisi ex antiquioribus monumentis accipere potuit ille quicumque est auctor.

Verùm luculentum est de Græcorum fermento Johannis Philoponi testimonium in disputatione de Paschate, in qua, ut jam dixi, auctor probare nititur, Christum in ultima Cœna non celebrasse Pascha legale, neque agnum aut azyma comedisse: tum Eucharistiam non ex azymo pane, sed ex fermentato confectam fuisse. Nam proposita sibi objectione eorum qui dicebant, Christum Eucharistiam Discipulis præbuisse primo die azymorum, quando Pascha immolabant, simulque agnus comedebatur & azymum cum herbis amaris; respondet eos ex hoc ipso maximè refutari. [illegible] Id est, *Nam nihil horum in Cœna contigit, ut jam dixi, neque azymum proprii corporis antitypum discipulis suis Christus dedit. Nam & hoc etiam nunc fieret. Si autem illa fuisset prima dies azymorum, non potuisset reperire fermentatum.* Ex his Philoponi verbis clarum est, suo tempore Græcos, non azymum, sed fermentatum panem in rem sacram adhibuisse. quandoquidem ait, si Christus in azymo Eucharistiam Discipulis suis porrexisset, fore ut id etiam tum in Ecclesia fieret. Ex eo verò quod secus res se haberet, infert Philoponus, Christum non legali more Cœnam in azymis peregisse. Præterea satis apparet Philoponi mentem esse, numquam in Ecclesia Græca panem alium, quàm qui tunc usui erat, hoc est fermentatum, adhibitum fuisse. Nam si mutationem aliquando factam azymi panis in fermentatum agnovisset, nihil conficeret ejus argumentum. Jam ergo Philoponi ætate, idest sub finem sæculi (nam Justino secundo imperante scribebat) fermenti usus ante memoriam omnem apud Græcos invaluerat.

Hinc est quòd Latini exorto schismate Michaëlis Cerularii cùm azymum panem fermentato jure præferri posse contenderent; nusquam tamen (si bene memini) Græcos admissæ novitatis insimularunt, quasi recepto quondam azymo fermentatum postea induxerint. Quod argumento est Latinos in ea fuisse persuasione, Græcorum fermentum à primis temporibus obtinuisse. Denique Humbertus Cardinalis in responsione ad Nicetam apertè innuit, tempore sextæ Synodi, idest sub finem sæculi septimi, quæ anno DC LXXX habita est, Græcos alio pane usos fuisse quàm Latinos: ac Romanæ sedis Legatos morem suum utendi azymis Constantino Imperatori approbasse.

His addi possunt & aliæ conjecturæ, nimirum quod Photius in epistola 64 agnoscit differentiam & dissimilitudinem per varias Ecclesias [illegible] *in mysticis sacrificiis.* quod de pane Eucharistico etiam intelligi potest. siquidem sanctus Nicon, non integro post Photium sæculo elapso, reprehen-

dit Armenios, quòd azymis uterentur contra morem Græcorum. Ad hæc, quòd Græci ante schisma Photianum pane eodem modo formato, scilicet denso & integro, iisdem omnino instrumentis atque ritibus utebantur in Liturgia sacra, quibus etiam nunc utuntur. Instrumenta præcipua sunt [illegible], quæ Johannes Chrysostomus in Liturgia sua & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Contemplatione sua Commemorant. Porro ex eo quòd de pane integro & denso coronulam lanceolâ demebant in sacrificium, colligo panes ab ipsis tum adhibitos fuisse crassos & inflatos, quales in usum communem cedunt, id est fermentatos. Verùm his conjecturis potiora sunt argumenta, quæ ex superiorum Auctorum testimoniis adduxi: ex quibus sola Philoponi auctoritas sufficere videtur ad probandum, fermentum apud Græcos ab initio Ecclesiæ, aut certè propè ab initio, receptum perseverasse ad sæculum septimum: quo ex tempore constat numquam intermissum fuisse.

His tamen repugnare videtur locus apud sanctum Justinum in Dialogo cum Tryphone, ubi oblatio similæ pro eis, qui à lepra purgabantur, quæ infermentata erat, *figura panis Eucharistici* fuisse dicitur, [illegible]. Verum necesse non est, ut figura in omnibus rei figuratæ respondeat.

CAPUT IV.

Quali pane utantur aliæ Societates Christianæ.

MOSCOVITÆ & Rutheni, ut Græcorum aliis ritibus, ita fermentato pane utuntur. Alexander Gwagninus in descriptione Moscoviæ observat, mulieres provectæ ætatis, & maxime viduas Sacerdotum relictas, apud Ruthenos conficere panem Sacrificii, quem *Proskura* vocant.

Nestoriani, sic dicti à Nestorio, cujus errores sectantur, *ex fermentato itidem [illegible] more Græcorum conficiunt*, testante Jacobo à Vitriaco in historiæ Orientalis cap. 78. adeoque illi qui in terra Presbyteri Joannis commorantur, itidem Nestoriani, quos notat Cassander facere libum magnum aut parvum pro multitudine gentis, quia omnes communicant; & pro magnitudine crassum dimidio digito aut integro, aut etiam crassiorem magno digito.

Suriani etiam, qui in Syria degunt, Græcorum erroribus involuti, ex fermentato pane conficiunt Sacramenta, auctore Jacobo à Vitriaco in ejusdem historiæ cap. 75.

Contra Maronitæ & Armeni, seu Jacobitæ, azymo pane utuntur in calicem vero nihil aquæ admiscent Armeni. Juverit hoc loco notare, Armenos in Eutychianorum hæresim Theodosio imperante prolapsus fuisse, ut docent nos epistolæ Procli Constantinopolitani Episcopi & Dionysii Exigui, qui Procli epistolam Latinam fecit. Ab eo tempore azymo pane & solo vino usi videntur in re sacra, uti ipsi tradunt Armeni. Certè quòd solum vinum adhiberent aquâ rejectâ, damnati sunt ab Episcopis auctoribus Canonum in Trullo editorum post Synodum sextam, ut patet ex Canone 32, in quo graviter reprehenduntur quòd [illegible] in mensa sacra offerrent. Quo in loco etsi nulla panis azymi fiat mentio, tamen ipsos jam eo usos fuisse res certa videtur. Primus eos ob usum azymi arguit sanctus Nicon, natione & ipse Armenus, qui medio sæculo decimo floruit. Nam inter varios errores quos in ipsis carpit, unus est, quòd in *pane mystico utantur azymis, & in sanctum calicem aquam non immittant.* Ex quo intelligitur, Patres Trullanos azymi usum inter [illegible] reposuisse, cùm eum Armenis non objecerint. Ideoque formulam illam confessionis Fidei, quam Græci ab Armenis ad Græcorum Ecclesiam redeuntibus exigebant, prout ab eruditissimo Johanne Baptista Cotelerio edita est, conditam esse post schisma Michaelis Cerularii. Nam inter varios anathematismos quos proferunt resipiscentes, hic legitur: [illegible] (legendum [illegible]) [illegible], id est, *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & sal, nec aquam cum vino in sanctum calicem, anathema sit.* Hæc, inquam, formula, in qua fit mentio septimæ Synodi, condita videtur post schisma Michaëlis Cerularii: quo ex tempore Græci Latinos ob azymorum usum diris devovere cœperunt. In hac verò formula cum legitur, Armenos ad Fidem *Orthodoxorum Romanorum* revertentes, eam *Renuntiationis* formulam edere solitos; *Romanorum* nomine intelligendi sunt homines Græcæ communionis, sic dicti ab incolis novæ Romæ, quæ caput est Imperii Orientalis. Sic Græcos *Romanos* vocat Theorianus in dialogo adversus Armenios, tametsi post schisma edito, & alii permulti. Denique Armenis ob sectam Eutychianam proprius non est usus azymorum, siquidem Johannes Philoponus, & ipse Eutychianus, fermenti usum in re sacra probat, ut superiùs vidimus.

Præter hos Mozarabes, sive Gothi in Hispania degentes, Mozarabes dicti, quòd postea permisti sint Arabibus Saracenis, etiam azymo pane usi sunt ab antiquo, ut fusius in consequentibus demonstrabo. Usi sunt etiam Hierosolymitani, ut probat Humbertus Cardinalis in responsione ad Michaëlem Cerularium.

CAPUT V.

Variæ sententiæ de azymo Latinorum.

MIRUM est quàm variæ sint opiniones de azymorum usu in Ecclesia Latina. Quinque Auctorum classes invenio hac in re ab sese dissidentium. Prima est Græcorum quorumdam. Secunda Latinorum eorum qui tempore aut proximè post tempus schismatis à Michaële Cerulario conflati vixerunt. Tertia est Scolasticorum veterum ac recentiorum, qui non omnes inter se conveniunt. Quarta est Martini Polini, Platinæ & Johannis Calvini. Quinta Jacobi Sirmondi, quam Eminentissimus Cardinalis Bona aliquomodo temperavit, uti jam satis exposita est.

Græci nonnulli, quos Allatius in Exercitatione 28 in Concilium Florentinum commemorat, eam iniere sententiam, azymum in Latinam Ecclesiam introductum fuisse regnante Carolo Magno. In his Demetrius Chomatenus Bulgarorum Archiepiscopus, cùm nullum Canonem pro admittendo azymo conditum à Latinis animadvertisset, Azymi usum in Ecclesia Latina non nisi post schisma Photii invaluisse putavit, quæ est ipsamet Sirmondi sententia. At observare juvat, neminem Græcorum, qui initio schismatis Michaëlis Cerularii scripsere adversus Latinos, recentiorem azymorum usum in Ecclesia Latina umquam causatum fuisse: quod solis recentioribus Græcis venit in mentem.

Latini è contrario qui fervente prædicto schismate Græcis azymum obtrectantibus responderunt, azymorum usum ab initio Ecclesiæ apud se viguisse aut supponunt, aut probant, nemine Græcorum (quod sciam) reclamante. In primis Leo Papa nonus in epi-

stola ad Michaelem Cerularium de azymis quod docet, neque Christum in instituenda Eucharistia usum fuisse azymis, & ipsius exemplo hunc morem Latinos acceptum ab eo tenuisse. Hoc quod posterius dixi sic urget Pontifex Michaelem alloquens. *Illud autem quis non stupeat, quòd post tot sanctos & Orthodoxos Patres per mille & viginti à passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emerseris anathematizans omnes & publicam persecutionem excitans [in eos] quicumque participarent ex azymis?* Hinc colligo Leonis mentem fuisse, azymorum usum in Ecclesia Latina extitisse à passione Salvatoris ad mille annos, idest à condita Ecclesia ad suum usque tempus. Cùm enim conqueratur Leo, quòd *post mille & viginti à passione Salvatoris annos* præter Michaelem inventus sit nemo, qui Latinos ob azymorum usum reprehendere ausus sit; consequens est eos per totum illud tempus azymis usos, aut saltem Leoni ita persuasum fuisse: alias nihil valeret ipsius argumentum adversus Michaelem. Neque enim calumniæ occasionem præbere potuisset usus ille, si nondum extitisset. Eam porro esse Leonis mentem, neque de jure, sed de facto explicari posse, patet ex epistola 1 ad eumdem Michaelem, in qua scribit, omnes quotquot ab instituta Ecclesia extitere Martyres apud Latinos, *azymitas*, id est Eucharistia in azymis consecrata, *fagimatos* fuisse: & paullo antè innuit, Latinorum hunc morem ex sancti Petri institutione descendisse. *Quapropter*, inquit, *à tanta amentia jam resipiscite, & Latinos verè Catholicos, atque maximi Petri familiares discipulos, institutionisque ejus devotiores sectatores cessate subsannando azymitas vocare.*

Eadem fuit sententia Humberti Cardinalis in responsione ad Michaelem dicentis, Ecclesiam Romanam ad suum usque tempus non cessasse ab usu azymorum. & in responsione ad Nicetam, *traditionem* esse *Apostolicæ sedis*. Consentiunt Algerus in lib. 2 cap. 3, qui omnem Ecclesiam præter Græcam ex traditione Principum Ecclesiæ Petri & Pauli in azymis celebrasse; Hugo Tuscus seu Eterianus, qui in lib 2 de Hæresibus cap. 17 Ecclesiam Latinam azyma perpetuò immolasse; & Rupertus in lib. 2 de divinis Officiis cap. 22. qui Ecclesiam Romanam censet fermentum in sacrificio numquam adhibuisse.

Ejusdem traditionis ineunte seculo XIII propugnator fuit Innocentius Papa III. qui de Latinorum azymis agens, eorum perpetuum usum defendit in lib. 4. de Missa cap. 4. *Ab ipsis ergo*, inquit, *beatis Apostolis Petro & Paulo; quos & vivos habuit (Romana Ecclesia) & defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit.*

Innocentio è vestigio successit Scholasticorum ætas, quorum opinio de azymo Latinorum est, ejus usum ab initio nascentis Ecclesiæ incœpisse: postea verò ingruente Ebionæorum hæresi, qui legalia observari oportere docebant, præceptum fuisse, ut rejectis azymis fermentum admitteretur. tum desinente hæresi, Latinos ad azyma denuo rediisse. Hujus præcepti Leonem Papam alii dicunt auctorem, alii non auctorem sed testem afferunt, alii nec testem, nec auctorem. In primis est Johannes Duns Scotus in 4 dist. XI quæst. 5 *Sub Papa Leone*, inquit, *fuit hæresis servans legem cum Evangelio. Et tunc ne videremur Latini servare legem Judæorum, preceptum fuit conficere in pane fermento. Sed post quando rediit Fides & invaluit, usi sunt Latini pane azymo, sicut prius.* Idem sentit Richardus in eumdem locum.

In secundo ordine est Alexander Alensis in 4 quæst. 32 membro 3 ad ultimum: eumque secutus Bonaventura totidem verbis; & sanctus Thomas in priori suo Commentario in 4 dist. XI quæst. 2 art 2, qui Auctores testem afferunt Leonem Papam dicentem, insurgente hæresi Ebionitarum sanctos patres præcepisse, ut sacrificium ex fermentato conficeretur ad tempus.

Denique Durandus in 4 dist. XI quæst. 4 in corpore ait, Apostolos in primitiva Ecclesia usum azymorum tenuisse, & ab iis hunc morem accepisse Ecclesiam Romam. Postcà incidente hæresi Ebionitarum, qui dicebant simul cum Evangelio legalia observanda, sanctos patres ne eis consentire viderentur, voluisse ad tempus hoc Sacramentum ex fermentato confici: at cessante hæresi Ecclesiam Romanam ad pristinum rediisse morem, Græcos verò noluisse redire. Hæc de placitis Scholasticorum veterum, quibus recentiores plerique, alii aliis pro sua quisque secta, adhærent. Johannes Gerson in tractatu de Communione censet, Latinos quondam Sacerdotes confecisse Eucharistiam in fermentato; at quo tempore, quave occasione, non exprimit.

Aliam iniere viam Historici quidam recentiores: nimirum Martinus Polonus, & Platina, quibus Johannes Calvinus adstipulatur. Ex his primus ad annum CXXXII, ubi de Alexandro Papa agit, hæc habet. *Hic etiam statuit ut vino aqua misceretur.... & ut oblatio fieret ex azymo & in modica quantitate, dicens: Hæc oblatio quanto potior, tanto rarior.* Nescio an ex eodem fonte Barlaamus Hieracensis Episcopus, Martini fere æqualis, idem tradit in epistola de unione utriusque Ecclesiæ. Platina id ab Alexandro statutum dicit, *ut Ebionitis Hæreticis calumniandi occasio auferretur.* Et Calvinus in institutionum lib. 4. *Fermentum*, inquit, *& vulgatum panem fuisse ante tempus Alexandri Romani Episcopi narrant historia, qui primus azymo pane delectatus est. Qua id ratione, non video, nisi ut plebis oculos novo spectaculo in admirationem traheret magis quàm ut animos proba religione instrueret.* Eidem sententiæ accedit Radulfus Tungrensis de canonum observantia cap. 23.

Tam pugnantes hominum sententias retulisse hoc saltem juverit, ut intelligant omnes, quàm intricata sit controversia de azymo, quantis ambagibus involuta: tum quantum intersit, non ex trivio falsarum traditionum, aut ex suppositiciis auctoribus sed ex optimis antiquitatis monumentis eruere veritatem. Quam viam quicumque, non tenuerint, in supinos & insignes errores delapsi sunt. Ætate veterum Scholasticorum circumferebantur nescio qua scripta seu decreta Leonis & Alexandri, spuria certè, sed nondum notæ falsitatis: quibus adducti Auctores superiores, varias de azymo sententias tenuerunt. Forsan etiam qui dixere occasione Hæresi Ebioniticæ cautum fuisse ut cessaretur ab azymo huc inducti sunt auctoritate sancti Epiphanii. Cùm enim apud Epiphanium legerent Ebionæos errori notatos, quòd mysteria offerrent ex azymo & aqua sola, putaverunt azymorum usum ea occasione rejectum ab Ecclesia fuisse. Et quia persuasum habebant, morem utendi azymis apud Latinos à Christi exemplo descendisse; hanc demum invenerunt conciliandæ difficultatis viam, ut azymum propter Ebionæos ab Ecclesia rejectum seu intermissum dicerent: postea verò cessante hæresi prædicta restitutum. Verùm de Epiphanio postea.

CAPUT VI.

Quædam testimonia dubiæ fidei pro azymo Latinorum expenduntur.

IN omni controversia, ut vera à falsis, sic certa ab incertis & dubiis secernere juvat. Hinc est quòd minùs peritis morem gerens, qui ad hæc tractanda rudes & imparati accedunt, hoc loco seorsim institui agere de nonnullis testimoniis aut falsis, aut dubiis, quæ pro azymo afferri possunt: ne si ea tacitus prætermisero, fiat ut incauti vel dubiis plus æquo fidem adhibeant, vel falsis seducti in errorem labantur.

In dubiis primum occurrit Chronicon quod sub nomine Datii Mediolanensis Episcopi in Bibliotheca ejusdem Ecclesiæ adservatur: quo in Chronico hæc de sancto Ambrosio leguntur. *Sanctus Ambrosius Græcorum Ecclesiam in plurimis officiis venerabiliter imitatus est, qui & sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini benedicebat.* Si de hujus Chronici auctoritate constaret, luculentum haberemus testimonium ad probandum, Latinam Ecclesiam tempore Ambrosii in azymo confecisse. At viri docti nonnulli Chronicon istud recentius esse putant Datio Episcopo, qui Vigilio Papa sedente, hoc est ante medium seculum sextum, Mediolanensem Ecclesiam regebat. Caussam cur istud Chronicon Datio abjudicarent, sedulò inquisivi, tum scriptis ad amicos literis, tum petito ejus exemplo ex Mediolanensi Bibliotheca, ut lectione Chronici rei veritatem expiscari possem. Verùm nihil aliud ea de re mihi rescire licuit præter ea, quæ mox adducam, neque hactenus exemplum expetitum accipere. Quo fit, ut de hujus Chronici auctoritate mihi certò pronuntiare non liceat.

Illud in primis suspectum reddit Opus istud, quod refert Antonius Possevinus de hoc Chronico, « in « quo scilicet ait scriptum exstare, Canticum *Te* « *Deum laudamus* à sanctis Ambrosio & Augustino « statim à baptismo ejusdem Augusti alternatim & « ex tempore cantatum fuisse, atque inde ab uni- « versa Ecclesia frequentari cœpisse. « Quæ res nonnullis suspecta, ne dicam falsa videri possit, & ab recentiori quodam auctore inventa. Quamquam in MS. libro Psalmorum, quem Carulus Magnus ad Hadrianum Papam misit, cujus autographum exstat in Cæsarea Bibliotheca, habetur Canticum istud cum hoc titulo: *Hymnus quem sanctus Ambrosius & sanctus Augustinus invicem condiderunt.* Quod ut parum certum sit, hoc tamen apparet persuasionem de auctoribus istius Cantici non esse admodum novam & recentem, sed aut ipsius Datii tempore, aut paulò post receptam.

Menardus noster in notis ad librum Sacramentorum, ubi de hoc Cantico agit, duobus movetur argumentis ad Chronicon istud Datio subtrahendum: nempe & quod Augustini conversio in eo Chronico aliter, quàm à Possidio & ab ipso Augustino referatur: & quod Chronicon à nullo auctore citatum legatur. Verùm ut prius ita sit, non rarò Auctores etiam æquales in unius ejusdemque facti narratione discrepant. Posterius inde refellitur, quòd Chronicon istud sub nomine Datii citatum videatur, tum apud Paulum Diaconum in historiæ Miscellæ libro XVI, tum apud vulgatum Anastasium de Gestis Pontificum in Silverio Papa, ubi tempore hujus Pontificis fames ingens sævisse memoratur *ex relatione Datii Episcopi Mediolanensis.* Quæ res si in prædicto Chronico legatur, fatendum est, aut Datium ejus esse auctorem, aut certè aliquem alium Paulo Diacono, id est octavo sæculo superiorem: ejusque persuasionem fuisse, azymorum usum ævo Ambrosii viguisse apud Latinos.

Demum etiamsi Chronicon istud ævi sit recentioris, non tamen continuò respuendum est quidquid in illo continetur: tum quia Auctor, quisquis tandem ille sit, id ex veteribus monumentis accipere potuit: tum quia hoc ipsum quod de azymo in eo legitur, ex Missa Ambrosiana pondus habere videtur. In hac enim ubi de oblatione panis agitur, orationi præmittitur hic titulus apud Pamelium: *Oblatio panis azymi cum patena.* Porro Missæ hujus quæ Ambrosiana dicitur, Auctorem agnoscit sanctum Ambrosium Walafridus Strabus in lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. *Ambrosius*, inquit, *Mediolanensis Episcopus tam Missæ, quàm cæterorum dispositionem Officiorum suæ Ecclesiæ & aliis Liguribus ordinavit, quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia.* Neque verò facile dicendum est titulum prædictum à recentioribus insertum fuisse, nisi id probetur idoneis argumentis.

Inter supposititia pro azymo testimonia censendum est fragmentum epistolæ sub nomine Gregorii Papæ, partim à sancto Thoma Aquinate relatum in Summæ 3 parte, fusiùs verò in ejusdem Catena super Matthæum his verbis: *Gregorius in registro. Solet autem nonnullos movere, quod in Ecclesia quanulli offerunt panes azymos, alii fermentatos. Ecclesia namque Romana offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem. Aliæ vero Ecclesiæ offerunt fermentum, pro eo quod verbum Patris indutum est carnem, & est verus Deus & verus homo. Nam & fermentum commiscetur farinæ. Sed tamen tam azymum quàm fermentatum dum sumimus, unum corpus Domini Salvatoris nostri efficimur.* Neque enim hæc verba reperiuntur in registro sive Gregorii Papæ primi, sive Gregorii septimi. Exstat quidem apud Gregorium primum, cognomento Magnum, epistola quædam, nimirum 64 lib. 7 Indictionis secundæ, qua in epistola sanctissimus Pontifex agit dè variis ritibus Ecclesiæ cùm Græcæ tum Romanæ, at ne verbum quidem de azymo. Quapropter ex prædicto fragmento nihil certi conficere possumus.

Aliud ejusdem generis argumentum nobis suppeditat epistola quædam Isidori Hispalensis Episcopi ad Redemtum Archidiaconum, in qua hæc verba leguntur. *Innotuisti nobis in animo tibi versari scrupulum, quòd Orientalis Christi Ecclesia ex fermentato pane, Occidentalis ex azymo sacratissimi corporis Sacramentum conficere consuevit: & quia ipsi Orientales Latinos super hoc reprehendere non verentur.* Tum Auctor Romanæ Ecclesiæ morem approbare, & Græcorum objectis satisfacere conatur. Atqui hæc epistola meritò suspecta videtur, ne dicam spuria. Etsi enim Isidorus Hispalensis Episcopus Redemtum Archidiaconum habuerit, tamen in ea epistola, sicut etiam in præcedenti, multa sunt quæ persuadent commentum esse recentiorum temporum. Nulla enim (ut cætera dissimulem) Orientales inter & Occidentales controversia fuit de azymo ante sæculum XI, ut constat testimonio in primis Leonis Papæ noni, qui Michaëlem Cerularium novum Latinorum ob azyma calumniatorem post mille & viginti à Christi passione annos exstitisse affirmat.

Inter dubia item argumenta pro azymo, recenseri debet id quod Humbertus Cardinalis in responsione ad Nicetam Pectoratum refert ex quibusdam actis sextæ Synodi, in quibus legebatur, Legatus Apo-

stolicos peracta Synodo à Constantino Imperatore interrogatus, *qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri* JESU-CHRISTI *eumdem teneret*, inter alia respondisse, « Oblationem quæ in sacrificium altaria offertur, nullam commistionem aut corruptionem fermenti habere debere, sed debere esse mundam, juxta quod in gestis Pontificalibus legimus esse statutum. « Tum subdit Humbertus: *Tunc placuit piissimo Principi Constantino hæc traditio Apostolicæ sedis.* Hoc quidem testimonium validum esset ad probandum antiquum usum azymorum apud Latinos ante Synodum sextam, si de horum actorum veritate constaret. Verum suspecta videntur hæc acta, tum quia in vulgatis sextæ Synodi actis nulla ejus rei mentio reperitur, tum quia in gestis Pontificalibus nihil de azymo à Silvestro Papa statutum legitur, sed tantùm de linteo, quod lineum esse præcepit.

Verumtamen Hilarion Monachus in oratione de pane Græcorum mystico & Latinorum azymo, his Actis nonnihil auctoritatis conciliare videtur, cùm ait, Legatos peracta Synodo Deo gratias acturos, in templo sanctæ Sophiæ sacra ex præscripto Latinorum celebrasse, Græcis omnibus modum sacrificii Latini collaudantibus. ἐν τῷ ναῷ, inquit, τῆς ἁγίας [illegible] Id forsan hausit Hilarion ex vulgato Anastasio, qui ita in Agatone Papa loquitur: *Tanta autem gratia divinæ Omnipotentiæ concessa est Missis sedis Apostolicæ, ut ad lætitiam populi vel sancti Concilii, qui in regia urbe erant, Johannes Episcopus Portuensis Dominico die Octavarum Paschæ in Ecclesia beatæ Sophiæ Missas publicas Latinè celebraret coram Principe & Patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes & victorias piissimorum Imperatorum eo die Latinis vocibus acclamarent.* Ex quibus verbis intelligimus, Missam ab Legatis Latino more celebratam fuisse: an verò in azymis inde non constat. Hæc de dubiis & falsis argumentis.

CAPUT VII.

Proponuntur conjectura & argumenta quædam pro antiquo usu azymorum apud Latinos.

ANTE omnia considerandum est silentium Patrum Latinorum Photii ætate superiorum, qui Eucharistiam ineunte vespera azymorum, ac proinde in azymis institutam docent: qui cùm facto Christi Domini inhærendum esse in istius sacramenti confectione dicant; atque in nonnullis ritibus, sicubi obvenit mutatio, rationes factæ mutationis inquirant, nullam tamen de mutato azymo quæstionem movent. Sic ex Patribus antiquioribus complures sollicitè causam indagant, cur a jejunis Eucharistia percipiatur, cùm ab cœnatis Apostolis percepta sit: nullus verò inquirit, cur Ecclesia neglecto azymo prætulerit fermentatum. Quod sanè si contigisset, non omissuri fuisse videntur omnes: cùm magis ad rem Sacramenti accedat fermentum, quàm jejunium aut cœnatio percipientis.

Dices Patribus antiquis id fuisse exploratum, scilicet Christum tantum ex occasione & propter morem gentis, azymum ad Eucharistiam adhibuisse: ideoque etsi fermentato pane usi sint, non visum fuisse necessarium inquirere factæ mutationis causam, quæ omnibus aperta erat.

Ad hoc repono etiam Christum ex occasione tantum & ob morem Judaicum aquam in calicem immisisse. Nam ut Jacobus à Vitriaco observat in historiæ Occidentalis cap. 38, *Vino puro nemo utitur in partibus illis.* Et tamen veteres Patres, Cyprianus in primis in epistola ad Cæcilium, tanta cum religione admistionem aquæ in calicem tuentur exemplo Servatoris, ut secus factitantes pro hæreticis habuerint. Si ergo antiquis illis Patribus persuasum fuit (ut certè constat apud illos) Christum in instituenda Eucharistia usum azymis fuisse; non video cur si aliter id tum fecisset Ecclesia, nemo ejus rei causam aut inquisisset, aut exposuisset.

Affine huic argumentum est quòd iidem illi Patres, qui in primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, cùm agunt de pane sacrificii, ejusque compositionem describunt, nusquam fermenti faciant mentionem. Ex his Cyprianus in epistola ad Cæcilium, & post eum Isidorus Hispalensis Episcopus in lib. 1 de Officiis Ecclesiasticis cap. 18, loquitur in hunc modum: *Sicut vero calix Domini nostri Jesu Christi non potest esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse simila sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum panis unius compage solidatum.* Eadem verba præter Isidorum repetit Amalarius in lib. 3 de Officiis ecclesiasticis cap. 19. Sanè cum Cyprianus hoc loco agat de compositione panis Eucharistici, ejusque partes distinctè explicet; non omisisset fermentum, si panis azymis suo tempore in usu non fuisset.

At, inquis, satis fermentum exprimit cum ait, corpus Domini esse non posse similam solam aut aquam solam; *nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum.* Quod enim copulat, adunat, & solidat fermentum est.

Verùm huic responsioni obviat Augustinus in sermone 83 de diversis, ubi recens baptizatis exponens mensæ Dominicæ Sacramentum, & singula quæque traducens ad mores, non solum fermenti non meminit, sed etiam granorum seu pollinis conjunctionem & copulationem non nisi per aquam fieri docet his verbis: *Commendat vobis in isto pane quodammodo unitatem amare. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent separata erant: per aquam conjuncta sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem exorcismi Sacramento quasi molebamini. Accessit baptismus & aqua: quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quod ergo significat ignis, hoc est Chrisma.* Augustinus his aliisque verbis accuratè singula distinguit; granorum contritionem, conspersionem & conjunctionem per aquam solam, & coctionem. Altum de fermento silentium satis innuit illud eo tempore inusitatum fuisse. Adde sanctum Doctorem uti vocabulo *conspersi*, quo massam sine fermenti admistione aquâ conglutinatam significari constat, ut inferiùs demonstrabo.

Eodem modo alii Patres loquuntur de compositione panis Eucharistici, quos inter Gaudentius Brixiensis Episcopus in tractatu 2 de Paschate, venerabilis Beda in Lucæ cap. 22, & alii, nulla facta mentione fermenti.

Præterea nulla lex nullum decretum, nullum legis aut decreti vestigium exstat apud veteres de recipiendo in Ecclesia azymo, neque de mutando fermento, nec de transferendo azymi & fermenti promiscuo usu in azymi communem ritum. quod sanè mirum esset, si aliquando in Ecclesia Latina obvenisset mutatio in pane Eucharistico. Cùm enim san

ti Patres tam solliciti fuerint de iis quæ ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent; cùm tot decreta condiderint de altaribus tam fixis quàm mobilibus, de vasis sacratis, deque linteis in sacrificio usitatis, de Eucharistia piè ac religiosè tum conficienda, tum porrigenda, tum percipienda, tum adservanda; cum tot statutis decreverint retinendam aquæ admistionem in calicem; mirandum certe fuerit, si Latini aliquando abjecto fermento admiserint azymum, id communi consensu factum sine lege fuisse, nemine reclamante aut referente.

Ad hunc locum revocare juvat id quod superiùs observavi ex Missa Ambrosiana, in qua *oblatio panis azymi cum patena facienda præscribitur*. Pamelius quippe hæc verba legit in codice MS. quo usus est in editione istius Missæ, quæ ab antiquis Ambrosio tribuitur: nec facile crediderim mentionem azymi à recentioribus adjectam, quibus dubitatio de offerendo azymo nulla suboriri poterat.

Insuper argumenta quæ inferiùs pro stabiliendo azymorum communi usu ante schisma Photianum adducentur, huc recurrunt. Qui enim azymum probant Auctores illi, id ante omnem memoriam usitatum ostendunt.

CAPUT VIII.

Aliæ probationes ex forma & conditionibus hostiarum, ubi explicantur canones duo, unus Concilii secundi Turonensis, alter Toletani XVI.

OBLATAS seu hostias minutas ac tenues sæculo nono fuisse, quales fere modo adhibemus, hinc patet, & quòd *rotula* appellatur apud Isonem Monachum Sancti-Gallensem, & quòd intra ferrum characteratum conficiebantur. Modicas verò atque exiles longè ante istud tempus fuisse colligo tum ex Concilio Toletano XVI, tum ex figuris nonnullis, quæ in antiquis numismatibus hactenus supersunt. Tres nobis exhibet Claudius Boterovius, de republica litteraria bene meritus, in collectaneo veterum numismatum Francorum, omnes Chariberti Francorum Regis, qui regnare cœpit anno DLXI in annos sex. Prima figura exstat in pag. 247, ubi pingitur calix ansatus in lunulæ cornua duo eminens, in quorum medio apparet exiguus circulus ad hostiam (ut Boterovio visum est) designandam, adjectâ per circulum hac inscriptione, *Gavaletano*, qui locus est cusæ monetæ: ex alia verò parte effigies Regis sine inscriptione.



Habentur aliæ duæ in pag. 252, quarum prima superiori omnino similis est: altera tres circulos,





quos Boterovius itidem hostias esse putat. nobis exhibet cum eadem inscriptione, eademque Regis effigie; at sine nominis designatione omnes.

Ut autem Boterovius eas Chariberto Regi tribuat, duobus movetur argumentis. Primum est quòd plura alia numismata ab ipso exhibita, ex una parte præferunt calicem ansatum cum cruce superposita & designatione loci ubi cusa est moneta, *Banniaciaco* scilicet, qui locus itidem in tribus aliis jam memoratis, tribus dumtaxat prioribus litteris exprimitur, unà cum verbo *Gavaletano*; ex alia verò parte Regis effigiem repræsentat cum hac inscriptione, CHARIBARTUS RXX. Alterum argumentum est, quòd Chariberto regnante atque curante celebratum est Concilium secundum Turonense anno DLXVI, quo in Concilio Patres Canone 3, statuêre *ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur*. Quo ex loco vir antiquariæ rei studiosissimus colligit Chariberto placuisse, ut in memoriam hujus statuti se procurante conditi, monetæ regiæ calice ansato cum hostiis insignirentur, eo scilicet modo, quo Eucharistiam in calicibus ansatis ab eo tempore adservatam fuisse Boterovius probare intendit. Quæ omnia si certa sint, inde probabile habemus argumentum, oblatas sæculo VI tenues ac modicas, quales fere modò habemus; ac proinde infermentatas fuisse.

Verùm ut hac de re dicam quod sentio, certum mihi videtur primò quidem calices antiquitus fuisse ansatos, ut multis probat Boterovius, tum ex Anastasio vulgato in gestis Pontificum Romanorum, tum ex aliis. qui mos inde forsan promanaverit, quòd calix quo Christus Dominus in ultima cœna usus est, *ansatus* fuisse perhibetur apud Adamnanum Hiensem Monachum in lib. 1 de locis sanctis cap. 8. Locum huc adscribam in gratiam studiosorum. *Inter illam quoque Golgothanam basilicam & martyrium, quædam inest exedra, in qua est calix Domini, quem à se benedictum propria manu in cœna pridie quàm pateretur, ipse conviva Apostolis tradidit convivantibus, qui argenteus calix sextarii Gallici mensuram habens, duasque ansulas in se ex utraque parte altrinsecus continens compositas.* Hæc Adamnanus ante annos fere mille retulit ex narratione Arculfi Gallicani Episcopi, qui calicem istum conspexerat.

Secundò certum mihi videtur, numismata à Boterovio exhibita verè esse Chariberti Regis. quandoquidem alia plura ejusdem generis ipsius nomine signata videntur.

Tertiò æque exploratum puto, in illis numismatibus re verà calices ansatos repræsentari, maxime quia pleriqne signum crucis superpositum habent, & unus quidem cum monogrammate Christi adjuncto.

Quartò persuasum etiam mihi est, canonem tertium Concilii Turonensis de adservanda Eucharistia interpretandum esse.

At verò non ita perspectum habeo, an minimi illi circuli, qui calicibus ansatis superponuntur, sint veræ oblatæ. Non quòd id mihi omnino veri simile non videatur, sed quòd artificis imperitia non planè rem oculis exhibeat. Neque enim animus est plus ponderis dare argumentis, quàm ea præ se ferant.

Deinde nonnullis etiam dubium videri possit, an Eucharistia in calicibus aliquando sit adservata. Nam aut in turricula, aut in columba argentea reponi solebat. Legimus quidem apud Gregorium Turonensem Episcopum in lib. 1 de gloria Martyrum cap. 47, calicem crystallinum qui fractus fuerat, Diaconi oratione restauratum, jussu Episcopi *suspensum super altare* fuisse, ejusque rei memoriam

aurea

annua feſtivitate quotannis celebratam. An verò Euchariſtia in eo adſervaretur, non liquet. Clarior eſt locus in geſtis Gregorii Papæ tertii qui *calicem unum argenteum qui pendet*, inquit Auctor, *in apſide Oratorii*, dediſſe perhibetur. non alium ut videtur ad uſum, quàm ad ſacratiſſimam Euchariſtiam conſecrandam.

Explicatur Canon 3 Concilii II Turonenſis.

Et quandoquidem huc devenit oratio, quædam obſervare juvat ad interpretationem Canonis tertii Concilii Turonenſis, quo præcipitur, *ut corpus Domini in altari, non imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur.* Canon iſte eruditos viros jamdudum torquet, verſatque in varias partes: de quo ut nonnihil dicam, notandum eſt in nonnullis codicibus abeſſe præpoſitiones *in* & *ſub*. Deinde imaginarium ordinem eum eſſe, qui Imaginibus ſacris vulgo tribuebatur. quo in ſenſu *imaginaria pictura* dicitur apud Anaſtaſium in verſione ſecundi Concilii Nicæni.

Jam in hoc Canone explicando diverſæ ſunt ſententiæ tres. Prima Severini Binii dicentis hoc decreto prohiberi, *ne corpus Domini inter ſacras Imagines ſuper altari poni ſolitas, ſed potiùs collocetur ſub ipſa cruce, quæ in meditullio ipſius altaris poni conſuevit.* Altera eſt Jacobi Sirmondi in cap. 4 Diſquiſitionis de azymo, cenſentis nihil aliud hoc Canone, quàm *ut panis in corpus Domini conſecrandus, non aliter pro cujuſque arbitrio, quàm impreſſa cruce formetur.* Tertia eſt viri doctiſſimi, qui exiſtimat hunc Canonem intelligendum eſſe de componenda oblatione cum calice tempore ſacrificii è regione crucis in medio altari poſitæ, non verò ad dexteram aut ad ſiniſtram è regione Imaginum.

Sed ut ingenuè mentem meam aperiam, videtur Canon ille, neque de compoſitione panis Euchariſtici, neque de ordine quem tempore ſacrificii oblatio tenere debet, explicari poſſe. Nuſquam enim, ſi non fallor, Euchariſtiæ nomen apud veteres, niſi pro hoſtia conſecrata uſurpatur. Et antiquitus oblata ſacrificii tempore, non ordine recto è regione crucis componi ſolebat, ſed ad ſiniſtram partem calicis, ſeu potius calix *ad dexterum latus oblatæ, quaſi ſanguinem Domini ſuſcepturus, quem de latere Dominico profluxiſſe credimus*, ut ex Ordine Romano ſcribit Micrologus, & cum eo Johannes Epiſcopus Abrincatenſis. Quapropter præferendam exiſtimo ſententiam primam: in qua tamen ſcrupuli quidam mihi reſtant, quos hîc diſcutere conabor.

Duæ ſunt difficultates, quæ hunc Canonem primo illo modo explicatum implicant. Prima, quo in loco proſtarent tunc temporis Imagines in Eccleſiis. Altera quo ritu Euchariſtia *ſub crucis titulo in altari* componeretur.

Ad primam, crediderim totis decem Eccleſiæ ſæculis Imagines ſacras aris non fuiſſe impoſitas. Teſtatur Leo Papa quartus in homilia quadam his verbis: *Super altare nihil ponatur, niſi capſa & reliquiæ, aut fortè quatuor Evangelia, & buxida cum corpore Domini ad viaticum infirmis: cætera in nitido loco recondantur.* Eadem verba repetit Ratherius Veronenſis Epiſcopus in Synodica oratione ad Preſbyteros ſuos. Flores tamen etiam *ſuper altare* poſitos probat Venantius Fortunatus in lib. 8 carmine 8. Et crux ſuper altare pendere ſolebat, teſte Gregorio Turonenſi, præter alios. Etſi verò ſcrinia quibus ſanctorum reliquiæ includuntur, Imaginum loco haberi poſſint; conſtat tamen reliquias ſacras, ac proinde reliquiaria ipſa, ſuper altare poſitas vix fuiſſe ante ſæculum nonum, uti aliàs demonſtravi in Præfatione Sæculi ſecundi Benedictini. Ex quibus intelligitur, tempore habiti Concilii Turonenſis Imagines in altaribus non habuiſſe locum. Ubi ergo? inquis. Certè in baptiſteriis, in Secretariis ſeu Sacriſtiis (quas vocamus) in porticibus, in parietibus & laquearibus templi. Imagines in baptiſterio collocatas à Severo fuiſſe docet ſanctus Paulinus Epiſcopus in epiſtola 12 ad ipſum ſcripta. Statuam Chriſti Domini, quæ à muliere ſanguinis profluvio liberatâ erecta fuerat, à gentilibus mutilatam, Fideles in Diaconicum ſeu ſecretarium Baſilicæ intulerunt, competentem ei curam atque obſervantiam deferentes. Philoſtorgius auctor in Hiſtoriæ lib. 7. De Iconibus ſacris in porticibus & in laquearibus depictis aut affixis, teſtis eſt idem Paulinus in prælaudata epiſtola: teſtis item venerabilis Beda in lib. 1 de vita Biſcopi Abbatis ſui, ubi ait, Biſcopum Româ detuliſſe *Picturas Imaginum ſanctarum, quas ad ornandam Eccleſiam beati Petri Apoſtoli conſtruxerat, Imaginem videlicet beatæ Dei genitricis Mariæ, ſimul duodecim Apoſtolorum: quibus mediam ejuſdem Eccleſiæ teſtudinem, ducto à pariete ad parietem tabulato, præcingeret.* Si autem reliquiaria (quæ vocamus) Imaginum loco cenſeantur, hæc recondebantur eo tempore ſubtus aut intra ipſum altare: cujus rei argumenta retuli in præfatione ſæculi ſecundi. Ergo ut ad ſenſum Canonis revertar, cùm prohibent Patres, ne Euchariſtia *in imaginario ordine* ponatur; eorum ſententia eſſe videtur, ut ne in baptiſteriis, aut in ſecretariis, aut denique ſub altari, prout nonnullis in locis fieri conſueverat, cum Imaginibus ſacris adſervaretur. Quæ pars negans eſt Canonis prædicti.

Euchariſtiam ſi quidem aliquando in Secretariis ſervatam fuiſſe colligi poteſt ex Gregorio Turonenſi Epiſcopo in lib. 1 de gloria Martyrum, cap. 86. ubi Diaconus quidam impurus adventante ſacrificii tempore, *acceptam turrem, in qua miniſterium Dominici corporis habebatur*, tuliſſe dicitur *ad oſtium*, quo ſcilicet ex ſecretario in interiorem Baſilicam, ſeu ad locum altaris aditus erat? *ingreſſuſque templum ut eam altari ſuperponeret, elapſa de manu ejus, ferebatur in aera.* Quo enim ex loco *miniſterium corporis Dominici* detuliſſe dici poteſt, niſi ex ſecretario? qui locus in exedra (deſtinam vocabant nonnulli) Baſilicæ exteriori juxta continebatur, ad dextram ſcilicet partem altaris, teſtante Paulino in præcitata epiſtola ad Severum: ubi loquitur *de Secretariis duobus juxta apſidem* (locus altaris erat) utrimque poſitis: refertque verſus indicantes *officia ſingulorum.* Et quidem *ad dextram* hi erant.

Hic locus eſt veneranda penus qua conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

Ad ſiniſtram erant libri ſacri cum alio diſticho. Quamquam non immeritò dubitari poteſt, an his locis *miniſterium corporis Dominici* pro Euchariſtia ſumi debeat: cùm potiùs de ſacra ſupellectile ad ſacrificium deputata intelligendum videatur. Quod etiam dici poteſt de *turri* Felicis Bituricenſis Epiſcopi, quam laudat Fortunatus in lib. 3 Carmine 23. Dubitandi ratio petitur ex eodem Gregorio in lib. 2 de gloria Martyrum cap. 8. cujus hic titulus: *De interitu eorum qui miniſterium Baſilicæ exportaverunt.* Ubi miniſterii nomine intelligit *patenam & urceum, qui anax dicitur*, inquit, quæ à nefariis quibuſdam prædonibus ſublata ſcribit. Et verſus Fortunati de calice auro conſtante rectè explicari poſſunt, cum ita canit in carmine de turre Felicis Epiſcopi.

Quæ benè juncta decent, ſacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.

Cedant Chrysolitis Salomonia vasa metallis.
Ista placere magis ars facit atque fides.

Denique in MS. Sacramentorum libro, qui in Bibliotheca sancti Theodorici prope Remos adservatur, chrismal (quod corporale vocamus) *ministerium corporis Christi gerulum* appellatur in oratione, qua in usum sacrum benedicitur. Ex quibus dubitare licet, ut jam dixi, an Paulinus, Gregorius & Fortunatus in prædictis locis de Eucharistia loquantur. Non desunt tamen apud Veteres, qui Gregorii locum de Eucharistia explicent. In his est sanctus Odo Abbas Cluniacensis in Collationum lib. 2. cap. 32, ubi agit de infami illo Diacono apud Gregorium memorato, *qui dum capsam cum corpore Domini deferret, de manibus elapsa est, & per aerem super altare reversa.* Ad hæc, in Chrismali, quod *Ministerium corporis Christi gerulum* superiùs dicitur, Eucharistia servabatur, ut colligo ex Glabri Rodulfi lib. 5 cap. 1. Ibi enim agens de chrismali, *quod à quibusdam corporalis appellatur*, ait multa per illud remedia præstari, *si fides petentium exigat. Nam contra incendia*, inquit, *sæpius elevatum, aut exstinguendo compescuit, aut retrorsum pepulit, aut in partem alteram retorsit.* Tum rem gestam refert in Monasterio Reomaensi *tempore Venerabilis Willelmi Abbatis* sub initium videlicet sæculi XI. nempe cùm *incendium circumjacentia Monasterii* depopularetur, Fratres ejusdem loci *accipientes chrismale conto impositum*, elevasse illud *contra incendii flammas diré flagrantes. Statim verò*, inquit, *idem ignis in se se retorquens, minime amplius quam invaserat, arripere valuit.* Tum subdit id quod ad propositum nostrum facit. *Panis tamen ille Dominicus aura flante à contulo elapsus, plus minus duobus milliariis avolavit usque ad villam cui Tivalgas vocabulum est, ibique super domum cujusdam veniens sedit. Quo prosecutus, ad Monasterium dignanter est delatus.* Hinc patet Eucharistiam in chrismali seu corporali illo (quod ad *sinistrum cornu altaris semper jacere, ut ad manum possit esse contra periculum ignis*, tradit Udalricus in Consuetudinum Cluniacensium lib. 2 cap. 30) aliquibus saltem in locis Eucharistiam repositam fuisse. Quare nihil vetat, quin *ministerii dominici corporis* nomine intelligamus supellectilem & vasa sacra, in quibus etiam Eucharistia servabatur, vel in secretario, vel in baptisterio, vel super altare *sub titulo crucis*.

Non tamen prætermittenda est alia hujus canonis lectio, ubi pro *in imaginario ordine* scribitur, *in armario, vel in imaginario ordine. Armarium* glossematis vice additum existimo, non ad designanda tabernacula nostra recentiora, sed ad explicandum *imaginarium ordinem*. Nam Imagines ad parietes altaribus adjacentes appendi & depingi solebant, ibique ad latus Evangelii seu ad aquilonarem partem habebantur quibusdam in locis armaria, in quibus sanctissimum Sacramentum recondebatur. Et quidem mos iste hactenus perseverat in quibusdam Ecclesiis, puta Romæ in Ecclesia sanctæ Crucis in Hierusalem, in Gallicanis nonnullis, ut Parone in parochiali Ecclesia sancti Johannis Baptistæ, & ante annos decem in Basilica Fursæana, atque in Belgicis plerisque. Hunc usum abrogare videtur canon Turonensis, definientibus Patribus, ut Eucharistia super altare componeretur *sub titulo crucis*.

Hæc est alia difficultas, quæ modò examinanda est, quo pacto scilicet sæpe dictus canon præcipiat, ut *Eucharistia in altari sub titulo crucis componatur.* Titulus crucis significat crucem ipsam, quæ super altare pendere solebat, testante Gregorio jam laudato in lib. 2 de miraculis sancti Juliani cap. 43. *Pendebat*, inquit, *super ipsum altare crux holocrysa eleganti opere facta.* At quo in loco, quove modo crux super altare penderet, adhuc obscurum est. Quocirca operæ pretium est scire apud antiquos morem fuisse, ut super altaria sancta erigerentur Ciboria, seu turriculæ, quatuor minimùm columnis innixæ, quæ transversis in medium lineis adunatæ sustinebant crucem altaris medio respondentem: ex qua pendebat Eucharistia sacra, vasculis seu columbis argenteis aureisve inclusa, nonnumquam etiam lapillis. quem certè modum præscribere videtur Concilium Turonense. Non tamen recedit à mente Concilii mos hactenus usitatus in nonnullis Ecclesiis, in quibus è stipite crucis super altare in altum defixæ producitur instrumentum ad medium altaris porrectum & incurvatum, ex quo divina Eucharistia in vasculo pendet.

Hæc sunt quæ pro intelligentia prædicti canonis mihi venerunt in mentem, nescio an studiosis nonnihil profutura. quæ dicta sunt occasione hostiarum, quas exhibent veteres monetæ.

Explicatur canon 6 Concilii XVI *Toletani.*

Aliud argumentum pro veteri usu azymorum apud Latinos inde sumitur, quod antiqui Patres Ecclesiæ Latinæ utebantur pane studiosè confecto, candido supra communem, rotundo ac tenui, non spisso neque denso. Quæ omnes simul conditiones azymo pani magis quadrant quàm fermentato, qui inflatus ac densus esse solet. Porro has omnes Eucharistici panis circumstantias exigit Concilii XVI Toletani canon sextus, in quo Patres reprehensis Sacerdotibus nonnullis, qui panem *usibus suis præparatum* in sacrificium adhibebant, decernunt, *panem non nisi integrum & nitidum, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modicam tantùm oblatam*, pro veteri consuetudine offerendam esse. Si ergo probare potuero, canonem istum, non de fermentato, ut Jacobo Sirmondo visum est, sed de azymo pane intelligi oportere; nemo non concedet, sæculo septimo, quo desinente habitum est Concilium, eam fuisse Hispaniensium Episcoporum persuasionem, Latinam Ecclesiam numquam alium panem quàm azymum in rem sacram admisisse.

Age verò jam videamus, an de alio pane quàm de azymo possit explicari canon iste, quem integrum hîc præmittere juvat. *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quòd in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum non panes mundos & studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant: sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacra auctoritatis historia gestum perpenditur. Unde id unanimitatis nostra delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus: neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.*

Omnia præjudicia exigere videntur, ut canon iste explicetur de pane infermentato. Primò quòd veteres Mozarabes seu Gothi in Hispaniis cum Arabibus degentes, (quod etiam de superioribus Gothis ejusdem Regni incolis dicendum) ab antiquo azymis in sacrificio utebantur. Deinde quòd centum annis post Concilium Toletanum cum aliis Latinis in azymo conveniebant, ut postea demonstrabo. Præterea quòd ex opusculo Eldefonsi Episcopi perspectum sit, eumdem usum anno DCCC XLV viguisse apud Hispanos.

At non minus favent verba ipsa Concilii. In primis siquidem panis Eucharisticus, ut patet, alius tum ab eo esse debebat, qui usibus mensæ communis paratus erat, alius inquam ab usitato. Qua igitur ratione Sirmondus infert ex Ambrosio, qui panem Eucharisticum *usitatum* vocat, eum fuisse fermentatum; eadem quoque ego infero Patres Toletanos censuisse, panem sacrum alium esse oportere ab usitato, id est à fermentato. Expendenda sunt Sirmondi verba, qui relato Ambrosii testimonio ex lib. 4. de Sacramentis cap. 4 ubi dicitur, *Tu fortè dicis, Meus panis est usitatus*, &c. hæc subnectit: *nempe qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem dicit, azymum haud dubium non significat.* Ergo ex Sirmondi mente, qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem à sacrificio excludunt ac removent Patres Toletani, azymum haud dubie significant.

Neque hæc argumentatio in me regeri potest, qui in eo Ambrosii loco usitatum panem non pro fermentato usurpatum contendo. Nam si constaret eo in loco agi de duplici pane materiali, uno usitato, altero minus communi; usitatum panem azymo opponi ultro concederem. At vero hic usitatus panis non pani minus usitato, sed pani consecrato, id est corpori Christi opponitur. ac proinde non valet comparatio in sententia mea: valet autem in sententia Sirmondi hunc in locum, & in mea pro canone Concilii Toletani: cum utrubique panis usitatus azymo opponi concedatur.

Secundò Patres Toletani arguunt Sacerdotes illos Hispanicos, quòd *non panes mundos* offerrent. tum præcipiunt ut *panis nitidus* offeratur. Panis mundus, prout opponitur usitato, alius intelligi non potest quam panis expers fermenti, quod corruptionis effectum ac symbolum est. Rectè hunc in locum Humbertus Cardinalis in responsione ad Michaëlem Cerularium: *Sicut sententia vulgi exstat, fermenti origo fit, cum aut spuma musti seu fæx cujusdam rusticæ potionis, quæ apud Gallos Cervisia dicitur; vel certe jus elixati hordei aut ciceris, sive lac ficulneæ vel pecorum corruptum, miscetur conspersæ farinæ. Cum ergo spuma, fæx, elixatum leguminum & lac ficus vel pecorum corruptum, apud homines computentur inter sordida; constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem cuicumque fermentum injicitur, necesse est corrumpatur, sicut ait sapientissimus Paulus: Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Eodem tendit Algerus in lib. 2 de Sacramento cap. x. Cum ergo Patres Toletani ad sacrificium exigunt panem *mundum ac nitidum*, (quod idem hoc loco forsan esse videbitur) secretum voluere ab omni sorde & fermento corruptionis.

Si tamen *nitidi* panis intelligi putes hoc loco panem candidum præ communi; non repugno. nam & hoc potiùs azymo convenit quam fermentato. Udalricus in lib. 3 Consuetudinum Cluniacensium cap. 13, agens de confectione hostiarum secundum morem Monasterii sui; *Conspergunt*, inquit, *cum aqua frigida, quia inde fiunt hostiæ candidiores*, qui ritus servari non potest in pane fermentato, ad cujus confectionem aqua calida necessaria est. Panis ejusmodi nitidi meminit Beda Historiæ lib. 2 cap. 5. Nam Seberti Christiani Regis Orientalium Saxonum filii tres idololatræ, cum viderent Pontificem Mellitum celebratis in Ecclesia Missarum sollemniis Eucharistiam populo dare, dicebant ad eum barbarâ inflati superbiâ: *Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & Patri nostro Saba dabas?* Ubi panem nitidum eum vocant, qui præter morem candidus erat. Non tamen eò spectat oratio mea, quasi probare velim, hoc nomine ubique intelligi panem infermentatum. Certè fermentatum eo vocabulo designatum lego in Annalibus Fuldensibus ad annum DCCCXX. Verùm cùm Toletani Patres *nitidum* panem opponant usitato, intelligendi sunt de pane azymo, qui fermentato seu usitato longe candidior est.

Tertiò præcipiunt Patres, ut panis sacrificii sit *studio præparatus*. Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitularis art. 5, *Panes*, inquit, *quos Deo in Sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitide ac studiose fiant.* Qua religione formarentur panes ad usum sacrificii apud Monachos Cluniacenses, docet Udalricus in lib. 3 cap. 13. Siquidem *frumentum granatim electum* magna cum reverentia à Monacho albis induto ad farinarium delatum molebatur. tum cribrata similæ ritu farina, *cum aqua frigida* conspergebatur. Deinde ferramentum in quo coquendæ erant hostiæ tenebat Conversus, manus chirotecis indutas habens. Longe ante Cluniacenses, hostiæ *cum laude psalmodiæ* formabantur apud Andaginenses seu Cœnobii sancti Huberti in Arduenna Monachos, uti legitur in libro de miraculis sancti Huberti Tungrensis Episcopi cap. 8. ubi Monachi *panes suis manibus cum laude psalmodiæ formatos accumbenti* Odoni Comiti *anno* DCCCXLI obtulisse perhibentur. Erant hæ eulogiæ seu hostiæ benedictæ, quæ singulis diebus ante communes cibos Monachis non communicatis in refectorio præbebantur, ut patet tum ex libello supplici, quem Monachi Fuldenses Carolo Magno porrexerunt, in quo Eulogiarum perceptionem vocant *communicationem fratris panis*; tum ex Synodo Aquisgranensi anni DCCCXVII, tum ex Udalrico in lib. 2 cap. 30. Quippe eulogiæ, seu panis benedictus, ex eodem tunc pane fiebant quo materia sacrificii, nempe ex reliquiis hostiis non consecratis, quas Monachi ad Missam offerebant omnes.

Id genus oblatæ, seu *obliæ*, non rarò etiam fiebant ad usum communem, testante Udalrico in lib. 1 cap. 40. ubi ait: *in Quinquagesima solere apponi ea, quæ in ferramento characterato de conspersione farinæ tenuissima fiunt, & ab hominibus Romanæ linguæ, Nebulæ, a nostratibus*, inquit, *appellantur Oblatæ.* Idem attestatur[a] Burchardus monachus in libro de casibus Monasterii sancti Galli, agens de Norperto Abbate, qui *in hebdomada Paschali, in meridie vinum & oblatas dari constituit.* De hujusmodi oblatis intelligenda videtur Eginhardi epistola 52, qua Vicedomino aliisque fidelibus suis præcipit, *ut eulogias præparari faciant secundum consuetudinem, sicut solet homo ad opus Domini sui facere, tam ad opus Domini H Ludovici, quam N. conjugis ejus.* Ex quo apparet *oblias* ejusmodi eodem modo formatas fuisse, quàm panem ad usum sacrificii Dominici confectum. ac proinde tempore Eginhardi, qui regnantibus Carolo Magno ejusque filio Ludovico vixit, hostias intra ferrum characteratum confectas atque infermentatas fuisse.

Itaque ut ad id unde digressus sum me referam, longe ante Cluniacenses *studiosè*, id est piis quibusdam ritibus, hostiæ conficiebantur, non solum apud Monachos, sed etiam apud Clericos, ut præcipit Theodulfus Episcopus jam laudatus, qui hanc curam *Presbyteris* aut ipsorum *pueris* seu Ministris imponit. Idem suo tempore factum probat Humbertus in epistola ad Michaëlem Cerularium his verbis: *Romana & Occidentalis Ecclesia a ministris sacri altaris* (id est ut alio dicit, *a Diaconis cum Subdiaconis ipsisque Sacerdotibus*, *sacris amictis vestibus*) *in secretario offert azymum, quod ex grano frumenti & limpida lympha fuerit præparatum.* Neque tamen ita hæc cura Presbyteris & ministris sacris competebat, quin aliquando matronæ piæ seu devotæ,

[a] Analect.

quas Sanctimoniales vocabant, id officii in se suscipe-rent, etiam eo tempore quo hostias infermentatas fuisse constat. Nam in lib. 2 de miraculis sancti Wandregesili Abbatis cap. ultimo legitur, quamdam sanctimonialem seu devotam feminam, qui meritis sancti viri anno DCCC XCI sanata fuerat, *oblatas quas oblatura Domino in crastinum erat formasse*; tum accessisse ad ignem, *& ferrum quo imprimenda ac decoquenda erant oblata* (*oblatorium* vocat ferrum illud Auctor ejus temporis) arripuisse. Eadem religione sancta Radegundis Regina sæculo sexto (quod etiam patet de matrona quadam Romana in vita Gregorii Magni) jam facta *Sanctimonialis*, *more sancti Germani in Quadragesima* frumentum sua manu commolebat: & exinde *oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensabat*, teste Venantio Fortunato in ipsius vita. Germanus iste Parisiensis erat Episcopus, qui proinde etiam ejusmodi operam, molendi scilicet frumentum ad panem sacrificii componendum, non refugiebat. Ex quibus apparet, quanta fuerit apud veteres Latinos religio in parandu Eucharistico pane. Non sic apud Græcos, quibus Humbertus in prædicta epistola suam ipsorum hac in re incuriam exprobrat in hunc modum. *Vos aliquando pretio fermentatum a quocumque viro seu femina præparatum habetis, in tantum ut nonnumquam ab ipsis publicis negotiatorum tabernis emtum panem ad Dominicam mensam transferatis, quem tractatum illotis & sordidis manibus negare non potestis.* Hinc conficitur, azymo pani maximè proprium esse, ut sit *studio præparatus*.

Ne quis verò eamdem pæne religionem in præparando fermentato pane facile servari posse dicat, idque postulare Patres Toletanos; occurrit id quod quarto loco in eorum decreto animadvertendum est, nempe quòd *panem integrum, non tamen grande aliquid, sed modicam tantum oblatam* offerri volunt. His enim verbis omnino designant oblatas exiles ac tenues, quales in ferris characteratis componi solent. Nec vacat quòd *integrum panem*, non tamen grande aliquid, sed modicam tantùm oblatam exigunt. Ita enim declarant mentem suam non esse, ut modica illa ac tenuis oblata ex crasso pane decerperetur, sed ut sit integer panis. quod sane fermentato pani convenire non potest. Etenim qui fermento constat, non adeo tenuis ac gracilis confici solet, sed crassius ac densus. aliàs frustra fermentum adhiberetur, quod non nisi ad inflandam & subigendam massam commiscetur. Certè Humbertus ex eo quod Hierosolymitani non nisi *tenues oblatas integras & sanas* offerebant, non ex solido pane lanceolâ pro Græcorum more detractas, eas fuisse azymas probat in responsione ad Michaëlem. Denique Concilium Coïacense quod anno M L.XXXVIII celebratum est, panem azymum non aliis verbis definit cap. 3 quàm istis: *Hostia sit ex frumento sana & integra.* Nemo non videt, definitionem Patrum Toletanorum significantiùs omninò designare panem azymum omnibus illis conditionibus, quas superius explicavi. nempe ut panis alius sit, quàm qui *usibus* mensæ communis *præparatus* est; *ut sit mundus ac nitidus, studio præparatus: panis*, inquam, *integer*; *non tamen grande aliquid, sed modica tantum oblata.* quæ sanè descriptio longe accuratior est ad designandum panem infermentatum, quàm illa Concilii Coiacensis: cujus tamen decreto azymum panem significari constat, cùm celebratum sit Concilium istud post schisma Michaelis Cerularii.

Et tamen hunc canonem Concilii Toletani, quem azymo tam signanter convenire ostendi, ad fermentatum panem trahit Sirmondus his verbis. *Quid hoc tandem est quod Concilii hujus Antistites in his Sacerdotibus reprehendunt? An quod azymum panem non consecrarent? Minime gentium. Atqui hoc ante omnia redargui oportuit, si azyma requirebantur: quia panes ipsorum usibus præparati quos immolabant, azymi non erant, sed fermentati. Quo ergo nomine reprehenduntur? quia panes hi quibus utebantur, nitidi non erant nec studio in eam rem parati, quod consuetudo poscebat. Porro cum æra DCC XXXI, hoc est anno Christi DC XCIII, celebratum hoc Concilium titulus doceat; quis hinc confici non videt, Latinam Ecclesiam ad id saltem usque tempus azymis abstinuisse?*

Hoc Achilleum est Sirmondi argumentum, ex quo si conficitur id quod intendit; eadem ego quoque ratione conficiam, initio sæculi XII etiam Latinos, saltem in Gallia, azymis abstinuisse. Hoc argumentum deduco ex epistola 44 Hildeberti Cenomannensis Episcopi ad Andegavensem, in qua scribit se ad prædictum Episcopum remittere Sacerdotem latorem epistolæ, qui *dum sacris altaribus ministraturus in hoc præparatum panem non invenerat, de communi pane obtulerat sacrificium. Qua in re*, inquit Hildebertus, *licet potius consuetudo quàm Fides impugnetur, nos tamen nonnullam in eo culpam attendimus, arbitrantes gravius puniendum esse Ecclesiæ scandalum quam delictum.* Quid hoc tandem est, ut Sirmondi verbis utar, quod Hildebertus in hoc Sacerdote reprehendit? An quòd azymum panem non consecrasset? minimè gentium. Quo ergo nomine eum reprehendit? nempe quòd non *de pane ad hoc præparato*, sed *de communi* sacrificium obtulerat. eum ad modum quo Patres Toletani reprehendunt Sacerdotes Hispanicos, quòd de *panibus* non *studio præparatis*, *nitidis ac mundis*, sed de *panibus suis usibus præparatis* oblationem facerent. Concedat ergo Sirmondus necesse est, aut Canonem Concilii Toletani de pane azymo interpretandum esse, sicut epistolam Hildeberti: aut si prædictum canonem de fermento pane explicare pergat, consequens est ratio, ut etiam Hildeberti epistolam de fermento intelligendam esse fateatur. Quod cùm neque Sirmondus ipse, nec quivis alius fateri possit; neque etiam ex Concilii Toletani verbis conficitur, fermentatum panem in usu tum fuisse, sed potius azymum. Hactenus de Canone Toletano.

Posttemò panis sacrificio deputatus, quem integrum esse oportebat, in modum coronæ compositus erat; non decerpto frusto per modum cotollæ, ut apud Græcos; sed factâ integrâ oblatâ, quæ rotunda erat. Quæ circumstantia si cum prædictis omnibus simul comparetur, oblatarum nostrarum recentiorum formam pæne ob oculos repræsentant. Atqui Gregorius Magnus loquendo de pane sacrificii, *oblationum coronas* vocat in libro 4 Dialogorum cap. 55. Et Isu Sancti-Gallensis Monachus in lib. 1. de miraculis sancti Othmari cap. 3 agens de elevatione corporis ejusdem Sancti, quæ anno DCCC XLIV facta est post annos centum & quinque ab ejus obitu: *Sub capite*, inquit, *& circa pectus viri Dei quædam panis rotula quæ vulgo oblatæ dicuntur, ita illæsa atque ab omni corruptione extranea ab eodem Episcopo inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem vel speciem sui amittentes, adspicientium oculis infra spatium ipsius hebdomadæ viderentur esse confectæ. Quo vero ordine, quove tempore eo loci pervenerint, nobis quidem incognitum, Deo autem manifestum. Hoc tamen omnes pro certo scimus, quod per triginta quinque annos nullus mortalium ejus sepulcrum aperuit, antequam præsens Episcopus ministerii sui fretus auctoritate, ejusdem Congregationis Fratribus hoc faciendum injunxit. Idem tamen Episcopus venerabiliter eas assumens, sa-*

cro corpori apposuit, ipsumque corpus cum summa cautela obvolutum in theca honorifice commendavit. Hunc locum fusius retuli, tum quia insignis est in præsentem materiam, tum ut haberem occasionem observandi id quod Iso ignorasse videtur, nempe morem fuisse aliquando, ut cum defuncti Sacerdotis corpore oblatæ unà cum aliis nonnumquam instrumentis vestibusque sacerdotalibus tumulo componerentur. Id colligo ex Anonymo quodam æquali in lib. 4. de vita S. Cuthberti Lindisfarnensis Episcopi; cujus Anonymi hæc verba sunt in libro 4. *A navigantibus in insulam nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario circumdato,* OBLATIS SUPER SANCTUM PECTUS POSITIS, *vestimentis sacerdotalibus indutus, in obviam Christi calciamentis suis preparatis, in sindone cerata curatus: animam habens cum Christo gaudentem, corpus incorruptibile, requiescens & quasi dormiens in sepulcro lapideo honorabiliter in Basilica deposuerunt.* Hæc apposite Anonymus, cujus verba hic relata, venerabili Bedæ perperam tribuit Amalarius. quæ maxime illustrant superiorem Isonis locum. Ad hæc Iso agens de alia sancti Othmari translatione post triennium facta, hæc de iisdem oblatis scribit in lib. 2. cap. 1. *Illas quoque oblatas, quas narratione superiori in ejus tumulo retulimus fuisse repertas, eatenus incorruptas, atque omnimodis illæsas perdurasse miratur, & quasdam ex eis involutas sacro itidem corpori superposuit: alias verò pyxide recondens, supervenientis temporibus pro sanctitatis ejus testimonio conservari præcepit.* Ex his duobus Isonis locis, ut ex Gregorio Magno & ex Canone 6 sæpe dicti Concilii Toletani intelligimus, tenues ac rotundas *rotularum* in morem fuisse oblatas ante annos mille. adeo ut forsan non satis considerate Ordinis Romani Expositor vetus apud Cassandrum plus æquo invehatur in formam oblatarum tenuissimarum, quæ suo tempore ad imaginem nummorum redactæ erant, quas per contemtum *minutias nummulariorum oblatarum* appellat, *indignas panis vocabulo* pro sua tenuitate, & à prisca Ecclesiæ consuetudine maximè diversas. Crediderim certè priscas oblationes non tam fuisse tenues quàm nostras recentiores, sed paullo crassiores instar *nebularum*, quas Udalricus ait ad usum communem fieri solitas: tametsi æquè ac nostræ intra ferrum characteratum coquebantur, ut in Præmonitu ad Opusculum Eldefonsi fusiùs explicabo. Quidquid sit; ex iis quæ toto hoc capite disputavi, non obscurè (si non fallor) conficitur, ante annos mille azymum in Ecclesia Latina usitatum, eamque persuasionem fuisse Patrum Toletanorum, numquam & nusquam apud Latinos contrarium usum extitisse.

At, inquis, hæc conjecturæ sunt. Nego meras esse conjecturas. Nam meo quidem judicio Synodi Toletanæ Patres non potuerunt apertiùs ob oculos ponere azymum panem, quàm describendo eo modo quem supra exposui. Et sint sanè meræ quas attuli conjecturæ; quid amplius quam conjecturæ pro fermentato afferuntur? Atqui conjecturæ, etsi utrubique sint æquales, longè tamen præstant in azymorum causa: quorum certè usus antiquus est, & initium post conditam Ecclesiam demonstrari non potest. Et sufficit ad probandam usitatæ rei antiquitatem refutare argumenta quæ proponuntur in contrarium. At verò ad probandum fermenti usum apud Latinos, non sufficiunt conjecturæ, sed vera, manifesta, ac necessaria argumenta proferenda sunt. Denique si ea quæ hactenus dixi, ad probandum id quod intendo non sufficiant; evincent, ut spero, quæ sequenti capite adducam.

CAPUT IX.

Morem hunc generali usu apud Latinos viguisse ante Photii dissidium.

AD demonstrandum azymorum generalem usum apud Latinos, nemo est qui exigere velit, ut singulas recenseamus Latinorum Ecclesias: sed satis esse puto, si vel id probetur de qualibet regione, vel talia proferantur argumenta, quæ id universim demonstrent. Utroque modo hoc in capite rem conficere conabor.

Principio Alcuini auctoritas non solum pro Britannia insula in qua natus est, atque pro Gallia in qua moratus, sed pro Romana, immo universali Ecclesia valet plurimum ad probandum azymorum usum universim suo tempore fuisse receptum ante omnem hominum memoriam. Locus est in epistola 69 editionis Chesnianæ, ubi Alcuinus, quem initio sæculi IX obiisse constat, Hispanos quosdam arguit censentes miscendum esse salem *in sacrificium*, id est in materiam panis eucharistici. *Quam consuetudinem*, inquit, *nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas.* Tum singillatim enumerat ea, quæ in sacrificium adhibere liceat. *Tria sunt,* inquit, *quæ in sacrificio offerenda sunt, panis & aqua & vinum.* Qualis panis? *Panis*, ait, *qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus.* Atqui fermentatus panis non est absque fermento *ullius alterius infectionis*, non est *mundissimus*. nam fermentum corruptionis effectum ac symbolum est, ut jam dixi. At quibus tandem rebus constare debet panis iste? *Ex aqua & farina*, inquit, *panis fit qui consecratur in corpus Christi.* Jam aliquot Patrum loca retuli quæ idem ferunt. At illud inter eos & Alcuinum discriminis interest, quòd Patres illi de pane Eucharistico loquuntur ad componendos Fidelium mores: Alcuinus verò agit hoc loco adversus corruptores panis sacri, qui res alienas in materiam sacrificii admiscebant. Erat proinde ejus muneris accuratè tradere modum & partes panis conficiendi. Cùm ergo panem duabus tantùm partibus constare dicat, *aqua* scilicet & *farina*, ab eoque removeat *omne fermentum ullius alterius infectionis*; eum fermenti expertem fuisse tunc temporis fateri necesse est.

Dices fermentum panis genus esse, satisque expressum aquæ & farinæ nomine, quibus utique constat. Concedo fermentum constare farina. at constat etiam aliena specie, quæ fermenti propria est, nempe ut ait Humbertus, aut spuma musti, aut cervisiæ fæce, aut lacte corrupto: quæ species ab Alcuino commemoranda erat, si tum in usu fuisset. Ad hæc, si aliquà ex his speciebus panis ille tunc constitisset, non potuisset dici *absque omni fermento ullius alterius infectionis mundissimus*, qualem exigit Alcuinus. Denique illud proprium est panis azymi, ut expers salis sit: at panis fermentati sacrificio deputari, ut cum sale. *Azyma (oblationes)* inquit Michaël Cerularius in epistola contra Latinos, *neque sal neque fermentum habent.* quod etiam Humbertus & Latini omnes in epistola Nicetæ Pectorati fatentur. At verò fermentatus panis Græcorum, teste Humberto in responsione ad Michaëlem, uti fatentur ipsi Græci, *quinque substantiarum particeps est, id est fermenti, farinæ, salis, aquæ & ignis.* Certè Græci tam severè ac rigidè salis commixtionem in pane Eucharistico exigunt, ut secus facientes diris supponant. Id patet tum ex formula renuntiationis, quam profitentur Armeni ad Græcorum socieata-

tem teversuri, tum ex Isaaco Catholico in invectiva contra Armenos. Neque dubitem quin Hispani illi quos arguit Alcuinus, salis miscendi commentum ex Græcis acceperint. quod etiam dicendum de Sacerdotibus illis, qui panes suis usibus præparatos offerebant, quos Patres Toletani reprehendunt.

Atque ut amplius constet Alcuinum eo loci exigere azymum panem, demonstrandum est etiam tum Hispanos azymum adhibuisse. Qua ergo de causa eos arguit Alcuinus? Nempe quod aliqui eorum salem in ipsum panem azymum immittebant. At quo, inquis, argumento constat azymorum usus apud Hispanos ante schisma Photianum? Certe Eldefonsi Hispanici Episcopi testimonio qui anno DCCC XLV de pondere & inscriptione panis eucharistici ex divina (ut præfert) revelatione agens, admittit eum infermentatum & intra ferrum coctum fuisse. Libellus iste quem suggerente V. C. Emerico Bigotio indicaveram in Observationibus meis, è MS. codice Bibliothecæ Vaticanæ exscribi curavit, mihique transmisit Eminentissimus Cardinalis Bona, qui nihil prætermisit, quo panis azymi in Ecclesia Latina antiquitas illustraretur. Libellus iste in apographo quod quingentorum annorum esse videtur, hunc habet titulum: REVELATIO QUÆ OSTENSA EST VENERABILI VIRO HISPANIENSI ELDEFONSO EPISCOPO IN SPIRITU SANCTO, IN MENSE SEPTIMO. Tum incipit. *Anno octingentesimo quadragesimo quinto incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI, calcatus iste, & sic mensura totum legerum ad nis, in rotundum panis azymi sic compositae.* Et sub finem: *In uno nempe ferro, tamen magno, possunt quinque simul hostiæ formari tali modo, ut major sit media.* Auctor ille etsi in re non necessaria revelationes adhibeat; tamen ejus temporis est quod præfert inscriptio, ut postea dicam in præmonitione ad editionem ejus opusculi, quod huic libello subjicere visum est. Tota verò ejus revelatio eo spectat, non ut azymum panem esse oportere, aut coquendum esse intra ferrum definiat; sed ut pondus, inscriptiones, & numerum hostiarum, quæ in qualibet festivitate offerendæ erant, majori cum auctoritate præcipiat. Patet igitur, ut ex hoc Auctore manifestum est, apud Hispanos usitatus panis infermentatus sæculo nono, isque intra ferrum coquebatur. Hinc etiam patet Alcuinum in præcitata epistola loqui de pane azymo, à quo salem removere jubet: cumque tum fuisse morem Romanæ & universalis Ecclesiæ.

Et certè Mozarabes, idest Hispani & Africani Arabibus permixti, (quod etiam dicendum de Gothis antiquioribus in Hispania degentibus) tametsi ritus peculiares habebant, nihilo minus *conficiebant Sacramentum altaris de pane azymo, quemadmodum alii Latini*, ut Jacobus à Vitriaco tradit in historiæ Occidentalis cap. 81, ubi hunc ritum apud ipsos eatenus perseverasse dicit. qui Auctor tametsi sæculo dumtaxat XIII vixerit, ejus tamen auctoritas hac in re spernenda non est, maxime cum Eldefonsi testimonio aliisque fulciatur. Cùm enim Mozarabes Hispani ritibus suis ita semper additi fuerint, ut cum sæculo XI agente per Legatos Gregorio Papa VII, favente Aldefonso Rege, Officium suum Ecclesiasticum Gallicano Romanove mutare compellerentur, non consenserint, nisi res duello dirimeretur, testante Roderico Toletano; credere par est azymorum hunc usum ab Auctoribus rituum Mozarabicorum descendisse, eumdemque apud Gothos viguisse ante adventum Arabum seu Maurorum in Hispaniam: unde & Gothicum Officium dictum est.

Horum Auctorem rituum Isidorum Hispalensem Episcopum præferunt editi libri, asseruntque fere Hispanici scriptores recentiores: quibus suffragatur Guitmundus in lib. 3 adversus Berengarium. *In quodam Missali Hispano*, inquit, *quod dicunt sanctum dictasse Isidorum &c.* & longè ante Guitmundum Elipandus Toletanus Episcopus in epistola ad Albinum seu Alcuinum, quamdam orationem in vigilia Paschæ eam fusitam *beato Isidoro* tribuit. Verùm idem Elipandus in superioribus Toletanos sanctos Patres agnoscit Missarum Mozarabicarum auctores. Qui sint illi Patres Toletani, explicant Hispaniarum Episcopi, aut forrè Elipandus ipse in libello quem confutant Patres Concilii Francofurtensis, in hæc verba: *Item Prædecessores nostri Eugenius, Hildefonsus, Julianus, Toletanæ sedis Antistites, in suis dogmatibus ita dixerunt in Missa de Cœna Domini &c.* Ex quibus intelligitur, non unum, sed plures, horum rituum & officiorum conditores; & quidem Isidorum amplificatorem fuisse. Porro si Bracarensis Metropolis eumdem ritus servabat atque Toletana; ritus illi, non quidem omnes, sed pleraque à Romana Ecclesia profecti erant, quos scilicet Profuturus Bracarensis Antistes Ecclesiæ suæ præscripserat, testante Concilio primo Bracarensi, quod anno DLXIII celebratum est, in Canone 4. *Item placuit ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum.* Hæc obiter de ritu Mozarabum, quos azymo pane ante sæculum nonum usos fuisse hactenus ostendi.

Idem etiam de Britannia insula patet, tum ex Alcuini epistola jam relata, qui hunc morem universalis Ecclesiæ suo tempore fuisse dicit, tum ex libello de miraculis sancti Wandregesili cap. ultimo superius jam delibato, ubi agitur de quadam femina transmarina, idest Anglicana, quæ à sancto Wandregesilo sanata, cum in vigilia Nativitatis Domini sodales suas sanctimoniales feminas rogitaret, *ut oblatas quas oblatura Domino in crastinum erat formarent, ignique eas appropinquare non audebat, decoquerent, & minime impetraret; accessit ad ignem, ferroque quo imprimenda ac decoquenda erant oblata arrepto, mox nervi ejus manus dextræ contracti sunt; ac Oblatorium quod sponte susceperat, in ista virgente divina retinait.* Id contigit anno DCCC XCI. Ex his patet oblatas tum coctas fuisse intra oblatorium seu ferramentum characteratum, (sic illud vocat Udalricus in lib. 3 cap. 13) ac proinde fermenti expertes fuisse. Neque enim umquam fermentum adhibetur in panibus illis qui hoc modo formantur. Et quidem hic mos usitatus tum erat non solum in Gallia, ubi id factum est, sed etiam in partibus transmarinis seu Anglicanis, unde mulier hæc recens advenerat. De pane azymo intelligendus videtur Egbertus sæculo VIII Eboracensis Episcopus, Alcuini præceptor, qui in Exceptionum suarum cap. 98 laudat probatque Canonem quem vocat Sanctorum in hæc verba: *Sacerdotes Dei diligenter procurent, ut panis & vinum & aqua, sine quibus nequaquam Missæ celebrantur, pura & munda fiant.* Ubi *panis puri* nomine azymum intelligi puto. Certe Auctores Canonum qui sub Eadgaro Rege anno DCCCC LXVII (quo tempore azymorum usus vigebat) conditi sunt, non alio vocabulo panem azymum explicant Canone 39. *Docemus etiam, ut ne vel umquam Sacerdos adeo temerarius sit ut Missam celebret, nisi omnia habeat ad Eucharistiam pertinentia, scilicet oblationem puram, vinum purum & aquam puram.* Hæc de Anglia.

Eamdem traditionem saltem pro Germania comprobat HRabanus Moguntinus Archiepiscopus, Alcuini discipulus, qui biennio ante Photium intrusum, hoc est anno DCCCLVI è vivis excessit. Is enim in lib. 1 de Ecclesiasticis Officiis cap. 31 declarat pa-

nem sacrificii azymum esse oportere. Namque relato Levitici loco, qui panem veteris sacrificii sine fermento esse præcipit; & Christi exemplo, qui ejusmodi panem in cœna adhibuit, sic infert. *Ergo panem infermentatum & vinum aqua mistum in sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet.* Ita HRabanus in libris cùm editis, tum manoscriptis, ut fidem faciunt exemplaria duo Bibliothecæ Regis Christianissimi, quorum unum est annorum fere sexcentorum, alterum octingentorum. Porro hoc testimonio luculentius nullum in præsentem controversiam afferri potest. Duo sunt in præmisso testimonio, ratio scilicet & auctoritas. Ratione azimorum necessitatem probare videtur HRabanus: ejus verò auctoritas de ritu sui temporis testimonium reddit. HRabani rationem nihil moror: una mihi sufficit auctoritas, ex qua evidenter conficitur, qualis eo tempore fuerit panis sacrificii, id est infermentatus.

Neque dici potest, HRabani testimonium valere solùm pro Germanis, in qua receptus erat eo tempore azymorum usus. HRabanus siquidem in præfatione istius operis pollicetur acturum se *de Officio Missæ secundum morem Romanæ Ecclesiæ.* Et in lib. 1 cap. 33, relatis omnibus rei sacræ ritibus, postquam de azymorum usu egerat hæc subdit: *Istum ergo Ordinem ab Apostolis & Apostolicis viris traditum Romana tenet Ecclesia, & per totum pæne Occidentem omnes Ecclesiæ eumdem traditionem servant.* Ex quibus manifestum esse puto, azymos non tantùm in Germania, sed etiam *in Ecclesia Romana & per totum pæne Occidentem* in usu fuisse anno DCCCXIX, quo istud opus conditum est. neque recens fuisse inventum, sed id *ab Apostolis & ab Apostolicis viris* creditum permanasse.

Jam de azymorum usu ante sæculum nonum receptores constat de Hispania, Anglia, Germania & Romana Ecclesia speciatim, & universim de toto pæne Occidente: superest ut id etiam singularibus argumentis probem de Gallia: tametsi quæ superiùs tum ex Alcuino, tum ex facto mulieris Anglicanæ in Gallia constitutæ retuli, ad id evincendum sufficiunt. Unum argumentum mihi suppeditat Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis, HRabani qualis. Is in libro de corpore & sanguine Domini cap. 20 Sacrificii partes explicat refertque ad componendos mores in hunc modum. *Hæc igitur conspersio de multis granis fecit unum corpus, corpus inquam, sinceritatis & veritatis: si tamen sumus azymi, id est absque fermento malitiæ & nequitiæ, ut digni panem de hac aqua conspersum accipere possimus .... Idcirco, ô homo, serva conspersionem gratiæ: quia licet triticum sis, nisi doctrina & virtute Spiritus sancti ad hanc unitatem & conspersionem fueris bene in farinam attenuatus; deinde conspersus gratiæ, & igne caritatis excoctus; non poteris ad soliditatem fidei firmari.* In his notandum primò est, panem Eucharisticum vocari *conspersionem*, & *panem aqua conspersum.* Deinde enumerando partes quibus panis ille constat, mentionem fieri tantùm farinæ, aquæ & coctionis, excluso etiam fermento. Et certè vocabula, *conspersio* & *conspersum*, massam farinæ expertem fermenti significant. Testis est Haimo Halberstadensis Episcopus in caput 5 epistolæ primæ ad Corinthios, cum scribit Filios Israël egressus de Ægypto non detulisse inde *fermentatam farinam, sed tantummodo conspersam.* Et Johannes Genuensis in Catholico: *Conspersio est farina per aquam conglutinata sine fermento.* Denique ante hos duos Gregorius Turonensis Episcopus in lib. 1 de gloria Martyrum cap. 86. *Mulier conspersâ Dominicâ die farinâ panem formavit, quem segregatis prunis cinere ferventi contexit decoquendum.* Id placentæ infermentatæ genus: quale à Latinis in sacrificium adhiberi falsò calumniatus est Michaël Cerularius.

Agmen claudet Amalarius, qui in lib. 3 de Ecclesiasticis Officiis cap. 24, relato Cypriani loco, *ut in Sacrificio Missæ eadem quæ Dominus fecit, & ipsi faciamus*; hæc subdit. *Quamvis hoc ille de commistione vini & aquæ concinnasset, tamen de tota institutione Dominica intelligere possumus adimplendum: in quo summum mandatum est & Apostolorum observatio.* Hæc sine dubio intellexit Amalarius, non de tempore factæ cœnæ, non de cœna præmissa ante Eucharistiæ institutionem, non denique de esu agni: sed de pane sacrificii, quem ejusdem generis atque eum quo Christus usus in cœna est, adhibendum esse censet, id est infermentatum.

Hæc argumenta, quæ toto præsenti capite adduxi ad probandum generalem azymorum usum apud Latinos, omnes veritatis numeros habere mihi videntur: tum quia desumta sunt ab Auctoribus fide dignis, ut pote doctis & ejusdem ætatis: tum quia clara, perspicua, atque necessaria videntur ad evincendum id quod intendo. Si verò ex his generalem apud Latinos azymorum usum ante schisma Photianum probari concedatur; concedi etiam necesse est, eumdem usum tum creditum fuisse necessarium, ab Apostolis Apostolicisve viris profectum; ac proinde receptum ante omnem hominum illius temporis memoriam. Præter ea si eadem fuit Patrum Toletanorum persuasio sæculo septimo desinente, fatendum est morem hunc aut ab ipsis, aut prope ab ipsis Apostolorum temporibus ad ea tempora promanasse: nisi talia proferantur in contrarium argumenta, quæ fermenti usum aliquando in Ecclesia Latina viguisse manifestè ac necessariò conficiant.

CAPUT X.

Expenduntur argumenta pro usu fermenti apud Latinos.

PRIMUM ex eo sumitur, quòd Eucharistia primis atque etiam subsequentibus Ecclesiæ sæculis ex populi oblationibus consecrabatur apud Latinos. Nam certum videri, populum non azymos panes, sed communes & usitatos, id est fermento de more temperatos, obtulisse.

At quid vetat Fideles ex præscripto Ecclesiæ, & consuetudine docente confecisse atque obtulisse panes infermentatos? Sanè id factum posterioribus sæculis, quibus azymorum usus certò vigebat, probat exemplum illius feminæ Anglicanæ superiùs memoratæ, quæ in oblatorio seu ferramento characterato coquere voluit oblatas infermentatas, *quas oblatura Domino in crastinum erat.* Et Armoricanæ mulieres communicaturæ hactenus suam quæque oblatam azymam offerunt teste Sirmondo. quod singulis diebus actitabant Cluniacenses ex Udalrico lib. 2 cap. 30. Priscum illum offerendi morem in sollemnibus sacris hodie quoque repræsentat major Ecclesia Mediolanensis, quæ ritus peculiares hactenus retinet non minus antiquitate, quàm religiosa pompa insignes. In ea siquidem viri totidemque matronæ provectæ ætatis (*Veloaes & Veglonissæ* appellant) ab Archiepiscopo instituti, sacrificii materiam offerre solent hoc modo. Oblationis tempore instante procedunt Veglones duo aliis succedentibus, antiquo more induti, deferentes hostias tres & vasculum vini: quæ, chorum ingressi, Sacerdoti my-

steria celebranti offerunt. Idem præstant Veglonissæ tem duæ cum veteri matronarum apparatu, aliis comitantibus, extra chori cancellos consistentes: ubi eamdem oblationem ab eis accipit Sacerdos Missam celebrans; aut certè Archipresbyter, si Pontifex sacris operetur. Hi decem viri, totidemque matronæ totam civitatem repræsentant, & funguntur officio, quod olim toti populo incumbebat, ut legitur in Cæremoniali Ambrosiano, quod Fredericus Cardinalis Borromæus & Mediolanensis Archiepiscopus ex antiquis ejus Ecclesiæ ritibus adornari curavit. Atqui ejusmodi hostiæ, quas ex vetusto ritu offerunt Mediolanenses, fermenti expertes sunt. Quidni ergo tam facile promtumque fuit antiquis Christianis offerre panes azymos, quos vel ipsi parassent, vel ab aliis paratos accepissent? Certè longe ante Concilium XVI Toletanum panis sacrificii *studio præparatus* esse debebat, id est piis quibusdam ritibus & cæremoniis. Quidni ergo azymus confici poterat, si id modò poscebat mos & consuetudo Ecclesiæ? cum videamus id nostra ætate rectè fieri ab operis pretio conductis.

Nec obstat quod Cyprianus in libro de opere & eleemosynis divitem feminam, quæ *Sacrificium*, id est hostiam non obtulerat, graviter increpat his verbis: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis?* Hoc, inquam, nihil obstat. aut enim de oblatione quæ fiebat ad convivium institutum post Eucharistiæ perceptionem intelligendum est (agapas appellant;) aut si de pane Eucharistico; id magis pro pane studiosè confecto seu azymo juvat, quàm pro communi ac fermentato. Nam si panis communis & usitatus in rem sacram adhibitus fuisset, vix concipi potest commissurum fuisse quemquam, ut ad mensam Domini sine oblatione sua accederet. Facile quippe & obvium erat, aut panem communem integrum, qui nunquam in ædibus divitum deest; aut certè frustum ex eo accipere in oblationem. At quia panis Eucharisticus religiosis quibusdam ritibus ac studio præparatus esse debebat, hinc facile contingere potuit, ut divites incuriâ parandi ejusmodi panis non haberent aliquando quem offerrent; communicarentque ex pane quem pauperes obtulissent. Eadem hæc responsio valet ad locum Auctoris incerti ex sermone qui 215 numeratur inter Augustinianos, ubi ait. *Oblationes quæ in altario consecrentur offerte. Erubescere debet homo idoneus si de aliena oblatione communicaverit.*

Quapropter observandum est, integras hostiarum formulas, quales scilicet in ferro characterato pro quinque scave hostiis imprimebantur, non rarò à singulis Fidelium oblatas fuisse: quæ non singulæ pro singulis communicandorum, sed pro numero eorum integræ etiam nonnumquam consecrabantur. Id colligere mihi videor tum ex Ordine Romano, tum ex Humberto Cardinali, tum ex more usitato in consecratione Episcoporum, Sacerdotum, ac Virginum. In Ordine quippe Romano præcipitur, ut Archidiaconus accipiens oblatas, quas scilicet Fideles obtulerant, *tantas super altare ponat, quanta possint populo sufficere.* Tum facta consecratione, ubi tempus communionis instat, *Acolythi parant sinus sacculorum Archidiacono ad ponendas oblationes:* quas deinde *frangunt*: ut sua cuique portio ex integris hostiarum formulis habeatur. Ideo autem in sacculis franguntur, ne micæ seu particulæ inter frangendum in terram aut in locum minus decentem deciderent. Idipsum apertè declarat Humbertus in responsione ad Michaëlem. *Tenues*, inquit, *oblatas ex simila, integras & sanas, sacris altaribus nos quoque superponimus: & ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamus.* Denique in consecratione Episcoporum, Sacerdotum, ac Virginum, una oblatæ formula consecrata in plures dies præbebatur: nempe Episcopo & Sacerdoti in dies quadraginta, ut de Episcopis constat ex Ordine Romano, & de Presbyteris ex epistola secunda Fulberti Carnutensis Episcopi ad Finardum; aut certè Sacerdoti in dies octo, ex Ordine Romano; itidemque Virgini recens consecratæ, ut in MS. Pontificali Bibliothecæ nostræ Remigianæ apud Remos legitur in hæc verba: *Virginem Episcopo parentes cum oblatione offerant, & ille involutam manum ejus in palla altaris recipiat .... Postquam communicaverint, reservent de ipsa communione in diem octavum, & tunc communicent.* Legendum forsan *in dies octo.* Nam Presbyteri quotidie decidebant ex reservata oblatione particulam, ex qua communicabant, teste Fulberto in epistola jam memorata, quæ in MS. codicibus *Einardo*, mendosè in editis *Finardo* inscribitur.

Quid ergo, inquis, fiebat ex aliis oblatis quæ non consecrabantur? siquidem singulas formulas offerebant, quarum una pluribus sufficiebat. Respondet Auctor libri de Ordine Romano *Apportanto Archidiacono oblatas in patena à nullo immolatas, accipiunt ex illis, quantum sibi sufficere videtur: & alias Archidiacono restituat, quas ille Custodi Ecclesiæ ad observandum committit.* Postea verò usui erant, si quando nemine offerente Missa celebranda erat, quod maximè fiebat diebus privatis; aut in eulogias benedicebantur: quod quotidie apud Monachos actitabatur. Certè non singulis diebus, sed *Dominicis* tantum oblationes à viris & mulieribus faciendas exigit Concilium Matisconense cap. 4, quod anno DLXXXV celebratum est. Denique non offerebant omnes, saltem Hincmari tempore, sed tantùm familiæ cujusque capita, ex Hincmaro infra.

Oppones ministros Ecclesiæ, viduas, pauperes & egenos, quos matricularios vocabant, ex reliquis oblationum alitos: ac proinde usitatum ac fermento temperatum panem oblatum fuisse.

Ad hoc repono duplicem antiquitus in Ecclesia factam oblationem, unam ante Missam, aut ante Evangelium; alteram post lectum Evangelium: ad Offertorium, ut vocamus. In prima offerebant Fideles panem, vinum, ceram, & aliud quodcumque in supplementum Sacerdotum, viduarum, pauperum & egenorum: in altera panem & vinum ad consecrationem. Hunc locum egregiè illustrat Hincmarus Remensis in Capitularis primi articulo XVI. *Qui candelam offerre voluerit, sive specialiter, sive generaliter; aut ante Missam, aut inter Missam, antequam Evangelium legatur, ad altare deferat. Ad oblationem autem unam tantummodo oblatam & offertorium pro se suisque omnibus conjunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit, in butticula vel canna, aut plures oblatas; aut ante Missam, aut post Missam Presbytero vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel Presbyter supplementum aliquod habeat.* Præterea panem communem à Fidelibus offerri solitum disertè etiam ab oblatis consecrandis distinguit Concilium Namnetense, cum statuit cap. 9, *ut de oblationibus quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt; vel de panibus quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido: ut post Missarum sollemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico & in diebus festis exinde accipiant.* Erat ergo

n us

alius panis oblatus ad consecrationem, alius *ad Ecclesiam*, id est ad alendos Ecclesiæ ministros. Ex alterutro fiebant eulogiæ, qui panis benedictus modò appellatur. Lege sic Capitulare primum Hincmari articulo 7, & Consuetudines Cluniacenses in lib. a cap. 30, ubi præscribitur, *ut in privatis diebus hostia non consecrata portentur in refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt distribuantur.* nempe illæ ipsæ, quæ etiam à non communicaturis oblatæ fuerant in Missa sollemni: in qua tametsi omnes singulis diebus offerebant, tres tantùm hostias diebus ferialibus pro communicaturis ex alterutro vicissim choro consecrari mos erat, Dominicis quinque.

Aliud objectum petitur ex Epiphanio in hæresi 30, ubi notat Ebionæos, quòd δι' ἀζύμων, id est panibus azymis mysteria celebrarent.

Hæc objectio prima fronte mihi aliquando validissima visa est: ast integrum locum legenti non ita. Epiphanii hæc verba sunt. Μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου. id est, *Mysteria verò scilicet perficiunt ex imitatione sanctorum qui sunt in Ecclesia quot annis in azymis: alteram autem mysterii partem in aqua sola.* Ex illis verbis non injuria quis hoc modo argumentari poterit. Epiphanius probare videtur Ebionæos in eo, quòd Sacrificium offerebant quotannis in azymis ex imitatione Ecclesiæ saltem Latinæ: eos verò hoc tantum nomine arguit isto loco, quòd pro altera Sacrificii parte aquam solam adhiberent. Ergo eo tempore Ecclesia ex pane azymo sacrificium conficiebat. Certè interpretatio hæc Epiphanii verbis nullam affert vim, quin immo ipsius menti consentanea esse videtur: cùm eorum morem laudet ob Ecclesiæ imitationem, quam in offerendis azymis sitam esse non immeritò quis contendat. Accedit quòd Epiphanius qui errores fere omnes quos recenset, impugnare solet; Encraticas quidem qui aquâ solâ in re sacra utebantur, refutat: nusquam verò azymorum usum reprehendit. Et sanè quis putet Epiphanium erroris damnasse Ebionæus ob usum azymorum in mysterio sacro-sancto, quod in azymis à Christo Domino institutum fuisse confitetur, ut superius præmissum est.

Unum hic remoram injicit, quod scilicet Epiphanius ipse in hæresi 46 Tatiani errores enumerans ait, eum instituisse mysteria quædam κατὰ μίμησιν τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, *ad Ecclesiæ sanctæ imitationem*; sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuisse. Ubi patet Ecclesiæ imitationem non rem oblatam, sed oblationem ipsam respicere. quod etiam dicendum de priori testimonio.

Et quidem hoc argumento rectè colligitur, ex priori illo Epiphanii loco nihil certi confici posse pro usu azymorum: & ego de industria illinc illum non retuli in superioribus, ubi actum est de fermento Græcorum. Sed tamen hinc non evincitur, Epiphanium statuere utrobique Ecclesiæ imitationem in ipsa oblatione, non in re oblata. Nam imitationem magis expressam agnovisse potuit in Ebionæis, quàm in Tatiano. Præter ea, etiamsi azymorum usum non referat ad imitationem Ecclesiæ, non tamen inde certò eruitur eum usum ab ipso inter errores deputari: maximè cùm, ut jam dixi, agnoscat Epiphanius Eucharistiam primitus in azymis à Christo institutam. Fac enim Græcos fermentatum panem in rem sacram tum adhibuisse, Latinos verò infermentatum. Certè Epiphanius non retulisset azymorum usum ad imitationem Ecclesiæ universæ: siquidem Græca fermentatum panem adhibuisset. nec tamen erroris damnaturus esset usum azymorum, quem in Latinis non improbasset. Ad hæc, si erroris arguit Ebionæos quòd azymis uterentur; ideo istud fecit, quòd azymum adhiberent eo animo, ut Legalia cum Evangelio servari oportere traderent. Uno verbo, si nihil facit pro azymorum usu prior ille locus, certè non magis favet fermentato: sed rem in medio relinquit, quæ proinde aliis argumentis dirimenda est.

Ad extremum ut rem paucis tandem conficiam, probato Græcos eisque adhærentes Ecclesias fermento, Latinos verò azymis ab initio usos fuisse; admisso etiam Ebionæos ab Epiphanio notatos, quòd in sacris azymum adhiberent: Respondeo Ebionæos ab Epiphanio reprehensos, non quòd censeret Epiphanius cuivis Ecclesiæ azymo uti non licere: sed quòd Ebionæi cum essent Græcanicæ communionis, eo uterentur præter morem suæ societatis. Pari enim jure si qui modò Latinorum fermentum azymo in re sacra præferrent, à Latinis arguerentur, non quasi Græcorum fermentum reprobet Latina Ecclesia; sed quòd Latinis hominibus nefas sit morem Latinum in re sacra violare. Responsio hæc aptari etiam potest Armenis, quibus eamdem ob causam sanctus Nicon azymorum usum sæculo decimo exprobravit.

Tertium momentum pro fermentato desumitur ex lib. 4. Ambrosii de Sacramentis cap. 4. *Tu forte dicis. Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Ex quo Sirmondus arguit: *Nempe qui usitatum mensisque quotidianis usurpatum panem dicit, azymum haud dubiè non significat.*

At neque fermentatum. Etenim *usitatum* panem vocat Ambrosius, non quatenus azymo, sed quatenus consecrato, id est corpori Christi opponitur, ut lectio verborum ipsa persuadet.

Porro azymus panis etiam communis seu usitatus dici potest, cum ejusdem materiæ sit cum pane fermentato. Certè Rupertus Abbas Tuitiensis in lib. 3 de Spiritus-sancti operibus cap 21, eodem fere modo, quo supra Ambrosius, loquitur de pane azymo, quem Christus in ultima cœna consecravit. *Panem*, inquit, *communem accepit: sed benedicendo longe in aliud quàm fuerat transmutavit.* En panis *communis* dicitur à Ruperto is, quo Christus in ultima cœna usus est: qui sine dubio in Ruperti sententia fuit infermentatus.

Quartum argumentum ex canone sexto Concilii xvi. Toletani petitum, non modò nihil pro usu fermenti, sed maxime pro azymo valere superius ostendi.

Quintum suppeditant Melchiadis, Siricii & Innocentii Romanorum Pontificum decreta. De Melchiade hæc in ejus vita leguntur. *Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Et de Siricio. *Hic constituit ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci susciperet declaratum quod nominatur fermentum.* Innocentius denique in epistola ad Decentium ita scribit cap. 5. *De fermento quod die Dominico per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostra intra Civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione maximè illa die non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta: nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam.*

De hoc fermento variæ sunt sententiæ, aliis Eucharistiam esse negantibus, probantibus aliis. Baronio non assentior qui Eucharistiam esse negat, sed tantùm eulogias in signum mutuæ communionis à Pontifice missas. Nam fermentum istud & *panis consecratus*, & *Sacramentum* dicitur; & solis Presbyteris ejus conficiendi jus atque licentia tribuitur. Denique *panis consecratus* dicitur: quo nomine Eucharistia vocatur à Justino in Apologia prima, ab Irenæo citato apud Eusebium in lib. 5 cap. 24, tum in libro 5 contra hæreses cap. 11, & apud Clementem Alexandrinum in Stromate primo pag. 117, uti Henricus Valesius vir clarissimus in Eusebium adnotavit. Et quidem Eucharistiam in signum Ecclesiasticæ communionis antiquitus mitti solitam, testes sunt Justinus in Apologia prima. Eusebius in lib. 5 cap. 24. tametsi id fieri per Paschalia festa vetuit Laodiceni Concilii canon 14. Nec quemquam movere debet, quòd per Acolythum Eucharistia transmitti dicatur: cum per puerum ad Serapionem senem directa perhibeatur apud Eusebium lib. 6 cap. 44. Duplicem verò ob causam Pontifex per titulos Urbis Eucharistiam mittebat, nempe in signum tum auctoritatis, tum Ecclesiasticæ communionis. Ignatius Antiochenus Episcopus in epistola ad Smyrnæos ratam jubet Eucharistiam haberi, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Et Leo Magnus in epistola ad Galliæ & Germaniæ Episcopos, ait non licere Episcopo præsente, nisi ipsius jussu, Sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere. Itaque Pontifex ut testaretur se Presbyteris titulorum urbis Romæ potestatem facere Eucharistiæ conficiendæ, Eucharistiam ipse mittebat, quæ etiam symbolum mutuæ unionis erat. Id à Melchiade & Siricio sancitum dicitur, explicatum ab Innocentio. Postea loco Eucharistiæ missæ sunt eulogiæ seu oblatæ inconsecratæ. Hinc in vita Johannis Papæ tertii constitutum legitur, *ut oblationes & amula vel luminaria in cœmeteriis per omnes Dominicas de Laterans ministrarentur.* & in vita Gregorii tertii, *ut oblationes de Patriarchio per Oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas.* oblationes inquam panis & vini. quales Gregorius Secundus Ecclesiæ S. Pauli quotidie mitti constituit. Verùm etiamsi Pontifex Eucharistiam mittebat ad titulos Urbis, aliam tamen Presbyteri sine dubio consecrabant. Nam & Missas celebrabant; & ut sibi id liceret per Pontificem, eucharistia mittebatur. tum verò ex utraque oblatione, & ea ea scilicet quæ à Pontifice, & ea ea quæ ab ipsis consecrata erat, Presbyter & populus communicabant. Simile quid faciebant Presbyteri recens ordinati, qui Eucharistiâ de manu Episcopi die Ordinationis suæ acceptâ in dies quadraginta reficiebantur: & tamen Missam quotidie celebrare poterant, & Eucharistiam à se consecratam simul percipere, teste Fulberto Carnutensi Episcopo in epistola 2 ad Einardum.

Sed ut ad fermentum Melchiadis aliorumque Pontificum revertar, cur hoc nomine Eucharistia dicta sit inquirimus. Sirmondus, tametsi locus pro fermenti usu, quem asserere volebat, facere videbatur, ita dictam probat, non quòd ea fermentatò pane constaret; sed quòd ipsa quocumque ex pane fieret, Ecclesiis ad quas mittebatur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicuti fermentum massæ cui commiscetur. Et quidem si bene perpendantur verba relata ex vita Melchiadis & Siricii, tantum abest ut Eucharistia dicta videatur fermentum ex eo quòd fermento constaret, ut contrà hoc nomen ei adsciticium, & aliunde quàm ab ipsa re petitum esse appareat. De Melchiade legitur: *Hic fecit ut oblationes consecrata per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* In Siricio, *quod nominatur fermentum.* Mihi verò legenti hæc verba, *quod declaratur, quod nominatur fermentum*; statim subiit cogitatio extraneum hoc esse vocabulum, non ab ipsa rei substantia petitum. Certè mihi persuasum est nihil certi inde confici posse pro fermento.

At inquis, Si panis azymus fuisset, cur contraria appellatione dictus esset fermentum? Non facilis responsio, ubi vocabulorum, cur una quæque res ita appellata sit, causas explicare incumbit. Unam rationem sanè perquam probabilem attulit Sirmondus. Ego verò Eucharistiam etiam hoc vocabulo appellatam puto, ut nomine obscuro profanis celaretur tantum mysterium. Nam per ea tempora mos erat Patribus, ut non nisi obscuris verbis Eucharistiam exprimerent. Notum id ex Augustino passim Theodorito in Dialogo Eranistæ, & aliis. Hinc ergo factum puto, ut Melchiades, Siricius & Innocentius adscititio fermenti nomine Eucharistiam designaverint, ne rem sacram gentilibus propalare viderentur. Accedit quòd Cæsarius Græcus parabolam fermenti de Eucharistia interpretatur, non sensu litterali sed morali, in Dialogo his verbis: *Quod si aliter dicta audire placet, fermentum intelligatur venerandum & divinum corpus Dei, quod in utero intacta virginis Mariæ sibi circumdandum formavit, absque semine contextus, & unitus tam animæ quam corpori.* Quid si ob hanc similemve rationem prædicti Pontifices Eucharistiam fermenti nomine donaverint, non habita ratione materiæ, sed corporis Christi in sensu morali? Adderem etiam panem azymum Latinorum à Niceta pectorato vocari ἄζυμον ζύμην, *azymum fermentum*, nisi id exprobrando & subsannando dixisse videretur.

Sextum pro fermento momentum desumitur ex silentio Photii, qui cum criminandi Latinos in omnibus, in quibus à Græcorum moribus ac ritibus discrepabant, occasiones corrogaret omnes, numquam tamen azymorum usum objecit: quam objectionem si usus ille tum viguisset, non videtur omissurus fuisse. Et certè eam non omisisse Græcos recentiores qui pontificatu Leonis Papæ noni dissidium conflarunt cum Ecclesia Romana. Id argumento esse azymorum usum medio illo, quod inter utrumque schisma effluxit, intervallo apud Latinos incœpisse.

Ad hæc respondeo, Photium Latinis non objecisse azymorum usum, propterea quòd eum morem ex Christi exemplo profectum esse docuerat Johannes Chrysostomus, persuasumque habebat suo tempore Ecclesia etiam Græca, ut ipse fatetur in Bibliothecæ cap. 116, ut superius retuli. Deinde ipsum non exprobrasse Latinis, quòd Alleluia non canerent in Quadragesima; nec Monachis Occidentalibus vitio vertisse, quòd infirmi carnibus vescerentur ex concessu Regulæ Sancti Benedicti; quòd feminalia in itinere constituti gestarent. quæ omnia Latinis tempore Leonis noni objecta sunt à Græcis. Denique Photium multa id genus alia omisisse, in quibus tum Latini à Græcis discrepabant. qualis erat tonsura capitis, (tametsi de menti detonsione vitiligavit.) qualis erat manuum impositio in Confirmatione, interdictum baptizandi in Epiphania, & alia ejusmodi, quæ Photius prudens dissimulavit. Ceterùm nihil penitus efficit Photii silentium adversus certa ac necessaria argumenta, quibus azymorum usum generalem apud Latinos ante Photium viguisse demonstravi.

Ultimum argumentum inde petitur, quòd ante Photii ætatem nulla de azymorum usu lex condita legitur. Hoc argumentum cum Demetrio Choma-

teno Bulgariæ Archiepiscopo in responsis ad Episcopum Dyrrachii, urget Sirmondus in Disquisitionis cap. 3.

At si hoc argumentum quid efficeret, probaret utique azymos panes in re sacra non fuisse adhibitos etiam post schisma Photianum. Nullum enim, si bene memini, sive de abjiciendo fermento, seu de azymis recipiendis decretum, constitutio nulla, nullusve canon post illud tempus invenitur ante dissidium Michaelis Cerularii, cujus tempore universim azymorum usus vigebat in Ecclesia Latina. Atqui cum ejus rei nulla extet lex neque ante, neque post Photium ante Michaelis ætatem, dicendum est morem istum ab ipso Latinæ Ecclesiæ exordio receptum fuisse. Et certe Græcis promtum fuisset Latinis exprobrare hujus rei novitatem, si usus iste tantum à schismate Photiano invaluisset. Nec porrò Leo Pontifex aliique Latini eo perfrictæ frontis, vel turpis ignorantiæ processissent, ut morem illum ab Apostolorum temporibus repetere ausi essent, si tam recens fuisset.

CAPUT XI.

Epilogus & conclusio præmissorum.

HActenus quidquid de antiquo usu azymorum apud Latinos observare licuit subsecivis horis, pro modulo meo exposui, nulli sententiæ pervicaciter addictus, sed solo veri agnoscendi & demonstrandi studio adductus. Si quid profeci, id totum supremæ Veritati tributum volo. Si quid incautè scribenti excidit, aut falsum, aut dubium pro vero obtrusum, cupio refelli. Potéram quidem longiùs progredi, si conjecturis plusculum indulgere voluissem: at ejusmodi inventis modum ponere satius mihi visum est, qui historico modo rem persequi principio institui. Reliquum est, ut brevi oratione colligam quod sparsim in superioribus fusiori modo explicavi.

Eucharistiam à Christo Domino in azymis institutam fuisse probavi: nec tamen ex ejus facto atque exemplo incumbere necessitatem consecrandi in azymis. Hinc & Græcos fermentato, & Latinos azymo ab initio Ecclesiæ uti potuisse, & quidem usos esse citra periculum necessitudinis Christianæ. *Nec enim nos offendit observantiæ diversitas, ubi Fidei non scinditur unitas*, inquit Fulbertus in epistola secunda.

De Apostolis nihil dico, propterea quòd, quid hanc in rem egerint, silet omnis antiquitas, si tamen excipias testimonia Leonis Papæ noni & aliorum sequacium, qui Latinum morem ab exemplo Petri & Pauli Apostolorum derivant. De aliis verò Apostolis nihil pronuntiant, quos certo pani in re sacra fuisse addictos non facilè conjicere poteris. Habes in superiori epistola eminentissimi Cardinalis Bona conjecturas ea de re admodum probabiles, quibus nihil addendum videtur.

Ab Apostolorum tempore constitui cœpit ecclesiastica Disciplina, cujus primarii auctores apud Latinos azymorum usum præcepisse non immeritò videntur. Ad hanc disciplinam sanciendam conditi sunt canones, quos vocamus Apostolorum, in quorum tertio decernitur: *Nihil aliud in sacrificio, præter id quod Dominus statuit, offerendum.* Quæ verba non sine fundamento etiam de azymorum usu explicari possunt: quandoquidem apud antiquiores illos Patres persuasum erat, Christum in Cœna azymum obtulisse.

Oppones probabile videri, Fideles tempore persecutionum (ut loquuntur) quæ primis illis sæculis grassabantur, fermentato pane usos in re sacra, qualis scilicet magis obvius erat. Sanè id vero non absimile prorsus est. Quamquam non ita difficilis paratu est azymus panis, ut vel confici non possit citra periculum vulgandi auctores; vel temporis illius Christianorum diligentiam ac pietatem superaverit. Certe Leo Papa IX testatur, Martyres nostros, id est Latinæ Ecclesiæ, azymis fuisse saginatos. Et multa alia longe difficiliora fiebant parabanturve illa tempestate, ut ritus pœnitentiæ publicæ, amplissimus Ecclesiæ thesaurus, aurea & argentea rei sacræ supellex, & cetera id genus non pauca. Denique etiam his nostris temporibus Latini Catholici qui apud infideles vel Hæreticos delitescere coguntur, tamen à parando in rem sacram azymo nullatenus deterrentur. Hæc de primis illis temporibus magis probabilia & verisimilia videntur, nullo quidem certo ac necessario argumento, sed conjecturis tantum fulta, in quibus sistendum putavi, dum certiora suppetant. Extat quidem locus pro azymo Latinorum in Sermone de Cœna Domini apud Auctorem libri de cardinalibus Christi operibus, qui liber sub nomine Cypriani vulgatus est. At Auctor iste recentior est, scilicet Ernaldus (ut certis constat argumentis) Abbas Bonævallis in agro Carnutensi, sancti Bernardi Abbatis Claræ-vallensis æqualis & amicus, totis nongentis annis Cypriano posterior.

Magis explorata sunt quæ de quarto & subsequentibus sæculis occurrunt. At verò certa & perspecta videntur ea, quæ de universali azymorum usu ante sæculum nonum apud Latinos recepto superiùs exposui: qui mos cùm ante omnem illius temporis hominum memoriam invaluisse creditus sit; fatendum est eum aut ab ipsis, aut prope ab ipsis Latinæ Ecclesiæ primordiis receptum fuisse.

Argumenta verò quæ pro fermento Latinorum adducuntur, etsi pro summorum virorum, qui ejus sententiæ auctores sunt, dignitate & gravitate magni apud me sint ponderis; non tamen adeò necessaria mihi videntur, ut id fateri nos cogant; nec certè validiora, quàm quæ à contrariæ sententiæ assertoribus reponi possint. Quapropter de primis illis sæculis remanet quidem plurimum obscuritatis, quæ dubitandi materiam præbere potest: at fermenti usum apud Latinos asserendi (quod cum bona contrà sentientium venia dictum velim) mihi sufficiens causa non videtur.



PRÆMONITUS

IN SEQUENS OPUSCULUM

ELDEFONSI.

ETSI non dubito, quin parum fidei apud nonnullos habitura sint Revelationis nomen ac modus tractandi rudis & mysticus, quibus Auctor usus est in Opusculo sequenti; non tamen visum est penitus rejiciendum, tum ob Auctoris iniquitatem, tum ob quasdam res singulares, quæ in eo explicantur; tum denique ob inopiam veterum Auctorum, qui de hoc argumento scripserint.

Antiquitatem probat annus Incarnationis DCCCXLV, quo Revelatio contigisse perhibetur. Confirmant ritus celebrandi Missas tres in Pascate, Pentecoste & transfiguratione; ac modus explicandi libræ pondus per vigenti & quinque solidos, qui mos ævo Caroli Magni apud Francos maxime usitatus erat. Auctoris verba sunt in fine Opusculi: Et trecenti tales nummi antiquam per vigenti & quinque solidos efficiunt libram. Huic expendendæ libræ rationi consonat id quod in Sinodo Aquisgranensi anni DCCCXVII statutum est capite 57 de libra panis, ut trigenta solidos penset antequam coquatur. sic enim præfert capituli inscriptio. tum sequitur contextus, ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur. Nempe uti libra numerica etiam nunc apud nostrates, ita olim ponderalis viginti assibus constabat. At verò quia propensam crudi panis libram Synodus Aquisgranensis definivit ad mentem Regulæ sancti Benedicti; hinc factum est, ut triginta solidos ad libram exigeret. Cur verò Eldefonsus viginti quinque solidos ad libram antiquam exigat, illud forsan in causa est, quòd libra tum Hispanica quindecim unciis constaret. Ex hac, inquam, computendæ per asses libræ ratione colligitur, Eldefonsum eo vixisse tempore, quod ipse designavit. Denique annos fere quingentos præfert membraneus codex Bibliothecæ Vaticanæ, ex quo sequens Opusculum exscribi curavit E. Cardinalis Bona, mihique liberaliter transmisit.

Cujus loci Episcopus fuerit Eldefonsus, mihi est incompertum. Ducentis ferme annis vixit post magnum Hildefonsum Pontificem Toletanum. Vacui sunt Hispaniensium Episcoporum indices apud Taonitum medio sæculo nono, quo Eldefonsus vixit, grassante nimirum vexatione Maurorum. Plurimos recenset Rudericus Toletanus Episcopus in historiæ lib. 4 cap. 18, qui post medium sæculum nonum dedicationi Ecclesiæ Ovetensis interfuerunt. at nullus inter eos Eldefonsus. Hæc de auctore.

Septem omnino sunt res, quæ in hoc Opusculo explicantur, nempe Hostiarum inscriptio, quantitas, numerus, pondus, rotunda figura, azymi qualitas, & coctio intra ferrum. Quatuor priores conditiones sub revelationem cadere videntur; non verò tres posteriores. Ex quo intelligitur, revelationem non eo spectare, ut induceretur azymorum usus: sed ut jam receptus, certis titulis, quantitate, numero ac pondere definiretur.

De Hostiarum pondere agit Auctor in fine Opusculi sui, aitque majorem Hostiam adhuc crudam, tantum pondus habere, quantum tres nummi appensi in statera; & igne decoctam minus parte sexta: minorem verò hostiam, non amplius quàm unius nummi pondus habere. Deinde trecentos nummos unam libram efficere. Adeò ut quælibet libra viginti quinque solidis constaret; solidus duodecim nummis, sicut apud Francos etiam veteres duodecim denariis. Ex quibus tria colligo. Primum est, Sacerdotum majores hostias: communicantium minores, uti modò, etiam tum fuisse. Alterum est, hostias crudas appendi ac ponderari potuisse; ac proinde ex solida massa tum fuisse confectas, tametsi intra ferrum coquerentur. Sic apud Cluniacenses unus farinam conspergebat, ET VEHEMENTISSIME COMPINGEBAT SUPER TABULAM nitidissimam, habentem limbum in circuitu aliquantulum superficie altiorem, ne aqua effluere posset, ex lib. 3. Consuetudinum Cluniacensium cap. 13. Tertium, ex una libra centum majores Hostias crudas confici potuisse, à quo pondere non parum differunt Hostiæ nostræ majores. Cujus rei experimentum facturus, appendi majores hostias nostras triginta coctas, quarum pondus solidà unciâ constare deprehendi. Auge quater hunc Hostiarum numerum atque pondus: habebis hostias centum viginti, earumque pondus quatuor unciarum. Detrahe sextam partem hostiarum pro rata coctionis: remanebunt hostiæ centum, quæ crudæ uncias quatuor appendent: cùm Eldefonsi hostiæ centum unam libram, id est uncias duodecim, aut forsan quindecim appenderent. Ex quibus intelligas, pondus Hostiarum nostrarum duabus minimùm tertiis partibus ab eo tempore decrevisse, si non fallit calculus Eldefonsi.

De quantitate seu magnitudine hostiarum, illud nobis ex Eldefonso constat, unâ ferri majoris impressione formatas fuisse hostias quinque, unam scilicet majorem, & quatuor minores. Et ma

rem quidem habuisse menſuram trium digitorum anguli in rotundum panis azymi. *hoc eſt* (*ſi bene capio*) *trium digitorum à centro in orbem: cùm hoſtiæ noſtræ majores, quibus Pariſiis utimur, vix conſtent uno digito & decem lineis, uti experimento didici. Unde patet, quantum etiam in hac parte decreverint hoſtiæ noſtræ recentiores. Porrò apud Cluniacenſes* in ferramento ſimul hoſtiæ ſex poni poterant *ſæculo undecimo, teſte Udalrico ſuperius laudato.*

Ad numerum hoſtiarum quod attinet, Eldefonſo varius eſt pro ratione ſollemnitatum. Quinque nimirum in Dominicis & feſtis diebus, in Paſchate quadraginta quinque ſingulas tres Miſſas, totidemque in Pentecoſte: at in ſingulis tribus Miſſis Natalis & Transfigurationis Domini, ac in Adſcenſione decem & ſeptem; in ferialibus unica. Hoc loco dubitatio animum pulſat, an iſte ritus Eldefonſi alius fuerit à ritu Mozarabum: ex cujus præſcripto hoſtia conſecrata dividitur in novem portiones, quæ vocantur Corporatio, Nativitas, Circumciſio, Apparitio, Paſſio, Mors, Reſurrectio, Gloria, Regnum. *quæ omnes à Sacerdote ſumuntur, binis, quæ* Gloria & Regnum *appellantur, in calicem miſſis.*

Ceterum in hoſtiis repræſentandis habita eſt ratio, non tam proportionum geometricarum, quæ in MS. codice non ſunt accuratæ, quàm figurarum, quæ hoſtias exprimunt. Hæc monuiſſe ſufficiat de præſenti Opuſculo, cujus inſcriptio in MS. Vaticano ſe habet ut ſequitur.

R E V E L A T I O
QUÆ OSTENSA EST VENERABILI VIRO HISPANIENSI
ELDEFONSO EPISCOPO,


In Spiritu-Sancto, menſe ſeptimo, (in textu, *decimo.*)

ANNO octingenteſimo quadrageſimo quinto Incarnationis Domini noſtri JESU-CHRISTI, calculus iſte, id eſt menſura trium digitorum anguli, in rotundum panis azymi ſic compoſita eſt, ſcripta ſub quantitate iſta, per revelationem Dei ſummi, in menſe x, feriâ VII diluculo, jam opere conſueto expleto, in viſu apparuit mihi.






Igitur iſtæ duæ rotæ duobus ferris inciſæ ad unum panem pertinent ſemper, inter utramque partem factæ. Si valens ubique diſcurrit moneta terreni Regis, cur non melius prævaleos ſemper diſcurrat ubique moneta cæleſtis Regis? Ecce puncta quæ in rotis ſunt picta retro quinque acta, & rotæ, & puncta oſtendunt, quòd nec initium, nec finem habeat Deus in medio conſiſtens, ſicut nec puncta nec rota per gyrum. Intuemini juxta fluvium Chobar Ezechielem Prophetam colluctantem, & colloquentem apud quinque rotas, & quatuor animalia. Unumquodque animal habens per quadrum quatuor facies in unoquoque capite, dum eſſet rota in rotis conſiſteus loco medio. Infra tria etenim puncta, intra quæ ſunt duæ quaſi præ omnibus rebus columnæ, eſt Trinitas infra ſe habens omnia, quamquam in medio ſedeat dum omnes in circuitu ſunt offerentes munera. Si eſt via pedum in terris, eſt veritas capitis in cælis, vita pectoris eſt in medio maneos reddenda Sanctis. Reminiſcamur pauliſper quid in pectore Aaron ſuperius quæſivimus, dum azymos panes effectos eſſe vitæ ſempiternæ affirmavimus. Si fuerint Andreas & Jacobus ſocii in terris, & ſunt conſociati, ſicut ſunt Petrus & Paulus cum altiſſimo Deo omnipotenti & Sancti omnes in cælis. Quatuor Evangeliſtæ dant teſtimonia Jeſu cum omnibus Sanctis undique. Sicut enim pollex hominis totum debet nummum operire; ſic tres nummi, hac Trinitate Deo regente, invicem ſe tangentes, tot tres ſic triangulati, debent totam panis hoſtiam infra ſe ita cooperire, ut nec ullum nummum ex toto poſſit ulla tribus ex aliis partibus diſcoopertis capere in ſe, in tantum, ut nec anguſtior ſit panis infra, nec latior extra, tantum, quantum eſt albus hominis ungulæ circulus.




Et quid plura? *Qui me erubuerit & meos ſermones*, dicit Dominus, *hunc Filius hominis erubeſcet*, ſubauditur tribulantem audire, aſpicere, adjuvare, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris & ſanctorum Angelorum. *Et qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui vos audit, me audit: & ſi ſermonem meum ſervaverunt; & veſtrum ſervabunt.* Et ego voluntatem amantium ac timentium me faciam. Redeamus jam ad ordinem. In Natale vero Domini, in prima Miſſa & ſecunda ac tertia, offerendi ſunt panes æquali numero & figura, ſemper duodecim

ZZz iij

In diebus autem Dominicis & Dei Sanctorum Festis amplius non sunt offerendi panes, nec minus maximè, quàm quinque in crucis forma. Ille etenim panis medius sæpe debet esse potius major, & honestior aliis omnibus: de quo legitur in quodam loco, Agnus in medio significatus.



Quotidianis autem diebus nec amplius nec minus, nisi unus tantùm: quia unus est Deus qui est semper supra omnes unùs.



Et quoniam in sic parvo libri spatio hujus, nisi sit ut latissima Bibliotheca, ipsos panes integre factos & litteris pictos, sicut esse debeant, & super altare poni, nec ipsas figuras sollemnitatum ipsarum, prout est scriptum supra, seu quantitates, hoc est magnitudines ostendere possum; saltem velut per puncta hoc velim demonstrando significare; & sicut supra præfigurando denotavimus, iterum ob memoriam cordis replicamus. In Natale Domini, sicut audistis, decem & septem per tres vices. In Resurrectione Domini quadraginta & quinque panes tribus vicibus. Sic in Pentecoste XL & V panes tribus vicibus. Sic in Transfiguratione, quæ est supra scripto tempore, decem & septem panes tribus vicibus, similiter ut in Natale. In Dominicis autem diebus & Sanctorum festivitatibus semel tantùm, hoc est vice una, quinque panes sic. Si cui videtur forte impossibile, nauseâ repletâ mente, sic tantos panes omnes æquali magnitudine Deo simul offerre; saltem unus medius ex his quinque, ille scilicet Dominicus, sit sic magnus, & ita scriptura utraque perornatus, prout in rotis duabus demonstratum est superius. Ceteri alii habeant unusquisque tertiam partem magnitudinis, & unum nomen tantùm ex his tribus nominibus scriptum, aut XPC, aut IHC, aut DS: aliud nomen ullum nemo assumat, solùm volens in Hostia scribere illum, ni unum ex his tribus: quia non solum unum si sine altero, sed etiam verè sine aliis pluribus cetera pæne nomina, sicut mihi revelatum est per Spiritum-sanctum, non debent in Hostiis scribi, nisi unum ex his tribus, quale via, aut XPC, aut IHC, aut DS. Non DNS, non Rex, non Pax, non OMNIPOTENS, non VITA, non PANIS, ut quidam Apocryphi putant; nisi tantùm in una parte XPC, in alia Crux cum duabus litteris, ita,





In uno nempe ferro, tamen magno, possunt quinque simul Hostiæ formari tali modo, ut major sit media, quæ primo est superius scripta; & quatuor aliæ minores, partem ejus tertiam quippe habentes, per quatuor angulos ipsius ferri: ita ut in uno habeas scriptum XPC sursum, in altero IHC deorsum, & ad lævam Rex. Sed numquam est solus offerendus absque ullo maximo, aut sine ullo ex aliis tribus, & in quarto loco ad meridiem DS.

Ut autem scire possis, Dei fidelis, certam Hostiarum talium mensuram, quæ te non sinat ullatenus errare: audi cujus sit ponderis ostensus panis primò superius in totis majoribus, audi, & in minoribus perspice; prout revelante ac regente individuâ simul sancta Trinitate in Spiritu didici verissimè. Tres nummi moderni tantum pondus habent, quantum centum maxima ceruleи grana quod triticum dicitur: & major illa Hostia adhuc cruda tantum pondus habet, quantum tres nummi appensi in statera; & igne decocta, minuitur pondus parte sexta. Minor etiam Hostia non amplius quàm unius nummi habeat pondus, aut unius nummi unaquæque sint minores Hostiæ, aut trium nummorum tres simul pondere, hoc ipsum non sine magno mysterio sancta Trinitate regente. Cùm enim considero de numero piscium, centum videlicet quinquaginta trium, & de tot similiter granis tritici in pondere datis in tribus nummis, & de Hostia panis, quæ non est major, nec minor, si fuerit justissimè ponderata, nisi (prout scriptum est) mensura trium angulis digitorum, ut nummorum trium spacio superius est ostensum; admiror stupefactus nimis verè deificam dispensationem & præordinationem & dispositionem. Hoc enim non sit alicui dubium, quòd Hostiæ, quamvis habeant diversas & dissimiles in libro formas, id est illic major, illic minor; cùm fuerit certe uniuscujusque ponderis in ferris expressi, absque ambiguitate statim cognoscetur in gyro certissima forma. Dicamus de pondere. Et ecce tres tales nummi, quorum pondus non amplius nec minus, quàm major continet Hostia, si justissimo fuerit pondere factum, nec plus, nec minùs, secundum consuetudinem antiquam, suscipiunt pondus, nisi quantum habent in se centum quinquaginta tres magnitudinem tritici majoris. Et treceni tales nummi antiquam per viginti & quinque solidos efficiunt libram: & duodecim tales horæ, quæ fiunt per tria millia sexcentos nummos, sextarium tritici efficiunt unum: ex quo septem panes formari possunt, de quibus per totam hebdomadam homo vivere unus potest; aut septem in una die. Etenim modius æquus & justus d[illegible] esse per decem & septem tales sextarios æq[illegible] qui potest in una, Domino protegente, cen[illegible] di[illegible] cem & novem homines die pastu conductos [illegible] care.

Hactenus de pondere, & forma, & mensura, adjuvante Christo & operante, disputavimus, & sicut auditum est superius, prout potuimus, scribendo denuntiavimus.

EXPLICIT.



EUSEBII ROMANI AD THEOPHILUM GALLUM EPISTOLA, DE CULTU SANCTORUM IGNOTORUM.

Nova Editio recognita, emendata, & aucta.

FR. JO. MABILLON ADMONITIO

IN NOVAM HANC EDITIONEM.

Cum animadverterem quam plurimos pios homines ambigere & inquirere, an veri martyres habendi essent illi, sive anonymi, sive obscuri nominis, quorum corpora è Romanis cœmeteriis eruuntur: tum quibus indiciis eorum sanctitas & martyrium discerni possint: quo denique cultus genere sancti illi incogniti sint honorandi: visum erat mihi, dum Romæ ante annos fere viginti versarer, his de rebus viros Romanæ ecclesiæ peritos consulere, & subterranea Urbis cum reverenter, tum accurate lustrare cœmeteria, ut ejusmodi quæstionibus aliquid lucis afferre possem.

Quam ob rem ubi primum ex Urbe reversus sum, statui, scriptis committere, quæ hac de re didiceram: tum ut piorum hominum desiderio satisfacerem: tum ut cavillos refellerem hæreticorum, qui Romanam ecclesiam ea de re traducunt & infamant, quasi sanctos personatos fidelibus venerandos exponat; approbetque profusos illos cultus, qui ejusmodi reliquiis impenduntur nonnullis in locis. Quod utrumque quam à mente & instituto Romanæ ecclesiæ alienum sit, manifeste probant tum præscriptæ ab ea regulæ ad sanctos illas discernendos; tum Decretum sacræ Rituum Congregationis, fel. record. Innocentii XII. nomine & auctoritate vulgatum, quo profusi id genus honores, quos nonnisi celeberrimis & receptissimis sanctis decernit Ecclesia, incognitis illis interdicuntur.

Huc spectat Epistula Eusebii Romani ad Theophilum Gallum, ab annis sex edita, cujus quidem me auctorem esse haud quaquam diffiteor. Hanc vero sub alieno nomine vulgare mihi visum est, non quasi me ejus auctorem profiteri suppuderet; sed quia honestius & modestius videretur nomen dissimulare meum, ne aperta ac directa fronte eos impetere viderer, quibus forte hæc epistola displicitura esset. Etsi enim neminem lædere, aut conviciari hac lucobratiuncula permaxime cuperem; lubricum tamen & invidiosum esse argumentum haud nesciebam. Quod sane tractandum minime umquam aggressus essem, nisi me sincerum sanctioris disciplinæ studium, & propensa in Romanam ecclesiam reverentia ad id audendum impulisset. Etsi vero huic epistolæ alienum præfixerim nomen, nihil hac in re peccatum à me puto contra regulas sacro-sancti Concilii Tridentini. Sufficit quippe, ut verum auctorem agnoscat librorum censor, vel magistratus, qui imprimendi facultatem concedit. quod quidem in hujus epistolæ editione à me observatum est.

Hæc porro nova editio non temere, nec proprio arbitrio à me facta est, sed ad ejus nutum & imperium, penes quem residet summa præcipiendi auctoritas. Id munere hoc loco necessarium duxi, ne quis me rixas denuo serere velle existimet repetita hac editione, quæ potius eo tendit, ut emolliam, si quid durius; ut explicem si quid obscurius; denique ut emendem & corrigam, si quid secus quam par sit, à me hac in epistola scriptum nonnullis videatur.

Insuper unum aut alterum hic monitum Lectorem velim, nimirum, si qua in sacrorum delectu corporum errata aliquando contigerint; id nequaquam imputandum Cardinali Vicario, vel pontificii Sacrarii Præfecto episcopo, quibus maxime hæc dispensatio competit, sed potius secundariis eorum ministris, extractioni [illegible]orum præpositis, qui præscriptas sibi regulas non satis accurate ac religiose observaverint.

Ad hæc si qua hac in editione duriuscule quibusdam fortasse scripsisse videbor circa cultum ejusmodi sanctorum; id tantum intelligi velim, vel de immoderato illo cultu, qui eis tribuitur, ut dixi, quibusdam in locis contra Decretum sacræ Rituum Congregationis, à fel. recordationis Innocentio XII. approbatum, quo publica de illis sanctis officia fieri prohibentur: vel de illis corporibus seu reliquiis, quæ certa non habent indicia martyrii, sive sanctitatis. Neque vero in posterum obscurum esse poterit, quænam illa sint indicia, postquam sacra Congregatio super reliquiis instituta declaravit, vitrea vascula sanguine tincta cum palmis habenda esse pro certissimis martyrii indiciis, ceterorum signorum examine in aliud tempus

rejecto

rejecto. Cum itaque sacra illa corpora cum hoc indicio reperta & accepta fuerint, (dummodo saltem litteris suis id exprimat Cardinalis Vicarius, ut in sollemni Formula exprimi solet, qualis est ea quæ de S. Felicissimo in Appendice hic legitur) venerationi publicæ exponi poterunt, sed *absque officio & missa*, sub pœnis in Constitutione Pii V. contentis, ut prædicto Decreto hic subjuncto cautum est. An vero corpora hoc indicio destituta, venerationi publicæ exponi possint, aut debeant, facile est ex præmissis definire.

Certe ad Palmæ signum quod attinet, quod, secundum vitrea illa vascula, præcipuum martyrii indicium videri possit, hanc paganis & Christianis communem olim fuisse Bosius fatetur. Unde consultissime sacra illa Congregatio Palmam, non solitarie sumtam, sed cum sanguineis conjunctam phyalis, pro certissimo martyrii signo agnoscit. Quamquam vix crediderim, Palmam, gentilium tumulis umquam impressam fuisse, sed potius cypressum, ut ex Plinio, aliisque profanis auctoribus constat. Sane Palmam Christianorum sepulcris propriam esse credere malim, & fere inclinat animus, ut eam probabile saltem martyrii symbolum existimem ad denotandam martyrum de peccato & tyrannis victoriam. Et hæc quidem fallax videtur eorum persuasio, qui corpus S. Dorothei, tamquam martyris, è Romano cœmeterio extulerunt, postea translatum Remos, concessumque virginibus sacris Congregationis S. Mariæ cum apside sepulcrali, cui hæc inscriptio grandioribus litteris, subjuncta Palma, insculpta est. Bosius lib. 4. c. 44.

DOROTEUS D. IN P.

hoc est, *depositus in pace*. quæ pacis mentio martyribus convenire potest, ut ex sequenti epistola patebit.

Ceterum quæ sive in prima, sive in secunda hac editione à me scripta sunt, hæc omnia citra cujusquam offensam dicta velim, & cum intima observantia in sanctam Romanam ecclesiam & apostolicam Sedem, cujus judicio, ut alia omnia scripta mea, ita & hanc epistolam, prout à me recognita & aucta est, ea qua par est animi demissione subjicio.

O ter, quaterque & septies
Beatus Urbis incola;
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat ossuum:

Cui propter advolvi licet;
Qui fletibus spargere locum;
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmura.

Prudent. hymn. de S. Laurentio.

SYNOPSIS EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Numeri sunt interlineares.

EPistolæ scribendæ occasio & scopus.
I. *Vetera Romæ cœmeteria ad Hieronymo frequentata.*
II. *Solis Christianis communia, non paganis.*
III. *Quibus notis & indiciis Christianorum tumuli à paganicis distincti.*
IV. *Martyrum certissima indicia, ampulla vitrea sanguine tincta.*
V. *Inscriptiones variæ tumulis Christianorum apposita.*
VI. *Aliæ notæ, quibus Christianorum tumuli à paganicis discernuntur, ut* depositus, depositio, quiescit *vel* dormit in pace, bonæ memoriæ, &c. *Item notatio Kalendarum, nonarum & iduum.*
VII. *Nota in pace, an martyribus competat.*
VIII. *Notatio annorum, mensium, dierum & horarum in epitaphiis communis erat Christianis & paganis.*
IX. *Tituli, localique paganorum a Christianis usurpati. Poeta Graci, sed Christiani, hac de re querela.*
X. *Recapitulatio de notis prædictis.*
XI. *Quo cultu honoranda reliquiæ Roma advectæ. Innocentii XII. ea de re decretum.*
XII. *Regulæ quatuor circa cultum Sanctorum servanda.*
XIII. *Harum regularum applicatio ad Sanctos illos incognitos.*
XIV. *Examinantur variæ ejusmodi Sanctorum inscriptiones.*
XV. *Quid sentiendum de quibusdam Vitis novis eorumdem Sanctorum.*
Anima.

XVI. *Quo modo se gesserint S. Martinus Turonensis, & S. Gregorius Lingonensis episcopi, circa Sanctos sibi suspectos.*
XVII. *Conditiones ad Sanctorum canonizationem quo pacto in Sanctis illis suppleantur.*
XVIII. *Quid censendum de vulgatis horumce Sanctorum miraculis. Gregorii M. factum circa dubias S. Sixti Martyris reliquias. Guiberti abbatis sententia de miraculis ad dubias reliquias factis.*
XIX. *Innumeri olim in Romanis cœmeteriis Martyres ex Prudentio. Quæsita undique ex Urbe reliquia. Panni, linteaque sanctorum reliquiis contacta, pulvis ex eorum tumulis collectus, olea ex lampadibus accepta, pro reliquiis habita. Terra particulæ Jerosolymis asportata.*
XX. *Gregorii IV. epistola ad Otgarium Moguntinum archiepiscopum, qui corpus ab eo petierat. Aegyrdidis martyris suspecta reliquia.*
XXI. *Objectio de quibusdam Sanctis, quorum acta nulla, aut incerta. Amolonis Lugdunensis hac de re epistola. Alia Nicolai I. ejusdem argumenti.*
XXII. *Inscriptiones dua paganica, una Vesontionensis, altera Ambroniacensis. Quid* sub ascia consecrare.
XXIII. *Una alia sacra inscriptiones apud Ambianos.*

APPENDIX.

DE ritu humandi sacerdotes, veteri & novo; De probatione reliquiarum per ignem.
Decretum generale sacra Congregationis rituum, ab Innocentio XI. approbatum, contra nonnullos abusus, qui in cultum quorumdam Sanctorum irrepserant.
Littera testimoniales Em. DD. Cardinalis Vicarii de corpore S. Felicissimi
Alia littera testimoniales Episcopi, Sacrarii apostolici præfecti.

Ex statutis synodalibus Guidonis episcopi Lingonensis, editis anno 1479. contra baptismum abortivorum.
Gregorii IV. epistola. *Olea sacra.*
Seb. Macciani inscriptiones.

EUSEBII ROMANI AD THEOPHILUM GALLUM EPISTOLA

DE CULTU SANCTORUM Ignotorum.

QUÆRIS à me, amantissime Theophile, quid sentiam de duabus duorum tumulorum inscriptionibus, quarum altera in agro Vesontionensi, altera apud Ambianos nuper reperta est; deque corporibus in illis tumulis inventis, sintne Christianorum, an paganorum; & si quidem Christianorum, an sanctorum dicenda sint, iisque cultus impendi possit, qualis corporibus sanctorum Romà advectis in quibusdam Gallicanis ecclesiis impendi solet. Tum pergis inquirere de cultu ejusmodi sanctorum, an satis moderatus sit, atque purioribus Ecclesiæ regulis accommodatus. Moveri te quippe ais, quod eorum corpora, è Romanis eruta cœmeteriis, non modo sollemni pompa in ecclesias inferuntur, verum etiam eorumdem festa, quibusdam in locis, summo cultu, qualem vix nominatissimis & præcipuis sanctis concedit Ecclesia, quotannis celebrantur per octo consequentes dies. In his sacra pulpita eorum laudibus & elogiis personare, quorum non modo facta, sed vel ipsum etiam nomen sæpe ignoratur; &, ne quid ad sacram pompam desit, sanctissimi & augustissimi Eucharistiæ sacramenti per hosce dies ostentionem permitti, ut sic divina & humana omnia ad ejusmodi sanctorum cultum adhiberi videantur. Sciscitaris de his quid sentiam; cunctantem urges, hominem, inquis, Romanum, quippe qui Romam olim profectus sim, & Romana illa cœmeteria curiose lustraverim.

Petis itaque ut primo de his cœmeteriis agam, utrum omnes, qui in eis sepulti sunt, martyres, an saltem sancti habendi. Quod si non omnes, an certis notis & indiciis sancti ac martyres ab aliis secernantur. Ad hæc an sanctos illos, sive proprio nomine præditos, sive anonymos, quos ob inditum recens nomen Baptizatos appellari mos est, profuso isto cultu honorari velit Romanus Pontifex, cujus hac in re summa est auctoritas. Hoc quasi præstructo fundamento jubes, ut de prædictis duabus inscriptionibus, duobusque tumulis apud Vesontionem & Ambianos repertis, disseram, meamque his de rebus sententiam sincere exponam.

Rem vero lubricam & difficilem postulas, mi Theophile, quæ vereor ut quibusdam grata & accepta futura sit. Sed quia id ad Religionis integritatem, quæ ceteris ante ponenda est, pertinere existimas; voluntati morem geram tuæ, sic meam propositurus sententiam, nihil ut asseram, nihil temere definiam: sed id totum Ecclesiæ judicio ac censuræ lubens submittam. Quod si qui erunt, quibus hæc offendiculo sint, meminerint, quæso, nihil à me per contentionem, nihil per cujusquam injuriam dictum velle: sed ex religionis amore, quæ immoderato non minus cultu, quam parco & remisso dehonestari potest.

I.

Incipio à Romanis cœmeteriis antiquis, quorum reverentiæ qui detrahere volet, adversarium habebit in primis sanctum Hieronymum, » qui dum esset Romæ puer, & liberalibus studiis erudiretur, so- « lebat cum ceteris ejusdem ætatis & propositi, die- « bus Dominicis sepulcra Apostolorum & Marty- « rum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ « in terrarum profunda defossæ, ex utràque parte « ingredientium per parietes habent corpora sepul- « torum, & ita obscura sunt omnia, ut propemo- « dum illud propheticum impleatur: *Descendunt ad* « *infernum viventes*; & raro desuper lumen admis- « sum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam « fenestram, quam foramen demissi luminis putes. « Rursumque pedetentim acceditur, & cæca nocte « circumdatis illud Virgilianum proponitur: «

Hier. lib. 11. in Ezech. c. 4.

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Quibus verbis subterranea illa Romæ cœmeteria, quæ vulgus *Catacumbas* vocat, designari nemo qui viderit, negare; simulque iis locis venerationem auctore Hieronymo conciliari, nullus qui attente hæc legerit, infitiari possit.

In his vero locis Christianos omnes, etiam martyres, primorum temporum sepeliri solitos fuisse ex eodem testimonio colligitur. Neque enim tanta cum religione ea frequentasset Hieronymus, nisi hanc venerationem sepulta sanctorum martyrum corpora ipsius, ceterorumque ejus sodalium animis impressissent. Hieronymo succinit Prudentius in hymno de S. Laurentio.

Vix fama nota est, abditis
Quam plena sanctis Roma sit:
Quam dives urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.

II.

Nullos porro alios quam Christianos in his cœmeteriis humatos fuisse fidem facit mutuum fideles inter ac paganos odium, mutuus horror, quorum neutri mortuos suos aliis consepeliri passuri fuissent. Quod maxime de Christianis constat ex Cypriano, qui Martiali Hispano episcopo exprobrat, quod « præter gentilium turpia & lutulenta convivia, & « collegia diu frequentata, filios in eodem collegio, « exterarum gentium more, *apud profana sepulcra* « *depositos, & alienigenis consepultos* contestatus sit. « Martiali illo multo religiosior Gamaliel, Abibam filium suum, qui secum baptismo Christi initiatus fuerat, suo etiam tumulo *juxta domnum Stephanum*, ut Lucianus presbyter loquitur, sepeliri curavit: at cavit, » ne filius alter uxorve, quod fidem Christi « suscipere noluissent, eodem sepulcro donarentur, « sed in alia villa: *quia indigni habiti sunt*, inquit, « *societate nostra.* « Ita Lucianus Jerosolymitanus « presbyter in epistola de revelatione S. Stephani reliquiarum, ex versione Latina Aviti presbyteri Hispani. Non minor erat apud Romanos cura, ne promiscua esset Christianorum cum paganis sepultura. Certe pagani nobiles in apertis & magnificis ad vias publicas monumentis humari solebant; mediocres in ædiculis: plebeis autem & infimis commune conditorium erat in locis publicis extra portam Exquilinam. Huc spectat Horatius satyra VIII.

Cypr. ep. 68.

Ut prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc misera plebi stabat commune sepulcrum.

Idem Horatius portam Exquilinam huc designat Epodon lib. v.

Post insepulta membra deferent lupi,
Et Exquilinæ alites.

Ad quem locum Porphyrius notat, *extra portam Exquilinam solita fuisse pauperum corpora, vel comburi, vel projici*, scilicet in puteos, quem locum *Puticulos* appellatum Sextus Pompeius, A. Gellius, aliique testantur; sive quod illic in puteos vilia mancipia projicerentur, sive quod ibi putrescerent. Magnam ejus loci partem emit Mæcenas, ibique hortos condidit.

At longe dispar erat Christianorum sepultura, qui in subterraneis extra Urbem specubus, in longa porrectis spatia, dispositis hinc inde singulis loculis, honorifice humati sunt, nisi si quando tyranni martyrum corpora in profana loca deportari curabant. Sic sancti martyres Vitalis & Agricola, testante Ambrosio, *sepulti erant Judæorum solo inter ipsorum sepulcra.* Sic Julianus Apostata sanctorum reliquias cum ossibus contemtissimis per ludibrium permisceri jusserat: qua de re conqueritur Gregorius Nazianzenus in oratione secunda contra ipsum Julianum. Sic denique reliquias Nestabi & Zenonis cum ossibus camelorum & asinorum commistas fuisse auctor est Sozomenus. (Soz lib 5 c. 8) Sed aliter res habebat, cum sepeliendorum Martyrum facultas Fidelibus concedebatur, quibus conditoria peculiaria & distincta in præcipuis saltem urbibus erant, qualia Romæ permulta sunt, quale etiam Neapoli insigne cœmeterium in extramurana basilica S. Januarii.

Verum communia omnium Fidelium hæc cœmeteria erant, etiam primorum hominum, quibus tamen ibidem insigniora subinde arcuata monumenta erecta cernuntur. Itaque in illis cœmeteriis non modo sancti martyres vel confessores, sed fideles omnes, nullo meritorum delectu humabantur; isque mos in sex minimum priora Ecclesiæ sæcula perseveravit. Ex his facile intelligas, mi Theophile, certis notis & indiciis distinctos esse oportere eorum loculos, quorum corpora tamquam sanctorum Martyrum, ex illis cœmeteriis eruuntur, & in diversas transferuntur ecclesias: ac proinde quænam sint illæ notæ, quæve indicia, operæ pretium est investigare.

III.

Multa sunt in illis cœmeteriis indicia, quæ Christianos illic humatos esse probant, videlicet sacrarum historiarum picturæ; varia symbola, puta columbarum, ovium, palmæ, vitis, olivæ, cypressi, anchoræ &c. ad hæc chrismon seu Christi monogramma, coronæ, ampullæ, inscriptiones: ex quibus quænam Martyres vel sanctos Confessores signanter denotent, inquirendum est.

Historias sacras primorum Christianorum, sanctorumque virorum tumulis apponi solitas fuisse tradit Gregorius Turonum antistes, (Greg Tur. de Glor. Conf c. 35.) » qui agens de ba- » silica sancti Venerandi in urbe Arvernorum, ait » multa ex marmore Pario sepulcra illic sculpta esse, *in quibus nonnulli virorum sanctorum ac mulierum religiosarum quiescunt. Unde non ambigitur*, inquit, *eos esse Christianos, quia ipsa historia sepulcrorum de virtutibus Domini & Apostolorum ejus exposita sunt.* Neque vero tantum Christi Domini & Apostolorum, aliasque novi Testamenti, sed etiam veteris historias Fidelium sepulcris insculptas fuisse insignis Romæ subterraneæ liber docet. Non omittendum id, quod subdit idem Gregorius de sarcophago cujusdam puellæ in illa basilica quiescentis, quæ, extracto ejus tumuli operculo, cum vestibus integra reperta est, *ut dormiens potius, quam mortua putaretur*; lumenque reddidit Gregorii Vellavorum comitis uxori oculis orbatæ, quæ ipsius tumulum novo lapide recluserat. *Unde non ambigitur*, » ait Gregorius, *esse eam nobilis meriti, quæ talia præstare potuit ægrotanti.* Nec tamen illius puellæ corpus è tumulo sublatum est. Ea erat majorum nostrorum religio!

Verum sacras illas, cum veteris, tum novi Testamenti historias omnibus indiscriminatim Christianis communes fuisse haud dubium est; nec proinde ex illis quidquam confici potest, ad probandam eorum, quorum tumulis appositæ fuerint, sanctitatem. Idem dicendum de præmissis symbolis columbarum, ovium, vitis, olivæ, palmæ, cypressi, anchoræ, aliisque similibus: quæ quidem singula quamdam virtutem christianam, aut viventium in mortuos affectum designare possunt, non vero sanctitatem: de quorum mysticis significationibus consulat qui volet Bosium & Aringhum, illustres Romæ subterraneæ auctores. Restant chrismon, coronæ, ampullæ, & inscriptiones, de quibus singillatim agendum.

Christi monogramma priscis tumulis Christianorum passim impressum cernitur, quod imperite nonnulli sic explicant, quasi is, qui sepulcro ejusmodi continetur, *pro Christo* passus significetur. Nec amplius valet ad id significandum adjuncta chrismo palma, quæ in tumulis etiam gentilium nonnumquam efficta est, sed longe alio apud Christianos significatu, qui hoc symbolo victoriam de peccato, de morte per Christum, & similia alia designabant. Non sic æquivocæ & ambiguæ sunt Græcæ litteræ A & Ω, chrismo non raro adjunctæ, quæ Christum Dominum, principium & finem, significant, sed non martyrium.

Coronam tumulis appositam, martyrii probabile indicium esse Bosius censet, maxime cum alia martyrii signa adjuncta sunt. Unde Fabrettus, Marciam quamdam Romanam, quæ jacens circa cœmeterium B. Tertullini reperta est, martyrium subiisse probabile existimat *ex adjuncta in margine corona, & ultima linea ejus* epitaphii, ubi SUA MAXENTIO legitur, *subaudito verbo* PASSA, inquit Fabrettus. (Fabr. inscrip c. 8 p 588.) Ubi laudanda est Fabretti hoc in loco moderatio, qui probabile tantum illud indicium, non certum & indubitatum agnoscit.

Eadem cautione ibidem utitur in alio græco epitaphio, ubi *Sanctus Dei cultor Eutropius in pace* obiisse dicitur, qui piissimus Eutropius *inter martyres*, inquit Fabrettus, *videtur adscribendus ex vasculo illo, quod tamquam sanguine pro Christo effuso repletum ostentat.* Quam multa hic concurrunt ad Eutropii sanctitatem & martyrium asserendum! Græcum epitaphium, in quo, *Sanctus Dei cultor Eutropius*, [illegible] dicitur, *vasculum* in ejus manu, *tamquam sanguine pro Christo effuso repletum.* Et tamen Fabretto satis est dicere, quod *piissimus hic Eutropius inter Martyres* ex his indiciis *videtur adscribendus*, non decretorio, sed probabili tantum judicio. Sic decet eos, qui, uti Fabrettus, eruendorum è Romanis cœmeteriis sanctorum corporum curam habent, sacra hæc religiose tractare.

IV.

Idem auctor observat, ampullas vitreas, san- » guinea & purpurea crusta obductas, frequentis- » sime in sacris cœmeteriis juxta martyrum loculos, » quà capita recumbunt, reperiri, certissimo effusi » pro Christo sanguinis argumento: quæ præcipuo, » immo & unico usum se fuisse dicit, dum sacrarum » (Ibid p. 551 & seq.)

» reliquiarum extractioni & custodiæ præfuit. Ubi » testem adducit Aringhum, qui hanc probationem » præoccupavit. Tum quemdam ex heterodoxis re- » fellit, qui rubedinem illam non à sanguine, sed » à colore terræ, per quam humor pluvius percola- » tur, contractam contendit. Denique eidem hete- » rodoxo opponit judicium clarissimi viri Georgii de » *Leibniz*, qui, quamvis à Romana religione alie- » nus, physica observatione phyalæ vitreæ, ex cœ- » meterio Callisti allatæ, sibi natam *merito* suspicio- » nem fatetur, *sanguineam potius materiam esse* in » illa phyala, (quod de aliis similibus itidem dicen- » dum) quam terrestrem seu mineralem.

Unde merito laudandum, probandumque est Decretum Congregationis super indulgentiis, sacrisque reliquiis Romæ constitutæ, quæ de his ampullarum ac palmarum indiciis consulta censuit, *palmas*, eisque junctum *vas sanguine tinctum habenda* esse *simul pro signis certissimis* verarum reliquiarum: aliorum vero signorum examen in aliud tempus rejecit. Quod Decretum, referente Papebrochio ad vigesimum Maji, anno M DC LXVIII. die 10. Aprilis conditum est.

Mihi vero numquam venit in mentem alias negare, ejusmodi ampullas sanguine tinctas martyrum, adeoque sacrarum reliquiarum certissima indicia esse; immo id *prudenter ac sapienter* à sacra illa Congregatione *decretum* fuisse diserte asserui. Verum, quia in nonnullis etiam Christianorum loculis alterius generis vascula & ampullæ quandoque reperiri possunt, quæ forte ad continendos suffitus, aliumve id genus usum appositæ sint; laudato hoc Decreto, mox subdidi, ejusmodi vascula pro signis certissimis verarum reliquiarum habenda esse, *si modo constet ejusmodi vasa sanguine tincta esse, non ad continendos suffitus, aut odoramenta, aliaque id genus, apposita fuisse*. Quod nequaquam derogat prædicto Decreto, cui ex animo, ut par est, subscribo. Certe in antiquis Christianorum tumulis non raro reperiuntur vascula figulina, carbonibus oppleta, quæ ad thus suffumigandum apposita fuisse nemo negaverit. Aliam quidem rationem esse constat de vasculis vitreis, quæ nonnisi ad sanguinem conservandum adhibita fuisse videntur. Verum, quia non modo in vasculis illis vitreis, sed etiam in figulinis sanguis concretus asservatus fuisse à Bosio, aliisque dicitur: quale erat vasculum illud, quod Petro Amoragæ nobili Hispano ab se concessum fuisse Bosius ait; hac distinctione utendum putavi, ut vasa illa *pro signis certissimis* verarum reliquiarum habeantur, *Si modo constet ejusmodi vasa sanguine tincta esse*.

Quanta autem cura ac religione sanguinem sanctorum Martyrum collegerint primorum illorum temporum Christiani, varia probant veterum testimonia, quæ Bosius in lib. 5. cap. xx. retulit. Hunc sanguinem vel pannis seu linteaminibus excipiebant, vel spongiis exceptum in ampullis reponebant. Ejus generis est ampulla sanguinis sancti Januarii episcopi & martyris Neapoli asservata. In eamdem urbem S. Gaudiosus episcopus ampullam beati Stephani sanguine plenam attulisse traditur. Qualis etiam ampulla Biturigas à B. Ursino allata, cujus meminit Gregorius episcopus Turonensis in libro de gloria Martyrum c. xxxiv. Insignis hac de re locus est apud eumdem auctorem in ejusdem libri cap. xii. ubi ma- » trona quædam è Gallis, » cum Jerosolymis adesset » eo tempore, quo beatus Johannes-Baptista decol- » laretur, datis muneribus percussori supplicasse di- » citur, ut *sanguinem defluentem colligere* ipsi per- » mitteretur. » *Illo autem percutiente, matrona concham argenteam præparat, truncatoque Martyris capite, cruorem devota suscepit: quem diligenter in ampulla positum in patriam detulit, & apud Vasatensem urbem, ædificata in ejus honorem ecclesia, in sancto altari collocavit*. Non omittendum id, quod in lib. 1. de miraculis S. Stephani, cap. 1. apud Augustinum legitur de ampulla sanguinis ejusdem sancti Protomartyris, de cujus veritate cuidam famulæ Dei dubitanti *per somnium ampulla quadam demonstratur, intra se habens sanguinis quamdam adspersionem*. Denique exstabat jam dudum in Metensi ecclesia sancti Stephani ampulla sanguinis, cujus portionem vel modicam sibi dari postulavit Hildiwardus episcopus Halberstadensis in epistola ad Adalberonem Metensem episcopum: cujus sanguinis virtute Mettensem urbem Hunnorum vastationi subductam fuisse idem Hildiwardus scribit: cui Gregorius Turonensis antistes suffragatur in Historiæ lib. II. cap. VI. Denique in detectione corporum S. Placidi ejusque sociorum anno M. D. LXXXVIII. inventa sunt in eorum tumulis vascula sanguine referta, ut in historia istius inventionis italice tunc scripta legitur. Sed hæc satis de ampullis sanguine tinctis, quas pro certissimis martyrii signis habendas esse non dubito, etiam si palma eis adjuncta non sit.

Aug. tom 7. App. p. 26.

Labbe tom. 1 Bibl p. 783.

Antequam hinc manum subducam, juvat hoc loco referre id, quod Marlotus in Metropoli Remensi testatur de quibusdam corporibus in urbe Remorum inventis circa basilicas sanctorum Timothei, Agricolæ & Sixti, ubi communia primorum urbis Christianorum conditoria erant. Effossa humo inventæ quorumdam cadaverum compages, quorum ossa ferreis clavis transfixa erant, non dubio, ut videtur, martyrii indicio. Nam ferreis ejusmodi clavis, maxime apud nostrates Gallos, transfixa fuisse martyrum corpora, multis veterum testimoniis constat, ab eodem auctore prolatis. Et tamen ea Marloti religiosa prudentia est ut diserte testetur » se nol- » le pro certo persuadere hos martyres fuisse, quod » Deus hactenus occultum esse voluit. *In iis enim*, » inquit, *quæ ad cultum sanctorum pertinent, fides* » *tardior esse debet*. Complura quidem esse Sancto- » rum corpora humi defossa tempore persecutionis, » quæ postmodum revelatione aut miraculis cognita » fuere: at cum nihil tale in prædictorum corporum » inventione contigerit, se de eorum martyrio judi- » cium Deo committere, nec quidquam certi velle » hac de re pronuntiare. » Quæ religiosa cautio nemini non probanda haud dubie videbitur.

Marlot. tom 1 p. 76. & seqq.

V.

Jam veniendum est ad inscriptiones, quæ primæ ætatis Christianorum tumulis appositæ fuere. Quibusdam eorum monumentis insculptæ sunt siglæ, D. M. quæ apud ethnicos usitatissimæ erant pro *Diis Manibus*, ut omnibus notum est. Retuleram in itinere Italico Leopardi Christiani epitaphium cum hoc ipso litterarum in fronte compendio in hunc modum. Iter Ital. p. 73 & seqq.

D. MA. SACRUM XL.
LEOPARDUM. IN. PACEM.
CUM
SPIRITA. SANTA.
ACCEPTUM
EUMTE * ABEATIS.
INNOCENTEM
POSUER. PAR. Q. [VIX.]
AN. VII. MEN. II.

* f. Eumdem.

Ubi manifestum de Confirmationis Sacramento locum esse dixeram, referendumque ad prima illa tempora, *quo cruda adhuc quorumdam in cordibus Christiana religio aliquid de paganico ritu supersti-*

rione retinebat; ratus scilicet his siglis, D. MA. *Diis Manibus* significari, uti in quadam alia inscriptione apud Smetium. Huc etiam referri potest epitaphium Ludovici II. Imperatoris apud Puricellum, ubi inter duas cruces, medio chrismo, præmittitur D. M.

Puricell Ambr. p. 210.

Fabr. p. 564 & seqq.

Conta jam laudatus Fabrettus superiorem de Leopardo locum, aliaque similia sic interpretatur, DEO MAGNO, vel MAXIMO. Quod, quamquam rariusculum est, admittere malim, quam contentiosus esse. Idem dico de sensu horum verborum, SPIRITA SANCTA ACCEPTUM, quibus Baptismum potius, quam Confirmationem ei subjunctam significari contendit. Quod mihi perinde est. Certe quod priori loco me arguit, quasi promptior fuerim, ut paganici ritus suspicionem admitterem in templo ac tumulo sanctæ Constantiæ seu Constantinæ; in cujus vase, atque in fornice ea musivo *exhibentur enis uvas demetentes, ferentes, & calcantes*; meque monitum vult, *vitem, vindemiamque ipsam inter præcipua & frequentiora Christianorum monumentorum ornamenta locum habere*; quamquam hac in re monitore non indigebam; gratiam tamen monenti habeo: an vero genii uvas metentes & calcantes sacris symbolis tribuendi sint, alii viderint. Sane his quoque postremis temporibus, non pauca ex prisco gentilium ritu penes quosdam residere, testis est vetus illa jurandi formula, *mehercule*, aliæque similes, quas etiam nunc nonnulli, qui Ciceronianum stilum affectant, non raro usurpant. qua ratione Fabrettus ipse *Manium importunam*, ut ipse vocat, *usurpationem* in duobus Christianorum epitaphiis, à Grutero relatis, admittere cogitur. *Facile siquidem erat tunc*, inquit ille, *ex inexstincta gentilitatis phrasibus, poëtico præsertim stilo, aliqua imitari inconsideratè potius quam impie, quæ adulta jam vera religionis temporibus resecata sunt.* Verum, quæ in prædicto Itinere Italico dixi, multis persuasum esse, Bacchi sepulturam seu monumentum & fanum illic esse, etsi hoc referendo improbaverim, mihi modo non placet; idque & quidquid incaute à me eo loci & alibi dictum est, pro non dicto esse velim.

Ibid 575.

Fab. 512

V I.

Unum his adjicere lubet de quibusdam aliis notis, quæ tumulos Christianorum à paganicis distinguunt. In his censenda videntur vocabula seu formulæ, *depositus, depositio, quiescit in pace, dormit in pace, bona memoria*, quæ numquam paganis tributa fuisse puto. His adde *reddidit*, hoc est *defunctus est*, verbo inter Christianos usitato, ut Fabrettus exemplis probat. Idem censendum videtur de notatione kalendarum, nonarum & iduum in epitaphiis, quæ in tumulis gentilium numquam legere memini. Hæc fere omnia expressa habes in quodam epitaphio, quod in Nicia illustrata Petri Joffredi refertur, inserto subinde corde transfixo, in hunc modum.

Fabr. p. 558

☧ HIC REQUIESCIT BONAE
MEMORIAE
SPECTABILIS. ♥. EXPECTATUS.
Q. VIXIT. ♥.
ANNIS. PL. M. VII, ♥. CUJUS. DP.
EST. SUB. ♥.
DIE VIII. KAL. JUNII. DN.
LEONE. JUNRE.
V. C. SS.

Sub Christi monogrammate sculptus est piscis, Christum Salvatorem designans apud antiquos Patres: ex quibus Tertullianus Ἰχθὺν nostrum *Jesum-Christum* vocat initio libri de Baptismo. Quam vocem explicans inter alios Optatus Milevitanus: *Hic est piscis*, inquit, *qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen, secundum appellationem græcam, in uno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet.* Ἰχθὺς *enim latine est* JESUS-CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR. Redeo ad Expectatum, qui pro martyre habetur in Nicia illustrata, non satis idoneo, ut videtur fundamento: siquidem Leone juniore imperante ulla fuisse martyria verisimile non est. Idem censendum videtur de Victorino, cujus corpus Turonicis sancti Martini canonicis concessum est cum hoc epitaphio:

Optat. lib. 3 in Parm.

FLAVIIS LUPICINO ET JOBI
NO CONSS. VII. IDUS JUNIAS
DECESSET DE SECULUM
PUER VICTORINUS QUI
BIXIT ANNUS XXXVII. M. X.
D. X. ET CUM UXSORE
FECIT ANUS II. M III.
DP. V. IDUS JUNIAS VENE
MERENTI IN PACE.

Adjuncta est epitaphio columba. Lupicini & Jovini consulatus incidit in annum vulgaris æræ christianæ CCCLXVII. imperante Valentiniano seniore, cujus tempore nulla erat Romæ persecutio, nulla martyria. In hoc epitaphio notandum est Victori obitum distingui ab ejus depositione, quæ post biduum successit.

V I I.

Nunc inquirendum est, utrum formula *in pace quiescit*, aliæque similes, Martyribus umquam tributæ sint, quæ quibusvis aliis fidelibus, in pace ecclesiæ defunctis, potius assignatæ fuisse nonnullis fortasse videbuntur. Verum Martyribus etiam tributas fuisse constat ex hoc Marii militis & martyris epitaphio, apud Bosium relato in lib. III. cap. XXIII.

TEMPORE ADRIANI
IMPERATORIS.
MARIUS ADOLESCENS DUX
MILITUM. QUI SATIS VIXIT
DUM VITAM PRO CHO
CUM SAN
GUINE CONSUNSIT IN
PACE
TANDEM QUIEVIT BENE
MERENTES
CUM LACRIMIS ET METU
POSUERUNT ID. VI.

Apposita hinc palma, inde monogramma Christi. In actis Martyrum sinceris sæpe fit mentio de pace, ubi de Martyrum agone agitur. Sic in actis S. Saturnini episcopi Tolosatis unus è codicibus sic habet: *Gratias Deo omnipotenti, qui coronavit Martyrem suum* IN PACE. Nihil itaque præjudicant ejusmodi formulæ, *quiescit* vel *dormit in pace*, quo-

Ruinart. Acta Mart. p. 112.

mnius censeantur martyres, ubi hæ formulæ in eorum epitaphiis leguntur, modo certa aliunde martyrii indicia adsint.

VIII.

Non modo in epitaphiis paganorum, sed etiam Christianorum adscribi solent anni, menses & dies, quibus quisque vixisset: nec in solis gentilium tumulis invenias, tametsi rarius, adjectas horas, immo semihoras, & scrupulos horarum. qualis est hæc inscriptio inter alias Pisis reperta:

BENEMERENTI. IN PACE
SILVANA. QUÆ. HIC.
DORMIT
VIXIT. ANN. XXI. MENS. III.
HOR. IV. SCRUPULOS. VI
DEPOS. IX. KAL. JULIAS...

Fabr. p. 96 & p. 182. 185. Hanc inscriptionem cum multis aliis ejusdem argumenti retulit Fabrettus cap. II. ubi de scrupulis horarum plura disserit.

Mitto formulas dimensionum per pedes IN FRONTE, & IN AGRO, paganorum monumentis adhiberi solitas; nusquam, si non fallor, tumulis Christianorum. quæ formulæ iis solis competebant, qui secus vias publicas, ut pagani, sepulti erant. Idem dicendum de formula illa, SUA ASCIA DEDICAVIT, quam nonnisi ethnicorum monumentis adhibitam fuisse constat. De hac formula plura inferius.

IX.

Ad hanc de Christianorum tumulis tractationem pertinet id quod Fabrettus, aliique ante eum Fabr. p. 307. observarunt, nimirum primos Christianos paganorum memorias, » titulosque suffuratos esse, & » suis loculis cœmeterialibus claudendis applicuisse, » propriis nominibus insculptis, & profanorum absconditis, aut abrasis. « Id varia christianarum inscriptionum exemplis patet, quorum nonnulla in Itinere nostro Italico retulimus. Atqui inter ipsos Iter Ital. p. 36. etiam paganos id severe prohibitum erat. Certe quod ea eorum monumentis lapides revellerent Christiani ad ornandos Martyrum tumulos, non omnibus probabatur. Hujus rei argumentum nobis præbent anonymi cujusdam Poëtæ versus græci, quos vir humanissimus & eruditissimus Johannes Boivinus cum versione Latina ex codice regio mihi communicavit, scriptos in eos, qui gentilium sepulcra effodiunt prætextu Martyrum sepeliendorum. Hos versus hic referre non ab re fuerit.

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΝΟΡΥΤΤΟΝΤΑΣ ΤΑΦΟΥΣ ΠΡΟΦΑΣΕΙ ΜΑΡΤΥΡΩΝ.

Τεθναῖτε τρὶς· πρῶτον μὲν ἐμίξατε σώματ' ἀγάθεοι

Τοῖς ἀθέοις. τύμβοι δὲ θυηπόλον ἀμφὶς ἔχουσι.

Δεύτερον αὖτε τάφους τοὺς μὲν διετρίψατ' ἀθέσμως,

Αὐτοὶ * σώματ' ἔχοντες ὁμοῖα. τοὺς δ' ἀπέδοσθε,

Πολλάκις ἢ τρὶς ἕκαστον. ὁ δὲ τρίτος. ἱερουργοὶ

Μάρτυρας, οὓς φιλεῖτε. Σοδομίτιδες * ἅλατε πηγαί.

* f. κύματα.
* l. ἄλς.

IN EOS [QUI GENTILIUM] SEPULCHRA EFFODIUNT PRETEXTU MARTYRUM [SEPELIENDORUM.

Ter morte digni; primùm quidem miscuistis corpora profanorum

Sanctis; & sepulcra [Profanorum] Sacerdotem [Christianum] in medio [stantem] habent.

Deinde verò tumulos [gentilium,] alios quidem evertistis nefariè,

Ipsi sepulcra habentes similia: alios autem vendidistis,

Sæpe & bis unumquemque: aliquos & ter [vendidit.] Sacrilegio lædis

Martyras, quas amas. [prosilite] fontes Sodomitici.

Id est fontes sulphurei, quibus Sodoma subversa est.

Alios ejusdem argumenti versus prætereo. Ea hac porro sepulcralium lapidum transmutatione factum est, ut epitaphia gentilium in Christianorum cœmeteriis quandoque inveniantur, ex adversa vero parte Christianorum inscriptiones Ad hunc modum Innocentius II. teste Romano S. Petri canonico, apud Lateranum sepultus est in porphyretico Hadriani imperatoris loculo, *cujus coopertorium*, inquit, *est in paradiso* seu atrio *S. Petri super sepulcrum præfecti*; & Guillelmus Fliscus cardinalis, Innocentii IV. ex fratre nepos, in atrio basilicæ S. Laurentii extra muros humanus hodie quoque cernitur in præclaro nobilis cujusdam pagani mausoleo, in quo duorum conjugum hymenæus repræsentatur. Nihil itaque Martyrum sanctitati officiunt ejus generis mutuata sepulcra, dummodo certa indicia eorum martyrium probent.

X.

Ex his, quæ hactenus dixi de notis & signis, quibus Christianorum, & in his Martyrum tumuli à paganis secernuntur; facile intelligitur, alia indicia esse certa, alia dubia & æquivoca. Christianorum tumulos distinguunt sacræ historiæ eis impressæ, Crucis signum, Christi monogramma cum A & Ω. Palma & corona, Christianis magis propriæ, quam paganis, quibus si aliquando, certe rarius eas tributas invenias. Ad Martyres quod attinet, ampullas sanguine tinctas cum palmis pro certissimis martyrii signis merito agnoscit sacra Congregatio super reliquiis instituta: alia in ulterius examen prudentissime rejecit. Cui Decreto, ut jam dixi, ultro ac reverenter subscribo.

Quod spectat inscriptiones, illæ Christianos designant, in quibus hæ formulæ habentur, *bona memoria, quiescit* vel *dormit in pace, depositus, Kalendarum, Nonarum & Iduum* notationes, quæ omnes etiam martyribus communes sunt, at peculiares & propriæ, si eorum martyrium discerte exprimant. Hæc omnia patent ex dictis; indeque facile intelligitur, merito pro sanctis habendos illos, quorum corpora è Romanis cœmeteriis eruuntur, modo de eorum martyrio constet, sive ex vitreis ampullis sanguine tinctis, sive ex eorum epitaphiis, quæ eorum martyrium clare testentur: adeoque coli posse, si eorum cultum Romanus pontifex præscribat, aut saltem permittat.

X I.

Atqui de publico cultu ejusmodi sanctorum, sive nomen proprium habentium, sive anonymorum, quos uno vocabulo ignotos seu incognitos deinceps appellabimus, nihil præscribit Pontifex, seu Cardinalis Vicarius, aut pontificiæ Capellæ æditunus Episcopus Augustinianus, quorum alteruter sanctis illis nomina solet imponere. Tantum in eorum litteris permittitur, ut *venerationi fidelium in ecclesiis exponi possint*. Quæ formula est earum litterarum, quibus ipsorum testimonium de ejusmodi sanctis eorumque reliquiis exprimi solet. Hæc vero formula

non eo spectat, ut ecclesiastica de iisdem sanctis officia, multo minus ut de iis Missæ celebrentur, aut eorum elogia publice in ecclesiis prædicentur. Quod cum secus fieri quibusdam in locis animadverterent sacrorum rituum præpositi Romani; hos, quos vocant, *abusus Decreto generali* proscribendos censuere, idque sua auctoritate Pontifex approbavit. Quod Decretum ad calcem hujus epistolæ, ne ejus interrumpatur series, integrum leges.

Hoc Decreto manifestum est notari eosdem *abusus*, quos non modo in quibusdam Gallicanis ecclesiis, sed etiam in Belgicis ac Germanicis, immo & Italicis, vigere comperimus. Ab hoc numero excipiendæ sunt Gallicanæ cathedrales, & quædam aliæ nobiliores ecclesiæ, quæ novos illos cultus nondum admisere, ut multæ aliæ, in quibus sancti illi ignoti publicis officiis ac Missarum celebrationibus honorantur, contra præceptum hujus Decreti, & institutum illius rubricæ, qua permittitur, *posse in ecclesia recitari officia & Missas celebrari de illis sanctis, quorum corpora & reliquiæ insignes in ea asservantur.* Quod intelligendum esse *de sanctis dumtaxat in martyrologio Romano* descriptis ex hoc Decreto patet; aut de iis, quibus à sancta Sede fuerit specialiter concessum. Hoc autem Decretum omnino probandum ac laudandum est; ac proinde ex ejus præscripto cultus ille immodicus, qui sanctis illis in quibusdam ecclesiis impenditur, vel temperandus, vel omnino proscribendus, & inter abusus censendus videtur, ut certe visum est rituum sacrorum præpositis, quorum Decretum hoc loco propugnandum aggressus sum contra inductos ejusmodi abusus.

XII.

Cultus iste, sanctis illis incognitis impensus, sanctioribus oppositus videtur Ecclesiæ regulis, quibus religiosi honores legitimis sanctis decernuntur.

Prima regula est, ut sancti illi nequaquam dubii sint, sed certi & indubitati, ut pote certis & indubitatis recogniti argumentis. Id enim ad religionis sinceritatem spectat, ut nonnisi certa fidelibus sanctioris vitæ exempla proponantur.

Secunda est, ut ex certis & indubitatis sanctis (de confessoribus loquor) illi tantum colendi toti Ecclesiæ proponantur & imitandi, qui inter eos illustriores extiterint; idque præclaris & heroïcis gestis consecuti sint, ut eorum vita fidelibus omnibus in speculum & exemplum proponatur. Alias quicumque, sive pueri, seu adulti, qui statim accepto baptismate ex hac vita decedûnt, sollemni cultu honorari possent.

Tertia regula est ex prædictis consequens, ut eorum nomen & facta perspecta sint, aut ex traditione majorum, aut ex indubitatis posterorum testimoniis; &, si quidem pro Martyribus habeantur, ut de eorum passione pro Christo tolerata constet, non vanis & æquivocis conjecturis, sed certis argumentis, de quibus modo actum est.

Quarta denique regula est, ut omnibus sanctorum factis & virtutibus, miraculis, eorumque circumstantiis attente consideratis & expensis, de eorum cultu statuat Ecclesia, vel summus Pontifex, cui maxime credita est harum rerum definitio. An verò hæ regulæ novis illis sanctis aptari possint, paulisper examinemus.

XIII.

Primo ejusmodi sancti certam & indubitatam martyrii, vel sanctitatis notam præferre debent, nimirum ampullam sanguine tinctam, vel inscriptionem id attestantem, quod certe non omnibus competit. Omnia quidem illa corpora eruuntur è veteribus Romanis cœmeteriis, quæ solis Christianis propria fuisse persuasum habeo: at solis sanctis, sive Martyribus, seu Confessoribus, concessa omnino negaverim. Communia hæc omnium fidelium conditoria erant, ut superius dixi, jam inde à primis Christianæ Religionis cunabulis, à fidelibus maxime frequentata religionis causâ, ob Martyrum corpora, quæ in illis sepulta jacebant. Neque vero sancti erant, etiam primis illis temporibus, fideles omnes; neque soli ibidem humati sunt nascentis Ecclesiæ Christiani. In usum communem hæc cœmeteria fuerunt in longa posthac tempora, id est, ad prima quatuor aut quinque minimum Ecclesiæ sæcula, ut inscriptiones probant cum à Bosio in Roma subterranea, tum à Grutero, aliisque relatæ. Quis autem dixerit totis illis sæculis nullos nisi sanctos in illis cœmeteriis fuisse depositos? Non ergo satis est ad asserendam ejusmodi sanctis venerationem, quod eorum corpora è vetustis illis cœmeteriis effossa sint, sed alia exiguntur ad id probandum indicia & argumenta.

Duplicis generis corpora ex iis locis eruuntur: alia absque ullo nomine aut inscriptione, alia cum alterutro, vel etiam utroque.

Primi generis sanctis nomina indi solent à Cardinale Vicario, vel ab Episcopo, qui capellæ pontificiæ præest, ob idque sanctos ejusmodi Baptizatos appellant. Quæ res magnam sanctis authenticis confusionem persæpe affert, dum horum nomina novis illis sanctis tribuuntur. Quod tamen evitare student, imponendo ea tantum nomina, seu epitheta, quæ nominatissimis sanctis non competunt. »In secernendis ejusmodi sanctis maxime valent am»pullæ vitreæ, sanguinea & purpurea crusta obdu»ctæ: « *quo præcipuo, immo unico* indicio usum se fuisse dicit supra laudatus Fabrettus. Quod ita semper observatum fuisse pervelim, ut nulla exempla in contrarium afferri possint.

XIV.

Secundi generis tumuli, qui humatorum nomina & inscriptiones habent, magnæ videntur auctoritatis, immo certæ, si Martyris titulum præferant, secus si hoc titulo destituantur. Verum si ejusmodi inscriptiones sincere expendamus, paucissimæ sunt, quæ vel martyrium, vel sanctitatem eorum, qui in illis tumulis jacent, diserte exprimant, aut saltem utcumque innuant. Liceat mihi, salvo cujusque honore, cum ea qua par est reverentia, quædam exempla proferre & examinare.

In capella domestica ædis abbatialis sancti Martini prope Pontisaram, videtur subtus aram corpus quoddam Romà istuc delatum, cum hac inscriptione, lapidi marmoreo insculpta:

URSINUS. CUM. COJUGE
LEONTIA

VIXIT. ANNIS XX. M. VI. ET. FUIT
IN. SECULO. ANNIS XLVIIII. M.
IIII. D. III. KAL. JUN.

Qui hæc legerit, non facile ullum sanctitatis, nedum martyrii, indicium, sive in Ursino, sive in Leontia ejus conjuge (*cojugem* veteres scribere amabant) in his verbis deprehendet. Christianum dumtaxat Ursinum esse probant, tum adjunctæ kalendæ, tum Romanum Christianorum cœmeterium, ex quo ejus corpus erutum est. An vero ampulla sanguine tincta cum eo reperta sit, mihi incompertum.

Qualem fidem mereatur inscriptio corporis Attiani, Theatinis Parisiensibus pro sancto Martyre recens concessi, tu ipse, mi Theophile, expende.

AURELIA. CALISTE
BENE MERENTI
ATTIANO COJUGI
TITULU. POSUIT.

Hanc inscriptionem christiani hominis esse non alio argumento suaderi potest quam quod ejus corpus in Romano fidelium cœmeterio inventum est. Sed multæ ejusmodi etiam paganorum inscriptiones in cœmeteriis christianis repertæ sunt, quorum lapides ut mox dicebam, ex propriis locis christiani revellebant ad occludendos suorum loculos, ex adversa quandoque parte aliam inscriptionem christiani hominis apponentes. Sic ex una parte paganorum inscriptiones aliquando leguntur, ex alia Christianorum; & conversa ad interiorem tumuli partem paganica inscriptione, sola exterior, quæ hominem christianum designat, apparet. Ejus rei complura exempla liber supra laudatus Romæ subterraneæ suppeditat. Nihil inde observare licet in prænotato epitaphio, in quo nullum certum christiani nedum sancti hominis indicium est, nisi quod erutum sit ex cœmeterio christianorum. Certe alia sanctitatis indicia hîc desiderantur.

Longe minor fides aliis, quæ sollemnem D. M. inscriptionem præferunt, qualem gentiles sepulcris suis adhibere solebant. Etsi enim rudes quidam primorum temporum christiani, paganicis assueti ritibus, hunc morem aliquando retinuerint; hic mos nihilo minus magis paganum redolet, quam christianum. Et tamen Juliam Evodiam Martyrem vulgarunt Augustiniani Tolosani ex subjecto epitaphio D. M. inscripto, quod Romæ in cœmeterio Calisti nuper cum corpore sibi concesso repertum est.

D. M.

JULIA. EVODIA. FILIA. FECIT
CASTAE. MATRI. ET. BENE-
MERENTI.
QUAE. VIXIT. ANNIS. LXX.

Qua in re duplex erratum est, & quod Julia Evodia ex hoc epitaphio Martyr dicatur: (neque enim inde Martyris titulus erui potest) &, siquidem posset, non Juliæ Evodiæ, sed ejus matri Castæ tribuendus esset.

Erit forte qui reponat, his siglis, D. M. significari DEO MAGNO, ut supra ex Fabretto retulimus, ubi de S. Leopardo martyre actum est. Verum, ut id locum habeat in Leopardo, quem martyrem fuisse ejus epitaphium docet; certe hic non valet, ubi nullum vel christianismi indicium est, nisi quod in cœmeterio Calisti hoc corpus inventum est. An vero cum ampulla sanguine tincta, alii viderint. Saltem Juliæ Evodiæ nomen, quod paganicæ mulieris est, ei tribui non debuerat.

Ex his nemo non videt, quam graviter in ejusmodi rebus contra religionem peccetur dum sancti Martyres asseruntur, quorum nonnullos christianos fuisse vix, ac ne vix quidem demonstrari potest. Simili errore Tolentinates Catervium patronum olim sibi adscivere, tamquam sanctum martyrem, quem Baronius Romano martyrologio adscribere noluit lecto ejus epitaphio, quod Catervium christianum quidem fuisse probat, sanctum aut martyrem fuisse non probat. Hujus Catervii & Severinæ ejus uxoris epitaphium ex typis Puteanis retuleram in Itinere Italico: sed accuratius profert Fabrettus [a] in capite X. inscriptionum, ubi FL. JUL. CATERVIUS V. C. EXPRAEF. PRAET. legitur, rectius quam in aliis editis, uti & alia, quæ sequuntur.

Fabr. p. 740. & seqq.

Hinc facile cuivis perspicere licet, paucos esse ex illis incognitis sanctos indubitatos; eorum nulli, aut certe rarissimi sint, qui vel martyris titulum in epitaphiis præferant; pauci, qui vitrea vascula sanguine tincta, quod patrati martyrii certum indicium est, adjuncta habuerint.

X V.

Verum etsi pro sanctis indubitanter habendi essent, non continuo publici illis honores tribuendi essent, absque legitima auctoritate; nec in exemplum universis fidelibus proponendi, nisi id vel martyrio certo, vel præclaris & heroicis virtutibus consecuti essent. Quis vero de sanctis illis incognitis hoc asserat? Si de vita eorum vel martyrio quæritur; silet antiquitas. Si majorum de illis testimonium; nullum est. Si facta & actiones; nullæ, perinde ac si numquam illi extiterint. Si vel nomen; plerumque penitus ignoratur; &, si quod sepulcris eorum appositum est, nullum fere discrimen à profanis. Quid ergo ædificationis ex illis elici potest, ut in exemplum & cultum toti Ecclesiæ proponantur? *Quid super illis agam*, ait hoc olim in simili argumento Gubertus Abbas, *quorum nec initia, nec media ulli patent, & in quo omnis laus cantatur, finis penitus ignoratur? Et quis illos, ut se juvare debeant, deprecetur, quos nescit, utrum quippiam apud Deum mereantur?*

Guib de Pag. sanct. lib. 1. c. 1.

At vitæ quorumdam scriptæ sunt: quales sancti Ovidii, sancti Felicissimi, sancti Victoris. At bone Deus! quales vitæ, quales libelli! ii certe, qui merito in indicem libellorum prohibitorum referendi essent, quod vel falsis commentis, vel vanis conjecturis tota respersi sint; aut certe vera sanctorum illustrium acta ignotis & apocryphis tribuant, in magnam ecclesiasticæ historiæ, ne dicam Religionis, confusionem. Ita sancti Felicissimi, diaconi sancti Sixti vulgo crediti, facta tribuuntur novo Felicissimo nuncupato; sancti Victoris Mediolanensis martyris Victori nuper Parisios allato. Quid vero de sancto Ovidio? verba & voces, solidi nihil. Laudatur quidem in libello de ejus vita plumbea lamina, in qua nomen ejus, senatoris dignitas cum anno martyrii expressa fuerint. Sed cur inscriptio ipsa non refertur? cur saltem martyrii tempus accurate non exprimitur? Passus est, inquiunt, sanctus Ovidius sub finem secundi sæculi. Hoccine est annum ipsum martyrii definire? Non sic enim vero, non sic annos exprimebant veteres, nec incertum sæculum pro certo anno habebant. Quam vereor ut hæc lamina satis authentica sit! At vitreum vasculum ad tumulum ejus repertum, palma eidem insculpta, cranium martyris hasta incisum. Bene: hæc martyrem sanctum Ovidium probent: sed hæc non satis ad asserendam ejus vitam, qualis in lucem edita est.

Pag. 203.

X V I.

Sint vero Sancti illi, sint Martyres. Ast id non sufficit, ut ipsis primarii Ecclesiæ honores tribuantur. Non satis est esse martyres: *vindicatos* quærimus, ut cum Optato Milevitano episcopo loquar, id est agnitos ab Ecclesia martyres ac probatos. Hinc est quod Lucilla matrona à Cæciliano tum archidiacono Carthaginensi correpta est, quod ante spiritalem sacræ Eucharistiæ potum os nescio cujus martyris libare dicebatur, *etsi martyris, sed nondum vindicati*. Vindicatos igitur tantum colebat Ecclesia, id est ab Episcopis agnitos & probatos.

V. Concil. Elib. can. 60.

Quæris quomodo probarentur? attende & expende factum magni illius sancti Martini Turonensis episcopi in discernendo falso illo martyre, cujus aram

aram subverterit; & vide quibus momentis inductus sit ad factum inquirendum, quibus modis ad falsum detegendum. » Primo rem incertam videns, « non temere adhibuit incertis fidem. En viri sanctissimi religio. Deinde grandi se scrupulo permoveri sentit, quod nihil certi constans sibi majorum memoria de illo tradidisset. « Vide quam acre curarit oculatissimi antistitis prudentia, quem forte multæ simplicitatis, ut sic loquar, virum esse opinabaris. » Postremo ab his, qui majores natu erant, presbyteris, vel clericis, flagitabat sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi. «

Age, has regulas sanctis illis incognitis adhibeamus. Incertum est plerique an sancti, an martyres fuerint. Id probatum. Deinde nihil non dico certi, sed nihil omnino de illis, nequidem incerti, tradidit majorum memoria. Denique si majores natu Romanos, sive presbyteros, sive clericos, interroges; nullus nomen martyris, nullus tempora passionis ostenderit. Hæc ubi animadverterint sanctissimi Ecclesiæ præsules, eos ejusmodi sanctis publicum illum cultum facile concessuros non puto: ne, si hoc fecerint, id tandem in superstitionem, quod Martinus verebatur, & nos vereri debemus, convalescat. Illud eo majori religione observandum, quod sancto Martino longe potior erat removendi falsi Martyris cultus ratio, propterea quod altare ibi à *superioribus episcopis* constitutum habebatur; quale nihil de sanctis illis incognitis habemus. Et tamen id sanctissimi Præsulis scrupulum non tollit aut relevat, maxime quod nihil certi constans sibi majorum memoria de pseudomartyre illo tradidisset. Hac cautela si erga sanctos illos incognitos adhibebitur, non tam facile in publicum fidelium cultum deinceps exponendi erunt.

Greg. Tur. de Glor. Mart c. 52.

Observatione digna est hanc in rem S. Gregorii episcopi Lingonensis cautio & religio. Is, referente Gregorio altero Turonensi ejus pronepote, cum sanctum Benignum martyrem Divionensem in magno sarcophago conditum, atque à fidelibus cultum & honoratum animadverteret; ejus cultui magno molimine restitit, putans eum alius aliquem ibi sepultum esse gentilem: dum tandem revelatione factus est de veritate certior, ubi historiam passionis ejus ex Italia allatam accepit.

At, bone Deus, quanta olim Romanæ Ecclesiæ in his cautela erat! quæ, teste Gelasio, gesta sanctorum martyrum, non modo incertorum, sed nec verorum, in divinis officiis legi patiebatur, propterea quod scriptorum nomina ignota essent, & auctoritas. Quanto magis incertorum Martyrum cultum prohibuisset? Et vero prohibet etiam nunc, ut patet ex illo generali Decreto jam laudato.

XVII.

Verum si quarta regula incognitis illis sanctis adhibeatur, eorum fortasse cultum non tam facile permissuri sunt Ecclesiæ Præsules. Quot & quantæ cautelæ in canonizandis novis sanctis, quam morosa diligentia, quam accurati & prolixi ritus adhibeantur, nemo nescit, ut eos singillatim percensere superfluum videatur. In summa, ut aliquis sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, ait Gregorius IX. in bulla canonizationis S. Antonii de Padua, *duo sunt necessaria; virtus morum, & veritas signorum; merita videlicet & miracula; sic ut hæc & illa sibi invicem contestentur. Cum nec merita sine miraculis; nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis.* Præiverat concilium Francofordiense, Carolo Magno regnante habitum, cujus canone 42. sancitum est, *ut nulli novi sancti colantur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt.* Et hæc quidem in accensendis numero sanctorum confessorum novis sanctis accurate observantur, cur non etiam in illis incognitis.

At Martyres fuerunt. Verum quibus id demum probatur testimoniis? ut de plerisque dicam, fere nullis. Esto vero, hi martyres fuerint: interest scire quam ob causam cæsi fuerint. Non enim quosvis martyres agnoscebat olim Ecclesia, quæ temere in media pericula irruentes rejiciebat, teste Mensurio episcopo, in Collatione Carthaginensi. Ubi vero miracula ad cultum illum eis deferendum? nulla certe prærequiruntur in sanctis illis incognitis.

V. Acta S. Polycarp.

Totum negotium hoc fere modo ac ritu conficitur. Præmissis nonnullis precibus, si quis tumulus in Romanis illis antiquis cœmeteriis nondum reseratus occurrit cum Christi monogrammate, cum signo palmæ, columbæ, Pastorisve, aut aliquo consimili; tumulus ille detegitur, &, siquidem certum martyrii aut sanctitatis in eo appareat indicium, puta vasculum sanguine intinctum, hominis conditi ossa e tumulo efferuntur. Dehinc lavanda traduntur certis ministris ad hoc deputatis, quibus locis Cardinalis Vicarius, vel Episcopus sacrarii Apostolici præfectus Augustinianus nomen sancti imponit, si nullum habet, & in cistam obsignatam reponit. Hæc illa est sanctorum illorum incognitorum recognitio & , ut ita dicam, canonizatio: qui ut sancti, martyresve fuerint, hoc nomine in loco decenti asservari quidem possunt; ut vero pro sanctis publice habeantur, colanturque profuso illo Ecclesiæ cultu, episcoporum est, & maxime summi Pontificis dispicere, an id gravitati ecclesiasticæ conveniat. » Duo « quippe, ut ex Gregorio nono mox dicebamus, ad « decernendum publicum ejusmodi cultum sunt ne- « cessaria: virtus morum, & veritas signorum, ita « ut nec merita sine miraculis, nec miracula sine « meritis apud homines sufficiant. « Hæc saltem pro « confessoribus. Utrumque supplere potest martyrium, si passio martyrum sit comperta, & approbata causa. Hæc fere desunt sanctis illis incognitis. Quid superest, nisi ut ex Romani pontificis sententia, nedum ex Romano Decreto, publicus ille cultus eis abrogetur? Missæ, inquam, divina de eis officia, laudatoriæ orationes, sanctissimi Sacramenti expositio seu ostensio, quam nonnisi ægre in celebrioribus illustrium sanctorum festis permittunt episcopi quique religiosiores. Certe olim sacra eucharistia statim post consecrationem palla tegebatur, immo etiam ante consecrationem, ut patet ex Gregorio episcopo Turonensi; idque in usu erat usque ad sæculum duodecimum, quo ineunte Guibertus abbas testis est, statim *post elevationem demitti Sacramentum* à sacerdote solitum, *& operiri sindone*, quod modo corporale vocamus: uti hodie quoque fere in usu est apud Cartusianos. Nempe ut hoc ritu testaretur sacerdos, se conspectu tanti Sacramenti omnino indignum esse. Unde rejectum traditur à sancto Nicetio Lugdunensi episcopo quoddam *coopertorium Sarmaticum, quia rarum erat ac tenue; quia non exinde plene tegebatur mysterium corporis, sanguinisque Dominici*. Quam longe tunc aberant à nostris moribus, qui quibusvis oculis passim divinum illud Sacramentum exponimus! Verum quod tunc abscondi suadebat religiosa pietas, hoc nunc exponi pia fidelium devotio forte exigit, quæ varios usus induxit pro locorum ac temporum varietate. At concedatur hic honor insignioribus sanctis: an vero etiam dubiis aut incognitis concedendus sit,

Greg. Tur. lib 6. c. 11.

Guib. de pign. Sanct. lib. 1. c. 2.

Greg. Tur. de Vit. Patr. c. 8.

malim id sanctorum ecclesiæ præsulum judicio relinquere, quam temere negare videri.

XVIII.

At miracula ejusmodi sanctorum quanta ! quot & quanta ad eorum loculos appensa anathemata in signum miraculorum ! quot abortivi infantes excitati ad percipiendum baptismum ! Verum illa miracula velim nobis præstari à testibus fide dignis; nec in ea inquirere mihi privato homini convenit. Episcoporum id officium est, ea auctoritas. Ceterum de abortivis illis parvulis grandem cujusdam mulieris animo scrupulum immissum fuisse scimus, quod falsu excitationis testimonio baptismum parvulo suo abortivo procuraverit. Unde ad præcavendos ejusmodi abusus tales baptismos jam pridem interdixit Ecclesia, ut ad calcem hujus epistolæ patebit ex statutis Guidonis episcopi Lingonensis.

Verum fac ista miracula vera & certa esse. Sane hæc præcessisse debuerant, quo sancti illi pro veris ac certis haberentur & colerentur; nec subsequentia miracula factum præcedens comprobant. Deinde præter miracula Gregorius honus exigit vitæ meritum, quale certe in sanctis illis incognitis nullum nobis compertum est. Neque certum in omnibus martyrium, quod vitæ meritum adæquat.

Insigne est hanc in rem factum Gregorii Magni. Erant in quadam Anglorum ecclesia reliquiæ quædam, quas sancti Sixti martyris esse vulgus credebat, easque hoc titulo venerabatur. Augustinus contra eas pro incertis ac suspectis habebat. Hæc causa ipsi fuit rogandi Gregorium, sibi ut sancti Sixti veras reliquias submitteret ad corrigendam, si qua esset, superstitionem. Quid ad hæc Gregorius ? *Fecimus*, inquit, *quod petisti, quatenus populus, qui in loco quodam sancti Sixti martyris corpus dicitur venerari (quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter certum videtur) certa sanctissimi & probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quod si corpus, quod à populo cujusdam martyris esse creditur, nullis miraculis coruscat; & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se à parentibus passionis ejus ordinem audisse fateantur: ita reliquiæ, quas petisti, seorsum condenda sunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obstruatur; nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari.*

Incertos itaque sanctos & incognitos coli prohibet Gregorius, nimirum qui nullis miraculis coruscant, & de quorum passione à majoribus tradita nulla cognitio habetur; ut certe nulla de sanctis illis incognitis ad nostram notitiam pervenit.

Neque vero sola miracula, etiam vera, sufficiunt ad probandam alicujus sanctitatem, nisi aliunde sanctitas comperta sit, aut ex insigni vitæ integritate, aut ex certo & approbato martyrio. Fieri enim possunt vera miracula ad falsas reliquias, ob fidem ac pietatem eorum, qui eas veras esse credant. Hanc sibi quæstionem olim proposuit Guibertus abbas: *Utrum Deus simplices quosque exaudiat, cum per eos invocatur, quos esse sanctos non constat ? Cui respondendum est*, inquit, *quia sicut Deum, qui eum, de quo est incertus, exposcit, irritat; ita eum, si fideliter sanctum illum credens, qui non est sanctus, exores placat.* Et infra: *Plane si sanctum quis æstimes, quem sanctum quidem dici audiat, sanctum vero esse non constet; si eum præcordialiter & secundum fidem interpellet, apud Deum, qui causa & fructus est orationis, intentio deprecantis tota defigitur, quocumque modo animus per simplicitatem super suo intercessore errare videatur; & quod sub spe boni honoratur, numquam à boni remuneratione cassatur.* In his itaque fidelium pietas ac simplicitas apud Deum supplet quodam modo sanctitatem eorum, quos sanctos bona fide credunt, & invocant.

Guib. lib. 1 de pign. in fine.

An vero, inquis, dubitare licet Romana cœmeteria sanctorum corporibus referta fuisse ? Ego vero adeo id non infitior, ut contrà initio hujus epistolæ ex Hieronymo & Prudentio præstruxerim. Verum omnes, quotquot in illis cœmeteriis conditi sunt, sanctos esse, nedum martyres, uti jam dixi, indubitanter nego. Delectu itaque utendum est in veris sanctis secernendis, & certa hanc in rem proferenda indicia, ut quis pro sancto in Ecclesia habeatur & colatur.

XIX.

At innumeros illis in cœmeteriis martyres sanctos olim exstitisse docet idem Prudentius in hymno undecimo de coronis, additque nomina eorum soli Deo nota esse. Cur ergo, inquis, coli vetas, quos sanctos martyres habebat antiquitas ? Absit ut repugnem. Sed audi quibus indiciis Prudentius probari sanctos martyres velit.

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus, ô Christo Valeriane sacer;
Incisos tumulis titulos. Tu singula quæris
Nomina ? difficile est ut replicare queam:
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troia Roma deos !
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia turbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virûm jaceant congestis corpora acervis,
Nosse licet, quorum nomina nulla leges.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Relliquias memini me didicisse hominum:
Quorum solus habet comperta vocabula Christus.

Fateor itaque innumeros fuisse illis in cœmeteriis martyres, quorum nomina, de plerisque loquor, soli Christo nota erant. Hoc certe probat Prudentius: sed vide quibus indiciis sanctos martyres illos designet. Primo incisi erant tumulis tituli. Non ergo absque titulis Martyres agnoscendi. Tituli illi erant Martyris nomen, aut aliquod epigramma. Proferantur nobis tales tituli, & ego sanctos illos pro veris martyribus agnoscere paratus sum. Si nomen martyris deesset, saltem marmora illorum claudentia tumbas, numerum sanctorum martyrum, qui illic jacerent, suppressis licet nominibus, notabant. Si quid simile nobis in argumentum afferatur ad incognitos illos nostri temporis sanctos approbandos, bene habet.

Neque vero infitiari velim, quin corpora cum ejusmodi notis è Romanis cœmeteriis extrahi possint, & re quidem vera etiam nunc quandoque extrahantur, & ad remotas transferantur ecclesias. Antiquum hunc esse morem testis est Paulinus Nolanus antistes in Natali XI. sancti Felicis recens edito à V. Cl. Ludovico-Antonio Muratorio, ubi vir sanctissimus sacrarum reliquiarum in varias christiani orbis plagas translationes ita describit.

Inde igitur, suadente fide, data copia filis
Tum comitum studiis, quædam ut sibi pignora vellem
Ossibus è sanctis merito decerpere fructu,
Ut quasi mercedem officii, pretiumque laboris
Præsidia ad privata domum sibi quisque referret.
Ex illo sacri cineres, quasi semina vitæ,

Diversis sunt sparsa locis ; quaque osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit , ingentes illic gratia fontes ,
Et fluvios vitæ generavit gutta favilla.

Hactenus sanctissimus præsul. Ea vero erat primis illis temporibus in sanctorum reliquias veneratio, ut pallæ, panni, lintea, sacris eorum loculis imposita, immo etiam pulvis ex eorum monumentis collectus, pro sacris reliquiis haberentur, & ad ecclesiarum, altariumque consecrationem sufficere crederentur, ut ex Gregorio Magno & Gregorio Turonensi episcopo, aliisque manifestum est.

Singulare mihi videtur id, quod idem Gregorius Magnus olea ex omnibus fere Sanctorum, qui tunc Romæ insigniores erant, reliquiis ad Theodelindam reginam misit. Id nos docuit authenticus index earum reliquiarum, in charta Ægyptiaca exaratus fugientibus jam litteris, & in museo clarissimi viri Francisci Septalæ, ecclesiæ S. Nazarii apud Mediolanum canonici, asservatus, ex quo exemplum olim transtulimus, à Muratorio nuperrime vulgatum in tomo secundo Anecdotorum. Hæc olea an ex Sanctorum corporibus profluxerint, an ex lampadibus ad eorum reliquias ardentibus accepta sint, non liquet. Quamquam posterius longe mihi probabilius videtur. Nam ampullas oleo plenas ex lampadibus ad Sanctorum tumulos ardentibus olim efferri solitas fuisse, & salutem multis attulisse, auctor est in primis Gregorius episcopus variis in locis. Notum est quod Paulus Warnefridus in lib. II. de gestis Langobardorum cap. XIII scribit de Venantio Fortunato, ejusque socio Felice, qui ambo, cum oculis male affecti essent, Ravennæ in basilica sanctorum Pauli & Johannis, accepto è lampade, quæ ad S. Martini altare ardebat, oleo, & oculis admoto, illico sanati sunt. Itaque vix dubito, quin olea illa ad Theodelindam missa ejusdem generis fuerint. Denique Gregorius ipse gratias agit Leoni ex-consuli ob acceptum ab eo *oleum sanctæ Crucis*. Ubi miranda majorum nostrorum pia simplicitas, à moribus nostræ ætatis longe diversa, qui ejusmodi olea pro veris reliquiis habebant.

Greg. Tur. lib. 4. hist. c. 16. lib. 8. c. 15. & lib. 4. de mirac. S. Martini c. 2.

Greg. lib. 7. ep. 34. ind. 1.

Eadem eorum religio erat in brandea seu pannos, quibus ex contactu sanctorum lipsanorum virtutem inesse haud dubitabant. Qua de re insignis locus est apud Gregorium Turonensem in lib. 1. de miraculis sancti Martini cap. 11. de legatis Chararici Galliciæ regis Ariani, qui pallium sericum S. Martini tumulo impositum, pro reliquiis sacris in patriam retulerunt.

Verum, ut ad Romanos redeamus, præclarus est hanc in rem locus apud eumdem Gregorium de sepulcro S. Petri in basilica Vaticana. Illud tunc temporis positum erat sub altari, quod quatuor columnis ornatum erat, præter illas, quæ ciborium sepulcri sustentabant. Quisquis autem orandi gratia illuc ibat, reseratis cancellis, qui locum illum ambiebant, accedebat super sepulcrum; & parvula fenestella, quæ illic erat, patefacta, immisso introrsum capite, preces pro sua necessitate suggerebat. Tum immisso, si vellet, linteo sive panno, prius ad momentanam seu stateram appenso, jejunus in precibus illic subsistebat; &, siquidem ejus fides id merebatur, votorum compos fiebat. Cujus rei hoc indicium erat, si pannus inde pondere gravior efferretur. Ejusmodi panni sacrati à Gregorio Magno *brandea* vocantur, quos pro sacris reliquiis etiam ad Principes mittebat, nec alias facile dari sustinebat. Porro non unica, sed duæ ad beati Petri sepulcrum ejusmodi fenestellæ erant, superior & inferior, *cataractæ* appellatæ in altera suggestione legatorum Germani & Johannis

Greg. Tur. lib. 1. de Glor. Mart. c. 28.

Al. lect.

episcoporum, nomine Justiniani comitis missorum ad Hormisdam pontificem, petentium, ut *sanctuaria* (sic ejusmodi reliquias vocant) *ad secundam cataractam* ipsis concederentur. Major quippe prærogativa censebatur, si ex secunda fenestella panni super Sancti Petri sepulcrum seu loculum inferrentur: propterea quod ex ea propior esset sacri corporis contactus, atque adeo virtus major haberetur.

Similis fenestella erat ad *memoriam* seu loculum reliquiarum beati Stephani in urbe Uzalensi, auctore Evodio in libro de miraculis S. Stephani capite XII ubi civis quidam Uticensis, paralysi linguæ, pedumque affectus, recuperato pedum officio, exuta tunicæ suæ manica, eo quod orarium non haberet, eam per fenestellam *memoriæ* ad interiorem locum sanctarum reliquiarum manu injecta immisit; indeque manu reducta manicam ori suo admovens & linguæ, loquendi facultatem recuperavit.

Ea igitur erat Fidelium illis temporibus pietas ac devotio, ut ejusmodi pannos pro sacris reliquiis haberent. quo in genere in Parisiensi S. Germani seu Pratensi basilica id genus *brandea* ex dono Gregorii Magni asservantur.

Quin etiam terræ Jerosolymitanæ portiones longius efferebantur, teste Augustino in lib. XXII. de civitate Dei, cap. VIII. cui adstipulatur Gregorius Turonensis episcopus in lib. 1. de gloria martyrum, cap. VII. ubi ait, terræ ejuscemodi particulas aqua solere conspergi, & ex iis *tortulas parvulas formari, ac per diversas mundi partes transmitti*, ex quibus *plerumque infirmi sanitates hauriunt*. Hinc Donatistæ terram ex Oriente, si eis afferretur, *adorabant*, ut scribit Augustinus in epistola LII. Denique Helena augusta, Constantini Magni parens, ex eadem terra magnam copiam attulisse Romam dicitur, ex qua sacellum sanctæ Crucis in Jerusalem constratum, & ferme repletum fuisse testantur Onufrius Panvinius & Severanus. Eadem religione adducti Pisani, magnam quoque *ejusdem* terræ copiam in suam urbem Jerosolymis retulerunt, exque ea amplissimum cœmeterium, quod *Campum sanctum* appellant, constraverunt.

Hæc idcirco refero, ut nemini mirum videatur, quod Fideles quovis tempore reliquias sacras quascumque ex urbe Roma, quæ secundum Jerosolymam sancta & sanctissima semper, & merito quidem, habita est, obtinere studuerint. Unde quivis facile intelligat, quanti intersit, ut hæc reliquiarum transmissio maximo cum delectu fiat, ne quid tam sanctæ Urbis & Ecclesiæ reverentiæ, quod absit, detrahatur.

X X.

Etsi vero quovis tempore Sanctorum reliquiæ inde quæsitæ sint, id tamen præcipue usitatissimum fuit à sæculo octavo & nono: quo tempore Chrodegangus Mettensis episcopus, Hilduinus abbas, Eginhardus, Rabanus, aliique Sanctorum corpora ex Urbe acceperunt. Eodem desiderio animatus Otgarius Moguntinus archipræsul quoddam corpus sanctum petiit à Gregorio IV. qui ei rescripsit in hunc modum. *De corpore sancto, quod nobis humiliter vestra quæsivit prudentia, quod dirigeremus non habuimus: quoniam cuncta sanctorum corpora prædecessores nostri nobiscum communiter dederunt, & unumquodque eorum ecclesiis noviter ædificatis summa venerations condidimus. Proinde benevolentiam vestram precamur, ut nobis spatium inquirendi diligentius præbeatis: quatenus corpus sanctum invenire valeamus ad vestram complendam petitionem: & si inventum fuerit, vestra nobis credere dignetur indu-*

stria, statim quod petistis faciemus. Modo illud non misimus, quia inquirentes nequaquam invenire valuimus. Hæc epistola inter Bonifacianas à Serario primum edita fuit, ad calcem hujus libelli integra referenda: ex qua id tantum colligitur, insigniorum Sanctorum corpora non facile tunc in Romanis cœmeteriis reperiri potuisse, ut pote à præcedentibus Pontificibus in urbanas translata ecclesias. Sane paullo ante Paschalis I. teste Anastasio, *multa corpora Sanctorum* in illis cœmeteriis perquisierat, atque inventa *intra civitatem recondiderat.* Quapropter multa diligentia opus erat, ut aliquod insignioris sancti corpus, quale sine dubio expetebat Otgarius, de novo inveniretur. Adde non omnia Romæ sacra cœmeteria tunc detecta fuisse, quale est cœmeterium illud, quod Castuli esse existimant, novissime retectum ad portam Majorem, prope aquæ-ductum Sixti V. quod, nonnisi adhibita scala, cum Fabretto ingredi potuimus, cum Romæ anno 1686. versaremur. Et forte Otgarii tempore necdum usus invaluerat, ut Baptizatorum, quos vocant sanctorum corpora pro sacris reliquiis in exteras regiones submitterentur.

Haud scio cujus generis fuerit corpus illud, quod in novo Classensi Ravennæ monasterio à se visum Maii tom. 5. p. 223. fuisse testatur vir fide dignissimus Daniel Papebrochius, cujus ipsa verba hic attexere non gravabor. » Cum anno 1660. inquit, venissemus Ravennam, » & 20 die Novembris ingressi ornatissimum tem» plum novi Classensis intra urbem monasterii ado» ravissemus sub majoriara quoddam corpus sacrum, » illuc depositum & decentissime conditum à quo» dam Cardinali Legato, admoniti esse *sancta Ar» gyridis matronæ & martyris græcæ*, cujus ibi fe» stum quotannis ageretur die 24 Aprilis; ducti fui» mus post altare, ut spectaremus marmor tres aut » quatuor pedes longum, altum vero unum, quod » cum corpore illo pariter allatum fuerat, his inscri» ptum notis:

ΓΛΥΚΙΤΑΤΗ. ♥ ΓΥΝΑΙΚΙ

ΑΡΓΥΡΙΔΙ. ♥ ΤΡΟΦΙΜΟϹ

ΑΝΗΡ. ♥ ΕΤ. ΕΞΗ ♥ Λϛ.

» Rogabant adstantes, ut ipsum sibi latine redde» remus. Hanc ego interpretationem eis scriptam » reliquimus: *Dulcissimæ mulieri Argyridi Trophi» mus maritus. annis vixit* XXXVI. monuimusque re» movendum à templo videri saltem lapidem, qui » natus esset scandalum parere intelligentibus, & » mulieri forsan ethnicæ positus, ac deinde à Chri» stianis fuisset allatus in cryptam, ut alicujus mar» tyris loculo claudendo serviret pro latere. Nam il» la corda (istic enim, ubi nos litteram ♥. posui» mus, notula quædam erat, aliquam speciem præ» bens transfixi cordis) si vera sunt corda, solum » esse indicia doloris, quem maritus hauserit ex ja» ctura tam caræ conjugis. Quod in aliis pluribus » ethnicorum epitaphiis videre erat. « Pium sane Papebrochii consilium: sed audi pulsimum factum Archiepiscopi Ravennatis, quod utinam ceteri antistites in similibus rebus imitarentur. Sic enim quibusdam interpositis pergit Papebrochius. » Cum Ra» vennati Archiepiscopo intonuisset nostrum de la» pide isto judicium, prædictam Congregationem, » quæ scilicet super indulgentiis, sacrisque reliquiis » Romæ instituta est, consuluit, & responsum ac» cepit, non solum amovendum lapidem, sed ipsum » quoque illud corpus, quod martyris esse nullo jam » certo argumento patebat, restituendum domino » Cardinali, qui ipsum donaverat. « Quod executioni mandatum fuisse non dubitat Papebrochius. O dignum certe Romana gravitate judicium sacræ illius Congregationis! à qua sine dubio eadem omnino sententia in similibus factis speranda est, si de his pariter consulatur.

Ceterum si qua similia facta quandoque occurrerint, ea nequaquam imputanda sunt Romanæ ecclesiæ, quæ summa diligentia & circumspectione hæc examinari cupit; sed ministris secundariis, qui aliquando in his non satis accurate & considerate agunt.

XXI.

Unum his quæ hactenus dixi, cum nonnullo colore opponi potest, nempe non paucos ex illis sanctis; quos colit universa etiam Ecclesia, iisdem veris actis destitui, nec fere quidquam certi & explorati de illis à majoribus traditione acceptum haberi. Quod de sancto Georgio, de sancto Christophoro, aliisque similibus dici potest: quos tamen ab Ecclesia temere coli, nemo catholicus dixerit. Verum magna est inter utrosque distantia, magnum intervallum. Horum siquidem cultus auctoritatem habet à primæva Ecclesia, cui compertum erat saltem eorum martyrium, tametsi nulla nobis de eorum actis supersit certa notitia.

At illorum incognitorum sanctitas plerumque haud satis explorata est, neque martyrium ipsum; quod nequaquam dubium, sed indubitatum esse debet, aut certe indubitata sanctitas, ut publici Ecclesiæ honores eis legitime decerni possint. Si ergo dubium sit eorum martyrium, vel incerta sanctitas; non colendi sunt, sed ad summum honesto habendi loco; immo eorum corpora è loculis non eruenda: si quid certum de eorum vel sanctitate, vel martyrio habeatur; veneraudi quidem, non profuso & immodico illo cultu, sed moderato, prout summus Pontifex statuerit.

Opponunt nonnulli esse in antiquis etiam ecclesiis reliquias haud satis authenticas, quas examinare æque operæ pretium esset, quam novas illas, quæ è Romanis cœmeteriis de novo eruuntur. Et id quidem ultro concesserim, si id facile fieri posset. Verum sæpe desunt argumenta, quibus id legitime fiat ob antiquiorum temporum obscuritatem; & longe facilius est novis occurrere, quam vetera errata abolere; nec decet nova augere, prætexendo vetera, quæ vix, ac ne vix quidem emendari possunt.

Mihi hoc loco in mentem venit recordatio facti, quod sæculo nono contigit in Divionensi ecclesia beati Benigni ad quasdam reliquias, quas duo gyrovagi » *qui se monachos esse dicebant*, vel ex urbe Ro« ma, vel ex nescio quibus Italiæ partibus se sustu« lisse affirmabant, *cujus tamen sancti nomen se obli« tos esse impudenter* aiebant. Nihilominus ejus« modi reliquiæ, à tam vilibus delatæ personis, & « nullo veritatis testimonio approbatæ, *velut causa « honoris*; juxta sepulcrum gloriosi martyris S. Be« nigni reverenter locatæ fuerant. Tum vero in ea« dem basilica, non sanitatum, sed percussionum « & elisionum miracula fieri cœpta: quibus miseræ « mulierculæ subito in ipsa orationis domo cadere, « collidi & vexari visæ sunt. « His stupefactus in primis ejus loci abbas Ingelramnus, & ipse chor-episcopus, rem ad Theodoldum diœcesanum seu Lingonensem episcopum retulit: episcopus vero Amolonem metropolitanum ea de re consulendum censuit per eumdem Ingelramnum. Amolonis sententia hæc fuit, *ut ossa illa, quæ nulla ratione, nulla auctoritate, nescio cujus sancti esse dicebantur, omnino de sacris usibus & de loco celebri tollerentur, & nequaquam intra ecclesiam, sed foris in atrio, aut cer-*

te sub pariete, vel circà ipsam, vel, quod utilius existimabat: circa aliam, secreto in loco, apto & munito, sub paucorum conscientia sepelirentur: ut, quoniam & sancta esse dicebantur, aliquid eis reverentia deferretur; &, quia esse penitus nesciebantur, nequaquam rudibus populis occasio erroris & superstitionis existerent. Nec minuere debemus, inquit Amolo, *ne foret ex hac diligentia aliquam offensionem incurramus. Vult enim omnipotens Deus nos in rebus suis cautos esse atque discretos, juxta præceptum Apostoli dicentis: Omnia autem probate; quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. & iterum: Nam & ipse satanas transfigurat se in angelum lucis.* Hæc summa est responsionis Amolonis, qui his subjungit exemplum S. Martini superius adductum, quod accurate observare studuit Amolo, *nec derogans religioni, quia incertus erat; nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret*, ut Sulpicius de S. Martino scribit.

In hac epistola quatuor maxime notat Amolo, nempe quod reliquiæ illæ ab hominibus dubiæ vel nullius fidei allatæ essent: quod nullo legitimo approbatæ testimonio; quod nullo nomine prædictæ essent: & quod non sanitatum, sed collisionum miracula ad illas fierent. Ex his tertium præcipue urget, nimirum quod illi, qui eas attulerant, *illius sancti nomen se oblitos esse mira impudentia dicerent*. quod multis capitibus arguit.

Hinc forte quis inferat, non probatum iri Amoloni, quod sanctorum Anonymorum, quos baptizatos vocant, corpora e Romanis cœmeteriis ad exteras ecclesias transferantur. quod recens inventum esse alii forte reputabunt. Verum non eo tendit Amolonis sententia. Urget quidem nominis in illis reliquiis defectum, sed conjunctum cum aliis defectibus, qui eas auctoritatis omnino expertes esse probabant: scilicet quod à vilibus & nullius momenti personis allatæ essent, quod nullo idoneo testimonio assertæ, & quod veris miraculis carerent. Absque his esset, nominis defectus illis non obfuisset.

Certe recens inventum non est, sanctis martyribus, quorum nomina ignota essent, adscititia imponere nomina, modo ut de vero ac legitimo eorum martyrio constaret. Exemplo sit S. Adauctus, qui cum S. Felice martyre colitur III. kal. Augusti; cui, quod ejus nomen ignoraretur, Adaucti nomen tributum ab Ecclesia est. Ita sanctis Quatuorcoronatis, ita multis aliis veris ac indubitatis quos ab antiquo colit ecclesia, aliena nomina imposita sunt, ut ab aliis distinguerentur. Non ergo recens inventum est, (tametsi forte id rarius olim fiebat,) quod sanctis anonymis, quales sunt plerique illi, quorum corpora e Romanis cœmeteriis eruuntur, subdititia imponantur nomina, modo cum Sanctis receptis & authenticis non confundantur. quod Romani vitare student: Et certe iniquum videretur, innumeros martyres, qui simul uno in loco, unaque die passi sunt, quales fuere quadraginta-quatuor milia in Ægypto, qui ex edicto decimi-noni anni Diocletiani martyrio coronati sunt, teste Ignatio Patriarcha Antiocheno; iniquum, inquam, videretur, tot martyres debito fraudare cultu, eo tantum prætextu, quod nomina eorum ignorata sint.

Scalig. de emend. temp. lib. 5.

Ex his illustrari potest Nicolai I. epistola, nundum edita, ad Tadonem archiepiscopum Mediolanensem. Hic pontifici scripserat, in diœcesi sua, id est in Augustana, quæ tunc sui juris erat, ecclesia, *non esse sanctorum corpora, nisi Christi martyris Afræ, matrisque ejus Hilariæ, seu puellarum earum*, scilicet Dignæ, Eunomiæ, & Eutropiæ: *esse tamen plura quæ specialibus indiciis ac nominibus minime clareant: quorum nonnulla nimirum integra manere feruntur*: quæ quidem *auctoritate apostolica, præmissis jejuniis & orationibus, aliorum Sanctorum aptatis nominibus in basilicis recondere* in animo habebat, si modo ei per pontificem liceret. Ast id non probavit Nicolaus, immo fieri vehementer inhibuit. » Sufficere quippe ait invocationem « Sanctorum nominatorum, etiam ubi corpora desunt, fidelibus ad salutem; indignumque esse, » *nondum divinitus per gloriosos agones corporibus revelatis, sanctorum imagines, nominaque aptari. Quæ licet forte sanctorum sint, opera pretium est tamdiu in incerto sua conditionis manere, quamdiu eos Dominus, more solito revelando, ad summam sanctorum provexerit liberiatem.*

Verum his non improbat præcise pontifex, ignota illa corpora in basilicis *honorabiliter recondi*, quod nominibus careant; sed *quod specialibus indiciis* sanctitatis aut martyrii *minime clareant*. Et hæc etiam nunc mens est circa illos sanctos Anonymos & sententia Romanæ ecclesiæ, quæ id honoris tribuit iis tantummodo sanctis, qui *specialibus indiciis clareant*, quales sunt ampullæ illæ sanguine tinctæ, quas pro certis martyrii indiciis sacra Rituum Congregatio merito agnoscit. In hac autem epistola maxime suspicienda est religio, tum Nicolai papæ, qui ejusmodi corpora, etsi *integra manere* dicerentur, negat tamen intra ecclesiam *honorabiliter recondi* debere, quippe quæ *specialibus* sanctitatis aut martyrii *indiciis minime clareant*: tum Tadonis archiepiscopi, qui id sibi non licere putavit absque *auctoritate apostolica*. Quod maxime pro illo tempore observatu dignum mihi videtur. Ceterum hanc reliquiarum apud Augustam raritatem, etiam post S. Udalricum episcopum, supplere conati sunt sæculo XI. nostri Benedictini, Sighardus scilicet abbas, cœtusque monasterii S. Afræ & S. Udalrici, qui, missa Gerundam legatione, S. Narcissi primi sui apostoli apud Gerundam passi, aliorumque ejus sociorum reliquias impetrarunt, ut fidem facit epistola Berengarii Gerundensis episcopi eisdem scripta, quam apud Velserum in commentario ad conversionem S. Afræ videre licet.

Videar fortasse progressus longius, mi Theophile, quam tu ipse postulabas. Verum scopum nostrum tenes; eoque tantum spectat hæc epistola, ut immodicus ejusmodi cultus, qui ignotis illis sanctis in multis ecclesiis tribui solet, corrigatur & emendetur ex Romano illo Decreto sacræ rituum Congregationis, mox referendo; & major in posterum cautela in probandis & admittendis ejusmodi reliquiis adhibeatur. Cetera ad hunc scopum religata, & ex sincero religionis cultu & Ecclesiæ catholicæ amore à me dicta, benigne, ut soles, interpretaberis.

XXII.

Jam tempus est, ut de duabus istis inscriptionibus, quæ huic epistolæ occasionem præbuerunt, paucis edisseram.

Prima ante triennium reperta est in agro Vesontionensi, nempe in vico sancti Ferreoli. Hic tumulus magnæ molis defossus, in quo loculus plumbeus (quod insolitum mihi videtur) cadaver continens habebatur. Lapidi insculpta erat litteris Romanis, quarum nonnullæ detritæ, hæc inscriptio.

AVE. EUSEBI
CASONIÆ. DONATÆ
QUÆ. VICXIT. ANNIS
XXXXVII.... D. XI. HORIS
IIII. CANDIDUS. AUG.

PII. VERNA. EX. TEST.
CONJUGI. BENÉ MERENTI.
POSUIT. EUSEBI
HAVE. ET. VALE
LOC. LIB.

Appositom erat quatuor in loeis qooddam signum, quod crucem referre videbatur. Parum abfuit, quin ex delectorum ecclesiasticorum testimonio ossa cadaveris in locum sacrum efferrentur: verum Abbas Boisotus, vir doctus ac pius, qui nuper excessit e vivis, intercessit. Hic omnibus diligenter inspectis, non Christianum, sed gentilem quemdam hominem isto loculo contineri, eaque inscriptione designari non dubitavit. Signum vero, quod Crucis esse credebatur, hoc modo efformatum, fabrorum lignariorum esse instrumentum, quod illi vulgari nostra lingua *erminette*, veteres *asciam* appellant. Ita unius viri judicio impedita est hominis fortasse, immo certo, profani in locum sacratum translatio.

Sane hæc affectuum vocabula, *Ave* seu *Have* & *Vale*, vix crediderim reperiri in aliis, quam ethnicorum epitaphiis. qua de re consule Brissonii Formulas sub finem libri VIII. Asciæ quoque instrumentum solis paganorum tumulis appositum fuisse puto, nec fere alibi, quam apud Gallos, maxime Celtas. Hujus rei plurima exempla referuntur à Paradino, & in Consulari Historia Lugdunensi: ubi sollemnis hæc legitur formula, SUA ASCIA DEDICAVIT. De cujus interpretatione nondum convenit inter eruditos. Varias eorum sententias affert, refellitque Fabrettus inscriptionum capite III. suamque non tam sententiam, quam conjecturam profert, haud scio an aliis probandam: scilicet asciam istam non eam esse, qua fabri lignarii ad ligna utuntur, sed aliam, quæ eodem nomine, eademque figura, longiori tantum hastæ infixa, ad macerandam & subigendam calcem arenæ commistam hodie-dum inservit. Calcem enim ita asciari, & à suis calculis & scabritie purgari tradit Vitruvius. Verum ejusmodi instrumentum non bene referunt asciæ figuræ, quales in tumulis Lugdunensibus, aliisque inveniuntur sub hac forma. Forte sollemni illa *sub ascia* sepulcrorum dedicatione *Diis Manibus* facta nihil aliud volebant veteres, quam ut ejusmodi monumenta magis inviolata redderentur sub pœna asciæ seu capitis, quam violatoribus sepulcrorum intentarent. Eadem ratione aram insuper quandoque adjiciebant, ut in hac inscriptione Viennensi:

SERVI. SEVERI. FL. CASSIA
MISERA. MATER. FILIO
INCOMPARAB.LI. ANN.
XXIII.
ARAM. POSUIT. ET. SUB.
ASCIA. D.


Unum tantum addo: scilicet non semper asciæ figuram imprimi solere illis monumentis, in quibus sollemnis hæc formola legitur. Certe nulla asciæ figura apparet in insigni magnæ molis monumento, quod in Ambroniacensi agri Lugdunensis abbatia visitur cum hac inscriptione:

D. M.
ET. MEMORIAE. AETERNAE.
LAETINI. VERI. QUI. ET
LEONTIUS
QUI. VIXIT. ANNOS. XVIII.
M. III.
DIES. XXV.
LAETINIUS. LAETUS. PATER
FILIO. DULCISSIMO
SUB. ASCIA. DEDICAVIT.

Ubi vides duplex nomen *Latini Veri, qui & Leontius*: cujus monumentum, ex rudi & impolito lapide, sex pedes cum dimidio longitudinis, quatuor altitudinis, duorum latitudinis cum uno quadrante habet. Hæc referre visum est, ne cui fidem faciant in posterum ejusmodi asciarum notæ, quasi signa sanctæ Crucis in tumulis exhibeant.

XXIII.

At longe venerabilior est alia inscriptio, quæ cum aliis fere obliteratis anno M. DC. XCVIII. ineunte detecta est Ambianis in suburbana sancti Acheoli martyris basilica, quam occupant Canonici regulares reformatæ congregationis Gallicanæ. Illic, dum ad novi altaris fundamentum humus erueretur, detecta sunt quinque sepulcra, prope tumulum sancti Firmini episcopi & martyris, qui pone vetus altare positus erat. Duo ex illis hinc & inde polita: unum ad latus Evangelii absque inscriptione, & alterum ad latus Epistolæ cum inscriptione, quæ Eulogii Ambianorum secundi episcopi, & proximi ejus successoris sancti Firmini confessoris esse creduntur. Ante altare tres alii tumuli reperti, unicus cum inscriptione, nempe Faustiniani, ut ex inscriptionis fere deletæ relictis vestigiis non sine fundamento conjiciunt. Hunc vero Faustinianum senatorem vocat anonymus in libello de vita sancti Firmini, primi Ambianorum episcopi & martyris, qui *ad oppidum Ambianensium decimo die mensis Octobris* cum advenisset, *exceptus* fuisse dicitur *à Faustiniano senatore*, quem cum tota ejus familia baptizavit. Firmino caput in carcere amputari jussit Sebastianus præses ob constantem pro Christo confessionem: cujus corpus noctu e carcere *tacito* sublatum Faustinianus *in suo cimeterio, quod Ablandana dicitur*, cum aromatibus & linteaminibus pretiosissimis sepelivit. Faustiniano unicus erat filius, cui Firmini nomen dedit: qui post Eulogium Firmini martyris successorem Ambianorum episcopus factus, ecclesiam in honorem beatissimæ Virginis Mariæ construxit, postmodum sancti Acheoli dictam, ubi sanctus Firminus episcopus & martyr conditus fuisse traditur: ibidemque sanctus Firminus confessor sepeliri voluit. Hæc ex veteri libello de vita sancti Fir-



mini martyris: cujus reliquiæ inde jamdudum sublatæ sunt. Prædicta monumenta cum magno pie-

tatis sensu lustravi: at Faustiniani, ut creditur, tumuli inscriptionem vix legere potui. Hæc inscriptio in antica seu exteriori lapidis sive operculi parte sic habere nonnullis visa est.

Appositum signum crucis in medio duarum hinc inde columbarum. In aversa ejusdem lapidis parte legitur epitaphium cujusdam Thoribii, sive is cum Faustiniano sepultus sit, seu potius hic lapis, ut fit, ex alio antiquiori tumulo revulsus ad operiendum Faustiniani tumulum, conversus ad interiorem ejus partem Thoribii epitaphio, quod hoc loco, prout jacet, exhibendum.



Christi Domini monogramma cum A & Ω, duabusque hinc columbis, hominem Christianum primorum indubie temporum indicat. Relicta in tumulo ejus ossa, sive Faustiniani, sive Thoribii illa sint: quibus sat honoris tributum visum est, quod in loco tam sacro recondita sunt: dum eorum forte sanctitas, aliis indiciis haud ambiguis se prodat.

Hæc sunt, amantissime Theophile, quæ ad quæstiones tuas respondere subsecivis mihi horis licuit. Tuum erit ea vel cum amicis nostris communicare, si quid tua exspectatione haud indignum in his inveneris: vel omnino supprimere, si qua Religioni tantisper adversa, aut incommoda deprehenderis. Mihi certe unum propositum fuit, cum desiderio tuo facere satis, tum maxime Religionis integritatem illibatam, ac legitimum sanctorum cultum pro modulo tueri. Ceterum, quod jam initio professus sum, hæc omnia subjecta esse volo Ecclesiæ judicio, & Sedis Apostolicæ censuræ. Vale. Kal. Novemb. an. M. DC. XCVII.



APPENDIX I.

De ritu humandi sacerdotes, veteri & novo.

PÆNE exciderat alia quæstio, quam mihi absolvendam etiam proposuisti, carissime Theophile; nempe de ritu sepeliendi Sacerdotes, haud ubique nunc uniformi, dum conversis alii ad orientem, alii ad occidentem capitibus, eorum cadavera in tumulis componunt. Uter modus sit antiquior, rogas; uter præferendus. Ut paucis hanc quæstionem absolvam, inspice vetera episcoporum in cathedralibus, & abbatum in monasticis ecclesiis monumenta; & vide, an vel unum conversum ad orientem caput exhibeat ante nostrum, aut forte patrum nostrorum sæculum. Brevis hæc probatio, nec quæsitu difficilis, sed tamen certa & indubitata ad demonstrandam hujusce ritus antiquitatem. Atqui in ejusmodi rebus præferendum videtur id, quod universim bona probat antiquitas, etiamsi institutionis rationem forte ignoremus. Recte ad propositum in consimili argumento Johannes Diaconus in epistola ad Senarium virum illustrem: *Illud firma mente teneo? quod non à majoribus tradita custodiret Ecclesia, nisi certa sui ratio poposcisset: nec ea possumus dicere inania videri ac frivola; quia eorum minime rationem accepimus.*

Verum non deest ratio, quæ veterem illum morem probet. Vis scire qualem? Nimirum ea, quæ petitur ab exemplo Christi Domini, quem capite ad occidentem, pedibus ad orientem conversis sepultum fuisse tradunt veteres, probantque ex descriptione illius monumenti. Audi quid super hac re scribat Haimo episcopus Halberstadensis, vir inter sæculi noni scriptores haud incelebris, in homilia pro die sancto Paschæ. Is, descripta ex antiquorum relatu spelunca, in qua Christi sepulcrum excisum erat, hæc subdit. *Ostium vero speluncæ patulum est ad orientem. Unde introeuntibus locus dominici corporis in dexteris habetur: quia dominicum corpus ita in monumento jacuit*, UT CAPUT ILLIUS AD OCCIDENTEM, ET PEDES AD ORIENTEM RESPICERENT: *dextera quoque manus ad meridiem, sinistra ad aquilonem.* Nihil clarius ac luculentius ad demonstrandum Christi exemplum, nihil efficacius ad veterem illum ritum asserendum. Idem porro colligere licet ex descriptione Christi monumenti, quam exhibet Adamnanus in libro primo de locis sanctis, & post eum venerabilis Beda, ex relatu Arculfi episcopi Gallicani, qui hæc ante annos fere mille & centum oculis contemplatus fuerat. Hinc facile intelligas, veterum illum sepeliendi ritum ab exemplo Christi Domini petitum fuisse. Ne dubita; asserente idipsum Haimone mox laudato. *Ex quo tempore*, inquit, *consuetudo excrevit, Christianorum corpora ad hanc similitudinem sepeliri.* Idem attestatur prædictus Adamnanus in libro secundo de locis sanctis, ubi observat, patriarchas veteris testamenti alio modo sepultos fuisse: *quorum plantæ*, inquit, NON SICUT IN ALIIS ORBIS REGIONIBUS AD ORIENTEM HUMATORUM CONVERTI MORIS EST, *sed ad meridiem versæ, & capita contra septemtrionalem plagam conversa.* Itaque ante annos mille & centum jam mos obtinebat, teste post Arculfum Adamnano, ut plantæ humatorum, nullo discrimine ad orientem converterentur. Cur ergo Sacerdotes ab hac consuetudine recedant, quæ Christi Domini exemplo firmata est? At sacerdotes sunt, & in benedicentium morem compositi; ideoque conversi in tumulis ad populum, quasi benedictionem impertituri. Verum cessant in sepultis hæ sacerdotum prærogativæ, unaque sors omnium mortalium in sepulcris. Quidni ergo prævaleat novitiis illis ritibus antiquitas, in omnibus olim uniformis? Quidni Sacerdotes, ut ceteri homines, exemplum Christi sepulti imitentur?

Quod si ad antiquitatem & exemplum tam sacrum rationes morales adjungi cupis; orientem spectant Christiani orantes, orientem sepulti, in spem resurrectionis, cujus oriens symbolum est. Mihi itaque consultius videretur, ut antiquitatem, sicut ceteri, retinerent Sacerdotes, sequerenturque exemplum Christi Domini, qui unam cum ceteris resurrectionis spem habent.

Quo tempore hæc antiqui ritus mutatio facta sit, operæ pretium fuerit hic observare. Omnes quotquot vidi, veteres libri rituales, (vidi autem plurimos, maxime apud PP. Minimos Parisienses) nullum discrimen ponunt ante sæculum decimum-septimum inter sepulturam sacerdotum & aliorum. In Rituali Ord. Prædicatorum, typis Alfonsi Ciacconii Romæ edito anno M. DC. VII. tantum præscribitur, *ut deponatur corpus, & collocetur supinum, positis pedibus ad orientem, vel ad meridiem secundum fossæ dispositionem*, nulla sacerdotum facta distinctione.

Rituale Genevense à sanctæ memoriæ Francisco Salesio ordinatum, anno M. DC. XII. editum, in quo omnia, quæ ad sepulturam pertinent, ex antiquitate accuratissime reponuntur, nullam præscribit Sacerdotes inter & laicos diversitatem. Prima hujusce distinctionis mentio facta videtur in Rituali Romano, Pauli V. jussu vulgato Romæ anno M. DC. XIV. In capite enim de exsequiis hæc leguntur: *Corpora defunctorum in ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare majus; vel si condantur in oratoriis aut capellis, ponantur cum pedibus versus ad illarum altaria: quod etiam pro situ & loco fiat in sepulcro. Presbyteri vero habeant caput versus altare*, scilicet in sepulcro. Ab illo haud dubie tempore hæc mutatio facta est, ut in Rituali Carnutensi, quod Leonorius d'Estampes anno M. DC. XXVII. imprimi curavit. tamets quædam ecclesiæ veterem usum retinuerunt, in his insignis ecclesia Remensis, ut patet ex novo Rituali illustrissimi Caroli-Mauricii Tellerii archiepiscopi-ducis Remensis, in quo diserte præscribitur, ut sacerdotes non alio modo, quam laici, in tumulis componantur.

Porro hæc mutatio ex eo initium duxisse videtur, quod corpora sacerdotum in ecclesia, antequam sepelirentur, ut erant nudo vultu, & sacerdotalibus induta vestibus, verso capite ad altare principio posita sunt, ut populo spectabilia essent, quod ex vetustis quibusdam ritualibus libris didicimus; deinde vero eadem positio in ipso quoque sepulcro sensim observata est.

Ceterum quæcumque hactenus hoc de argumento dixi, non eo animo à me allata sunt, quasi novum ritum improbem (quod absit ut mihi arrogem, sciens id esse disciplinæ mutationi obnoxium) sed ut antiquum illustrarem ritum, quem nonnullæ hactenus ecclesiæ retinent non sine fundamento, ut ex dictis manifestum est.

APPENDIX II.

De probatione reliquiarum per ignem.

AD superiorem de sacris Romanorum cœmeteriorum pignoribus tractationem referri potest Reliquiarum probatio per ignem, qua veteres nonnumquam usi sunt ad Reliquias veras à falsis secernendas. Ex multis ejus rei exemplis, quæ nobis suppeditat antiquitas, duo tantum ex initio sæculi XI. proferre satis fuerit.

Unum nobis suggerit Leo Marsicanus in Chronici Casinensis lib. II. cap. XXXIII. ubi monachi quidam Jerosolymis venientes, particulam lintei, quo Christus Dominus pedes Discipulorum extersit, secum detulisse, & Casinatibus obtulisse dicuntur. *Sed enim à plurimis*, inquit Leo, *super hoc nulla fides adhiberetur, illi fide fidentes primus prædictam particulam in accensi turibuli igne desuper posuerunt: quæ mox quidem in igneo colorem conversa, post paullulum vero, amotis carbonibus, ad pristinam speciem mirabiliter est reversa.* Sed ne forte quis reponat, ejusmodi linteum ex genere incombustibilium fuisse, aliud de solido corpore exemplum proferendum est.

Illud autem præsto nobis adest ex libro de vita S. Meinwerci Episcopi Paderbornensis, ubi agitur de constructo ab eo monasterio in suburbio ejusdem urbis, misso que ad eumdem à Wolfgango Aquileiensi patriarcha corpore S. Felicis cum duobus palliis, in eodem monasterio reponendis. Verum Meinwercus *experiri volens utrum verus sanctus esset, an sibi suoque succurrere posset populo, rogum maximum in medio claustri sub divo fieri præcepit: in quem cum tertio corpus misisset, totumque in favillam redactum ignis existimatus fuisset; cum maxima omnium exsultatione & laudum jubilatione, corpus manibus propriis accipiens, super principale altare detulit, & omnium venerationi sollemnem sanctum illum deinceps haberi instituit.*

Verum ne quis putet, hanc probationem posteriorum temporum inventum esse, & privato quorumdam arbitrio, non legitima factum auctoritate; occurrit hac de re decretum Concilii Cæsaraugustani II. Gregorio M. summo pontifice habiti, scilicet anno DXCII. cujus concilii canone II. *statuitur sancta synodus, ut Reliquiæ in quibuscumque locis de Ariana hæresi inventæ fuerint, prolatæ à sacerdotibus, in quorum ecclesiis reperiuntur, pontificibus præsentatæ igne probentur.* Ex quo intelligitur, veterem hunc usum esse, & ab episcopis jam inde à sæculo saltem sexto probatum & usurpatum.

His addo experimentum recens factum in veræ Crucis particula, quæ encolpio Emmanuelis Comneni

IC XC

ΗΛΝΧΗΛ ΓΓΔ ΕΦΗΦΟΡΟC

inclusa

inclusa est. Hoc encolpium Pratensi nostræ S. Germani basilicæ testamento legavit Serenissima Princeps Anna Gonzaga Cliviensis, conjux quondam Eduardi principis Palatini Rheni, quæ hanc ipsam sanctæ Crucis particulam se præsente in flammas conjectam, & ab eis illæsam fuisse asserit his testamenti sui verbis : *Je leur donne encore ma Croix de pierreries, avec la sainte vraye Croix, que j'atteste avoir veuë dans les flammes sans brûler.* Hæc Crux duplicata est instar Jerosolymitanæ, cui insculpti sunt à tergo hi versus Græci, præmisso JESU-CHRISTI sacro-sancto nomine in hunc modum.

Ἰησοῦς Χριστός
Σταυρῷ παγεὶς ὕψωσεν ἀνθρώπων φύσιν
Γράφει Κομνηνὸς Μανουὴλ στεφηφόρος.

Id est, *Jesus-Christus crucisuffixus exaltavit humanam naturam.*

Scripsit Commenus Manuel imperator.

Ejusdem Crucis effigiem hic exhibere visum est in gratiam lectorum. Cæterum etsi hoc de Cruce experimentum sit recens, non tamen canonice factum est. Nam hic probandarum Reliquiarum ritus jamdudum in desuetudinem abiit, nec modo in usum revocandus est, nisi nova Ecclesiæ accedat auctoritas.

Neque vero antiquus ille ritus temere olim fiebat, sed cum sollemni precum formula, quam ex codice Remigiano in lucem protulit noster Theodericus Ruinartius in Appendice ad Gregorium Turonensem, prout sequitur.

APPENDIX III.

Oratio ad probandas Reliquias.

DOMINE labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. III.

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina, *cum* Gloria Patri, *&* *cum* alleluia. *tribus vicibus.*

Psal. Exsurgat Deus, *usque* Cantate Deo, psalmum dicite. *tribus vicibus cum* Gloria Patri.

Hymnus. Veni creator, *&c. Or.* Deus qui corda fidelium.

Antiph. Justus Dominus. *Psal.* In Domino confido.

Antiph. Sanctis qui in terra sunt. *Psal.* Conserva me Domine.

Antiph. Igne me examinasti. *Psal.* Exaudi Deus.

Antiph. Hæc est generatio. *Psal.* Domini est terra.

Antiph. Deus exaudi orationem. *Psalm.* Deus in nomine tuo.

Antiph. Beati quos elegisti Domine. *Psal.* Te decet.

Antiph. Veritas de terra. *Psal.* Benedixisti Domine.

Antiph. Credidi propter. *Psal ad ipsum.*

Antiph. Laudate Dominum de cœlis. *Psal.* Laudate Dominum in sanctis ejus.

Antiph. Trium puerorum. *Psal.* Benedicite.

Antiph. Te gloriosus. *Psal.* Quicumque vult salvus esse. Dominus vobiscum.

Initium sancti Evangelii secundum Johannem. In principio erat verbum. *Tunc Letania, usque* Omnes sancti orate pro nobis. Kyrie eleison III. Christe eleison III. Kyrie eleison. *ter.* Pater noster. Et ne nos inducas. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Et salutare tuum.

ORATIO.

DOMINE Deus Jesu-Christe, qui es Rex regum & Dominus dominantium, & amator omnium in te credentium, qui es justus judex, fortis & prudens; qui sacerdotibus tuis tua sancta mysteria revelasti, & qui tribus Pueris flammas ignium mitigasti; concede nobis indignis famulis tuis, & exaudi preces nostras, ut pannus iste, vel filum istud, quibus involuta sunt ista corpora Sanctorum, si vera non sint, crementur ab hoc igne; & si vera sint, evadere valeant; ut justitiæ non dominetur iniquitas, subdatur falsitas veritati, quatinus veritas tua ibi declaretur, & nobis omnibus in te credentibus manifestetur, ut cognoscamus, quia tu es Deus benedictus in sæcula sæculorum amen.

Pater noster. *Tunc antiphona.* Igne me examinasti. *Et dum incipitur, in ignem Reliquia ponantur, tamdiu donec ter finiatur ipsa antiphona cum psalmo.* Probasti Domine cor meum. *&* *cum* Gloria Patri. *Sicque facient Reliquiæ utrum veræ sint, an falsæ reperies.*

DECRETUM GENERALE

Sacræ Congregationis rituum, ab Innocentio XII. approbatum.

Contra nonnullos abusus, qui in cultum quorumdam Sanctorum irrepserunt.

CUM sacrorum rituum Congregationi innotuerit quamplures abusus irrepsisse circa recitationem officii sub prætextu decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno 1630. & in breviario Romano impressi, in quo permittitur posse in Ecclesia recitari officia, & Missas celebrari de illis sanctis, quorum corpora, aut reliquiæ insignes in ea asservantur: Eminentissimi Patres eidem sacræ Congregationi præpositi, iisdem abusibus evellendis præcipue intenti, inhærendo decretis aliis in similibus editis, declararunt prædicta officia sanctorum ratione corporis, seu insignis reliquiæ recitanda, intelligi debere de sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodo constet de identitate corporis, seu reliquiæ insignis illiusmet sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus. De cæteris autem sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus à sancta Sede non fuerit specialiter concessum; officia recitari, & Missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum corpora, vel insignes reliquiæ in ecclesiis asserventur. Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque officio & Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi officium, aliisque in constitutione sanctæ Pii V. contentis. Die 11. Augusti 1691.

Et facta de prædictis Sanctissimo per me Secretarium relatione, Sanctitas sua ejusmodi decretum approbavit, ac, ut debitæ exequutioni demandetur, locorum Ordinariis injungendum esse præcepit. Die 19. Octobris ejusdem anni 1691.

A. EPISC. OSTIENS. CARD. CYBO.
Loco † sigilli.

J. Valtemanus Sac. Rit. Congreg. Secret.

Romæ, Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ 1691.

LITTERÆ TESTIMONIALES

EM. DD. CARDINALIS VICARII,

De Corpore Sancti Felicissimi.

GASPAR tituli sanctæ Pudentianæ S. R. E. Presbyter Cardinalis de Carpineo attestamur, quod dono dedimus Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Ludovico tituli S. Sabinæ Presbytero Cardinali Porto-Carrero nuncupato, sacrum corpus sancti martyris Felicissimi, de mandato sanctissimi Domini nostri Papæ ex cœmeterio Prætextati extractum CUM VITRO SANCTI MARTYRIS SANGUINE TINCTO: eidemque, ut supradictum corpus apud se retinere, aliis donare, extra Urbem transmittere, & in quacumque ecclesia, oratorio & capella publicæ venerationi fidelium exponere valeat, facultatem concedimus; &c. [a] Romæ die decima Julii anon millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo.

Aliæ Litteræ Testimoniales Episcopi, Sacrarii Apostolici Præfecti.

UNIVERSIS & singulis præsentes litteras nostras visuris fidem indubiam facimus, qualiter nos ad majorem omnipotentis Dei gloriam, sanctorumque suorum venerationem, sacras reliquias de mandato SS. D. N. PP. è cœmeterio N. extractas, & à sacra Congregatione Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum recognitas & approbatas, inclusas in capsula... bene clausa, nostroque parvo sigillo obsignata, ad effectum apud se retinendi, & alteri donandi, extra Urbem mittendi, & in qualibet ecclesia, vel oratorio publicæ fidelium venerationi collocandi ac exponendi, dono dedimus & consignavimus N. in quorum fidem has præsentes litteras, manu nostra subscriptas, & nostro sigillo firmatas expediri jussimus. Datum Romæ, &c.

EX STATUTIS SYNODALIBUS

GUIDONIS EPISCOPI LINGONENSIS,

EDITIS ANNO 1479.

Contra Baptismum abortivorum.

CONSTITUTIONEM domini Philippi nostri prædecessoris renovantes, damnamus & penitus reprobamus abusum illum, quo passim & indifferenter temporibus retro actis fuerunt infantuli ex utero matrum suarum suffocati, qui vulgariter dicuntur mortui-nati, quorum etiam aliqui fuerunt ad ecclesiam delati, certis diebus ac noctibus coram imaginibus Sanctorum appositi, à principio frigidi & tamquam baculus rigidi, sed per ignem carbonum, & quandoque cereorum & lampadum accensorum molles effecti, in quibus color rubeus ad tempus & sanguis fluens à naribus apparuit, quorum etiam aliqui sudare super orificio stomachi visi sunt, & venas temporales & frontis, ac circa collum aliquantisper movere, alterum oculorum aperire & claudere, flatum à naribus calidum emittere, à quo plumæ naso appositæ assufflantur, perfusi sacri baptismatis unda, & de post in cœmeteriis ecclesiasticis fuerunt tumulati. Hos igitur & similes abusus de cætero sub excommunicationis pœna & emendæ arbitrariæ per nostras civitatem & diocesim districtius fieri prohibemus, inhibentes ne sacramentorum aliquibus conferatur, nec etiam in ecclesiastico cœmeterio tumulentur aliqui, quos verisimiliter constiterit vita naturali aut miraculosa caruisse. Et quia sunt quædam mulieres se de præmissis abusibus propter quæstum intromittentes, ipsis hoc facere de cætero prohibemus; prohibemusque omnibus, ne tales mulieres ad talia de cætero in suis ecclesiis recipiant seu admittant.

GREGORII IV. EPISTOLA

AD OTGARIUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, reverendissimo, & sanctissimo, Otgario Archiepiscopo.

QUon nos tanta amore ac benevolentia diligitis, plus hoc vestra sanctitas, quam nostra merita faciunt: quod tamen maxime muneribus directis agnovimus, pro quibus maximas vobis gratias agimus, quia totum erga sedis Apostolicæ Præsulem, ut condecet, curatis impendere, cujus nos vicissitudinem, Deo volente, sanctitati vestræ supplere studemus. De corpore vero sancto, quod nobis humiliter vestra quæsivit prudentia, quod dirigeremus non habuimus: quoniam cuncta sanctorum corpora prædecessores nostri nobiscum communiter detulerunt, & unumquodque eorum ecclesiis noviter dedicatis, summa veneratione condidimus. Proinde benevolentiam vestram precamur, ut nobis spatium inquirendi diligentius præbeatis, quatenus corpus sanctum invenire valeamus ad vestram complendam petitionem: & si inventum fuerit, vestra nobis credere dignetur industria, statim quod petistis perficiemus: modo vero illud non misimus, quia inquirentes nequaquam invenire valuimus.

INDEX

OLEORUM SACRORUM,

Quæ Gregorius M. misit ad Theodelindam Reginam.

*Notitia de olea * Sanctorum Martyrum, qui Romæ in corpore requiescunt*, id est, * Sic MS.

SANCTI Petri Apostoli,
Sancti Pauli Apostoli,
Sancti Pancrati,
Sancti Arthemi,
Sanctae Sophiae cum tres filias suas,
Sanctae Paulinae,
Sanctae Luci. . ae,
Sancti Processi,
Sancti Martiniani,
Sancti Crisanti,

[a] Ita in editis. Supple ex similibus formulis, *In quorum fidem, &c.*

Sanctae Dariae,
Sancti Mauri,
Sancti Jasonis & alii sancti multa millia,
Sancti Saturnini,
Sancti ... nionis [a],
Sancti Systi,
Sancti Laurenti,
Sancti Yppoliti,
Sanctorum Johannis & Pauli,
Sanctae Agnetis & aliorum multorum martyrum,
Sancti Y ... ion,
Sanctae ... eris,
Sanctae Spei,
Sanctae Sapientiae,
Sanctae Fidis,
Sanctae Caritatis,
Sanctae Ceciliae,
Sancti Trecicii,
Sancti Cornili & multa milia Sanctorum,
Sancti Johannis, sancti Liberalis,
. . . .
Sanctus Blastro & multorum Sanctorum.
Sed & alii sancti, id est CCLXII. in unum locum, & alii CXXII.
Alii XLVI. quos omnes sanctus Justinus presbyter, collega sancti Laurenti martyris sepelivit,
Sanctae Felicitatis cum septem filios suos,
Sancti Bonifaci,
Sancti Hermetis,
Sancti Proti,
Sancti Iacyntl,
Sancti Maximiliani,
Sanctus Crispus,
Sanctus Herculanus,
Sanctus Bauso,
Sancta Basilla,
Oleo de Sede ubi prius sedit sanctus Petrus.
Sancti Vitalis,
Sancti Alexandri,
Sanctus Martialis,
Sanctus Marcellus,
Sancti Silvestri,
Sancti Felicis,
Sancti Philippi, & aliorum multorum Sanctorum.
Sancti Sevastiani,
Sancti Eutycii,
Sancti Quirini,
Sancti Valeriani,
Sancti Tiburti,
Sancti Maximi,
Sancti Orbani,
Sancti Januari,
Sanctae Petronillae filiae sancti Petri Apostoli.
Sancti Nerei,
Sancti Damasi,
Sancti Marcelliani,
Sancti Acillei,
Sancti Marci.

† Quas olea sancta temporibus domni Gregorii Papae adduxit Johannes [b] indignus & peccator domnae Theodelindae reginae de Roma.



MONITUM
In sequentes Inscriptiones.

Ne sequentes pagellæ maneant vacuæ, subjuncta excerpta ex libris Inscriptionum Sebastiani Maccii hic apponere visum est, cujus integrum opus olim vidimus Romæ in Bibliotheca Chigiana.

INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM
SEBASTIANI MACCII DURANTINI
Volumen primum, Romanum nuncupatum.

Observatio Lucæ Holstenii.

DIVISERAT Sebastianus Maccius totum hoc inscriptionum opus in tria volumina, quorum primum continebat inscriptiones Romanas sive Urbicas, secundum Italicas, quod duobus hisce tomis comprehenditur. Tertium volumen nuncupat Transalpinum, cujus particula tomo 2. pag. 574. habetur, & Lugdunenses inscriptiones complectitur ac Græcas. Ad colligendum hoc opus auctori nec ingenium, nec industria defuit, sed ad edendum atque publicandum favor obstetricius patroni, aut mecænas aliquis defuit, qualem frustra in Cardinale Burghesio speravit.

Cæterum ut homines humana patimur, ita & Maccius humani quid se expertum prodit voce *Durantes*, ubi inscriptionem M. Accii, viri sua ætate suis dignitate conspicui, notat complura de familia Accia, ex qua Macciam suam deducere videtur, &c.

Auctores præcipui, ex quorum scriptis opus suum congessit, sunt Martini Smetii inscriptiones antiquæ cum auctario Justi Lipsii, Wolfgangi Langii commentarii Reipublicæ Romanæ, Aldi Manutii Nepotis Orthographia, quos tres auctores Janus Gruterus transcripsit, Onuphrii Panvinii Fasti, ejusdem Civitas & imperium Romanum, Fulvius Ursinus de familiis Romanorum, Bartholomæi Marliani antiquitates Romanæ, ejusdem Fasti triumphales, Johannes Baptista Funteius de prisca Cæsiorum gente, cum appendice Julii Jacubonii, Francisci Robertelli emendationum libri, Leandri Alberti descriptio Italiæ, Gabrielis Simeonis Dialogi, Celsus Citadinus de origine linguæ Etruscæ, Laurentii Abstemii opuscula varia mss. Johannes Tacuinus in opere rerum diversarum.

Citat præterea variòs auctores, qui peculiarem civitatum Italiæ historiam scripsere, ut Petri Gritii historia Æsina, Bartholomæus Castiglione lib. de Insubribus in 8°. Philiberti Pingonii historia Augustæ-Taurinorum fol. Pierii Valeriani antiquitates Bellunenses 8°. Bernardini Scardonii antiquitates Patavinæ fol. Torelli Sarayuæ Antiquitates Veronenses fol. Philippi Antonii liber de antiquitate & inscriptionibus Sarcinæ 4°. Johannis Bonifacii historiæ Tarvisinæ.

[a] Videtur legendum Tipinionis aut Tiginionis.

[b] Johannes iste, non alius videtur à Johanne abbate, quem Gregorius M. ad Theodelindam reginam misit, ut ducimus ex Registri lib. 3. ep. 4. Anale. 1.

AUCTORIS CARMEN ad Cardinalem Burghesium.

ANTIQUI monumenta ævi, memoresque tabellas
Heroum, & claras factis ingentibus urbes
Eduxi è tenebris, mediaque ex morte recepi:
Sed tandem optatæ revocata ad lumina vitæ,
Ut ventura ætas veterum miretur avorum
Virtutem insignem, & magnatum præmia laudum,
Sæpe fatigatus precibus, votisque benignis
Ausonidum, & studiis cunctorum & vocibus actus,
Jam dudum è nostro dimittere carcere cogor.
Verùm ne Ausonidum rursus bene facta parentum
Exitium casumque ferant, æterna sed annis
Omnibus in terris ventura in sæcula vivant;
Has urbes clarosque viros, hæc marmora priscis
Exsculpta atque inscripta notis, hæc sancta vetustæ
Imperia Italiæ, & magnatum symbola rerum
Nunc humeris impono tuis, impono potenti
Cervici capitique tuo, sanctæque tiaræ,
Qua tu Burghesi in Patribus, sanctoque Senatu
Sub Vaticano decoratus murice præstas.
Nec tibi tantarum pondus spectabile rerum
Vel grave, vel nimiu pæne pro mole laboris.
Hæc namque exigua & nullius ponderis extant,
Si ingentem spectes æquato pondere molem,
Quam modo tu juxta Patrum terræque Parentem
Paullum, Christiadum pro Christo, sceptra tenentem.
Alter Atlas valido solus molimine fulcis &c.

Cicero Act. 5. in Verrem.

Omnia exempla quæ reperiuntur & videntur adnotata in marmoribus & scriptis historiarum antiquarum, plena majestatis atque vetustatis, habent nescio quid auctoritatis ac virtutis persuadendi, ut res vera cognoscatur, atque præterea maximam delectationem iis afferunt, qui de illis veteres loqui audiunt.

Ubi in epitaphiis *ob honorem*, V. Alciat. parergon lib. 10. cap. 12.

In sancto Laurentio.

D. M.
EVENTIUS. PUER
VIXIT. ANNIS. VIII. ZE
BUS. III.

Notandum in hac inscriptione scribi *Zebus* pro *diebus*, ut olim *Zabulus*, pro *diabolus Hippozarrites* pro *Hippodiarrites*. L. Holst.

P. Actilio. Ruffo. &. Actiliæ. Beronicæ
Ux. vixerunt. ann. xxiiii. sed Publi. mens.
x. ante natus. est. & eadem. hora. fungorum esu. ambo. mortui. sunt. ille. acu
Illa. lanificio. vitam. agebant. nec ex
eorum. boni. plus. inventum. est
Quam. quod. sufficeret. ad. emendam
Pyram. &. picem. quibus. corpora. cre
marentur. &. præfica. conducta
Et. urna. empta. atque. indulgentia
Pontificum. locus. datus. est

Wolfgan. Laz. lib. 3. cap. 11. pag. 400. ubi agit de loco sepulturæ à Pontificibus assignando ex Strabone lib. 5. & Suetonio in Domitiano.

Aquileiæ.

DOMUM ÆTERNAM. Julia. A
gra. posuit. obsequenti ma
rito. Sex. L. Antoniano. &
Juliae. Felicis. fratribus
Pientiss.

ols PROBUS. Saxum.
Cuiciae. dorsiferae. & clunifetae. man
suetae. & pesuetae. ut. insultare. &
desultare. commodetur. P. Crassus. mulae
suae. Crassae. benè merenti. suppedaneum
hoc. cum. risu. posuit. vexit. annis xt.

Thomas Porcacchius Libro funeralium pag. 3. ponit hoc epitaphium, ut antiquuum, legitque pro P. CRASSO. PUBLIUS. CRASSUS. Verum, ut retulit Annibal de Grassis Bononiensis, episcopus Placentiæ, factum fuit à Paride de Grassis, sculptumque in marmore, ac ejus jussu sepultum in quadam ejus vinea. Post hæc fingens se velle quasdam arbores plantare, jussit foveam & scrobem eo in loco fieri, ubi marmor erat sepultum. Cum vero fodiendo illud esset inventum, ille inquit: Videte quæ prædicta dicuntur de mea mula. Res vero cum esset acta per jocum, multis annis marmor ut derelictum, effossum ibidem mansit. Vide Concionatorem Panigarolæ particula 81. pag. 475. ubi hanc eamdem inscriptionem paullo variam ponit, & dicit eam esse Romæ. In Collectaneis Alexandri VII. dicitur reperta prope S. Petrum.

Siricæ in Marmore inedita.

D. M.
A. TULLIAE
FAUSTINAE
FILIAE. DULCISSI
MAE. QUAE. VIXIT
ANNIS XVIIII. MENS.
V. DIEB. III. A. TULLI
PRIMITIVUS. ET. VICTO
RIA. CONTRA VOTUM.
B. M.

In numismate æris antiquo.

S. P. Q. R.	EX. S. C.
L. CRISTAE	OB. STRE
PRAEFICAE	NUE. FACT
SEXQ. LIBE	UM B. M. M.
RIS. EIUS	F. F.
TUDERTI	
BUS.	

Camerini.

ℲIℲAM. QUAE. ME. HOC. CONDO. MONIMENTO. NE. OBRITIS. DOMOS. LAPSU. FILIIS. QUOS. SCIPIO. PATRIIS. CAMERTIBUS. A. SALO. ET. LYBIA. INCOLUMES. PETIVERAT. IN DESOLATA ORBITATE. SUPERSIM. MISERA ℲIXI AN. L. MEN. I. HOR. SCIT. NEMO QUIETEM. POSTERI. NON. INVIDEANT QUI. SECOS. MANES. SENTIAT. IRATOS ℲALE. ℲITA.

Antoninus Cerrius Satyrar. Schol. Satyra 2. Sat. 79.

Forosempronii, vulgo *Fossombrone*, inedita.

LOC. SEPULT. DON
G. VALGIUS. FUSCUS. CON
LEGIO. IUMENTARIOR.
PORTAE. GALLICAE
POSTERISQ. EORUM. OMNIUM
ET. UXORIBUS. CONCUBINISQ.

Repertus hic lapis anno 1603. mense Octobri à colonis, dum sementes facerent in agro dicto

della barca episcopatus Forosempronii, itiqui milliari à civitate juxta viam Flaminiam. Erat vero sub terra erectus, spectans aquilonem, juxtaque in eodem agro erant complures urnæ terreæ cineribus plenæ. Octavius Accorombonus episcopus in ædes episcopales deferri lapidem jussit. Ex hoc patet, unam Forosempronii portam fuisse, *Gallicam* dictam, versus Fanum, ubi olim Gallia togata erat: alteram Romanam, Romam versus. Multa olim collegia erant in Italiæ opidis, urbibus, & civitatibus, ut late ostendit Volfgangus Lazius comm. reip. Rom. lib. 10. c. 4. Sed collegia *jumentariorum* neque in historiis, neque in lapidibus forsan ulla memorantur. Ejusmodi collegia modo *Societates*, modo *corpora* appellabantur. *Corpora* fueruot ignobiliorum, atque inferiorum artificiorom: cujusmodi erant Sutores, folleatores, lecticarii, pistores, spiculatores, caupones, vinarii, cavernarii, collectores, sartores, bajularii, diatracharii, in summa omnes mercatores. Vide Liviom lib. 26. ubi de Capua: Lampridium in vita Alexandri Cæsaris, ubi hæc leguntur. « Corpora omnium instituit, vinariorum, lupanariorum, caligariorum, & omnium artium &c. «. Et Symmachus lib. 1. epistola ad Theudosium meminit corporis mercatorum, laniorum, cauponum, macellarom, tabernatum, salinatorum, & aliarum ejusmodi vilissimarum & sordidissimarum artium. Collegia vero erant majorum artificiorum, videlicet architectorum, figulorum, tinctorum, coriariorum, dendroptirorum, centonariorum, nautarum, fabrorum aurificum & aurariorum, atque bractearorum, qui monetam signabant. Figulorum collegium institutum fuit à Numa Pompilio 2° rege Romanorum, ut refert Plinius nat. historiæ lib. 35. cap. 12. ubi hoc collegium *septimum* dicit.

F I N I S.



INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A.

Canonicorum

Gregorii

H.

S.

Sigibertus

Index rerum Memorabilium.

